THEOLOGIÆ

R. P. FR. SUAREZ

SUMMA, SEU COMPENDIUM.

THEOLOGIÆ

R. P. FR. SUAREZ,

E SOCIETATE JESU,

SUMMA, SEU COMPENDIUM,

A R. P. FRANCISCO NOEL EJUSDEM SOCIETATIS CONCINNATUM

ET IN DUAS PARTES DIVISUM,

Duobusque Tractatibus a Suarez omissis adauctum : primo scilicet de Justitia et Jure, secundo de Matrimonio.

PARS SECUNDA,

NOVEM POSTERIORES DICTI AUCTORIS TOMOS COMPLECTENS :

X, XI, XII, XIII, De religione; XIV, XV, De incarnatione; XVI, XVII, De sacramentis; XVIII, De censuris.

Can.° Teologo
Dott.° Gioacchino M.ª
Pelagatti

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS SECUNDUS.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VENEUNT DUO VOLUMINA 14 FRANCIS GALLICIS.

ALMA COLLEGE
209.9
LIBRARY
N682
Alma, California

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962
26728

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

B
785
S826
T54
1861
v. 2

R. P. FR. SUAREZ.

THEOLOGIÆ SUMMA SEU COMPENDIUM.

PARS SECUNDA.
TOM. X, XI, XII, XIII. DE RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU. col. 9
TRACT I. DE RELIGIONIS NATURA ET ESSENTIA. 11
I. De Religionis objecto. 11
II. De Religionis actibus in genere. 14
III. De habitu Religionis. 15
TRACT. II. DE AFFIRMATIVIS RELIGIONIS PRÆCEPTIS. 21
I. De Præceptis cultus divini. 21
II. De diebus festis. 41
III. De locorum sacrorum debita reverentia. 61
TRACT. III. DE VITIIS RELIGIONI CONTRARIIS. 71
I. De Irreligiositate. 71
II. De Superstitione. 75
III. De Sacrilegio. 92
IV. De Simonia. 95
TRACT. IV. DE ORATIONE, DEVOTIONE, ET HORIS CANONICIS. 149
I. De Oratione in communi. 149
II. De Oratione mentali et Devotione 163
III. De vocali Oratione in communi. 177
IV. De publica ecclesiæ Oratione et Horis canonicis. 181
TRACT. V. DE JURAMENTO ET ADJURATIONE. 209
I. De Juramento in genere, et de assertorio Juramento in specie. 209
II. De Juramento promissorio. 219
III. De Juramenti præceptis, et peccatis eis contrariis. 247
IV. De Adjuratione. 259
TRACT. VI. DE VOTO. 261
I. De essentia et honestate Voti. 261
II. De materia Voti ejusque divisionibus. 275
III. De personis quæ vovere possunt. 286
IV. De Voti obligatione. 291
V. De peccatis Voto contrariis. 305
VI. De Voti irritatione, dispensatione et commutatione. 310
TRACT. VII. DE STATU PERFECTIONIS ET RELIGIONIS. 327
I. De statu Perfectionis variisque ejus modis. 527
II. De religionis Status essentia, origine, votis quibus constituitur, et aliis ad hæc spectantibus. 337
III. De auctore, origine et antiquitate Status religiosi. 349
IV. De voto assumendo religionis Statum. 353
V. De Ingressu religionis ac Novitiatu. 359
VI. De valida Professione religiosa. 371
VII. De invalida Professione religiosa. 385
VIII. De Paupertate. 389
IX. De voto Castitatis. 405
X. De voto Obedientiæ. 425
TRACT. VIII. DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS EX REGULA, PRÆLATIONE, SUBJECTIONE PROVENIENTIBUS. 434
I. De propriis Religiosorum obligationibus quatenus sub regula vivunt. 434
II. De Religiosis quatenus prælati sunt, et eorum obligationibus, ut sic. 442
III. De Religiosis religionem tum deserentibus, tum mutantibus. 461
TRACT. IX. DE VARIETATE RELIGIONUM. 475
I. De varietate Religionum in genere. 475
II. De varietate Religionum in specie. 479
TRACT. X. DE RELIGIONE SOCIETATIS JESU. 483
I. De instituto Societatis Jesu. 483
II. De ingressu et probatione Societatis Jesu. 487
III. De admissione scholarium in Societatem per vota simplicia, eorumque dimissione. 490
IV. De simplicibus Castitatis, Paupertatis et Obedientiæ votis, quæ in Societate Jesu emittuntur. 495
V. De scholasticis ac studiis Societatis Jesu tam domesticis quam externis. 503
VI. De professione quæ in Societate Jesu fit, ac de iis quæ illam antecedunt et consequuntur. 507
VII. De Professis trium votorum et Coadjutoribus formatis Societatis. 514
VIII. De mediis quibus Societas ad propriam perfectionem acquirendam utitur. 516
IX. De ministeriis seu mediis quibus in proximorum salutem utitur Societas. 519
X. De Societatis regimine et ejus præfatis. 527
XI. De professorum Societatis dimissione. 537
TOM. XIV, XV. DE INCARNATIONE. 539
PARS I. DE MYSTERIO INCARNATIONIS SECUNDUM SE SPECTATO. 539
PARS II. DE MYSTERIIS VITÆ CHRISTI, ET UTROQUE HUJUS ADVENTU. 687
TOM. XVI, XVII. DE SACRAMENTIS. 000
PARS I. DE SACRAMENTIS IN GENERE. DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE EUCHARISTIA ET MISSÆ SACRIFICIO. 823
PARS II. DE SACRAMENTIS PŒNITENTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS. DE PURGATORIO, SUFFRAGIIS ET INDULGENTIIS. 1457
I. De Pœnitentia, ut est virtus. 1057
II. De Pœnitentia, ut est sacramentum. 1099
III. De Sacramento Extremæ Unctionis. 1160
IV. De Purgatorio. 1173
V. De Suffragiis. 1180
VI. De Indulgentiis. 1191
TOM. XVIII. DE CENSURIS ET IRREGULARITATE. 1215
APPENDIX I. DE JUSTITIA ET JURE. 1347
APPENDIX II. DE MATRIMONIO. 1421
PARS I. DE SPONSALIBUS. 1421
PARS II. DE MATRIMONIO SECUNDUM SE SPECTATO. 1425
PARS III. DE MATRIMONIO UT EST SACRAMENTUM. 1429
Index analyticus rerum quæ in duobus *Summæ theologicæ* voluminibus continentur. 1465

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

Hanc secundam *Compendii totius theologiæ Suareziæ* partem tibi damus, amice Lector, eadem methodo, claritate, brevitate, qua primam dedimus; et sicut prima pars novem priores illius tomos, ita hæc secunda novem posteriores summatim complectitur; sed priores magis ad speculationem, posteriores magis ad actionem eruditis documentis viam sternunt, et cœleste lumen studiosæ menti præferunt : nam totus *De religione* tractatus accuratam sublimissimæ perfectionis normam edocet; omnia Incarnationis mysteria ardentes divini amoris stimulos animis ubique ingerunt; veneranda sacramentorum instituta sanctissimas Christianæ vitæ rectæque disciplinæ exercitationes præstant; denique ecclesiasticarum censurarum pœnæ aut minæ horrorem vitii incutiunt, et a peccandi libidine homines fortiter avertunt; atque ita in his novem theologicæ doctrinæ libris amplissima exercendæ virtutis area copiose expanditur.

Ne tamen putes me singulas diffusas istius vastissimæ doctrinæ rationes ab auctore coacervatas in hac brevi epitome potuisse includere; quis enim totum Oceanum in exiguo vase includat? Sed exponendo singula rerum fundamenta ac præcipua momenta, ad intelligendam auctoris totam et mentem et doctrinam illa sufficere existimavi, ita ut si quis velit penitiori studio quidpiam enucleare, possit statim ex dictis et ex dictorum titulis ad autographum pro suo explendo desiderio facile recurrere. Compendiarium, simul ac compendiosum opus benigne, Lector, excipe: illoque ad majorem Dei gloriam utere.

THEOLOGIÆ
R. P. FR. SUAREZ,
E SOCIETATE JESU,
SUMMA SEU COMPENDIUM.

PARS SECUNDA,

NOVEM POSTERIORES TOMOS COMPLECTENS :

X, XI, XII, XIII, *De religione* ; — XIV, XV, *De incarnatione* ; — XVI, XVII, *De sacramentis* ; — XVIII, *De censuris*.

TOMUS DECIMUS.

DE

RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU.

TRACTATUS PRIMUS.

DE RELIGIONIS NATURA ET ESSENTIA.

LIBER PRIMUS.

De religionis objecto.

—

CAPP. I, II.

De varia etymologia et acceptione religionis.

Dico 1 : Vox *religio* proprie sumpta non officium civile, sed solum Deum ejusque cultum respicit; nec a verbo *religere*, minime Latino, aut *relegere*, nec a *relinquere* , sed a *religare* juxta Lactantium et Hieronymum derivatur; naturali enim debito et inclinatione jam ligatos homines ad colendum Deum suum auctorem, arctius ac firmius religat religio. In alio sensu apud Latinos significat nimium timorem, scrupulum, nimiam curam, debitum cujusque munus; v. gr. ducere aliquid religioni.

Dico 2 : Juxta morem antiquorum, religio aliquando tribuitur intellectui, aliquando affectui seu voluntati; prout spectat ad intellectum, vera religio est veri Dei verique cultus ei debiti vera cognitio ; contra, falsa religio. Prout vero spectat ad affectum, quæ est propria et formalis religio, vera est illa quæ in vera Dei cognitione ac fide fundatur, adeoque circa verum veri Dei cultum versatur; falsæ, contra præterea religionis nomen non solum interno affectui, sed etiam exterioribus actionibus ac cæremoniis atque doctrinæ, quæ ejusmodi actiones ac cæremonias docet, tribuitur. Hinc habetur quod religio sit virtus seu habitus per se studiosus versans circa objectum honestum, et inclinans ad actiones seu actus rectæ rationi ac divinæ legi consentaneos. Ista vox *religio* æquivoce sumitur etiam pro ipso religionis statu, v. gr. pro ipsa religione Christiana, seu pro generali Ecclesiæ catholicæ statu.

CAPP. III, IV, V, VI, VII, VIII.

De religionis objecto cui *et* quod.

Dico 1 : Deus proprie pertinet ad objectum religionis, non ut proximum directum objectum, inter quod et actum internum a religione elicitum nihil mediat; sicut Deus est objectum proximum directum charitatis, inter quod et actum charitatis nihil mediat; sed est objectum proximum indirectum, quod religio, mediante aliqua hominis actione, conjuncta cum illo (id est objecto) ex vi ejusdem affectus et uno quasi impetu attingit, ideoque dicitur objectum *cui*, non *quod*. Deus enim prout est objectum *quod*, v. gr. charitatis, directe immediate ac proxime ab illa attingitur, nunquam autem sic a religione attingitur, v. gr. dum aliquid petitur a Deo, petitio prout in petentis commodum cedit, non spectat ad religionem, ut dicetur postea : sed honor et cultus quem vult homo Deo deferre mediante petitione, est actus religionis; adeoque voluntas intendens Deum media petitione honorare, non attingit proxime directe Deum ut objectum *quod*, sed proxime indirecte ut objectum *cui*. Solusque Deus tanquam objectum adæquatum *cui*, a virtute religionis at-

tingitur sive in se ipso, sive in alia re ad eum relata, v. gr. in imagine, in re sacra, in sanctis ut ad Deum relatis, etc., et ita est objectum adæquatum *cui*, ut virtus religionis totam suam materiam in illud proxime et directe referat, ac nulla alia virtus, nisi forte quæ sub ipsa comprehendatur, illud eodem modo et motivo attingat. Motivum autem seu ratio objectiva sub qua religio Deum attingit, est divina excellentia ex omnibus attributis nostro modo intelligendi coalescens, quatenus habet nobiscum conjunctionem vel respectum primi principii et supremi Domini; hinc enim ei omnis religionis actus ac cultus debetur et oritur.

Dico 2 : Materia proxima circa quam religio versatur, sive ejus objectum materiale *quod*, uti vulgo vocatur, est omnis actus humanus honestus; v. gr. sacrificium, adoratio, etc., cum suis sacris instrumentis comprehensa, quatenus potest in Dei honorem et gloriam referri. In hoc enim actu duo spectantur : 1° ipse actus materialis, quo Deus coli dicitur; 2° significatio ac testificatio æstimationis divinæ excellentiæ, per quam ei honor ac gloria exhibetur. Hæc significatio æstimationis et ipsa æstimatio est forma actus, quo honor Deo datur et gloria sive in nobis sive in aliis, quod est quasi bonum Dei intrinsecum. Quare proxima religionis materia, divinæ excellentiæ æstimationem et alios actus sive internos sive externos illam manifestantes comprehendit; actus *interni* prout sunt proxima religionis materia, habent primam suam honestatem ex ipso cultu divino, *externi* autem ex institutione divina aut humana; atque ita quilibet actus honestus potest esse apta religionis materia.

CAPUT IX.

Quomodo ratio debiti spectet ad formale religionis objectum.

Dico : Proprium et adæquatum religionis munus est reddere Deo debitum cultum (D. Thomas, Cajetanus, etc.). Homo enim cum sit servus, et omnia quæ habet aut facit, sint magis Dei quam sui ipsius, nihil potest Deo dare per modum liberalitatis; sed quidquid in obsequium Dei facit, facit per modum debiti. Hoc autem debitum non tantum est morale, quod consistit in intrinseca talis virtutis debita honestate, sed etiam legale : dicitur autem legale debitum, non quia per legem formaliter constituitur; alioqui non distingueretur a debito obedientiæ; sed quia est id quod lex maxime attendit ob proprium jus in ipso Deo exsistens, quatenus est proximum principium et supremus Dominus. Et quamvis hic actus religionis non sit semper debitus quoad exercitium, nisi quando urget præceptum, est tamen semper debitus quoad speciem ob infinitam Dei excellentiam; hocque debitum semper ex parte solvitur per singulos actus religionis licet spontaneos, sicut debitum ex justitia per partes paulatim spontanee solvitur; sed hoc religionis debitum tale est, ut nunquam possit integre solvi et expleri solutione, tum quia est aliquo modo infinitum, tum quia ipsa solutione augetur; per hanc enim novum homini beneficium confertur.

—

LIBER II.

De actibus religionis in genere.

—

CAPP. I, II, III.

De actibus religionis internis et externis.

Dico 1 : Actus religionis internus est actus voluntatis supponens superioris rationis judicium. Ratio enim superior judicat cultum esse Deo debitum et voluntas vult illum reddere ac reddit si sit efficax, movens alias potentias ad præstandos actus quibus Deus colitur. Hic religionis actus potest esse probabiliter duplex : alius naturalis, quo voluntas solo lumine naturali ducta velit reddere debitum Deo cultum tanquam principio ac fini naturali suæ naturæ; alius supernaturalis quo voluntas supernaturali auxilio adjuta vult reddere debitum Deo cultum ut primo gratiæ principio ac fini supernaturali ex supernaturali honestatis motivo, quod ex diverso modo tendendi in objectum diversimode applicatum potest esse diversum, ut infra, cap. 4, dicetur.

Dico 2 : Duplex est religionis actus externus; alius *spiritualis*, qui est actus internus imperatus ab elicito, v. gr. voluntas mediante actu elicito, quo vult ponere externum sacrificii aut communionis actum seu cultum, potest offerre Deo istum sacrificandi aut communicandi affectum qui erit cultus internus et actus imperatus. Alius *corporalis*, qui est usus cujusvis rei corporalis, circa quem per se ac directe versatur actus internus seu affectus Deum colendi; fitque duplici modo : vel assumendo aliquid divinum in nostrum usum, v. gr. sacramenta, nomen Dei in juramento, etc., vel aliquid Deo exhibendo, v. gr. sacrificium, genuflexiones, dona, vota, etc., voluntate ordinante ad ista directe aut indirecte motus appetitus sensitivi.

Dico 3 : Juxta D. Thomam, cum colimus Deum per actus qui non fiunt ex motione immediata voluntatis per actum religionis, sed per actum alterius virtutis, v. gr. misericordiæ, temperantiæ, etc., tunc cultus ille externus non est elicitus, sed imperatus tantum a religione; cum autem actus externus, quo Deum colimus, non habet per se alterius virtutis honestatem, sed fit a voluntate movente ad istum actum aliam potentiam exsequentem ex im-

mediata ipsius religionis inclinatione ac impulsu, tunc ille cultus seu actus externus dicitur elicitus a virtute religionis. Attamen hic posset dici proxime imperatus, ille remote, quia hic sine mediante alia virtute, ille mediante alia virtute imperatur. Dum dicitur : *Religio munda et immaculata hæc est, visitare*, etc. (*Jac.* I, 27), hoc melius intelligitur de statu religionis aut de professione religiosa, quam de actibus a virtute religionis imperatis.

CAPUT IV.

An religio habeat actus proprios inter se specie distinctos.

Nota non agi de actibus imperatis secundum se spectatis, et quoad materiales actiones, v. gr. jurare, vovere, sacrificare, eleemosynam dare, etc., quia patet hos secundum se spectatos essentialiter differre, sed agitur de ejusmodi actibus in ordine ad virtutem religionis. Hinc :

Dico 1 : Potest dari aliqua distinctio specifica in actibus religionis, quando actus ita sunt inter se ordinati, ut unus ex alio per se oriatur, v. gr. odium irreverentiæ aut defectus in divino cultu, ex amore debitæ reverentiæ et debiti obsequii proveniens : constat enim amorem et odium specie inter se distingui, et ex eodem principio nasci. Ergo saltem ex hac parte religio elicit actus specie distinctos.

Dico 2 : Quando actus voluntatis in generali modo tendendi, sunt ejusdem rationis formalis, licet versentur circa actus externos diversos seu diversos Dei cultus, v. gr. genuflexionem, et vocalem divinæ excellentiæ confessionem; non tamen inter se specie distinguuntur, quia distinctio specifica actuum et habituum non sumitur sufficienter ex solis objectis materialibus, sed maxime ex diversa eorum formali honestate, quæ cum sit eadem in his voluntatis actibus, nempe animus colendi Deum ut primum principium ac supremum Dominum, etiam est eadem cultus species. Si autem isti actus voluntatis ad religionem pertinentes tendant non tantum in objecta materialia specie diversa, sed etiam sub formali eorum specifice diversa honestate, v. gr. si tendant in votum sub honestate fidelitatis Deo servandæ, et in juramentum sub honestate agnitionis primæ et infallibilis veritatis, tunc erunt specie distincti.

LIBER III.

De habitu religionis.

CAPUT PRIMUM.

An religio sit habitus naturæ creatæ intellectualis proprius.

Dico : Datur duplex habitus religionis, acquisitus nempe et infusus ; estque essentialiter virtus, utpote principium per se bonorum actuum, et quidem propria solius creatæ intellectualis naturæ, quia essentialiter respicit superiorem, quod non potest convenire naturæ increatæ, sicut ei conveniunt aliæ virtutes simpliciter simplices, v. gr. misericordia. Hinc potest convenire naturæ Christi creatæ non increatæ, nec ejus personæ. Damnati licet secundum suam naturam sint istius virtutis capaces ; ratione tamen sui status sunt incapaces viatores exsistentes in peccato mortali habentes fidem ac spem, possunt quidem auxilio supernaturali adjuti exercere veros supernaturales religionis actus, sed non videntur habere supernaturalem illius habitum, qui juxta ordinariam aliarum virtutum infusarum legem, probabilius et perit et recuperatur tantum charitate, et semper eam inseparabiliter concomitatur. Quoad causas et effectus hujus virtutis, possunt ex universalibus aliarum regulis satis colligi.

CAPUT II.

Quomodo religio distinguatur a fide, spe, charitate.

Dico : Virtus religionis specie distinguitur a fide, spe, charitate ob proximum et formale ipsius objectum diversum ab illarum objectis : religio enim formaliter tendit in Deum attendendo summam ejus excellentiam, sub cujus ratione dignus est supremo cultu et honore; fides autem attingit sub ratione primæ veritatis, spes sub ratione summi nostri boni, charitas sub ratione summi boni in se et propter se amabilis. Deinde harum trium materia proxima est ipse Deus; religionis est aliquid creatum. Si reverentia sumatur pro actu interno quo quis vult ad Deum accedere cum signis interioris æstimationis ac divini timoris indicativis, tunc est actus a religione elicitus, non vero si sumatur præcise pro cognitione reverentiali divinæ excellentiæ aut timore reverentiæ illius summæ Majestatis ; licet vel sic posset esse actus imperatus a religione, sicut omnis alius actus honestus ; imo et ipsi actus fidei, spei, charitatis possunt a religione imperari ad exhibendum supremum Deo cultum, uti Augustinus, in *Enchir.*, c. 2, 3, dicit « Deum coli a nobis fide, spe, charitate. » Hoc autem non impedit quominus religio ab illis distinguatur, imo potius inde probatur distingui; sic etiam dicitur sanctitas, dum imperat actus diversarum virtutum ad sanctitatem et perfectionem disponentes.

CAPP. III, IV.

An religio sit virtus theologica; an vero moralis; et an distinguatur a vera justitia.

Dico 1 : Religio non est virtus theologica, quia ut aliqua virtus sit simpliciter et perfecte theologica, non tantum debet tendere immediate in Deum ut objectum formale proximum ; sed etiam debet nos immediate Deo conjungere ut fini ultimo et primo principio. Religio vero licet tendat immediate in Deum tanquam in objectum formale pro-

ximum sub ratione increatæ et supremæ excellentiæ, non tamen nos illi ut objecto *quod* immediate conjungit; non enim vult Deo istam supremam excellentiam, sed tantum nos illi mediante cultu conjungit ut objecto *cui*, sive ut objecto cui debetur honor et cultus ob supremam ipsius excellentiam; ideoque non est virtus theologica sed moralis, cujus medium est ipsum justitiæ medium, constituens proportionalem æqualitatem inter Dei dignitatem et hominis conditionem.

Objicies 1 : Virtus theologica est illa quæ hominem ipsi Deo conjungit; atqui religio est talis, utpote quæ hominem Deo consecrat; ergo est virtus theologica. Respondeo : Distinguo majorem. Virtus theologica est illa quæ hominem conjungit seu unit Deo immediate per actum internum proxime a se elicitum, concedo majorem; quæ unit mediante aliqua materia creata seu actione distincta ab ipsius virtutis affectu, sicut facit religio, nego majorem.

Obj. 2 : Fides est virtus theologica, et tamen non attingit Deum immediate, sed mediante actione habitus piæ affectionis ad credendum Deo; ergo licet religio non attingat Deum immediate, poterit dici virtus theologica. Respondeo : Distinguo antecedens. Fides prout dicit præcise habitum piæ affectionis in voluntate residentem ad credendum, est virtus theologica, nego antecedens; prout est habitus intellectualis, immediate per suum actum Deum ut objectum attingens, concedo antecedens.

Obj. 3 : Neque spes immediate attingit Deum, sed mediante visione beatifica seu beatitudine formali. Respondeo : Nego assumptum. Utrumque enim immediate attingit ut bonum possessum et id quo possidetur.

Obj. 4 : Actus quo amatur Deo gloria propter ipsum, est theologicus; et tamen amatur mediante ejus gloria; ergo etiam actus religionis. Respondeo : Nego probabiliter antecedens. Quia per illum actum non attingitur immediate Deus, sed ejus gloria. Licet tamen iste actus foret theologicus, verusque amicitiæ amor, cum primo et per se feratur ad personam tanquam ad objectum, non sequitur actum religionis quo Deo exhibetur gloria, esse etiam theologicum; quia religio non formaliter ex affectu ad personam seu propter ipsam formaliter, sed propter justitiæ æquitatem et honestatem vult Deo gloriam exhibere; charitas vero vult Deo gloriam propter ipsum, et quatenus ejus bonum est, immediate attingendo ipsam personam amatam et non tantum ejus gloriam.

Dico 2 : Religio non est vera et propria justitia, sed ab illa essentialiter distinguitur; quia vera justitia verum et perfectum reddit debitum; illud reddit integre cum æqualitate, et est ad alterum omnino distinctum. Jam vero religio non est ad alterum omnino distinctum, quia inter Deum et hominem non habetur perfecta distinctio seu altereitas; homo enim est res Dei, filius et servus, nec homo potest debitum Deo reddere cum æqualitate ob infimam suam conditionem, et quæ tota ad Deum pertinet. Religio tamen ex parte debiti quod Deo reddit, est magis rigorosa justitia quam ipsamet propriissima justitia quæ extra Deum versatur, quia reddit magis rigorosum debitum; divinum enim dominium est longe excellentius quam quodvis humanum; et injuria Deo facta longe est gravior homini facta, item promissio Deo facta inducit debitum legale et morale longe majus quam facta homini. Verumtamen non semper præferendum est religionis opus aliis obligationibus; si enim religionis actus sit tunc tantum consilii et alia res occurrat de præcepto, v. gr. debitum justitiæ aut pietatis humanæ solvendum, clarum est tunc rem de præcepto esse præferendam actui religionis, licet enim præceptum religionis negativum semper pro semper obliget ad nihil unquam faciendum contra religionem seu contra Dei honorem et gloriam, affirmativum tamen non obligat pro semper, sed cessat interdum ejus obligatio, dum alia justitiæ aut pietatis obligatio in quibusdam circumstantiis magis urget. Denique potest religio aliquo modo dici non metaphorice, sed proprie vera quædam justitia; quia reddit proprium et rigorosum debitum cum ea imperfecta æqualitate qua potest reddere, et qualem Deus exigit, et cum quodam etiam modo altereitatis, seu ad alterum, cum Deus et homo sint res realiter distinctæ.

CAPP. V, VI, VII.

An religio sit virtus distincta a dulia erga sanctos, et ab obedientia erga Deum et a pœnitentia.

Dico 1 : Religio est virtus realiter et essentialiter distincta a virtute duliæ et ab omni alia virtute, quæ cultum personæ creatæ reddit : ita communiter theologi, D. Thomas, Bonaventura, Albertus, Durandus, etc. Quia immediata et formalis ratio sub qua religio aliquid colit, sive increatum, sive creatum, est semper increata ipsiusmet Dei excellentia, quocunque modo hoc illi applicetur; nempe intrinsece divinitati ac personis divinis, extrinsece rebus sacris creatis per respectum ad illas personas divinas adeoque omnis cultus religionis fundatur immediate in excellentia increata, cultus autem duliæ qui tribuitur sanctis, non fundatur immediate in excellentia increata, sed in illa excellentia, quæ illis communicata est, creata participatione, non ergo elicitive spectat ad religionem, sed ad aliam virtutem moralem; quia hic cultus sanctorum non est proprie et formaliter respectivus ad increatam excellentiam, sicut cultus imaginum et rerum sacrarum, sed tantum virtualiter et lato modo in quantum is, qui sanctos colit, virtualiter colit Deum gaudentem de suorum honore sanctorum; hunc enim nobis Deus commendavit. Cultus igitur duliæ fundatur immediate in gratiæ creatæ excellentia ob quam talis persona est honore digna intrinsece. Possunt quidem sancti non propter se, sed ut imagines et templa Spiritus sancti, in eis

tanquam in sua peculiari imagine ac sede residentis coli; et tunc hic cultus ad religionem seu ad cultum quo Deus ipse colitur, pertinebit; sed ordinarie non sic coluntur, quia solent coli propter intrinsecam dignitatem creatam et gratiæ excellentiam quam habent. Jam vero an sicut una eademque charitatis virtute potest amari Deus propter suam bonitatem increatam et proxime propter Deum amando in eis sanctitatem creatam; ita etiam una eademque religionis virtute possit coli Deus propter suam excellentiam increatam, et sancti propter Deum colendo in eis creatam gratiæ excellentiam. Aliqui affirmant; sed verius videtur negandum, juxta D. Thomam, Alensem, Bonaventuram, Scotum, etc., quia charitas per seipsam inclinat nos ad proximum non solum ut ad bonum amici, qui est Deus, sed etiam ut ad amicum, volendo illi bona supernaturalia; religio vero per se immediate solum inclinat ad divinam majestatem et increatam excellentiam, non autem ad sanctos prout habent quamdam creatam propriam excellentiam; hoc enim munus est alterius virtutis moralis, nempe duliæ, aut hiperduliæ.

Dico 2 : Religio est etiam virtus essentialiter distincta a virtute obedientiæ. Aliud est enim formaliter colere quod est religionis, aliud obedire quod est obedientiæ : quia intentio et formalis ratio obediendi est honestas quæ consistit in observantia præcepti, sive in conformitate voluntatis subditi cum voluntate superioris volentis et potentis obligare; colendi autem, est honestas quæ consistit in exhibendo personæ honore ob ejus excellentiam. Debetur obedientia ob præcepti obligationem; debetur religio seu cultus religiosus ob excellentiæ supremum dominium, atque ita debitum in utraque virtute est diversæ rationis debitum. Denique eadem obedientia inclinat nos ad obediendum Deo et hominibus, sed non eadem religio ad colendum Deum et sanctos.

Dico 3 : Religio probabilius distinguitur etiam essentialiter a pœnitentia, contra Cajetanum dicentem religionem esse virtutem habentem innumeros actus quibus Deo varia reddit debita, et sub respectu et conceptu inadæquato quo debitum Deo reddit pro peccato, denominari pœnitentiam. Probatur quia religio et pœnitentia sunt duæ distinctæ species sub proximo genere justitiæ erga Deum, et debitum justitiæ erga Deum in utraque est diversum : nam religio reddit Deo debitum ob ipsius excellentiam, pœnitentia ob violatum jus ipsius dominii et jurisdictionis, quod est longe rigorosius quam debitum religionis, et pœnitentia in hoc debito reddendo seu solvendo longe minus accedit ad æqualitatem ob peccati indignitatem, quam religio,

CAPUT VIII.

An religio sit una simplex virtutis species infima; an vero generica.

Respondeo id determinatu esse difficile : 1° quod sit species generica sub se habens plures alias species, hæc suadere videntur : religio intra totam suam latitudinem continet diversarum rationum debita, v. gr. ex voto, ex pacto, ex gratitudine, etc. Deinde habet actus specie distinctos nec inter se connexos, v. gr. jurare, vovere, sacrificare, ergo et habitus specie distinctos. 2° Contra, facit auctoritas D. Thomæ qui videtur sentire religionis habitum esse unicum ac simplicem, adeoque speciem esse non genericam sed infimam; quia quidquid homo reddit per dictos religionis actus, id totum redditur sub formali ratione exhibendi Deo honorem ac gloriam ob supremam ejus excellentiam ac dominium, sive ex cultu latriæ divinam ejus excellentiam ut sic unice colendo, sive ex gratitudine pro beneficiis gratias agendo, sive ex fidelitate promissa servando. Unde posset dici omnes ejusmodi actus procedere ab uno simplici habitu infuso religionis.

CAPUT IX.

Qualis sit religionis præstantia.

Dico : Religionis virtus dignitate et præstantia est inferior tribus virtutibus theologalibus, imo et ipso piæ affectionis habitu comitante fidem prout est in intellectu; licet enim iste habitus per se non sit virtus theologica, tamen per se est necessaria ad illam, estque quasi moralis ejus forma. Cæteras autem virtutes morales longo superat intervallo, utpote propius et ad virtutes theologicas et ad Deum accedens; est igitur præstantior : 1° *Justitia legali*, quia pro objecto *cui* habet Deum, et pro objecto *quod* habet cultum illi debitum : justitia autem pro objecto *cui* habet rempublicam, pro objecto *quod* habet bonum illi commune. Hæc objecta sunt longe inferiora objectis religionis; ergo, etc. Cajetanus vero vult hanc justitiam debere præferri religioni, sine tamen sufficienti ratione. 2° *Misericordia*, quia melius est conjungi superiori, id est Deo, quam supplere defectum inferioris, id est proximi. 3° *Obedientia*, quia religio Deum, qui præcipit, colit, obedientia autem ejus præceptum attendit. 4° *Pœnitentia* secundum quid sumpta prout detestatur peccatum commissum; si enim sumatur prout est justitia ad Deum, reddendo illi magis rigorosum debitum quam illi reddat religio, videtur huic antecellere.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE AFFIRMATIVIS RELIGIONIS PRÆCEPTIS.

LIBER PRIMUS.

De præceptis cultus divini.

CAPUT PRIMUM.

An præceptum adorandi Deum tam corpore quam spiritu sit naturale.

Dico 1 : Potest Deus et debet a nobis adorari actibus mere internis ac spiritualibus. (D. Thomas, etc.) Quia interius in mente non solum datur affectus Deum adorandi, sed etiam istius affectus exsecutio, adeoque vera adoratio. Jam vero hic actus adorationis internæ potest esse : 1° Actus intellectus vel per modum cognitionis, quando ex affectu Deum colendi, intellectus se applicat ad agnoscendam Dei excellentiam, eumque ut supremum Dominum agnoscit, et hanc ipsam cognitionem illi in cultum et adorationem offert; vel per modum mentalis seu internæ locutionis, laudando, v. gr., et confitendo interius Dei excellentiam ac supremum dominium. 2° Potest etiam esse actus voluntatis, v. gr. admiratio divinæ excellentiæ, quæ est vel quædam suavissima complacentia, vel quasi reverentialis timor, etc.

Dico 2 : Possumus etiam et debemus per actus corporis ex animi submissi et reverentis affectu procedentes, Deum adorare, cum per externum corporis actum possimus nostram mentem et internum affectum indicare; atque hæc manifestatio, dum ex affectu alteri se submittendi procedit, dicitur adoratio : unde cum duplici natura, scilicet corporali, et spirituali, cujus utriusque auctor est Deus, constemus, debemus per utriusque actus eum colere. Imo ipsi spiritus per corporum assumptorum actiones possunt ex se, aut etiam possunt juberi adorationem Deo exhibere, v. gr. angeli Christo in præsepio. Ipsæ quoque animæ purgatorii referendo suos cruciatus ad Deum, possunt etiam vel sic eum colere. Hinc :

Dico 3 : Dei adoratio tam interna quam externa, id est mista ex spirituali et corporali adoratione, est homini de præcepto naturali affirmativo, quod in primo præcepto Decalogi sub hac negatione : *Non habebis deos alienos* (*Deut.* v, 7), comprehenditur, et clarius in tertio continetur. Cum enim homo ex animo et corpore constet, et utrumque a Deo habeat, uterque debet exhibere Deo hostiam viventem, eique placentem in illius cultum; est enim hoc connaturale.

CAPUT II.

Quomodo sit adorandus Deus ex vi legis naturalis.

Dico 1 : Ex vi solius legis naturalis non tenetur homo adorare Deum alio cultu pure interno, præter illum qui in actibus fidei, spei, charitatis et pœnitentiæ (si necessaria sit ob peccatum) continetur; hi enim actus, cum de se aptissimi sint ut in verum Dei cultum et adorationem referantur, si homo ad illum finem eos referat, sic implet obligationem adorandi Deum pura mente et spiritu. Imo in rigore præcepti legis naturalis non teneretur homo exercere hos actus formaliter sub ratione et imperio adorationis, sed tantum materialiter seu in actu exercito; atque ita in hoc puræ internæ adorationis exercitio quatenus est talis, non est facta determinatio per ullam legem.

Dico 2 : Ex vi solius legis naturalis non est positive determinatus modus particularis adorandi Deum cultu externo, sive quoad genera actionum, sive quoad tempora, sive quoad alias circumstantias; sed solum datur vel præceptum affirmativum generale quoad exercitium aliquando ponendum, vel quoad speciem genericam, ut Deus adoretur modo decenti ac proportionato; vel ad summum datur præceptum affirmativum cum negativo conjunctum, ut adoretur Deus absque modo superstitioso aut indecente. Unde signa externa, quibus utendum est ad Deum adorandum, non sunt per legem naturæ determinata, uti nec tale tempus. Ideoque signa externæ adorationis (præter locutionem), v. gr. genu unum aut utrumque flectere, corporis prostratio, manuum elevatio instar pauperis, pectoris tunsio, etc., sunt de se indifferentia ad humanam et divinam adorationem, solumque ex adorantis intentione aut verbis discerni possunt, nisi peculiari consuetudine vel institutione signum aliquod soli Deo accommodatum sit. Privata igitur adoratio, quam quis tanquam persona privata clam facit, si signo de se communi aut indifferenti fiat, illius determinatio ut sit divina, habebitur ab intentione operantis; dixi *clam*, quia si eam faciat palam, tunc sola operantis intentio non sufficit, sed debet uti iis signis quæ juxta circumstantias loci, temporis, personarum astantium propriam Dei adorationem indicare possint, ne sit aliis scandalo. Si autem privata adoratio fiat signo jam imposito ad significandum divinum cultum, quale excepto sacrificio vix inveniri potest in externis corporis actionibus nisi in verbis, tunc per ipsum opus ablata est indifferentia, ideoque potest soli Deo adoratio exhiberi per tale signum. Publica

adoratio quæ fit omnium nomine, v. gr. per ministros deputatos, debet fieri signo visibili, auctoritate publica instituto, hujusque adorationis præcipuum genus est sacrificium; alterum oratio.

CAPUT III.

Quanam lege sit præceptum offerre Deo sacrificia in ejus cultum.

Nota : Oblatio et sacrificium differunt inter se tanquam genus et species. Omne enim sacrificium est oblatio; sed non contra. Oblatio alia pure interna, alia externa : estque actio exterior, per quam aliquid ex nostris sensibilibus offerimus Deo in ejus dominii ac excellentiæ agnitionem, et in nostræ servitutis erga ipsum testimonium, seu in quemlibet ejus cultum religiosum ; idque Deo vel immediate vel mediate ac indirecte offertur.

Dico 1 : Quamvis colere Deum per externam oblationem et visibile sacrificium non sit in rigore præscriptum sola naturæ lege, est tamen ita illi consentaneum, ut semper fuerit quasi de jure gentium quod naturale aliquo modo dicitur, ut patet ab initio mundi in patriarchis et in omni gente. Est enim quædam conformitas et consonantia inter naturam hominis quæ est simul sensibilis ac rationalis, et inter hunc cultum. Licet spectando legem pure naturalem nulla reperiatur differentia inter simplicem oblationem et sacrificium, tamen sacrificium semper habitum est, ut actio magis sacra ac publica quam simplex oblatio ; ideoque in quaque republica de sacrificandi ritu fuerunt instituta et specialia præcepta spectantia tam ad modum et ritum sacrificii, quam ad ejus usum et exercitium ; usus vero simplicium oblationum videtur fuisse semper magis liber et spontaneus juxta cujusque placitum.

Dico 2 : Cultus Dei per verum sacrificium in lege nova præceptus est jure divino a Christo dicente : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). De fide : Concilium Tridentinum (sess. 22 , can. 2) sic definit : *Si quis dixerit illis verbis :* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anathema sit.*

CAPP. IV, V.

De ritu simplicium oblationum, et an sint de præcepto.

Dico 1 : Hunc oblationum ritum aut usum esse honestum patet, cum in lege veteri fuerit approbatus et præceptus : *Non apparebis in conspectu meo vacuus* (*Exod.* XXIII, 15) ; item Exod. cap. XXV et XXXV. Sic Levit. XXIII præcipitur oblatio novarum spicarum, panum propositionis, etc. ; et forte Abel et Cain non sacrificium, sed simplicem oblationem faciebant. Harum oblationum usus in lege gratiæ est etiam licitus et sanctus atque antiquissimus. Nam sexta synodo (can. 8) dicitur : *Concurrendum est Dominica die cum oblationibus ad missarum solemnia ;* quia olim mos erat afferre panem et vinum in ordine ad missæ sacrificium : ideo in concilio Laodiceno (cap. 49) jubetur ut per Quadragesimam solum in Sabbato et die Dominica fiant oblationes ; quia juxta veterem Orientis consuetudinem solis istis diebus poterat dici missa et communicari. Hinc quando cœpit intermitti omnium fidelium, qui missæ solemni assistebant, communio, introductus est mos benedicendi panem distribuendum iis qui non erant communicaturi in mutuæ charitatis symbolum, et in die Paschatis non benedicebatur, quia tunc omnes communicabant ; hicque panis benedictus etiam mittebatur in signum mutuæ conjunctionis a prælatis ad suos parochos aut alios prælatos. Solebat etiam offerri oleum, cera, thymiama pro usu templi ac primitiæ frugum. Multæ aliæ sunt oblationes quæ non immediate Deo, sed vel piis locis ad ornatum vel sacerdotibus ad sustentationem fiunt ; vel quædam offeruntur sacerdotibus ut ea benedicantur et benedicta resumantur. Dum prohibetur offerri in sacrificio aliquid præter vinum et panem, non prohibentur aliæ simplices oblationes quæ non sunt sacrificii constitutivæ ; uti nunc non licent oblationes cæremoniales Veteris Testamenti quatenus tales, seu quatenus figurativæ futurorum aut etiam præteritorum beneficiorum et ut legales ; non tamen sunt illicitæ aliæ morales illis similes.

Dico 2 : Hujusmodi oblationes per se et ex natura sua spontaneæ sunt et consilii ; possunt tamen cadere sub obligationem : 1° Ex conventione per modum census, v. gr. dum quis in morte vel in vita donat alteri aliquam possessionem sub onere faciendi Ecclesiæ certis temporibus determinatam oblationem. 2° Ex voto aut legato. 3° Ex decimis ad commodam ministrorum Ecclesiæ sustentationem necessariis. 4° Ex diuturna consuetudine qua potest acquiri Ecclesiæ seu clericis jus ad ejusmodi oblationes per modum cujusdam præscriptionis : et hinc parochiani erunt obligati ad istas oblationes, v. gr. pro exsequiis defunctorum, benedictionibus nuptiarum, etc. ; non ex voto, nec ex speciali voluntate et intentione se obligandi quæ præcessit, sed ex vi juris acquisiti Ecclesiæ servandi ob naturalem justitiam, quæ obligat ad servandum unicuique jus suum, quando revera acquisitum est. Ut autem acquiratur, non est necessarius specialis offerentium in voluntariam oblationem consensus tanto tempore continuatus, quia ad præscriptionem non requiritur consensus illius, contra quem præscribitur, sed requiritur adminiculum juris, quod videtur haberi ex cap. *Ad audientiam* De Simon., in quo hæc obligatio præcipue fundatur ; sed istud varie explicatur et infirmatur. Ad dictam autem præscriptionem seu obligationem inducendam sufficiunt decem anni ; nisi constet illam consuetudinem inchoatam fuisse ac continuatam ad certum effectum, v. gr. ad templi ædificationem, finito enim effectu potest cessare consuetudo. Modus continuandi actus sine interruptione ad inducen-

dam præscriptionem, debet esse accommodatus materiæ, personis, temporum determinationibus. Deinde modus indecens exigendi per vim aut simili via has oblationes, etiam post jus acquisitum, vetatur. Quando, et an sint deneganda sacramenta non solventi ejusmodi oblationes, servanda est regula de administratione sacramentorum. Post inductam harum consuetudinem, nihil contra illam populus aut laicus potest statuere; ageret enim contra jus Ecclesiæ acquisitum. Cæterum nulla est pœna aut censura ipso facto lata contra non solventes ejusmodi oblationes.

CAPP. VI, VII.

Quarumnam personarum debeant admitti oblationes ecclesiasticæ; et quibusnam faciendæ; et de quibus rebus.

Dico 1 : Offerens has oblationes debet esse baptizatus, non excommunicatus; vetatur enim communicatio, maxime spiritualis, cum excommunicato. A peccatore autem publico non licet etiam accipere ejusmodi oblationes, si vitium ipsas res oblatas inficiat, v. gr. res oblatas ab usurario aut fure utpote iniquas, vel res alteri majori obligationi obnoxias, v. gr. patris sustentationi necessarias. Secus vero, si vitium sit tantum personæ offerentis et non redundet in rem oblatam, modo non sit scandalum aut peccati conniventia, nec sit casus in jure exceptus. Jura circa has oblationes intelligenda videntur de eis, quæ fiunt immediate vel mediante ministro ad altare, non de aliis donationibus piis; ac juris prohibitio videtur cadere tantum super eas quæ ad altare per manum sacerdotis, aut publice in ecclesia fiunt, sive sint spontaneæ, sive usu ac consuetudine jam factæ necessariæ. Non vetatur tamen istas res, si aliunde sint debitæ, alio modo privatim exigi aut tradi. Deinde prohibitio non obligat peccatorem publicum ut ipse abstineat ab oblatione ante prælati sententiam ipsum repellentis; sed si prohibitio directe clericis fiat ut non recipiant hujusmodi oblationes, tunc non videtur necessaria esse sententia, sed sufficit delictum esse publicum ac notorium.

Dico 2 : Dum oblatio fit immediate Deo, tunc ex parte ejus cui fit, convenit cum sacrificio; dum fit directe et immediate hominibus ut sit religiosa, debet proxima ratio offerendi esse Deus ejusque honor ac cultus. Hinc liquet jus ad ejusmodi oblationes aut res quæ offeruntur, esse penes solos ecclesiasticos. Religiosi vero quatenus vel pauperes, vel ministri altaris, vel parochi vicem subeuntes, etiam possunt illas recipere. Imo potest introduci rationabilis consuetudo ut clerici in aliquo festo donent aliquid laicis, v. gr. in festo Purificationis cereos albos, aut quid simile : ita Gregorius, Lopez, Rosel, etc.

Dico 3 : Oblatio quæ fit ex debito, debet æquare debitum, v. gr. vinum, oleum, etc., in bonitate ac qualitate debet correspondere. Si vero oblatio sit spontanea ex parte rei oblatæ, nulla positive requiritur specialis conditio, sive quoad quantitatem sive quoad qualitatem; oportet tamen advertere, ut res oblata non habeat conditionem divino honori indecentem, ac debitæ Deo reverentiæ indignam, v. gr. si sit res corrupta, facta inutilis, etc.

CAPP. VIII, IX.

De præcepto solvendi primitias et decimas.

Nota : Primitiæ dicuntur primi fructus frugum terræ; primi, inquam, non bonitate, sed tempore.

Dico 1 : Nullum est præceptum juris naturalis obligans ad colendum Deum per primorum fructuum oblationem; multo minus per oblatam certam illorum quantitatem : quia tamen ipsa natura valde inclinat ad colendum et agnoscendum Deum ut supremum benefactorem et bonorum fructuum auctorem, ideo sic illum colere per aliquam fructuum, imo et primorum partem, dicitur pertinere ad juris naturalis tributum, non ut simpliciter necessarium, cum possit illud aliis modis præstari ac impleri, sed ut honestum, congruum, consentaneum naturali dictamini ac propensioni. Deinde stando in rigore juris naturalis, qualecunque sit, potest satisfieri naturali rationi dictanti offerendam esse Deo fructuum primorum aut aliorum partem in agnitionem ejus dominii et beneficiorum, per unicam illorum oblationem immediate Deo factam in modum sacrificii, non eam faciendo ipsius ministris, imo et istæ primitiæ sic Deo oblatæ possunt comburi aut aliter consumi in Dei honorem. Attamen etiam consentaneum est juri naturali, ut præter dictum sacrificium, oblatione alia distincta offerantur Deo primitiæ, licet ipsius ministri illis non indigeant ad sustentationem.

Dico 2 : In veteri lege sæpius latum est a Deo præceptum de primitiis ipsi offerendis; nam præcipitur offerri *omne primogenitum... tam de hominibus quam de jumentis* (*Exod.* XIII, 2); deinde *primitias omnium frugum terræ*, etc. (*Exod.* XXIII, 19), nempe etiam arborum. Et hæ primitiæ duobus temporibus offerri debebant : 1° per modum sacrificii ante generalem fructuum ac segetum collectionem; 2° post factam collectionem ac messem dabantur aut offerebantur sacerdotibus : quoad istarum primitiarum quantitatem, moris erat dare quinquagesimam circiter, plus minusve, frugum partem. Præter communem omnibus rationem offerendi Deo primitias, fuit specialis isti populo Judaico ob liberationem captivitatis Ægyptiacæ et donationem terræ Chanaan; et quia istæ primitiæ fuerant applicatæ sacerdoti Aaron et ejus filiis.

Dico 3 : In lege gratiæ etiam latum est præceptum solvendi primitias, uti omnes theologi docent; sed non quale fuit illud præceptum judiciale vel cæremoniale veteris legis, quod nunc nec obligat, nec, ut est tale, licet servare. Attamen hæc præcepti obligatio solvendi primitias non solum potest consuetudine minui aut augeri, utpote quarum quantitas est arbitraria, sed etiam omnino auferri :

consuetudo enim potest prævalere contra legem humanam quæ illas maxime imposuit per modum tributi ad sustentanda Ecclesiæ onera; quibus cum sit aliter satis provisum per decimas et reditus ecclesiasticos moraliter loquendo talis valet consuetudo, uti jamjam magis explicabitur agendo de decimis.

Dico 4 : Certum est dari in Ecclesia præceptum solvendi decimas; cumque solvantur ad sustentationem ministrorum religionis, ideo illud fundamentaliter pertinet ad virtutem religionis. Decimæ aliæ sunt prædiales seu reales, quæ solvuntur ex fructibus terræ, animalium, etc., v. gr. triticum, vinum, lana, agnelli, etc.; aliæ personales quæ ex lucro acquisito per negotiationem aut aliam personæ industriam solvuntur. Hoc præceptum solvendi decimam proventuum suorum partem ad sacerdotum sustentationem, non est, ut patet, de puro jure naturali, nec ante legem scriptam erat ullum hac de re præceptum; adeoque non ex vi istius præcepti Abrahamus dedit decimas sacerdoti Melchisedech, et eas Deo spopondit Jacob (*Gen.* XXVIII), sed vel ex gratitudine, devotione, etc. Postea vero in lege scripta divinum præceptum datum est solvendi sacerdotibus et levitis decimas prædiales tantum juxta probabiliorem sententiam, non personales (*Exod.* XXII, XXIII; *Levit.* XXVII), et hoc præceptum non fuit cæremoniale, quia Dei ministrorum sustentatio non est cæremonia, et valde remote ad religionem ac divinum cultum ordinatur; sed fuit judiciale, directe ordinatum ad stabiliendam æquitatem inter Dei ministros et vulgarem populum per determinationem decimæ partis bonorum. Sed in lege gratiæ præceptum solvendi decimas latum est tum jure divino evangelico quasi confirmante et explicante ipsum jus naturale sustentandi generatim Ecclesiæ ministros sic : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (*I Cor.* IX, 14). *Dignus est enim operarius mercede sua* (*Luc.* X, 7). *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Tim.* V, 18); tum jure canonico in decretis, 16, quæst. 1, cap. *Ecclesia;* cap. *De decimis;* cap. *Statuimus*, etc., quoad decimam bonorum partem. Insuper id comprobatur ex perpetua Ecclesiæ traditione.

CAPP. X, XI.

An præceptum decimarum nunc sit juris divini, an vero ecclesiastici; et an determinatio decimæ partis sit convenienter facta in lege gratiæ.

Dico 1 : Obligatio alendi Ecclesiæ ministros est de jure naturali explicato et confirmato per Christum et apostolos in lege gratiæ; modus autem eos alendi, seu determinatio partis decimæ in hac lege gratiæ, formaliter est de jure ecclesiastico; et prædiales quidem retentæ sunt in Ecclesia ad imitationem juris antiqui divini, non ad continuationem; personales vero absque exemplo additæ sunt. Addo præterea harum utrarumque determinationem decimarum radicaliter seu potestative manasse ex jure evangelico, et potestate specialiter a Christo data : est enim actus potestatis spiritualis, et sic decimæ possunt aliquo modo dici esse de jure divino. Hæc autem potestas determinandi pro decimis partem bonorum aliquorum quæ est potestas jurisdictionis spiritualis ac gubernationis, non ordinis, primo ac per se residet in summo pontifice, uti et quoad ejus usum pro tota Ecclesia; et pro unaquaque diœcesi, ejus usus, si a papa non prohibeatur, spectat etiam ad loci episcopum.

Dico 2 : Præceptum hoc etiam prout ecclesiasticum est, quoad talem bonorum partem, juste et convenienter stabilitum ac latum est. De fide contra quosdam hæreticos. Ad quod probandum sufficiunt jura supra citata, concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 13), et Constantiense (sess. 18); item antiqui Patres ac auctoritas consensusque Ecclesiæ universalis quæ in moribus et in re tam gravi errare non potest. Et certe Dei cultores non decet minus esse gratos erga eum post Christi adventum quam ante. Nec ista determinata decimarum solutio potest videri rigorosa, si maxime spectemus antiquam institutionem, quæ jubet fieri decimarum distributionem in quatuor partes : unam pro episcopo, aliam pro clero, tertiam pro templi fabrica, quartam pro pauperibus, uti habetur ex Gelasio papa in epist. 1, cap. 21, et alibi. Item concilia Moguntinum, Turonense, Meldense. Unde licet clerici sint pauciores respectu totius Ecclesiæ quam tribus Levi respectu duodecim tribuum; pars tamen decima bonorum illis attributa non continet excessum, et maxime quia clericalis dignitas est longe splendidior, majoribusque sumptibus indiget quam levitica; deinde illæ decimæ dantur clericis non quia pauperes, sed quia ex officio Ecclesiæ ministrant. Levitæ autem ultra decimas, habebant usum aliarum secundarum decimarum, quæ vel ad sacrificandum vel ad epulandum in templo reservabantur et quibus ipsi participabant, præter multas victimas et oblationes, quarum pars potissima illis obveniebat.

Dico 3 : Decimæ omnes et integræ transeunt in verum Ecclesiæ ac cleri jus ac dominium, debenturque integræ ac sine diminutione ex justitia sacerdotibus ac ministris ecclesiasticis, quia ex præcepto ecclesiastico debentur pastoribus Ecclesiæ ad sustentanda sui officii onera, inter quæ præter propriam tam suis personis quam dignitatibus ac cujusque statui convenientem sustentationem recensentur templorum sumptus, peregrinorum receptio, et pauperum subsidia. In lege gratiæ præter prædiales additæ sunt et imperatæ decimæ personales, quæ in veteri lege non solvebantur; quia multi qui nulla habent prædia, quamvis divites, nihil contribuerent ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem. In veteri autem lege variæ erant oblationes ac victimæ ab unoquoque offerendæ, quarum magna pars cedebat in usum sacerdotum ac levitarum, illique ex negotiatione poterant augere suas opes; nihil vero simile in lege nova, in qua est unicum

sacrificium, per se absque ulla utilitate temporali, nec clerici possunt negotiari.

CAPP. XII, XIII.

Quid possit efficere consuetudo circa obligationem solvendi decimas.

Dico 1 : Cum tributum necessarium ad congruam sustentationem Ecclesiæ ministrorum sit de jure naturali, contra illud quidem non potest ulla prævalere consuetudo ; sed quia datur etiam præceptum solvendi primitias, et quia harum quantitas determinatur juxta humanam voluntatem seu præceptum, vel consuetudinem, si esset consuetudo solvendi tantam primitiarum quantitatem, ut ad congruam ministrorum sustentationem sufficeret, tunc posset valere consuetudo nihil omnino solvendi ex decimis tam prædialibus quam personalibus : non tamen prævaleret contra præceptum naturale decimarum quod est congrua ministrorum sustentatio, sive hæc fiat per partem bonorum decimalem sive per aliam sive per quamcunque aliam donationem, oblationem, aut fundationem : sed tantum prævaleret contra præceptum ecclesiasticum quod determinat certam bonorum partem. Sed non potest consuetudo, quæcunque sit, ita tollere obligationem solvendi decimas, quin Ecclesia posset ire contra talem consuetudinem, et de novo imponere obligationem eas solvendi ; atque hæc potestas in solo papa residet, quia ipse potest juri communi derogare et licite quidem ex justa causa, non vero in aliis inferioribus prælatis aut clericis, utpote qui non possunt ire contra jus commune. Hinc sequitur ex vi consuetudinis solutionem decimarum posse variari sive quoad diminutionem aut augmentum sive quoad circumstantias loci, temporis, bonorum ; imo posse aliquem ex consuetudine legitime præscripta liberari a debito solvendi decimas vel omnino vel ex parte, et absque justitiæ læsione. Non potest tamen laicus præscribere vi consuetudinis jus exigendi sibi decimas, quia cum sit incapax spiritualis juris, nunquam potest illud præscribere.

Dico 2 : Ut aliquis particularis præscribat contra obligationem solvendi decimas, requiritur consuetudo immemorialis seu tempus immemoriale ; vel necesse est ostendere titulum in quo talis præscriptio fundata sit, ex cap. 11 *De præscr.*, in 6. Ut autem aliqua communitas idem præscribat, requiruntur tantum quadraginta anni, etiam sine titulo, ex cap. ult. *De consuet. legitime præscripta*, etc. : particularis enim persona non eximitur ex vi solius consuetudinis sed præscriptionis ; contra communitas eximitur ex vi consuetudinis absque præscriptione, quia consuetudo est quid juris, seu legem introducit. Privatæ personæ usus non potest legem introducere ; usus communitatis potest. Præscriptio vero est quid facti pertinens ad potestatem utendi rebus tanquam suis, quam privata persona potest acquirere. Deinde ad præscriptionem requiritur sufficienti tempore bona fides ; non ita ad consuetudinem inchoandam.

CAPP. XIV, XV.

De potestate summi pontificis tollendi obligationem decimarum solvendarum.

Dico 1 : Papa utendo sua absoluta potestate posset valide decimarum obligationem omnino tollere, ita ut si id faceret, factum quidem teneret, sed male faceret, salvo tamen semper jure naturali alendi ministros Ecclesiæ ; quia potest tollere totum præceptum ecclesiasticum, sed non naturale, quo debetur congrua ministris Ecclesiæ sustentatio ; verumtamen simpliciter loquendo, non potest in totum abrogare legem decimarum, etiam quatenus ecclesiastica est, quia talis usus supremæ potestatis cederet in generale totius Ecclesiæ damnum temporale et spirituale. Sed potest ex causa aliquos in particulari tam ecclesiasticos, v. gr. religiosos, etc., quam laicos eximere a solutione decimarum, dispensando vel in præcepto vel in earum usu et applicatione ; minor tamen causa sufficit ad dispensandum cum ecclesiasticis ; imo facta sine causa aut sine sufficienti causa videtur esse valida, licet illicita, quia iste defectus non est in rigore contra justitiam commutativam, ideoque non sufficit ut actum reddat invalidum. Sed quoad laicos :

Dico 2 : Largitio decimarum facta laico per modum dispensationis vel applicationis pontificiæ, sine justæ pietatis causa quæ istam largitionem honestet, in conscientia est nulla ; nec pontificem applicantem, nec laicum cui illæ applicantur, reddit tutum, sed quoties pontifex sic eas applicat, debet supponi illum habere rationabiles et pias causas. Probatur assertio : Quia in casu dicto papa tollit redditus applicatos alicui Ecclesiæ particulari aut alicui personæ ecclesiasticæ, quorum habet dominium ; illosque tollendo invito domino et convertendo in usus profanos contra intentionem solventium et voluntatem veri domini, peccat contra justitiam. Si autem Ecclesiæ minister per istam injustam applicationem privetur sustentatione congrua, tunc pensionarius seu is qui decimas recipit, tenetur illi eam suppeditare, et in hujus defectu tenetur papa ; at in utriusque defectu non videtur populus ad id in conscientia teneri, quia solvendo decimas pensionario, jam satisfecit suæ obligationi.

Nota : Prælati Ecclesiæ papa inferiores nullam habent potestatem immutandi decimarum jura, easve distribuendi aut applicandi aliter quam jure communi statutum est, vel legitima consuetudine receptum, quia ipsi sunt jure communi inferiores, nec possunt immutare ea quæ per summos pontifices aut concilia stabilita sunt, nisi in casibus sibi concessis ; hic autem casus non legitur eis concessus. Solummodo in quibusdam specialibus casibus eis committitur, ut decimas aut earum partem, vel beneficia ex illis constituta seu dividendo seu uniendo possint applicare piis locis aut operibus uti habetur in concilio Tridentino (sess. 7, 21, 22, 23, etc.). Sed hæc tantum spectant directionem

in applicatione decimarum, non potestatem juris communis immutandi.

CAPP. XVI, XVII.

Quinam teneantur solvere decimas.

Dico 1: Omnes baptizati, qui de manu sacerdotum sacramenta recipiunt, tenentur per se loquendo et ex vi juris communis solvere decimas, nisi aliquo legitimo titulo exempti sint. (D. Thomas, etc.) Hinc, 1° hæretici tenentur; non tamen infideles non baptizati, nec eorum filii cathecumeni, quia nondum subditi Ecclesiæ; secus Christianorum filii, utpote ex vi suæ originis jam Ecclesiæ subditi. Infideles vero, v. gr. Judæi aut alii infideles non baptizati, habitantes inter Christianos, quamvis non teneantur solvere decimas personales, si tamen possideant prædia quæ habeant annexam decimam solvendam tanquam ipsiusmet rei onus, ob jus quod Ecclesia in illam acquisivit vel ratione contractus, vel possessionis, vel alio modo, cum prædia ad illos transierint cum onere sibi annexo, tunc debent illam solvere non ut decimam prædialem præcise, sed ut reale prædiorum onus ad servandam Ecclesiam illæsam a damno emergente. Quare si possideant prædia quæ nunquam tale onus reale habuerunt, ad nullas decimas sive prædiales sive personales tenentur. Si vero infideles per bella injusta occupaverint terras in quibus fuerant erectæ ecclesiæ, et prædia in jus decimarum attributa, et postea ad fidem convertantur, non sunt obligandi ad satisfaciendum ecclesiæ pro reparatione damni emergentis ex decimis non solutis, tum quia esset onus intolerabile et fidei impedimentum, tum quia Ecclesia non consuevit id exigere, et maxime, quia quandiu ibi spiritualia non fuerunt administrata, videtur Ecclesiæ jus cessasse aut suspendi in actu: decimæ enim debentur Ecclesiæ ob ministerium, et in ministrorum sustentationem, templorum instaurationem et ornatum; quæ tunc omnia illic cessarunt. Quod attinet ad agnitionem supremi dominii divini debitam ex jure naturæ, possunt illud agnoscere alio modo quam decimarum solutione. 2° Ministri sacramentorum quatenus tales, non solvunt decimas, sed alii omnes sive nobiles aut ignobiles, sive principes aut subditi, sive divites aut pauperes debent solvere; pauperes tamen in gravi necessitate probabiliter non tenentur, multo minus in extrema, in qua omnia sunt communia: qui enim tunc accipit alienum et consumit, nihil postea tenetur restituere, nec ratione acceptionis quæ justa fuit; nec rei acceptæ, quæ jam consumpta est.

Dico 2: Clerici quatenus clerici seu quatenus spiritualium ministri sunt, non tenentur decimas solvere; sed quatenus fideles recipiunt a sacerdotibus spiritualia, ex vi juris tenentur eas solvere. Unde 1° ex reditibus Ecclesiæ, quos ratione beneficii vel spiritualis ministerii recipiunt de fidelium decimis, vel quos recipiunt ex ecclesiasticis prædiis non tenentur decimas solvere. 2° At tenentur solvere prædiales decimas ex prædiis quæ temporali seu sæculari titulo possident, v. gr. ex bonis patrimonialibus aut alio simili titulo acquisitis; non tamen personales ex lucris spiritualibus, v. gr. ex celebratione missæ, ex anniversario, etc., sed personales ex lucris quæ corporaliter laborando acquirunt ut artifex, debent solvere. Quare:

Dico 3: Præceptum decimarum proprie et per se non obligat summum pontificem ratione suæ personæ, seu ratione debiti personalis, quia ut clericus et pontifex non habet superiorem cui debeat decimas; nec etiam ut fidelis habet pastorem cui in perceptione sacramentorum ex officio subdatur. Interdum vero potest obligari ad aliquam decimam ratione debiti realis seu possessionis, v. gr. si habeat possessiones aut acquirat prædia quæ alicui ecclesiæ erant assignata et ei decimas debebant, habendo aut acquirendo illa, habet etiam et acquirit illorum onus; res enim transit cum suo onere. Ergo debet ex illis solvere decimas isti ecclesiæ cui antea debebantur.

Dico 4: Episcopi attento jure communi et ecclesiastico non tenentur ratione debiti personalis solvere decimas sive papæ sive aliis prælatis ecclesiasticis, sive parochis aut clericis inferioribus; quia in jure communi nihil habetur de ista re, sed ratione debiti realis tenentur solvere decimas prædiales sæculari titulo possessas, uti jam dictum est de papa; quia res transit cum onere suo et Ecclesia non debet lædi in bonis suis, et ex eo quod prædia transeant ad temporale episcopi aut alterius prælati dominium.

Dico 5: Parochi attento jure communi non tenentur solvere ullas decimas debito personali, quia jure communi non est illis impositum hoc onus solvendi ejusmodi decimas papæ vel episcopo, qui soli sunt eorum superiores; nec episcopus potest illas imponere parochis sibi subjectis, aut tributum aliquod ab eis exigere præter id quod jure communi statutum est: tenentur tamen solvere decimas prædiales debito reali ex prædiis laicalibus, seu sæculari titulo acquisitis, quia ad eos transeunt cum suo onere; non vero ex prædiis ecclesiasticis, quæ ipsis in particulari applicata sunt in sustentationem: hæc enim potius habentur ut decimæ illis debitæ ratione ministerii. Quoad clericos simplices qui non sunt pastores Ecclesiæ nec ex officio spiritualia aliis fidelibus ministrant, per se et ex vi juris communis tenentur solvere decimas non solum debito reali, si illud habeant, sed etiam personali. Juxta quosdam excipiuntur clerici inservientes alicui ecclesiæ cui decimæ debentur, dicunturque non teneri solvere decimas ex reditibus aut possessionibus ecclesiasticis, cum hæ non habeant onus annexum decimas solvendi ecclesiæ cujus sunt. Verisimilius etiam clerici non tenentur solvere decimas personales ex lucris spirituali titulo acquisitis. Denique religiosi et aliæ

personæ ecclesiasticæ, quantum est ex vi juris communis, tenentur decimas solvere.

Dico 6: Quando prædia unius parochiæ propria, intra terminos alterius parochiæ sunt sita, tunc ecclesia cujus sunt prædia, juxta Abbatem, Rebuffum, Gutierez, etc., tenetur solvere decimas alteri ecclesiæ in cujus territorio sunt prædia debito reali; hæc enim ecclesia posset pati grave damnum ista decimarum prius sibi debitarum spoliatione. Attamen D. Thomas aliique tenent eam non teneri, nisi altera ecclesia, in qua sunt prædia, magnam jacturam patiatur: sed nullam afferunt ex jure probationem. Posset fortasse id suaderi ex cap. *Quæst.* 16, quæst. 1, ubi videtur fieri concessio unicuique ecclesiæ, ut ex suis possessionibus, quas habet ad suorum ministrorum sustentationem, decimas alteri ecclesiæ non solvat: quod posset generaliter intelligi de quibusvis possessionibus ubicunque sitæ sint.

CAPP. XVIII, XIX, XX.

De privilegio non solvendi decimas.

Nota: Præceptum naturale sustentandi Ecclesiæ ministros decimarum solutione, spectat solum ipsam Ecclesiam seu communitatem; quod autem hæc vel illa persona in particulari eas aut talem earum partem solvat vel non solvat, est juris mere humani ecclesiastici. Solus tamen papa hanc exemptionem a decimis non solvendis, potest concedere.

Dico 1: Ex vi juris communis ii qui in communi vivunt, sive monachi sive clerici, eximuntur a solutione decimarum tam personalium quam prædialium, nempe ex prædiis quæ sunt monasterii seu religionis propria; religiosi enim ex prædiis conductis, quamvis per se aut per suos famulos ea excolant, debent decimas solvere. Ita in concilio Lateranensi, cap. *Nuper*, sub Innocentio III, et alibi. Imo communior sententia hoc privilegium de non solvendis decimis extendit non tantum ad prædia novalia quæ proprio labore et sumptu fiunt fructifera, aut quæ nunquam fuerunt obligata solvere decimas alteri ecclesiæ, sed etiam ad ea quæ debito reali prius debebant alteri parochiæ decimas solvere, contra Oldradum, Rebuffum, etc. Insuper videtur extendi tam ad novalia quæ post privilegii concessionem fuerunt culta, quam ad ea prædia quæ ante privilegii concessionem fuerant jam exculta. Præterea extenditur non tantum ad prædia acquisita et possessa tempore concessionis, sed etiam ad acquirenda.

Dico 2: Religiosi ex vi dicti privilegii non videntur eximi a decimarum solutione ex prædiis conductitiis, seu quorum proprium non habent dominium; quia quando prædia sunt aliena, licet colantur a personis exemptis, ista sola cultura non sufficit ut prædia censeantur exempta ratione personarum si non sint sua: imo et probabilius nec ex prædiis emphyteuticis, quia illa sunt alterius qui illorum habet dominium directum, atque ita sunt quasi conducta tantum ad longum tempus. Hinc coloni conducentes prædia religiosorum habentium prædictum privilegium, non eximuntur a solutione decimarum, quia hoc illis concessum est sub hac conditione ut propriis laboribus vel expensis prædia colant; aliquibus tamen religiosis concessum est, ut ex suis prædiis, licet ea colant per alios colonos, non teneantur decimas solvere, et tunc decimæ quæ ecclesiæ solvi debuissent, non cedunt in emolumentum colonorum, sed religiosorum qui in cariori locatione possunt hujus rei seu decimæ rationem habere.

Dico 3: Privilegium non solvendi decimas amitti potest quatuor modis: 1° Si privilegium cedat in enormem læsionem aut gravamen ecclesiæ ac personarum ad quas pertinerent istæ decimæ, si non esset datum exemptionis privilegium: et si clare et evidenter constet de enormi læsione, statim amittitur in conscientia privilegium, quia non fuit nec est intentio concedentis ita gravare ecclesiam; si non constet clare, recurrendum est ad summum pontificem. 2° Amittitur per contrarium usum solvendi decimas non obstante privilegio, continuatum tempore sufficienti ad præscriptionem, nempe quadraginta annis ad præscribendum contra ecclesiam aut religionem; paucioribus contra privatam personam. 3° Amittitur per justam partium conventionem; nec ad hoc videtur requiri papæ aut alterius prælati confirmatio præter eum ad quem spectat. 4° Amittitur per prædiorum exemptorum alienationem; statim enim atque prædium desinit esse sub dominio religionis, desinit etiam esse exemptum a decimarum onere.

CAPP. XXI, XXII, XXIII, XXIV.

In qua ecclesia sint solvendæ decimæ.

Dico 1: Decimæ personales ex vi juris communis debentur propriæ ecclesiæ, in qua quis ex eodem jure tenetur vel missam audire vel sacramenta recipere: sed hæ per consuetudinem fere omnino ubique sublatæ sunt. Prædiales vero decimæ jure ordinario solvendæ sunt illi ecclesiæ in cujus parochia sita sunt prædia. Quod attinet ad decimas mistas, quæ solvuntur ex fructibus et fetibus animalium, si hæc intra propriam parochiam pascantur et fetus edant, patet eorum decimas esse propriæ parochiæ solvendas; si vero æstate pascantur in propria, hieme in aliena parochia aut provincia, tunc pro rata temporis dividendæ decimæ unicuique ecclesiæ; item probabiliter dividendæ, si pascantur in una parochia, et accubent in alia. Denique si per nullam anni partem nec habitent, nec pascantur in parochia sui domini, nulla ex illis decima debetur isti parochiæ seu ecclesiæ. In his tamen sæpe consulenda est consuetudo. Nam

Dico 2: Contra prædictum jus commune consuetudo introduci potest, ac per eam præscribi ut

decimæ prædiales non ecclesiæ in cujus territorio est prædium, sed alteri persolvantur. Et ad ejusmodi præscriptionem videtur probabilius requiri tempus quadraginta annorum, nempe ut consuetudo conferat jus parochiali unius personæ ecclesiæ ad decimas prædiorum exsistentium in alia parochia, quia est præscriptio contra ecclesiam exigens quadraginta annos. Contrarium sentiunt Gutierez, Covarruvias, etc., dicentes sufficere decennium, quia, inquiunt, ista consuetudo non est contra, sed præter jus; hoc tamen negatur. Idem dic de consuetudine circa decimas mistas. Ista consuetudo præscripta non extenditur ad novalia quæ antea nullo modo possidebantur, nec ullæ decimæ ex eorum herbis, lignis, pastu solvebantur, at postea effecta fructifera, decimarum obligationem contraxerunt, quia ecclesia præscribens nunquam ullam decimam ex istis agris incultis percepit; ergo illam non potest præscribere.

Dico 3 : Potest summus pontifex concedere privilegium, ut decimæ prædiales non solvantur illius territorii, in quo sita sunt prædia, parochiali ecclesiæ, sed vel alteri parochiali alterius territorii, vel non parochiali in eodem territorio sitæ : salva semper ministrorum ecclesiæ, cui decima vel ejus pars detrahitur, sufficienti sustentatione. Juxta communem sententiam, si hoc privilegium sit concessum clericis, extenditur ad novalia ob capitulum *Ex parte;* secus si laicis ob cap. *Tua.* Alii tamen probabilius negant extendi ad novalia, sive clericis sive laicis fuerit concessum. Ita Rebuffus, Covarruvias, Gutierez, etc., quia verba privilegii possunt simpliciter intelligi sine illa extensione, adeoque non amplianda cum damno ecclesiæ, cui decimæ demuntur.

Dico 4 : Decimæ personales probabilius pertinent ad ecclesiam parochialem, quamvis ipsa non foret baptismalis ecclesia : quia regula juris est ut hæ decimæ debeantur ecclesiæ parochiali. Item si ecclesia parochialis habet territorium propriis terminis conclusum, pertinent etiam ad illam omnium prædiorum in ipsius territorio exsistentium decimæ, jura enim adjudicant decimas ecclesiæ parochiali; et dum dicunt antiquis ecclesiis non esse inferendum præjudicium quoad decimarum perceptionem per novæ ecclesiæ ædificationem, præcipue agunt de ædificatione novæ ecclesiæ, v. gr. sacelli aut oratorii per quod non dividitur parochia; attamen si constiterit speciali jure decimas ad baptismalem ecclesiam pertinere, hancque jus ad illas retinuisse, v. gr. si in erectione parochialis ecclesiæ conventum est ut decimæ retineantur ab ecclesia baptismali, aliter providendo parochiali, aut si parochialis fuerit annexa baptismali, aut si a principio erectionis consueverit baptismalis semper decimas recipere, tunc baptismali ecclesiæ persolvendæ sunt. Et quamvis baptismalis ecclesia foret cathedralis, semper pro parochiali præsumitur, non solum quando illi favet consuetudo, sed etiam secluso hoc titulo, ex vi juris ordinarii, quando oppositum non sufficienter probatur in alterius ecclesiæ favorem; hocque jus parochialis ecclesiæ etiam ad novalia sui territorii extenditur. Si prædia exstent, quæ in nullius parochiæ territorio sita sint, illorum decimæ pertinent ad episcopum.

CAPP. XXV, XXVI, XXVII.

De decimis quæ laicis solvuntur.

Dico 1 : Decimæ, ut tales sunt et ut sunt fructus ecclesiastici, per se non debentur laicis; neque illis sunt solvendæ, quia laici spiritualia ministrare non possunt; ergo non sunt capaces juris spiritualis quale est jus decimarum, quæ dantur ob ministerium spirituale : nec ulla humana potestas etiam pontificia potest hoc illis jus spirituale concedere, adeoque nec unquam possunt illud præscribere. Sed non repugnat ut laici interdum licite percipiant fructus decimarum quasi formali perceptione transferendo in se illorum possessionem ac dominium, non proprio quidem titulo, sed vel nomine clericorum ad quos pertinent, vel per justam dispensationem et applicationem prælatorum Ecclesiæ : quia decimæ hoc modo spectatæ, res temporales sunt. Hæc autem decimarum perceptio seu acceptio variis modis licite a laicis fieri potest : 1° si clericus habens ecclesiasticum beneficium, ratione cujus decimas recipit, has locet laico aut alteri ad breve tempus quod est, juxta extrav. Pii II *Ambitiose*, triennium; eique transferat potestatem illas exigendi. 2° Si ab aliqua ecclesia particulari vel ab episcopo accipiat aliquam fructuum decimarum portionem pro obsequio ecclesiæ exhibito, vel in cantu publico vel in docenda grammatica, etc., et tunc non suo sed ecclesiæ spirituali jure aut episcopi auctoritate recipit illos fructus tanquam mercedem temporalem pro temporali obsequio. 3° Si rex aut princeps sæcularis ob magna in ecclesiam collata beneficia et factas expensas, aut ob imminentes infidelium, hæreticorumve hostiles incursus per modum subsidii accipiat auctoritate pontificiæ concessionis aliquam decimarum partem vel aliquod contributionis genus ex decimis proveniens.

Dico 2 : Juxta communem sententiam episcopus ex justa causa, v. gr. ob magnum obsequium ecclesiæ præstitum, potest concedere laico facultatem recipiendi decimas ad tempus seu ad vitam. Imo olim episcopi poterant ex justa causa concedere laicis fructus decimarum in feudum etiam perpetuum; quod jus duravit usque ad Urbanum II, (anno 1096) in concilio Turonensi, aut juxta quosdam usque ad Alexandrum III in concilio Lateranensi (anno 1180). Unde ejusmodi concessiones aut infeudationes perpetuæ ante Urbanum II licite factæ, permanserunt validæ, et nunc æque ac antea tuta conscientia retinentur a laicis; quia decretum Urbani non revocavit prius factas, sed proki-

buit deinceps fieri. Ideo omnes post illud tempus laicis factæ in perpetuum feudum decimarum concessiones sine pontificia auctoritate illicitæ sunt et irritæ, seu invalidæ, quamvis quidam existiment hanc prohibitionem incœpisse tantum ab Alexandro III, in concilio Lateranensi.

Dico 3 : Laici qui juste retinent decimas (secus qui injuste) per feudum licitum vel antiquius conciliis Lateranensi ac Turonensi, vel legitime a papa concessum, transmittunt illud in suos successores legitimos laicos juxta feudi institutionem; et si careant legitimis successoribus, possunt ante mortem de consensu episcopi illud transferre in alium etiam laicum. Post mortem vero feudatarii, episcopus priusquam istas decimas infeudatas sua acceptatione incorporet ecclesiæ, probabilius potest de novo eas alteri laico in feudum dare ex justa causa. Similiter laicus qui juste habet decimas in feudum, si velit eas dare ac reunire propriæ ecclesiæ cujus antea erant, potest id facere sine consensu episcopi; sed requiritur ejus consensus, si velit eas alteri ecclesiæ dare. Si autem injuste eas habeat, probabilius potest de consensu episcopi illas alteri etiam ecclesiæ, aut cuilibet loco religioso dare, et propriæ ecclesiæ non restituere : quia videtur id concessum a pontificibus ad vitanda majora mala, et damna ecclesiæ isto modo reparanda, quantum fieri potest. Intellige hoc de decimis in perpetuum feudum concessis ante concilium Lateranense aut Turonense, quia decimæ sine justo titulo post illud a laicis usurpatæ, videntur omnino esse restituendæ illi ecclesiæ ad quam antea pertinebant, nec posse alteri applicari etiam de consensu episcopi.

Dico 4 : Consuetudo etiam immemorialis non sufficit ut laicus vi solius præscriptionis possit possidere et exigere legitime decimas, quia decimarum præscriptio confert jus spirituale cujus est incapax laicus; sed potest sufficere ut sufficienter probetur privilegium, vi cujus illa consuetudo inchoata et continuata creditur, quamvis tale privilegium nec scriptum inveniatur, nec aliter probari possit quam per diuturnam famam et opinionem.

CAPP. XXVIII, XXIX.

Ad quas personas ecclesiasticas jure communi pertineant decimæ.

Dico 1 : Decimæ ex primæva institutione debentur clero ad ipsius sustentationem, et ad omnes sumptus in ecclesiarum servitio et divini cultus in ministerio faciendos. Deinde postquam facta est ab initio Ecclesiæ divisio diœcesium, tunc uniuscujusque diœcesis decimæ pertinuerunt ad istius diœcesis clerum, cum jam earum meminerit Clemens (lib. II *Constit.*, capp. 25, 34, 35); præcipua tamen illarum administratio episcopo erat commissa, ut debita cum proportione eas clero distribueret, ut indicat Clemens (eodem cap. 25). Postquam autem diœceses in parochias divisæ sunt, uniuscujusque parochiæ decimæ ad clerum ex officio divina ministrantium in ista parochia, per se loquendo pertinuerunt illique, et non solo parocho, solutæ sunt, quamvis ordinarie per illum distribuerentur : qua in re consuetudo aut episcoporum ordinationes servandæ sunt; et ex his cujusque parochiæ, non solius cathedralis, decimis quarta pars jure canonico pertinet ad diœcesanum episcopum. Hinc :

Dico 2 : Non solis parochis debentur decimæ, sed simul etiam parochiæ ministris, qui ob beneficium ex decimis institutum vi officii sui tenentur altari aut choro inservire; quia decimæ non tantum sunt institutæ ob solum ministerium gerendi curam animarum, aut ministrandi illis sacramenta, sed simpliciter ob ministerium divini cultus ex officio præstitum. Hinc religiosis ut sic, non debentur decimæ, quia illi non ex proprio officio, sed ex devotione divina ministrant; nec etiam debentur pauperibus, aut templi fabricæ, sed ipsis clericis sub onere subveniendi pauperibus et fabricæ prospiciendi ex aliquota decimarum parte. Præcipua tamen decimarum pars debetur episcopo ob ecclesiam cathedralem, cujus est caput, tum ob parochiales quarum etiam est caput, tum ob prædia intra suam diœcesim sita quæ nullius sunt parochiæ, quorum decimæ ad eum solum pertinent. Post episcopum præcipue debentur parocho, deinde canonicis : utrisque ex justitia, licet sint divites aut improbi. Sed clerici simplices, qui nullum possident ecclesiasticum beneficium, non habent proprium jus ad decimas recipiendas, quia solus clericatus character non hoc illi confert; adeoque nec illis proprie sunt debitæ. Simili modo :

Dico 3 : Religiosi ex vi sui status non habent proprium et intrinsecum decimarum jus, nec illis ex jure communi debentur. (D. Thomas, Alensis, et omnes doctores.) Quia status religiosus ut sic, non constituit ministros Ecclesiæ, nec inducit obligationem populo inserviendi in divinis; ideoque non obligatur populus ex justitia eos sustentandi, licet ex devotione, regula, aut voto proximorum saluti incumbant, sed solum potest ex gratitudine, charitate, religione eos alere, si inde non privet ecclesiam suis decimis. Attamen variis modis possunt decimæ conferri, aut etiam deberi religiosis : 1° si illis conferantur ut pauperibus; 2° si beneficium ecclesiasticum alicui religioso conferatur aut uniatur monasterio; 3° si illis ex privilegio conferatur perceptio decimarum, vel sine vel cum aliquo spiritualis ministerii onere.

CAPP. XXX, XXXI, XXXII, XXXIII.

An clerici et religiosi possint præscriptione acquirere jus decimarum; ex quibus rebus et quomodo sint solvendæ decimæ personales.

Dico 1 : Fieri potest ut monasterium acquirat alicujus ecclesiæ jus decimarum præscribendo ipsammet ecclesiam et ejus onera in se suscipiendo : quia acquisita ecclesia per præscriptionem, acquiritur etiam ejus jus decimarum. Per se tamen et directe non potest quispiam sive religiosus sive

clericus totum decimarum jus sine parochia vel sine alio simili titulo præscribere, utpote qui ecclesiæ non inservit; sed potest per præscriptionem consuetudinis immemorialis sufficienter probare aut præsumere privilegium ob quod juste istas decimas exigat ac recipiat : tuncque non est propria juris præscriptio, sed quasi privilegii, quamvis sit etiam juris capax. Sic etiam possunt religiosi et clerici, imo et laici præscribere exemptionem a decimis persolvendis.

Dico 2 : Stando in communi Ecclesiæ jure ex omni vero ac justo lucro, quod quis acquirit, debet decimam personalem solvere, quia sic jura loquuntur, et sic illa omnes doctores intelligunt; probabiliter tamen vi juris non videtur esse solvenda ex bonis nobis advenientibus per liberalem alterius donationem sive inter vivos sive causa mortis, sive per legatum, aut hæredis quantumvis extranei institutionem, multo minus ex eleemosynis acceptis. Dixi *stando in jure communi*, quia consuetudine sunt istæ decimæ personales fere sublatæ, et consuetudine etiam potuerunt excipi hæc et non illa lucra.

Nota : Dum res fructifera acquiritur cum suis fructibus, si decima ex illis nondum fuerit soluta, debet solvi ab acquisitore; si jam fuerit soluta, nulla amplius illo anno debetur. Denique *vi juris*, ex omnibus propriis lucris quæ per hominis actionem aut industriam, v. g. per negotiationem, piscationem, venationem, militiam, ludum licitum, venditionem, opificium, etc., acquiruntur, debetur decima, imo et ex lucris quæ per actionem turpem non injuste acquiruntur, v. gr. per meretricium : si non sequatur ex illorum acceptione scandalum vel indecentia, quæ sequeretur si peccatum foret publicum, etc. Non tamen debetur decima ex rebus injuste acquisitis, ita ut acquirens vel non acquirat earum dominium, vel ad earum restitutionem teneatur; nec potest Ecclesia earum decimam accipere. Iterum dixi *vi juris*, quia consuetudo illud mutare potuit, et de facto mutavit, ideoque consuetudo semper consulenda est.

Dico 3 : Ante solutionem prædictarum decimarum personalium deducendæ sunt expensæ quæ factæ fuerunt, v. gr. in vendendis, quærendis, emendis mercibus, etc., quia Ecclesia sic suum præceptum declaravit, et ratio naturalis id suadet.

CAPP. XXXIV, XXXV.

De solutione decimarum prædialium.

Dico 1 : Decimæ prædiales solvendæ sunt ex fructibus aut reditibus temporalibus omnium rerum tam immobilium quam se moventium, v. gr. ex prædiorum fructibus, ex segetum manipulis, ex leguminibus, ex feno, etc. Item mistæ solvendæ ex animalium fructibus ac fetibus, v. gr. ex fetibus ovium, aliorumque pecorum, ex lana, caseo, butyro, ex apibus, ex piscium vivariis, etc., circa quæ consulenda est maxime consuetudo; sed quia et est contra jus, ideo ad auferendum jus debet esse immemorialis sine speciali titulo; cum vero autem titulo quadragenaria potest sufficere.

Dico 2 : Prædictæ decimæ debent solvi integræ sine ulla expensarum deductione, uti expresse jura canonica definiunt, quia illos terræ fructus considerant naturaliter prout nascuntur ex terra, nulla expensarum deductione facta; non vero civiliter ut lucrum aut res subjacens reparationi damni, dum fructus non computantur, nisi deductis expensis. Ideo in decimis personalibus deducuntur expensæ, quia fructus est in lucro; secus, in prædialibus, quia fructus est in ipsis proventibus, qui denuo procreantur. Unde decima solvenda est nulla prius facta pensionis deductione; et si ager per colonos colatur, ex integris fructibus est solvenda, qualiscunque sit facta conventio inter dominum et colonum.

CAPUT XXXVI.

Quomodo decimæ sint debitæ Ecclesiæ.

Dico : Circa modum, quo decimæ debentur Ecclesiæ, duplex est sententia : 1° Asserit decimas, statim atque fructus percipiuntur, mox incipere esse sub Ecclesiæ aut Dei dominio, etiam antequam solvantur aut ex fructuum cumulo separentur, adeoque decimas deberi Ecclesiæ sicut res furto ablata debetur suo domino. 2° Negat decimas esse sub dominio Ecclesiæ, quandiu non sunt separatæ ab aliis fructibus seu partibus, nec traditæ. Utraque citat varia jura pro se. Prima videtur magis favere Ecclesiæ, secunda magis esse secundum rigorem justitiæ. Ad utramque ergo aliquo modo conciliandam potest dici Ecclesiam non habere quidem proprium et directum dominium decimarum antequam illas recipiat, sed habere utile, quale habet usufructuarius in fructibus nondum perceptis, ideoque habere non solum jus ad illas, sed etiam aliquod jus in illis. Hinc 1° habet jus postulandi decimas ab injusto usurpatore per rei vindicationem. 2° Apud quemcunque fructus non decimati exsistant, sive apud furem, sive apud dominum nolentem ex eis decimas solvere, sive apud illorum emptorem tam bonæ quam malæ fidei, potest ab illo immediate decimam istorum fructuum partem exigere, ratione rei alienæ acceptæ aut detentæ, quæ est Ecclesiæ usufructuaria. 3° Potest exigere decimas ab eo qui injuste (secus si juste) combussit segetes, aut arbores succidit jam fructibus oneratas, ratione damni illati. 4° Item potest eas exigere a parochiano fundi domino, si ipsius culpa fundi perierint, si, v. gr., suas ipse segetes combusserit; secus vero si tantum non impedierit damnificantes, v. gr. milites agros vastantes, si noluit aut neglexit serere, vineam excolere, etc., in quo casu potest eum cogere ut suos agros colat, aut si nolit, jubere eos coli per alios, ut possit se indemnem servare.

CAPP. XXXVII, XXXVIII.

Quando et ubi fideles teneantur decimas solvere, et quomodo recuperari possint non solutæ.

Dico 1 : Decima etiam non petita, ac sine culpabili mora, solvenda est Ecclesiæ, unusquisque enim tenetur solvere debitum et reddere alteri quod suum est, etiam si ipse illud non petat ; unde tenetur solvere personales intra singulos annos, si mos eas solvendi vigeat, prædiales statim post collectos fructus, si enim jam collectis fructibus culpabiliter tardet eas solvere, et interim fructus pereant, tenetur illas restituere seu damnum reparare. Mistæ vero solvendæ sunt quando fetus sine matre commode vivere potest, et alia juxta consuetudinem. Quoad locum attinet, non tenentur fideles suis sumptibus et laboribus decimas deferre in domos aut horrea clericorum, sed post fructuum collectionem hi monendi sunt ut suam decimam deferri curent ; non tamen sine eorum consensu et notitia, fructus indecimatos debent deferre in sua horrea, nisi aliter consuetudo invaluerit.

Dico 2 : Ecclesia semper habet jus exigendi decimas ab injustis detentoribus quandiu illis eas non remisit, aut alii bona fide eas non præscripserint. Non potest tamen parochus privata sua auctoritate a parochiano, qui vel injuste decimas retinet, vel differt solvere, per vim sive corporalem sive spiritualem illas accipere cogendo ad solvendum : sed prælati Ecclesiæ et judices competentes possunt et per se loquendo tenentur cogere fideles, decimarum debitores ad eas solvendas, et si nolint, excommunicentur ; quamvis interdum possint abstinere ab ejusmodi coactione ad vitandum publicum scandalum ac majora mala, aut per aliquod transactionis genus pacifice rem componere, aut etiam decimarum debitum liberaliter remittere, nempe præteritarum, non futurarum.

Dico 3 : Idem Ecclesiæ prælati non solum possunt exigere præteritas decimas prædiales ab iis qui illas non persolverunt, sed etiam ab iis quibus ipsi prædia vendiderunt, donarunt, aut testamento legarunt. Hi enim ultimi possessores non solum tenentur solvere decimas futuras, sed etiam præteritas non solutas ratione prædiorum habentium istud onus sibi annexum : ita multi affirmant ; contra multi alii id negant, ex quibus probabiliter concludi videtur, hæc immobilia fidelium bona non esse magis obligata ad præteritarum decimarum debita, quam ad quævis alia. Quod si verum est, per generalem justitiæ regulam judicandum erit, quandonam ex illis bonis recuperari possint decimæ non solutæ. Deinde licet fructus vel pecunia non decimata maneat semper Ecclesiæ obligata pro decima non soluta, tamen pro aliis lucris ex ea comparatis nullum aliud oritur speciale debitum, v. gr. si ex illo fructu aut pecunia ante decimam solutam ematur ager, ex fructu agri non est solvenda particularis decima correspondens decimæ prius non solutæ, contra Panormitanum.

Dico 4 : Causæ decimales dum de earum jure aut solutione, difficultates, dubia, lites oriuntur, tractandæ sunt non in sæculari, sed in ecclesiastico foro, utpote causæ ecclesiasticæ : nisi forte intervenisset licentia papæ ad eas tractandas in foro sæculari.

—

LIBER II.

De diebus festis.

—

CAPUT PRIMUM.

De præcepto sanctificationis Sabbati in Decalogo.

Dico 1 : Tertium Decalogi præceptum, prout latum est in lege Mosaica, differt ab aliis ejusdem Decalogi præceptis in hoc quod sit partim morale, partim cæremoniale, cætera vero pure moralia. Nam ante legem Moysis præceptum de observatione Sabbati non obligabat, nec apud ipsos viros pios et Deum colentes habebatur illius observatio. Cætera autem Decalogi præcepta obligabant. Dum igitur Deus benedixisse diei septimo et sanctificasse illum dicitur (*Gen.* II, 3), id est Deus per anticipationem jam tunc in sua mente ac proposito istum diem dicavit suo cultui, non in exsecutione ; aut certe posuit istius sanctificationis fundamentum, non obligationem, nullam legem de ea promulgando. Potuit tamen jam tum incepisse aliqua diei septimi observatio, quæ per traditionem ad posteros transfusa fuerit. Hoc autem præceptum fuit morale, in eo quod præter naturalem obligationem colendi actu externo Deum per præceptum naturale cognitum, præcepit ejusdem actus externi aliquod tempus per vacationem ab omni opere servili : *Dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus, omne opus non facietis in eo* (*Levit.* XXIII, 3). *Memento ut Sabbatum sanctifices* (*Exod.* XX, 8). Hæc igitur Sabbati sanctificatio præcepta non consistebat formaliter in aliquo actu positivo, sed in cessatione operum servilium, quæ materialiter erat cultus Dei externus per signum externum ac positivum declaratus. Deinde hoc præceptum fuit etiam cæremoniale : 1° Quia datum est in memoriam beneficii creationis. 2° Quia singularum hebdomadum septimus et ultimus dies, qui antonomastice vocatus est *Sabbatum* (id est requies, nempe in creando) determinatus fuit. 3° Quia hujus diei solemnitas jussa fuit observari per viginti quatuor horas : *A vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra* (*Levit.* XXIII, 32). Denique 4° quia ista requies et cessatio ab omni opere fuit ad significandam aut recolendam Dei requiem desinentis amplius aliquid creare.

Dico 2 : Hoc tertium Decalogi præceptum quoad totam illam determinationem, quam ultra moralem ac naturalem obligationem addit, cessavit nec obligat in lege gratiæ, uti nec præcepta de aliis festis Judæorum. De fide. Legalia enim veteris Testamenti cessarunt, adeoque ista vetus Sabbati observatio mortua est; imo, qualem lex vetus præscribebat, absolute est mortifera seu prohibita ab Ecclesia in Judaicæ cæcitatis detestationem, ne videatur Ecclesia illi consentire : ideoque qui Sabbatum custodire inveniuntur, merito de Judaismo suspecti sunt (cap. *Pervenit*, De consecr., d. 3). Christus et apostoli in initio observarunt Sabbatum, quia tunc lex vetus nondum erat abolita. Dumque Alexander III dicit Ecclesiam observare septimum diem, intelligit Dominicum diem, quia intra septem dies semper redit, vocaturque (*Act.* xx, 7) *una Sabbati*, id est prima dies post Sabbatum.

CAPP. II, III, IV.

De institutione festorum in lege gratiæ, ac primo de die Dominica et festo sanctissimæ Trinitatis.

Dico 1 : Præceptum de observatione festorum dierum ad divinum cultum destinatorum convenienter ab Ecclesia fuit latum. De fide. Hoc sufficienter probat perpetua traditio et communis Ecclesiæ consensus : jamque tempore apostolorum observatum fuisse diem Dominicum habetur ex Act. xx, et I Cor. xvi. Deinde Ecclesia sua auctoritate potuit juxta naturalem rationem ac fidem instituere ac præcipere dies festos ad Dei cultum, abrogatis figurativis antiquæ legis cæremoniis ac ritibus. Hinc Paulus arguit recenter conversos volentes servare ritus Judaicos : *Dies observatis, et menses, et tempora et annos*, etc. (*Galat.* iv, 10) ; id est, dies Neomeniæ et Sabbatorum, festa Azymorum et Scenopegia mensibus Martii et Septembris, atque alia in anni decursu. Similiter (*Coloss.* ii) de eisdem illos arguit : vel etiam, quod (*Galat.* iv, 10) dicit, potest de superstitiosis gentium observationibus intelligi.

Dico 2 : Festa, alia sunt universalia pro tota Ecclesia, alia particularia pro aliqua provincia aut diœcesi. Nunc agimus de universalibus ; et illa solus papa, aut concilium generale cum papa potest instituere, aut consuetudo cum tacito vel expresso papæ consensu introducere.

Dico 3 : Dies Dominica ab Ecclesiæ exordio instituta est, et tanquam præcipua festivitas observari jussa, maxime ob Christi Domini resurrectionem : *Hæc dies, quam fecit Dominus* (*Psal.* cxvii, 24). Et de ea fit mentio, Apoc. i ; deinde Act. xx, dicuntur fideles illa die ad Eucharistiæ communionem, ad concionem, ad oblationes faciendas convenisse, et ita hunc diem semper in Ecclesia tanquam festum religiose observatum fuisse testantur Clemens (l. xvii *Constit.*), Ignatius epist. 3, Justinus, Origenes, aliique Patres ac concilia. Unde quidam voluerunt hanc Dominicæ diei festivitatem fuisse jure divino introductam, sed certum videtur solo humano jure esse institutam, quia Christus non dedit specialia præcepta de accidentalibus observantiis, sed tantum de substantialibus, qualia sunt fides, sacramenta, sacrificium ; reliqua enim pastorum Ecclesiæ dispositioni reliquit ; eodemque jure humano mutata est dies septima ex Sabbato in Dominicam. (D. Thomas, Antoninus, Bonaventura, Soto, etc.) Et probabile est id fuisse verbo tenus ab apostolis jussum et a toto populo Christiano receptum, ac postea legibus scriptis confirmatum fuit : cap. 2 *Sabbato*, cap. *Licet*, cap. *Conquestus*, etc. Unde simpliciter et speculative loquendo, licet hoc præceptum absoluta Ecclesiæ seu pontificis potestate possit mutari, practice tamen et moraliter non potest ; quia nimis conjunctum est cum naturali et divino præcepto, essetque in destructionem, non in ædificationem. Dominicæ autem diei festivitas instituta est, quia tali die : 1° Christus resurrexit, ideoque non flectitur ; 2° descendit Spiritus sanctus in apostolos ; 3° natus et circumcisus Christus, ac stella apparuit magis ; 4° baptizatus Christus ; 5° apparens Christus post resurrectionem dedit apostolis potestatem remittendi peccata ; 6° creatum est cœlum ac terra, lux, angeli ; 7° pluit manna. Præcipue tamen hic dies dicatus fuit ad colendam SS. Trinitatem, in lege gratiæ cognitam, ideoque olim, ut referunt graves auctores, singulis Dominicis dicebatur in missa præfatio Trinitatis, et nunc semper dicitur Symbolum fidei, quo Trinitatem profitemur ; postea Joannes XXII speciale SS. Trinitatis festum, quod jam prius in particularibus Ecclesiis celebrabatur, jussit in Romana etiam Ecclesia celebrari, quod nunc universa servat Ecclesia.

CAPP. V, VI.

De festis Christi usque ad ejus Ascensionem.

Dico 1 : Primum festum Christi est Incarnatio seu B. Virginis Annuntiatio ; quando et quo die inceperit celebrari et obligari, non sat constat : illud esse valde antiquum indicant Patrum homiliæ quæ de illo habentur. Secundum festum Christi est ejus Nativitas, quod ab ipsis apostolis institutum fuisse constat ex Clemente (lib. viii *Constit.*) et ex perpetua traditione celebratur 25 Decembris. Tertium est festum Circumcisionis, cujus institutio valde antiqua, et juxta quosdam ex parte fuit institutum ad impediendas superstitiones quas gentiles in Kalendis Januarii solebant observare, nec tantum Christo, sed etiam B. Virgini illud dicatum fuit ; ideo olim in eo duæ missæ celebrabantur, una de B. Virgine, altera de mysterio, ut Durandus refert ; et etiam nunc magna pars officii et missæ est de B. Virgine. Quartum est festum Epiphaniæ ab apostolis institutum, ut habetur ex Clemente (lib. v et viii *Constit.*). Quintum est festum Præsentationis Christi et Purificationis B. Virginis. Putatur hoc festum incepisse sub imperatore Justiniano I, et juxta Baronium Romæ cœptum

est ad abolenda lupercalia. Sextum est festum Transfigurationis, etiam valde antiquum, sed non ubique servatur, nec unquam videtur præceptum fuisse pro universa Ecclesia. Septimum est festum Passionis, seu septem dierum hebdomadæ sanctæ, in quibus jus commune prohibet omnem strepitum judicialem, et licet probabile sit illos septem dies olim etiam fuisse de præcepto quoad cultum religiosum et cessationem ab operibus servilibus ex vi juris communis, nunc excepta Dominica reliqui sex dies non sunt sub præcepto quoad cultum et cessationem ab operibus, et si olim fuerunt sub præcepto, nunc consuetudine derogatum est.

Dico 2 : Octavum est festum Paschæ seu Christi resurrectionis, non quidem a Christo, ut quidam voluerunt, sed ab ipsis apostolis institutum ac præceptum, sicut colligitur ex Clemente lib. v et VIII *Constit.*, et can. 68 apostolorum ; et ab initio quidem tota Paschæ hebdomada observari injungebatur : sed licet tota observetur aut observata sit in ordine ad strepitum judicialem, non tamen quoad cultum religiosum et cessationem ab operibus sub præcepto ; et nunc generaliter tantum duo proximi dies post festum Paschæ observantur ut primus, ob majorem mysterii honorem et solemnitatem.

Dico 3 : Festum Paschæ semper celebrandum est die Dominico, non vero in quovis die in quem incidit decima quarta luna primi mensis seu Martii post multas controversias de die, qua deberet celebrari ; ita statutum ac determinatum est in concilio Nicæno. Hinc hæreticum esset sentire esse illicitum celebrare Pascha die Dominico, sed non esset hæreticum sentire, quod, seclusa Ecclesiæ lege, liceret illud celebrare in quovis die in quem decima quarta luna incidere contingeret, quia id tantum est juris humani non divini, adeoque si non exstaret lex Ecclesiæ, per se id non foret illicitum. Sed nunc post Ecclesiæ decretum ac præceptum dies ad celebrandum Pascha non est amplius indifferens, et oppositum dicere esset hæreticum ; diceret enim non esse peccatum agere contra præceptum Ecclesiæ. Magnis igitur rationibus mota est Ecclesia ad retinendum ac præcipiendum diem Dominicum pro celebratione Paschæ : 1° Quia ita a Petro et Paulo, cæterisque apostolis, ut credi potest, est traditum, saltem excepto Joanne ; 2° ne videretur Judæis consentire, aut illos imitari celebrando Pascha eodem die quo illi celebrant ; 3° quia Christus die Dominica resurrexit, etc., quare :

Dico 4 : Festum Paschæ semper celebrandum est die Dominico, qui proxime cadit post decimam quartam lunam primi mensis, uti convenienter statutum est ac præceptum ab Ecclesia. Hic autem dicitur primus mensis, cujus decima quarta dies lunaris incidit vel in ipsum æquinoctium vernum respectu hemisphærii borealis, vel post illud immediate ; hocque æquinoctium a concilio Nicæno fixum est in die vicesima prima Martii, calculo nempe ecclesiastico, non stricte mathematico ; ideo mensis lunaris, cujus decima quarta dies incidit in vicesimam primam diem Martii vel immediate post illam, est prima seu paschalis, quia die prima Dominica post istam diem decimam quartam lunæ celebrandum est Pascha ; ita ut si vicesima prima Martii in diem Sabbati incidat, et eadem die occurrat decima quarta lunæ, celebrandum sit Pascha in Dominica sequenti die vicesima secunda Martii. Sed si vicesima prima Martii incidat in diem Dominicam et eadem die occurrat decima quarta lunæ ; tunc Dominica tantum sequenti, nempe vicesima octava Martii celebrandum est ; semper enim post decimam quartam lunæ, non in ipsa decima quarta celebrandum est, ne concurramus cum Judæis : hinc festum Paschæ a vicesima secunda Martii usque ad vicesimam quintam Aprilis inclusive potest incidere. Si enim decima quarta luna primi mensis seu post vicesimam primam diem Martii, incidat in decimam octavam Aprilis, et hæc dies sit Dominica, tunc Pascha celebrandum erit Dominica sequenti vicesima quinta Aprilis. Qui sunt in alia parte mundi aut hemisphærio australi, licet citius aut tardius illis contingat æquinoctium, semper eodem die post æquinoctium quod Europæis est vernum, etiam celebrant Pascha.

CAPUT VII.

De aliis Christi festis.

Diebus quadraginta post Pascha elapsis occurrit festum Ascensionis feria quinta antiquissimum et ab apostolis manans, et cum eo quasi conjunguntur tres dies antecedentes, qui Rogationum dicuntur ob solemnes Litanias, quæ in illis tribus diebus recitantur ; unde videntur olim fuisse festivi in aliquibus locis et in præcepto ; nunc autem certum est non ita esse. Sequitur festum Pentecostes, quod jam tempore apostolorum ex lege ecclesiastica et ritu novo celebrabatur, de quo Paulus : *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem* (*I Cor.* XVI, 8). Celebratur ut Pascha, cum duabus sequentibus feriis festivis. Deinde feria quinta post octavam Pentecostes, agitur solemnissime Festum Corporis Christi ab Urbano IV institutum. Denique Festum Inventionis sanctæ crucis, maxime ob Christum in ea affixum celebrat Ecclesia tanquam ex præcepto observandum, hæcque est generalis consuetudo ; et id sufficit ut inter festa quæ ex præcepto observantur numeretur, sive in jure contineatur, sive non. Videtur incepisse hoc festum statim a tempore Sylvestri papæ, quia post illud tempus nullum aliud ejus initium invenitur. Historia autem Inventionis sanctæ crucis, quæ huic festo dedit occasionem, passim in libris habetur. Præter hoc festum celebrat Ecclesia festum Exaltationis sanctæ crucis, sed non sub præcepto.

CAPP. VIII, IX, X.

De festis B. Virginis et aliorum sanctorum.

Dico 1 : Dies festivi in honorem B. Virginis dicati, sunt hi : 1° Est festum Conceptionis, quod

nunc de præcepto est, adeoque illius cultus pius et sanctus : non potest enim Ecclesia approbare et præcipere cultum illicitum seu malum, id est non potest in materia morali universalem errorem committere. 2° Est illius Nativitas, etiam de præcepto pro universali Ecclesia, de ejus initio non satis constat; possumus saltem asserere multis in locis jam ante mille annos fuisse celebratum. 3° Est Præsentatio in templo; sed non de præcepto. 4° Annuntiatio, de qua jam supra. 5° Visitatio, sed non de præcepto, saltem pro tota Ecclesia. 6° Purificatio, de qua etiam supra. 7° Assumptio, festum ex juris communis præcepto servandum, et probabiliter quoad annuum cultum ab apostolis manans. 8° Festum ad Nives, sed non de præcepto.

Dico 2 : De fide est, sancte et honeste dies festos Deo dicari in peculiarem honorem aliquorum sanctorum. Ex perpetua enim Ecclesiæ traditione et consensu res clara est. Clemens (lib. VIII *Constit.*, cap. 33), dicit apostolorum et martyrum festa esse servanda, nempe uti Augustinus (lib. XX, cap. 21) : « Ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur populus Christianus. » Et Tertullianus ait ea servari ex antiqua majorum traditione. Horum autem religiosum cultum ac festos dies potuisse Ecclesiam instituere, ac de facto sub præcepto instituisse patet. Quinam sint hi festi dies breviter recenseo in sequentibus.

1. Est festum Angelorum vicesimo nono Septembris de præcepto; et octavo Maii, sed non de præcepto.

2. Festum sancti Joannis Baptistæ Nativitatis de præcepto, antiquissimum, cum jam tempore sancti Augustini coleretur; festum ejus decollationis non est de præcepto.

3. Sunt festa duodecim apostolorum antiquissima de præcepto, sub quibus comprehenditur et Paulus. In cap. enim *De feriis* ponuntur festa duodecim apostolorum; et Clemens (lib. VIII, cap. 33), ait : « In diebus apostolorum vacent; magistri enim vestri fuerunt, » etc.

4. Festa sanctorum martyrum Stephani et Laurentii de præcepto, antiquissima; meminit enim sancti Stephani Clemens, lib. VIII, cap. 32. Deinde sanctorum Innocentium, etiam de præcepto; sed videnda consuetudo.

5. De obligatione festorum sancti Sylvestri et sancti Martini consulenda est consuetudo; de doctoribus, duplex est officium, non festum. De sancto Nicolao, nihil de præcepto; attendenda alicubi consuetudo. Idem dico de sancta Magdalena et sancta Catharina.

6. Est festum solemne Omnium sanctorum, factum de præcepto pro tota Ecclesia a Gregorio IV, ut refert Durandus in *Rationali* (lib. VII, cap. 34). Ex dictis satis colligitur numerus festorum dierum intra unum annum; quoad durationem obligationis, omnes sunt æquales, nempe viginti quatuor horarum, uti et quoad actionum præceptarum numerum, nempe missæ auditionem et cessationem ab operibus : sunt tamen inæquales quoad solemnitatem et quoad difficultatem obtinendi relaxationem aut dispensationem festi. Cæremonia non flectendi genua publice diebus Dominicis aut certis festivitatibus, non spectat ad obligationem præcepti.

CAPUT XI.

De festis particularibus.

Dico 1 : Potest aliquod festum esse sub obligatione in uno loco ex vi juris communis, licet universa Ecclesia non obligetur ad illud servandum; v. gr. potest jus commune statuere, ut festum patroni, dedicationis, aut sancti titularis uniusejusque loci seu Ecclesiæ de præcepto observetur; tunc in tali loco tantum erit festum de præcepto, et non alibi. Sed licet hic modus instituendi aliquod festum particulare sub præcepto ex vi juris communis sit possibilis; de facto tamen nullum jus commune reperitur quod hoc generaliter statuat : unde servanda est consuetudo cujusque loci aut jus particulare.

Dico 2 : Potest unusquisque episcopus instituere ac præcipere aliquod festum particulare pro sua diœcesi sine speciali summi pontificis facultate aut confirmatione, quia id usus antiquissimus probat, hocque expresse conceditur in capite ultimo *De feriis*, debet tamen sanctus, cujus festum instituit, esse receptus ab Ecclesia seu canonizatus; aut mysterium, quod celebrari jubet, ab ea approbatum. Deinde non potest ejusmodi festum stabilire sine cleri consensu, ut habetur in capite *De feriis;* imo juxta quosdam, et populi, qui tamen censetur consentire dum non contradicit. Sed consulenda est consuetudo. Atque hoc festum particulare obligat intra territorium præcipientis (non vero extra), sicut generale in tota Ecclesia, sive quoad missæ auditionem et cessationem ab operibus, sive quoad durationem unius diei naturalis; posset tamen institui et præcipi pro dimidio tantum die, v. gr. usque ad meridiem tantum; hoc enim pendet a voluntate instituentis.

CAPUT XII.

An princeps sæcularis possit festum suis subditis præcipere.

Dico : Cum potestas instituendi et præcipiendi dies festos et cultui divino dicatos, sit spiritualis seu ecclesiastica, ita ad solos Ecclesiæ prælatos pertinet; ideoque sine illorum consensu non potest princeps vel communitas laica festorum observationem præcipere, uti nec prohibere; id enim directe ordinatur ad cultum divinum et animarum salutem. Potest quidem princeps sæcularis interdum præcipere subditis, ut ad honorem civilem aut lætitiæ demonstrationem vel in ordine ad utilitatem publicam cessent ab operibus, sed non in ordine ad cultum religiosum; et tunc transgressores peccabunt quidem contra obedientiam, sed non contra religionem.

Nec sola laicorum consuetudo potest introducere festum diem, quia ejus observatio est communis clericis et laicis; et quia consuetudo non habet vim inducendi obligationem legis sine expresso vel tacito consensu principis, id est episcopi expresse vel tacite approbantis actum ex consuetudine factum, non ut devotionis, sed ut obligationis. Leges codicis quæ de sacris feriis loquuntur, vel factæ sunt ex consensu seu petitione pontificum, vel non habent vim.

CAPP. XIII, XIV.

An peregrini teneantur servare festa suæ parochiæ in qua non exsistunt, et loci in quo exsistunt.

Dico 1 : Absens non tenetur servare festum suæ diœcesis, civitatis, aut parochiæ, quando versatur in loco, in quo tale festum non est de præcepto : ita communiter doctores. Probatur ex cap. *Ut animarum*, et ex cap. *A nobis*, etc., quia statutum directe ac per se respicit territorium illiusque pacem ac mores, ideo non cadit nisi in eos qui intra illud existunt; et lex quæ pro territorio fertur, non potest extra illud obligare, etiam si sint subditi, quia hæc lex non fertur in subditos absolute et secundum se spectatos, sed in subditos præsentes et in tali loco exsistentes, vel potius directe fertur ad locum, jubetque in eo servari tale festum, et ideo non comprehendit absentes, quia non possunt servare festum in tali loco.

Dico 2 : Peregrini non tantum ratione domicilii, sive qui ad aliquem locum accedunt illic perpetuo habitaturi, sed etiam ratione quasi domicilii, id est qui ad aliquem locum accedunt animo illic permanendi tempore satis longo, licet non sit pars major anni, aut donec aliquod negotium tempore incerto duraturum conficiatur, tenentur festa istius loci, in quo versantur, servare, quandiu illic morantur. (Felinus, Antonius, Sanchez, etc.) Quia talis permanentia sufficit ad acquirendum forum in ordine ad ordinarium sacramentorum usum; ergo etiam ad habendam subjectionem episcopi loci, et ad obligationem servandi istius loci festa. Imo

Dico 3 : Quicunque peregrini et advenæ pervenientes ad locum, in quo per aliquot dies morantur tanquam suæ viæ termino, vel negotii vel recreationis causa, quamvis brevi temporis spatio illic degant, tenentur tamen servare etiam istius loci festa, non solum ratione consuetudinis, communi omnium fidelium ac maxime pastorum et pontificum consensu introductæ, sed etiam per se ex vi legis ac jurisdictionis quam censentur habere in illos episcopi locorum, in quibus peregrinantur. Sicut si tritici pretium sit taxatum in tali loco, advena ibi vendens triticum, tenetur ex lege justitiæ servare legem ac taxam, ita de obligatione festi. Deinde illi exsistentes extra territorium suæ parochiæ, non tenentur servare propria illius festa; ergo tenentur servare festa illius, in quo peregre exsistunt, alioqui essent exempti ab omnibus legibus municipalibus, seu episcopalibus. Hinc insuper

Dico 4 : Peregrini et advenæ, qui tantum transeuntes in aliquo loco exsistunt tanquam in hospitio, prandendo, cœnando, pernoctando, et statim discessuri sunt, probabilius tenentur etiam servare festum, quantum mora sinit præcepti exsecutionem, uti nec possunt ibi comedere carnes diebus particularis jejunii; quia eædem rationes quæ pro præcedentibus allatæ sunt, etiam pro his militant; et jura loquuntur indifferenter de peregrinis sive diu sive brevi tempore alicubi sint moraturi, cum vel sic sint vere extra proprium territorium. Sicut vagi qui proprium nullibi habent domicilium, ubicunque exsistant, semper tenentur servare festa loci in quo sunt, alioqui semper viverent exempti ab omnibus statutis et consuetudinibus episcopalibus; ita et peregrini : hi igitur quantumvis brevi tempore morentur in loco in quo agitur festum, tenentur abstinere ibi ab operibus servilibus, uti et audire missam, si maneant illic toto matutino tempore, etiam si post prandium discessuri, aut si discedendo summo mane, sint permansuri usque ad meridiem per iter in territorio, in quo est festum. Non tenetur tamen audire missam qui tantum transit et non permanet in loco, ubi fit festum, quia præceptum de festo non obligat ad permanendum; sed supposita permanentia obligat ad observationem. Nec obstat quod sit brevis mora in permanendo, quia brevis mora sufficit ad actus consummationem; sed non videtur is qui dormit in loco ubi sequens dies est festivus, teneri audire missam cum itineris incommodo, si statim perventurus est ad loca, in quibus festum illud non servatur. Denique, quæ diximus, extenduntur etiam ad festa generalia Ecclesiæ, quando ex consuetudine ablata est obligatio in aliquo loco particulari : v. g. si quis discedens e loco in quo ex consuetudine abrogatum est festum aliquod generale, perveniat ad locum ubi illud servatur, tenetur illud servare; contra si abiens e loco ubi servatur, perveniat ad locum ubi non servatur, non tenetur illic servare. Et idem est de jejunio. Hinc Lusitani transeuntes per Castellam sine scrupulo vescuntur extremitatibus aricum in diebus Sabbati, et sic de aliis. Transeuntes Græci per ecclesiam Latinorum, ubi est festum, vel contra, an illo teneantur, etc. vide postea in tom. *De sacramentis.*

CAPP. XV, XVI.

Quæ actiones præcipiantur in die festo.

Dico 1 : Fideles tenentur audire missam integram diebus festis, quæ sub præcepto observari jubentur; hæc obligatio est ex jure ecclesiastico. Videturque jam incepisse a tempore apostolorum, licet forte in principio rigorosa obligatio non fuerit tam clare proposita, sicut postea decretis variorum conciliorum. Clemens enim (lib. v *Const.*, c. ult.) agit de missa audienda diebus Dominicis, item canon. 10 apostolorum, et cap. *Omnes fideles* De consecr. d. 1, etc. Vide hæc fusius tractata in tomo *De sacramentis*, uti et sequentia.

Dico 2 : Hoc præceptum ex genere suo obligat sub mortali; illudque committitur per voluntariam missæ omissionem in die festo, quamvis non ex contemptu aut ex consuetudine, sed semel tantum voluntarie illa omittatur, quando nempe sufficiens excusatio non intervenit. Paludanus, Sylvester, Navarra, Cajetanus, etc., contra quosdam dicentes non esse mortale, nisi omittatur ex contemptu seu consuetudine. Probatur : Si enim una transgressio sit tantum peccatum veniale, ergo et multæ erunt venialia; adeoque multæ non efficient mortale, quod ipsi negant. Dixi *ex suo genere*, quia si tantum omittatur parva pars missæ, erit culpa venialis. Quod attinet ad tempus audiendæ missæ, in quavis diei hora, in qua dicitur missa, sive statim post mediam noctem, sive post meridiem, potest impleri præceptum, illam audiendo; et debet impleri in quavis hora, missam audiendo, dum scitur aliam non fore dicendam. Videtur tamen durum, si quis pauper deberet exspectare toto matutino tempore ad audiendam missam die festo, antequam posset ire procul laboratum in loco, ubi non est festum.

Dico 3 : Hoc præceptum affirmativum colendi Deum die festo, non obligat ad exercendum isto die alium divini cultus actum sive internum sive externum, præter auditionem missæ. Unde 1° non obligat ad communicandum ipso die Paschatis; præceptum enim communicandi est diversum a præcepto agendi festum. 2° Non obligat ad alias orationes fundendas, præter eas quæ in missa dicuntur, assistendo illis et attendendo; nec ad alias extra tempus missæ. 3° Non obligat in rigore per se ad audiendam concionem; alioqui pastores tenerentur in singulis festis concionari per se vel per alium. Debent quidem pastores juxta concilium Tridentium curare, ut in diebus festis, Adventu, Quadragesima, quantum commode fieri potest, prædicetur populo verbum Dei : sed pro singulis Dominicis ac festis non est rigorosum præceptum, ut ipsa etiam consuetudo interpretatur. In concilio Carthaginiensi IV, c. 24, fit comminatio excommunicationis contra egredientes tempore concionis, nempe cum scandalo et contemptu, sed hoc concilium non est generale; et nunc de hac re nullum est præceptum præter naturale, quo vitandum est scandalum. In cap. *Omnes fideles*, jubentur *audire sacras Scripturas*, id est, missæ epistolam et evangelium. Et concilium Tridentinum monet ut populus audiat concionem, nimirum, ubi, inquit, *commode id fieri potest*, id est sine rigorosa præcepti obligatione. Dum Augustinus (lib. L, hom. 25) ait non esse minus malum non audire verbum Dei, quam corpus Christi indigne tractare, intelligit de eo qui interius non vult recipere Dei verbum ut salvus fiat. 4° Non obligat ad faciendas sacras oblationes inter missarum solemnia; nam cap. *Omnis Christianus*, De consecr., d. 1, ad hoc tantum hortatur fideles. 5° Non obligat ad eliciendum actum amoris Dei super omnia, ut vult sine apparenti fundamento Scotus; nec talis actus est necessarius homini justo ut possit digne missam audire. 6° Non obligat exsistentem in peccato mortali, ut falso vult Angelus, ad eliciendum actum pœnitentiæ, contritionis, vel attritionis. Denique cum ob justam causam non potest quis audire missam, non tenetur illius loco aliquid recitare, aut aliud facere; nec qui illam omisit, tenetur aliis precibus illam eodem die compensare, aut sequenti die illam audire.

CAPP. XVII, XVIII.

De operibus die festo prohibitis; et an peccatum die festo commissum contrahat inde specialem malitiam.

Dico 1 : Præceptum abstinendi ab operibus servilibus habetur in jure, cap. 1 *De feriis*, cap. *Licet ab omni opere servili*, cap. *Conquestus*. Estque valde antiquum et ante sextam synodum, aliaque varia concilia, quæ id præceperunt, ut colligitur ex Clemente (lib. VIII *Constit.*, n. 33) dicente : *Omnes fideles die Dominico vacent;* atque ex aliis Patribus, Hieronymo, Augustino, etc. Attamen hæc operum prohibitio in die Dominico non fit tam arcte Christianis, quam olim fiebat Judæis in Sabbato, utpote vi præcepti divini : in Sabbato enim non licebat illis cibos præparare, manna colligere, balneis uti, etc., quamvis in aliis festis, excepto festo expiationis mensis septimi, possent cibos coquere, etc.

Dico 2° : Opera quæ hoc præcepto prohibentur, sunt tantum externa et corporalia, sed non omnia, non enim prohibetur iter agere, loqui, scribere, etc. Imo nec Judæis ipsis omnia erant prohibita, poterant enim in Sabbato iter agere ad certam distantiam, ducere adaquatum animalia, ea extrahere de fovea, etc. Sed nota triplex dici opus servile : *religiosum* quo Deo servitur, et hoc non prohibetur, sed jubetur; *humanum* quo homini servitur, de quo in cap. seq.; *peccaminosum*, quo peccato seu peccatis dæmoni servitur, et de hoc quæritur an specialiter vi prædicti præcepti prohibeatur? Quare

Dico 3 : Peccare in die festo non est speciale peccatum directe ac formaliter contrarium præcepto servandi diei festi quatenus prohibet opera servilia. Cajetanus, Soto, Almainus, etc., contra Alensem, Antonium, etc., dicentes omne peccatum in die festo commissum, præter malitiam quam ex objecto ac propria materia habet, habere aliam sacrilegii, contrariam huic præcepto, ideoque illam circumstantiam in confessione esse aperiendam. Probatur, quia præceptum servandi festi non obligat ad non peccandum in illo die, obligat enim tantum ad abstinendum ab opere servili, et ad audiendam missam. Sed peccatum non impedit audire missam; et quatenus peccatum est, non est opus servile nisi symbolice, nam non est opus servile imperare furtum, retinere alienum, ludere lusu injusto, fornicari, fornicationem desiderare, etc. Attamen :

Dico 4 : Probabile est tamen peccatum in festo commissum accipere aliquod novæ malitiæ augmentum dupliciter : 1° Augmentum malitiæ intra eam-

dem speciem, sed nullam sacrilegii malitiam addendo, quia majorem quamdam deformitatem cum recta ratione habet actus in tali tempore seu festo ad Dei cultum deputato factus, quam in alio: imo quidam id extendunt ad copulam conjugalem sine gravi causa aut necessitate habitam. 2° Augmentum malitiæ novæ contra religionem, non quia talis actus est prohibitus per hoc præceptum, sed quia iste dies seu istud tempus est dicatum cultui divino ac sanctificatum, ideoque per quodvis peccatum maxime mortale tunc commissum, quodammodo polluitur, violatur, irreverenter habetur; non tamen inde contrahit novam malitiam mortalem contra religionem, sed tantum venialem, adeoque non necessario confitendam, nisi directe fieret ex contemptu talis festi; tunc enim esset grave sacrilegium in confessione specialiter declarandum, quia ex formali intentione divino cultui opponeretur. Demum nil est quo probetur peccatum in festo commissum contrahere novam malitiam huic præcepto contrariam; dum enim Ambrosius dicit Deum prohibuisse in Sabbato sæcularia opera, non religiosa, explicat præcepti sensum mysticum, non litteralem. Augustinus tantum dicit posse in festo committi peccatum in se majus, quam sit ipsa festi violatio. Quod verum est. In cap. autem *Consideret*, multa habentur de consilio, non de præcepto. Denique opus peccati dicitur servire non in sensu litterali in quo opera servilia cultum divinum impedientia prohibentur hoc præcepto, sed in mystico.

CAPP. XIX, XX.

An intentio operantis ob lucrum vel stipendium reddat opus servile humanum, et in quo consistat.

Dico 1: Sola relatio operis ad lucrum temporale ex intentione operantis ut volunt Sylvester, Angelus, etc., non reddit illud servile et prohibitum, alioqui negotiatio seu mercatura aut studere spe lucri esset opus servile. Spe enim lucri temporalis operari non est proprium servorum, cum nobiles et principes ea intentione sæpe operentur. Neque sola relatio operis ex se liberalis ad stipendium seu mercedem temporalem ex intentione operantis, illud reddit servile ac prohibitum. Imo licet opus ex se foret servile ac prohibitum, si hic et nunc permittatur fieri ex justa causa, ac fiat propter stipendium, non propter hoc magis violatur festum, quam si sine stipendio ac gratis fieret. (Cajetanus, Navarra, Azorius, etc., contra prædictos.) Probatur, quia relatio ad mercedem non facit opus servile, sed mercenarium: si enim pro mercede intendatur honor aut dignitas, non hinc dicitur esse opus servile. Deinde duces bellici, magistratus, lectores, ministri Ecclesiæ operantur propter stipendium, non tamen dicuntur operari serviliter, aut facere opus servile, sed tantum mercenarium, quod Ecclesia non prohibet. Ecclesia enim prohibet ipsum opus servile in se spectatum, non intentionem operantis; si igitur in se non sit servile, non fiet servile ex intentione operantis, nec prohibitum. Quare

Dico 2: Ratio operis servilis in hoc maxime consistit, quod sit opus mechanicum et corporale non solum ex parte organi aut instrumenti, sed etiam ex parte proximi effectus, qualis est domus, vestis, etc., ad quem ex natura sua et vi suæ institutionis ordinatur; opus autem liberale, licet fiat etiam corporeo organo, non ordinatur tamen ad materialem passionem, sed ad spiritualem, v. gr. ad aliorum instructionem, cohortationem, etc.

CAPUT XXI.

De operibus naturalibus et mechanicis quæ die festo non prohibentur.

Dico 1: Opera naturalia die festo non sunt prohibita, v. gr. comedere, bibere, lavare manus aut totum corpus, vestiri, etc., non sunt enim proprie servilia, sed naturalia. Coquere vero cibos, et alia etiam delicata ad mensam requisita, quæ præcedenti die convenienter præveniri non possunt, præparare, licet sint servilia opera, tamen ex consuetudine populi Christiani per interpretationem legis quæ sic incepit ac semper duravit, non sunt die festo prohibita. Hinc ordinarie non licet panem coquere die festo, quia potest commode præveniri; si autem præveniri non potest ob populi multitudinem, vel ob continuationem plurium festorum, tunc posset ipso festo die coqui ac præparari, sicut alii cibi. Et sic de aliis.

Dico 2: Remedia necessaria vel convenientia ad salutem humani corporis, v. gr. scissio venæ, applicatio emplastri, potio medica, etc., quamvis etiam in casu necessitatis sint opera servilia, non sunt tamen illicita die festo; vel quia non prohibentur, ut jam dicebam de ciborum præparatione, vel quia necessitas excusat.

Dico 3: Opera corporalia et mechanica quæ sunt omnino cultui divino intrinseca, sive per quæ cultus divinus exhibetur, licita sunt die festo absque alia necessitate, quia non sunt servilia humana; non enim per illa servitur homini, sed Deo immediate. Idem dic de pulsatione campanarum, et similibus, quia accessorium sequitur principale. Quæ tantum remote concurrunt ad cultum divinum, v. gr. ornare et mundare altaria, sacras vestes præparare, etc., licet consultum sit pridie fieri, non videntur tamen etiam die festo prohibita; sed scopis templum mundare, tapetibus vestire, etc., sunt magis remota a cultu divino, et ex se servilia, ideoque non debent in festo fieri; non tamen, ut videtur, sub obligatione peccati mortalis ob levitatem materiæ et conjunctionem cum cultu divino, opera vero mechanica quæ remotissime tantum referuntur ad cultum Dei, v. gr. agros templi colere, ligna aut lapides ad templum ædificandum convehere, dealbare templi parietes, etc., sunt vere servilia et prohibita.

Dico 4: Opera misericordiæ corporalis, quæ ex se sunt servilia, v. gr. consuere vestem pauperis,

ligna illi devehere, etc., sine necessitate occurrente non licent die festo. (Cajetanus, Soto, Navarra, contra Sylvestrum, Angelum, Antonium, etc.) Licet enim sint opera pietatis, non ideo non sunt opera servilia et prohibita; alioqui omnes opifices possent laborare in die festo ad dandam ex lucro eleemosynam pauperibus; quod non licet nisi ob actualem necessitatem.

CAPP. XXII, XXIII, XXIV, XXV.

De operibus liberalibus in die festo non prohibitis; de scriptione et transcriptione.

Dico 1: Opera liberalia et non servilia non sunt in die festo prohibita, nec est peccatum contra festi observationem totum diem in eis consumere, et quacunque intentione fiant, modo non impediant ab audienda missa, quia lex expresse tantum servilia prohibet. Unde qui toto die Dominico, modo audiat missam, vacat sive theologiæ sive philosophiæ aut mathematicæ studiis, sive juri canonico aut civili, ob quemcunque finem, non peccat contra hoc præceptum; et idem est de eo qui docet quamcunque scientiam vel artem prout ad mentem pertinet sive voce, sive scripto fiat, v. gr. docendo aut addiscendo res mathematicas, si ducantur aliquæ figuræ, ad illustrandum intellectum. Prohibita autem sunt potius servilia, quam liberalia opera, quia illa sunt inferioris ordinis, multum occupant homines, et valde distrahunt mentem a rebus divinis.

Dico 2: Non videntur vetari opera quæ ex se nec servilia nec liberalia sunt, sed indifferentia ad utrumque; contra Cajetanum et alios. Si enim opus sit corporale, et circa materiam ac effectum corporalem versetur, nec sit quasi connaturale ad conservationem, propagationem, vegetationem corporis ab ipsa natura profluens, sed industria vel arte hominis inventum et ordinatum principaliter ad corporalem seu sensibilem usum, tunc est servile; est autem liberale si non habeat istas conditiones, nec erit prohibitum generali operis servilis prohibitione, nisi alia lege aut consuetudine prohibeatur.

Dico 3: Scriptio de se, juxta omnes est opus liberale, et non servile, quia est opus mentis non solum effective et directive, sicut omne opus servile seu mechanicum, sed etiam terminative et quasi finaliter; spectat enim conceptus et mentis notitiam. Unde qui die festo scribit, sive per se ipsum scribat exprimendo proprios conceptus, sive scribat excipiendo alterius dictata tanquam discipulus, sive scribat tanquam amanuensis, mercede conductus aut gratis, intelligendo quæ scribit aut non intelligendo, non facit aliquid contra præceptum servandi festi, utpote qui nihil facit servile. Actus itaque scribendi nunquam est prohibitus ex vi generalis prohibitionis operis servilis; an vero interdum speciali lege prohibeatur etiamsi liberalis sit, saltem ut pars actus judicialis vel mercaturæ, postea dicetur: ita certo Cajetanus, Navarra, Medina, etc., contra Richardum, Angelum, Sylvestrum, etc., putantes scribere ob lucrum seu mercedem esse, seu fieri opus servile, adeoque prohiberi. Sed probatur, quia opus secundum se liberale non transit in servile eo quod fiat ob lucrum, ut supra probatum est, cum juxta illos scriptio sine lucri intuitu facta, sit opus liberale; ergo etiam facta ob lucrum non est opus servile: nulla enim in rei natura est differentia inter scriptionem ob lucrum, et sine lucro factam; quia fieri ob lucrum, aut non intelligere quod ego ut amanuensis scribo, est quid accidentale ipsi scriptionis actioni.

Dico 4: Transcriptio, etiamsi fiat ob lucrum, non est opus servile, sed liberale, adeoque festo die non prohibitum. (Medina, Lud. Lopez, etc.) Quia transcribere, non est ex se opus servile, v. gr. transcribere lectionem omissam, accipere lectionem scripto a præceptore, eam ex suis scriptis dictante, etc. Est enim opus spirituale, opus doctrinæ, actus mentis, actus a mente procedens et ad illam ordinatus; ergo cum transcriptio, sine mercede facta sit opus liberale, nec prohibitum, etiam ob mercedem seu lucrum facta, est liberale nec prohibitum, quia, ut jam dictum est, nulla actio ob solam mercedis actionem transfertur ex non servili ad servilem. Hinc nec opus servile facit is qui mercede conductus transcribit ad alterius usum sine suo proprio profectu spirituali seu mentis. Aliud est de impressione, quæ sine dubio est opus servile, quia non fit per modum locutionis, et expressionis conceptuum mentis, sicut transcriptio.

CAPP. XXVI, XXVII, XXVIII.

An pingere, iter agere, saltare, venari, piscari, militare sit prohibitum in die festo.

Dico 1: Pingere ex genere suo et ex se videtur esse opus servile, adeoque die festo prohibitum; contra Medinam et Lud. Lopez negantes unquam esse servile; et contra alios dicentes esse servile, si pingatur lucri gratia; secus vero, non. Probatur: Quia ars pingendi est mechanica, estque opus corporale terminatum ad extrinsecam materiam et dirigibile per artem mechanicam, ac proinde die festo prohibitum, sive ob pretium sive absque pretio aut pietatis soliusve recreationis causa fiat, nisi forte interdum excuset levitas materiæ, consuetudo, moralis necessitas, benigna Ecclesiæ interpretatio in re levi servili quasi liberali. Unde per se nec licet die festo pingere ad artem addiscendam, adhibendo opus corporale.

Dico 2: Non est servile nec per se prohibitum die festo iter quantumvis longum agere, quamvis quidam velint id licere tantum ex universali consuetudine, sicut coquere cibos die festo etc. saltem certum est omnino licere. Hoc enim opus animum non impedit, quominus possit vacare Deo, etc.; per se tamen loquendo non licet iter agere ducendo bestiam aut currum onustum, ita ut oporteat onera nunc attollere, nunc imponere, nunc etc., nisi ne-

cessitas aut levitas materiæ excuset. Sed si iter ante diem festum bona fide inchoatum sit cum his oneribus, tunc in die festo licebit id continuare vel ob publicam utilitatem, vel ob notabile damnum quod paterentur iter agentes, ac maxime agasones seu muliones. Quod vero attinet ad itineris inchoationem cum hisce oneribus, non est facile admittenda consuetudo illud inchoandi die festo; secus si sit simplex iter. Hinc si isti agasones ducant animalia sine oneribus, non est illicitum die festo illa conducere ab uno loco ad alium, quod hoc est tantum iter agere. Similiter, ut ait Cajetanus, dum homines lectica aut curru vehuntur, licet omnia facere, quæ ad illorum iter requiruntur aut ordinantur, v. gr. lectum, necessaria ad mensam, aut etiam cibum jumentorum deferre, si opus sit; quia hæc omnia vel accessoria itineri ut sic, vel parva censentur, vel consuetudine recepta sunt.

Dico 3: Saltationes, choreæ, tripudia, musica non sunt opera servilia, quacunque intentione fiant, etiam mercenarie; adeoque ex vi prohibitionis generalis operum servilium, non sunt prohibita. Aliunde tamen possent esse peccata venialia, imo et mortalia si interveniret grave scandalum aut festi contemptus.

Dico 4: Venatio ut sic et secundum se spectata (et idem est de piscatione), videtur esse opus servile a quacunque persona et quacunque intentione fiat, quia ut ex dialectica constat, inter artes mechanicas recensetur, estque opus corporale, laboriosum sistens omnino in materia et effectu corporali, adeoque per se prohibetur in die festo; quia sub generali operis servilis prohibitione continetur, et si qua venatio recreationis causa facta excusetur, erit excusatio ob levitatem materiæ et ex quadam morali necessitate ad vitandum otium vel alia; et hæc quidem excusatio non displiceret, si foret venatio moderata et tantum a prandio per duas aut tres horas. Attamen quia difficile est damnare illos omnes, qui majorem sumunt licentiam, ideo potest addi alia excusatio ex consuetudine, quæ potest legi derogare: et hac in re videtur derogasse scientibus et tolerantibus Ecclesiæ pastoribus. Unde etiam piscatio in hominibus recreationis causa facta ex eadem consuetudine, licet; maxime quando est moderata, et sine magno labore in ea ministrantium. Piscatio vero, quæ fit in mari, non est in consuetudine, ideoque non licet.

Dico 5: Opus militare quoad exsecutionem, seu opus actualis pugnæ de se servile est, non vero quoad directionem; regere enim militiam et necessaria ad illam injungere aut ordinare, liberale est et opus mentis. Militaris enim ars inter mechanicas numeratur, et artifices qui gladii et armorum usum alios docent mechanici censentur, atque ita actio bellandi de se est in festo prohibita; quamvis per accidens et ex causa interdum toleretur ac permittatur. Unde bellum defensivum est in festo licitum ratione necessitatis; secus aggressivum, etiam justum, nisi per epiikiam et dispensationem fiat ex c. *Licet*, De feriis, si se offerat bona occasio consequendi victoriam, quæ semel amissa, non solet facile redire.

Deinde tempore pacis solent fieri diebus festis quædam exercitationes et demonstrationes militares, quæ non solum ratione consuetudinis damnari non possunt, sed etiam ratione moralis necessitatis, quia commode aliis diebus fieri non possunt: et insuper ea, quæ tunc fiunt, parum aut vix aliquid ex opere servili habent, potiusque ad memoriam exercendam, aut ad personarum notitiam habendam, quam ad militiam exercendam spectant; et si quid servile immiscetur ex aliis causis cohonestatur.

CAPP. XXIX, XXX.

De actionibus liberalibus speciali jure in die festo prohibitis.

Dico 1: Hæc quatuor actionum liberalium genera in cap. 1 *De feriis* prohibentur fieri die festo: mercatus, placitum, judicium ad mortem vel ad pœnam, juramentum. Et in cap. ult. *De feriis*, prohibetur omnis strepitus judicialis. Itaque per vocem *mercatus* prohibentur omnes contractus emptionum, venditionum, locationum, permutationum; non tamen emptio rerum ad ipsius dici festi potum et cibum necessariarum quæ commode ante illum diem emi non possunt, nisi excuset parvitas materiæ, et communis usus, aut moralis occurrat necessitas. Item prohibentur publicæ nundinæ, quæ semel aut bis in anno fiunt, uti et privatæ quæ semel in hebdomada celebrantur, ac omnes privati contractus, maxime si publice aut publica auctoritate fiant. Si autem alicubi prævaluit consuetudo ut publicæ nundinæ fiant in die festo ob varias causas, quæ possunt subesse, tunc ibi cessat prohibitio; et idem dic de privatis, sed pro his non videtur ita prævaluisse consuetudo. Interdum tamen in parvis oppidis publice solent fieri die festo venditiones, quia aliis diebus pauci essent emptores et res vili pretio venderentur; interdum etiam fieri potest venditio in gratiam emptoris, qui forte est rusticus aut peregrinus, qui alio die ibi adesse nequit, vel tunc tali re indiget, aut etiam in gratiam venditoris, qui alio die non posset vendere ex emptorum defectu. Denique pro variis hujusmodi casibus attendenda legitima consuetudo.

Per vocem *placitum*, intelligitur lis seu ipsum judicium civile, omnesque personæ et actiones forenses quæ intrinsece pertinent ad acta civilis judicii, v. g. citatio partis, formatio processus, cognitio causæ, prolatio sententiæ civilis, ad cujus differentiam additum est supra, *judicium ad mortem vel ad pœnam*, id est judicium criminale. Si autem festum sit in uno loco, et non in alio, tunc cessatio ab omni strepitu judiciali servanda est die festo in loco in quo est judex, causa tractatur, et judicium ordinatur: possent tamen in

alio loco, in quo non est festum, testes examinari, advocatusque ac tabellio ibi suo fungi munere. Nunc quoad totum strepitum judicialem.

Dico 2 : Omnes strepitus judicialis actiones ita sunt prohibitæ die festo ut neque ex conventione partium fieri possint, et si quovis modo fiant, jure canonico ipso facto sunt nullæ seu irritæ, cap. ult. *De feriis*. Contra vero mercatus seu contractus die festo initus, et ejus instrumentum factum extra judicium licet sint illicita, sunt tamen valida; lex enim prohibens mercatum, non illum irritat, ut patet ex dicto cap. 1 : lex autem prohibens acta judicii, illa irritat ut habetur ex cap. ult. *De feriis*. Hinc quoad initium causæ :

Dico 3 : Citatio facta pro die festo est iniqua et invalida, quia sensus est citari partem ut in die festo respondeat ; secus autem facta usque ad talem diem festum, vel ut compareat intra octo dies, licet intra illos sit festum. Est etiam invalida in die festo facta, ut pars compareat in die profesto seu feriali, sive citantis mandatum intimetur isto die festo, sive in alio feriali. Item si judex dedit mandatum in die feriali, intimatio autem facta sit in die festo, sive ex vi ipsius mandati ita injuncti, sive per accidens ex culpa ministri : talis etiam citatio est nulla et invalida ; poterit tamen valida esse, si postea die feriali eadem rursus fiat. Jam vero quoad processus formationem et causæ cognitionem.

Dico 4 : Non potest die festo exigi juridicum juramentum, maxime solemne sive a testibus sive a partibus. Cum autem testes non possint dicere testimonium nisi prævio juramento, sicut non possunt jurare die festo, ita nec examinari ; imo quamvis prius in die feriali fecissent juramentum, post tamen in die festo non possunt examinari, quasi hoc examen retrotraheretur ad diem juramenti, quia ista retrotractio ficta est, cum actus fiat ipso die festo ; non est autem admittenda fictio a jure non introducta nec probata : ita Antonius contra quosdam. Denique prædicta prohibitio probabilius extenditur ad judicium non tantum causarum temporalium, sed etiam spiritualium, uti et ad examen testium et juramentum ; et in utrisque sola excusat necessitas, vel pietas, ut habetur in cap. ult. : *Nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat*. Nunc de fine causæ.

Dico 5 : Licet causæ sententia sit prohibita in die festo, non tamen omnis ; nam excommunicationis sententia non est prohibita (Cajetanus, Freherus, etc., contra Antonium). Multo minus est prohibita absolutio ab excommunicatione. Item nec prohibentur actus voluntariæ jurisdictionis, v. gr. dispensatio, indulgentiæ, privilegii concessio, etc., quia ista omnia fiunt sine strepitu judiciali, sine lite et contentione. Sententia in die feriali prolata, non potest valide juxta veriorem sententiam executioni mandari die festo, intervenit enim illic strepitus judicialis. Quoad appellationem, doctores juristæ communiter docent eam licere die festo interponere, sed non prosequi : ex juribus tamen inter se collatis videtur tantum colligi illam licere, quando necessitas urget, aut præfinitus dierum numerus ad appellandum finitur quacunque ex causa, adeoque consulendum est ut in die feriali fiat, quotiescunque commode fieri potest.

Dico 6 : Licet advocato in die festo informare judicem, quia est actus extrajudicialis, nec servilis, ac proinde nullo jure prohibitus, uti nec officium internuntii ; secus autem judicium veri arbitri, causam coram eo agendo. Item nec omne extrajudiciale juramentum videtur prohiberi : nam cap. 1 *De feriis* prohibetur mercatus, judicium et juramentum ; ergo juramentum quo firmatur mercatus seu aliquis contractus, est ibi prohibitum, licet sit extrajudiciale ; sed isti prohibitioni additur ibidem hæc exceptio : *Nisi pro pace vel alia necessitate ;* ergo juramenta extrajudicialia firmantia pactum, quo pax ac concordia inter inimicos initur, aut causa pia agitur, non sunt prohibita.

Dico 7 : Prohibitioni strepitus judicialis die festo exercendi additur hæc exceptio in cap. ult. *De feriis : Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*. Potest ergo quævis causa judicialis sive civilis, sive criminalis, sive temporalis, sive spiritualis die festo sine dispensatione tractari : 1° Si necessitas vel litigantium vel publicæ utilitatis urgeat., v. gr. latro suspectus de fuga, poterit die festo conjici in carcerem, atrox delictum ac scandalosum judicari ac puniri ad populi frequentioris instructionem, etc. 2° Si pietas, id est misericordia pauperum, paupertas litigantium, aut alterius piæ causæ indigentia exigat, ut causa die festo tractetur seu expediatur.

CAPP. XXXI, XXXII.

Quomodo prohibitio cessandi ab operibus die festo obliget, et quæ causæ excusent.

Dico 1 : Hæc prohibitio obligat sub mortali, adeoque ejus transgressio ex suo genere est peccatum mortale, licet ex levitate materiæ aut alia ex causa possit esse veniale. Quantum autem tempus in laborando requiratur ut sufficiat ad peccatum mortale, juxta qualitatem et laborem operis, prudenti judicio videtur esse determinandum ; nimis enim laxum est, ut volunt aliqui, requirere tertiam diei partem, et nimis strictum, ut alii dicunt, requirere tantum unam horam integram. Hujus præcepti obligatio durat a media nocte usque ad mediam noctem, universali saltem consuetudine et Ecclesiæ traditione ; licet alicubi posset dari præceptum vacandi tantum per aliquam diei partem, aut mutando initium ac finem. Dum in cap. 1 *De feriis* dicitur Dominica observanda esse a vespera usque ad vesperam, et illo tempore abstinendum esse ab omni opere, videtur ibi sumi *vespera* pro nocte, et non determinari punctum noctis, a quo incipit dies festus, sed intelligendum esse juxta

communem consuetudinem. Quod attinet ad ecclesiasticum diei festi officium incipit pridie a primis vesperis, et finitur vel in vesperis vel potius in completorio sequentis dici.

Dico 2 : Quadruplex præcipue datur causa quæ excusat a vacatione operum servilium in die festo :

1. Est propria necessitas urgens, quæ præveniri non potuit, vel quia est repentina, vel quia multis diebus durat, vel quia usus et conditio humana aliud non patitur, v. gr. necessitas conservationis vel sustentationis propriæ vitæ aut suæ familiæ. Hinc excusantur veri pauperes qui non possunt se aut suam familiam sustentare, nisi laborent die festo, modo id faciant sine scandalo, seu secreto, et modo necessitas sit certa ; si enim est dubia, petenda est a pastore licentia seu dispensatio. Sic excusantur agricolæ, qui ad tuendas suas segetes die festo laborant, et vitriarii, qui inchoatum opus continuant die festo. Item multi excusant famulum, qui jussu heri cogitur ad laborandum die festo, nec potest ei non obedire sine gravi damno, quia vel privaretur stipendio alimentove necessario, vel domo ejiceretur sine spe reperiendi facile alium commodum famulatum.

2. Publica necessitas, v. gr. in urbis obsidione, in adventu regis, in communitatis penuria, quædam opera servilia possunt fieri, quæ nec præveniri nec differri possunt.

3. Necessitas proximi, etiam privata, v. gr. laborare ad subveniendum saluti aut vitæ proximi, ejus domus incendio, etc.

4. Pietas erga Deum vel proximum, v. gr. deferre imagines aut cruces in supplicatione, etc.

CAPUT XXXIII.

De dispensatione hujus præcepti.

Dico 1 : Potestas dispensandi in festis residet primo in papa, deinde in episcopo, qui non solum in propriis festivitatibus, sed etiam in generalibus totius Ecclesiæ festis dispensare potest ; licet enim episcopi non possint generaliter in suo episcopatu generalia festa tollere quia ex se, ut constat, non habent hanc potestatem nec hoc illis est concessum vel jure scripto vel consuetudine, possunt tamen in horum festorum observatione dispensare cum particularibus personis aut populis quoad aliquot actus, quia hæc potestas moraliter necessaria est ad ordinarium animarum regimen pro casibus repentinis vel extraordinarie occurrentibus. (Antonius, Cajetanus, Sylvester, Navarra, etc., communiter.) Hinc in parvis oppidis, quando non potest facile recurri ad episcopum, parochus potest dare licentiam ad breve tempus et pro ratione occasionis actualiter occurrentis.

Dico 2 : Episcopus in proprio sui episcopatus festo sine causa dispensans, valide sed illicite dispensat ; in festis juris sine causa dispensans, illicite et invalide dispensat, utpote in lege superioris. Quando causa est clara et sufficiens, non eget quidem dispensatione, sed quando non est clare sufficiens, aut est dubia, tunc eget ; uti et ad tollendam scandali occasionem, dum illa non est publice nota, et opus servile faciendum, publicum est. Non est necesse habere scripto dispensationem : sufficit manifesta dispensantis voluntas ; in casu autem practice dubio non videtur licere uti præsumpta tantum prælati voluntate, ac spe ratihabitionis.

Dico 3 : Ipso jure, in cap. *Licet*, De fer., datur dispensatio ad piscandos haleces, dum tempus istius piscationis advenit, cum onere faciendi postea eleemosynam, et extenditur ad similes piscationes ; non tamen ad privatam privatæ personæ utilitatem ; sed inspicienda est præcipue publica utilitas, quam pontifex in illa dispensatione ac textu spectavit. Item cap. *Conquestus*, datur licentia faciendi ea quæ ad judicium forense spectant, *si necessitas urgeat*, vel *pietas suadeat*, de quibus supra jam dictum est. Denique consuetudine fieri potest ut aliquæ personæ licite possint quædam opera servilia aut aliter prohibita, in festo exercere, si adsit saltem tacitus prælatorum consensus, qui adest dum videndo et tacendo illam tolerant ; et hæc dici potest tacita dispensatio. (Antonius, Sylvester, Cajetanus, etc.) Hinc possunt excusari tonsores per aliquod tempus die festo tondentes capillos et radentes barbas, artifices ad vesperam in die festo præparantes materiam laboris die sequente faciendi, mundantes instrumenta, etc.

LIBER III.

De locorum sacrorum debita reverentia.

CAPUT PRIMUM.

Quonam præcepto debeatur locis sacris reverentia ; affirmativo an negativo.

Dico 1 : Nullum est speciale præceptum colendi Deum in loco sacro seu ecclesia, nisi prout aliqua divini cultus actio extra illum non potest legitime exerceri ; nam præceptum *naturale* colendi Deum ubi vis potest impleri : *Spiritus est Deus ; in Spiritu et veritate debet adorari* (*Joan.* IV, 24). Nec positivum audiendi missam ullum locum determinat, quia ubicunque dicatur et audiatur missa, v. gr. in privato oratorio, in campo sub dio, aut sub tentorio, impletur præceptum ; quamvis Ecclesia præcipiat missam dici in templo (quod est aliud præceptum), et antiqui canones interdum præcipiant audire missam in propriis ecclesiis, saltem in quibusdam ma-

joribus solemnitatibus; sed jam, generatim loquendo, hoc simpliciter non est sub præcepto.

Dico 2 : Nullum datur affirmativum præceptum absolutum exercendi aliquem venerationis seu cultus actum erga loca sacra seu templa; dum enim occurrit obligatio colendi exterius publice et in templo Deum, hoc satis impletur exercendo ipsum cultus actum immediate et directe erga Deum, licet nec formaliter, nec materialiter terminetur ad locum, nisi tantum per accidens, quatenus iste Dei cultus fit in tali loco. Ac proinde præceptum reverenter loca sacra tractandi, quamvis præcepti affirmativi speciem habeat, in negativum tamen resolvitur; quia sufficienter impletur abstinendo se ab omni irreverentiæ aut injuriæ actu erga illa. Datur tamen affirmativum præceptum conditionatum, id est si quis velit ad templum accedere, et in eo aliquid, quod illius sanctitatem attingat, agere, debet illud reverenter præstare. Unde ob debitam illi reverentiam non tantum tenemur omnem actionem factam ex directa et formali intentione in ejus despectum et contumeliam vitare, quod semper est peccatum mortale; sed etiam omnem exteriorem actum, qui in se continet templi irreverentiam, quacunque fiat intentione.

CAPUT II.

De actibus sacrum locum polluentibus, ac in eo prohibitis.

Dico 1 : Quinque sunt actus quibus Ecclesia polluitur, et de iis fusius agitur in tomis *De sacramentis* ac *De censuris;* ideoque hic tantum breviter exponuntur : 1° est homicidium voluntarium, non casuale omnino, in ecclesia perpetratum; 2° sanguinis effusio; 3° humani seminis effusio; 4° sepelire excommunicatum vitandum : per sepulturam excommunicati qui non est vitandus, non polluitur; 5° sepelire paganum seu non baptizatum. Ecclesia per incendium non polluitur, sed amittit, vel non amittit consecrationem juxta quantitatem destructionis. In tribus primis casibus non polluitur ecclesia nisi actio sit voluntaria et facta cum gravi culpa; contra in duobus ultimis. Polluta ecclesia debet orationibus et aspersionibus juxta Ecclesiæ ritum reconciliari, seu purgari, sed prius si sint ibi humana corpora prædicta, licet sine culpa, debent auferri; alioqui non possunt in ea divina celebrari, nec fideles sepeliri.

Dico 2 : In tribus primis casibus actus non ideo est malus, quia per ipsum polluitur ecclesia, sed quia est malus et gravis loci sacri irreverentia; ideo in ejus detestationem et quasi pœnam Ecclesia statuit per illum pollui locum sacrum seu templum, ei interdictionem imponendo. Non tamen ex eo quod per talem actum polluatur ecclesia, intrinsece sequitur illum esse peccatum mortale, nisi vel formaliter sit prohibitus sub mortali, vel de se sit malus malitia mortali, sicut in irregularitate; ex eo enim quod Ecclesia statuit aliquem fieri irregularem per quemdam actum, non necessario sequitur istum actum esse peccatum mortale. Jura, quæ de violatione ecclesiæ loquuntur, supponunt ejus prohibitionem. Hinc :

Dico 3 : An quinque actus supra enumerati sint sacrilegi, quia ab Ecclesia prohibiti; an vero quia in ecclesia facti, contrahant inde ex se adjunctam sacrilegii malitiam, disputatur. De tribus primis dicetur in capite sequenti, hic de duobus ultimis tantum. Quare, 1° quoad actum sepeliendi in templo excommunicatum vitandum, constat illum esse sacrilege malum, et per illum ecclesiam pollui, ob solam immediatam Ecclesiæ prohibitionem; quia si Ecclesia hoc non prohibuisset, non esset ex se malum sepelire talem excommunicatum in loco sacro, nec inde hæc pollueretur, cum nunc per excommunicati non vitandi sepulturam non polluatur. Similiter non nominatim ac personaliter interdictus prohibetur sepeliri in loco sacro, sed non videtur pollui per ejus sepulturam; quia ista pœna in jure non exprimitur, nec de ea doctores mentionem faciunt. 2° Quoad actum sepeliendi hominem paganum in loco sacro, est malus, et per eum polluitur locus ob solam etiam Ecclesiæ prohibitionem. Per *paganum* intelligitur, quilibet non baptizatus, adeoque infans, filius Christianorum, et catechumenus non baptizati prohibentur sepeliri in templo. Nec quia paganum adultum esse damnatum constat, ideo polluitur Ecclesia, sed quia hanc pœnam Ecclesia statuit; alioqui per sepulturam Christiani certe impœnitentis, v. gr. publici usurarii, sese voluntarie occidentis, etc., qui prohibentur sepeliri in templo, templum pollueretur. Quod tamen falsum est, quia hoc in jure non expressum est; imo si Ecclesia non prohibuisset, posset etiam sepeliri in ecclesia ad humanum honorem ob personæ dignitatem, conditionem, etc.

CAPUT III.

An omne opus profanum in ecclesia factum repugnet loci sanctitati.

Dico 1 : Non omne opus negative tantum profanum, id est opus quod ad religionem et cultum Dei non spectat, v. gr. actus eleemosynæ, patientiæ, etc.; imo et actus indifferens ob honestum finem factus, repugnat loci sanctitati, quia id non est contra reverentiam sacro loco debitam.

Dico 2 : Opus positive profanum quod ex natura sua et seclusa formali operantis intentione positive repugnat loco sacro, ut sacer est, nullum dari sentiunt Cajetanus, Soto, Navarra, Sanchez, etc. Sed dicunt illud positive repugnare tantum loco sacro ob positivam Ecclesiæ legem prohibentis, ne tale opus, v. gr. tale peccatum, in loco sacro fiat in illius irreverentiam, et inde sacrilegii speciem contrahere; quia, inquiunt, non omnia peccata facta in loco sacro sunt sacrilegia : imo quidam actus de se non mali, fiunt mali si fiant in ecclesia, quia ibi fieri prohibentur. Alii autem, nempe Sylvester, Cordubensis, Medina, etc., videntur verius dicere (sed cum aliqua explicatione, de qua in capitibus sequentibus)

omne peccatum factum in ecclesia contrahere ex ipsa rei natura, et seclusa omni Ecclesiæ lege seu prohibitione, malitiam specialem sacrilegii sive mortalem sive venialem juxta circumstantias; deinde inter alios actus, qui extra ecclesiam facti non sunt peccata, aliquos contrahere malitiam sacrilegii, sæpe ex speciali Ecclesiæ prohibitione, interdum etiam ex natura rei, si fiant in ecclesia. Sed de his magis sigillatim agendum est. Itaque :

CAPUT IV.

De actionibus forensibus in templo fieri prohibitis.

Suppono 1. Ecclesiam habere potestatem ita prohibendi aliquas actiones in locis sacris, ut eo ipso quo ibi fiunt contra ejus prohibitionem, sint sacrilegæ, licet ex se tales non sint; sicut efficere per suam legem potest, ut comedere carnes tali die, sit peccatum intemperantiæ, licet ex se comedere carnes non sit peccatum.

2. Actum aliquem posse fieri sacrilegum ob legem positivam, sine qua non esset sacrilegus, duobus modis, scilicet vel antecedenter seu præsuppositive, dum fit aliquid contra reverentiam rei ex positiva Christi aut Ecclesiæ lege sanctificatæ, v. gr. contra sacrum chrisma; vel formaliter per directam prohibitionem, v. gr. si prohiberetur chrisma servari extra ecclesiam, et extra eam servaretur.

3. Actiones forenses, alias ad placitum seu strepitum judicialem, alias ad mercatum seu negotiationem pertinere. His suppositis :

Dico 1 : Placitum seu strepitus judicii sæcularis, ecclesiastica lege fieri in templo ac cœmeterio prohibetur, ita ut nec vel ex ipso clericorum aut prælatorum consensu sit licitus. Dixi *sæcularis*, quia placita seu judicia ecclesiastica in templis permittuntur (cap. ult., quæst. 2) exerceri, quia nempe hæc fieri solent minori strepitu, et breviori tempore. Ex usu tamen fiunt in palatio episcopali, vel in alio loco convenienti. Prædicta prohibitio obligat ex suo genere sub mortali; est enim materia sat gravis et necessaria ad communem pacem, et Ecclesiæ utilitatem, spectatque ad virtutem religionis; et quidem quoad causas sanguinis, prohibentur sub ferenda censura, insuper non tantum prohibentur ejusmodi placita, sed etiam annullantur; non tamen annullantur quæ in domibus ecclesiæ extra ecclesiam fiunt, nec acta jurisdictionis voluntariæ, etiam sæcularia, adeoque nec sunt prohibita in ecclesia fieri, uti nec collatio gradus doctoratus, nec concilium sæculare tractans de rebus temporalibus et politica gubernatione, modo ista non perturbent divina officia; hoc tamen ultimum in cap. *Decet* prohibetur. Denique ecclesia non debet converti ad belli usus, ut in illa quasi arx constituatur, excepta necessitate urgente in bello defensivo.

Dico 2 : Mercatus seu negotiatio est etiam jure ecclesiastico actus prohibitus in templis ac cœmeteriis fieri, non tamen invalidus, uti habetur cap. *Decet*. Atque hæc prohibitio ecclesiastica magnum habet fundamentum in lege naturali quæ dictat fieri non necessario quidem, sed ordinarie injuriam loco sacro per negotiationis actus, ipso Christo id indicante, cum ementes ac vendentes e templo ejecit.

CAPP. V, VI.

De actionibus furti, aliisque in templo fieri prohibitis jure ecclesiastico.

Dico 1 : Jus ecclesiasticum, cap. *Quisquis* 17, quæst. 4, sic furtum prohibet: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro* (v. gr. calicem de templo seu in templo), *vel non sacrum de sacro* (v. gr. marsupium hominis in templo), *aut sacrum de non sacro* (v. gr. calicem extra templum). De primo et tertio modo hujus sacrilegii hic non agitur, sed de secundo. Juri ecclesiastico civile non est contrarium, dum dicit in hujusmodi furto non dari actionem sacrilegii, sed furti; quia non spectat ad jus civile dijudicare sitne sacrilegium, an non, sed domino ob rem suam ablatam dare actionem. Nihilominus quidam theologi negant esse sacrilegium furari rem laicam seu profanam in ecclesia, nisi sit sub speciali templi custodia deposita aut oppignorata; adeoque dicunt istam templi circumstantiam non esse de necessitate confessionis. Sed verior aut omnino vera videtur esse communis sententia, quæ sine ulla distinctione asserit furtum factum in loco sacro esse sacrilegium, adeoque mortale ex suo genere, licet possit esse veniale ex levitate materiæ; nam furtum rei sacræ potest hoc modo etiam esse veniale, et probabiliter quotiescunque furtum est in ratione injustitiæ veniale, etiam in loco sacro factum, erit veniale in ratione sacrilegii. An autem quotiescunque est mortale in ratione injustitiæ, sit etiam mortale in ratione sacrilegii, definiendum prudentibus relinquo juxta modum furandi; generaliter tamen judico tunc circumstantiam loci sacri esse in confessione aperiendam tanquam mortifere aggravantem in alia specie.

Dico 2 : Particularia supellectilia non sunt admittenda intra ecclesiam extra casum necessitatis, ex cap. *Relinqui*. Deinde multa etiam prohibentur circa Ecclesiam in cap. *Decet*, quorum transgressiones juxta Navarram, Angelum, Tabiam, etc., sunt solum venialia, nisi interveniat contemptus vel grave impedimentum; attamen illa quæ ibi vetantur, non quæ suadentur tantum, censeo importare obligationem vel sub mortali vel sub veniali juxta materiæ capacitatem. Hæc autem ibi vetantur fieri in templo : seditio, sæcularia concilia, de quibus supra; fœda colloquia, non vero honesta extra divini officii tempora. Alibi in jure vetantur etiam ludi turpes, non honesti aut pii; item convivia, quantum fieri potest.

CAPUT VII.

An aliqua opera in templo facta, ex lege naturali absque Ecclesiæ prohibitione, sint mala ob loci circumstantiam.

Dico 1 : Multa sunt opera quæ licet nec de se et ex natura rei, nec ex Ecclesiæ prohibitione sint

mala, tamen male et inordinate in templis fiunt contra illorum reverentiam; v. gr. actus conjugalis de se non est malus; et licet in templo Ecclesia eum fieri non prohibuisset, tamen in eo factus adhuc foret malus, et malitia quidem mortali juxta multos auctores ob suam fœditatem et turpitudinem naturalem quæ virtualem continet loci despectum, nisi quando adest urgens necessitas ob animæ periculum; tunc enim cessat contemptus et irreverentia, adeoque obligatio legis naturalis, et a peccato excusat. Multo magis fornicatio occulta in templo facta (quæ licet quandiu remanet occulta, non censeatur publice polluta ecclesia, et idem dic de pollutione illicita occulte in templo facta) contrahit specialem sacrilegii malitiam. Quare omnes actiones, quæ ex natura rei habent indecentiam in loco sacro, si in illo fiant, contrahunt specialem sacrilegii malitiam, non mortalem semper, sed sæpius venialem, nisi dum stricta Ecclesiæ prohibitio intervenit, aut actio est tam turpis ut censeatur gravem loci sacri injuriam continere. Unde :

Dico 2 : Omne peccatum saltem externum in ecclesia patratum habet aliquam sacrilegii malitiam saltem venialem, raro autem mortalem, nisi ubi Ecclesiæ prohibitio intervenit, aut gravis in ipso actu irreverentia apparet. Dixi *externum*, quia interna mala cogitatio aut desiderium peccati in ecclesia habitum nullam inde contrahit sacrilegii malitiam, quia cum iste actus non sit sensibilis per se, non fit in loco sensibili, atque ita contra illum non continet irreverentiam : contraheret autem si esset desiderium patrandi peccati in ipsa ecclesia, v. gr. furandi aut fornicandi in ecclesia, quia tunc actus internus a circumstantia objecti concupita cum illo, sive a loco sacro accipit malitiam illi proportionatam. Peccata autem externa ordinem dicunt ad locum sensibilem, ac dum sunt mortalia simulque ab Ecclesia fieri in templo prohibita, qualis est sanguinis ac seminis effusio, semper contrahunt mortalem sacrilegii malitiam; et interdum, licet non sint ab Ecclesia prohibita, si sint tamen valde turpia, qualia probabilius censeri possunt tactus impudici in partibus inhonestis, etiam mortalem contrahunt. Cætera vero peccata mortalia in templo facta, quæ tantam turpitudinem et loci irreverentiam ex se non continent, nec sunt ab Ecclesia prohibita, venialem tantum sacrilegii malitiam ordinarie contrahunt, si absit grave scandalum.

CAPP. VIII, IX.

De immunitate ecclesiarum.

Dico 1 : Duplex est hæc immunitas : alia templi, alia bonorum ejus. De prima hic agitur, per quam Ecclesia habet jus ut illæsa et integra conservetur, sive circa se, sive circa sua bona : v. gr. ut non infringantur ipsius fores, non spolietur suis bonis, etc. Hocque jus extenditur ad ejus confinia per quadraginta passus pro majori ecclesia, per triginta pro minori, et ad domos quæ in eis exsistunt. An vero hoc privilegium quoad totam istam distantiam passuum nunc integre persistat, videtur standum consuetudini, quæ habet ut hoc privilegio templum cum suo cœmeterio quantumvis magno gaudeat, item et templi domus eo gaudeat, ita ut sæcularia judicia non possint in eis exerceri. Deinde materia ecclesiæ dirutæ non potest ad profanos usus transferri. Vetantur in ea sepeliri excommunicati majore, non minore, excommunicatione, usurarii, sui interfectores, sicut supra explicatum; imo olim vetabatur generaliter fidelium omnium sepulturam fieri intra ecclesiam, sed contraria invaluit consuetudo; insuper ecclesia debet esse locus ab omni usu profano separatus.

Dico 2 : Ecclesiis concessum est, ut delinquentes qui ad illas confugiunt, per vim extrahi non possint. Hæc immunitas non est de jure naturali, nec de divino positivo legis sive veteris sive novæ; sed de jure canonico eam statuente, et civili adjuvante, videturque circa Constantini tempora cum ipsa solemni templorum dedicatione sumpsisse initium. Imo, juxta Abulensem, templum antiquum Jerosolymitanum non habuit hoc privilegium a Deo concessum. Hac autem immunitate gaudet ecclesia non tantum consecrata et benedicta, sed etiam nec consecrata nec benedicta si divinis obsequiis dedicata sit, licet in ea necdum inceperint illa celebrari; imo et interdicta aut polluta nondum reconciliata. Eadem gaudet tota templi interna fabrica, habitatio, capacitas, ac externum cœmeterium, atque homo qui foris, portæ clausæ ansam manu tenet; et probabilius is, qui est supra tectum. Eadem etiam gaudent xenodochia auctoritate episcopi dedicata, domus religiosæ, monasteria quoad totum claustrum seu habitationem religiosorum (quia totus ille locus religiosus et sacer est), ac palatium episcopi. Non tamen ea gaudent oratoria privata, id est quæ auctoritate episcopi non sunt dicata, licet de ejus licentia possit in illis missa celebrari. Secus vero oratoria publica, seu sacella auctoritate episcopi constructa ac dicata.

CAPP. X XI.

Pro quibus personis et causis valeat hæc immunitas.

Dico 1 : Hac immunitate seu privilegio gaudent omnes fideles laici baptizati tam servi quam liberi, etiam excommunicati et interdicti; servi tamen confugientes ad ecclesiam tantum ob timorem domini, domino dante juramentum de impunitate, cogendi sunt redire ad dominum. Dixi *fideles laici;* quia clerici possunt extrahi a loco sacro a judice ecclesiastico, non tamen a sæculari. Si enim non possent extrahi, religiosus exsistens in monasterio, quod est locus sacer, non posset in carcerem conjici. Infidelis autem non gaudet hoc privilegio, contra Hostiensem, Tiraquellum, etc., nam *de his quæ foris sunt, nihil ad nos :* nimirum nihil attinet ad jus canonicum. Si tamen confugiendo ad ecclesiam peteret baptismum et prius jam esset cate-

chumenus, videtur tunc eò gaudere; si autem petat tantum post delictum commissum, potest detineri ut examinetur, an simulate agat, necne; si vere baptismum petat et baptizetur, tunc gaudet immunitate, sed si non possit simulationis præsumptio purgari, tunc non gaudet. Quoad hæreticos, si confugiant ad ecclesiam ob crimen diversum ab hæresi, juxta Sylvestrem, gaudent probabiliter immunitate, contra Covarruviam, etc.

Dico 2 : Hac immunitate gaudent confugientes ad ecclesiam propter debita, ita ut non possint inde extrahi ad eos conjiciendos in carcerem; multo autem magis eadem gaudent ad illam confugientes propter crimen, exceptis criminibus in jure expressis, quæ sunt publica latrocinia, nocturnæ depopulationes, et ex consuetudine, juxta Covarruviam, simplicia furta; item grave crimen in ecclesia commissum, v. gr. homicidium, aut mutilatio, in quo crimine aut casu videtur comprehendi is qui in ecclesia exsistens ferit exsistentem extra ecclesiam, aut exsistens extra ecclesiam, sagitta, aliove instrumento vel per servum percutit exsistentem in ecclesia : item homicidium per industriam et insidias simul commissum tam extra quam intra ecclesiam, sive occisor vel occisus sit laicus, sive clericus, id est, per industriam insidiosam (non enim excipitur commissum per solam industriam). Si autem effectus non sit secutus, aut homo non fuerit occisus, licet vulneratus, probabilius valet pro illo reo immunitas; non tamen videtur valere pro mandante fieri ejusmodi insidiosum homicidium, effectu secuto. An raptores virginum gaudeant, necne hac immunitate, controvertunt auctores ob diversos juris textus; videntur probabiliter non gaudere, accedente maxime consuetudine. Sed illa gaudet reus qui aut e carcere aut e manibus ministrorum justitiæ elapsus, fugit in ecclesiam, uti et is qui sub juramento promiserat se rediturum aut iturum ad carcerem.

CAPP. XII, XIII.

De effectibus immunitatis templi et de crimine ac pœna extrahentium eos qui ad illud confugerint.

Dico 1 : Nulla vis potest reo inferri, intra ecclesiam, v. gr. non potest ibi vinculis constringi; item nec potest ibi spoliari rebus aut bonis secum allatis, nisi sint aliena aut injuste retenta vel arma vetita; nec potest ita obsideri templum ut intercludantur ei omnia ad vitam necessaria, potest tamen obsideri, ne evadat; et quandiu in ecclesia remanet, licet possit judicari, non potest tamen damnari pœna corporali, v. gr. morte, exsilio, ad triremes, servitute, etc. Sed potest ei imponi pœna pecuniaria, et medicinalis pro animæ salute.

Dico 2 : In casibus a jure exceptis, nullum est peccatum per vim extrahere absque pastorum Ecclesiæ facultate ad templum confugientem; similiter si judex solis blanditiis et promissionibus roget eum, ut secum exeat, et ipse consentiens sponte exeat, nullum est peccatum, licet forte clerici non consentiant; uti nec peccat contra immunitatem, si ex justa pastorum Ecclesiæ licentia etiam invitum extrahat, quia tunc licet faciat vim personæ, non tamen ecclesiæ. Possunt autem pastores illam dare habita prius securitate de impunitate delinquentis quoad omnem pœnam corporalem, alioqui tenetur judex eum restituere, et cogi potest per Ecclesiam.

Dico 3 : Judex qui reum extrahit ab ecclesia per vim et contra Ecclesiæ immunitatem, grave sacrilegium committit, et tenetur absolute eum restituere etiamsi vellet dare cautionem de ejus impunitate; illique potest resisti vim vi repellendo, sed sine armis, v. gr. fores claudendo, censuras ecclesiasticas ferendo, etc., et jure canonico ob hoc delictum imponitur ei pœna pecuniaria. Imo probabilius videtur judex per vim sic extrahens aliquem ab ecclesia, inferre illi injuriam contra justitiam commutativam, quia ibi in eam non habet jurisdictionem; temporalis enim jurisdictio non extenditur in ecclesiam, utpote locum exemptum intra territorium, ac proinde tenetur illi restituere omnia damna inde subsecuta. Hinc sequitur actum capiendi seu extrahendi istum reum et in carcerem conjiciendi esse juridice nullum, cum sit actus rapinæ, non jurisdictionis; nec potest sic captum retinere, et quasi continue peccat, quandiu eum non restituit : ac omnes actus judiciales circa istum postea facti, ipso jure sunt nulli, quia fundantur in captura ac possessione rei, quæ est irrita ac nulla. Et si eum interroget aut examinet, non interrogat juridice utpote qui non habet in eum jurisdictionem; nec reus tenetur dicere veritatem, aut respondere, et quidquid faciet judex, erit irritum. Imo tenetur ad restituendum reo omnia damna ac nocumenta ex hujusmodi actionibus injuriosis et injustis secuta, nisi excusetur ex ignorantia invincibili juris vel facti, aut ex bona fide alterius opinionis probabilis : cui D. Thomam favere dicunt, dum ait istum sic reum extrahendi actum non habere *aliam deformitatem, nisi quia res sacra violatur* (2-2, quæst. 99, art. 2). Sed D. Thomas videtur ibi loqui tantum de primaria istius actus malitia. Si autem judex reum inveniat extra ecclesiam per fraudem ab alio extractum, cui non cooperatus fuerit, tunc potest eum apprehendere; secus vero, si illum a quo reus per vim aut fraudem extractus fuit, ipse miserit.

TRACTATUS TERTIUS

DE VITIIS RELIGIONI CONTRARIIS.

LIBER PRIMUS.

De irreligiositate.

CAPUT PRIMUM.

Quid et quotuplex irreligiositas.

Dico : Irreligiositas est genus quasi generalissimum in omni religionis materia ac modo destruens honestatem, adeoque sub se continens plura malitiarum genera ac species ; dividiturque in irreligiositatem per defectum, quæ deficit in Dei cultu præstando per suam erga Deum irreverentiam, et in irreligiositatem per excessum, seu superstitionem quæ irreverenter excedit in eodem cultu. Item dividitur in irreligiositatem seu irreverentiam erga ipsum Deum, et in irreverentiam erga res Deo sacratas, seu sacrilegium. Irreverentia erga Deum continet sub se blasphemiam, infidelitatem in votis et ingratitudinem erga Deum, etc.

CAPP. II, III.

De Dei tentatione.

Dico 1 : Duplex est tentatio : alia experimenti seu probationis; alia inductionis seu seductionis. Dicitur homo tentare Deum tentatione inductionis, vel dum suis peccatis eum ad iram provocat, et ad malum pœnæ inferendum quasi inducit : *Tentaverunt Deum et Sanctum Israel exacerbaverunt* (*Psal.* LXXVII, 41) ; vel dum postulat a Deo opem ad aliquid pravum perpetrandum, v. gr. ad vindictam sumendam de inimico. Sed de hujusmodi tentatione hic non agitur ; agitur de tentatione probationis qua homo vel formaliter vel interpretative aliquid petit aut facit ad sumendum de Deo experimentum. Quare :

Dico 2 : Tentare Deum circa intrinsecas ejus perfectiones, v. gr. potentiam, sapientiam, bonitatem, etc., ex intentione formali, per se malum est, utpote dubium in materia fidei ; nec tantum dubium, sed etiam magna irreverentia religioni contraria, qua quis a Deo petit probationem ipsius excellentiæ, v. gr. potentiæ, veritatis, etc. Reducitur tamen ad defectum quemdam in modo orandi, ex parte materiæ orationi debitæ ; nam cum per aliquod factum sive petitionis aut orationis, verbis homo intendit sumere tale experimentum, sive explorare an Deus sit talis, an hoc sciat, an hoc possit, etc., ista intentio aut desiderium est etiam virtualis aut tacita oratio. Si quis autem suspendens assensum suum circa veritatem supernaturalem quæ ipsi non est sufficienter proposita, aut de ea sine peccato dubitans, petat a Deo signum aut opus miraculosum ad explorandam ac cognoscendam illam veritatem, v. gr. Gedeon missus a Deo ad liberandum Israel, ei dicit : *Da mihi signum, quod tu sis qui loqueris ad me* (*Judic.* VI, 17), ille non proprie tentat Deum, sed petit ab eo instrui, an ille, qui loquitur, sit Deus ; uti nec ille qui certus nec dubitans de aliqua veritate supernaturali, petit amplius illuminari, vel propter se, vel propter alios, ad majorem ejus confirmationem, quemadmodum aiebat Elias : *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus* (*III Reg.* XVIII, 24). Sed ad hujusmodi experimentum petendum requiritur justa necessitas, vel pia utilitas, et animi submissio ac resignatio erga petitionis effectum. Similiter tentare Deum ad explorandam ejus voluntatem aut ejus determinationem circa aliquem eventum futurum, per se etiam malum est ; quia postulare a Deo aliquod signum miraculosum aut extraordinarium opus ad istum finem, est contra reverentiam illi debitam : vult enim homo ut ad satisfaciendum suæ curiositati, Deus utatur sua omnipotentia, et licet ex se sit minus grave peccatum, quam præcedens tentatio, tamen probabilius ex genere suo est mortale. (Cajetanus, Toletus, etc.)

Dico 3 : Interpretative et implicite tentari Deus dicitur, dum aliquis ipso suo opere explorat Dei potentiam, vel amorem seu benevolentiam, v. gr. si quis velit jejunare quadraginta dies sine cibo et potu sicut Christus, ingredi ignem ad probandam suam innocentiam, exponere se evidenti mortis periculo sine necessitate, nolle uti mediis ad tuendam salutem in morbo, etc. ; ad hanc autem interpretativam Dei tentationem, necesse est ut opus fiat cum aliquo ad Deum respectu, etiam ex intentione operantis, intendendo habere effectum a prima causa sine secunda. In hoc modo operandi committitur peccatum non solum contra alias virtutes juxta materiæ capacitatem, v. gr. contra justitiam si actio sit cum damno proximi, contra charitatem si sit cum proprio periculo, etc., sed etiam contra religionem, quia in isto opere intervenit vel formalis, vel virtualis divini auxilii imploratio indebita ; et contra rationem, adeoque et contra reverentiam Deo debitam. Hinc a sacris canonibus prohibentur purgatio, seu probatio, per ferri candentis et aquæ ferventis experimentum, per monomachiam, aut per alia opera miraculose facienda ad manifestandam veritatem. Dum autem Deus interdum miraculo similes purgationes confirmavit, id accidit, vel

quia ex speciali Dei inspiratione opus fiebat, vel quia Deus voluit innocentiæ favere, licet ex ignorantia, vel ex bona intentione, indebito modo fieret petitio. Illud purgationis genus quod Deus præceperat ad explorandam mulierem de adulterio suspectam Num. v, non erat Dei tentatio, sed erat operis modus ab ipso constitutus, adeoque licitum. De purgatione per sumptionem corporis Christi, de qua cap. *Sæpe* 2, quæst. 5, controvertunt auctores.

CAPP. IV, V.

Quid blasphemia et quotuplex.

Dico 1 : Blasphemia est verbum sive mentale, sive vocale, sive scriptum, convitii, contumeliæ, aut maledictionis in Deum, fitque duobus modis : 1° quando per verba indicativi modi derogatur divinæ excellentiæ, aut affirmando aliquid de Deo quod illi non convenit, aut negando quod illi convenit, aut tribuendo creaturæ id quod Dei proprium est. 2° Quando per verba exsecrationis, ignominiæ aut contumeliæ, seu per verba optandi aut imprecandi Deo aliquod malum, aut alicujus boni carentiam, infertur divino ejus honori injuria; interdum etiam fit nominando ignominiose ea quæ Deo conveniunt, maxime secundum ejus humanitatem, aut humanitatis partes inferiores : falsitas namque non est de essentiali ratione blasphemiæ ut sic. Dixi *in Deum*, quia verbum contumeliæ, convitii, maledictionis in hominem, nunc non dicitur proprie blasphemia, quæ proprie est vitii species religioni contraria.

Dico 2 : Blasphemia dividi potest in eam quæ est contra ipsum Deum, de qua jam dictum est; et in eam quæ est contra ejus sanctos, æterna beatitudine donatos. Et hæc potest fieri aut proferri tribus modis : 1° expresse cogitando simul de Deo et intendendo ejus honori detrahere in sancto suo. 2° Cogitando de sancto cum expressa ejus ad Deum relatione, v. gr. peculiaris amici, ministri, etc., et voluntarie proferendo verba contumeliæ in sanctum : tunc etiam contumelia cadit in Deum ob conjunctionem sancti cum illo, licet ipsa formaliter non intendatur. 3° Cogitando solum de supernaturali sancti excellentia sine expressa ad Deum relatione; et tunc licet imperfectior in Deum blasphemia sit, indirecte tamen participat ejus malitiam, quia voluntas proferentis probrosa verba in sanctum, indirecte tendit simul in Deum, adeoque iste actus contrahit malitiam tum contra observantiam erga sanctos seu contra duliam, tum contra cultum Dei seu religionem.

Dico 3 : Blasphemia iterum dividitur in hæreticalem quæ formalem aut virtualem hæresim continet, v. gr. negando aliquid de Deo contra fidem, vel tribuendo creaturæ id quod juxta fidem soli Deo convenit, vel vocando Deum injustum, nescium, etc., vel dicendo : *Deum abnego*, etc.; et in non hæreticalem seu simplicem, quæ nec formaliter nec virtualiter continet falsitatem quasi speculativam contra fidem, qualis est quæ fit per modum imprecandi, vel contumeliose nominando aliquid quod vere in Deo est, vel dicendo ad despectum Dei : *Per vitam Dei*, etc.

CAPP. VI, VII.

De gravitate peccati blasphemiæ ac pœnis.

Dico 1 : Blasphemia formaliter ac serio prolata, est peccatum mortale; nec potest esse veniale ex sola levitate materiæ, nisi etiam subreptio et voluntas indeliberata accedat, quod contingit quando quis vel ex subita passione prius protulit verbum, quam adverteret blasphemum illius sensum; vel ex consuetudine (quam tamen tenetur tollere) prius effudit blasphemiæ verbum quam adverteret quid loqueretur. Tunc enim non profert formaliter ac voluntarie blasphemiam, sed tantum materialiter verbum de se blasphemum. Idem dic de eo qui ejusmodi verba profert ex vehementi passione, plenum rationis usum impediente. Hoc peccatum inter peccata religioni contraria est gravissimum, utpote Divinitati ejusque excellentiæ directe oppositum. Distinguitur ab hæresi seu infidelitate, quia in blasphemia simplici seu non hæreticali nihil falsum de Deo profertur; et in hæreticali ordinarie profertur tantum exterius aliquid falsum de Deo, animo non credente id quod os effutit contra Deum : sicut qui ficte negat exterius tantum fidem, licet non sit vere hæreticus, peccat tamen contra externam fidei confessionem et simul contra honorem Deo debitum. Hinc etiam patet blasphemiam distingui ab odio Dei et desperatione, quia sine illis potest esse. Et licet possit etiam esse sine irreligioso juramento, sæpe tamen est conjuncta cum illo, sed distincta malitia. Dum æquiparatur veritas humana divinæ, v. gr. dum quis affirmat tam verum esse id quod dicit, quam est verum Deum esse, quam est verum Evangelium, etc., an sit vera blasphemia, necne? Id multum pendet ex intentione loquentium, sæpe similia proferentium per auxesim, nec intendentium omnimodam æquiparationem : alioquin non posset a blasphemia excusari. Est etiam blasphemia jurare per falsos deos; et gravius quidem peccatum simpliciter et intensive jurare verum per falsos deos, quam si quis juraret falsum per verum Deum, quia blasphemia majus est peccatum quam perjurium. Jurare tamen falsum per verum Deum, peccatum est majus secundum quid et extensive quam præcedens, quia est peccatum et contra justitiam mentiendo, et contra Dei reverentiam adducendo eum in testem falsitatis. Item promittere aliquod pravum opus in honorem Dei, aut turpibus verbis uti ad illum laudandum, est blasphemia, uti et interdum abuti verbis sacræ Scripturæ.

Dico 2 : Blasphemiæ hæreticales probabiliter distinguuntur specie, seu gravitate essentiali a non hæreticalibus; sed hæreticales inter se, et non hæreticales inter se, non videntur distingui essentia-

liter. Contumelia autem in sanctum immediate prolata continet duas distinctas malitias : unam contra Deum, quatenus Deus in suo sancto maledicitur, quæ videtur esse ejusdem speciei cum blasphemia immediate in Deum prolata; alteram contra ipsam sancti personam, quæ ex se est honore digna : et hæc est contra duliam, seu sancti observantiam specie distincta ab alia, adeoque in confessione aperienda.

Dico 3 : Nulla blasphemia est irremissibilis, nec ulla propter illam in foro interno incurritur censura ipso facto, in foro autem externo tam civile quam canonicum jus decernit pœnam imponendam.

—

LIBER II.

De superstitione.

—

CAPUT PRIMUM.

Quid superstitio, et an possit esse superstitio in colendo vero Deo.

Dico 1 : Superstitio est nimius Dei cultus seu quidam in illo excessus; estque duplex : unus ex parte rei cultæ, seu cultus falsi dei, qui idololatria vocatur; alter ex parte modi qui servatur etiam in ipsius veri Dei adoratione: et uterque hic cultus distinguitur contra hæreticos volentes non distingui.

Dico 2 : Certum est in colendo vero Deo posse committi peccatum per excessum in modo cultus, seu superstitionem : duo enim in Dei cultu reperiuntur : 1° vera existimatio Dei : v. gr. Judæus, aut Saracenus, licet erret in Trinitate divina, non tamen in unitate Dei; cognoscit enim verum Deum secundum essentiam, eumque juxta id quod de illo cognoscit, adorat, et sic veram illius existimationem habet, verumque Deum colit, quamvis non colat quidquid revera in eo colendum est. 2° Signum quo utimur ad Deum colendum, et quando hoc signum seu res quæ adhibetur, non est apta ad colendum Deum, nec vere Deus illa honoratur, si adhibeatur, committitur peccatum superstitionis : v. gr. Judæus circumcidens filios et servans Sabbatum, gentilis offerens Deo sacrificium pecudum, hæreticus immiscens aliquid in usu sacramentorum contra ritum Ecclesiæ, Catholicus non sacerdos tentans sacrificare, superstitionem committunt. Verum quamvis aliqua divini cultus cæremonia non sit a Deo aut Christo præcepta, potest tamen ab Ecclesia institui; et sic instituta non erit superstitiosa, ut volunt hæretici. Dum dicitur : *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, neque addas quidquam, nec minuas* (*Deut.* XII, 32), id est, non addas aut minuas quidquam legi vel rationi contrarium. Non potest quidem esse excessus in quantitate veri cultus Dei, quia nullus potest Dei excellentiam adæquare, nedum excedere; sed potest esse in qualitate, ac modo : v. gr. si quis in sacrificio offerat tantum corpus Christi, et non sanguinem, peccat per excessum, quia offert Deo id quod non est sacrificium, et alia ejusmodi.

CAPUT II.

Quot modis et quam graviter peccetur per superstitionem in veri Dei cultu.

Dico 1 : Superstitio alia perniciosa, alia superflua. Perniciosa est, quæ peculiarem facti falsitatem ac mendacium continet, eo enim ipso tale mendacium est perniciosum; hæcque falsitas, vel se tenet ex parte rei significatæ, qualis nunc est Judaicarum cæremoniarum usus, v. gr. circumcisionis : vel ex parte colentis, qualis est, si colens Deum, Christi aut Ecclesiæ nomine, offerat in cultum id quod nec Christus nec Ecclesia voluit suo nomine offerri : sic enim colens Deum est falsarius, quia in actu exercito affirmat alium, cujus nomine Deum colit, id in cultum offerre, quod ipse offert. Quod tamen falsum est, v. gr. si quis simulet se esse sacerdotem, et sacrificium offerat, aut sacerdos depositus se ingerat ad sacrificium offerendum, et publice orandum nomine Ecclesiæ, est fictio in legatione quam exercet nomine alterius, a quo non est constitutus. Unde hæc falsitas videtur tantum inveniri in cultu communi, non autem in privato; et hoc falsitatis genus ita grave est peccatum, ut vix possit fieri veniale, nisi defectus esset in modo tantum accidentali non jusso ab Ecclesia sub grave præceptum : v. gr. si quis accidentales aliquos ritus non servaret in missa, aut in officio divino, aut alios pro sua devotione adjungeret; talis enim, secluso contemptu, censeretur peccare tantum venialiter.

Dico 2 : Superstitio superflua est quæ offert Deo pro cultu id quod nec ad gloriam Dei spectat, nec mentem vel corpus Deo subjicit prout par est, nec prout lege aut consuetudine constitutum est; talis enim cultus licet non sit falsus, nec mendax, est tamen superfluus ac inanis; cum Deus illo non honoretur : est quidem falsus in essendo, seu inutilis ac nullus, sed non in significando, seu non significat semper falsum cultum. Hæc superstitio superflui cultus potest dividi in turpem et levem, seu vanum cultum. Turpis cultus dicitur, dum quis intendit Deum colere actione quæ aliunde est prava, etiamsi non sit mendacium : v. gr. si quis injuste acquisita offerat Deo in cultum; vanus dicitur dum quis intendit Deum colere actione ad istum effectum inepta, aut sine debita circumstantia, aut omittendo statutas cæremonias propter inutiles vel superstitiosas.

Dico 3 : In omnibus hisce superstitionibus variæ reperiuntur species malitiæ, adeo formaliter diversæ, ut in confessione videantur sigillatim explican-

dæ : aliud est enim peccatum circumcidere more Judaico puerum, aliud sine ordine sacro simulare sacrificium ; aliud turpis, aliud vani cultus superstitionem exercere; aliud materiam sacramentorum, aliud accidentalem eorum cæremoniam immutare.

CAPP. III, IV.

Quid et quotuplex idololatria.

Nota : Avaritia, gula, et quodvis peccatum mortale metaphorice vocatur idololatria. Sed

Dico 1 : Proprie idololatria dicitur idoli latria. Idolum autem juxta suam etymologiam significat *statuam* aut *imaginem;* non tamen omnis imago dici potest idolum, nec omne idolum dici potest imago rei falsæ, aut fictæ, seu non subsistentis, sed idolum adæquate sumptum est imago destinata ad indebitum cultum alicui tribuendum ; quia tamen imago repræsentans creaturam ut Deum, repræsentat rem falsam, seu falsum deum, in hoc sensu potest dici idolum involvere falsitatem in sua repræsentatione, adeoque est imago falsa. Hinc quævis creatura, quæ tanquam Deus colitur, etiamsi non in aliqua imagine, sed in se et propter se adoretur, vocatur idolum. Latria vera est adoratio soli Deo debita, quæ tribus constat : nempe actu intellectus, id est opinione Divinitatis seu alicujus divinæ excellentiæ in re adorata, actu voluntatis, id est affectu aut intentione adorandi rem propositam, et exhibitione signi adorationis, vel interioris si sit adoratio mere interna, vel exterioris, si sit externa.

Dico 2 : Omnis idololatria, ex parte rei adoratæ, est semper falsa adoratio, sed ex parte adorantis interdum est falsa, si v. gr. aut judicet nihil divinæ excellentiæ in re adorata exsistere, aut ficto animo eam exterius adoret. Interdum est vera, si ex opinione divinitatis in statua residentis eam vero voluntatis affectu colat. Hinc ex opinione plurium deorum distinxit Varro triplicem theologiam. 1° *Physicam*, qua quidam dicebant totum hunc sensibilem mundum a Deo animari, et fortasse putabant non unum et eumdem Deum esse in toto mundo, sed varios esse in sole, luna, elementis, etc. ; ideoque Plato censebat esse unum summum Deum, et alios minores. Dein aliqui credebant substantias separatas seu intelligentias non fuisse ab alio factas. 2° *Civilem*, quæ in solis simulacris ac statuis ab hominibus factis Divinitatem affigebat. 3° *Fabulosam*, quæ homines et deos, v. gr. Jovem, Apollinem, etc., in imaginibus repræsentatos colebat. Quomodo autem potuerint existimare in tot et singulis diis supremam aliquam excellentiam residere? Verisimile est credidisse unumquemque deum in aliquo præsidendi munere habuisse circa quasdam res supremam potestatem, ac vim, licet alii majores, alii minores dicerentur juxta rerum quibus præsidebant dignitatem, aut certe putabant singulis rebus vim quamdam invisibilem ac supremam præsidere, ideoque supremo cultu colendam esse sine ulla ad unum supremum omnium creatorem et gubernatorem relatione.

CAPUT V.

De idololatriæ origine

Dico 1 : Idololatriam sine imaginibus, qua solem, lunam, ignem, etc., tanquam mundi partes, aliquid in se divinum continentes, aut aliud creatum ab idolo sensibili abstrahens colebant, ortam fuisse ex ignorantia veri Dei, et humani ratiocinii imbecillitate, cum adjuncta hominum negligentia ac dæmonum arte et fraude ; idololatriam vero cum falsarum imaginum ac simulacrorum cultu, originem, vel occasionem sumpsisse ex nimio erga mortuos homines affectu, ac illorum præsentiæ desiderio, accidente tyrannide vel nimia principum adulatione, quæ pravam consuetudinem induxit, et sensim errorem auxit, cooperantibus dæmonum præstigiis. Creditur Ninus fuisse qui primus dedit publicæ idololatriæ occasionem, patris defuncti imaginem publice erigendo et proponendo ut a populis coleretur ; fieri tamen potuit ut ante illum acciderit quod Sap. XIV narratur, nempe quemdam patrem ex amore filii præmature mortui curasse ejus imaginem depingi, et illam coluisse, quod non excludit prius Nini factum. Hinc videntur prius imagines fuisse institutæ, et habitæ ut imagines hominum tantum, ac postea dæmones se illis insinuasse, et per illas cœpisse dare responsa aut alia prodigiosa facere ut homines deciperent, et in eis aliquid divinum esse persuaderent. In prima mundi ætate usque ad diluvium non videtur fuisse idololatria, dumque dicitur Enos incepisse invocare nomen Domini (*Gen.* IV, 26), id intelligitur de solemni usu per preces publicas, certa sacrificia, etc.; multo minus verum est quod quidam putarunt Enos ita pium fuisse, ut tanquam Deus ab hominibus cœperit coli.

Dico 2 : Probabile est idololatriam privatam prius fuisse in usu sine imaginibus, quam cum illis, v. gr. colendo privatim solem, lunam, et alias mundi partes tanquam deos sine idolorum aut simulacrorum erectione; publica autem per sacrificiorum et templorum dedicationem videtur incepisse cum imaginibus, aut sensibilibus idolis, et ab iis initium duxisse juxta id : *Initium fornicationis, idolorum inventio* (*Sap.* XIV, 12).

CAPUT VI.

De gravitate peccati idololatriæ, et pœna illi imposita.

Dico 1 : Tribus modis graviter peccari potest per idololatriam : 1° infidelitate mentis, et errore circa deorum multitudinem. An autem in hoc errore circa deorum multitudinem possit intervenire invincibilis ignorantia, quidam absolute negant, quidam absolute affirmant ; sed dico, si quis habeat aliquam unius Dei cognitionem et erret, putando alios esse deos quibus divinus cultus tribuendus sit, eum nullo modo posse per ignorantiam invincibilem excusari. Si quis autem omnino ignoret unum verum Deum, et summam unius supremi numinis excellentiam, pro ratione talis ignorantiæ excusabitur vel ab omni, vel a tanta culpa in cultu plurium

deorum : si sit enim invincibilis ignorantia, excusabit ab omni culpa ; si utcunque culpabilis, illam minuet. Sed videtur vix posse dari ignorantiam invincibilem, nisi forte in homine omnino rudi, qui et rectam instructionem nullam habuit, et per se philosophari nequit ; ut multi nunc reperiuntur in Africa, America, etc. 2° Sine propria mentis infidelitate seu ignorantia, cum affectu tamen tribuendi divinum honorem ei qui non est Deus ; ut si quis credens dæmonem unum esse Deum, velit ei exhibere divinum honorem, v. gr. sacrificium, ut habeat illum sibi propitium. 3° Dum sine errore intellectus aut ignorantia, et sine affectu voluntatis aut intentione colendi creaturam ut Deum, ei exterius tantum tribuitur honor divinus ; cumque ista externa honoris, licet ficti, exhibitio sit voluntaria, est mendacium Deo injuriosum, et hominibus scandalosum, adeoque grave peccatum, quamvis minus grave quam præcedens secundi modi ; et quoad superstitionem etiam minus grave quam præcedens primi modi, sed magis nocivum proximo. Cæterum idololatria ex genere suo est gravius peccatum quam alia peccata, virtutibus moralibus contraria ; non tamen theologicis, v. gr. formali Dei odio, desperatione, infidelitate, quamvis hæc peccata sæpe præsupponat aut causet.

Dico 2 : Homo baptizatus veram ex interna infidelitate idololatriam committens, incurrit omnes censuras et pœnas per Ecclesiam latas in apostatas a fide et hæreticos ; secus vero, si tantum exterius et ficto animo sine interna infidelitate, idololatriam admittat, quia in jure nulla est pœna specialiter lata præcise pro idololatria ; ergo multo minus pro ficta et externa tantum. (Navarra, Sylvester, Angelus.) Est contra Cajetanum dicentem hos incurrere etiam prædictas pœnas. Hoc enim peccatum licet habeat malitiam externæ idololatriæ, non tamen infidelitatis seu apostasiæ, nec est in sua specie perfectum, et Ecclesia sæpe non punit externum actum, nisi prout ab interno procedentem.

CAPP. VII, VIII.

Quid sit divinatio et unde habeat malitiam, et quantam.

Dico 1 : Divinatio juxta vim vocis est divina notio seu rerum futurarum aut occultarum cognitionis, quæ Divinitatis propria est, quædam participatio, adeoque sic potest dari bona divinatio ; sed ordinarie sumitur in malam partem, et juxta hanc acceptionem est indebita prænotionis seu prædictionis rerum futurarum aut occultarum quæ Divinitatis est propria, usurpatio, atque ita de se est prava et peccaminosa actio et prohibita in lege veteri ac in jure canonico et civili : *Non inveniatur in te qui ariolos sciscitetur*, etc., *omnia enim hæc abominatur Dominus* (*Deut.* XVIII, 10). *Vir, sive mulier in quibus pythonicus sive divinationis fuerit species, morte moriatur* (*Levit.* XX, 27). Ratio est, quia per doctrinam dæmonum inordinata futurorum contingentium seu rerum occultarum cognitio inquiritur, aut comparatur, nempe modo indebito. Hinc patet divinationem per se intrinsece et non solum ob positivam prohibitionem, sed etiam ex natura sua semper esse malam ; quia est studium præsciendi futura, aut cognoscendi occulta, per medium improportionatum et inordinatum, id est rationi naturali et Dei voluntati contrarium ; illud enim medium involvit communicationem ac societatem cum dæmone.

Dico 2 : Variis modis per expressam cum dæmone communicationem aliquid ab eo peti potest, nempe vel simpliciter, vel cum promissione, vel cum pacto reciproco, vel sine illo, vel per sacrificia, suffitus, adjurationes, figuras, etc. Similiter dæmon dat responsa variis modis, v. gr. per locutionem aeream sine figura visibili, per corpus hominis assumptum, aut mortuum, per imagines aut statuas inanimatas, per bestias, per signa ostensa in extis, quæ illi sacrificantur, per sortes, per figuras in terra, aere, aqua, igne efformatas, per volatus aut garritus avium, etc. Sed licet dæmon multa possit cognoscere et revelare, non tamen omnia ; et maxime internas cognitiones et actus liberos non novit, nisi quatenus per signa, vel effectus externos illos conjicit. Hinc

Dico 3 : Præcipua divinationis malitia consistit in eo, quod postuletur a dæmone certa rerum occultarum cognitio quæ est Dei propria ; unde illam a dæmone petere, est illi attribuere id quod est proprium Dei, et quamdam in eo divinitatis excellentiam agnoscere, atque ita superstitionem falsi cultus et tacitam idololatriam committere. Eritque per accidens, si operans ignoret talem cognitionem esse Dei propriam, et excusabitur a culpa si sit ignorantia invincibilis, sed vix fieri potest ut in Christiano non sit vincibilis et culpabilis. Ad falsum autem cultum ex parte rei adoratæ seu dæmonis, non est semper necessaria formalis eum adorandi aut colendi intentio, ut actio contrahat talis cultus malitiam, sed sufficit actio de se ad talem cultum et honorem pertinens ; uti ad homicidium et ejus malitiam sufficit voluntaria talis operis effectio, quamvis non habeatur formalis occidendi intentio.

Dico 4 : Licet aliquis nihil aliud a dæmone postulet, nisi ut revelet et patefaciat occulta eo modo quo illa naturaliter potest cognoscere, nimirum ut si sint per se occulta, maximam quam potest diligentiam adhibeat ad conjecturam faciendam, et dicat id quod in causis et signis verisimilius continetur ; si autem ea de quibus interrogatur sint tantum per accidens occulta, tradat de illis certam cognitionem quam naturaliter habet : in hoc tamen cum dæmone consortio committit superstitionem et irreverentiam religioni contrariam, quia relicto Deo, ad dæmonem recurrit, ipsi se subjicit tanquam indigens ejus auxilio, ei confidit etiam invito Deo, et cooperatur conanti divinam excellentiam usurpare, ideoque contra religionem Deo debitam superstitiose agit. Deinde dæmon est publicus Dei

et hominum hostis, et in omnibus Dei gloriam obscurare nititur; ideoque qui Deo tanquam supremo regi inserviunt, et sub eo militant contra dæmonem, omnino hujus societati renuntiant.

Dico 5 : Cum prædicto utroque modo dæmonem consulendi de rebus, sive per se, sive per accidens occultis conjunguntur multæ aliæ malitiæ, tum ipsi religioni, tum aliis virtutibus contrariæ : nam in hujusmodi consultatione invenitur morale periculum deceptionis periculosæ, perniciosæ vel sibi vel proximo; adeoque peccatum contra charitatem propriam, vel proximi, vel etiam contra justitiam. Nec tantum idololatria, dum dæmon consulitur per sacrificia, et ejusmodi cæremonialem cultum, committitur, sed etiam dum ejus responsis fides adhibetur; præter alia multa peccata gravissima, quæ in pactis, promissis, prædictionibus, deceptionibus interveniunt.

CAPP. IX, X.

De divinatione per implicitum cum dæmone pactum, et aliis circa divinationes.

Dico 1 : Potest committi superstitiosa divinatio sine expresso pacto cum dæmone, cum solo implicito, quod habetur dum per medium ineptum et inutile inquiritur alicujus rei occultæ cognitio; est autem ineptum, si nullam aut non sufficientem habeat connexionem causæ vel effectus cum re quæ inquiritur seu investigatur. Contra inquisitio non erit vana nec superstitiosa, si fiat per causam vel effectum naturalem, aut si fiat observatio per signum, quod a Deo impositam habeat significationem talis effectus. Variæ sunt harum divinationum species juxta vanorum et ineptorum mediorum varietatem, quædam enim ex inspectione lineamentorum in manu, in fronte, in scapulis, aliæ ex auditu garritus aut cantus avium; aliæ ex situ siderum colligunt et prædicunt futuros effectus qui nullam omnino cum iis habent connexionem. Implicitum autem cum dæmone pactum in hoc consistit, quod divinator ad veritatem occultam inquirendam utatur signis vanis et inutilibus, quæ tamen credit esse utilia ad eam cognoscendam vel per impositionem certæ significationis jam factæ ab habente auctoritatem, non a Deo nec angelis, ergo a dæmone; vel per spem illius acquirendæ ex superiore aliquo et occulto instinctu, non divino; ergo dæmoniaco. Atque ita utens his signis serio, et fidem illis adhibens, tacite fundatur in dæmonis disciplina et instructione, virtualiterque illius scientiæ, arti ac doctrinæ adhæret, et hoc est operari ex implicito pacto cum dæmone. Dixi *serio*, etc., quia uti istis signis jocose aut otiose, quid per illa casu accidat quærendo, nec fidem illis dando, non erit superstitionis, sed otiosæ actionis peccatum; ac secluso scandalo vel periculo credendi, erit veniale tantum. Quamvis autem aliquis dicat utendo istis vanis inquisitionibus se nolle habere pactum cum dæmone, implicite tamen illud vult, quia vult uti illis mediis ut utilibus quæ non possunt utilitatem habere, nisi dæmonis interventu; et facit actionem quæ ex se implicitum cum dæmone pactum continet, nec potest existimare illa esse a Deo instituta, aut casu, et experientia inventa, aut esse naturalia, nisi forte intervenire posset ignorantia invincibilis.

Dico 2 : Licet in rigore loquendo divinatio per pactum explicitum non distinguatur probabiliter specie ab ea quæ fit per implicitum, in ordine tamen ad praxim judicandum est de illis perinde ac si essent distinctæ, adeoque in confessione id explicandum. Sed aliæ vitii species quæ sub divinatione per pactum implicitum, vel per explicitum continentur, non videntur distingui moraliter; omnesque divinationes per pactum implicitum reducuntur ad augurium et sortilegium, idemque peccati genus : et interdum potest esse veniale tantum, dum quis non præbet definitum assensum de futuro eventu ominato. Cæterum quævis divinatio sine expresso pacto facta ita est intrinsece et ex se mala, ut etiam seclusa Dei vel Ecclesiæ positiva prohibitione honestari non possit. Unde quod fecit Eliezer (*Gen.* XXIV), et Jonathas (*I Reg.* XIV), et David (*I Reg.* XX), ut a vana observatione excusentur, dicendi sunt id dixisse seu fecisse ex peculiari Spiritus sancti instinctu. Dum dixit Joseph suis fratribus : *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* (*Gen.* XLIV, 15) id vel joco dixit, vel verbum *augurandi* in bono alio sensu intellexit. Item dum dicitur : *Qui in manu omnium hominum signat, ut singuli noverint opera sua* (*Job* XXXVII, 7), id est, Deus sui signum et characterem posuit in libera hominis agendi potestate, ut discernat quid sibi sit agendum; non agitur ibi de manu materiali.

CAPUT XI.

De prædictionibus quæ fiunt ex astrorum observatione.

Nota : Divinatio, ut jam dictum est, tunc est superstitiosa et prohibita, quando nec in divina auctoritate nec in naturali connexione effectuum cum suis causis, vel causarum cum suis effectibus est fundata; vel quando in hac ipsa investigatione modum excedit. Jam vero videamus an sine superstitione possit aliquid divinari seu prædici ex astris, sortibus et somniis. Itaque hic de primo

Dico 1 : Non est per se malum nec prohibitum ex astris conjectare effectus naturales qui ex influentiis cœlestibus, ex ortu et occasu, concursuque planetarum vel aliorum astrorum, ac eorum aspectibus per se proveniunt; neque in hoc divinationis culpa committitur, quia ejusmodi effectus, v. g. pro agricultura, navigatione, re medica, etc., utiliter per causas suas naturales investigantur. Potest tamen in hoc genere inquisitionis peccari per temeritatem, imprudentiam, arrogantiam, aut verbis nimium absolutis aut nimia certitudine illos prædicendo vel credendo : talium enim effectuum præcognitio est valde incerta, quia pendent non ex uno, aut duobus astris, sed ex multis, nec tantum ex causis cœlestibus, sed etiam ex inferioribus

materialibus et efficientibus, et ex dispositione aeris, aquæ, terræ, ex ventis alterius loci, etc., unde siccitas, serenitas, sterilitas, pluviæ, et ejusmodi effectus valde incerto prædicuntur.

Dico 2 : Nec est per se malum, nec universaliter prohibitum ex stellarum constellatione, observata infantis nativitate conjectare tenuiter ejus temperamentum, et ex temperamento naturalem ejus futuram propensionem ad iram vel ad mansuetudinem, ad hæc, vel illa studia, etc., quia cœlestes influentiæ probabiliter possunt sua vi naturali agere in temperamentum. Sed hæc certo prædicere, vel omnino probabiliter, stultum est, et non fit sine aliqua culpa : quia temperamentum dispositione materiæ, et ex proximæ virtutis activæ efficacia magis provenit quam ex astrorum influentia, magisque ad illud confert prolis conceptio quam nativitas. Unde non sine mendacio aut falsitatis periculo potest aliquid hac de re investigari aut promitti, sed ad summum levis suspicio educi.

Dico 3 : Prædicere ex cœli et astrorum signis futura contingentia quæ ex libertate pendent, est superstitionis peccatum, gravissime prohibitum jure divino, ecclesiastico et civili, vehementerque a Patribus Augustino, Anastasio, Cypriano, Chrysostomo, condemnatum ac reprehensum. Ratio est, quia ista prædicerentur ex astris vel tanquam causis vel tanquam signis : non *primum*, quia astra cum sint causæ necessariæ, necessitarent voluntatem humanam, aut ad unum infallibiliter determinarent per suos influxus, adeoque tollerent libertatem, et sublata libertate nulla essent peccata, quæ omnia sunt hæretica. Non *secundum*, quia non sunt signa naturalia, cum nullam habeant cum illis connexionem tanquam causæ vel effectus; sunt ergo signa ad placitum, habentia suam significationem ab aliquo impositam, non a Deo, ergo a dæmone, adeoque implicite quæritur a dæmone illorum significatio; et quamvis vera significarent (quod tamen negatur), non liceret istam veritatem a dæmone discere. Aliud est post acquisitam dæmonis ope cognitionem, illa uti sine dæmonis ope et commercio. Itaque erroneum est dicere ex astris posse futura contingentia ab humana libertate pendentia, multo minus a divina, aut etiam casualia, vel occulta præterita seu præsentia certo cognosci. Imo non solum non possunt hæc cognosci ac prædici ut certo futura, sed nec etiam ut probabiliter eventura; et qui sic exterius prædicit eventura, damnatur et punitur jure ecclesiastico ut divino. Imo quamvis non ut certa, sed tantum ut probabilia prædicat, nec plus interius intendat quam esse probabilia, tamen superstitiose agit, et gravem divinationis culpam admittit, quia ex solis astris non potest haberi sufficiens cognitio, ad ferendum tale judicium. Hæc Scripturæ verba : *Ut sint signa et tempora*, etc. (*Gen.* I, 14); item : *Complicabuntur cœli ut liber* (*Isa.* XXXIV, 4) : non intelliguntur de his divinationibus, sed primum de signis temporum : v. gr. æstatis, hiemis, etc., secundum de cessatione motuum cœlestium, etc.

CAPUT XII.

An sortium usus sit semper superstitiosus et prohibitus.

Nota : Sortes aliæ sunt divisoriæ, aliæ consultatoriæ, aliæ divinatoriæ, quare :

Dico 1 : Sortes divisoriæ quæ fiunt in vi contractus et præviæ conventionis non sunt ex natura sua, ac per se malæ, quia in iis nec pactum cum dæmone, nec consultatio, nec invocatio ejus, aut cooperatio reperitur; aliquæ tamen jure humano prohibitæ sunt, nempe in electionibus ecclesiasticis faciendis, ut habetur in cap. *Ecclesia*. Et quamvis in electione semel, bis, aut sæpius facta duo habuerint paria suffragia, non videtur ex vi juris communis illis licere per sortitionem terminare istam electionem : quod si in aliqua communitate et ecclesiastica electione talis fuerit eligendi, seu sortem jaciendi modus, debebit provenire ex vi alicujus constitutionis a papa approbatæ, per quam derogatur juri communi, quo sublato, ille electionis modus non est per se malus. Imo juxta Panormitanum talis electio per sortes est ipso facto nulla, quod non videtur esse verum, nisi dum talis electio per sortes fit ad aliquam ecclesiam, propter cap. *Quapropter*, in quo dicitur : *Aliter electio facta non valeat;* sed ad summum irritari potest. Deinde ex vi cap. *Ecclesia*, non videtur esse prohibitum uti sortibus ad terminandas lites ecclesiasticas, etiam in causis beneficialibus, sed interdum licere inter litigantes de aliquo beneficio mittere sortes, et ita litem componere, non tamen privata ipsorum litigantium auctoritate, sed judicis. Hæc prohibitio jaciendi sortes in electionibus, prout est juris positivi, non extenditur ad civiles magistratus et officia. Hinc patet sortes divisorias esse indifferentes, et de se honeste fieri posse, adeoque non continere peccatum, nisi vel ex circumstantiis accidentalibus et extrinsecis, v. gr. ex prava seu superstitiosa intentione, ex materia injusta, ex modo fraudulento, etc., vel in casibus in jure expressis.

Dico 2 : Usus sortium ad cognoscendam veritatem occultam, nisi fiat ex divina inspiratione exspectando ab ipso Deo istius veritatis cognitionem, illicitus est et gravem ex suo genere malitiam continet. Hæ sortes aliæ dicuntur consultatoriæ dum per indicium sortis postulatur et exspectatur a Deo cognitio rei concupitæ; aliæ divinatoriæ, dum non postulatur nec exspectatur a Deo, sed tacite vel expresse a dæmone. Jactio sortium consultatoriarum, si prudenter et debito modo fiat, non est vitium nec peccatum, v. gr. si fiat ex Dei mandato, ut Josue (cap. VII) fecit ad cognoscendum furem occultum; si fiat ex speciali Dei instinctu qualis fuisse videtur electio sancti Matthiæ in apostolum, sorte materiali super eum cadente, et probabiliter miraculoso signo cœlitus comprobata, v. gr. cœ-

lesti radio, etc.; si debita cum reverentia ac fiducia ad tollendam ambiguitatem vel dubitationem in animo intendat solum homo per specialem providentiam et beneficentiam non miraculosam impetrare a Deo occultam sortium directionem, ut id quod sors tulerit, amplecti statuat tanquam ex divina voluntate et ordinatione, et non tantum ex permissione profectum. Si autem temere et imprudenter fiat, v. gr. sine necessitate et sine speciali Spiritus sancti instinctu, tacite vel expresse petendo a Deo, ut signo miraculoso ostendat rem occultam, de qua consulitur, tunc erit grave peccatum, nempe vel Dei tentatio, vel sacrilegium.

Dico 3 : Sortes divinatoriæ sive petendo expresse a dæmone ut sortes dirigat, sive inito pacto signum sortium ab illo accipiendo, et illo tanquam actionum regula utendo; sive ex pacto implicito cum illo, non exspectando a Deo veritatis manifestationem, sunt superstitiosæ, et jure ecclesiastico prohibitæ, cap. *Non liceat* 26, quæst. 5; cap. *Si quis episcopus*, etc. Harum sortium quædam ordinantur ad speculationem, v. gr. dum per sortes inquiritur quis sit obtenturus victoriam, cathedram, etc., quædam ad operationem, v. gr. dum per sortem inquiritur quis fuerit homicida, qui non noscitur, ad eum puniendum. Qua in re non tantum superstitio, sed et injustitia, et sacrilegium reperitur.

CAPUT XIII.

Quomodo divinatio per somnia superstitiosa sit.

Dico 1 : Certum est per se non esse malum ex somniis investigare eorum causam vel causas, imo potest esse bonum, utile, et interdum necessarium : sed ejusmodi causæ vel causarum cognitio ex somniis hausta, adeo est tenuis et difficilis, ut vix esse possit probabilis, nisi adjunctis aliis multis circumstantiis, vel naturalibus, vel moralibus, vel supernaturalibus. Plurimæ enim possunt esse somnii causæ, v. gr. corporis dispositio, temperamentum, humores redundantes, præcedens cogitatio, sub qua comprehendo affectionem et frequentem consuetudinem; Deus, dæmon, aer circumstans, v. gr. calidus, frigidus, humidus, etc., aut aliud simile elementum vicinum, cœli influentiæ; atque ita hæc causarum somniorum conjectatio ex ipsis somniis, tanquam effectibus orta, est incertissima. Hinc minime potest homo ex somnio tanquam effectu cognoscere alium effectum inde oriturum, vel naturaliter, vel contingenter seu casualiter, multo minus libere; nescitur enim, ut dixi, somnii causa, adeoque nec effectus quem somnium potest causare. Divinare autem ratiocinio naturali aliquem effectum *naturalem*, inde oriturum, non est superstitio; secus vero liberum.

Dico 2 : Dantur alia somnia, quæ tanquam signa aliquos effectus vel futuros vel occultos significant; hæc signa interdum dantur per modum locutionis et vocum in dormientis phantasia ita formatarum, quasi eas aure corporali audiret, interdum per quarumdam visionum apprehensiones, quæ sunt veluti imagines rerum per eas significatarum. Istarumque imaginum quædam sunt propriæ, formaliter rem repræsentantes, quale videtur fuisse somnium sancti Pauli (Hebr. XVI), dum noctu vidit hominem Macedonem ab ipso postulantem ut in Macedoniam transiret; quædam sunt impropriæ seu tropicæ, quæ tantum per quamdam analogiam ac metaphorice rem significant, quale fuit somnium Jacob videntis scalam ad cœlum usque pertingentem (*Gen.* XXVIII), et Joseph videntis solem, lunam et undecim stellas ipsum adorare (*Gen.* XXXVII), adeoque ejusmodi imagines sunt difficiliores intellectu. Hæc autem somnia, quæ ut signa immittuntur, tantum proveniunt vel a Deo sub quo comprehenduntur boni angeli ejus ministri, vel a dæmone; adeoque sunt tantum vel divina, vel dæmoniaca. Divinis fidem dare, bonum, sanctum et necessarium est, si de somnii origine satis moraliter constet; id est, si sufficienter constet somnii auctorem esse Deum vel bonum angelum, somniique significatio sit clara et patens, ut patet in Gedeone (*Judic.* VII), Daniele (*Dan.* IV, VII), sancto Josepho et Magis (*Matth.* I). Dæmoniacis autem fidem dare, sive per expressum cum dæmone pactum qui promisit respondere per somnium, sive post somnium interrogando pro interpretatione, est grave superstitionis peccatum.

Dico 3 : Valde difficile est dijudicare, sitne divinum an dæmoniacum somnium : si somnium sit suave et de re speciali, relinquatque animum ad devotionem bene dispositum, si ejus materia non sit Deo improportionata, resque indicata contineat utilitatem vel publicam vel privatam, tunc aliquod est indicium tale somnium a Deo proficisci; non est tamen per se sufficiens. Si autem his contraria habeat, signum est vel esse a dæmone, vel ab alia causa naturali. De somnio non recte judicatur in ipso somno, sed post somnum. Sine speciali Spiritus sancti illustratione, et inspiratione non potest assensu firmo et certo ferri judicium, quod somnium sit a Deo : sed tantum licet conjectare. Qui autem sine prudenti discretione facile dat fidem somniis, quamvis dicat temere se credere illa esse a Deo, per se loquendo, non excusatur a gravi culpa, quia evidenti dæmoniacæ deceptionis periculo se exponit, nec distinguit satis inter divina et dæmoniaca somnia.

CAPUT XIV.

An in magiæ operibus superstitio et pactum cum dæmone interveniat.

Dico 1 : Omissa magia naturali, quæ per occultam virtutem naturalem mira quædam operatur, superstitiosa magia stricte sumpta, prout distinguitur a divinatione, est ars quæ ordinatur ad aliquid faciendum ultra humanas vires, non Dei, sed dæmonis virtute; dari autem magiam, ita certum est, ut sine errore in fide negari non possit, contra quosdam qui negarunt vel esse dæmones, vel pactum cum illis posse intercedere. Probatur : 1° ex

iis quæ fecerunt in Ægypto magi Pharaonis (*Exod.* VII, VIII), ac Simon Magus (*Act.* VIII); deinde 2° ex pœnis quibus puniri magos jubet Deus (*Exod.* XXII, *Levit.* XIX, XX), etc.; 3° ex Patribus, Augustino, Cypriano, Tertulliano, Lactantio, etc., idem testantibus; 4° ex unanimi theologorum consensu, et ex crebra experientia. Unde

Dico 2 : Magiæ crimen est superstitio et tacita idololatria religioni contraria; solumque differt a divinatione in hoc, quod divinatio rei cognitionem, magia effectionem ope dæmonis, quocum habetur pactum tacitum vel expressum, tribuat. Sed sæpe adduntur huic superstitioni variæ malitiæ contra eamdem religionem et contra alias virtutes : v. gr. sacrilegium, dum magi rebus sacris abutuntur; hæresis, dum non credunt dæmonem esse damnatum; apostasia a fide, impudicitiæ, blasphemiæ, gravissimæ injustitiæ, inferendo ope dæmonis morbos, mortem animalibus, segeti perniciem, etc. Unde tenentur ad restitutionem parti læsæ.

CAPUT XV

Quænam sint magicæ superstitionis species, seu modi.

Nota : Quando magia fit per expressum cum dæmone pactum, ut effectus sit superstitiosus, non debet necessario esse mirabilis, aut excedere vires naturales; secus, quando fit per tacitum pactum, ejusque effectus reducuntur ad tria genera, nempe ad scientiam seu cognitionem, ad sanitates, ad maleficia. Quare

Dico 1 : Magiæ prima species est illa, per quam ope dæmonis ob tacitum cum illo pactum scientia comparatur modo extraordinario et præternaturali : v. gr. dum quis repente evadit philosophus, mathematicus, etc. Et ad hanc speciem pertinet ars notoria, quæ per quædam jejunia, orationes ad Deum, figurarum inspectiones, verborum ignotorum prolationes, etc., subitam aut extraordinariam scientiæ acquisitionem promittit, seu tribuit.

Dico 2 : Ad secundam magiæ speciem, quæ sanitatum dicitur, pertinent immutationes corporum homini proficuæ, id est in ejus favorem vel utilitatem factæ : sive fiant immediate circa corpora humana, sive circa bestias, sive circa arbores, etc., uti et alii effectus qui per hanc artem homini promittuntur, v. gr. ut non possit lædi ab hostibus, gestando tale amuletum, certam scripturam, etc., et similes qui sunt supra vires causarum naturalium. Et quamvis res aut verba sint sacra, possunt tamen in vano, inutili, indebito modo iis utendi, esse etiam superstitio. Sunt autem alii effectus, qui quidem superant aliquo modo virtutem humanam, sed non dæmoniacam, aut aliam creatam; idque potest provenire : 1° ex parte instrumenti seu medii; hoc medium interdum sunt verba vana, inutilia, peregrina cum quibusdam cæremoniis conjuncta, interdum actiones transeuntes sine verbis, interdum permanentes tanquam signa dæmoniaca, v. gr. applicatio luti super oculos cæci, etc. 2° Ex parte temporis, v. gr. momentanea ægri sanitas sine miraculo, momentanea hominis translatio ab uno ad alium locum, etc., pro hisce effectibus a superstitione excusandis vane recurrunt ad virtutem impressam ab anima, per suam imaginationem aut affectum, vel ad cœlestes influentias : ex se enim patet inane hujus discursus figmentum. Quidam autem utuntur aliquibus herbis medicinalibus, habentibus revera naturalem virtutem ad effectus ad quos applicantur, producendos citissime et quasi mirabiliter; liquet ibi nihil magiæ inesse, modo constet talem vim in herbis residere. Quod attinet ad *salutatores* (uti eos vocant Hispani) qui suo tactu vel benedictione, vel verbis ad Deum deprecatoriis, cum signo crucis curant morbos, et maxime morsum canis rabidi, quamvis interdum in Hispania tolerentur, et forte præsumantur habere ejusmodi gratiam gratis datam, videntur tamen suspecti; non solet enim Deus dare gratiam gratis datam permanenter, et quasi habitualiter ad hominis arbitrium pro ejus usu. Denique qui certis verbis et panniculi alligatione morbos sanant, cum id non possit esse talium effectuum causa naturalis, non debent a superstitione excusari.

Dico 3 : Constat ex jam dictis maleficia etiam esse superstitiosa, et longe evidentiora pacti cum dæmone indicia continere, pœnasque gravissimas, quæ in capite 19 exponentur, incurrere.

CAPUT XVI.

An omnia magiæ opera sint præstigiosa; sive sintne res quæ apparent veræ, an fictæ.

Nota : Dæmones virtute naturali multa possunt efficere circa corpora et res inferiores : unde possunt transportare seu movere corpora de loco in locum, inducere formas et qualitates in corporibus, applicando activa passivis, adeoque efficere animalia imperfecta, v. gr. ranas, mures, etc.; non tamen perfecta. Ideoque omnes hominum transmutationes in bestias quæ dæmonis arte fiunt, non sunt veræ sed apparentes. Item possunt sagas brevissimo tempore realiter deferre in loca distantissima, et intra domos, non penetrando muros aut fenestras, sed subito et sine strepitu aperiendo, et iterum claudendo portam, per quam corpus sine compressione, aliave alteratione intromitti possit; vel dilatando foramen, et statim in priorem statum restituendo. Plura de his vide in tractatu *De angelis*. Nunc ad quæstionem

Dico 1 : Effectus quos dæmones per magos operantur, juxta communem theologorum sententiam non semper sunt veri, nec semper falsi, sed interdum uno, interdum alio modo fiunt a dæmone. D. Thomas, Alensis, Victor, Augustinus, Tertullianus, etc., contra quosdam volentes istos effectus omnes esse veros, et contra alios volentes omnes esse falsos ac phantasticos. Probatur id tum ex impotentia tum ex malitia dæmonis. Quare

Dico 2 : Quotiescunque effectus magicus omnem causarum naturalium et creaturarum vim superat

et requirit formalem mutationem quoad formam substantialem et qualitates, tunc non est verus sed phantasticus, vel per motum localem ita fit a dæmone, ut ab alio fieri appareat, quia vires dæmoni ad id non suppetunt. Hinc : 1° non potest subito scientiam infundere, seu ejus species ac habitus; et si efficeret ut repente aliquis totam Scripturam memoriter tenere videretur, tunc moveret ejus linguam ac phantasmata, et excitaret ad loquendum. 2° Nec potest hominem resuscitare; sed tantum potest efficere illudendo ut homo appareat mortuus aut decollatus qui vere est vivus; vel potest ingredi mortui cadaver et vivum fingere aut corpus aereum formare. 3° Neque potest homines in bestias vere transmutare, sed tantum apparenter; neque mortuorum animas ad corpora evocare. Et si anima Samuelis evocata a pythonissa vere apparuerit, uti probabilius existimatur, non in vi artis magicæ apparuit, sed ex peculiari Dei ordinatione ac voluntate ad majorem Saulis terrorem ac confusionem.

Dico 3 : Si effectus, qui fit per magiam, sit e numero eorum qui possunt naturali dæmonis virtute fieri, tunc interdum est verus, interdum fictus seu apparens tantum, prout vel ipse vult, vel ipsi Deus permittit. Nam 1° quoad *scientiam*, potest ficte, potest et vere hominem adjuvare in ea acquirenda, manifestando occultas virtutes herbarum, lapidum, etc., confortare vel perturbare ejus phantasiam, apparere sub vera dæmonis forma vel sub ficta angeli aut Christi, etc. 2° Quoad *sanitates*, potest esse vera, et ficta seu non permanens curatio, vera et ficta pecunia, ablata, etc. 3° Quoad *maleficia*, eorum effectus ordinarie veri sunt, quales sunt v. gr. impotentia ad usum matrimonii a dæmone causata, et translatio sagarum in dissita loca, quamvis contra communem theologorum sententiam quidam velint hanc corporum sagarum translationem ordinarie esse tantum phantasticam, fundati in cap. *Episcopus*. Sed hoc caput *Episcopus* valde incertum est, unde et a quo sit; deinde agit tantum de casu et materia particulari.

CAPUT XVII.

Quibus mediis uti liceat ad tollenda maleficia.

Dico 1 : Quando usus magiæ ad bonum sive intellectus, sive corporis, sive fortunæ sibi alterive acquirendum fuit ordinatus, contra ejus effectum jam possessum non est opus alio remedio quam pœnitentia : bonumque istud, licet dæmonis arte et ope fuerit acquisitum, v. gr. scientia seu notitia naturalis, recuperatio sanitatis, pecunia, etc., potest tamen retineri, si retentio seu conservatio nihil omnino pendeat a dæmonis auxilio aut pacto præterito, nec damnum proximo afferre possit, aut afferat, v. gr. si esset ficta et apparens tantum pecunia, aut si esset vera, sed sciretur certis indiciis a quo eam dæmon furatus fuisset, tunc suo domino foret restituenda; secus vero non. Hi igitur magi resipiscentes debent firmiter credere non solum licite posse, sed etiam teneri rescindere quodvis pactum cum dæmone etiam sanguine aut dato chirographo consignatum, omnia illius signa perrumpere, et dæmoni abrenuntiare, ac credere per pœnitentiam peccatum deleri, ac pactum rescindi, sive dæmon cogatur chirographum reddere, ut interdum accidit, sive non; illud enim coram Deo in fine vitæ nihil nocebit, utpote pœnitentia deletum.

Dico 2 : Contra effectus maleficii remedia sunt : 1° supernaturalia : oratio, usus sacramentorum, missa, jejunium, humilitas, etc., exorcismi. 2° Naturalia; si effectus maleficii jam non pendeat a magia, erunt eadem quæ adhibentur contra effectus naturales, v. gr. pharmaca, etc. Si adhuc pendeat, illa nihil proderunt. Et de his sic

Dico 3 : Signa maleficii quibus durantibus tenetur ex pacto dæmon malefacere, et destructis cessare a malefaciendo, si ubi sint deprehendantur vel ad manus deveniant, et homo per propriam suam actionem seu potestatem possit illa destruere, v. gr. ligatos capillos dissolvere vel comburere, annulum taliter confectum frangere, eruere de terra rem ibi defossam, etc., juxta communem sententiam licitum est ea destruere (Scotus, Gabriel, Cajetanus, Navarra, etc.); quia hoc nec jure positivo prohibitum, nec ex se intrinsece est malum. Nulla enim in hoc societas cum dæmone nec ejus cultus. Et potest fieri ex bono fine tum intrinseco seu operis, ut destruatur dæmonis incentivum ad malefaciendum; tum extrinseco, seu operantis, ut succurratur proximo afflicto. Imo ipse maleficus seu magus tenetur id facere ex justitia ob damnum quod proximo infert, et omnia damna resarcire; nec absolvendus donec maleficii signum destruat, atque ita pactum cum dæmone rescindat; judexque ex officio tenetur magum ad illud tollendum cogere; in aliis autem ex charitate erit obligatio subveniendi proximo ærumnam patienti.

Objicies 1 : Ista res quæ destruitur, non est causa maleficii, sed signum quo dæmon movetur ad malefaciendum; ergo destruendo istud maleficii signum exercetur usus magiæ, et habetur societas cum dæmone, a quo petitur ex vi prioris pacti, ut cesset malefacere. Respondeo : Nego consequens. Qui enim destruit istud artificium, non intendit causam maleficii, sed ejus signum destruere. Nihil tamen per hujus signi destructionem petitur aut exigitur a dæmone, sed tantum privat illum ea re qua objective, ex vi prioris pacti, excitabatur et inducebatur ad malefaciendum; atque ita non est usus magiæ, sed potestatis humanæ quam homo ex se habet ad destruendum istud artificium quacunque via cognitum.

Obj. 2 : Ergo etiam licebit signum pactui magico contrarium apponere, ut dæmon cesset malefacere. Respondeo : Concedo illatum. Modo apponatur aut ordinetur tantum ad auferendum vel impediendum signum, quo dæmon inducitur ad

malefaciendum, v. gr. si signum sit datum a dæmone se non cessaturum esse a maleficio talis hominis, quandiu corpus non lavarit, illi licebit corpus lavare cum intentione tollendi tale signum mali incentivum; sed non cum intentione recuperandi sanitatem opera dæmonis. Sic licebit se cruce signare, aut sacras reliquias collo appensas gestare, si dæmon dederit pro signo se nociturum esse tali homini, quandiu id non fecerit.

Obj. 3: Interdum pactum tale est ut obligetur dæmon ablato signo non solum cessare, sed etiam restituere hominem pristinæ sanitati; ergo qui auferret signum, peteret a dæmone sanitatis restitutionem, quod est illicitum. Respondeo: Nego consequens. Quidquid enim dæmon antea spoponderit, potest ejus malitia separari ab actione destruentis signum ex bona operantis intentione.

CAPUT XVIII.

An aliquando liceat uti maleficio ad maleficium destruendum.

Dico 1: Si maleficio jam cessante, relictus sit ex maleficio effectus, v. gr. morbus, certum est non licere uti artis magicæ auxilio ad eum curandum, nec ipsi mago unquam licere uti maleficio ad tollendum maleficium; etiamsi ipsemet prius maleficium fecerit, et nunc non possit illud destruere: hoc enim intrinsece malum est. Imo:

Dico 2: Non licet uti opera ejusdem aut alterius magi ad tollendum aut impediendum prius maleficium ejusque effectum per aliud maleficium quasi efficacius; et quamvis foret paratus ad utendum maleficio ut prius destruat, pro effectus cessatione, non licet tamen id eum rogare aut ad id inducere. Ita communiter et indubitate theologi, Cajetanus, Castro, Navarra, Sanchez, etc., contra Angelum, etc. Si autem non sit paratus, etiam hi fatentur non licere. Probatur: quia opus per se illicitum et intrinsece malum, quod nunquam potest bene fieri, quale est maleficium, non potest licite peti ab alio, ut illud faciat, alioqui esset causa moralis istius mali operis. Aliud est de petente mutuum ab usurario; mutuum enim de se est bonum, et petens non est causa usuræ, nec hanc petit, sed permittit. Petere autem maleficium maleficio tollendum, est petere positivum crimen; licet enim destructio maleficii in se bona esse possit, illam tamen postulare a dæmone, intrinsece malum est. Nec potest homo, utpote inferior, imperare dæmoni, eumque cogere ad maleficium tollendum, nisi in virtute divina. Hinc si constet maleficium non posse dissolvi sine novo maleficio, non licet generaliter a mago petere ut dissolvat; si autem sine novo maleficio possit dissolvi, tunc licet petere ut sic modo licito illud dissolvat; item si utroque modo possit dissolvi, et putetur probabiliter magus usurus potius modo licito quam illicito; imo quamvis putaretur probabiliter usurus potius modo illicito quam licito, potest absolute seu indifferenter ab eo peti ut illud dissolvat: petitur enim jure res quæ potest licite fieri; quod autem illicite fiat, provenit ex magi malitia.

CAPUT XIX.

De pœnis quas magi ac divini incurrunt.

Dico: Magi, malefici, divini, præcise propter hoc crimen nullam censuram seu pœnam ecclesiasticam ipso facto incurrunt; et constat ex consuetudine ac ex juris explicatione. Imponitur tamen ferenda excommunicatio, vel alia censura. Si autem hisce suis superstitionibus immisceant externam hæresim vel idololatriam, tunc ipso facto ob hanc hæresim vel idololatriam ex interna infidelitate incurrunt omnes pœnas hæreticorum aut apostatarum; causaque pertinet ad inquisitores, uti et punitio. Si autem tantum sit superstitio et delinquens sit clericus, judicandus ac puniendus est juxta leges canonicas a suo prælato; si laicus, causa est misti fori, et a præoccupante judice sive laico, sive ecclesiastico judicabitur, ac reus punietur juxta leges tum ecclesiasticas, tum civiles quæ ab utroque jure impositæ sunt. Denique libri hujus artis cremandi sunt.

LIBER III.

De sacrilegio.

CAPP. I, II, III.

Quid et quotuplex sacrilegium: ac de sacrilegio contra personas sacras.

Dico 1: Sacrilegium est violatio rei sacræ. Hæc definitio sumitur ex D. Thoma (2-2, quæst. 99, art. 1); et sicut sunt tria sacrarum rerum genera, scilicet personæ, loca et quædam res aliæ, ita ex parte materiæ ipse dividit sacrilegium in triplicem speciem, contra personas, contra loca, contra res alias divino cultui dicatas; hæcque trimembris divisio, inter doctores recepta est, ac nititur sacris canonibus qui de tribus illis sacrilegiorum generibus tanquam propriis loquuntur: v. gr. de sacrilegiis contra personas, cap. *Sicut*, c. *Quisquis*; contra loca, cap. *Miror*, cap. *Frater*; contra res alias, c. *Sacrilegium*, c. *Omnes*, c. *Qui rapit*.

Dico 2: Persona fit sacra vel per ordinationem, vel per statum religiosum, vel per quamdam illius participationem, v. gr. per votum castitatis; et ob hoc circa talem personam, vel a tali persona potest committi sacrilegium; quæ circumstantiæ cum non reperiantur in quovis Christiano, ideo faciendo illi injuriam, non committitur sacrilegium. Quatuor autem sacrilegiorum genera circa personas sacras distinguuntur: Primum est inferre manus violentas in talem personam, violando canonem, quo id

prohibetur, cap. *Si quis suadente.* Videturque hoc esse sacrilegium, tantum ob istud positivum jus, non vero ex natura rei; uti et secundum sub primo ex parte comprehensum, quod est violatio fori: v. gr. vis clerico illata a judice sæculari ad illum conjiciendum in carcerem. Hinc judex sæcularis vim inferendo clerico, et exercendo in illum suam jurisdictionem, duas incurrit censuras et duas peccati malitias committit in confessione aperiendas. Tertium est violatio immunitatis clerici a solvendis tributis et ab aliis servilibus oneribus; temporalia enim clericorum bona per tributi impositionem injuste exigere et extorquere, sacrilegium est, quia imponere clerico tributum, vel ab eo exigere extra casus permissos, est jure canonico specialiter prohibitum, c. *Non minus*, c. *Adversus.* Quartum fornicatio aut ejusmodi venerea turpitudo commissa in personam vel a persona voto castitatis obstricta; sed hæc fractio voti videtur habere tantum malitiam perfidiæ contra promissionem, non sacrilegii, nisi dum votum non solum ex promissione, sed etiam ex ordinatione et acceptatione Ecclesiæ, habet peculiarem vim dedicandi personam divino cultui, v. gr. solemne religionis votum; tunc enim probabiliter ultra perfidiam posset dici esse adjuncta specialis malitia sacrilegii. Ex vi tamen solius voti videtur talis persona peccando contra castitatem, unum solum perfidiæ peccatum committere, uti et minoribus ordinibus initiati, subdiaconi ac diaconi peccantes contra castitatem, qui ratione sui status vel nullam vel venialem tantum sacrilegii speciem, huic suo perfidiæ peccato addunt: imo etiam satis probabiliter ipsi sacerdotes; tamen quoad sacerdotes ob sublimius ministerium et sacratiorem ordinem, probabile est juxta quosdam peccata carnis in eis esse sacrilegia ex se, etiam a voto præscindendo.

CAPP. IV, V, VI.

De sacrilegio contra locum et res alias sacras; de sacrilegii divisione et ejus adjunctis.

Dico 1: Secunda species sacrilegii est contra loca sacra, de quibus sat dictum est in superiori libro. Lessius dicit violationem festi per opus vel servile vel vetitum in festo, esse venialem sacrilegii malitiam contra tempus sacrum; sed hoc non videtur proprie dici.

Dico 2: Tertia species sacrilegii est contra res sacras, v. gr. sacramenta, sacra vasa, reliquias sanctorum, templi ornatum, bona ecclesiastica, etc.

Dico 3: Hæc trimembris sacrilegii divisio non est in species infimas, sed in subalternas: nam quoad primam speciem, violentæ manus injectio in clericum et violatio voti castitatis specie differunt; item quoad secundam speciem, furtum in loco sacro, et sanguinis effusio, etiam specie differunt, deinde quoad tertiam, irreverentia erga sacramentum Eucharistiæ, et irreverentia erga sanctorum imagines sunt longe specie diversæ. Hinc illæ tres species non tantum materialiter sed etiam formaliter inter se sub communi sacrilegii genere distinguuntur.

Dico 4: Irreverentia contra Eucharistiam quatenus directe et principaliter fit contra ipsam Christi personam, est irreligiositas et majus peccatum quam sacrilegium; quatenus vero fit concomitanter contra species sacramentales, est sacrilegium: non enim tantum fit injuria ipsi Christi personæ, sed etiam speciebus quæ simul cum illo adorantur. Sic irreverentiæ erga sanctorum imagines ac reliquias, quatenus sunt aliquid ad Deum, ejusque cultum spectans, est sacrilegium contra religionem; quatenus autem eos tantum in se repræsentant, et sunt præcise aliquid eorum, tunc est peccatum contra debitam observantiam seu dubiam. Idem cum proportione dic de percussione clerici. Denique inter res sacras numerantur concio et sacramenta contra quæ potest committi sacrilegium; non vero oratio et sacrificium, quia irreverentia quæ in oratione et sacrificio committitur, ipsi Deo immediate fit non instrumento divini cultus, ideoque dicitur irreligiositas, non sacrilegium.

CAPUT VII.

De gravitate, qualitate ac pœna sacrilegii.

Dico 1: Sacrilegium est peccatum mortale ex suo genere; potest tamen esse veniale vel ex levitate materiæ, si desit formalis contemptus, vel ex inadvertentia.

Dico 2: Non tantum commissionis, sed etiam omissionis sacrilegium datur. Omissio enim custodiendi Eucharistiam sub clavi, conservandi munda corporalia, pallam, vasa sacra contra præceptum, pertinet ad irreverentiam contra cultum divinum, adeoque species sacrilegii. Excessus vero in cultu, v. gr. colendo cultu publico aliquem non beatificatum, videtur potius superstitio quam sacrilegium. Malitia sacrilegii non semper præsupponit malitiam alterius peccati, ut patet in viro qui voto castitatis obstrictus, petit debitum a sua conjuge, aut qui nullo castitatis voto obstrictus, habet cum ea copulam in templo extra casum necessitatis; item in indigna sumptione vel administratione sacramenti.

Dico 3: Sacrilegium triplex est tantum, quod habet spiritualem pœnam ipso facto annexam seu censuram; nimirum percussio clerici, fractio templi cum raptu, violatio immunitatis ecclesiasticæ. Quædam jura canonica imponunt ob sacrilegium, quamdam pœnam pecuniariam seu multam, solvendam nempe postquam aliquis est juridice condemnatus.

LIBER IV.

De Simonia.

CAPP. I, II.

Quid Simonia, et quæ ejus materia; an sit intrinseca mala.

Dico 1 : Simonia, vox derivata a Simone Mago, sic potest definiri : Est sacrilegium quod in emptione, et venditione, seu in quolibet contractu, in quo commutatur res spiritualis, ut talis est, pro temporali committitur ; sive, ut ait D. Thomas in dist. 25, quæst. 5, art. 1, est «studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.» Dicitur *studiosa voluntas*, id est quæ deliberate quidpiam eligit. Vox *spirituale* significat omnes gratias gratis datas, omnia dona Spiritus sancti, ministeria ad animarum salutem divinitus ordinata, aut salutis instrumenta, et quidquid a Deo vel ab Ecclesia ob illam institutum est. Additur *vel spirituali annexum*, id est res quædam quæ licet in se materiales sint, cum spiritualibus tamen connectuntur, vel tanquam materia cum forma, v. gr. calix argenteus cum consecratione; vel tanquam inchoatio ad terminum, v. gr. juspatronatus ad beneficium; vel tanquam effectus ad causam, v. gr. datio beneficii ob obsequium.

Dico 2 : Hæc sunt quatuor quæ respicit Simonia: 1° Generalem istius vitii naturam; 2° materiam circa quam versatur, sive rem spiritualem, aut spirituali annexam ; 3° pretium seu rem temporalem datam pro tali re spirituali ; 4° ipsam commutandi seu vendendi actionem, de quibus omnibus ordine dicendum est in toto hoc libro. Quare

Dico 3 : Simonia communiter dividitur in eam quæ est contra jus divinum, et in eam quæ est tantum contra jus ecclesiasticum : v. gr. prohibita ab Ecclesia venditio alicujus rei temporalis, quæ rei sacræ sit annexa, erit contra jus ecclesiasticum. Simonia ergo non tantum potest esse, sed ordinarie est contra jus divinum naturale, ut patet ex Act. VIII, 20: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Ibi enim Petrus ex ipsa divini doni natura, non ex aliqua prohibitione positiva arguit Simonem ob vilipendium et contemptum istius superexcellentis doni, quod ex se, et ex natura sua non sic debebat vilipendi per pretium pecuniarium, siquidem lex naturalis dictat sancta esse sancte tractanda ; sanctum autem Dei donum non sancte tractatur, dum illud pretio temporali, re improportionatissima, commutatur. Hinc Christus in lege gratiæ non tulit de hac re, id est, de rei spiritualis venditione aliquod speciale præceptum positivum, sed naturale duntaxat indicavit et explicuit his verbis : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8), id est, date sine pretio. Atque per hanc explicationem positive præcipit servari, quod jam ex natura rei et ex jure naturali servandum erat.

CAPP. III, IV.

De intrinseca Simoniæ malitia.

Dico 1 : Simonia ex genere suo est peccatum mortale, et gravissimum quidem, ut unanimiter asserunt theologi et Patres, et multa juris capitula ; imo non datur in hoc peccato levitas materiæ. Non enim datur ex parte rei spiritualis, quia nullum donum gratiæ, quantumvis parvum videatur, potest esse vendibile sine gravi Dei et ipsiusmet doni irreverentia ; neque ex parte pretii, quia si sit magnum, habet gravem deformitatem ; si sit parvum, graviter vilipenditur res spiritualis, quæ ejusmodi vili pretio venditur ac æquiparatur ; atque ita hoc peccatum non potest fieri veniale, nisi forte per inconsiderationem seu ignorantiam : vel *facti*, quia quis non advertit rem illam esse spiritualem, aut non putat esse venditionem ac pactionem æquivalentem ; vel *juris*, quia non existimat in tali materia dari Simoniam prohibitam. In aliis vero sacrilegiis sæpe potest haberi levitas materiæ adeoque peccatum veniale.

Dico 2 : Malitia Simoniæ est ita illi intrinseca, ut stantibus omnibus conditionibus et circumstantiis quæ nunc sunt ex parte materiæ et objecti per se pravi, non videatur Deus posse etiam de potentia absoluta, illius actum honestare, seu facere ut actio vendendi et emendi rem sacram sit honesta, et ab omni malitia immunis ; secus vero, si aliquam in ejus materia aut conditionibus faceret mutationem, si v. gr. gratiam sanitatis, aliudve donum spirituale alicui ita concederet, ut posset tanquam dominus aut dispensator pro suo lubitu illud vendere in suam vel proximi utilitatem temporalem, non spiritualem, tunc enim non fieret Deo injuria et irreverentia, quia esset contentus ac juxta ipsius voluntatem venderetur res tanquam propria aut dispensabilis ; nec haberetur ut res sacra, quia nec ex se, nec ex dantis intentione ordinaretur ad specialem Dei cultum aut animæ salutem, sed tantum, ut naturalia scientiæ ac prudentiæ dona, ordinaretur ad Deum ut finem ultimum.

Dico 3 : In Simoniæ peccato injustitia quæ committitur respectu Dei, dum venditur res spiritualis invito Domino seu Deo, tota reducitur ad irreverentiam quæ ipsi fit, utendo male re data, adeoque est una tantum malitia contra religionem. Respectu vero hominis cui res spiritualis venditur, non semper intervenit vera injustitia, quia volenti rem sic emere, non fit injuria, et commodum quo venditor se privat, rem istam vendendo, est pretio æstimabile ; ergo, etc. Quotiescunque tamen ob solam rei spiritualitatem aliquod pretium spirituale accipitur, tunc injustitia committitur : v. gr. si quis vendat calicem pluris quam ejus materia ac ex-

pensæ in eo elaborando et consecrando factæ valent, ob solam ejus consecrationem; is non tantum est Simoniacus, sed etiam injustus quoad istum excessum, quia res non est pretio æstimabilis ob solam spiritualitatem; nec res spiritualis est vendibilis secundum temporalem æstimationem.

CAPP. V, VI.

An in omni legis tam Mosaicæ quam naturalis tempore potuerit committi Simonia.

Dico 1: Simonia tanquam repugnans juri divino naturali fuit in lege Mosaica prohibita, potuitque tunc committi, et reipsa fuit commissa: erant enim tunc sacrificia, sacramenta, templum, sacerdotium, pontificatus, donum prophetiæ, etc., quibus in rebus poterat Simonia committi per venditionem et emptionem, uti revera commissa fuisse refertur, II Mach. IV, dum dicitur Jason ad obtinendum summum sacerdotium obtulisse regi Antiocho multa argenti talenta, et postea Menelaus majoris pretii promissione illud obtinuisse, expulso Jasone; et probabiliter fuit etiam realis Simonia factum Giezi, qui duo argenti talenta accepit a principe Naaman, postquam per Elisæum a lepra mundatus fuerat (*IV Reg.* V), pro spirituali enim beneficio præstito, accepit pretium temporale; Balaam autem ariolus (*Num.* XXII), non pro re spirituali, sed pro maleficio accipiebat pecuniam. Deinde si quando refert Scriptura quidpiam temporale datum fuisse prophetæ, non illi dabatur pro re spirituali, sed loco eleemosynæ, aut gratitudinis; ergo. Veteris namque legis Scriptura vehementer sæpe reprehendit ac vetat hoc Simoniæ vitium: Exod. XXIII et I Reg. II; item Michææ III, Jerem. XXIII, Zach. IV; et prophetæ reprehenduntur Ezech. XXII, eo quod opes et pretium acceperunt.

Dico 2: Tempore legis naturæ prout elevatæ per fidem dictantis quid agendum aut vitandum foret, juxta lumen ipsi fidei connaturale, potuit etiam committi Simonia, nam tunc etiam erant donum prophetiæ, sacrificium, sacramentum, sacerdotium, aliæque functiones spirituales, circa quas si fiebat venditio aut emptio, Simonia committebatur. Non tamen ullam Simoniam committit Abraham, dum Gen. XXIII emit ab Ephron locum sepulturæ: ager enim et spelunca ex se est quid temporali pretio æstimabile. Uti nec ullam videtur commisisse Jacob, dum, Gen. XXV, emit jus primogenituræ a fratre suo Esau; quia licet istud jus probabiliter haberet tunc sibi annexum sacerdotium, tamen secundum se spectatum prout habebat varia commoda et emolumenta temporalia, poterat vendi, sicut potest vendi ager, licet habeat sibi annexum jus patronatus, et calix consecratus ob ipsius materiam. Quod attinet ad Esau, fortasse ipse ob pravam intentionem potuit esse Simoniacus, volendo vendere etiam ipsum jus spirituale, etiamsi potuerit quoque alio modo pactum inire sine Simonia.

Jam vero in lege naturæ puræ, seu non elevatæ ad finem supernaturalem, an potuerit dari Simonia, id dependet a quæstione qua petitur an in illo statu inveniri potuisset Simoniæ materia, de qua in cap. 8.

CAPUT VII.

An dari possit Simonia solo jure ecclesiastico prohibita.

Respondeo affirmative, contra Durandum; id est, potest dari Simonia quæ immediate suam malitiam habeat ob prohibitionem Ecclesiæ. 1° Ex parte contractus, si nempe datio et acceptio rei quæ prohibetur non sit propria emptio et venditio; ideoque ex solo jure naturæ non sit prohibita, etiam circa rem sacram; tamen lex ecclesiastica intuitu religionis et reverentiæ erga res sacras illam prohibet ob magnam affinitatem cum emptione et venditione ad tollendam omnem occasionem et suspicionem Simoniæ, v. gr. si Ecclesia vetet ut in actuali sacramenti administratione quidpiam recipiatur, etiam sponte oblatum, agendo contra istam prohibitionem committeretur Simonia positiva. 2° Ex parte rei venditæ, si nempe res vendita non sit ita sacra, ut quamvis ejus venditio ex natura rei non sit irreligiosa, tamen Ecclesia illam prohibeat intuitu solius religionis ob majorem rerum sacrarum immunitatem ab omni Simoniæ labe: v. gr. officium œconomi aut thesaurarii rerum ecclesiasticarum habet quidem aliquam connexionem aut affinitatem cum rebus sacris, sed non tantam ut ex natura rei sit Simonia illud vendere; si autem prohibeat illud vendere Ecclesia, tunc ejus venditio erit Simonia, juxta cap. *Salvator* 1, quæst. 3. Denique, 3° ex parte pretii, si nempe pro re spirituali detur pretium spirituale ab Ecclesia prohibitum, v. gr. beneficiorum permutatio propria auctoritate facta. Ratio est, quia lex ecclesiastica potest actionem de se non malam, emendi aut vendendi rem quasi sacram aut sacræ annexam, prohibere ob reverentiam erga res sacras debitam, atque ita constituere immunitatem a tali contractu tanquam necessariam ad servandum virtutis medium in materia religionis; tunc actio illa erit immediate mala ex prohibitione Ecclesiæ, ejusque malitia erit Simonia, cum directe opponatur cultui sacro, non vero inobedientia tantum. Sicuti comedere carnes die prohibito est formaliter peccatum intemperantiæ, et non inobedientia tantum, quia directe virtuti temperantiæ tali die præcepta opponitur. Illa Simonia contra legem positivam perinde ac contra naturalem est peccatum mortale ex suæ speciei ac materiæ vi.

CAPUT VIII.

An dari possit Simonia in materia mere naturali.

Nota hic agi de donis naturalibus, non corporalibus, sed spiritualibus, id est ad intellectum et voluntatem spectantibus, quæ sunt triplicia: alia enim sunt mere intellectualia quæ perficiunt intellectum nec ex se ordinantur ad moralem honesta-

tem, v. gr. scientiæ; alia moralia quæ intellectum et voluntatem perficiunt in ordine ad bonos mores naturales; alia quæ ad naturalem rei cultum spectant. Hinc

Dico 1: Spiritualia dona naturali more intellectualia sive speculativa sive practica, eo modo quo revera vendi possunt, non sunt nec esse possunt Simoniæ materia (D. Thomas, Cajetanus, Navarra, Richardus, etc.), quia illa non pertinent ad supernaturalem gratiæ ordinem, nec ad religionem aut cultum Dei. Materia autem Simoniæ est res spiritualis ad illum pertinens, derivata a spiritu non creato, sed increato. Quapropter illa dona vendere eo modo quo vendi possunt non est illicitum nec ullam malitiam moralem continet. Etsi quandoque contingat aliquam continere, non erit Simonia, sed aliud peccatum, v. gr. injustitia, immisericordia, etc. Licite enim potest quis vendere suam operam ac laborem in docendo, aut usum ac fructum suæ scientiæ seu artis. Unde 1° non est Simoniacus qui vendit doctrinam, etiamsi intendat directe vendere ipsam veritatem naturalem, quia ista veritas nec est res sacra, nec ordinata ad cultum Dei; sed peccabit contra justitiam, si ultra condignum pretium sui laboris quem ponit in docendo, aliquod speciale pretium exigat pro ipsa veritate; tunc enim venderet vel bis idem, vel rem non suam, venderet enim veritatem prout est in mente discentis. Non peccabit tamen si augeat suæ doctrinæ pretium ob aliquam ejus excellentiam, vel ob eximiam docentis peritiam, etiamsi labor corporalis non sit major, imo minor et quasi nullus. Addo insuper nec fore injustum, nec illicitum vendere usum seu institutionem suæ scientiæ sine labore partæ, aut per accidens infusæ gratis a Deo ut auctore naturæ; opera enim quæ ex illa oriuntur sunt naturalia et ejusdem valoris cum iis, quæ aliter ex alio principio naturali oriuntur. 2° Si quis vendat suum laborem in docendo scientias naturales charius quam par est, v. gr. habens condignum pretium a magistratu ecclesiastico ea conditione, ut gratis omnes doceat, si aliquid exigat a suis discipulis, erit quidem injustus, sed non Simoniacus: uti nec præceptor erit Simoniacus, si nolit vacare a lectione tam die festo quam profesto seu profano, nisi accepto a discipulis pretio; quia docere vel non docere die festo, nihil ex se attinet ad diem festum. 3° Nec est Simonia dare ob pretium licentiam docendi, si hæc non pendeat a potestate spirituali; erit autem contra justitiam, si eam dare teneatur ex officio collator.

Dico 2: Naturalia bona moralia quæ tantum inter homines versantur, sive ad intellectus prudentiam, sive ad morales voluntatis virtutes spectantia, non sunt materia Simoniæ, neque illa vendere, per se loquendo, est peccatum; interdum tamen potest esse contra charitatem et justitiam, sed nunquam vera Simonia, quia harum virtutum operationes quæ venduntur, et tota materia circa quam versantur, non solum sunt naturales, sed nec ad religionem pertinent. Hinc sequitur: 1° Non esse Simoniam pretium accipere pro consilio dando morali et humano quatenus ex principiis naturaliter notis, aut ex scripto jure humano pendet, sive detur in ordine ad actiones et jura civilia, ad vincendas lites, etc., sive ad dirigendam conscientiam quoad honestatem naturalem moralem. 2° Non esse Simoniam, stando in pura natura, accipere pretium pro aliqua exhortatione ad virtutem moralem, et ad vitanda peccata contra legem naturæ, sive fiat in publica oratione, sive in privata admonitione. 3° Neque esse Simoniam vendere opera misericordiæ, justitiæ, et ejusmodi, v. gr. inservire ægris, etc.; nec per se esse vitiosum, nisi dum charitas, misericordia, aut justitia aliud postulat, v. gr. si quis tenetur gratis juvare proximum, gratis ferre sententiam, gratis testimonium dicere, ac pro hoc exigat pretium, erit quidem injustus, sed non Simoniacus; uti nec est Simoniacus, qui dat alicui pecuniam ut bonum opus omittat, etc.

Dico 3: Probabile est in materia religionis naturalis posse dari Simoniam naturalem loquendo de cultoribus veri Dei per puram rationem naturalem, non de idololatris inter quos non datur verum sacrificium, sed fictum tantum. Probatur, quia in pura natura posset esse verum sacerdotium; ergo venditio illius esset tunc contra rationem naturalem et religionem, adeoque Simonia naturalis; nunc enim venditio sacerdotii est Simonia, quia est contra rationem naturalem et religionem, sive quia ex naturali jure est mala et religioni contraria; ergo et tunc. In omni enim lege est intrinsece mala, secus autem venditio officiorum civilium; imo licet venditio sacerdotii naturalis non foret intrinsece mala, sed mala quia esset prohibita, etiam vel sic esset Simoniaca. Hæc tamen Simonia naturalis distingueretur specie ab ea quæ nunc committitur, quia quantum inter se differunt acquisita et infusa religio, tantum differret illa Simonia contra legem seu religionem naturalem ab ea quæ nunc committitur contra religionem et supernaturalem Dei cultum; privatio enim sumit speciem ab habitu cui opponitur.

CAPUT IX.

An gratia unionis hypostaticæ ac sanctificans possit esse materia Simoniæ.

Dico 1: Gratia unionis hypostaticæ non potest esse materia Simoniæ; nec Judas Christum vendendo fuit proprie Simoniacus; vendendo enim Christum non cogitavit quidquam de spiritualitate quæ in Christo erat, nec eo titulo accepit venditionis pretium, sed titulo naturæ humanæ quæ erat in Christo, quasi res corporalis annexa spirituali, non extendendo istud pretium ad rei spiritualitatem. Deinde ista venditio continet irreligiositatem, et malitiam longe altioris ordinis quam Simonia.

Dico 2: Gratia sanctificans potest esse materia Simoniæ. 1° Sumpta pro habitu, v. gr. si vendatur

homo sanctificatus quatenus sanctificatus, si redimatur chariori pretio captivus quia est Christianus, aut sacerdotii intuitu; si vendatur pluris servus, quia sanctus est. 2° Sumpta pro actu, v. gr. si quis vendat suum actum supernaturalem quatenus potest alteri afferre spiritualem utilitatem vel meriti de congruo, vel impetrationis, vel satisfactionis; item si quis suam cooperationem, qua plantando et rigando cooperatur ad fidem alterius, aut similes actus, vendat : censetur enim terminum et effectum ipsius actionis, id est gratiæ actum vendere; atque ita in his omnibus committitur Simonia.

CAPP. X, XI.

An omnia Ecclesiæ sacramenta eorumque materiæ sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Venditio Eucharistiæ duplicem continet malitiam : alteram propriæ ac maximæ Simoniæ quatenus est venditio sacramenti sensibilis et ad usus humanos accommodati; alteram gravissimæ irreligiositatis seu irreverentiæ erga personam Christi, similem venditioni Judæ, quæ est altioris ordinis quam Simonia et commune sacrilegium. Quoad ejus materiam remotam, panem et vinum, clarum est vendi eam posse absque Simonia; secus vero proximam, id est, ipsasmet species consecratas, quia jam habent novum et spiritualem usum, nec sine supernaturalis operis interventu corporaliter nutriunt.

Dico 2 : Quodvis sacramentum ut sic, est propriissimæ Simoniæ materia juri naturali contraria : est enim divinum et supernaturale donum nobis gratis a Christo collatum, et respectu gratiæ quam confert, spirituale; adeoque illud vendere est Simonia, quæ sæpe habet adjunctam malitiam scandali aut injustitiæ. Cumque matrimonium sit verum sacramentum, etiam illud vendere prout sacramentum, est vera Simonia. Sed cum matrimonium non sit tantum matrimonium, sed etiam contractus humanus, in quo communicatio rei materialis, seu mutua corporum traditio intervenit, ideo pro hac re temporali, aliisque circumstantiis materialibus, v. gr. nobilitate, opulentia, pulchritudine, dignitate, etc., potest dari pecunia sine Simoniæ labe.

Dico 3 : In sacramentis duplex est materia : alia *remota*, v. gr. in baptismo aqua, in Eucharistia panis, in matrimonio corpora conjugum; alia *proxima*, in aliqua hominis actione consistens, v. gr. ablutio, unctio, verborum prolatio, etc. Vendere materiam remotam, quando nondum est benedicta aut consecrata, patet licere; de ista autem materia jam benedicta aut consecrata, uti et de labore corporali et temporis jactura, quæ materiam proximam comitatur, dicetur in cap. 15 quid liceat. Quoad vero materiam proximam seu ipsam corporalem actionem, in qua ratio sacramenti fundatur, vendere illam omnino non licet; et si vendatur, committitur Simonia. (D. Thomas, Cajetanus, Soto, Durandus, etc.) Quia tota illa actio et passio, quæ est materiale sacramenti, est actus ministerii ac potestatis spiritualis et supernaturalis; ideoque ipsamet materialis actio gratis etiam conferenda est. De matrimonio jam dictum est supra, pro quo quatenus est sacramentum, nihil accipi potest; sed potest accipi pro re temporali ad ipsum spectante, quatenus est contractus humanus.

CAPUT XII.

An in necessitate possit emi sacramentum ab eo qui non vult illud ministrare nisi ob pretium.

Variæ circa hoc sunt sententiæ, maxime circa baptismum.

Prima igitur negat licitum esse dare pecuniam sub colore aut titulo ut sacramentum obtineatur, in quavis necessitate spirituali, etiam omnino extrema; qualis foret in infante morti proximo, cui non posset obtineri ac conferri baptismus, nisi dando pecuniam pro illo obtinendo ac conferendo : ita D. Thomas, Paludanus, Sylvester, etc.; quia, inquiunt, in illo casu non potest dari pecunia illam petenti ut baptizet, nisi emendo baptismum. Emptio autem baptismi, uti et venditio, est intrinsece mala contra jus divinum et naturale; ergo non licet.

Secunda affirmat in extrema omnino necessitate licere pecuniam dare, nempe in prædicti infantis necessitate, sed non in gravi licere, qualis foret si poneretur adultus in simili casu; hic enim adultus non est in extrema salutis necessitate, quia potest baptismum recipere in voto per contritionem, seu baptismum flaminis, et salvari. (Panormitanus, Cajetanus, Archidiaconus, etc.) Probatur de extrema necessitate, quia tunc, inquiunt, ob extremam necessitatem, seu ob jus naturale vitandi æternam infantis damnationem, potest dari pecunia non animo baptismum emendi, sed ad tollendum tantum impedimentum, satiando alterius avaritiam, ut sublato isto impedimento administret sacramentum; atque ita non emitur baptismus, nec fit Simonia, quia datio pecuniæ habet bonum finem necessarium per se et distinctum ab emptione rei spiritualis. Verum hæc ratio posset valere etiam pro adulto in gravi baptismi necessitate constituto. Hæc ratio a Soto allata cur pro adulto non valeat, dicendo emptionem sacramenti in extrema sola necessitate (non vero in gravi) non esse intrinsece malam, caret fundamento et doctrinæ consequentia. Unde

Dico non tantum in extrema infantis, sed etiam in gravissima adulti necessitate baptismi recipiendi, licitum esse, ut probabilius videtur, dare pecuniam non ut pretium sacramenti, sed ut removentem impedimentum pravæ alterius voluntatis, et avaritiæ. Ita Albertus, Gabriel, Adrianus, etc., quia illa datio pecuniæ potest per intentionem dantis pro eleemosyna, aut pro sustentatione, aut pro tollendo impedimento separari omnino a ratione emptionis; etiamsi alter petat illam in pretium sacramenti, cujus intentioni non tenetur suam conformare dator pecuniæ; tuncque est honesta ratio sic operandi, nec ulla sacramenti irreverentia in-

tervenit. Sicut is qui dat pecuniam pro facienda missa, quamvis immediate intendat sacerdotis sustentationem, intendit tamen etiam ut ille faciat missam, nec ideo intendit emere saltem mediate missam, quia non intendit dare pecuniam ut pretium missæ. Ita ille qui ad redimendam vexationem, quam sibi facit nolens dare sacramentum baptismi, vel ad tollendum ejus avaritiæ impedimentum dat pecuniam, non intendit mediate emere baptismum, quia ut sit emptio non satis est dare pecuniam, sed oportet ut per se ordinetur ad rei sacræ adeptionem tanquam ejus pretium; hic autem per se ad id non ordinatur, sed ad removendum prohibens; nec datur ut sacramenti pretium, sed ut avaritiam exstinguat; vel etiam dari posset tanquam pretium pro depositione odii, iræ, aut appetitus vindictæ, si inde oriretur resistentia dandi sacramentum.

Hinc collige idem dicendum esse de eo qui conscius peccati mortalis in morte, nullum alium habere posset confessarium, quam aliquem nolentem audire confessionem nisi accepta pecunia, aut de eo cui nullum aliud conferri posset sacramentum quam extrema unctio; in his enim gravissimæ necessitatis casibus, videtur posse dari pecunia nolenti sine ea administrare sacramentum, non ut pretium sacramenti, sed ad honestum alium finem. Imo posset etiam dubitari, an non etiam liceret sic recipere Eucharistiam per modum viatici a nolente illam dare sine pecunia, cum infirmus possit uti jure suo sine cooperatione cum ministri Simoniaci malitia, et sine emptione sacramenti. Denique si Eucharistiam arreptam habeat tyrannus, vel hæreticus, vel Judæus, et velit illam conculcare, aut comburere, nec possit ab ipsa injuria vindicari, nisi pretio dato, tunc sive petenti, sive non petenti potest dari pecunia ut cesset ab illis injuriis, et Eucharistiam fidelibus restituat, quia non emitur sacramentum, sed redimitur vexatio quæ fit sacramento, ipsique Christo (nam potest redimi vexatio quæ fit alteri) atque Ecclesiæ quæ sola habet jus fruendi Eucharistia : imo quasi ipse tyrannus redimitur, efficiendo ut ab injuria et peccato desistat. Idem dic de redimendis sanctorum reliquiis.

CAPUT XIII.

An omnes actus potestatis ordinis sint materia Simoniæ.

Dico : Omnes actus procedentes a potestate ordinis in quocunque ejus gradu seu ordine, sunt Simoniæ materia, ita ut illos emere aut vendere sit Simoniacum. Quia isti actus seu ministeria sunt spiritualia tum quoad effectum utpote procedentia a potestate spirituali et supernaturali, tum quoad causam quia disponunt aliquo modo ad spiritualem fructum, vel conferunt aliquam consecrationem aut sanctificationem; ac proinde hæc Simonia non est tantum mala quia ab Ecclesia prohibetur, sed prohibetur quia est per se mala : est enim venditio rei spiritualis. Quare Simoniæ materia sunt hæ ordinum functiones : 1° in sacerdote sacrificare, absolvere, extremam unctionem dare, in ipso sacrificio aut extra illud publicas nomine populi preces fundere, conferre sacramentum confirmationis et ordinis, baptizare, nuptialem benedictionem facere. Item hæ sacræ actiones immediate ab Ecclesia institutæ : consecrare calices, altaria, templa, chrisma, agnos Dei, conficere benedictiones sacrorum vestimentorum, corporalium, aquæ, cerei paschalis, cinerum, candelarum in die purificationis, etc. 2° In diacono ministrare sacerdoti solemniter celebranti, aut Eucharistiam dare; in subdiacono ministrare similiter sacerdoti; in exorcista, acolytho, lectore, ostiario suum proprium officium exercere. Prima tonsura licet non sit ordo juxta veriorem sententiam, est tamen etiam materia Simoniæ, utpote aliquid spirituale.

CAPUT XIV.

An omnia sacramentalia tam in actione quam in termino, seu effectu permanente, sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Omnia sacramentalia, etiam transeuntia, id est, quæ non habent permanentem effectum post rei benedictionem, v. gr. benedictio nuptialis, exorcismus, etc., sunt materia Simoniæ. Sunt enim res spirituales juxta Ecclesiæ institutionem.

Dico 2 : Sacramentalia omnia permanentia, seu res specialiter ab Ecclesia consecratæ quatenus tales, materia sunt Simoniæ, quæ committitur etiam contra jus divinum quoties res hujusmodi quatenus tales venduntur, quia hæ res sunt vere sacræ, ideoque si vendantur quatenus tales, irreverentia magna committitur spectans ad Simoniam, uti etiamsi vendantur charius ratione consecrationis, aut benedictionis, quam antea valebant ratione suæ materiæ vel artis; consecratio enim aut benedictio non est vendibilis. Sed

Dico 3 : Istæ res consecratæ aut benedictæ, non obstante consecratione aut benedictione, videntur vendi posse ratione materiæ, eo pretio quo vendi possent ante consecrationem aut benedictionem, sive sint res artificiales, v. gr. rosa; sive naturales, v. gr. oleum; id est ista omnia quæ antecedenter sunt annexa spiritualibus, seu quæ secundum se antecedunt spiritualitatem, vendi posse secundum se spectata : ita communiter theologi, Durandus, Richardus, Navarra, Sylvester, etc., contra plerosque canonistas dicentes istas res semel consecratas, v. gr. aquam benedictam, calicem consecratum, etc., quandiu consecrationem retinent, ratione materiæ vendi non posse, et quæ per fractionem aut scissionem amittere possunt consecrationem, prius esse frangendas aut scindendas, et tunc illarum materiam vendi posse; quæ autem nequeunt sic amittere consecrationem, v. gr. sacrum oleum, nunquam amplius esse vendibiles. Sed probatur, quia illæ res ratione suæ substantiæ et naturalis conditionis sunt æstimabiles pretio nec amittunt suum valorem ratione consecrationis, aut quia non

possunt ad usus profanos converti, etiamsi novum non acquirant, parumque interest, utrum earum materia sit parvi valoris, an vero magni : res enim parvi valoris etiam vendi potest sine respectu ad consecrationem, v. gr. agni Dei passim venduntur, etiam Romæ.

Objicies 1 : Materia consecrata non potest subsistere sine consecratione, nec consecratio sine tali materia ; ergo non potest unum vendi sine altero. Respondeo : Distinguo consequens. Temporale seu materiale annexum spirituali, v. gr. præbenda annexa spirituali officio, non potest vendi sine altero, concedo consequens ; quia cum ibi temporale sit quasi consequens ad spirituale et aliter transferri non possit in alium, non potest etiam vendi, quin spirituale vendatur. Temporale seu materiale cui spirituale annexum est, v. gr. fundus cui annexum spirituale jus patronatus, non potest vendi sine altero, nego consequens ; fundus enim potest vendi non vendito jure patronatus, quia fundus secundum se est prius. Et sic Bonaventura interpretatur (cap. 1, quæst. 3) : « Si quis objecerit non consecrationem emi, sed res ipsas quæ ex consecratione perveniunt, desipere probatur. » Deinde quod idem caput ibidem addit : « Nam cum corporalis Ecclesia aut episcopus, » etc., debet sic legi : « Nam cum corporalis Ecclesiæ episcopus, » etc., id est, episcopi dignitas non potest vendi.

Obj. 2 : Transeuntes actiones conficiendi aut administrandi sacramenta, licet constent ex re materiali et formali seu spirituali, vendi non possunt; ergo nec res permanentes quæ constant ex materiali et spirituali. Respondeo : Nego consequens. Quia in his rebus permanentibus materiale supponitur ut subjectum cui postea annectitur spirituale : nam si spirituale sit antecedens, et temporale consequens, hoc temporale vendi nequit, quia virtualiter venderetur id quod supponitur, nempe spirituale. In prædictis autem actionibus, materiale non est antecedens ad spirituale, sed concomitans, et quasi ita intrinsece permistum cum illo, ut totum fiat quasi intime et secundum se spirituale, ideoque non potest vendi unum sine altero.

Obj. 3 : Res materialis postquam est benedicta aut consecrata, jam nequit transferri ad communes usus talium rerum ; ergo non est pretio æstimabilis etiam materialiter sumpta, cum res materialis non æstimetur pretio temporali nisi ob usum ordinarium. Respondeo : Nego consequens. Est enim æstimabilis ob ipsius puræ materiæ valorem, et juxta illum ac communem artificii operisque æstimationem ac perfectionem vendi potest ; usus autem non venditur, utpote quid valde remotum, nec emptor ex vi emptionis ad illum obligatur, nec venditur ob consecrationem.

Obj. 4 : Vel omnes istæ res vendi possunt ratione materiæ, vel aliquæ tantum. Respondeo : Omnes ; exceptis iis quæ jure ecclesiastico prohibentur. Inde 1° quoad sepulturæ venditionem, si quis habeat fundum, potest eum vendere, ut in illo sepulcrum constituatur. Item si quis habeat sepulcrum suis sumptibus emptum, aut structum pro se vel pro suis, non est Simonia, si illud vendat quoad fundi proprietatem juxta ejus valorem, et habito respectu ad solas expensas in eo exstruendo factas ; sed postquam aliquis locus aut cœmeterium ad fidelium sepulturam benedictum est aut publice dicatum, si habito respectu ad benedictionem vendatur, erit Simonia, ut patet. Item quando aliquis locus sacer est communis pro fidelium sepulturis, si ibi alicui vendatur sepultura, aut aliquis sine certo pretio non admittatur ut in isto loco sepeliatur, erit Simonia, saltem ex Ecclesiæ prohibitione, cap. *Abolendæ*, cap. *Cum in Ecclesia*, cap. *Ea quæ*. Imo videtur id extendi ad locum particularem, v. gr. ad aliquod sacellum quod cum toto ejus loco subterraneo est proprium certi patroni, si hic accipiat aliquid pro licentia sepeliendi ibi extraneum. Hinc a fortiori juxta Antonium et Sylvestrem erit Simonia aliquid accipere pro honoratiori sepulturæ loco : v. gr. ut quis sepeliatur intra ecclesiam, et non in cœmeterio, aut ut sepeliatur propius ad altare intra ecclesiam, et quamvis alii quidam theologi asserant hoc esse licitum, quia ibi tantum venditur honor humanus, attamen non videtur id admittendum. 2° Chrisma jam ab episcopo confectum ad compensandas expensas pro ejus materia factas, prohibetur ab Ecclesia distribui cum pretio (cap. *Placuit*), ideoque si id fieret, committeretur Simonia. 3° Reliquiæ sanctorum non possunt vendi sine Simonia, quia in illis non potest moraliter distingui materiale a formali seu spirituali, nec materiale secundum se spectatum, pretio est æstimabile ; secus de earum ornatu argenteo aut aureo. 4° Pro locatione aut commodatione rei sacræ, non videtur licitum esse aliquid accipere, nisi ad compensandum verum damnum aut expensas ob ejus usum.

CAPUT XV.

An divina officia et alia virtutum opera sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Divina officia, prout fiunt ex Ecclesiæ institutione, et per ministros ecclesiasticos, v. gr. publicæ orationes in exsequiis mortuorum, in publicis supplicationibus, in litaniis, etc., sunt propria Simoniæ materia, ita ut illa emere, vel vendere sit Simonia contra jus divinum et naturale : ista enim sunt quid spirituale. Unde suffragia mortuorum vendi non possunt ; pro his tamen stipendium licet accipere ob honestum titulum, sed non pretium. Pro quibusdam actibus qui non sunt spirituales, v. gr. deferre corpus defuncti, sepulturæ tradere, cooperire, tumulum facere, ornare, mundare, etc., licitum est pretium exigere.

Dico 2 : Pro ecclesiasticis processionibus quæ publice fiunt vel ad sanctorum festorumve venerationem vel ad impetranda a Deo auxilia, v. gr. tempore Rogationum aut alio, aut pro actionibus ad

illas spectantibus non potest pretium accipi; uti nec pro orationibus privatis quatenus sunt vel impetratoriæ, vel satisfactoriæ, vel meritoriæ de congruo ei pro quo funduntur.

Dico 3 : Actus virtutum facti in corporalem alterius utilitatem, v. gr. corporale misericordiæ opus, non sunt Simoniæ materia; secus vero in spiritualem, v. gr. jejunare ad satisfaciendum pro alterius peccatis.

CAPUT XVI.

An sit licitum dare alicui pecuniam aut aliud simile, ut suscipiat baptismum, religionem, sacramenta, etc.

Nota 1 : Potest duobus modis aliquid alteri dari intuitu ejus conversionis, aliusve bonæ actionis ab eo exercendæ : 1° Potest dari simpliciter sine ullo pacto, donis, beneficiis, eleemosynis alliciendo sensim ejus animum ad baptismum, religionem, sacramenta, etc., et hoc constat esse licitum (cap. *Quam pio*, cap. *Debet*). 2° Potest dari cum pacto vel expresso vel subintellecto : *Do ut facias;* et an hoc sit licitum, varie disputant auctores. Unde

Nota 2 : Plerique doctores simpliciter negant licere dare aliquid vel accipere hoc ultimo modo per viam pacti : *Do ut facias;* vel promittere sub tali conditione, ut fias religiosus, ut baptizeris, confitearis, etc. : ita D. Thomas, Cajetanus, Felinus, Angelus, etc. Contra alii asserunt licere, saltem pro baptismo : Glossa, Adrianus, Sanchez, etc. Inter has varias doctorum opiniones sic videtur dicendum :

Dico 1 : Donare de præsenti quidpiam alicui, petendo ut spirituale opus sive necessitatis sive consilii, aut supererogationis in bonum animæ suæ faciat, est licitum et honestum, si donatio ita fiat ut recipiens donum aut pecuniam non maneat simpliciter obligatus ad exsequendum id pro quo datur, sed tantum sub disjunctione, vel ad id exsequendum, vel ad restituendum quod accepit; nullum enim ibi pactum intervenit, sed est liberalis donatio ad bonum finem apposito tali modo non obligante ad aliquid determinate. Atque ita licebit isto modo dare aliquid, ut quis excitetur ad ingressum religionis, ad susceptionem baptismi, ad audiendam missam, ad exomologesim faciendam, etc. Hinc

Dico 2 : Promittere aliquid sub conditione expressa, si fidem susceperis, religionem ingressus fueris, aliudve tale opus spirituale feceris pro animæ tuæ salute, intendendo se obligare ad implendam promissionem conditione adimpleta, et non aliter, est etiam licitum, nullamque Simoniæ labem habet quando ex parte ejus, cui fit promissio, nulla oritur obligatio ad fidem suscipiendam, ad ingressum religionis, etc., quia ibi nullum est pactum, et talis promissio est tantum donatio liberalis pro excitando alio ad virtutem. Sic legatum sub expressa conditione factum, si legatarius fuerit religiosus, juxta veriorem sententiam est validum et licitum, quod patet ex cap. *De condit. appos.*, ubi manumissio servorum facta sub hac conditione : *Do eis libertatem, modo monachi fiant ac in monasterio perseverent, et non aliter*, valida esse declaratur, ac servari præcipitur. Quia per similes promissiones datur tantum homini optio eligendi alterutrum pro suo libitu; nullaque vi oritur obligatio. Sed

Dico 3 : Dare vel promittere temporale sub pacto et conditione, ut alter maneat obligatus determinate ad fidem, vel religionem, vel sacramentum suscipiendum vel ad quidpiam simile agendum, non est licitum, et Simoniæ labe non caret. Omnia enim pacta in materia spirituali reprobantur in jure (cap. *Quæsitum*, cap. *Quam pio*). Receptio autem baptismi, ingressus religionis, etc., est materia spiritualis; adeoque per pretium temporale obligando alterum ad tale opus, indigne tractatur res spiritualis, et talis donatio non est liberalis sed onerosa.

CAPUT XVII.

An ingressus religionis sive pro noviciatu, sive pro professione sumptus, sit materia Simoniæ.

Nota : Si quid temporale per modum pacti detur pro impetranda persona ad Ecclesiæ prælationem, v. gr. pro impetrando religioso alterius monasterii ad abbatiam, sive ipsi detur sive alteri, manifesta est Simonia (cap. *Quam pio*). Est enim venditio ministerii spiritualis. An autem liceat aliquid accipere ad resarcienda damna temporalia inde orta, dicetur postea; nunc de ingressu religionis sive per probationem in noviciatu, sive per vota et professionem.

Dico 1° : Ex natura rei et ex vi juris divini est Simonia recipere aliquem in religiosum, vendendo illi statum religiosum. Est enim venditio rei maxime spiritualis. Tamen

Dico 2 : Recipere aliquid ad sustentanda temporalia onera quæ religio in se suscipit cum tali persona, non est ex natura rei Simoniacum nec malum (D. Thomas, etc.), quia non accipitur temporale pro spirituali, sed pro temporali. Imo nec videtur hoc esse simpliciter prohibitum jure ecclesiastico, si revera monasterium inopia laboret, ita ut non possideat redditus sufficientes ad sustentandos plures religiosos quam quos jam habet. (D. Thomas, Navarra, Cajetanus, Sylvester, Angelus, etc.) Si enim sit dives et inopia non laboret, aliquid exigendo pro dicto ingressu, vendet quod gratis debet dare, quia bona monasterii sunt reditus ecclesiastici, adeoque debent gratis expendi in iis operibus ad quæ sunt ab ecclesia destinati; nempe in alendis gratis religiosis. Verum quamvis monasterium sit pauper, quidam doctores putant jure ecclesiastico prohibitam esse omnem pactionem pro necessaria sustentatione, citantque varia jura, cap. *Nullus* 1, quæst. 2; cap. *Non satis*, cap. *Quoniam*. Ac maxime extravag. 1, de Simonia prohibente ne quidquam recipiatur præter id quod personæ ipsæ *sponte et plena liberalitate omnique pactione cessante, dare vel offerre voluerint.* Arbitror tamen hancce prohibitionem non esse fa-

ctam pro casu veræ paupertatis monasterii; ac proinde juxta communem D. Thomæ sententiam non videtur ullo jure canonico esse prohibitum in casu veræ necessitatis aliquid recipere, et de eo pacisci, explicando illud exigi ad necessariam sustentationem. Deinde licet hoc foret jure canonico prohibitum, consuetudo contraria fuisset sufficiens ad illi derogandum; quia esset prohibitio mere humana, cui per consuetudinem derogatur. Nec talis consuetudo potest dici corruptela aut irrationalis, sed laudabilis; quia sic animarum necessitati et monasteriorum egestati subvenitur, eamque servandam esse dixit cap. *Ad apostolicam*, De Simon. Denique concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 16) dicit religionem posse pro anno probationis, suscipere de bonis novitii necessaria ad ejus victum et vestitum, adeoque et pro sustentatione totius vitæ, si vere monasterium sit egens; nil quidem loquitur concilium de pacto, sed cum hoc non vetet nec alia jura in casu egestatis monasterii, nec id sit contra jus naturæ, ergo licitum est.

CAPUT XVIII.

An supernaturalis doctrinæ functiones sint materia Simoniæ.

Dico 1: Clarum est vendere doctrinam fidei quatenus est formaliter supernaturalis et excellens in suo genere, esse Simoniacum, v. gr. si scriptor canonicus venderet suam scripturam quatenus est infallibilis veritatis; si propheta venderet occultorum revelationes aut fidei confirmationem miraculis probatam, etc.; atque ita fides est materia Simoniæ.

Dico 2: Juxta communem sententiam pro docenda theologia licitum est pretium recipere, adeoque doctrina theologiæ quoad hanc functionem, non est materia Simoniæ. Ita Adrianus, Cajetanus, Durandus, etc., contra Paludanum, Antonium, etc. Probatur, quia licet ipsa theologiæ doctrina sit in se supernaturalis, actiones tamen magistri illam docentis naturales sunt, et naturali modo procedunt et ordinantur ad illuminandum auditorum intellectus sive naturalis sive supernaturalis in eis generetur assensus; non enim venditur assensus, sed labor et opus quod in illis illuminandis ac docendis ponitur; nec etiam assensus theologicus est necessario supernaturalis, conclusio enim theologica potest esse naturalis, sequendo debiliorem partem præmissarum, ut patet in hæretico. Dicunt etiam non minus theologiæ quam philosophiæ, mathematicæ, medicinæ aliarumque naturalium scientiarum magistris passim assignari certam pensionem; sed posset dici hanc dari non ut pretium doctrinæ, sed ut stipendium congruæ sustentationis, sicuti datur pro concionatore; de quibus post. Dum Paulus (*Ephes.* IV, 11) inter ministros ecclesiasticos ponit pastores et doctores, per *doctores*, intelligit ipsos pastores quatenus sacra doctrina pascunt populum Dei.

Hinc collige vendere licentiam docendi theologiam non esse ex natura rei Simoniam, vendere enim cathedram theologiæ non est Simonia; atqui vendendo cathedram datur licentia docendi; ergo, etc. Denique gradus magisterii in theologia seu doctoratus aliique ejusmodi gradus litterarii, in quacunque dentur facultate, probabilius non sunt proprie materia Simoniæ, nec res spirituales; sunt enim tantum publicæ approbationes ad officium docendi, consulendi, medendi, etc., cum aliquibus privilegiis, commoditatibus, vel honoribus temporalibus. Et nihil refert, si forte officium docendi theologiam fuerit annexum beneficio ecclesiastico; officium enim docendi canones aut grammaticam potest etiam esse illi annexum, quia fructus beneficii possunt applicari, non tantum ut stipendium operis ministerii spiritualis, sed etiam temporalis oneris ac laboris, adeoque si quis ratione sui beneficii obligatus ad docendam gratis theologiam exigat aliquid, committet quidem injustitiam, sed non Simoniam.

Dico 3: Dare consilium pro foro externo et in ordine ad justitiam in illo servandam, etiamsi a theologo detur, et propter illud exigere pretium, non est Simonia, ut patet; pro interno autem conscientiæ foro dare consilium, si sit pure doctrinale et sistat in mera intellectus instructione, nec est etiam materia Simoniæ pretium exigere propter illud, quia hoc consilium immediate ordinatur ad solam intellectus instructionem in re morali, etiamsi ab interrogante ordinetur ac petatur ad pacandam aut dirigendam suam conscientiam; quia id extrinsecum est, nec mutat naturam actionis, quæ prout procedit ab ipso docente, naturalis est, et ex scientia humano labore acquisita provenit. Secus vero, si sit consilium spirituale seu adhortatorium instar privatæ concionis quod ad animæ reformationem vel correctionem proxime ordinatur ex intentione et modo consulendi, vel quod magis pendet ex peculiaribus Spiritus sancti donis quam ex sola doctrina et studio humano, quale est consilium quod datur ad judicandum de aliqua vocatione, revelatione, modo orandi, sitne a Deo, necne, de modo vincendi tentationes, etc., tunc istud est materia Simoniæ.

Dico 4: Actus concionandi juxta omnes est materia Simoniæ, et sine ejus labe vendi non potest. Verbum enim prædicationis est verbum Dei, et prædicator est veluti legatus a Deo missus ad illud munus exsequendum: *Euntes ergo prædicate*, etc. (*Marc.* XVI, 15). Quomodo autem liceat pro concione sustentationem recipere, et an liceat hanc pacisci, dicetur postea similiter.

Dico 5: Docere pueros doctrinam Christianam, seu facere catechismum solemni ritu, modo persuasivo, et instar concionis, est etiam materia Simoniæ. Secus vero, si labor iste docendi doctrinam Christianam tantum assumatur ad adjuvandam aut exercendam alterius memoriam.

CAPP. XIX, XX.

An actus pertinentes ad jurisdictionem sive interni, sive externi fori, sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Pro audienda confessione, pro data aut danda absolutione, pro data aut danda licentia audiendi confessiones, pro absolutione a censuris in foro conscientiæ pecuniam vel pretium exigere, est Simonia. Sacerdoti autem injuste nolenti absolvere, dare pecuniam non ad emendam absolutionem, sed ad tollendum pravum appetitum impedientem gratis facere debitam justitiam, si sit extrema aut gravis necessitas, nec possit ad alium haberi recursus, juxta Panormitanum, non erit Simonia. Item pro concessione indulgentiarum, pro commutatione aut dispensatione votorum, pro licentia laborandi in festo, aut comedendi cibos prohibitos in die jejunii, pro assistentia parochi in sacramento matrimonii, pretium dare aut accipere est Simonia.

Dico 2 : Quod attinet ad forum externum, actus communicandi jurisdictionem spiritualem sive ordinariam, sive delegatam, ex natura sua sunt materia Simoniæ, ita ut illos vendere aut emere sit Simonia juri divino contraria; est enim venditio aut emptio jurisdictionis spiritualis et supernaturalis. Hinc vicariatus tam diœceseos quam parochiæ si vendatur aut ematur, committitur Simonia. Uti etiam si vendatur jus eligendi ad dignitates aut beneficia ecclesiastica, aut ea conferendi, vel electionem confirmandi.

Dico 3 : Omnes actus spiritualis jurisdictionis voluntariæ, quatenus ad effectum spiritualem ordinantur, v. gr. votorum dispensationes, juramentorum relaxationes, dispensationes in irregularitate, in impedimentis matrimonii, in legibus ecclesiasticis, etc., sunt materia Simoniæ (cap. *Ad nostrum*, cap. *Consulere*, etc.). Hæ enim dispensationes sunt actus supernaturalis potestatis. Quod autem spectat ad dispensationes Romanæ curiæ pro quibus pecunia solvitur, sic respondetur : Quamvis exigere aliquid pro ipsamet dispensatione sit Simonia contra jus divinum, in quo papa non potest dispensare; tamen illud exigere pro sustentatione et sustinendis oneribus status dispensantis, non est contra jus divinum, neque in harum papalium dispensationum materia invenitur esse contra jus ecclesiasticum, cum nulla pro his reperiatur prohibitio ecclesiastica; et licet daretur, papa est supra tale jus, potestque hoc non obstante disponere ea quæ ad suum statum pertinent, maxime in reddendis ejusmodi dispensationibus magis onerosis ac difficilioribus ex parte petentium. Deinde quod solvitur, sæpe non pontifici vel ejus ministris, sed pio operi applicatur : et tunc non datur absoluta dispensatio, sed commutatio unius operis in aliud; vel interdum commutatio unius pœnæ ecclesiasticæ in aliam pecuniam. Hinc etiam facile solves quomodo pro emolumento temporali nude spectato clericatus cameræ et auditoratus aliquid detur. Prædictis autem titulis episcopi in dispensando nil possunt exigere quia id jure communi ecclesiastico, cui subjiciuntur, est prohibitum; adeoque nec facile permittendum est, ut ejusmodi onera pro suorum officialium stipendiis imponantur.

Dico 4 : Actus jurisdictionis ecclesiasticæ etiam contentiosæ et involuntariæ, v. gr. prolatio sententiæ in judicio, sunt materia Simoniæ, actus autem jurisdictionis episcoporum habentium directam jurisdictionem temporalem, qui versantur circa materiam politicam ac mere humanam non sunt materia Simoniæ; quia isti actus ut ab illa jurisdictione procedunt, semper manent mere naturales. Verumtamen quidam actus quasi mere politici et humani, v. gr. licentia studendi philosophiæ, quatenus a potestate spirituali procedunt, probabilius sunt materia Simoniæ ex vi juris divini, quia usus jurisdictionis spiritualis, per se et formaliter est spiritualis.

CAPUT XXI.

An labor corporalis in operibus spiritualibus sit materia Simoniæ.

Nota : Duplex est labor corporalis in opere spirituali, v. gr. in celebratione missæ, in administratione sacramenti, etc.: Alius intrinsece et per se illi adjunctus ac per se requisitus ad tale ministerium sacrum; alius per accidens illi adjunctus, v. gr. agere iter unius leucæ non ex officio ad dicendam missam, aut exspectare quotidie usque ad meridiem ad celebrandum, etc.

Dico 1 : Pro labore qui est per se operi spirituali adjunctus, non potest accipi pretium; cum enim hoc opus non sit vendibile ratione laboris, ita nec labor intrinsece adjunctus vendibilis est ratione operis, sed totum istud opus cum toto suo labore intrinseco, et cum omnibus conditionibus, quas habet per se adjunctas, fit pretio inæstimabile seu invendibile per elevationem ad spiritualem ordinem, et per intimam conjunctionem cum sacramenti, aut alterius sacri ministerii ratione. Potest tamen merces, quæ non sit pretium laboris, sed stipendium sustentationis recipi, quia pretium spectatur per commensurationem ad valorem et æstimationem operis seu laboris, quod repugnat sanctitati operis, et sacri ministerii; stipendium autem sustentationis spectatur in ordine ad personam, quatenus eget sustentatione, quam acquirere nequit dum aliis inservit in opere spirituali, ideoque ex justitia ab aliis debetur illi sustentatio ob tale ministerium.

Dico 2 : Pro labore per accidens adjuncto operibus spiritualibus seu ministeriis sacris, qui non ex vi ministerii, per se ac moraliter postulatur, sed in casu particulari ob circumstantias personæ, loci, temporis requiritur, licet pretium accipere; adeoque iste labor non est materia Simoniæ. Denique pro obligatione quam quis assumit ad præstanda ejusmodi spiritualia opera prout talia sunt, non potest accipere pretium, sed stipendium tantum seu subsidium sustentationis, quia sic venderetur spirituale ministerium, vel ut res vendita, vel ut ratio

venditionis, quod neutrum licet. Pro obligatione autem ad præstanda ista spiritualia prout includunt aliqua onera corporalia, quæ habent se per accidens ad ipsa spiritualia secundum se spectata, v. gr. exspectare talem horam incommodam, tunc potest proprium pretium accipi, ut colligitur ex cap. *Significatum.*

CAPUT XXII.

An omissio actuum spiritualium sit materia Simoniæ.

Dico 1 : Non est Simonia dare alicui pecuniam, ut abstineat ab actu spirituali, quam injuste, aut sacrilege, aut Simonaice facturus est; imo vero bonum est, sicut precibus et minis, ita et pecunia impedire peccatum, aut allicere ad bonum opus. Nec prohibitio, quæ habetur cap. *Nemo*, agit de hac re.

Dico 2: In usu negativo spiritualis jurisdictionis, per solam omissionem potest Simonia committi, si ista omissio moraliter censeatur provenire a jurisdictione spirituali, et habere effectus illi proportionatos: v. gr. si quis bene disposito deneget absolutionem a peccatis in foro interno, aut absolutionem a censura in externo ob pretium; et probatur ex cap. *Nemo.*

Dico 3 : Omissio actus spiritualis, si non sit actus jurisdictionis spiritualis, non est materia Simoniæ, nisi vendatur aut pretio æstimetur intuitu alicujus boni spiritualis : v. gr. si detur sacerdoti pecunia, ut omittat missam celebrare, aut audire confessionem, vel episcopo, ut omittat dare alicui ordines, illi per istam omissionem non committunt Simoniam, quia ista omissio non est actus potestatis ordinis, sed solius arbitrii, etiamsi ejusmodi sacerdos teneretur ex officio celebrare, aut audire confessionem subditi; licet enim tunc hæ omissiones essent injustæ, non tamen Simoniacæ, utpote solus non usus suæ potestatis spiritualis. Si quis autem ob pretium deneget subdito juste petenti licentiam ut alteri confiteatur, is committit Simoniam, quia tunc est moralis usus jurisdictionis spiritualis, non negatio usus : sic etiam eam committit examinator ecclesiasticus qui pretio corruptus non approbat dignum.

Dixi : *Nisi vendatur aut pretio æstimetur intuitu alicujus boni spiritualis*, quia cum tunc res spiritualis pretio æstimetur, Simonia committitur : v. gr., si in oppositione ad beneficium detur pecunia alicui ut non se opponat eo intuitu, ut alterius electio sit certior, vel probabilior; item si quis ante obtentum beneficium det pecuniam alicui, ut non contradicat.

CAPUT XXIII.

An id quod non est spirituale nisi ob annexionem causalem cum spirituali, sit materia Simoniæ.

Dico aliquid posse esse annexum alteri vel ut causam, vel ut effectum. Quare 1° quodvis annexum spirituali, ratione annexionis quam habet cum spirituali : v. g. calix ratione consecrationis, vendi non potest sine Simonia, quia spirituale vendi non potest sive ut res vendita, sive ut ratio venditionis. 2° Nec ulla etiam ratione vendi potest annexum concomitanter spirituali, id est annexum ut effectus intrinsece conjunctus ad componendum unum totum cum spirituali, seu unum totum spirituale. 3° Annexum antecedenter, id est quod prius tempore potest antecedere spirituale, per se spectatum vendi potest, etiam supposita annexione, sed non ob illam : sic calix consecratus vendi potest ratione solius materiæ. 4° Annexum consequenter, id est quod præsupponit spirituale cui annectitur tanquam consequens effectus : v. gr. beneficium ecclesiasticum quod præsupponit spirituale officium aut gradum clericalem, vendi non potest sine Simonia, quia necessario venderetur illud spirituale, quod præsupponitur; ut dicitur in cap. *Si quis objecerit* 1, quæst. 3.

CAPUT XXIV.

An beneficia ecclesiastica sint materia Simoniæ ex jure divino, an vero ex ecclesiastico.

Nota 1 : Beneficium sic potest definiri : est jus perpetuum ministrandi in ecclesia, et recipiendi pro tali ministerio fructus annuos ex bonis ecclesiasticis, adeoque titulus beneficii est semper spiritualis, et beneficium semper annexum gradui clericali ex parte personæ cui conferendum est. Præbenda vero, seu reditus, licet in se spectati temporales sint, tamen quatenus sunt annexi tali titulo, participant quamdam spiritualitatem.

Nota 2 : Constat juxta omnes beneficia quoad ipsum spirituale jus quod includunt, et in quo fundantur, esse materiam Simoniæ juri divino contrariæ, ac proinde vendere beneficium quoad tale jus, ita esse intrinsece malum, ut nec ipsi papæ, nec alicui ex ejus dispensatione possit unquam esse licitum; juri enim divino papa est subjectus, neque illud immutare aut in illo dispensare potest.

Nota 3 : Item constat beneficia ecclesiastica, etiam habito respectu ad temporale emolumentum quod in ipsis est nunc non posse vendi aut emi sine peccato Simoniæ; adeoque etiam sic spectata esse materiam Simoniæ, ut patet ex innumeris legibus canonicis. Nunc ad quæstionem, qua petitur an vendere beneficium solum intuitu et æstimatione vel temporalis commodi quod in eis est, vel incommodi quod alicui provenit ex spoliatione sui beneficii, sit Simonia contra jus divinum naturale; an vero tantum contra jus ecclesiasticum? Aliqui respondent esse contra jus divinum, in quo nec ab ipso papa possit dispensari; sed alii communiter dicunt esse tantum contra jus ecclesiasticum, ideoque vel a papa, vel ab alio ex ejus dispensatione posse vendi beneficium sine Simonia, dummodo non intuitu spiritualis juris quod in ipso est, sed intuitu emolumenti temporalis vendatur. Ut hæc igitur omnia sigillatim explicentur ac concilientur, sequentes appono propositiones :

Dico 1 : Papa potest fructus beneficii et præ-

bendam ut quid temporale, separare a titulo clericali et officio spirituali, et ita eam vendere sine Simonia, sicuti potest eam donare laico licite, si justam habeat causam. Item potest dare alicui beneficium cum onere solvendi quotannis sibi vel alteri certam fructuum beneficii partem, quia papa est supremus temporalium bonorum Ecclesiæ dispensator, atque ita potest temporales fructus, qui ex humana institutione annexi erant talis beneficii titulo, separare ab illo, eosque sub alio titulo, vel sine spirituali titulo, conferre; imo probabiliter potest papa æstimare temporalem valorem pensionis quam beneficio imponit, et illum simul accipere sive pro se sive pro alio distincto a beneficiato, quia illa pensio beneficio imposita vel imponenda, est mere temporalis, utpote alicui applicata sine titulo spirituali, adeoque redimibilis ratione suæ temporalitatis. Ergo potest a principio et imponi et redimi, quod fit per modum conferendi sub tali onere, quia non est venditio beneficii, sed impositio oneris temporalis quam papa in beneficio potest constituere una cum antecedente ejus redemptione; quæ redemptio licet venditio sit, non est tamen venditio rei spiritualis, nec rei temporalis annexæ spirituali, quia istud onus non est per se annexum beneficii titulo, imo vero per ejus impositionem separatur redituum pars a titulo beneficii, atque ita gratis datur officium, sed tantum venditur temporale emolumentum jam quodammodo separatum ab illo officio per voluntatem papæ, qui potest illa separare et onus imponere. Quare

Dico 2 : Mediante formali vel virtuali separatione fructuum ab officio, quoad aliquam saltem eorum partem, potest papa dare beneficium cum exactione alicujus pecuniæ : v. gr. in commutatione alicujus beneficii tenuis cum pingui; papa enim est supremus dispensator bonorum Ecclesiæ, ideoque sicut potest reditus a titulo spirituali reipsa separare, ita et mente seu sua intentione ac voluntate separare temporale a spirituali, sicque compensare temporale cum temporali, conferendo gratis spirituale, vel conferendo spirituale pro spirituali. Attamen nulla facta separatione id non potest, adeoque absolute loquendo non potest vendere beneficium; et sic oppositæ sententiæ, altera affirmans, altera negans, conciliantur. Probatur, quia si emolumentum temporale non separetur ab officio spirituali, dum venditur beneficium, emitur pretio facultas obtinendi istud temporale et jus ad illud mediante spirituali ministerio, saltem ut medium necessarium ad illud acquirendum; dum enim tale temporale venditur manente annexione, censetur etiam aliquo modo vendi ipsum spirituale; secus vero, dum fit formalis vel virtualis separatio.

Dico 3 : Prælati papa inferiores non possunt intuitu temporalis emolumenti aut detrimenti pecuniam exigere pro beneficio, quia id in jure prohibitum est, et non possunt ipsi separare fructus beneficii a beneficio, nec imponere pensionem in beneficio, quia id etiam prohibitum est, exceptis casibus a jure concessis.

Dico 4 : Privatæ personæ beneficium possidentes, ex vi juris divini prohibentur illud vendere, utpote quæ non possunt ullo modo separare temporale a spirituali, dumque aliis locant fructus beneficii, non illos a beneficio separant, sed conductor, earum vice aut nomine illos recipit; item nec possunt ullo titulo ab eo, cui beneficium conferunt, aliquid postulare, idque non tantum est contra jus positivum ecclesiasticum, sed etiam probabilius contra divinum naturale, adeoque intrinsece malum.

CAPP. XXV, XXVI.

An præstimonia et pensiones ecclesiasticæ sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Præstimonia proprie et juxta usum communem sumpta, Simoniæ materia sunt, quia sunt beneficia ecclesiastica, licet simplicissima; adeoque vendi non possunt. Dein eorum collatio est spiritualis.

Dico 2 : Pensio quæ vel laico, vel indifferenter sine conditionis clericalis postulatione, vel ob rationem mere temporalem et corporalem datur, v. gr. pensio pro pulsandis campanis, pro curandis infirmis, pro sacrista, etc., non est materia Simoniæ, et sine illius labe vendi potest, est enim quid mere temporale; nec illa est annexa rei vel titulo spirituali, licet ex re spirituali proveniat, quia jus mere temporale potest interdum ex spirituali manare sine annexione ad spirituale.

Dico 3 : Pensio data clerico ut clerico, id est vel expresse istam clericatus conditionem postulans, vel eam supponens, vel generatim ob aliquod munus spirituale data, videtur probabilius jure antiquo, ante bullam Pii V *Ex proximo*, non esse ex se materia Simoniæ, nec invendibilis jure divino, quia illa ex se non datur ob titulum spiritualem, sed ob sustentationem; clericatus autem solum requiritur ut conditio vel dispositio ex parte subjecti, sicut eleemosyna quæ fit clerico quia clericus est, et quasi in honorem clericatus, non fit ideo annexa rei spirituali, nec spiritualis. Sed juxta jus novum Pii V, imponentis hujusmodi pensionariis obligationem recitandi officium B. Virginis, hæ pensiones spirituales et invendibiles sunt, quia dantur cum obligatione muneris spiritualis et clericalis, adeoque annectuntur officio clericali. Nec tantum requirunt clerici statum ut conditionem, sed etiam ministerium spirituale, ob quod debentur tales reditus, et jus ad illos acquiritur. Hinc juxta istud jus novum, licet pensionarius habeat licentiam a papa transferendi suam pensionem in alium, Simoniacus erit si transferat pro pretio : si tamen is qui habet licentiam transferendi totam pensionem, transferret tantum partem, et aliam sibi reservaret retento in se titulo spirituali, non

male faceret, quia daret gratis id quod dat, et quia pensio non est indivisibilis sicut beneficium. An autem hujusmodi pensio sit redimibilis, videtur ante Pium V non fuisse contra jus divinum illam redimere, sed nunc, supposito jure Pii V, eam redimere sine papæ auctoritate probabilius esset intrinsece malum contra jus divinum, et forte Simoniacum. Sed si pensio ita redimatur, ut pensionarius remaneat semper obligatus ad pensum spirituale solvendum, et quasi in se retinens istius pensionis titulum, tunc illa redemptio non est Simoniaca, nec videtur prohibita; quia non est vera pensionis redemptio, sed veluti locatio fructuum, sive anticipata fructuum venditio. Denique si pensionarius cum alio redemptionem faciat sine papæ licentia, in conscientia remanet obligatus ad onus spirituale.

Dico 4 : Si sit pensio imposita super episcopatum, v. gr. pro concionatore, pro episcopi vicario, visitatore, adjutore in pontificalibus muniis, etc., clarum est hanc non posse vendi, quia venderetur spirituale ministerium cui annexa est; nec etiam posse redimi, quia obligatio ad tale munus non potest exstingui. Si autem sit imposita super ipsum episcopum, non super episcopatum, tunc datur non ut pretium, sed ut sustentatio congrua absque Simonia.

Dico 5 : Pensio pro beneficio pacifice possesso, cui aliquis renuntiat; pensio pro beneficio litigioso, per transactionem et arbitrium judicis, concedendo uni ipsum beneficium, et alteri pensionem super beneficium, pensio pro beneficio parochiali, dum parochus senex dimittit suum beneficium, assignata ad ipsius sustentationem pensione, hæ omnes pensiones, juxta jus antiquum ante constitutionem Pii V, ex natura rei non erant invendibiles nec irredimibiles, sed consulendus erat stylus curiæ. Si enim ex illo constabat prohibitio, tunc erant materia Simoniæ, quia prohibitæ; secus, non. Nunc autem videntur comprehensæ a Pio V sub pensionibus clericorum, ut clerici sunt, adeoque spirituali officio annexæ, nisi aliud constet de voluntate papæ per bullam concessionis.

CAPUT XXVII.

An commendæ, coadjutoriæ, et hospitalia sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Commendæ clericales ac spirituales, id est datæ cum spirituali administratione cui fructus temporales annectuntur, tam temporales quam perpetuæ, sunt materia Simoniæ juri divino contrariæ; quod enim in eis exstat, est spirituale ministerium, cui temporale commodum tanquam secundarium annectitur. A fortiori idem dic de coadjutoriis. Commendæ autem militares, id est datæ titulo mere laico ad temporale ministerium, cum sint tantum temporalia stipendia pro temporalibus officiis, secundum se spectatæ, non sunt materiæ Simoniæ, quia non sunt aliquid spirituale vel spirituali annexum, licet tantum dentur religiosis personis; professio tamen religiosa non est titulus, ob quem debeatur commenda, sed est tantum conditio sine qua non, et quasi dispositio necessaria ex parte personæ ut sit capax istius emolumenti temporalis juxta papæ voluntatem; et illa precum, quas commendatarii jubentur fundere, non oritur ex commenda, sed ex professione et regula religionis; et licet interdum jus præsentandi ad beneficia sit annexum commendæ, non tamen ideo facit illam spiritualem, sicut jus patronatus non facit fundum, cui annexum est, spiritualem, ac labores militiæ ob quos confertur, sunt temporales et pretio æstimabiles. Has commendas militares formaliter ac directe vendere, non videtur quidem esse Simoniacum, sed sane illicitum et injustum est, quia magister ordinis est tantum dispensator sub papa volente illas gratis distribui dignis, et particulares commendatarii sunt tantum illarum usufructuarii, non absoluti domini. Hinc nec est Simonia illas pretio procurare per alicujus intercessionem; potest tamen aliunde esse actio mala.

Dico 2 : Hospitalia, id est officium ecclesiasticum gubernandi hospitale, si habeant spiritualem administrationem circa infirmos, patet ex jam dictis esse materiam Simoniæ, non aliter ac beneficia. Si autem habeant temporalem tantum administrationem circa curam infirmorum, tunc non videtur esse materia Simoniæ, sive tale officium sit ad tempus, sive perpetuum. Quia tunc ad nullam functionem spiritualem ordinantur. Ista tamen vendere officia, videtur esse Simonia contra jus ecclesiasticum; quia id censetur prohibitum per concilium Chalcedonense; illa enim officia ex peculiari Ecclesiæ institutione habentur religiosa, et eorum bona sunt ecclesiastica.

CAPUT XXVIII.

An jus patronatus sit materia Simoniæ.

Dico 1 : Jus patronatus quoad honorem, maxime locum honorificum in sua Ecclesia, quoad propriæ Ecclesiæ defensionem, et quoad utilitatem temporalem, non est materia Simoniæ, quia hæc per se non habent annexionem cum re spirituali, etiamsi ex illa resultent.

Dico 2 : Jus patronatus, quatenus est jus præsentandi ad ecclesiastica beneficia, est materia Simoniæ; ac proinde illud vendere, est peccatum Simoniæ. Hoc constat, saltem de jure ecclesiastico, juxta omnes. Quia istud jus est spiritualibus annexum. Imo post factam ab Ecclesia juris patronatus institutionem, non tantum jure ecclesiastico, sed etiam divino naturali et ex natura rei illud est invendibile, adeoque vera Simoniæ materia. (Antonius, Barba, etc.) Istud enim jus debet censeri spirituale, quia procedit a potestate spirituali, non minus quam beneficia ecclesiastica; et actus hujus juris est spiritualis, nempe præsentatio ad benefi-

cium spirituale. Item terminus ad quem tendit, est etiam spiritualis; adeoque secundum se spectatum, est quid spirituale et ex natura sua invendibile, atque ita materia Simoniæ juri divino contrariæ. Nec refert quod ab Ecclesia sit institutum, nam prima tonsura, calicis consecratio, etc., est etiam ab Ecclesia instituta, et tamen sunt materia talis Simoniæ; sufficit enim ut id, quod instituitur, sive a Deo, sive ab homine, sit spirituale. Hinc sequitur ipsam præsentationem ad beneficium, esse etiam materiam Simoniæ juri divino contrariæ.

Dico 3 : Licet jus patronatus vendi non possit, potest tamen transire ad alium cum re vendita; modo res ratione illius, carius non vendatur. (D. Thomas, et alii.) Sicut vendito calice, non venditur consecratio, etiamsi hæc cum illo transferatur; ita hic. Unde in nullo contractu, solutione, compensatione rei temporalis potest haberi ratio juris patronatus; eo enim ipso venderetur, uti etiam venderetur si a præsentante imponeretur præsentato aliquod onus indebitum. Attamen jus patronatus non potest a patrono in alium transferri, nisi modo per jus determinato et in casibus ab eo expressis, qui sunt tres : Primus est, dum transfertur jure hæreditario, potest transferri ad hæredes non solum necessarios et consanguineos, sed etiam ad extraneos. Secundus, dum transfertur per liberalem donationem; unusquisque enim potest in alium transferre jus quod habet: et si fiat donatio loco religioso, ut sit valida, non requiritur auctoritas episcopi. Tertius, dum jus reale patronatus cum re vendita cui adhæret, in alium transfertur; nec obstat si in venditione exprimatur jus patronatus, modo propter illud, aut saltem carius propter illud non vendatur res seu fundus. Quando autem jus patronatus est personale, id est quando non adhæret fundo, sed ipsi personæ, v. gr. ecclesiæ fundatori, si patronus omnia sua bona vendat, probabilius ex vi talis venditionis non transfertur jus patronatus, contra canonistas id communiter affirmantes. Deinde quando jus patronatus non adhæret bonis, sed potius bona ipsi adhærent, v. gr. quando patronus instituit, ut is qui esset patronus, certa bona possideret in ecclesiæ utilitatem, si hæc in solum ecclesiæ usum cedant, videntur non posse vendi cum patronatus juris translatione; secus, si cedant ordinarie in usum et utilitatem habentis jus patronatus. Denique jus standi in certo ecclesiæ loco, spectata loci sacri natura et ejus usu quatenus talis est, vendi non potest.

CAPUT XXIX.

An temporalia Ecclesiæ officia, aut eorum actus sint materia Simoniæ.

Dico 1 : Stando in solo jure divino naturali et ex natura rei, hæc officia eorumque actus non sunt materia Simoniæ : ita communiter theologi. Quia hæc munia, v. gr. sacristæ, si indici ecclesiæ, bonorum, etc., immediate ordinantur ad actiones mere temporales, et remote tantum ad spiritualia; cum enim venduntur, non venditur actus ipse jurisdictionis spiritualis quo conferuntur, utpote spiritualis et invendibilis, sed ejus terminus, seu officium quod in facto esse spectatum, pretio est æstimabile quatenus habet temporale emolumentum temporalibus functionibus annexum. Tamen

Dico 2 : Hæc officia vendi non possunt sine gravi peccato ob Ecclesiæ prohibitionem, ut habetur ex concilio Chalcedonensi, can. 2, et cap. *Consulere*, etc. Deinde supposita prohibitione probabilius videtur istud peccatum esse vera Simonia contra Innocentium, Archidiaconum, Turrecrematam, etc. Ita Cajetanus, Sotus, Felinus, etc. Quia Ecclesia potest sua lege facere rem aliquam invendibilem solum intuitu religionis; ergo ejus transgressio erit contra religionem, adeoque peccatum Simoniæ. Jam vero horum officiorum venditionem sic esse prohibitam probatur ex dicto concilio Chalcedonensi, ex cap. *Si quis episcopus*, ex cap. *Salvator*, etc. Ergo.

Dico 3 : Temporalia Ecclesiæ officia, quæ vendi sic prohibentur, hæc sunt : munus œconomi, procuratoris, advocati, judicis circa res temporales, æditui, primicerii seu magistri chori. Horum tamen officiorum actiones seu functiones non sunt materia Simoniæ, sed justo pretio æstimari ac vendi seu locari possunt; sunt enim mere corporales.

Dico 4 : Vendere bona Ecclesiæ sive mobilia sive immobilia, etiam sacra seu benedicta aut consecrata, v. gr. calix consecratus, etc., si non vendantur ut sacra, nec ob spiritualitatem quam habent, non est Simonia, jure etiam ecclesiastico. Urbanus Papa in cap. *Salvator* dicens *vendere ecclesiasticam rem, Simoniacum esse*, non loquitur de his secundum se spectatis, sed de ecclesiasticis administrationibus, adeoque de bonis quatenus possunt esse alicujus ministerii ecclesiastici materia.

CAPUT XXX.

De pretio Simoniaco.

Post explicatam Simoniæ materiam, nunc de ejus pretio, quod datur pro re spirituali.

Dico : Pretium Simoniæ, stando in solo jure divino, debet esse aliquid temporale, nec ad illam sufficit spirituale, ut habetur ex cap. *Ad quæstiones*, ubi dicitur ecclesia posse pro ecclesia permutari, et temporalis possessio pro possessione temporali, dummodo contractus non commisceantur. Commutare ergo rem vere spiritualem pro re vere spirituali, non est Simonia ex vi juris divini, etiamsi omni cum proprietate et pacto una res spiritualis pro alia detur. (D. Thomas, Durandus, Sotus, etc.) Quia ibi nullum datur pretium; ergo non est venditio aut emptio. Deinde per talem commutationem non fit injuria aut irreverentia rei spirituali, sicut non fit injuria gratiæ quod pro gratia detur. Atque hæc commutatio tribus modis fieri potest : 1° si intercedat mutua obligatio ad aliquid spirituale pro alio spirituali faciendum; et tunc datur spirituale pro spirituali, et obligatio pro

obligatione. 2° Si intercedat tantum reciproca traditio actualis rei sacræ pro re sacra, seu actionis spiritualis pro actione spirituali. 3° Si unus statim det vel faciat, ut alter postea compenset: atque hæc obligatio, quæ ex commutatione nascitur intrinsece, est etiam quid spirituale, et pretio irredimibilis, aut invendibilis.

CAPUT XXXI.

An in spiritualium commutatione, maxime beneficiorum, possit committi Simonia, saltem contra jus ecclesiasticum.

Dico 1 : Non repugnat hanc rei spiritualis pro spirituali commutationem factam aliter, quam leges ecclesiasticæ permittant, esse vere Simoniacam ob solam Ecclesiæ prohibitionem, v. gr. beneficium ecclesiasticum est simpliciter spirituale, adeoque juxta dicta in præcedenti capite commutando pure unum pro alio, non est Simonia ex vi juris divini; et tamen ex vi juris ecclesiastici eam vetantis est Simonia si fiat sine auctoritate prælati. (Navarra, Sylvester, Angelus, etc.) Peculiaris ratio prohibendi hanc beneficiorum commutationem, est quia in beneficiis licet titulus sit spiritualis, proventus tamen sunt temporales et necessario functionibus spiritualibus annexi; unde fieri posset ut in talium spiritualium commutatione major ratio temporalium, quam spiritualium haberetur; adeoque ista prohibitio in materia spirituali mixta cum temporali ob ejus modi periculum, longe certius efficit ut ejus transgressio sit Simoniaca, quam si prohibitio fieret commutandi mere spiritualia cum mere spiritualibus, quæ si fieret, probabiliter ejus transgressio etiam esset Simoniaca. Quare :

Dico 2 : In beneficiis ecclesiasticis permutatio unius rei pro alia spirituali prohibita est ab Ecclesia si fiat propria auctoritate (cap. *Quæsitum*, cap. *Cum olim*); et sic facta continet veram Simoniam, quia prohibita. Est enim transgressio in materia prohibita ob religionem; et res temporalis conjuncta spirituali, prout prohibita permutari, est quasi pretium quod in illa commutatione intervenit. Hinc sequitur : 1° esse Simoniam saltem contra jus positivum, facere commutationes in provisionibus beneficiorum, sic v. gr. paciscendo : hunc elige, ego illum eligam. 2° Idem dic de spiritualibus quæ habent temporalia annexa consequenter etiamsi proprie non sint beneficia. 3° Item de permutatione beneficii pro jure quasi inchoato ad aliud beneficium, sive per præsentationem, sive per nominationem comparatum sit. 4° Similiter est Simonia permutare similia jura ad beneficia, v. gr. si unus cedat suæ præsentationi, ut alter sibi conferat aliam exspectationem quam a Pontifice habet, vel quid simile.

Dico 3 : Permutare spirituale pro spirituali extra beneficiorum materiam, non est specialiter prohibitum jure positivo. (Præpositus, Innocentius, Turrecremata, etc.) Nulla enim talis prohibitio in jure invenitur. Spiritualia autem, alia sunt *pure spiritualia*, uti et functiones sacræ habentes tantum concomitanter aliquid materiale annexum; et de his non commutandis nulla fit in jure mentio, solum dicitur ut pretio non vendantur (cap. *Ad nostram*, etc.). Alia sunt *mista*, quæ habent aliquid corporale antecedenter annexum, v. gr. vasa sacra, vestes, etc. : de his nullum etiam invenitur jus prohibens permutationem unius pro alio ejusdem ordinis. Imo cap. *Ad quæstiones*, approbatur permutatio unius ecclesiæ pro alia pure facta.

CAPUT XXXII.

An requiratur prælati auctoritas, ut in beneficiis permutatio spiritualium fiat sine Simonia.

Dico 1 : Generalis regula est, ut in his licite fiat permutatio, requiri auctoritatem superioris (cap. *Cum universorum*). Talis enim permutatio sæpe est necessaria, aut valde utilis; ergo non debuit prohiberi. Et intelligitur de permutatione beneficiorum proprie sumpta, non de sola personarum translatione. Deinde possunt partes licite tractare prius inter se de hac permutatione, ac convenire de modo eam faciendi; cum intentione tamen petendi prælati consensum, atque eam concludere quantum est ex se, mutuum præbendo consensum in ordine ad consensum prælati, imo et se obligare ad perseverandum in sua conventione, si ille consenserit. (Sylvester, et Innocentius, etc.) Debet etiam consentire collator aut institutor beneficii.

Dico 2 : Nomine prælati, cujus requiritur auctoritas ad ejusmodi permutationes, intelligitur episcopus pro sua diœcesi, vel habens jurisdictionem episcopalem, v. gr. capitulum sede vacante, et quidam abbates, aut habens præscriptione acquisitam jurisdictionem pro isto actu; non tamen per nomen *prælati* intelligitur ipse beneficii collator, si careat jurisdictione episcopali : contra Angelum, Sylvestrem, Sotum, satis verisimiliter dicentes intelligi etiam collatorem, si titulo præscriptionis habeat consuetudinem approbandi ejusmodi beneficiorum permutationem. Itaque nunquam potest fieri licite aliquarum præbendarum permutatio ex mutuo privatarum personarum consensu sine interventu superioris, quavis exceptione rejecta, quam quidam quasi admittere videntur in aliquo casu.

CAPP. XXXIII, XXXIV.

An beneficium ecclesiasticum possit cum pensione aut cum temporali compensatione permutari absque Simonia.

Dico 1 : Pensio in beneficii titulum erecta, potest cum beneficio permutari in manibus episcopi, juxta jus commune : sed beneficium pro spirituali pensione potest sola papæ auctoritate permutari, v. gr. si Petrus habeat beneficium ex quo solvit pensionem Joanni, ad faciendam permutationem ita ut Joannes accipiat beneficium, ut ex accepto beneficio solvat pensionem Petro, requiritur papæ auctoritas, quia ejusmodi pacti approbatio in jure

non est commissa episcopo; sola enim beneficiorum permutatio episcopo in jure committitur; ac pensio in beneficii titulum erecta, censetur beneficium, sed pensio super beneficium imposita non censetur beneficium. Pensionem autem mere temporalem permutare cum beneficio, cum sit Simonia contra jus divinum, ne quidem ipsemet papa potest id concedere; potest tamen alio modo sine permutatione eumdem effectum producere; si nempe aliquis habens beneficium, illud relinquat in manu papæ, petendo ut pro sua potestate, et cura pastorali provideat sibi de aliquo sustentationis subsidio, tunc papa potest dare uni beneficium alterius, et pensionem quam alter habebat, etsi temporalem, transferre in alium, non tanquam beneficii pretium, sed tanquam sustentationem quam sua ipsa potestate dat. Idem cum proportione dic de commenda.

Dico 2 : Licet beneficia sæpe sint inæqualia sive in spirituali titulo aut dignitate, sive in temporalibus proventibus, quodvis tamen potest pro alio quovis aut unum pro multis simpliciter permutari in manibus superioris sine Simonia ; sed inæqualitatem compensare data pecunia vel aliquo dono temporali æquivalente, si excessus sit in re spirituali, omnino non licet. Tunc enim venderetur spirituale pro temporali saltem ex parte. Si autem excessus sit in re temporali sive in proventibus temporalibus, absolute loquendo nec etiam licet, etiamsi compensans non intenderet dare pretium pro spirituali titulo sive dignior sit, sive non. Ita Adrianus, Navarra, etc., contra Cajetanum, Sylvestrem, etc., dicentes licere interveniente prælati auctoritate. Probatur, quia non potest talis compensatio fieri, quin vendatur id quod est spirituale in beneficio. Ergo non potest id fieri sine Simonia contra jus divinum. Cum enim ibi sit emptio partis fructuum, hæc non potest emi, nisi ut annexa titulo spirituali, et acquirenda per spiritualia officia; nec illa potest a spirituali separari per contractum permutantium. Ergo illa parte vendita, venditur titulus spiritualis. Quare ut hæc magis dilucide et sigillatim exponamus :

Dico 3 : Permutare pingue beneficium pro tenui cum pecunia, quomodocunque modo et intentione fiat sine auctoritate superioris, est Simonia non solum contra jus ecclesiasticum, sed etiam contra divinum, uti et permutare beneficia inæqualia in fructibus cum adjectione pecuniæ ex parte tenuioris, etiamsi fiat in manibus cujuscunque prælati papa inferioris. Probabile est tamen hoc posse fieri absque Simonia auctoritate papæ, non per modum propriæ permutationis, nec per propriam dispensationem quæ in jus divinum non cadit, sed per mutationem factam ex parte materiæ, et quasi novum jus ex parte ipsarum rerum instituendo, v. gr. posset papa mutare illam materiam separando a pinguiori beneficio partem fructuum, et applicare illos in sustentationem alterius qui tenue beneficium recipit, et concedere ut fructus sic separati pecunia compensentur, vel permittere ut is qui pingue beneficium recipit, det aliquid alteri non in compensationem aut permutationem pro fructibus spiritualibus, sed in congruam sustentationem recipientis beneficium tenuius. Hinc :

Dico 4 : Permutatio beneficiorum cum impositione pensionis, non solum propria, sed etiam prælati inferioris auctoritate facta, est Simonia contra jus positivum et divinum; prælatis enim papa inferioribus non est in jure concessum, ut possint permutationem facere, nisi pure et simpliciter; nec illi possunt separare fructus a re spirituali. Sed :

Dico 5 : Permutatio beneficiorum inæqualium quoad temporales proventus, facta cum onere pensionis in pinguiori beneficio, si papæ auctoritate fiat, nulla est Simonia : ita omnes doctores et usus. Quia pensio a papa imposita permutationis causa, censenda est spiritualis, datur enim cum spirituali onere, et propter illud, atque ita commutatur spirituale pro spirituali; vel certe si illam simpliciter imponat ut quid temporale, potest eam a pinguiori beneficio separare, ac ei qui beneficio pinguiori renuntiat, conferre ut quid mere temporale emolumentum non ut renuntiationis pretium, sed per dispensationem ut sustentationis subsidium; ac proinde nulla intervenit Simonia contra jus divinum, nec contra ecclesiasticum, quia in eo potest dispensare. Si unum beneficium sit dignius in spiritualibus, posset papa imponere pensionem non intuitu compensandi spiritualem dignitatem, sed ob aliam justam causam temporalem.

CAPUT XXXV.

An renuntiatio beneficii in favorem tertii Simoniam contineat.

Dico 1 : Renuntiationem beneficii factam in manu prælati sine onere pensionis et sine designatione personæ, cui conferatur, esse licitam patet; sed si fiat sub conditione ut detur tali personæ, licet non sit Simoniaca contra jus divinum (non enim datur spirituale pro temporali, imo gratis offertur pro tali persona); tamen si conditio sit suspensiva renuntiationis, ita ut renuntiatio non consequatur suum effectum, nec renuntians possit privari suo beneficio, donec conditio impleatur ac datum sit beneficium tali personæ et non alteri, tunc facta in manu prælati papa inferioris est illicita contra jus ecclesiasticum, et interveniente tali pacto cum dicto prælato est insuper Simoniaca; nec hic sine licentia papæ juxta probabiliorem sententiam potest licite acceptare talem renuntiationem, et dare beneficium juxta conditionem a renuntiante appositam, quamvis id non præstet ex vi istius conditionis, sed suo arbitrio. Si autem conditio non sit suspensiva renuntiationis seu non suspendat actualem suspensionis effectum, sed sit tantum modus post renuntiationem absolute factam appositus, quo renuntians intendit exhortari et inducere, non tamen obligare episcopum ut tali personæ beneficium conferat, tunc renuntiatio juxta commune jus antiquum per se lo-

quendo est valida et licita tam ex parte episcopi quam renuntiantis, cui sic postulanti aut roganti potest episcopus annuere, conferendo post acceptatam renuntiationem absolutam, beneficium jam vacans isti personæ pro qua rogatur; secus vero, juxta jus novum institutum a Pio V, in bulla quæ incipit *Quanta Ecclesia Dei*, in qua vetat acceptare ejusmodi beneficiorum renuntiationes, etc.

Dico 2 : Renuntiatio facta cum reservatione pensionis in manibus solius episcopi, est Simoniaca, etiamsi ipse illam approbet, in hoc enim ipse etiam Simoniacus erit; licite autem fit in manibus papæ: ita omnes doctores. Papa enim potest pensionem imponere sub titulo spirituali, et ita tota commutatio fiet inter spiritualia; potest etiam tale onus beneficio, priusquam illud conferat, imponere, sicque oneratum dare personæ in cujus favorem facta est renuntiatio. Denique renuntians non potest pensionem imponere ob expensas prius factas circa beneficium litigiosum, quod nunc pacifice possidet, ne quidem per summum pontificem sub isto titulo, utpote contra jus divinum; sed alio modo et sub alio titulo posset papa illam ei assignare.

CAPUT XXXVI.

Quando temporale donum censetur pretium rei spiritualis.

Dico 1 : Quotiescunque temporale donum gratis datur, sive antecedat sive sequatur rem speratam, non habet locum Simonia, saltem ex natura rei pro foro conscientiæ. Quid sit de jure positivo, dicetur postea. Probatur ex cap. *Etsi quæstiones.*, cap. *Sicut episcopus.*

Dico 2 : Potest dari temporale ex obligatione et non ut pretium, si detur in sustentationem personæ tanquam stipendium ex justitia operario debitum, non vero in commutationem rei spiritualis. Unde ad habendam rationem pretii respectu rei spiritualis, oportet ut detur pro ipsa re spirituali, et in ejus commutationem. Ideo propria Simoniæ ratio maxime pendet pro foro conscientiæ ex formali vel virtuali operantis intentione. In ordine autem ad forum externum : 1° spectandum est, an datio et acceptio facta tali modo et in tali materia sit prohibita intuitu religionis, et ob reverentiam rerum sacrarum; nam tunc agens contra hanc prohibitionem, Simoniam committit saltem in ecclesiastico foro. 2° Si largitio non sit specialiter contra legem humanam, spectandum est, an pactum circa hanc intercesserit, et si in pacto intervenerit causa quæ illam honestet, non debet præsumi Simonia. In dubio autem conjecturis utendum est, quæ desumuntur vel ex probabili titulo honesto, obligationem justitiæ aut legis inducente, vel ex ratione gratuitæ donationis, vel denique ex cap. *Etsi quæstiones*, ubi dicuntur tria esse spectanda, scilicet personæ dantis et accipientis, earum qualitas (an consanguineæ, amicæ, etc.), quantitas doni, magni an parvi, et tempus seu occasio largitionis.

CAPUT XXXVII.

An sufficienter dividatur pretium Simoniæ in munus a manu, lingua, et obsequio.

Respondeo affirmative : Quia alia omnia vel ad ista tria membra referuntur, v. gr. humanus honor, humanus favor, generalis promissio; vel non sunt Simoniaca; nam 1° dare alicui beneficium ob consanguinitatem, nec contra jus divinum, nec contra humanum est Simonia, cum gratis detur sine pretio, sine pacto. Si detur indigno, erit injustitia, non Simonia; si digno, nec injustitia nec Simonia; cavendum tamen scandalum. 2° Dare beneficium vel facere aliquid spirituale ex metu imminentis mali, non est Simonia per se et ex vi talis motivi, nisi quando metus inducit ad dandum aliquid spirituale pro munere ab obsequio vel simili; quia operari ex metu, non est operari pro pretio. Deinde inducere aliquem ad faciendum spirituale opus per comminationem mali imminentis, non est Simonia nec malum. Ergo etiam facere opus spirituale ob intentatum malum, non est Simonia. Præterea dare aliquid spirituale ex motivo amicitiæ acquisitæ, non est Simonia; ergo nec ex motivo acquirendæ, aut placandæ iræ, ut quis deponat odium ac voluntatem inferendi malum; et hoc solum intenditur agendo ex vi metus. Hinc dare beneficium inimico sine ullo pacto ob grave intentatum malum, non est Simonia, erit autem Simonia si cum eo faciat pactum, obligando illum novo modo ex vi pacti ad non inferendum malum in futurum, et ea ratione beneficium conferat. In materia enim beneficiorum omnes pactiones prohibitæ sunt; deinde ibi non tantum intenditur vitatio mali præsentis, sed etiam quædam securitas in futurum per obligationem alterius; hæc autem securitas est temporale bonum pretio æstimabile. Ergo. Hinc resolves, utrum sit Simonia, necne, si episcopus det beneficium alicui ad petitionem principis ne hunc offendat, ideoque non possit ascendere ad pinguiorem episcopatum; aut si conferat beneficium debitori ex timore amittendi sua debita, nempe si absit pactum, etc.

CAPP. XXXVIII, XXXIX.

Quid per munus a manu et ab obsequio intelligatur.

Dico 1 : Per munus a manu intelligitur : 1° Pecunia sive numerata, sive promissa, etiam in minima quantitate; quia licet pecuniæ quantitas sit minima, magna est irreverentia emendo tali pretio rem spiritualem. 2° Res temporales pretio æstimabiles cujuscunque generis sint, sive bona mobilia inanimata aut animata, sive immobilia corporalia aut incorporalia, v. gr. census, jura, etc. 3° Debitum remittere, aut spondere se remissurum, aut ex suis bonis constituere alteri titulum ut sacris initietur, accepta ab illo promissione se nihil postulatum. 4° Mutuare pecuniam pro accipiendo beneficio, vel contra dare beneficium sub conditione pecuniæ mutuandæ; datur enim spirituale in compensationem, utilitatem, et commutationem mutui. 5° Petere cum pacto dilationem debiti pro re spiri-

tuali. 6° Pensio quam sibi vel consanguineo reservat dans beneficium. 7° Quodvis donum positivo jure prohibitum dari pro re spirituali, consistens in aliquo jure, temporale emolumentum habente, v. gr. beneficium pro altero beneficio.

Dico 2 : Per munus ab obsequio intelligitur, vel obsequium temporale quod de se est sufficiens ad Simoniam quando fit pro re spirituali, aut datur res spiritualis pro eo; vel obsequium spirituale quod de se non est sufficiens ad Simoniam, nisi quando contra Ecclesiæ prohibitionem commutatur pro re spirituali. Unde 1° dare et accipere beneficium spirituale propter obsequia temporalia jam præstita in eorum compensationem et quasi in debiti et obligationis ex justitia solutionem pro condigna mercede tribuenda, est Simonia; secus vero, si quis moveatur tantum ob hujusmodi obsequia ad dandum gratis beneficium et ultra omne debitum : ita communiter theologi, D. Thomas, Sotus, Adrianus, etc. V. gr. patronus famulo, cui justum solvit stipendium, ex benevolentia, et quasi ex aliqua gratitudine ultra omne debitum ac gratis confert beneficium, nullam in hoc admittit Simoniam; qui autem prælatis aut principibus inserviunt spe obtinendi beneficii, si inserviant sine ullo pacto explicito, vel implicito, ita ut ex obsequio nulla justitiæ obligatio oriatur in prælato aut principe ad dandam sustentationem vel mercedem, utpote dante eis aliquod infimum stipendium intra justitiæ latitudinem, tunc potest fieri beneficii collatio, præsentatio, procuratio, uti et obsequium seu servitium sine Simonia; quia utrinque fit simpliciter gratis, licet cum aliquo gratitudinis respectu : secus vero si intercedat pactum implicitum, dum nulla omnino merces temporalis, quæ ex justitia debetur, eis datur. 2° Si beneficium detur cum onere et sub conditione exhibendi aliquod obsequium temporale beneficio non annexum, est Simonia, quia tunc obsequium respicitur ut pretium saltem promissum; si autem sit annexum beneficio, tunc licet dare cum talis oneris obligatione. Unde dum beneficium vacat, licitum est etiam illi de novo annectere aliquod Ecclesiæ obsequium, v. gr. docendi grammaticam, cantandi, ministrandi in sacristia, etc., et sic acceptanti tale onus dare beneficium modo hujusmodi annexio fiat ab habente potestatem; quia istud non est pretium, sed est opus ecclesiasticum, pro quo stipendium simul cum spirituali ministerio datur. 3° Obsequium spirituale jam exhibitum non potest habere rationem pretii ad incurrendam Simoniam, nisi in aliquid temporale resolvatur, vel præcesserit pactum per Ecclesiam prohibitum : commutatio enim inter spiritualia ut talia, ex se non est Simonia. 4° Obligari ex pacto ad obsequium spirituale pro beneficio spirituali, licet non sit jure naturæ prohibitum, est tamen Simonia contra jus ecclesiasticum, adeoque dare beneficium imponendo personæ tale onus spiritualis obsequii quod non est beneficio conjunctum, Simonia est saltem contra jus ecclesiasticum : v. gr. promittere beneficium alicui, dummodo per aliquot annos aut menses ministret in certis spiritualibus officiis, dare beneficium sub onere recitandi quotidie pro dante certas preces, aut dicendi tot missas, etc., promittere beneficium pro electione ad episcopatum. 5° Dum obsequium spirituale est beneficio aut dignitati spirituali annexum, non potest habere rationem pretii, adeoque nulla est Simonia sub tali onere et conditione expressa conferre beneficium. Res enim transit cum suo onere. Item licitum est temporale aliquid dare Ecclesiæ cum onere alicujus obsequii spiritualis, obligando ad illud non tantum ex gratitudine, sed etiam ex justitia : imo addendo expressam conditionem ut non detur si non id fiat, vel ut ecclesia privetur tali re temporali vel legato si conditionem seu modum non adimpleverit, ut patet ex Ecclesiæ usu. Quia ibi non emitur spirituale per rem temporalem oblatam; sed donatur seu relinquitur res temporalis ad certum usum spiritualem et sanctum. Sic datur stipendium in eleemosynam ut dicantur missæ, obligando ex justitia clericum.

CAPUT XL.

Quid per munus a lingua intelligatur.

Nota : Per munus a lingua hic intelligitur aliquid temporale et mere humanum complectens preces humanas, intercessiones, adulationes, laudes, supplicationes, commendationes. Hinc

Dico 1 : Postulare ab aliquo prælato (et idem est de aliis), ut conferat alicui beneficium sine ulla promissione aut pacto, non est Simonia; nec illæ preces habent rationem pretii, neque prælatus principaliter ob illas conferens beneficium, Simoniam committit sive contra jus divinum, sive contra ecclesiasticum, licet interdum aliter peccare possit. Et istæ preces tam pro se quam pro alio fieri possunt, modo non obstet personalis indignitas, adeoque non est Simonia precibus inducere potentem virum aut familiarem papæ aut episcopi, ut mihi ab illo impetret beneficium : esset tamen Simonia, si quis aliquem pecunia conduceret, ut preces pro eo fundat ad obtinendum beneficium.

Dico 2 : Si per collationem beneficii vel alterius rei spiritualis, intendat collator obligare alium ad preces pro se fundendas, tunc proprie recipit munus a lingua; ideoque si recipiat beneficium sub tali pacto expresso vel tacito, committit Simoniam, et idem est quotieseunque preces aut intercessiones præcesserunt sub pacto vel beneficii promissione, si fierent. Idemque dic de laudibus, adulationibus, honorum demonstrationibus, etc., dum fiunt ex pacto.

CAPP. XLI, XLII, XLIII.

Quid sit Simonia mentalis, conventionalis, realis, ficta, confidentialis.

Dico 1 : Simonia *mentalis* dicitur, quando in actu externo non apparet quidem malitia Simoniæ, sed tamen illa fit cum prava et Simoniaca intentione; adeoque hic non sumitur Simonia mentalis pro

nudo proposito aut desiderio solo interno committendi Simoniam. Simonia *conventionalis* est, in qua fit pactum dandi vel accipiendi spirituale pro temporali, sed nondum exsecutioni mandatum est. *Realis* vero ultra pactum addit traditionem rei vel rerum de quibus conventio facta est. Traditio potest esse triplex : vel pretii tantum, vel rei spiritualis tantum, vel utriusque. Hinc si sola pretii seu pecuniæ traditio tantum facta sit, et nondum facta rei spiritualis traditio, tunc ista Simonia videtur juxta omnes auctores dicenda conventionalis, non realis, contra autem graves auctores sentiunt, si sola rei spiritualis traditio facta sit sub promissione pretii, licet nondum sit pretium traditum, dicendam esse simpliciter realem Simoniam, non conventionalem. Navarra vero et alii dicunt etiam hanc dicendam esse conventionalem tantum, nisi jam aliqua pretii pars data sit. Hæc tota distinctio inquiritur in ordine ad pœnas ipso jure Simoniæ impositas. Cæterum per traditionem rei spiritualis sub promissione pretii, videtur esse magis completa, quam per solam pretii anticipatam solutionem.

Dico 2 : Simonia ficta dicitur, quando fit exterius promissio rei temporalis pro spirituali, vel spiritualis pro temporali sine intentione implendi promissum, aut se obligandi. Quæritur autem an sit vera Simonia. Pro quo dico : 1° Quando fictio intervenit ex parte ejus qui daturus est rem spiritualem, sine dubio nulla committitur vera Simonia externa, sed tantum fictio et mendacium illius ; sic enim promittens, minime intendit dare rem spiritualem pro temporali, nec ad id se obligare; ex parte autem alterius sincere promittentis temporale, erit tantum interna Simonia, non externa vera, utpote fundata in pacto non subsistente, seu ficto. 2° Quando fictio intercedit ex utraque parte, nulla vera Simonia committitur; quia si defectus intentionis in uno contrahentium sufficit ad impediendam Simoniam; multo magis in utroque. 3° Quando fictio intervenit tantum ex parte promittentis pecuniam, nulla est etiam Simonia vera, contra Navarram dicentem esse Simoniam conventionalem ; sed est grave peccatum injustæ deceptionis, scandali, vel cooperationis ad mentalem alterius Simoniam ; et in foro externo puniri poterit ob dictas malitias et ob præsumptam Simoniam, licet directe et proprie non sit vera Simonia.

Dico 3 : Simonia confidentialis committitur : 1° A privato habente beneficium, si is renuntiet suum beneficium in favorem alterius cum certa confidentia, seu cum pacto expresso vel tacito obligante, ut postea vel sibi vel alteri, v. gr. suo nepoti, in sui favorem resignet istud. 2° A provisore, si is aliquem præsentet, nominet, commendet, eligat, aut illi beneficium conferat ea confidentia ac conditione seu pacto, ut ille postea in sui favorem alteri istud dimittat, aut ejus fructus vel partem eorum illi persolvat. Imo licet tantum confidat seu paciscatur, ut sibi, non vero alteri, partem fructuum seu pensionem persolvat : contra Navarram, Ugolinum, etc., negantes in hoc casu ultimo esse Simoniam confidentialem, sed aliam. Deinde hæc Simonia confidentialis non videtur esse extendenda ad beneficiorum permutationes ; quia in bullis non fit mentio de permutationibus.

Simoniæ confidentialis pœnæ sunt hæ : excommunicatio papæ reservata, privatio beneficiorum, et ad illa inhabilitas, reservatio, qua beneficia per Simoniam confidentialem collata et accepta papæ reservantur, etc. Ad has pœnas incurrendas non est opus ut Simonia sit utrinque completa, sed eo ipso quod beneficium ab uno est datum, et ab alio receptum in confidentiam, statim ab utroque prædictæ pœnæ incurruntur.

CAPP. XLIV, XLV.

Quæ intentio requiratur ad Simoniam mentalem.

Dico 1 : Simonia mentalis externa consistit in interna voluntate et proposito dandi rem temporalem ut pretium rei spiritualis tanquam ex contractu oneroso, et inducente obligationem per opus subsecutum ; sive intendatur res temporalis ut finis principalis operantis, sive ut secundarius et accessorius; sufficit enim ad Simoniam ut quis intendat sive principaliter sive minus principaliter rem temporalem tanquam rei spiritualis pretium. Sicut si quis intenderet missæ stipendium tanquam missæ pretium, licet minus principaliter, esset Simoniacus; quocunque enim modo intendatur id quod malum est, sufficit ad contrahendam in mente malitiam ex tali objecto. Hinc

Dico 2 : Quamvis temporale emolumentum sit per ministerium spirituale ab operante intentum ; si tamen non intendatur ut pretium, sed sub alia vera et possibili stipendii ratione, non est Simonia : v. gr. si quis sacerdos non jejunus aut in peccato mortali exsistens faciat missam, intendendo illius stipendium, non erit Simoniacus, sed sacrilegus.

Hinc collige Simoniam mentalem non solum posse committi in materia contra jus divinum naturale, sed etiam in materia contra jus positivum ecclesiasticum.

Dico 3 : Dare munus vel obsequium præstare spe gratitudinis et intuitu remunerationis per donum spirituale obtinendum ex pura gratitudine, sine ulla alia obligatione exteriori, non est Simonia ; nec per se loquendo est malum si spectatur sola gratitudinis naturalis honestas. Tamen

Dico 4 : Non est licitum deducere in pactum antidoralem obligationem cum speciali promissione implendi illam, vel exhibere seu donum seu obsequium temporale sub conditione et modo implendi ejusmodi obligationem per rem spiritualem, sed post receptum pure et sine conditione obsequium aut donum, ex quo nata est obligatio antidoralis, non est Simonia dare spirituale, vel ecclesiasticum

beneficium cum intentione explendi istam obligationem sine pacto habitam.

CAPUT XLVI.

An sit Simonia conventionalis in pactum deducere sustentationis stipendium pro functione spirituali, quæ ex officio non incumbit.

Nota 1 : De fide est sustentationis stipendium licite dari ministrantibus spiritualia, et ab eis licite accipi (*Matth.* x, *Luc.* x, *I Cor.* IX). Et patet ex usu Ecclesiæ, et decimarum institutione, etc. Ratio est quia dignus est operarius cibo suo, et nemo militat suis stipendiis.

Nota 2 : Hoc stipendium non impedit, quominus spiritualia gratis ministrentur, quia non datur ratione rei spiritualis, sed ratione personæ, cui operanti debita est sustentatio. Nunc ad quæstionem

Dico 1 : Exigere sustentationis stipendium pro functione spirituali, etiam pacto præmisso, non est Simonia. (Cajetanus, Sotus, Navarra, etc.) Quia non obstante pacto, stipendium remanet semper stipendium ex natura rei debitum, nec habet rationem pretii pro re spirituali, quæ gratis ministratur : nec tale pactum, quod est honestum, ulla jura ecclesiastica prohibent. Atque hoc verum est non tantum respectu sacerdotum pauperum, sed etiam divitum tam in temporalibus bonis quam in ecclesiasticis, quando horum ratione ad ejusmodi ministerium non tenentur ex officio; quia clericus dives licet paciscatur de stipendio, non petit illud ut pretium, et nemo tenetur suis stipendiis militare. Quod aliunde habeat ex quo vivat, illud est per accidens; deinde nullo jure positivo hoc prohibetur. Quando autem parochus aut alius Ecclesiæ pastor ex vi sui officii ac beneficii tenetur sacramenta ministrare, concionari, sacrificium offerre, visitare, et ejusmodi opera facere, ob quæ ratione sui officii recipit proventus sibi debitos, tunc si pro illis de novo stipendio paciscatur, committit injustitiam, et præsumptam saltem Simoniam, imo et sæpe veram ob speciales Ecclesiæ prohibitiones. Itaque sicut ministri Ecclesiæ gratis ministrant, ita et fideles dant gratis stipendium, quia sicut illi non vendunt sua ministeria; ita nec hi ea emunt, non enim datur nec accipitur pretium pro re spirituali : ambo tamen ex justitia tenentur, illi ad præstandum ministerium, hi ad alendum ministrum.

Dico 2 : Istud stipendium potest lege taxari tum quoad augmentum, ita ut possit exigi tanta quantitas et non major, tum quoad diminutionem, ita ut non possit dari minor quantitas : si enim potest ex pacto privato definiri hæc quantitas, multo magis ex lege, aut etiam consuetudine, non enim quidquid taxatur pretium est; liberum tamen recipienti ministro relinquitur taxati pretii partem remittere, aut cedere juri suo ac gratis ministrare.

CAPUT XLVII.

An exigere stipendium pro functione spirituali et officio vel beneficio debita, sit vera Simonia conventionalis.

Dico 1 : Temporalia emolumenta quæ jure ecclesiastico concessa sunt ministrantibus ex officio spiritualia, possunt juste et absque Simonia exigi. Concessa autem sunt ultra decimas et primitias duobus modis : 1° dum Ecclesia acceptando spontaneas fidelium voluntates, juxta illas jus constituit; supposita enim voluntaria fidelium consuetudine offerendi pias oblationes, Ecclesia vult laudabilem illam consuetudinem servari adeoque ministris suis dat jus illas exigendi moderato modo (in cap. *Ad apostolicum*). 2° Dum absolute pro sua potestate jubet seu decernit dandum esse certum quoddam emolumentum seu stipendium suis ministris ad convenientem eorum sustentationem, v. gr. episcopis in visitationibus diœceseos. Sed

Dico 2 : Quando jure communi prohibentur aliæ exactiones pro functionibus spiritualibus, tunc aliquod temporale stipendium pro his exigere seu petere, grave est peccatum non tantum injustitiæ si petatur tanquam debitum, sed etiam Simoniæ præsumptæ, imo et veræ ac propriæ ut probabilius videtur; ejusmodi enim prohibitio, contra quam peccatum committitur, facta est intuitu religionis. Hoc tamen intellige, quamdiu in iis juri communi non est derogatum vel consuetudine vel aliter, de qua infra. Ea quæ sic sunt per jus commune prohibita, non possunt honestari per particularium episcopatuum aut provinciarum statuta si sint illis contraria, ac vigeat jus commune, nec sit illi consuetudine derogatum : inferior enim non potest aliquid statuere contra jus superioris.

Dico 3 : Ubi jure communi nec approbatur nec prohibetur ejusmodi exactio rei temporalis, in spiritualium administratione, illicita et injusta est iis qui tenentur ex officio ista ministrare, imo et Simonia saltem præsumpta nisi fiat ex justa causa quæ publica auctoritate probetur : v. gr. si reditus episcopatus aut beneficii ita sint tenues, ut non sufficiant ad sustentanda personæ, status, et officii onera, tunc prælatus ad quem spectat, potest providere ut inferiores populorum pastores sufficienter ab ipsis alantur; si autem ipse prælatus seu episcopus simili egestate laboret, videtur posse statuere modum quo sibi sufficienter per fidelium oblationes et ejusmodi subsidia prospiciatur.

CAPUT XLVIII.

An exactio rei temporalis pro spirituali per consuetudinem possit honestari.

Nota : 1° Clarum est nunquam ulla consuetudine posse licitum esse dare temporale pro spirituali per modum pretii. 2° Non agitur hic de simplicibus ministris qui spiritualia ministrant sine obligatione officii, quoad pactum de stipendio faciendum; sed de iis qui spiritualia ex officio ministrant. 3° Hi qui spiritualia ministrant ex officio, supponuntur posse per laudabilem consuetudinem acquirere jus ad aliquas extraordinarias, præsertim voluntarias fidelium oblationes, quæ non pertinent ad jus decimarum nec ad alios stabiles ecclesiarum aut beneficiorum reditus, ut patet ex cap. *Ad apostolicam*, De

Simonia. De alia ergo exactione rei temporalis pro actione spirituali hic agitur; qua in re conveniunt doctores, licet consuetudo sæpe iniqua esse possit et habere Simoniæ suspicionem saltem in foro ecclesiastico, non tamen omnem esse reprobandam si ex circumstantiis et conditionibus adjunctis præsumptio purgetur. Unde

Dico hanc consuetudinem prout juri contrariam, nunquam posse honestari nec prævalere contra illud ad ei derogandum; posse tamen tot circumstantiis et conditionibus vestiri, ut non sit juri contraria, sed honesta, ideoque possit retineri, non quod deroget juri ecclesiastico, sed quia non est contra illud, si nempe istæ circumstantiæ et conditiones non solum veram ex objecto malitiam auferant, sed etiam mali speciem ac suspicionem sufficienter purgent, ad quod requiritur : 1° Ut petitio juste reduci possit ad debitum sustentationis stipendium, non ob solam consuetudinem, sed etiam ob suam originem, quia nimirum ab initio ob egestatem ministrorum tale onus cœpit imponi. 2° Ut hæc impositio sufficienti auctoritate et potestate facta sit. 3° Ut exactio non consueverit fieri modo specialiter prohibito in jure, qualis esset negare spiritualia nisi prius dentur temporalia. Si igitur consuetudo habuerit istas proprietates, jam non erit per legem reprobata nec juri contraria, adeoque erit honesta.

CAPUT XLIX.

An possit committi vera Simonia per gratuitam largitionem sine expressa vel tacita pactione aut ejus intentione.

Nota agi de Simonia contra jus ecclesiasticum; non enim posse esse contra jus naturale ex natura rei patet, quia largitio mere gratuita non habet rationem pretii rei spiritualis, sine quo non est Simonia contra jus naturale. Igitur:

Dico 1 : Potest per legem ecclesiasticam prohiberi gratuita largitio et receptio intuitu spiritualis beneficii aut ministerii facta, constituendo actum illi contrarium in veræ Simoniæ specie, etiamsi largitor, quantum in se est, revera non intendat donare nisi ex liberalitate vel gratitudine : quia quando res temporalis non donatur, nisi alia spiritualis donetur, ita ut ex modo et occasione donationis constet vel saltem appareat donationem illam non fieri sine ordine et respectu ad aliam, licet forte coram Deo sit gratuita, habet tamen apparentiam permutationis; ideoque potest lex ecclesiastica illam intuitu religionis et ob reverentiam rerum sacrarum prohibere tanquam Simoniacam. Hinc:

Dico 2 : Non omnis prohibitio gratuitæ donationis reddit actionem Simoniacam, sed tantum illa quæ fit intuitu religionis in materia ad voluntarias rerum sacrarum quatenus talium cum temporalibus permutationes spectante, vilipendendo et injuria afficiendo res sacras. Aliæ prohibitiones quæ non fiunt sub his rationibus constituunt actus contrarios in alio vitiorum genere, quod potest discerni ex jurium seu legum verbis.

CAPUT L.

An pactio et traditio rei temporalis ad obtinendam spiritualem, excusetur a Simonia ob intentam vexationis redemptionem.

Dico 1 : Post jus acquisitum seu obtentum beneficium aut aliud spirituale donum, non est Simonia redimere vexationem quæ pro jure auferendo injuste infertur, aut probabiliter timetur. (D. Thomas, Cajetanus, Sotus, Navarra, Sylvester, Angelus, etc.) Probatur ex cap. *Dilectus*, cap. *Quæsitum*, etc. Ratio est quia sic redimens vexationem sibi illatam, non dat rem temporalem pro aliqua spirituali, sed pro vitanda injuria; nec etiam per illam rem temporalem acquirit aliquid spirituale, supponitur enim istud jam habere, nec quid novum acquirere. Ut tamen vexationis redemptio sit licita, requiruntur hæ conditiones : 1° Ut jus sit certum et indubitatum. 2° Ut jus sit plenum. Ideo in cap. *Matthæus*, quidam electus tantum et nondum confirmatus judicatur Simoniacus ob datam pecuniam ad redimendam vexationem pro suæ electionis obtinenda confirmatione; quia habebat tantum jus plenum et acquisitum ut in sua electione jam facta non vexaretur; sed nondum habebat jus plene acquisitum pro ejus confirmatione. 3° Ut vexatio sit injusta; si enim sit justa aut dubia, non licet illam redimere. 4° Ut res quæ datur pro tollenda vexatione, sit temporalis; si enim daret spiritualem, esset Simoniacus. Qui autem recipit pecuniam ad desistendum ab injusta vexatione, tenetur ad illam restituendam; et si vexatio fiebat per materiam spiritualem, v. gr. per denegationem absolutionis a censura, etc., non tantum est injustus, sed etiam Simoniacus.

Dico 2 : Nondum jure acquisito, non licet pecunia redimere vexationem quæ impedit jus acquirendum; sed Simonia committitur, si talis redemptio fiat. Probatur ex cap. *Dilectus*, cap. *Matthæus*. Ratio est, quia qui non habet jus spirituale quod acquirere intendit, redimendo pecunia vexationem, illa pecunia vult mediate acquirere istud jus seu emere, et istud clarum est, dum vexatio est justa. Si autem sit injusta et injuriosa, videtur sic distinguendum : 1° Quando vexatio injusta provenit ab eo qui potest impedire, sed non juvare ad conferendum spirituale, aut si etiam potest juvare, sed ejus adjutorium non est per se necessarium, tunc dare ei pecuniam, etiam ante jus acquisitum, non ut juvet aut conferat spirituale, sed solum ut non vexet nec malefaciat, non videtur committi Simonia : v. gr. si quis injuste per vim domi alium detineat ne se opponat beneficio, vel calumniis opprimat, nec sit elector aut collator beneficii, tunc illam vexationem pecunia redimere, non erit Simonia; quod enim proxime emitur, est quid temporale, nempe remotio injuriæ nec aliud intenditur ex vi pretii, alia autem acquisitio quæ inde sequi potest ex impedimenti remotione, est tantum effectus

per accidens, non habens per se connexionem cum illa remotione, nec virtualiter in tali objecto continetur. 2° Quando vexatio injusta ab eo provenit qui non solum nocere, sed etiam prodesse potest, eligendo, confirmando, vel aliud spirituale conferendo : si vexatio fiat in rebus seu actibus beneficialibus per illam potestatem qua potest prodesse, v. gr. elector vexando in non eligendo, collator in non conferendo, etc., tunc non licet illam redimere quia tunc per pecuniam paratur per se proxime ac directe via ad obtinendum beneficium, secus vero, saltem coram Deo et per se loquendo, si vexet injuste per aliam potestatem. Hinc non licet redimere prædictam vexationem non tantum pro electione, præsentatione, nominatione, postulatione, sed nec etiam pro confirmatione, institutione aut collatione. Quoad possessionem post factam collationem vel confirmationem, an liceat redimere vexationem, etiam ab eis qui prodesse possunt, controvertitur; multi affirmant licere, quia postquam titulus spiritualis plane acquisitus est, jam possessio non prætenditur consequenda tanquam rei spirituali annexa, sed per se ut quid corporale est, immediate ac per se debitum; et sic non redimitur jus quod est jam plene acquisitum quoad proprietatem, sed factum corporale. Multo autem certius, si quis habens verum et certum beneficii quod possidet, jus, per fraudem et vim privetur illius possessione, licebit redimere vexationem suam ut restituatur (Gloss. in cap. *Dilectus*, etc.). Denique si in electione summi pontificis vexatio fiat ut indignus vel evidenter minus dignus eligatur, an et quomodo liceat istam pecunia redimere vexationem, ut electio juste fiat, vide hic apud Patrem Suarez. Jam vero si vexatio fiat in rebus seu actibus qui non sunt beneficiales, sed mere spirituales, non est semper prohibita illius redemptio, quando hæc sit cum spirituali detrimento, privando hominem injuste actione aut remedio spirituali sibi debito, v. gr. in absolutione a censura, receptione sacramentorum, etc. Sed hæc, juxta plerosque, revocantur ad jus quod jam acquisitum est, ad talem actum, v. gr. ad absolutionem; non enim acquirere jus prætendunt, sed jam vere acquisito non privari aut ejus usu non impediri per injuriam vel vim.

CAPUT LI.

An pactio onerosa seu transactio ad terminandam litem habeat locum in spiritualibus absque Simonia.

Nota : Ad transactionem tria requiruntur : 1° Ut jus seu res, super quam transigitur, sit incerta aut dubia utrinque. 2° Ut conventio fiat cum aliquo utriusque partis onere; alias esset donatio : v. gr. si alter litigantium libere et gratis omnino cedat juri suo in alterius favorem sine ulla rei aut juris litigiosi divisione ac compensatione, tunc non est transactio, sed gratuita donatio seu amicabilis et laudabilis compositio. 3° Ut conventio fiat in ordine ad litis sive intentatæ, sive intentandæ compositionem.

Dico 1 : Transactio in qua jus spirituale pro aliquo temporali, vel relaxatur vel retinetur, est mala ac Simoniaca; in illa enim permutatione reperitur venditio rei spiritualis pro temporali. Unde si spiritualis jurisdictio in litem vocetur, non licet transigere dando pecuniam; est enim clara Simonia ex cap. *Præterea* 2. Item si beneficium sit litigiosum, non licet componere litem vel dando pecuniam alteri ut desistat, vel ab eo illam recipiendo et illi beneficium relinquendo (cap. *Constitutus*). Idem dic de jure præsentandi, de sacris reliquiis, etc.

Dico 2 : Transactio in materia spirituali, sed non beneficiali, facta cum aliqua compensatione per largitionem aut cessionem alterius rei, jurisve spiritualis proportionati, non est Simonia; est enim tantum datio et acceptio rei spiritualis pro spirituali, v. gr. datio reliquiarum pro aliis reliquiis, datio juris visitandi pro jure præsentandi, datio decimarum pro aliis decimis, etc. Ideoque potest fieri de consensu partium absque prælati auctoritate quoad vim transactionis. Dico *quoad vim transactionis;* quia interdum ut valeat, requirit prælati auctoritatem ac consensum, v. gr. ut res quæ transigitur sit perpetua, etc. Sed :

Dico 3 : In materia beneficiali quamvis spirituale pro spirituali transigatur, non tamen est licita transactio quando fit vel propria litigantium auctoritate, vel ex privato virorum prudentium arbitrio : ejusmodi enim transactio facta sine auctoritate episcopi, prohibita est jure positivo, ut colligitur ex cap. *Constitutus*, cap. *Super eo*. Auctoritate autem episcopi potest fieri, quia permutatio beneficiorum ex causa honesta potest fieri in manibus prælati; et si hic constituatur a litigantibus absolutus litis arbiter, potest decernere ut unus litigiosum beneficium retineat, et solvat alteri ex illo pensionem quæ potest esse vel personæ tantum, vel etiam ipsi beneficio annexa, ita ut, licet beneficiarius moriatur, sit adhuc pensionario solvenda. Deinde ejusmodi pensio si sit spiritualis (id est quæ datur clerico ut clerico cum annexione ad officium spirituale), potest prius transigi inter se a litigantibus in ordine ad consensum et approbationem prælati, ut hanc transactionem confirmet ac consummet. Si autem sit mere temporalis (id est quæ datur sine ullo titulo seu officio spirituali, adeoque potest etiam laico dari), tunc ad litigantis partis requisitionem non potest imponi, nec inter litigantes potest prius fieri talis conventio; quæ si facta sit, eo ipso est a prælato reprobanda, ut colligitur ex cap. *Cum pridem*. Ipse autem prælatus arbiter poterit ex officio, si judicaverit expedire, talem pensionem imponere, juxta cap. *Nisi*, ob bonum pacis et utilitatem temporalem per litis cessationem. Si autem partes mutuo consensu amicabiliter conveniant, ut compositio inter ipsas fiat per clericos causæ judices, non solum tanquam judices, sed etiam tanquam arbitrato-

res; hi per modum transactionis possunt rem componere, adjudicando beneficium ei qui judicatur habere verum titulum, et beneficiario, si oporteat, imponendo onus temporale; hoc tamen onus non possunt super beneficium imponere sine consensu prælati. Et licet ipsi arbitratores seu arbitri non sint causæ judices, probabilius idem onus possunt imponere, nec videtur id in jure prohibitum.

CAPUT LII.

An Simonia possit cadere in summum pontificem, aut ejus curiam.

Dico 1 : In omni materia, in qua Simonia committitur contra jus divinum, etiam papa erit Simoniacus, si illam vendat pro temporali : v. gr. si sacramenta, reliquias sacras, etc., vendat pro re temporali; quia est subditus juri divino, et ista actio est intrinsece mala. Circa tamen beneficia ecclesiastica, potest variis titulis et modis sine venditione adeoque et sine Simonia dare illa cum pecunia.

Dico 2 : Papa potest facile vitare Simoniæ vitium, etiamsi circa res spirituales venditiones vel contractus faciat, qui jure tantum ecclesiastico Simoniaci effecti sunt. Probatur, quia jura prohibentia Simoniam positivam, id est quæ de se et ex natura rei non est Simonia, probabiliter non comprehendunt summum pontificem, sed ex peculiari ratione inferiores tantum, adeoque illum non obligant; et licet illis obligaretur, posset tamen facile secum dispensare, et sic contra illas leges non committeret Simoniam : per dispensationem enim tollitur legis obligatio, imo et fortassis per dispensationem sine causa datam.

Dico 3 : Papa quamvis Simoniam contra jus seu divinum seu humanum committeret, non tamen in pœnas contra Simoniacos latas incideret; quia princeps supremus quoad vim coactivam non subjacet suis legibus.

Quoad curiam Romanam, certum est non minus in illa, quam alibi, imo et frequentius posse committi Simoniam tam contra jus divinum quam contra ecclesiasticum; qui id negant quoad jus ecclesiasticum, ii videntur maxime loqui de casibus in quibus aliquid agitur contra jus ecclesiasticum sciente et dissimulante pontifice, quia tunc videtur tacite dispensare; potest tamen fieri ut interdum dissimulet quoad pœnas, non tamen quoad culpam.

CAPUT LIII.

An et quomodo prælati papa inferiores eorumque ministri Simoniam committant.

Nota : Clarum est omnes has personas, etiam cardinales, illorumque ministros aut adjutores posse Simoniam committere, vel per se administrando res spirituales, vel pravæ illarum administrationi cooperando. Nunc hic tantum quædam particularia exponemus.

Dico 1 : Circa *ordinum ministerium*, non tantum episcopus non potest, sed nec ejus ministri, v. gr. lector Evangelii, examinator et approbator ordinandorum, possunt aliquid accipere pro suo ministerio absque Simonia, uti nec notarius dum gratis tenetur ministrare, habens competens pro suo officio stipendium; si autem non habeat stipendium, potest, juxta concilium Tridentinum, aliquid accipere non ut pretium suæ operæ, sed ut sustentationis stipendium.

Dico 2 : Circa *jurisdictionis exercitium;* nihil de hoc pro prælatorum ministris specialiter dispositum in jure reperitur. Hinc advocatus aut procurator potest vendere suum patrocinium, etiamsi causa sit spiritualis; labor ejus enim est mere temporalis. Testis vero in causa spirituali si recipiat aliquid ut pretium sui testimonii, committit Simoniam; secus si recipiat ut pretium seu stipendium sui laboris. Si autem nolit veritatem testificari, nisi accepta pecunia, licebit per pecuniæ dationem redimere injustam vexationem.

Dico 3 : Circa *beneficiorum collationem.* Intercessores accipiendo pecuniam, ad intercedendum pro obtinendo alteri beneficio, juxta communem doctorum sententiam committunt Simoniam contra jus divinum et humanum ; perinde enim est vel immediate a collatore, vel mediante intercessore beneficium per pecuniam obtinere, cum vere utroque modo obtineatur; adeoque illud emitur, atque in jure sæpius id prohibetur. Si tamen tribueret tantum facilem ad prælatum aditum quærenti beneficium, nihil ipse rogans, pro hac re reciperet pecuniam, non committeret Simoniam, quamvis interdum posset esse vel turpe lucrum vel injustitia.

CAPUT LIV.

An homines cujusvis status possint Simoniam committere.

Dico 1 : Omnes clerici in quocunque statu sint, a sacerdotio usque ad primam tonsuram, possunt committere Simoniam, obtinendo seu emendo, vel ministrando seu vendendo Simoniace spiritualia; qui enim pecunia recipit primam tonsuram, etiam Simoniacus est. Similiter religiosi possunt in Simoniam incidere, vel ut homines simpliciter, de quibus infra; vel ut clerici, de quibus supra, emendo aut vendendo functionem spiritualem; vel ut religiosi, emendo aut vendendo sive ingressum sive professionem religiosam.

Dico 2 : Etiam clerici et generatim omnes homines, imo et infideles possunt Simoniam committere, emendo vel vendendo spiritualia : v. gr. pro pecunia conferendo baptismum sine cæremoniis, præsentando ad beneficia, recipiendo sacramenta, cooperando alterius Simoniæ, emendo pro alio episcopatum, baptismum, etc. Denique personæ mistæ, v. gr. collegia, capitula, conventus regulares, unito singularum seu particularium per modum unius consilio ac voluntate aut suffragio, possunt etiam Simoniam committere.

CAPUT LV.

Pro quibus Simoniis nullæ pœnæ impositæ sint.

Dico 1 : In quavis materia (omissa nunc materia ordinis et beneficii, de qua post), certum est nullo jure antiquo ante extrav. 2 Pauli II, fuisse latam ipso facto pœnam contra Simoniacos; sed tantum per sententiam ferendæ contra illos pœnæ sæpe in isto jure reperiuntur seu imponuntur. Jam vero nunc post dictam extrav., pro nulla etiam Simonia incurritur ipso facto seu jure pœna ex parte materiæ, nisi in materia ordinis, beneficii ecclesiastici et ingressus religionis : ita communiter Angelus, Sylvester, Cajetanus, Navarra, etc. Aliæ extrav., quæ referuntur editæ ante prædictam, nihil habent contra hanc assertionem, quæ sic probatur : Ante extrav. 2 Pauli II, nulla pœna ipso facto incurrenda invenitur lata pro Simonia in jure communi; sed nec in hac extrav. aut in alia posteriori lata est ulla pœna ipso facto incurrenda; hæc enim verba in dicta extrav. posita : *Quas* (id est pœnas antiquas) *ipso facto eos incurrere volumus*, vel intelliguntur de aliquibus Simoniis occultis, vel non sunt ita in usu receptæ, vel consuetudo illis derogavit. Ergo, etc.

Dico 2 : Simonia pure conventionalis non incurrit pœnas juris, ipso facto latas contra Simoniacos, nempe censuras et inhabilitates aut privationes, si quæ sunt ipso jure latæ contra Simoniacos; quia jura quæ pœnas ferunt contra Simoniam, non utuntur verbis solas conventiones Simoniacas significantibus, sed semper utuntur verbis significantibus earum exsecutionem, id est dationes vel receptiones ex ejusmodi conventionibus provenientes. Ergo ex vi talium jurium non incurruntur illorum pœnæ per Simoniam mere conventionalem; nam pœna per legem imposita non incurritur quandiu actio mala eo modo quo lex eam exprimit, non efficitur ac completur. Atqui actio prohibita ac punita per jura non completur in sola conventione; ergo per illam solam non incurruntur Simoniacorum pœnæ, etiamsi judex ecclesiasticus ejusmodi pœnis posset illam punire. Hinc si Simonia conventionalis sit tantum completa quoad exsecutionem ex parte dementis, id est, si sit tantum datum pretium, et nondum data aut accepta res spiritualis, non sufficit ad incurrendas pœnas ipso facto latas; an vero sufficiat, si res spiritualis sit data et accepta, sed nihil omnino adhuc pretii sit datum, aut promissum tantum, magis ambigitur : qua de re postea.

Dico 3 : Generaliter loquendo, omnis Simonia quæ est solum contra Ecclesiæ prohibitionem, ac maxime ea quæ in beneficiorum permutatione committitur, subjicitur pœnis seu latæ sententiæ seu ferendæ contra Simoniacos in jure impositis, nisi ex verbis legis aliud constare possit : v. gr. lex puniens Simoniam in beneficiis, non comprehendit jure positivo prohibitam venditionem pensionis, quia pensio non est proprie ac stricte beneficium; quinimo quandoque per legem punitur Simonia contra jus humanum commissa, et non punitur commissa contra jus divinum, ut patet in excommunicatione lata contra Simoniam confidentialem, quæ tota est contra jus humanum; et tamen illa pœna non extenditur ultra istam materiam. Probatur autem assertio, quia licet Simonia sit tantum contra jus ecclesiasticum, est tamen vera Simonia; ergo in omni rigore comprehenditur sub generali lege puniente Simoniam in tali materia, nisi aliunde colligatur exceptio, aut limitatio.

CAPUT LVI.

De censuris et impedimentis canonicis quæ ob Simoniam ipso jure incurruntur.

Dico 1 : Per Simoniam in ordine atque probabilius in prima tonsura tam ab ordinante quam ab ordinato commissam, uti et in beneficio ecclesiastico incurritur ipso facto excommunicatio major papæ reservata, prout habetur in extrav. 2 Pauli II, eademque excommunicatio incurritur per Simoniam in professione religionis (secus vero probabiliter in habitus religiosi susceptione pro novitiatu) commissam, uti habetur in extrav. 1; quæ pœna quoad moniales et earum conventus revocata est. In hac extrav. 1, imponitur etiam suspensio conventui in talem Simoniam consentienti.

Dico 2 : Imponitur suspensio ipso jure scienter recipientibus ordines Simoniace, et per bullam Pii V sic ordinatus et convictus suspenditur ipso facto ab exsecutione suorum ordinum per decennium, ita ut intra illud tempus non possit habere dispensationem; non tamen suspenditur a beneficio seu officio. Ordinans autem Simoniace, per bullam Sixti V, suspenditur ab omni functione pontificali; non tamen a jurisdictione quæ pontificalem consecrationem non requirit, neque ab administratione ecclesiæ, nec etiam a beneficio. Quoad autem beneficium Simoniace obtentum, licet hic Simoniacus non acquirat jus ad illud, nec valide ejus fructus percipiat, nulla tamen reperitur suspensio ipso jure imposita.

Dico 3 : Per Simoniam ipso facto non incurritur immediate et per se irregularitas, nec infamia juris, nec depositio actualis; sed depositio facienda sancitur in cap. *Erga Simoniacos.*

Dico 4 : Prædicta suspensio et excommunicatio non incurruntur ob Simoniam realem inchoatam tantum per pecuniæ solutionem, si ordo aut beneficium nondum sit collatum (supponimus enim ob mentalem vel pure confidentialem Simoniam eas non incurri). At si data sit pecunia, et collata ac recepta res spiritualis, nempe ordo, beneficium aut officium ecclesiasticum, tunc ob completam ex utraque parte realem Simoniam, certum est istas censuras statim ipso facto incurri. Quando autem numerata pecunia non præcessit, sed tantum promissa, et ordinatio vel beneficii collatio subsecuta est, an statim tunc incurrantur dictæ censuræ, variant auctores. Navarra, Covarruvias, Ugoli-

nus, etc., negant eas statim incurri ante pretii promissi solutionem; alii autem, nempe Cajetanus, Soto, Richardus, etc., dicunt ad illas incurrendas sufficere in rigore juris traditionem rei spiritualis sub pretii promissione, etiamsi istud pretium nondum sit solutum, nec aliqua ejus pars. In hac controversia quid sentiendum sit quoad privationem beneficiorum, vel collationis Simoniacæ nullitatem, dicetur in capite sequenti. Nunc quoad ordinationem, dico suspensionem ab ordine, de rigore juris incurri ipso facto in ipsa ordinatione, etiamsi datio pecuniæ non præcesserit, sed tantum promissio : verba enim juris id indicant. Quoad vero excommunicationem, licet verba prædictæ extrav. 2 videantur dubia, et facile possint in utramque partem trahi, tamen verisimilius est ex vi verborum non incurri illam excommunicationem, quandiu ex utraque parte Simonia non est completa, quia sic videtur interpretanda ista extrav. et usu probari interpretatio; quodque dicit Navarra, quando Simonia prius incompleta per rei spiritualis traditionem, postea completur per pecuniæ traditionem, tunc incurri censuras non solum ab isto tempore, sed etiam a die commissi criminis per rei spiritualis traditionem sub pecuniæ promissione, ita ut censura retrotrahatur, non habet fundamentum in dicta extrav. Si igitur ista retrotractio sit vera, novo jure aut stylo curiæ introducta est.

CAPUT LVII.

An actio sacra, vel collatio beneficii Simoniace facta, sit valida, et quo jure.

Dico 1 : Actiones et functiones sacræ, ratæ sunt ac validæ, licet vel sint irritabiles per Ecclesiam, sitque lex lata illas irritans, vel habeant talem effectum qui per pravam operantis dispositionem seu obicem impediri possit. Hinc sequitur : 1° ordinatio Simoniace facta, rata est atque validà quoad substantiam et effectum characteris, uti et sacramenta, v. gr. baptismus, confirmatio, Eucharistiæ consecratio, etc., Simoniace collata. Idem dic de consecratione ecclesiæ, aut calicis, de benedictione nuptiarum, ciborum, vestium, etc. 2° Actus ecclesiasticæ jurisdictionis Simoniace exerciti, non fiunt ipso facto invalidi ob Simoniam extra beneficiorum provisiones. 3° Religionis professio Simoniace facta, est valida; vetuit tamen Ecclesia ejusmodi religiosum permanere in eo monasterio in quo professus est, aut habere in illo jus ad suam sustentationem, nempe post latam judicis sententiam. 4° Contra, omnis actio jurisdictionis aut juris ecclesiastici, quæ ad conferendum beneficium ecclesiasticum ordinatur, ipso facto est irrita, nullumque jus vel effectum confert, ut constat ex extrav. 2.

Dico 2 : Acquisitio rerum spiritualium, aut beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum Simoniace facta, ex rei natura valida est suumque sortitur effectum, nisi dum per jus ecclesiasticum irrita fit, uti fit in beneficiis et officiis ecclesiasticis : quia aliquis etiamsi per Simoniam, potest secundum se, dum jus positivum non impedit, valide transferre dominium rei suæ spiritualis in alterum. Hinc sequitur : 1° si res sacræ permanentes, v. gr. sanctorum reliquiæ, calix cariori pretio emptus ob consecrationem, etc., Simoniace acquirantur, valide acquiri, ita ut ille qui eas sic acquisivit, non teneatur in conscientia a se abdicare seu dimittere vel restituere. Idem dic de jure patronatus Simoniace acquisito, et de officiis ecclesiasticis mere temporalibus, quæ ex natura rei vendi possent, sed lege ecclesiastica (cap. *Salvator*) vendi prohibentur; quia licet jus ecclesiasticum prohibeat ista fieri, non tamen irritat illorum acquisitionem. Imo secluso jure ecclesiastico, et stando in puro jure divino ac naturali, beneficia ecclesiastica per Simoniam collata potuissent valide acquiri ac tuta conscientia retineri, sine obligatione dimittendi illa vel fructus restituendi usque ad judicis condemnationem; peccatum enim mortale Simoniæ ex se non reddit irritam contractus utrinque voluntarii substantiam. Sed 2° ex jure ecclesiastico Simoniaca beneficii ecclesiastici acquisitio est nulla seu fit irrita, nullumque jus aut verum titulum acquirenti confert. Hæc irritationis pœna in antiquioribus juris canonici decretis insinuata est, postea in decretalibus quasi completa, ac denique in dicta extrav. 2, expressius proposita ac declarata; adeoque is qui sic beneficium accipit, tenetur illud relinquere cum omnibus fructibus perceptis vel sua culpa non perceptis, sponte et in conscientia ante omnem condemnationem, et illos restituere Ecclesiæ beneficii, exceptis personalium laborum, v. gr. missarum stipendiis ac deductis expensis in ecclesiæ aut beneficii utilitatem vel in fructuum collectione factis. Si Simonia fuerit occulta, sponte relinquatur beneficium, et clam fiat restitutio. 3° Si alius dederit pecuniam sciente et non contradicente, cui electio vel beneficium procuratur, tunc electio vel beneficii collatio est etiam invalida; sed si beneficium recipiens, nesciverit Simoniacum alterius delictum, et quia potuit illud timere aut suspicari, prius contradixit ac repugnavit quantum in ipso erat, tunc collatio est valida et ita firma, ut nihil unquam sic beneficiato nocere possit alterius delictum, si ipse nunquam illi consenserit. Ita expresse habetur in cap. *Sicut tuis*. Si postea sciendo delictum, solvat pecuniam ei qui pro se illam dedit, ne sui causa detrimentum patiatur, nullo modo sive interius sive exterius intendens approbare factum, non committet Simoniam. Secus vero si solvat quasi illud approbando et munerando; et licet sic munerans delictum, non videatur per jus ipso facto privari beneficio acquisito, tamen dignus est privari per judicem.

Dico 3 : Si collatum Simoniace fuerit beneficium omnino ignoranti Simoniam, nec prius contradicenti utpote qui nullam illius suspicionem aut occasionem habebat ad contradicendum, talis collatio

ex jure positivo est ipso facto irrita et nulla, modo pecunia data fuerit in favorem ac beneficentiam illius cui collatum est beneficium; aliter enim dicendum est si fraudulenter in illius odium ad impediendum collationis effectum ab inimico data fuerit : ita D. Thomas, Cajetanus, Soto, contra Navarram et Ugolinum, dicentes istam collationem non esse ipso facto irritam, sed irritandam. Probatur ex his tribus effectibus qui ab omnibus recipiuntur : 1° iste ignorans, quamprimum addiscit suæ collationis vitium, tenetur statim in conscientia beneficium relinquere, nulla exspectata sententia aut ad superiorem recursu. 2° Item tenetur restituere omnes fructus non solum a die vitii cogniti, sed etiam ab initio adeptionis beneficii perceptos, cum hac tamen differentia quod fructus prioris temporis teneatur restituere tanquam bonæ fidei possessor, ideoque non tenetur restituere quos bona fide consumpsit, nec quos recepit tanquam condignum sui operis ac ministerii stipendium, etiamsi mediante beneficii titulo obtinuerit, ut sunt distributiones quotidianæ ac personales; tenetur tamen restituere alios fructus exstantes. Fructus vero posterioris temporis, id est perceptos a vitiosæ collationis notitia et a culpabili mora in beneficio abdicando, tenetur restituere tanquam malæ fidei possessor. Hinc signum est, cum teneatur restituere antiquiores fructus bona fide perceptos, collationem beneficii ab initio non fuisse validam seu fuisse irritam. 3° Iste qui sic ignorans recepit beneficium, manet inhabilis ad hoc idem beneficium obtinendum sine dispensatione, vel papali in dignitatibus et beneficiis curatis, vel episcopali in simplicibus, ut dicitur in cap. penult. *De elect.*, in 6. Qui tamen beneficium sic Simoniace acceptum ignorans bona fide per triennium possedit, non potest contra illum actio nec lis super beneficium admitti; secus si mala fide.

Dico 4 : Prædicta beneficii Simoniace collati nullitas, locum habet, juxta communem doctorum sententiam, non tantum in Simonia contra jus divinum, sed etiam in Simonia contra jus ecclesiasticum commissa, et quidem in omnibus beneficiis ecclesiasticis; in illis tamen solis. Nam jura vel munia ecclesiastica, etiam ecclesiastica quæ non sunt proprie beneficia, sub hoc non comprehenduntur, v. gr. pensiones; comprehenduntur tamen quædam officia ecclesiastica habentia jurisdictionem spiritualem, licet proprie non sint beneficia, v. gr. officium provincialis, generalis, abbatis, etc., et fortasse etiam inquisitoris, legati, etc., ut colligitur ex verbis dictæ extrav. 2.

Dico 5 : Hæc nullitatis pœna extenditur quidem a Cajetano, Soto, et aliis ad Simoniam conventionalem et semirealem ex parte beneficii consecuti, dum nondum est realis completa per promissi pretii traditionem, ita ut vel tunc collatio sit etiam nulla et irrita; sed juxta superius dicta censeri debet valida, si pretium postea reipsa non solvatur, licet fuerit promissum; nec hoc tenetur solvere. Imo non potest denique electio summi pontificis Simoniace facta, per speciale juris communis statutum, est valida non obstante bulla Julii II illam irritante quæ vel non recepta est, vel per constit. 885 Pii IV abrogata.

CAPUT LVIII.

An recipiens beneficium vel ordinem Simoniace privetur ipso facto beneficiis prius rite obtentis, et fiat inhabilis ad futura.

Dico 1 : Recipiens Simoniace beneficium vel ordinem, non privatur suis beneficiis prius rite obtentis, non tantum ipso facto ante sententiam, saltem declaratoriam criminis; sed nec per ullam ecclesiasticam legem, quæ talem pœnam ipso facto incurrendam imponat, exceptis ad beneficia examinatoribus : ita communiter DD. Abbas, Felinus, Rebuffus, etc. Hinc 1° si fuerit bona ac valida electio, Simoniaca autem ac irrita confirmatio, electio valida ac rata manebit donec per judicem annulletur; sola confirmatio erit nulla. 2° Non tenetur restituere fructus, quos ex beneficiis antea legitime obtentis percepit, sive illi exstent, sive consumpti sint quovis modo; eos enim fecit suos.

Dico 2 : Recipiens Simoniace beneficium, fit ipso facto inhabilis ad illud retinendum seu obtinendum etiam per novam collationem sine speciali dispensatione; insuper ad alia quævis beneficia postmodum acquirenda fit etiam inhabilis ante sententiam condemnatoriam; sed verisimilius non fit ipso jure inhabilis ad illa ante sententiam criminis declaratoriam.

CAPUT LIX.

An pretium Simoniace obtentum restituendum sit ex jure naturali divino.

Nota 1 : Hic agi de Simonia reali ex utraque parte completa; nam si res spiritualis sit data et pecunia seu pretium nondum solutum, dator rei spiritualis non potest accipere istud pretium; contra si pecunia sit soluta, et res spiritualis nondum data, qui istam pecuniam accepit, non potest pro ea dare rem spiritualem, sed tenetur eam reddere ei qui dedit.

Nota 2 : Tres sunt circa propositam quæstionem sententiæ : Prima asserit eum qui Simoniace vendit rem spiritualem, teneri ex jure naturali ad restituendum acceptum pretium; ita Soto, Adrianus, Henricus, etc. Secunda negat illum teneri ex natura rei restituere pretium : ita Navarra, Victoria, etc. Tertia asserit in Simonia contra jus divinum commissa, eum teneri ex natura rei restituere; negat in Simonia contra solum jus ecclesiasticum commissa (Hostiensis, D. Antonius, Angelus, etc.). Hisce igitur prænotatis :

Dico 1 : Quotiescunque Simoniacus rem spiritualem vendendo committit injustitiam, tenetur ex jure divino naturali restituere pretium pro tali re acceptum, non formaliter ob Simoniam, sed ob injustitiam commissam contra justitiam commutati-

vam. Unde, 1° dum aliquis pro spirituali functione, quam ex justitia præstare tenetur, v. gr. parochus pro audiendis suorum subditorum confessionibus, prælatus pro consecrationibus, dispensationibus, etc., ex vi officii requisitis, pretium exigit, ex naturali jure tenetur illud restituere. Item 2° prælatus Ecclesiæ qui vendit beneficia vel officia ecclesiastica quorum non est dominus, sed solum dispensator vel distributor; quia qui vendit rem non suam et quam gratis dare tenetur, peccat contra justitiam. 3° Qui functionem spiritualem, quam ex officio aut justitia non tenetur præstare, vendit ob effectum spiritualem seu qua talis est, obligatur ex vi naturalis juris ac justitiæ restituere pretium propter eam acceptum, si hoc pretium excedat actionis corporalis secundum se spectatæ valorem ac justi ejus stipendii æstimationem. Hæc enim officia spiritualia qua talia, non sunt sub dominio humano; sed ad solum Deum ut ad verum dominum pertinent, qui tantum dedit hominibus potestatem illa gratis dispensandi ac transferendi; ideoque qui illa vendit ratione spiritualitatis, committit injustitiam contra jus divinum ac naturale. Idem dic de rebus sacris, quæ antecedenter annexam habent temporalitatem, v. gr. vasa sacra, grana benedicta, agnus Dei, etc., si ob spiritualitatem charius quam ex sua valeant materia, vendantur. 4° Quando is qui dat pecuniam, tantum eam dat ad redimendam Simoniacam vexationem, sive det illicite contra religionem, sive licite ex justa causa, ille qui accepit, tenetur eam restituere, quia injuste extorsit et ab invito accepit. 5° Quando Simoniaci pretii restitutio facienda est ex mera legis naturalis ac divinæ obligatione, facienda est ei qui illud dedit et non aliis : ita Soto, Bañes, etc. Cap. *Cum sit*, turpiter acquisita præcipit quidem restitui pauperibus, sed agit tantum de Judæis, quibus illam pœnam et onus lex imponit, nesciens a quibus accepta fuissent; adeoque non facit ad rem. Deinde licet is qui accepit pecuniam, illius fortasse dominium acquisierit ex dantis voluntate, tamen cum per injuriam illud acquisierit, res illa ob factam injuriam manet semper restitutioni obnoxia; et qui sic dedit, semper retinet jus ad illam, etiamsi ut indignus possit per judicem privari suæ pecuniæ recuperatione. Accipiens autem rem spiritualem data pecunia, non tenetur eam restituere, quia non committit injustitiam; contra qui data re spirituali accipit pecuniam, tenetur; quia committit injustitiam.

Dico 2 : Cum aliquando possit Simonia committi sine propria injustitia aut injuria inter vendentem et ementem facta contra justitiam commutativam, tunc ex natura rei non oritur obligatio pretium restituendi : obligatio enim restituendi in contractu mutuo, non potest oriri nisi ex injustitia in eo commissa. Hinc sequitur : 1° illum qui temporale Ecclesiæ officium habet tanquam proprium, cui temporale emolumentum annexum est, licet illud vendendo committat Simoniam, non obligari tamen ad pretii restitutionem; quia qui se spoliat isto officio quod secundum se est pretio æstimabile, suffert detrimentum, et alter acquirit emolumentum, et licet fiat Simonia ob Ecclesiæ prohibitionem, non tamen injustitia. 2° Ob eamdem rationem, Simonia quam beneficiarius non prælatus committit vendendo beneficium ad ipsum pertinens, ex sola naturæ lege non illum obligat ad restituendum pretium, si in illo servata fuerit debita moderatio, facta ad temporale beneficii emolumentum comparatione. 3° Monasterium recipiens Simoniace aliquem ad religionem, non tenetur ex natura rei restituere pretium corporali religiosi sustentationi proportionatum. 4° Qui vendit fundum habens jus patronatus ipsi annexum, si ob hoc vendat charius, sed habito respectu ad temporalia emolumenta quæ secum affert et quibus venditor privatur, non tenetur ex vi naturalis justitiæ restituere pretium. Nunc de Simonia mentali sic :

Dico 3 : Quando pretium Simoniæ sine injustitia accipitur, Simonia mentalis non obligat ad illius restitutionem sive jure naturali sive ecclesiastico. Si autem Simonia includat injustitiam, etiamsi sit mentalis, cum opere nempe subsecuto, obligat ad restitutionem ex lege naturali, licet non obliget ex lege ecclesiastica : omnis enim exterior actio de se injusta et proveniens ex injusta intentione obligat ad restitutionem. Atque juxta hæc resolve textum, cap. ult. *De Simonia*, in quo generatim negatur Simoniam mentalem obligare ad restitutionem.

CAPUT LX.

An pretium Simoniace acquisitum sit in conscientia restituendum ex jure ecclesiastico ante sententiam, et cuinam.

Dico 1 : Pecunia accepta pro beneficii, electionis, præsentationis, etc., venditione, in foro conscientiæ restituenda est ante omnem sententiam. (D. Thomas, D. Antonius, Sylvester, Navarra, etc.) Probatur præcipue ex cap. *De hoc* De Simon., ubi in fine ejus dicuntur temporalia sic accepta pro dando assensu ecclesiasticæ electioni, non posse sine gravi salutis periculo retineri nempe ex vi conscientiæ nulla spectata judicis sententia : et restitutio quidem facienda est non ei qui dedit pecuniam, sed ecclesiæ quæ passa est injuriam, seu in qua est beneficium; quia lex ecclesiastica in pœnam aut multam criminis, applicat istius pecuniæ jus dictæ ecclesiæ; vel forte consuetudine recepta applicari potest ista pecunia per prælatum pauperibus prædictæ ecclesiæ.

Dico 2 : Ob Simoniam commissam in ingressu religionis, non est obligatio in conscientia restituendi pretium antequam religiosus Simoniace receptus per sententiam e monasterio excludatur. Si enim pecunia sit data ingressuro ut religionem ingrederetur, nullum est jus positivum quod impediat, quo minus accipiens acquirat istius pecuniæ dominium, adeoque non tenetur ad restitutionem. Contra

vero, si ipse ingressurus dedit Simoniace pecuniam monasterio, tunc postquam iste religiosus Simoniacus fuerit translatus in aliud monasterium, huic monasterio restituenda est ejus pecunia.

Dico 3 : Pretium receptum in aliis Simoniæ materiis, etiam in ordine, non est restitutioni obnoxium in conscientia ipso facto ex vi juris ecclesiastici, donec per sententiam restitui jubeatur ; nullum enim est jus quod id præcipiat.

Sed nota omnia quæ hic diximus, habere tantum locum in casibus, in quibus pretium Simoniacum non est obnoxium restitutioni ex vi solius juris naturalis; quia ubi jus naturale obligat ad restituendum, clarum est non esse exspectandam judicis sententiam, cum ipsa naturalis obligatio ad id sufficiat.

CAPUT LXI.

De dispensatione circa Simoniam.

Dico 1 : In Simonia contra jus naturale, clarum est a nemine posse dispensari quoad culpam, sed in Simonia contra solum jus ecclesiasticum, in rigore loquendo, solus pontifex, et nullus illo inferior potest dispensare quoad culpam : non efficiendo ut maneat Simonia et non sit culpa, sed efficiendo ut emptio vel venditio quæ lege obligante esset Simoniaca, ablata legis obligatione, non sit Simoniaca; solus enim papa potest dispensare in legibus a summis pontificibus latis, quales sunt Simoniam prohibentes. Moraliter tamen loquendo, non utitur isto dispensandi modo, sed pro sua potestate utitur alia via, vel unum auferendo et aliud dando ad sustentationem personæ, vel permutando spirituale cum spirituali, etc.

Dico 2 : Circa Simoniæ pœnam ipso jure latam quam incurrunt solæ Simoniæ in ordine, in beneficio, et in ingressu religionis commissæ, tum pro illius absolutione tum pro dispensatione hæc videntur dicenda; et primum quidem quoad censuras : 1° excommunicatio ob has Simonias incursa tollitur vel ab ipso papa per absolutionem, vel ab illis qui possunt absolvere a casibus papæ reservatis. 2° Qui suscepit Simoniace ordinem, suspenditur ab ordine Simoniace suscepto, quæ suspensio potest a solo papa tolli per dispensationem, uti et probabilius illa quam incurrit quoad usum inferiorum ordinum prius legitime receptorum ; idem dic de suspensione quam Simoniace ordinans incurrit, uti et de capituli aut conventus regularis suspensione ob Simoniacam receptionem, uti et de religiosi ingressi Simoniace religionem, suspensione. 3° Item reservatur papæ sublatio interdicti ab ingressu ecclesiæ, quod incurrunt Simoniace ordinantes, et alterius interdicti quod incurrunt cardinales, episcopi, aliique prælati recipientes cum Simonia confidentiali beneficia, pensiones, et similia.

Dico 3 : Alia Simoniæ pœna est beneficii collati irritatio, in quam proprie non cadit dispensatio, sed per dispensationem potest denuo conferri. Alia pœna est inhabilitas ad obtinendum idem beneficium quod fuit Simoniace obtentum, a qua pœna solus papa potest dispensare, si recipiens beneficium fuerit particeps criminis ; si enim bona fide receperit et fuerit beneficium simplex, post liberam ejus resignationem potest episcopus dispensare cum illo, et ei de alio beneficium conferre : non potest autem, si fuerit majus beneficium, nec potest episcopus dispensare cum Simoniaco ad alia obtinenda beneficia, si per sententiam jam condemnatus fuerit ad illa inhabilis ; sed in casibus occultis et ad forum contentiosum non deductis, juxta Tridentinum (sess. 24, c. 6), potest episcopus excommunicationem et suspensionem, quæ ob Simoniam incursa est, occultam tollere.

Dico 4 : In restitutione pretii Simoniace accepti, si restitutio debita sit ex jure naturali, papa non potest dispensare, ut non restituatur personæ, cui debetur, nisi imponendo istius pretii privationem in multam ac pœnam criminis; secus vero, si restitutio sit tantum debita ex lege ecclesiastica tanquam pœna, in qua potest vel dispensare vel compositionem facere.

Pro ejusmodi dispensationibus in Simonia nulla est præscripta verborum forma ; imo papa conferendo beneficium ei quem scit esse Simoniacum in eodem beneficio recipiendo, censetur probabilius cum illo dispensare per tale factum, etiamsi id non declaret quantum est necesse ad validitatem istius collationis : ita Panormitanus, Felinus, etc. Deinde si papa venderet alicui beneficium, et cum illo committeret Simoniam, censetur communiter cum eo dispensare quoad pœnas juris, v. gr. nullitatem collationis, excommunicationem, etc., quin et quoad culpam, si Simonia esset tantum contra jus ecclesiasticum, quia per papæ dispensationem excluderetur Simonia. Denique quæcunque fingatur consuetudo non potest quidem inducere dispensationem, sed potest bene abrogare legem humanam.

TOMUS UNDECIMUS.

DE

RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU.

TRACTATUS QUARTUS.

DE ORATIONE, DEVOTIONE, ET HORIS CANONICIS.

LIBER PRIMUS.

De oratione in communi.

CAPP. I, II.

Quid sit oratio et quotuplex.

Dico 1 : Oratio sumitur tripliciter : 1° *impropriissime* pro omni bona actione, quam Wicleffus vocat orationem vitalem, contemnendo mentalem et vocalem. Nam dum dicitur : *Oportet semper orare et nunquam deficere* (*Luc.* XVIII, 1) ; *semper*, id est frequenter, frequentissime, omnibus statutis vel congruis temporibus. *Nunquam deficere*, seu *sine intermissione*, ut ait Paulus (*I Thess.* V, 17), id est, constanter, instanter, non despondere animo. 2° *Proprie* pro omni interiori animi motu in Deum sive per cogitationem sive per affectum. Unde sic a Damasceno definitur : « Oratio est ascensio mentis in Deum, » id est, in Dei honorem, cultum, vel laudationem. 3° *Propriissime* pro petitione sive mentali sive vocali, et definitur ab eodem Damasceno, *petitio decentium a Deo*, nempe moralis, humana, ac decens, adeoque si aliquid indecens a Deo petatur, v. gr. opem ad explendam vindictam, ad patrandum peccatum, etc., non est oratio, sed exsecratio. Unde :

Dico 2 : Licet petitio generice sumpta abstrahat a bona et mala, non tamen oratio, ideoque oratio non potest dividi in bonam et malam substantialiter.

CAPP. III, IV, V.

An mentalis oratio, prout est petitio, sit actus intellectus vel voluntatis.

Dico 1 : Certum est ad faciendam petitionem intervenire multos actus intellectus et voluntatis, sed in quo illorum consistat petitio, disputant auctores ; id est petitio mentalis ad Deum directa. Alii enim eam ponunt in actu voluntatis, alii in actu intellectus. Quare si petitio, seu oratio, fiat per conceptus ipsarum vocum, sicut petitio vocalis per verba fit, tunc pertinebit ad actum intellectus ; si autem non fiat mediis vocum conceptibus, non potest tribui intellectui, sed voluntati ; quia ista oratio mentalis imitatur modum loquendi angelorum cum Deo, volendo aliquid ab eo accipere, et hic modus pertinet ad voluntatem. Ista enim locutio mentalis cum Deo non est narrativa, sed est impulsiva ad aliquid a Deo impetrandum, adeoque actus voluntatis. Hinc :

Dico 2 : Mentalis Dei laus, gratiarum actio, obsecratio, interna peccatorum confessio, uti et angelorum locutio, licet aliquos intellectus actus necessario includant simul cum actibus voluntatis, formaliter tamen et consummate consistunt in actu voluntatis referentis ad Deum cogitationem aut agnitionem intellectus.

CAPUT VI.

An oratio ad Deum sit honesta et utilis.

Nota varios errores circa orationem : Primus dicentium solam orationem sufficere ad salutem, etiamsi sacramenta et alia salutis media prætermittantur. Secundus dicentium orationem habere vim immutandæ divinæ dispositionis ac providentiæ. Tertius asserentium omnia ex necessitate evenire, hunque fatalem ordinem vel ab ipso Deo mutari non posse, aut Deum non habere providentiam nec curare has res inferiores, adeoque orationem esse inutilem. Quartus Pelagianorum credentium homines non egere Dei auxilio ad remissionem peccatorum et ad bene operandum, et sic negantium necessitatem orationis. Quintus putantium Deum non moveri precibus ac petitionibus nostris, sed solum intueri opera nostra, et juxta illa dare retributionem.

Dico 1 : Oratio ad Deum, si in debita materia et circumstantiis fiat, est actus per se honestus, rationi consentaneus et homini valde utilis. De fide. Et probatur ex Scriptura quæ tota plena est orationibus, ex doctrina et exemplo Christi et ex perpetuo Ecclesiæ usu. Non est igitur inutile aut impium aliquid a Deo petere, quia non petimus ut aliquid velit ex tempore quod ab æterno non voluit, nec ut mutet decretum quod ab æterno habuit ; sed petimus ut media nostra oratione faciat quod ab æterno decrevit, sine enim nostra

oratione sæpe id non decerneret ac faceret : *Petite et accipietis* (*Joan.* XVI, 24; *Matth.* VII, 7). *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* IV, 3). Unde sæpe communes et inferioris ordinis effectus antecedenti et simplici solum affectu a Deo intenti, ob prævisam orationem efficaciter præordinantur; præcipui autem gratiæ effectus, licet in priori signo rationis efficaciter præordinati sint ante prævisam orationem, per hanc tamen in posteriori obtinentur et exsecutioni mandantur, uti dicit Augustinus : « Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. » Quare

Dico 2 : Etsi Deus ex se et ante prævisam orationem habeat absolutum et efficax propositum dandi id quod decrevit, tamen postulat nostram orationem ad exsequendum suum propositum, quia vult operari per causas secundas quantum commode potest, et in moralibus seu gratiæ operibus vult hominis cooperationem in agnitionem auctoris omnis boni, ubi locum habere potest; ubi autem non potest, ipse solus operatur.

CAPP. VII, VIII.

An oratio sit actus religionis elicitus et supernaturalis.

Nota duo distingui in oratione : primus est affectus orandi; secundus petitio ex hoc affectu procedens per locutionem mentalem vel vocalem.

Dico 1 : Oratio quoad affectum orandi, quo homo per orationem vult Deum colere, agnoscendo tum suam subjectionem et indigentiam, tum ipsius Dei potentiam, bonitatem, ac paternam curam, est proprie ac immediate elicitus a religione actus : formale enim et immediatum ejus motivum est cultus Dei. Quoad ipsam vero petitionem, prout est interna locutio ab intellectu facta, est actus proxime imperatus a religione; prout est autem in voluntate, vix distinguitur ab ipso orandi affectu. Dum quis orat ex motivo pœnitentiæ ad obtinendam peccatorum contritionem, ex motivo charitatis aut spei ad consequendam cœli gloriam, hæc motiva sunt tantum remota et extrinseca : proximum enim intrinsecum et immediatum orationis motivum est ipse Dei cultus saltem in actu exercito intentus; si quis enim oret seu aliquid petat a Deo sine ulla cultus divini cogitatione ex solo affectu proprii commodi ac utilitatis, ista petitio erit tantum materialiter cultus Dei, non verus religionis actus.

Dico 2 : Ad orandum sicut oportet, requiritur supernaturale Dei auxilium, ut ex Scriptura et conciliis liquet : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5); *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26); id est, nos facit postulare. Cum autem ad orandum sicut oportet requiratur auxilium supernaturale, ergo oratio est actus supernaturalis; ideo enim actus fidei, spei, etc., est supernaturalis, quia ad credendum, sperandum, etc., requiritur auxilium supernaturale. Quare oratio seu petitio quatenus est locutio intellectualis fundata in firma et infallibili fide, atque nixa certa postulati impetrandi spe ex Dei promissione, non potest fieri sine supernaturali Spiritus sancti motione et adjutorio : *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII, 3). Deinde effectus orandi, seu voluntas orandi, est etiam actus supernaturalis, quia voluntas non potest suis solis viribus naturalibus movere efficaciter intellectum ad efficiendum actum supernaturalem, etiamsi interdum desiderium naturale possit præbere occasionem isti orandi affectui; sed non potest ab illo effici sicut oportet ad salutem. Hinc oratio quam hæretici, Judæi, aut pagani ex Dei cognitione naturaliter acquisita faciunt sine supernaturali Dei auxilio, licet intrinsece mala non sit, tamen non est vere et formaliter oratio; nec supernaturalis, quia nec in fide fundatur nec nititur certa divinæ promissionis spe; adeoque non fit sicut oportet ad salutem. Ad hoc enim requiritur fides, non tamen necessario charitas, seu gratia sanctificans, quia sine gratia sanctificante potest esse in peccatore fideli oratio honesta, si fiat cum timore et humilitate, supernaturalisque ac interdum efficaciter impetratoria.

CAPUT IX.

Quomodo solus Deus a nobis sit orandus.

Dico 1 : Cum oratio pertineat ad cultum latriæ, ratio propria et adæquata ob quam et sub qua solus Deus a nobis orari debet, est quia bonum a nobis postulatum ipse per se ipsum potest conferre tanquam primus auctor omnis boni et omnipotens, sive postuletur bonum gratiæ aut gloriæ, sive bonum naturæ relatum vel non relatum ad bonum gratiæ, modo hoc naturæ bonum in se tale sit, ut decenter a Deo postulari possit.

Dico 2 : Quamvis nunquam sit ita oranda una persona divina, ut aliæ excludantur, tamen possumus in oratione specialiter loqui cum una persona, non dirigendo ex propria et formali intentione locutionem ad alias; quia unaquæque persona est verus Deus, et omnes tres personæ sunt vere inter se distinctæ; possumusque cogitare de una non cogitando actu de aliis. Deinde oratio sæpe accommodatur uni vel alteri personæ secundum quamdam appropriationem, v. gr. Patri ob appropriationem omnipotentiæ vel ob Filii missionem; Filio ob appropriationem sapientiæ vel ob incarnationem, etc. Item potest orari Deus non orando determinate aliquam personam, imo et Deitas in abstracto et tota Trinitas, v. gr. : *Te, summa Deitas, unaque poscimus. Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.*

CAPUT X.

Quomodo rationales creaturæ possint a nobis orari.

Dico 1. De fide est contra antiquos quosdam

hæreticos ac recentes, tam homines beatos quam angelos utiliter et sancte a nobis orari, si debita intentione ac eo modo quo ab Ecclesia et ejus membris recta fide utentibus fit, ejusmodi fiat oratio : ut liquet ex conciliis Constantiensi, Tridentino, et aliis, universalique Ecclesiæ praxi. In concilio enim Nicæno II, act. 6, fit invocatio B. Virginis. Angeli orant pro nobis et offerunt Deo nostras orationes (*Tob.* XII; *Apoc.* VIII); tempore legis veteris non orabantur sancti, quia nondum erant in cœlo. Oratio autem ad sanctos fusa, est actus bonus, nec Deo aut Christo injuriosus, nobis utilis ad virtutis exercitium, ad imitationem et amorem sanctorum, ad potentem apud Deum intercessionem, etc.

Quæ contra hanc orationem ab hæreticis objiciuntur, sic solvuntur : 1° oratio ad sanctos directa non est cultus latriæ, qui est solius Dei, sed duliæ, id est, inferior cultus illis proportionatus; et licet hæc oratio non sit actus a virtute religionis elicitus, utpote non fundatus proxime in excellentia increata et potestate suprema, potest tamen indirecte religiosus dici, utpote relatus ad cultum Dei, orando ejus amicos tanquam nostros apud ipsum intercessores, aut etiam tanquam ejus ministros; et sic iste actus elicitur a virtute duliæ, quæ proxime fundatur in sanctitatis creatæ excellentia ac virtute impetrandi, aut etiam in aliqua ministeriali potestate a Deo commissa. 2° Christus est quidem solus mediator noster redemptionis, sed non solus intercessionis; imo cum Christus sit persona divina, non solet Ecclesia illum publice orare ut intercedat aut oret pro nobis, sed ut det ac benefaciat nobis aut nostri misereatur; dumque oramus Deum ob merita sanctorum, nihil Christi meritis detrahimus, cum illorum merita nitantur meritis Christi, Deusque voluerit ut justi possent non solum sibi, sed etiam aliis aliquid mereri, illisque suas satisfactiones communicare. Unde dicitur : *Memento misericordiarum David servi tui* (*II Paral.* VI, 42); et Daniel precando ait : *Propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum, et Isaac sanctum tuum* (*Dan.* III, 35); nihil ergo per hæc derogatur mediatori Christo. 3° Angeli cognoscunt orationes nostras, ut patet ex Tob. XII, 12 : *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Deo.* Item Apoc. VIII, 4 : *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo;* ergo etiam sancti eas cognoscunt, quia sancti æquiparantur angelis in statu beatifico, ut habetur Luc. XX et Apoc. XXI. Cognoscunt autem vel formaliter in Verbo per ipsammet visionem qua vident Deum, vel causaliter tantum per revelationes novas quas recipiunt ratione ipsius visionis seu status beatifici. 4° Quamvis Deus sit promptus ad dandum, vult tamen interdum per alios orari; et oramus tantum sanctos ut petant a Deo pro nobis. Dare autem aut non dare, est Dei.

Dico 2 : Non tantum beati, sed etiam homines viatores justi possunt orare Deum pro nobis, et orari a nobis; imo quamvis quis exsisteret in peccato mortali, ejus oratio ex fide et ex Spiritus sancti auxilio facta potest aliquid impetrare, ac proinde probabiliter posset postulari ejus deprecatio. Quod attinet ad animas purgatorii, multi dicunt non posse nos illis orationes fundere, et nos illis commendare; alii dicunt posse : quia illi negant posse nostras orationes scire; hi affirmant. Si igitur aliquis pie credat suas orationes ab illis animabus cognosci, quod certe potest fieri mediantibus angelis custodibus, non male faciet orando illas, et fortasse verum est cum beatæ fiunt, tunc cognoscere omnes illas orationes prius ad se directas, eisque moveri ad intercedendum in patria pro suis deprecatoribus.

CAPUT XI.

An omnes spiritus beati et justi orare possint.

Dico 1 : Angeli in cœlo orant pro nobis, et nostras orationes Deo offerunt, ut constat ex Tob. XII, Apoc. VIII, XXI, etc. Item animæ beatæ idem faciunt sive orando pro nobis in communi, sive pro tali persona, tali negotio, tali necessitate in particulari; imo ante Christum animæ Patrum in limbo non videntes Deum, orabant pro viatoribus hominibus, ut legimus de Jeremia et Onia II Machab. XXV, et de Samuele ac Moyse Jer. XV. Possunt autem orare pro nobis in particulari, sive prævideant suam orationem habituram effectum, sive prævideant non habituram, sive neutrum præsciant : nam Christus oravit pro Petro ut non deficeret ejus fides, et oravit Patrem ut mitteret Spiritum sanctum, et tamen jam prius sciebat suam orationem effectum habituram; uti contra præsciens non habituram suum effectum, oravit Patrem ut a se transferret calicem passionis. Similiter angelus custos regni Persarum angelo Gabrieli restitit orando, ut populus Judæorum e Perside non dimitteretur, quia nesciebat Dei voluntatem, adeoque nec quem effectum sortitura esset sua oratio. Jam vero dum dicitur angelus vel sanctus beatus offerre seu præsentare Deo alicujus orationem, hoc nihil est aliud quam narrare apud Deum quid iste homo viator desideret ac postulet; quia viator vel rogat sanctum ut hoc vel illud sibi a Deo impetret, vel non audens per se ipsum ad Deum accedere, rogat sanctum ut suum postulatum Deo repræsentet.

Dico 2 : Sancti sive angeli, sive homines in cœlo, orare possunt non pro augmento suæ gloriæ essentialis utpote jam fixæ : nec pro ejus conservatione, de qua sunt securi, sed pro augmento suæ gloriæ accidentalis, v. gr. pro complemento numeri prædestinatorum, pro cognoscendis quibusdam rebus sibi ignotis, et animæ beatæ pro resurrectione et glorificatione suorum corporum.

Dico 3 : Animæ purgatorii possunt : 1° orare Deum pro se, ut quam citissime a pœnis liberen-

tur juxta ordinem suæ divinæ providentiæ, sive immediate condonando sibi partem pœnæ propter Christum, sive excitando fideles justos ut pro ipsis satisfaciant, utque cito beatificam visionem consequantur; possunt etiam petere aliquod levamen aut consolationem in suis pœnis, etiamsi vel in ipsis aliquo modo gaudeant spe et charitate plenæ. 2° Juxta Gabrielem, Medinam, Bellarminum, Valentiam, possunt etiam orare pro viventibus viatoribus, tum in communi, v. gr. pro tota Ecclesia militante, pro iis qui eam gubernant, etc.; tum in particulari, v. gr. pro illis et istis amicis aut consanguineis, si adhuc in mundo vivant, pro iis qui piis operibus suam curant et accelerant liberationem : maxime vero si ipsæ cognoscant, mediante revelatione, viventium actiones ac orationes; cum enim istæ animæ sint justæ et gratæ Deo, possunt aliquid ab eo petere et impetrare, etiamsi non sint in statu merendi.

CAPP. XII, XIII, XIV, XV, XVI.

Quibus conveniat orare, et pro quibus sit orandum.

Nota : Orare est, juxta D. Thomam, proprium naturæ rationalis seu intellectualis. Quare

Dico 1 : Omissa gentilium naturali oratione de qua supra, et justorum quibus maxime convenit orare, peccatores viatores fideles licite possunt orare, quia ad orationis honestatem non requiritur specialis personæ dignitas aut sanctitas, etiamsi in peccato sint obstinati, cum sint capaces bonæ actionis ac piæ cogitationis, cujus exsecutionem possunt a Deo postulare, imo et debent, ac quamvis non sit præceptum positivum, sive divinum sive humanum, tamen possunt obligari ex naturali juxta necessitatem.

Dico 2 : Licitum est, expediens, et interdum necesse pro aliqua vel aliquibus personis in particulari orare, licet interdum etiam optimum sit pro communitate vel particulari vel universali idem præstare; v. gr. pro tota Ecclesia, pro omnibus hominibus, aut pro omnibus indigentibus. Hæc est doctrina catholica, contra Wicleffum dicentem non licere pro se solo aut pro alio solo in particulari orare. Probatur : 1° de oratione pro particularibus; Christus enim ait : *Ego rogavi pro te, Petre* (*Luc.* XXII, 32). *Pater, dimitte illis* (*Luc.* XXIII, 34). Cum Petrus esset in vinculis : *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (*Act.* XII, 5). Et sæpius alibi idem habetur. 2° De oratione pro communitate patet ex I Tim. II, 1-4, ubi Paulus postulat fieri orationes pro regibus, principibus, et pro omnibus; quia Deus vult omnes salvos fieri; et ex Ephes. VI, 18, ubi præcipit orare pro omnibus fidelibus. Quamvis oratio facta pro uno, non proficiat omnibus, nihil est tamen contra charitatem; quia charitas non semper obligat ad faciendum id omne quod potest esse utile proximo, imo ipse Christus dixit : *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 9). Hinc sequitur eum, qui orare potest pro alio, longe certius posse orare pro se ipso, exemplo Christi.

Dico 3 : Clarum est nos posse orare pro animabus purgatorii, ut suo loco dicetur; non autem pro damnatis, neque pro augmento gloriæ essentialis beatorum : « Injuriam facit martyri, » ut ait Augustinus (serm. 17 *De verbis Apostoli*), «qui orat pro martyre, » tamen non videtur inconveniens nos posse orare utiliter pro aliquo illorum gloriæ accidentalis augmento, non ex præsumptione plus valendi apud Deum, quam ipsimet beati, sed ex solo charitatis affectu, et quia scimus Deum multorum intercessione gaudere; vel quia nos possumus non tantum nobis, sed aliis aliquid mereri per modum meriti de congruo vel impetrationis, cum beati sint extra statum merendi, adeoque juxta hæc possimus postulare a Deo ea, quæ illis aliquid gloriæ accidentalis seu aliquod extrinsecum claritatis, gloriæ, honoris apud homines bonum possint adderé, ex quo illis accrescat accidentale gaudium ac aliqua perfectio intrinseca. Quando autem oramus pro augmento gloriæ Dei extrinsecæ, dicendo : *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9), nihil ex illa gloria extrinseca Deo accrescit intrinsecum, neque utilitas, neque voluptas nova, sed sola extrinseca denominatio, ita ut tota illius gloriæ Dei extrinsecæ utilitas aut commoditas sit propria illorum hominum aut angelorum, qui eum glorificant. Hinc utriusque patet differentia.

Dico 4 : Si per revelationem certo constaret Titium esse a Deo reprobatum, non esset licitum orare pro illo, petendo æternam ejus salutem ex absoluta et efficaci orantis voluntate, id est, absolute petendo ut reipsa salutem consequeretur; non possumus enim petere ut divinum decretum non impleatur aut ut mutetur : sed non obstante tali revelatione, possemus pro illo orare ex affectu simplici, optando quantum est ex nostra parte, ejus salutem, ac petendo ut Deus det illi auxilia quibus salvetur si velit. Talis enim petitio est consentanea et charitati proximi et voluntati Dei volentis omnes homines salvos fieri (*I Tim.* II, 4). Hinc colligi videtur non posse aliquem in eo casu desiderare reprobo auxilium efficax, seu congruam vocationem ex parte Dei, nisi forte ex affectu conditionato ita simplici, ut ex intentione eum habentis non ordinetur ad effectum aliquo modo consequendum, sed ad honestam tantum rationem propter quam ei ille proponitur. Non licet enim etiam simplici affectu desiderare ut absoluta Dei voluntas non adimpleatur. De eo autem cui Deus revelasset suam reprobationem, an posset adhuc orare pro sua æterna salute, vide alibi in tract. *De spe*. Juxta legem ordinariam deberet iste homo accipere istam prædictionem tanquam comminatoriam ac conditionatam, adeoque deberet orare et efficere ut talis conditio non impleatur.

Dico 5 : Possumus, et interdum debemus facere orationem universalem indifferenter pro justis, in-

justis, fidelibus, infidelibus et quantumvis excæcatis et obduratis, cum diversa tamen intentione pro prædestinatis et reprobis ; sed non licet ab oratione universali quæ fit pro prædestinatis seu qua absolute petitur ut homines cum effectu salventur, excludere absolute talem vel talem personam quasi desperando de ejus salute : nulla enim signa sufficiunt ad judicandum practice ac moraliter posse desperari de alicujus salute quantumvis peccatoris, quandiu vivit.

Dico 6 : Tenemur pro inimicis orare, sicut tenemur illos diligere, et licet non teneamur ordinarie actualiter orare pro inimico in particulari, tenemur tamen habere animum præparatum ad orandum in speciali pro illo si indiguerit. Quoad generalem autem orationem : 1° non licet excludere inimicos a communibus Ecclesiæ orationibus quas non solum Ecclesiæ ministri, sed etiam assistentes, qui cum illis orant, faciunt. 2° Nec ab orationibus ex obligatione factis pro communitate, v. gr. pro patria, civitate, etc., cujus partes sunt inimici. 3° Nec ab oratione, etiamsi voluntaria, facta pro aliqua causa communi, quæ de se inimicos æque ac cæteros comprehendit. 4° Quamvis in privata oratione facta sine obligatione, liberum sit orare sub aliqua ratione universali, quæ inimicos non comprehendat, nec videatur hoc intrinsece malum ; cavendus est tamen talis orandi modus tanquam periculosus et odio inimici obnoxius.

CAPP. XVII, XVIII.

An liceat orando petere a Deo bona temporalia, et quomodo.

Dico 1 : Licitum est aliquid determinate a Deo petere in oratione, et, ut reor, de fide contra Socratem, Wicleffum ac hæreticos illuminatos volentes nihil determinate esse petendum. Patet ex oratione Dominica et Christi exemplo orantis pro Petro, et suis crucifixoribus, atque ex infinitis Scripturæ locis.

Dico 2 : Petere bona temporalia propter se, constituendo in eis finem ultimum, peccatum mortale est, utpote contrarium divinæ dilectioni ; sed quædam sunt bona humana ac temporalia, v. gr. valetudo, conservatio vitæ, scientiæ, etc., quæ licite possunt propter se peti tanquam fines proximi, modo secundum rectam rationem exoptentur ac petantur, sicuti ex se amabilia sunt ; cum enim propter intrinsecam cum natura rationali convenientiam ac honestatem petantur, eo ipso absque actuali operantis relatione quæ necessario non requiritur, ex se ad Deum ut finem ultimum, et ejus gloriam referuntur ; adeoque absolute et sine conditione peti possunt ad bene et honeste illis utendum prout ipsamet per se ex natura sua postulant.

Dico 3 : Bona indifferentia, v. gr. divitiæ, honor, fama, etc., dum moderate, seu in quantum ad hanc vitam trahendam sunt necessaria, petuntur, tunc eodem modo peti possunt, ac bona corporalia vel intellectualia, quæ ex natura sua et per se, expetibilia sunt, ut dicitur Prov. xxx, 8 : *Paupertatem et divitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.* Sed non sunt absolute petenda, dum sine moderata limitatione et cum abundantia petuntur, talis enim abundantia est periculosa ; ideoque hic orandi modus non rejicitur tanquam per se ac intrinsece malus, sed tanquam periculosus, et ob id vitandus.

Dico 4 : In petitione horum bonorum, si ex fide et gratia oriatur oratio, uti supponimus, videtur non solum postulari ut ea nobis Deus conferat generali suo concursu, agendo cum causis secundis naturalibus ex sua providentia communi, ut volunt Soto et Vega, imo quamvis in ordine ad finem supernaturalem ; sed etiam, ut nobis reipsa conferat ista, si sint nobis profutura ad salutem, aut saltem non nocitura ; quamvis oporteat Deum illa nobis procurare per specialem providentiam sibi magis accommodatam. Nec hinc sequitur sic orando, nos postulare semper a Deo miracula, quia specialis aut extraordinaria providentia non semper ea continet ; potest enim per illam aliquid fieri ultra debitum naturæ tantummodo, non contra debitum. Deinde quia interdum ad obtinendum bonum postulatum, v. gr. sanitatem corporis ægri, neque ordinaria neque extraordinaria naturalis providentia sufficit, sed requiritur miraculosa, tunc nullum est inconveniens orantis intentionem ac petitionem ad hoc totum extendi ; hoc enim non est tentare Deum, quia non petitur simpliciter miraculum, sed sub hac conditione, si opus fuerit, et conveniat fieri id quod postulatur. Sic in locis piis, in quibus Deus sæpe res miraculosas operatur per intercessionem B. Virginis, aut alicujus sancti, solent fideles ejusmodi bona petere.

Dico 5 : Quacunque honesta ratione hujusmodi bona temporalia ex vera fide ac religione petantur, possunt peti propter Christum ; potest enim peti propter ipsum, quod ipse docuit nos petere ; nempe : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* vi, 11). Ac talis petitio fundatur in ejusdem promissione, deinde existimo Christum nobis meruisse quævis bona honesta, etiam naturalia ; et quamvis cum illa appetimus, aut accipimus, a nobis in altiorem finem non referantur, tamen de se semper tendunt ad illum finem, et a Deo sub ista ratione semper conferuntur.

CAPUT XIX.

An temporalia mala in oratione peti possint.

Dico 1 : Non est intrinsece malum, petere hujusmodi mala vel sibi vel aliis, ut patet ex Scriptura : quia sunt tantum mala secundum quid, et indifferentia ad honestatem et turpitudinem, adeoque optari possunt ob finem honestum. Hinc :

Dico 2 : Potest aliquis hæc mala sibi postulare, si existimet contraria bona sibi nocitura ad salutem animæ, v. gr. ægritudinem corporis, si credat sanitatem nocituram : sic Paulus cupiebat *dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* i, 23), et

Job (III, 5) optabat mortem. Sed caute et magna cum prudentia ejusmodi petitio fieri debet, relinquendo rem totam Dei beneplacito. Deinde possumus etiam interdum hæc mala temporalia aliis precari, sed non eodem modo quo nobis, nec cum tanta libertate; nam non licet illa iis precari ut a nobis inferenda, v. gr. petendo vires a Deo ad affligendum inimicum; nec illa precari in eorum malum, præcise ibi sistendo, nec a Deo petere ut illos damnet, puniendo pœna æterna; possumus tamen precari alteri afflictiones hujus vitæ, ut illi inserviant ad peccatorum contritionem et satisfactionem. Unde

Dico 3: Orando licet petere aliquod malum proximo, quando illud petitur ob aliud bonum quod juste et secundum charitatis ordinem isti malo præfertur; non enim petitur malum illud ut malum, sed ut bonum præferendum isti malo: sic licet optare mortem hominis qui est reipublicæ perniciosus, aut publicus Ecclesiæ hostis, privato incommodo commune bonum præferendo, aut corporale damnum spirituali postponendo, si nempe aliter vitari non possit illud malum. Sic etiam licet optare mortem proximi, si Deus præsciat eum vivendo diutius non salvandum, aut peccatoris in ordine ad minorem damnationem; item optare proximo temporalia incommoda si ita expediat ad majorem ejus perfectionem spiritualem; sed hæc facilius potest quis sibi optare quam proximo, quia melius potest judicare de sua dispositione quam de aliena, et naturaliter homo est melius affectus erga se, quam erga alium. Hinc dum Scriptura dicit: *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV, 16); *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem* (*Psal.* LVIII, 6); *Dixit Elias: si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te* (*IV Reg.* I, 10), et alia ejusmodi, vel est prophetia, vel imprecatur malum non homini sed peccato, vel optat ut per mala temporalia peccatores corrigantur, vel optat per ista mala destrui regnum peccati.

CAPP. XX, XXI.

Quomodo bona spiritualia a Deo peti possunt.

Dico 1: Bona spiritualia absolute et simpliciter petenda sunt; nec opus est aliquam conditionem apponere, imo nec apponi potest in iis bonis quæ ita necessaria sunt ad salutem, ut sine illis obtineri non possit, v. gr. prima justificatio cum omnibus auxiliis prævenientibus et adjuvantibus, remissio peccati mortalis, donum perseverantiæ finalis, etc.; secus vero in bonis supererogationis, et cujusdam excellentiæ in vitæ sanctitate, quia posset hinc oriri occasio superbiæ, præsumptionis, ingratitudinis erga Deum, etc.

Dico 2: Non tantum auxilium sufficiens, sed etiam efficax, uti et perseverantia in gratia, ac æterna beatitudo est a Deo absolute petenda, nulla habita speciali ratione ipsius voluntatis, qua quosdam Deus elegit et efficaciter ordinavit ad gloriam per media congrua, quosdam vero non ita elegit et ordinavit, quia Deus non vult ut sumamus talem ejus voluntatem pro regula nostrarum actionum ac petitionum, sed illam tantum voluntatem qua vult ut habeamus curam ac sollicitudinem de nostra salute; atque ita nostra petitio est semper conformis Dei voluntati. Deinde possumus a Deo petere absolute totam illam perfectionem, quæ secundum legem ordinariam comparari potest per media ab ipso præstanda sine miraculo, non descendendo ad singulares ac temerarias comparationes, nisi id fiat ex affectu simplici complacentiæ ac conditionate, v. gr. cupiendo tantam puritatem ac fervorem charitatis quanta fuit in maximis sanctis ac B. Virgine. Præterea licet Deus sit paratus ad dandum auxilium sufficiens, tamen vult Deus ut hæc sua voluntas habeat effectum media oratione nostra. Pro beneficiis jam acceptis non datur petitio, sed gratitudo et gratiarum actio. Beneficium vero gratiæ nondum collatum, licet constet infallibiliter esse tribuendum ex vi alterius beneficii amissibilis, v. gr. gloriam ex vi gratiæ jam acceptæ adhuc amissibilis, patet posse peti, sed dum constat infallibiliter esse conferendum ex vi alterius beneficii inamissibiliter dati, v. gr. gloriam corporis ex vi status beatifici animæ inamissibiliter dati, aut gloriam corporis Christi ex vi unionis hypostaticæ ac sanctitatis ejus animæ, quamvis non sit necesse, tamen non repugnat illud peti. Denique non videtur semper necesse, ut qui petit a Deo auxilium ad aliquid faciendum, sibi prius persuadeat se non posse illud facere sine extraordinario aut supernaturali gratiæ auxilio, ut patet in opificibus, agricolis, scholasticis petentibus a Deo auxilium ad faciendum suum opus; quod quia potest interdum ab extrinseco impediri ut fiat, ideo tunc ut non impediatur fieri, requiritur aliquod particulare Dei auxilium ultra communem naturæ concursum.

CAPP. XXII, XXIII, XXIV.

An oratio sit actus meritorius, satisfactorius et impetratorius.

Dico 1: Hominis viatoris oratio ex fide et gratia procedens, est meritoria et quidem de condigno si orans sit in gratia; de congruo autem probabiliter, atque etiam per modum causæ dispositivæ si non sit in gratia: habet enim omnes conditiones quæ requiruntur ad ejusmodi meritum.

Dico 2: Oratio ex se est opus satisfactorium, si adsint aliæ conditiones ad satisfactionem requisitæ, est enim unum ex tribus operibus quæ satisfactoria censentur; nempe oratio, jejunium, eleemosyna; ut dicitur Tob. XII, 8: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Deinde oratio sive vocalis sive mentalis est opus pœnale. *Frequens meditatio, carnis est afflictio* (*Eccle.* XII, 12).

Dico 3: Ex peculiari Dei promissione facta orantibus, impetratio rei per orationem postulatæ est infallibilis, si habeat oratio conditiones requisitas: 1° si sit de re bona et honesta, non vero de re indifferenti; indecens enim est et contra reverentiam Deo debitam ab eo petere rem omnino indifferen-

tem, non relatam ad honestatem, v. gr. in lusu lucrum quatenus præcise lucrum est, adeoque peccaminosum; imo esset peccatum mortale si quis ab eo peteret id quod sine peccato veniali fieri non potest : quia in hac re respectu Dei non potest dari materia levis. Oratio igitur ut sit infallibiliter impetratoria, debet esse substantialiter honesta ac bona, moraliter; etiamsi peccatum veniale tantum concomitans, non impediat semper ejus bonitatem aut meritum. 2° Si res quæ per orationem postulatur, non sit impeditura majus animæ bonum; si autem postuletur bonum honestum quidem, sed non conducens per se ad vitam æternam, nec etiam eam aut ejus profectum impediens, non videtur hæc oratio ob hoc reddi inefficax, eo quod est aliquo modo supernaturalis ; et tale bonum honestum non potest non prodesse aliquid ad salutem. 3° Si ex fide procedat fundata in conditionata Christi promissione, seu includente eam conditionem quam includit promissio : *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis* (*Marc.* XI, 24). Et videntur omnes Christiani per se teneri hanc Dei promissionem scire, ut ex illius explicita fide orare possint; tamen si quis ex invincibili ejus ignorantia aliquid petat, credens Deum posse dare quod petitur, et misericordem ad dandum esse dum nobis expedit, ac non ponjmus impedimentum , etiam censeo istam fidem esse sufficientem ad impetrandum. 4° Si fiat cum spe firma ac generosa, quæ interdum fiducia appellatur; huic fiduciæ opponitur hæsitatio, quam ab oratione excludit Jacobus dicens : *Postulet in fide nihil hæsitans* (*Jac.* I, 6). Hæc autem fiducia excludit tantum, quoad intellectum, dubitationem certitudini fidei repugnantem, et quoad voluntatem, animi trepidationem quæ spem theologicam excludat. Unde si oratio fiat ex vera fide ac spe theologica, etiamsi interveniat in intellectu aliquod genus formidinis aut dubitationis indeliberatæ ad infidelitatem non pertingentis, et in voluntate quidam timor aut pusillanimitas ex proprii defectus consideratione, tamen habebit ex hac parte conditionem sufficientem ad impetrandum infallibiliter ex vi promissionis divinæ, quia hi defectus vel non sunt, vel sunt tantum leviter culpabiles, adeoque non excludunt verum fidei et spei actum; cumque tantum concomitanter se habeant ad ipsam orationem, non impediunt quominus sit vere pia et impetratoria. Contra vero cavendum est, ne fiducia transeat in præsumptionem; ideoque qui orant fiducialiter, non debent considerare sua merita tanquam fundamenta impetrationis, sed tanquam Dei beneficia quibus promisit ex sua liberalitate mercedem; unde fiducia non in Dei promissione tantum, sed etiam in ejus bonitate ac liberalitate nititur.

CAPUT XXV.

An sit necessaria charitas in orante ad impetrandum.

Dico : Videtur certum non requiri actualem charitatis concursum, sive actualem charitatem ; sed nec etiam necessario requiritur habitualis charitas; hortamur enim peccatores ut orent, Patresque ac concilia docent hoc esse unum ex mediis vel necessariis vel utilissimis ad obtinendam a Deo gratiam; ergo talis oratio potest esse utilis et impetratoria : ita Augustinus, Basilius, Chrysostomus, D. Thomas, etc. Quare in peccatore qui ignorat seu non advertit suum statum, aut in peccatore qui advertit quidem suum malum statum, sed de eo est tantum attritus, doletque de sua imperfecta contritione, petens a Deo auxilium, maxime hoc esse verum existimo ; non tamen in peccatore qui animadvertens suum malum statum ac peccatum, nec de eo dolens, nec emendationem proponens, petit a Deo bona temporalia, aut etiam spiritualia : probabile enim est hujusmodi peccatoris orationem non habere infallibilem promissionem, et rarius exaudiri ; non est tamen avertendus ab oratione, hæc enim potest ejus animum mutare. Cum ergo Scriptura dicit : *Deus peccatores non audit* (*Joan.* IX, 31); *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I, 15); intelligit de orationibus formaliter seu involventibus pravam intentionem, aut malam rem postulatam, et quæ fiunt a peccatoribus ut peccatores sunt.

CAPP. XXVI, XXVII.

De perseverantia orationis, et de infallibili ejus impetratione pro se, et pro aliis.

Dico 1 : Perseverantia in oratione ad impetrandum requisita, valde commendatur in Scriptura et maxime Luc. XI ; dein Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Id est, nunquam desistere ob diffidentiam animi, dejectionem, impatientiam, præcipue orando pro re spirituali. Pro temporali autem facilius desisti potest, quando conjicitur non esse placitum Deo rem petitam concedere; nec longior impetrationis mora debet impedire fiduciam in Deo, quia Deus non differt dare nisi in nostrum bonum. Sic semper petitur perseverantia in gratia, quia semper nescimus an postulatum impetraverimus.

Dico 2 : Ex promissione divina non tantum est infallibilis impetratio oranti pro se (supposita bene facta oratione), sed etiam pie credi potest esse infallibilem oranti pro alio. (Toletus, etc.) *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum*, etc., *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem* (*I Joan.* V, 14-16) : satisfactio nostra pro aliis viatoribus est infallibilis ; ergo et impetratio. Impetratio tamen non est ex justitia, seu ex justitiæ merito, beati enim in cœlo impetrant et non merentur ; sed provenit ex pura gratia et liberalitate, cooperante oratione. Oratio facta pro aliquo in particulari, de se et ex parte orantis est efficacior, et utilior illi pro quo fit, quam esset eidem si fieret tantum in generali pro aliqua communitate cujus ipsi esset pars. (Scotus, Azorius, etc.) Valor enim orationis

in multos distributus non videtur habere tantam vim, quantam applicatus uni soli; idque confirmat usus Ecclesiæ orantis pro particularibus. Oratio pro multis est quidem ex objecto nobilior, et potest esse magis meritoria ipsi oranti; sed potest esse minus efficax ad impetrandum pro aliquo illorum, quam si fieret pro illo solo in particulari.

CAPP. XXVIII, XXIX, XXX.

An oratio sit necessaria ad salutem, et quale ejus præceptum, ac quando obliget.

Dico 1 : Oratio non tantum est necessaria ad facilius et certius consequendam salutem, sed etiam ad illam consequendam simpliciter necessaria. Divus enim Augustinus et Hieronymus, agentes contra Pelagium, sentiunt orationem tam esse necessariam ad salutem quam divinum auxilium, hæcque necessitas fundatur aliquo modo in ipsa rei natura; Deus enim operatur per causas secundas, quoad commode fieri potest, et in virtutis operatione vult nostram cooperationem. Deinde Deus ita sua providentia decrevit, ut velit a nobis orari. Unde

Dico 2 : Oratio cadit sub præceptum divinum, non quasi specialiter a Christo datum, sed quatenus est naturale juxta rationem elevatam et ab infusa fide illuminatam, ac proinde semper et in omni lege obligavit. Potest ergo hoc orandi præceptum per solum mentis actum impleri ; et quamvis, juxta quosdam, transgressio hujus præcepti, seu orationis omissio, non videatur esse speciale peccatum distinctum ab aliis, sed esse illud ipsum quod committitur deficiendo ab illo fine, ob quem est necessaria oratio, id est esse idem peccatum cum eo quod opponitur virtuti, v. gr. charitati Dei aut proximi, fidei, castitati, etc., ad quam erat necessaria oratio : tamen verius, juxta D. Thomam, existimatur esse peccatum speciale contra religionem ab aliis distinctum; quia dum hoc præceptum obligat propter necessitatem, etiam obligat propter cultum Dei.

Dico 3 : Quod attinet ad tempus in quo hoc orandi præceptum obliget ex puro jure naturali divino, satis difficile est determinare: 1° igitur rejiciendi sunt quidam antiqui hæretici qui dicebant semper necessario esse orandum ob hæc Christi verba: *Oportet semper orare* (*Luc.* XVIII, 1). Uti et I Thess. V, 17 : *Sine intermissione orate.* Ista enim verba *semper orate*, varii varie explicant : alii enim ea interpretantur de bono opere semper faciendo; alii de orationis duratione in se vel in suo effectu ; alii de duratione morali, non physica; alii de orationis perseverantia quoad instantiam petitionum, non desistendo donec obtineatur res petita ; sed videtur melius esse intelligenda de frequenti oratione aut de frequenti ejus necessitate. 2° Quidam catholici dixerunt hoc orandi præceptum obligare cum primum homo incipit uti ratione ; sed non videtur id esse verum. Sylvester ait istud præceptum obligare tempore missæ, quæ audienda est de præcepto. Sed aliud est præceptum ecclesiasticum, aliud præceptum naturale divinum de quo solo hic agimus ; posset enim sic impleri præceptum ecclesiasticum, et tamen nondum esse sufficienter impletum naturale divinum. Quare

Dico 4 : Hoc orandi præceptum quatenus naturale et divinum, juxta communem doctorum sententiam, non affert secum certam et claram temporis determinationem ; sæpius tamen et per se obligat in vitæ decursu, etiamsi non occurrant extraordinarii casus particulares in quibus charitatis, sive propriæ sive alienæ necessitas obliget ad orandum : probabile est enim orandi necessitatem seu obligationem non solum ex charitate, sed etiam ex virtute religionis oriri. Quonam autem præcise tempore in particulari aut in individuo hoc naturale ac divinum orandi præceptum obliget, non potest satis assignari ; non debent saltem orationis actus multo tempore differri, et potest in quibusdam occasionibus ex peculiari necessitate major et specialior obligatio oriri, sive illa pertineat ad solam charitatem, sive etiam ad religionem. Unde tunc in ejusmodi necessitate omittere orationem, grave esset peccatum non solum contra virtutem contra quam tentatur, v. gr. contra castitatem ; sed insuper speciali modo contra charitatem, et probabiliter etiam contra religionem.

Dico 5 : Orare pro aliis in communi et pro republica aut pro communitate tenemur ex præcepto divino naturali secundum se spectato, huicque satisfacimus per communes orationes pro omnibus factas, sed non obligat orare in particulari pro aliis, nisi dum quis vel ex officio, vel ex alia particulari obligatione id facere tenetur.

LIBER II.

De oratione mentali et devotione.

CAPP. I, II, III.

De excellentia, utilitate, partibus seu actibus orationis mentalis.

Dico 1 : Hujus orationis excellentia vehementer commendatur a Patribus Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, etc., et maxime ab exemplo Christi qui pernoctabat in oratione: *Ascendit in montem solus orare* (*Matth.* XIV, 23); et colligitur tum ex singulari cum Deo familiaritate, tum ex maxima æternæ felicitatis participatione.

Dico 2 Hujus orationis utilitas est præcipue triplex : 1° meritum et satisfactio ; 2° impetratio ; 3° fons et seminarium sanctarum actionum et omnium virtutum.

Dico 3 : Ejus partes et actus juxta D. Bernardum sunt : 1° lectio præparatoria ; 2° meditatio illumi-

nans intellectum in ordine ad praxim, et inflammans voluntatis affectum; 3° petitio et obsecratio in variis Christi meritorum, Dei promissionum, Dei perfectionum motivis nixa; 4° contemplatio, de qua post. Paulus autem (*I Tim.* II) recenset has quatuor orationis partes: obsecrationem, orationem, postulationem, gratiarum actionem. Id est, juxta D. Thomam, *per orationem* intelligitur elevatio mentis in Deum; *per obsecrationem* petitio proprie sumpta; *per postulationem* allegatio rationum et titulorum Deo repræsentatorum; *per gratiarum actionem* intelligitur, ut verba sonant. Sed juxta Hilarium *per obsecrationem* intelligenda est propriæ indigentiæ ac miseriæ agnitio; *per orationem* divinæ excellentiæ agnitio et repræsentatio; *per postulationem*, desiderii obtinendi a Deo aliquod particulare beneficium expressio; *per gratiarum actionem*, gratitudo pro beneficiis acceptis.

CAPUT IV.

An oratio mentalis sit de præcepto.

Nota: Nullo præcepto ecclesiastico directe præcipitur oratio mentalis, nedum in ipsis missæ *Memento*, in quibus potest fieri vocalis, ut notavit Navarra. Potest tamen aliquis ex vi voti, aut promissionis obligari ad faciendam aliquam orationem mentalem. Sed generatim:

Dico 1: Præter orandi præceptum supra, lib. I, explicatum, nullum datur speciale præceptum divinum aut naturale, quo per se teneamur ad mentaliter orandum, meditandum, recogitandum; sed tantum quando in particulari occurrit aliorum præceptorum observandorum obligatio, tenemur cogitare ea quæ sunt necessaria ad eorum observationem, v. gr. cogitare de peccatis ad faciendam confessionem; atque hoc ita videtur certum, ut contrarium sine temeritate doceri nequeat; quia est contra communem usum ac sensum totius Ecclesiæ, in qua plerique fideles non solent isti orationi vacare. Hinc:

Dico 2: Ex vi juris divini ac naturalis non tenentur fideles aliquod certum tempus pro mentali oratione seu consideratione designare aut expendere; nec ipsæ personæ ecclesiasticæ, sive clerici, sive religiosi, ex vi status ac divini juris obligantur ad hunc meditandi, recogitandi aut mentaliter orandi usum, etiamsi possint ad hoc obligari vel ex vi voti, si id specialiter emiserint; vel ex peculiaribus regulis sibi impositis, v. gr. in aliqua religione. Attamen oratio mentalis quæ sit unicuique proportionata, potest ac debet consuli omnibus hominibus cujuscunque conditionis aut gradus exsistant, maxime vero religiosis ac ecclesiasticis ob suam excellentiam et utilitatem; imo præferenda est vocali: atque ita ex se ad omnes fideles potest pertinere, ab omnibus potest exerceri, et omnibus debet suaderi tanquam aptissimum ac moraliter necessarium ad vitæ puritatem subsidium.

CAPUT V.

De moralibus orationis mentalis circumstantiis.

1. *De persona.* Quilibet homo utendo ratione et fide, est capax alicujus gradus orationis mentalis, etiamsi singuli non sint apti ad omnes ejus gradus; quin et peccator in mortali peccato exsistens potest et debet cum humilitate et contritione orare Deum.

2. *De tempore.* Duplex est tempus: aliud *fixum* ad meditandum, tali hora diei assignatum, cessando ab aliis rebus; hoc non potest omnibus convenire. Aliud transiens seu occasionale, recordando sæpe de Deo inter quotidianas actiones, maxime mane surgendo, et vespere examinando conscientiam: *In matutinis meditabor in te* (*Psal.* LXII, 7).

3. *De loco.* Quivis locus quantumvis vilis et sordidus potest esse aptus ad mentalem orationem: ita D. Thomas, et I Tim. II, 8: *Volo vos orare in omni loco.* Ad removenda tamen orationis impedimenta, convenit eligere locum quietum extra strepitum; sic Petrus ascendebat ad superiorem domus partem ad orandum (*Act.* X, 9); sic fere etiam Job III, Judith VIII et IX. *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum* (*Matth.* VI, 6). Multi Patres id intelligunt de cubiculo cordis.

4. *De fine.* Præfigendus est sibi aliquis finis particularis ac fructus specialis in certa materia.

5. *De materia.* Orationis materia potest esse Deus, ejus attributa, beneficia, promissiones, comminationes, Christi mysteria, sanctorum exempla, propria peccata.

6. *De modo.* Oratio facienda est humiliter, confidenter, pure, instanter, etc. Voluntaria igitur distractio seu interruptio vel cessatio ab orationis mentalis actu ex quadam levitate ac negligentia, non fit sine culpa, solum tamen veniali, secluso contemptu. Involuntaria autem accedit sine culpa, quia est magis passio quam actio. Quoad situm corporis in oratione privata, tantum ille requiritur qui reverentiam et humilitatem significet: sive genuflexione, sive statione, sive prostratione, sive alio modo submisso assumatur. In publica autem oratione communis orandi modus servari debet.

7. *De circumstantia, quibus auxiliis.* Ad hanc orationem præcipue requiruntur auxilia supernaturalia, adeoque enixe postulanda. Deinde naturalia tum propria et intrinseca, id est usus facultatum sui corporis et animæ, tum aliena et extrinseca, id est versati magistri directio.

CAPUT VI.

Quid sit devotio?

Dico: Quamvis hæc vox *devotio* varie sumatur; modo enim sumitur pro tota oratione, modo pro attentione, modo pro meditatione, proprie tamen sumpta, est voluntaria quædam propensio ac promptitudo ad Dei cultum ac famulatum. Hinc videtur complecti tria: nimirum velle, prompte velle, et suaviter velle; adeoque devotio actualis est aliquis

voluntatis actus (non modus aut qualitas actus, ut vult Cajetanus), seu pius affectus quo homo aliquo modo se devovet divino obsequio non per votum aut promissionem, sed per actuale volendi exercitium ac propositum; et insuper iste actus quandiu aut formaliter aut virtualiter permanet, reddit hominem facilem et promptum ad omne Dei obsequium ac cultum. Suavitas vero, delectatio, gustus seu consolatio spiritualis quæ ex illo erga Deum ac res divinas pio affectu provenit, est tantum devotio accidentalis, et quædam proprietas ex affectu colendi Deum, qui est vera ac substantialis devotio, resultans, ac quasi per modum passionis se habens, nec adeo necessaria, quamvis per se multum conferat ad operationis promptitudinem ac facilitatem.

CAPP. VII, VIII.

An devotio sit actus religionis; de ejus causis et effectibus.

Dico 1 : Speciali quidem modo devotio est proprius religionis actus, sed quibusdam etiam aliarum virtutum affectibus in Dei cultum tendentibus tribuitur istud nomen; v. gr. affectus fidei, spei, charitatis, obedientiæ, etc., potest dici devotio, quatenus homo per pios et humiles harum virtutum affectus se devovet Dei obsequio ac famulatui. Pœnitentia autem qua aliquis se Deo offert ad ipsi satisfaciendum pro illata injuria, potius devotionem causat quam sit ipsa formaliter devotio. Sic etiam, actus intellectus in meditatione vel sunt tantum causaliter devotio, vel ab illa causantur separati. Devotio igitur sunt affectus in voluntate vel generales, quibus homo vult se totum divino cultui mancipare, vel particulares, quibus ad particulares divini cultus actus se vovet, v. gr. propositum communicandi, meditandi, statum religiosum capessendi, etc., verumtamen generalis ille affectus, quo quis totum se cultui divino devovet, proprie dicitur devotio.

Dico 2 : Duplex est devotio, ut supra dixi : alia accidentalis, quæ in quadam suavitate consistit; alia substantialis quæ in proprio ac deliberato actu humano sita est. Accidentalis interdum ante omnem propriam animi nostri actionem oritur; et tunc illius causa est Spiritus sanctus qui per gratiam excitantem immittit istum suavem et delectabilem erga divinum cultum ac res divinas affectum imperfectum. Substantialis autem devotionis causa efficiens est Deus per suam gratiam operantem ac cooperantem, et homo per suam diligentem cooperationem, utendo tum divinis præviarum orationum ac bonorum operum auxiliis, tum humana studiosæ applicationis et præparationis industria. Prædicta suavitas interdum nascitur ex cognitione alicujus veritatis; sed hæc non est proprie devotio : interdum provenit ex divinarum perfectionum consideratione, et erga eas pio animi motu; interdum ex efficaci et operativo quo se homo totum tradit realiter in obsequium Dei affectu; atque hæc proprie est devotio substantialis cum sua subsequente suavitate.

CAPP. IX, X.

Quid contemplatio, et quis ejus proprius actus.

Dico 1 : Contemplatio juxta Latinos nil aliud significat quam speculationem, meditationem, aut veritatis inquisitionem; sed juxta theologos significat inquisitionis terminum qui est veritatis inquisitæ et inventæ practica intuitio. Unde hæc contemplatio theologica ab alia late sumpta seu philosophica in duobus differt : 1° philosophica circa quamcunque materiam ac veritatem versatur; theologica circa solum Deum primo ac per se, secundario circa res divinas vel Dei beneficia et opera quatenus ad ejus cognitionem conferunt, versatur. 2° Illa est pure speculativa, hæc tendit ad praxim tum ex parte rei consideratæ, tum ex contemplantis intentione; adeoque hæc necessario habet conjunctum voluntatis actum, nempe affectum rei contemplatæ seu Dei, aut affectum contemplandi ob amorem Dei et unionem cum illo. Sed perfectior est amor Dei qui contemplationem subsequitur quam qui illam præcedit; atque hic amor ex contemplatione ortus potest pertinere vel ad virtutem charitatis vel ad ipsam devotionem generatim sumptam. Quare contemplatio comprehendit hæc duo : ipsam intellectus intuitionem cum voluntatis amore conjunctam.

Dico 2 : Ille specialis actus intellectus, qui in contemplatione reperitur tanquam proprius ejus actus, est simplex intuitus sine discursu; præsupponens tamen præcedentem aliquem discursum vel tanquam propriam ac per se sui causam, vel interdum tanquam causam tantummodo per accidens, necessariam ad applicandum et explicandum objectum, in quo quæsita veritas est inspicienda. Iste autem actus intellectus est simplex et sine discursu, quia est terminus et quasi effectus præcedentis discursus; supposito enim præmissarum assensu cum illatione, assensus conclusionis est simplex, nec in se continet formalem discursum; unde per se pertinet vel ad fidem immediate, vel ad scientificum theologiæ actum; si enim fuerit discursus tantum opinativus, non meretur contemplationis nomen, quia non est certæ veritatis intuitus. Ad istum contemplationis actum concurrunt tria Spiritus sancti dona : donum *intellectus* ad concipiendas res fidei altiori modo, quam per discursum ordinarium; *sapientiæ* et *scientiæ* ad demonstrandam veritatem sub ratione credibilis et practice amabilis. In illo autem simplici intuitu non potest longo tempore mens humana sine mutatione permanere ob suam instabilitatem et sensuum impedimenta.

CAPUT XI.

De triplici statu incipientium, proficientium, perfectorum; sive viæ purgativæ, illuminativæ, unitivæ; et cujusnam sit propria contemplatio.

Dico 1 : Status incipientium est, in quo justifi-

cati nondum habent passiones tam moderatas ut facile vincant tentationes ad peccatum mortale inclinantes, nec adhuc facilitatem in virtutibus exercendis acquisierunt. *Proficientium*, in quo per passionum moderationem jam habent facilitatem vitandi mortalia, sed non venialia, in quæ adhuc sæpe incidunt, et facilius in virtutum exercitio impendunt se. *Perfectorum* est, in quo abstracti ab omnibus terrenis desideriis, nec multum a suis passionibus impediti, toti in Deum feruntur. Unde primi dicuntur esse in via purgativa quæ per se tendit ad purgandam animam a peccatis commissis, ad satisfaciendum pro illis et ad vitandum eorum relapsum, vincendo passiones ac pravas consuetudines. Secundi in via *illuminativa* quæ per se tendit ad virtutum profectum et majorem passionum moderationem. Tertii in via *unitiva* quæ maxime occupatur in unione cum Deo per amorem, et in frequenti hujus exercitio. Hos tres status Alensis vocat statum pœnitentiæ, justitiæ, perfectionis. Unusquisque tamen istorum statuum semper aliquid de altero participat; sed sic distinguuntur juxta id quod in unoquoque eminet. Hinc

Dico 2 : Contemplatio est propria viæ unitivæ, quia requirit animum moderatum compositum, illuminatum, diu in virtutibus exercitatum ; non tamen est ita propria ut omnibus viris perfectis conveniat; vel quia Deus eam non vult concedere, vel quia aliqui ob mentis tarditatem, aut ob nimiam naturæ inquietudinem et celerem mutabilitatem ad eam apti non sunt; nec ita propria est, ut solis perfectis insit; interdum enim illius dulcedo aliqua ex parte potest degustari ab imperfectis, imo et ab incipientibus.

CAPUT XII.

An possit dari contemplatio vel oratio mentalis sine ullo intellectus ac voluntatis actu.

Dico : Actualis et propria oratio mentalis non potest exsistere, aut in suo proprio ac formali esse conservari absque omni intellectus ac voluntatis actu; cujuslibet enim orationis essentialem rationem omnes Patres et theologi semper explicant per aliquem mentis actum erga Deum. Ratio est, quia non potest mentalis oratio incipere actualiter esse in homine, nisi per proprium intellectus ac voluntatis motum seu actum; sed nec etiam sine ullo intellectus aut voluntatis actu potest realiter ac formaliter conservari; in sola enim potentia aut habitu non conservatur, ut patet in dormiente, in quo licet sit habitus orationis immediate ante somnum factæ, ac potentia, non tamen orat. Imo cessante omni actu oratio mentalis non tantum non remanet proprie ac formaliter, sed nec virtualiter ac moraliter in aliquo illius effectu, quia nullus est ejus effectus sive positivus sive privativus qui sit oratio id est elevatio mentis in Deum. Unde dum Thaulerus, aliive mystici doctores loquuntur de oratione silentii, seu spirituali somno in quo mens vigilat non loquendo, sed audiendo vel exspectando ut Dominus sibi loquatur, intelligunt de simplici Dei intuitu et unitivo ejus amore sine locutione quidem mentali aut vocali, sed non sine actu mentis et voluntatis. Sic etiam intellige Dionysium, qui consulit Timotheo ut sensus et mentis actiones, quæ nempe versantur circa res extra Deum, relinquat; et illa Dei ignoratio, de qua idem loquitur, est quædam cognitio per quam potius cognoscitur quid Deus non sit, quam quid sit, removendo ab eo omnia creaturarum attributa, prout in eis sunt, et sistendo in quodam Dei conceptu longe eminentiori et universalissimo; quod est cognoscere Deum per negationem. Denique homo sine sua cooperatione non elevatur ad Deum per actionem Dei, uti nec sine illa Deus loquitur ad eum per infusionem aut motionem et applicationem aliquarum specierum, nec ipse sine illa loquitur ad Deum recipiendo istas species, seu audit Deum; omnes enim istæ actiones sunt vitales, adeoque non fiunt sine cooperatione ipsius hominis viventis. Itaque dum nullus hominis habetur actus, nec est locutio ad Deum, nec Dei auditio, nec divini sermonis exspectatio; sed erit otiositas. Ordinarie tamen intervenit vel desiderium, vel Dei cogitatio vel alius actus.

CAPUT XIII.

An contemplatio seu oratio mentalis possit consistere in solo voluntatis actu, sine ullo intellectus.

Nota : D. Bonaventura ait duplicem esse viam ascendendi ad Deum usque ad affectivam cum illo unionem : alteram *scholasticam*, in qua homo ex cognitione rerum inferiorum ascendit ad Dei cognitionem, et ab ejus cognitione tandem transit ad affectum; fateturque talem affectum non posse esse, nec durare sine prævia cognitione. Alteram *mysticam* in qua homo immediate a Spiritu sancto motus unitur per ardorem et ignitum affectum, quem significat interdum haberi sine prævia cognitione aut concomitante; at ex illo sequi cognitionem statim. Sed

Dico 1 : Probabilius repugnat appetitum vitalem elicere actum suum absque prævia cognitione proportionata; ac proinde repugnat etiam de potentia absoluta, ut voluntas feratur in Deum per amorem elicitum, nulla exsistente actuali intellectus cognitione : ita communiter theologi contra Thomam de Argentina dicentem posse de potentia absoluta voluntatem esse in fruitionis actu, intellectu exsistente suspenso quoad actum cognitionis, et Deo supplente defectum istum intellectus actum. At negatur id posse fieri, quia voluntatis objectum non potest illam allicere, neque esse ejus actus principium motivum, nisi sit cognitum; cognitio autem est actus vitalis essentialiter a principio intrinseco procedens, adeoque non potest a Deo suppleri, aut fieri. Deinde licet non repugnaret habere actualem Dei amorem sine actuali cognitione, non posset tamen id pertinere ad majorem animæ aut amoris perfectionem; quia amor beatorum est perfectissimus, et tamen non est sine actuali cogni-

tione Idem cum proportione dici potest de amore Dei, quem B. Virgo, Joannes Baptista, apostoli, aliique sancti in hac vita habuerunt. Ergo immerito dicitur talis charitatis affectus pertinere ad supremum contemplationis ac theologiæ mysticæ gradum. Et certe cogitatio de Deo si sit amori proportionata, non potest impedire vel imminuere ejus perfectionem, præsertim si sit cogitatio de Deo sub ratione entis in omni genere perfectionis infiniti et infinite amabilis. Hinc

Dico 2 : Amor Dei sine prævia cognitione non potest in hac vita cognosci per experientiam ; quia si dum amatur Deus, nulla adsit actualis cognitio, nulla etiam tunc est experientia : experientia enim dicit cognitionem ; ac proinde viri quantumvis illuminati talem experientiam nunquam habuerunt. Dionysius agens de hoc contemplandi modo, loquitur de cognitione Dei per negationem, non vero de amore et de unione cum Deo sine ullo cognitionis actu.

Objicies 1 : Ex D. Bonaventura, in via mystica anima ascendens ad Deum, prius attingit vel participat id quod est quasi ultimum in Deo ; sed in Deo Spiritus sanctus qui est amor, est ultima persona, et Filius qui per intellectum procedit, est prior ; ergo anima ascendens in Deum, prius ascendit per amorem, quam per cognitionem. Respondeo : Nego majorem universaliter sumptam. Alioqui Spiritus sanctus prius amari deberet, quam Filius aut Pater.

Obj. 2 : In suprema angelorum hierarchia, primus ordo sunt seraphini, qui affectu excellunt ; ergo signum est in suprema unione erga Deum præcedere affectum et subsequi cognitionem Respondeo : Nego consequens. Ex eo enim quod Seraphinorum sit primus ordo, non sequitur Deum prius attingi amore quam cognitione. Alioquin ipsi Seraphini prius amarent Deum quam eum cognoscerent aut viderent.

Obj. 3 : Deus prius movet in homine id quod est sibi propinquius ; atqui voluntas est Deo propinquior quam intellectus ; ergo prius movet voluntatem quam intellectum. Respondeo : Nego majorem universaliter ; sive dico quod Deus non moveat necessario prius in homine id quod est sibi propinquius. Deinde negatur voluntatem esse Deo magis propinquam, quam intellectum.

Obj. 4 : Cum homo multum distet a Deo, perfectius illum attinget, si prius per amorem illi appropinquet. Respondeo : Nego assumptum. Perfectius enim Deum attinget et amabit, si prius per cognitionem ad eum accedat, rite ejus perfectiones concipiendo.

CAPUT XIV.

An contemplatio possit subsistere sine sensus operatione.

Dico 1 : Non potest homo naturaliter in hac vita ita rapi per intellectum ad veram Dei contemplationem, ut ei non cooperetur sensus internus et externus ; hominis enim intellectus corpori junctus non potest naturaliter operari etiam cum ordinario gratiæ auxilio, quin simul phantasia cooperetur ; unde fit, ut si phantasia sit læsa, intellectus nequeat ordinate ratiocinari. Hæc tamen cooperationis phantasiæ necessitas non est tam essentialis et intrinseca, ut repugnet divina virtute impediri hominisque intellectum confortari et elevari ad operandum sine illius sensus interni vel externi cooperatione, utpote realiter distincta ab intellectus operatione, nec hujus causa exsistente, qualem fuisse putat D. Thomas raptum Pauli et Moysis. Deinde hæc elevatio contingit per contemplationem a scientia per se infusa procedentem, uti fuit in amore Christi. Et licet non constet istam elevationem fuisse alteri communicatam per modum habitus, pie tamen credi potest aliquam illius participationem fuisse infusam B. Virgini aut etiam Joanni Baptistæ ; præterea verisimile est multis aliis, ut sentit D. Thomas, communicari per modum actus. Imo potest hoc contingere sine scientia per se infusa per solam intellectus elevationem ad utendum speciebus a sensibus acceptis sine actuali phantasiæ cooperatione. Unde

Dico 2 : Hic elevationis et contemplationis modus non potest propriam et quasi physicam originem habere ab ipsius hominis operatione, etiam divino supernaturali auxilio cooperantis, utpote supra naturam non tantum quoad gradum operationis, sed insuper quoad modum operandi exsistens. Si autem in contemplatione fiat tantum abstractio a sensibus externis, et duret phantasiæ cooperatio, illa sine miraculo etiam in altissima contemplatione cum divina gratia potest contingere ; actus enim sensuum externorum non sunt per se necessarii ad actualem intellectus operationem, sed sufficit ut præcesserint et indiderint phantasiæ suas species, quas in operando respicit intellectus, seu phantasmata, non vero actus sensuum externorum.

CAPP. XV, XVI, XVII.

An et quomodo exstasis abstrahat mentem ab operationibus sensuum externorum.

Nota : Exstasis dicitur dum mens est ita elevata in contemplatione, ut sensus externi non tantum non operentur, sed etiam ita sint ligati et impediti, ut per externa objecta quantumvis vehementia nec excitari nec operari possint. Et de hac Dionysius (cap. 4 *De div. nom.*) sic ait : « Amor facit exstasim, nempe abstrahendo mentem ab omni usu et exercitio sensuum externorum, vel eam applicando solis divinis rebus. » Jam vero quæritur quomodo et unde eveniat ejusmodi exstasis.

Dico 1 : Supposita perfectæ contemplationis gratia, potest connaturaliter ex illa sequi exstasis saltem quoad suspensionem sensuum externorum ; illa enim ex prioris gratiæ efficacia ita connaturaliter sequitur, ut licet sint duæ gratiæ, tamen ob suam mutuam connexionem una ab alia quasi na-

turaliter profluat. Ratio est, quia cum virtus animæ sit finita et vehementer absorpta in superioribus ac internis actionibus, non potest simul ad inferiores et externas descendere. Hinc juxta Cajetanum, etc., istud exstasis genus potest etiam evenire ex vi naturalis contemplationis factæ per solam vehementem speculationem sine affectu, uti refertur de Trismegisto, Socrate et Platone, qui in rerum divinarum contemplatione absorpti abstrahebantur ab usu sensuum externorum.

Dico 2 : Quamvis non possit nisi miraculose anima in hac vita videre clare Deum, seu habere visionem beatam, tamen supposita ejusmodi beata visione, non inde naturaliter sequitur istam animam pati exstasim, seu suspendi ab usu et operatione suorum sensuum externorum : anima enim Christi in hac vita conjuncta corpori clare videbat Deum, et tamen non suspendebatur ab usu sensuum externorum, sed tam naturaliter operabatur ac si non vidisset clare Deum; ergo et idem dici potest de alia anima hominis viatoris, cui Deus communicaret visionem beatam, quia illa visio non penderet phantasmatibus, nec absorberet aut exhauriret naturalem intellectus activitatem. Imo nec illam occuparet aut distraheret; nam intellectus non virtute quatenus naturali, sed ut obedientiali et elevata in istam visionem influeret; ergo ista visio relinqueret intellectum liberum et expeditum ad suas operationes naturales.

Dico 3 : Non potest fieri naturaliter per intellectualem hujus vitæ contemplationem tanta abstractio a sensibus, ut omnes sensus tam interni quam externi maneant quasi destituti ab influxu animæ, ideoque nil possint operari, sive fiat contemplatio per species et actus infusos per se, qualis, v. gr., fuit in Christo, et fortasse per participationem in B. Virgine, aut in quibusdam etiam viris sanctissimis ; sive fiat per species acquisitas et actus supernaturales : quia illa utraque contemplatio non impedit naturalem intellectus activitatem ; imo si fiat per species acquisitas, naturali necessitate fit conversio intellectus ad phantasmata. Si autem Deus interdum suspendat omnem phantasiæ operationem, tunc id facit ex speciali suæ providentiæ dispositione, vel auferendo omnia objecta phantasiæ motiva, vel non concurrendo cum illa ; sed arbitror nunquam posse constare experientia animam in tali contemplatione fuisse abstractam ab omni phantasiæ actu : secus vero dicendum est de suspensione sensuum externorum, nam hæc interdum potest sequi ex vi intellectualis contemplationis non tantum quoad actualem sensationem, sed etiam quoad aptitudinalem, quia anima pro nimia interiori attentione omnino destituit sensus externos, nempe dum agit cum dependentia a phantasmatibus; tunc enim absorbet et exhaurit omnes vires suas naturales in contemplationis attentione, mediante phantasia et intellectu, nihilque influit, nec mittit spiritus animales ad sensus externos; et sic omni operatione et aptitudine proxima ad operandum privantur.

CAPUT XVIII.

An in exstasi fiat suspensio ab omni appetitus sensitivi, partisque vegetativæ operatione.

Dico 1 : Appetitus sensitivus in quavis contemplatione non impeditur a sua operatione, quia si fiat contemplatio modo humano dependenter a phantasia, sicut tunc phantasia cooperatur intellectui, ita appetitus sensitivus potest cooperari voluntati ; radicantur enim in eadem anima et sibi invicem deserviunt. Si fiat contemplatio modo angelico vel divino, independenter a phantasia, tunc cum talis intellectus operatio nullum habeat commercium cum phantasia et appetitu sensitivo, hinc relinquitur in sua naturali potestate agendi; adeoque poterit agere, si habeat proposita objecta et ad illa applicetur, vel ab eis excitetur. Cum igitur contemplatio non impediat operationem phantasiæ et appetitus sensitivi, non etiam impedit corporis motionem, v. gr. motionem linguæ ad loquendum.

Dico 2 : In exstasi non suspenduntur operationes partis vegetativæ : ita D. Thomas ; quia proxime exercentur per qualitates omnino materiales et necessario agentes materiali alteratione, independenter ab animæ attentione. Quatenus tamen juvantur per spirituum animalium et vitales animæ actiones attrahendi, expellendi, distribuendi, etc., tunc multum impediuntur a nimia contemplationis attentione, v. gr. digestio ciborum, concoctio, etc., perfecte fieri impediuntur. Horum autem spirituum influxus sunt longe proficui ac necessarii omnino ad operationes sensuum externorum. Abulensis sentit operationes partis vegetativæ omnino impediri in exstasi perfecta.

CAPUT XIX.

An contemplatio per raptum vel exstasim, prout est in intellectu, sit operatio libera denominative, seu libere a voluntate imperata.

Dico 1 : Quando intellectus elevatur ad cognoscendum independenter a sensibus internis et externis, tunc fit contemplatio cum perfecto usu rationis, sive fiat cum discursu, sive absque discursu; qualem habuit Christus, et probabiliter B. Virgo in suæ conceptionis instanti, Joannes Baptista in ventre matris, aut etiam Jeremias ; et Adam, juxta D. Thomam, in sopore cœlitus immisso. Potest autem esse perfectus intelligendi actus, licet non sit liber, ut patet in beatis Deum videntibus, aut in eo cui Deus infunderet talem actum sine ejus voluntate. Deinde hic actus intelligendi potest dari a Deo vel per modum *actus primi* seu habitus, et tunc clarum est in illius infusione et receptione non haberi libertatem, sed postea in actuali illius usu poterit esse libertas, ut in Christo; vel dari per modum *actus secundi*, velut in transitu et quodam raptu : tunc vitalis et intellectualis apprehensio eorum quæ intellectualiter repræsentantur, profluat

etiam a Deo sine libero recipientis usu. Sed judicium quod recipiens format de rebus apprehensis et repræsentatis, potest vel liberum, vel non liberum esse : si repræsentatio seu revelatio sit clara et evidens, non erit liberum ; si autem sit obscura, tunc est liberum, quia fit per fidei assensum obscurum et Dei revelantis auctoritate nixum.

Dico 2 : Quando contemplatio fit cum conversione ad phantasmata et dependenter a phantasia, etiam in illa potest haberi perfectus rationis usus, non solum quoad apprehensionem et actualem rerum quæ cogitantur repræsentationem, sed etiam quoad plenum judicium de veritate contemplata sive practica sive speculativa; potest enim, v. gr., in somno elevare Deus intellectum et phantasiam usque ad perfectam intelligentiam, cum judicio rationis, ut videtur accidisse Salomoni, dum durante somno corporali locutus est cum eo Deus (*III Reg.* III et *II Paralip.* I), non excitando dormientem, sed in somni quiete mentem illius illuminando. In illo igitur somno corporali simul et prophetico seu spirituali potuit Salomon dormiens percipere non aure, sed mente Dei locutionem, et spiritu Deum orasse ac petiisse sapientiam. Hanc autem petitionem fuisse tunc ex libera electione profectam testantur Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Alensis, etc. Item D. Thomas putat Salomonem potuisse habere in illo somno perfectam rationem et libertatem ; idemque posset dici de sopore Adami, seu exstasi. Deinde in somno prophetico potest esse tanta mentis attentio, ut inferiores animæ functiones naturaliter impediantur sine naturali impedimento quoad perfectum mentis judicium; quia tunc mens solutior est ab impedimentis faciendi suum actum. Sed

Dico 3 : Contemplatio exstatica ex parte intellectus, non est actus proxime et directe liber, quamvis remote ex actu libero sæpe ducat originem. Actus enim intellectus non est intrinsece voluntarius nec formaliter liber; sed hoc solum habet ab imperio voluntatis quando ab illo procedit. Hic autem contemplationis actus videtur fieri per influxum divinum necessitate quadam rapientem intellectum ad operandum et attendendum tam vehementer, ut omnem animæ actionem absorbeat; eum tamen potuerunt præcedere liberi voluntatis actus applicantis mentem ad cogitandum de Deo. Verum non arbitror esse in nostræ voluntatis potestate per naturalem virtutem et per vehementem intellectus attentionem circa objectum aliquod naturale, v. gr. mathematicam, directe et quasi in actu signato animam suspendere et abstrahere ab omni sensuum externorum operatione, seu ad exstasim pertingere.

Ex dictis refellitur error Montani qui dicebat prophetas non intelligere id quod vident, aut quod loquuntur, sed loqui tanquam amentes et sui impotes; uti etiam, juxta Hieronymum, asserebat Tertullianus. Exstasis enim fit cum perfecta cognitione et rationis judicio, etiamsi cum necessitate recipiatur aut contingat, sicut supra explicatum est.

CAPUT XX.

An contemplatio quoad actus voluntatis sit formaliter libera et meritoria in exstasi.

Dico 1 : In contemplatione, in qua anima elevatur ad cognoscendum sine dependentia a phantasmatibus, liquet rationem esse expeditam ad perfecte judicandum quomodocunque sensus sint dispositi, vel operando vel non operando ; ac proinde libertatis usum in voluntate sive ad amandum, sperandum, aut etiam credendum, si revelatio sit obscura, sive ad alios actus exercendos cognitioni quæ tunc habetur proportionatos, nullo modo impediri : in omni enim contemplatione, in qua intellectus judicium est liberum vel quoad speciem vel saltem quoad exercitium, etiam voluntas quoad actus suos est libera. Insuper :

Dico 2 : Etiam stante necessitate in intellectu abrepto cum tanta vehementia ad attendendum, ut a sensibus externis causet abstractionem, potest stare libertas in voluntate vel quoad exercitium vel etiam quoad speciem juxta considerationis et judicii intellectualis rationem. Nam quoad exercitium voluntas tunc non necessitatur a Deo, quia per suas gratias excitantes allicit, non necessitat voluntatem ad se amandum ; nec necessitatur ab objecto repræsentato, quia extra visionem beatificam nullum objectum quantumvis perfectum, voluntatem necessitat; abstractio enim a sensibus nihil facit ad tollendam libertatem, utpote non perturbans cognitionem, sed potius animæ afferens quietem ad amandum libere Deum. Insuper voluntas in eo statu potest etiam esse libera quoad speciem, ut patet in mentis excessu Salomonis (*III Reg.* III), et Petri (*Act.* X) ; nam illis fuit libera electio inter multa, et potestas unum amplectendi et alterum relinquendi ; ideoque Salomon placuit Deo, eo quod sapientiam potius, quam divitias aut vindictam de inimicis postulasset. Similiter Petrus invitatus ad comedendum aliquid commune, recusavit. Ratio est, quia licet in exstasi intellectus fortasse rapiatur ex necessitate ad aliquid considerandum, maxime dum divinam impressionem et revelationem recipit, ut accedit in Salomonis et et Petri mentis excessu, tamen non ita absorbetur mens in una objecti consideratione, ut non possit libere considerare in eo quod proponitur, aliquam commodi vel incommodi rationem ; ideoque potest vel tunc inveniri et haberi sufficiens judicii indifferentia ad libertatem, etiam quoad speciem.

LIBER III.

De vocali oratione in communi.

CAPP. I, II.

An oratio vocalis sit actus honestus et religiosus; quotuplex et quæ ejus partes.

Dico 1 : Licitum et sanctum est juxta omne jus et naturale et divinum et humanum preces fundere Deo, si debita fide et intentione fiant. De fide : *Voce mea ad Dominum deprecatus sum* (*Psal.* CXLI, 2). *Intende voci orationis meæ* (*Psal.* V, 3). Oramus enim vocaliter ut nos admoneamus, excitemus ad devotionem, tamque corpore quam spiritu Deum utriusque auctorem colamus. Nec solum orationis Dominicæ verbis, sed etiam aliis licet orare Deum vocaliter. Etiam de fide : de Christo enim legitur sic orasse, Matth. XXVI, 30 : *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Et I Cor. XIV, 26 : *Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet*, etc., quia dum Christus apostolos docuit orare : *Pater noster* (*Matth.* VI, 9), non prohibuit aliter orare, contra quosdam hæreticos Waldenses, dicentes nullas alias orationes esse præter Dominicam. Deinde oratio vocalis ut sit sancta et honesta, nullam requirit certam verborum formam. Oramus autem vocaliter, non quia putamus mentes nostras Deo latere, sed ut nos excitemus, etc.

Dico 2 : Oratio alia publica, quæ fit nomine publico ; alia privata quæ fit nomine proprio vel in loco publico vel in privato, et hæc privata potest fieri verbis quibuscumque voluerit orans pro suo affectu et arbitrio, publica autem debet fieri juxta certam verborum formam antea præscriptam ; adeoque vocaliter, quia Ecclesia quæ de interioribus non judicat, non potest præscribere certos conceptus vel affectus internos. Non tamen omnis oratio, quæ fit ex certa verborum formula, est publica, nec sub præcepto.

Dico 3 : Orationis partes seu actus, sanctus Paulus (*I Tim.* II, 1), hos quatuor enumerat : *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Eorum explicationem supra tradidimus. Possunt tamen adhuc alii dari, vel alii ad hos quatuor revocantur, v. gr. actus divinæ laudis vel ad gratiarum actionem, vel ad orationem ; allegatio causarum aut titulorum pro postulato obtinendo ad postulationem ; commemoratio operum Dei vel ad gratiarum actionem vel ad obsecrationem referuntur ; simplex Dei præsentia pene ad omnes quatuor revocatur. Votum et accusatio eorum qui nos persequuntur et ad peccatum sollicitant, non pertinent ad orationem.

CAPP. III, IV.

An intentio orandi et attentio sint de essentia orationis vocalis.

Dico 1 : Ad veram orationem necessario requiritur intentio seu voluntas ac propositum orandi, aut petendi aliquid a Deo. Unde si quis recreationis, aut studii causa legeret totum Officium divinum, non oraret ; adeoque præcepto non satisfaceret. Non sufficit enim ad orandum proferre aut legere talia verba, sed debent proferri aut legi cum affectu orandi seu petendi ; alioqui infans, dormiens, amens proferendo ejusmodi verba, diceretur orare. Et ista quidem intentio debet esse ex se honesta, etiamsi posset ex adjunctis circumstantiis interdum vitiari. Intentio autem orandi non necessario debet esse explicita et formalis, sufficit implicita et virtualis.

Dico 2 : Triplex est attentio : 1° ad materialia verba ut recte et integre dicantur ; 2° ad litteralem verborum sensum ; 3° vel ad spiritualem verborum sensum, vel ad Deum, vel ad rem pro qua oratur. Hac triplici distinctione supposita, certum est requiri aliquam attentionem formalem aut virtualem ad orationem vocalem, non tantum ut sit bona, sed etiam ut sit vera oratio ; et sic potest dici attentio esse de essentia aut substantia orationis : ita communiter D. Thomas, Cajetanus, Cordubensis, etc., quia oratio vocalis est quædam Dei adoratio : *Veri autem adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23). Deinde quælibet oratio est elevatio mentis in Deum : sicut enim qui sine ulla ad Deum attentione flectit genua eum non adorat, ita qui profert verba sine ulla attentione, eum non orat. Ad orandum igitur valide et sine peccato necesse est ad orationem accedere cum voluntate et proposito attendendi, et in eo perseverare saltem virtualiter. Quare ut oratio vocalis sit vera oratio, sufficit quælibet attentio ex tribus supra positis. Sed ad vitandam omnem culpam non semper quælibet sufficit : peccaret enim aliquis si habens primam tantum attentionem, voluntarie cogitaret simul de re otiosa aut turpi. Attamen ut oratio sit honesta, sufficit per se una ex illis tribus, etiamsi interveniret voluntaria melioris attentionis carentia, quia hæc circumstantia non est positive contraria orationis honestati. Contra autem si quis ex habitu, affectu, instinctu Spiritus sancti ita attendat ad Deum, ut distrahatur a cogitatione verborum, nil hoc obstat orationi vocali ; quia cum actuali attentione ad Deum, manet virtualis attentio ad verba. Imo licet voluntarie applicet intellectum ad cogitandum de Deo, directe volendo non attendere actualiter ad verba, tamen si humano modo, et cum deliberatione, convenientia et digna Deo verba proferat, sive absque præscripta, sive cum præscripta verborum forma memoriter aut legendo, non desinet esse vera et honesta oratio : quia semper simplex et tenuis advertentia ad verba intervenit, etiamsi non sit reflexiva ; reflexiva autem non est necessaria.

CAPP. V, VI.

Quænam requiratur attentio ad orationis vocalis effectus; et an vocalis oratio privata sit de præcepto.

Dico 1: Requiritur quidem ad orationis vocalis effectus aliqua attentio, sed non eadem ad omnes. Hujus autem effectus sunt impetratio, meritum, et satisfactio, et juxta D. Thomam, spiritualis mentis refectio, ad hanc refectionem liquet requiri actualem attentionem, ad impetrationem autem, et ad satisfactionem sufficit virtualis; sed dum actus interior cessavit, licet exterior oratio duret, et illa durante semper crescat satisfactio ex vi præcedentis intentionis et attentionis, meritum tamen gratiæ et gloriæ non crescit ultra illud, quod sic orans acquisivit, quamdiu actus interior duravit. Quoad privatam orationem vocalem, quamvis ordinarie videatur fructuosius idiotis illam facere in sua lingua vulgari cognita, dum fit in secreto loco, quam in ignota, tamen ad eam faciendam in ignota, v. gr. in Latina aut alia simili lingua, quam non intelligunt, sufficit ut sciant generalem verborum, quæ pronuntiant, significationem, nempe esse locutionem cum Deo tanquam supremo Domino ac benefactore, etc., etiamsi specificam eorum significationem non capiant; imo semper quorumdam verborum propriam significationem solent percipere, v. gr. nomen Dei, Christi Jesu, B. Mariæ, etc.

Dico 2: Ex vi juris naturalis, oratio vocalis non est sub præcepto. Naturale enim orandi præceptum sufficienter impletur per orationem mentalem ac sine vocali potest etiam ipse cultus Dei externus ac fidei professio exerceri. Insuper nec datur de ea præceptum positivum divinum in Scriptura, nec alibi; dum enim Christus docuit orare, dicendo: *Pater noster* (*Matth.* VI, 9), dedit formam orationis, non præceptum, saltem quoad singulos fideles. Deinde ista oratio potest fieri mentaliter; et sic satisfaceretur præcepto per orationem mentalem.

Dico 3: Non videtur dari præceptum ecclesiasticum, quo omnes fideles teneantur facere privatam orationem vocalem, contra Paludanum, Navarram, Durandum, etc., indicantes illam cadere sub obligatione, saltem peccati venialis. Neque reperitur ecclesiasticum præceptum recitandi voce orationem Dominicam, aut memoriter totam illius petitionum seriem tenendi, tenentur tamen illius substantiam, et quid possint ac debeant Deum orare, sufficienter scire; ideoque parentes suos liberos, et pastores suos subditos tenentur illam docere. Multo minus datur præceptum de salutatione angelica, aut *Salve, Regina*; nec de recitanda eadem salutatione angelica dum publicum campanæ signum vespere datur: est enim consuetudo devotionis non obligationis; nec obligatio in diebus festis assistendi vesperis et completorio, aut orandi privatim vocaliter tempore missæ, imo nec aliis temporibus orandi privatim vocaliter, uti nec ipsi clerici ante prandium: omnia enim quæ circa hanc privatam orationem vocalem præscripta inveniuntur, sunt consilia, non præcepta, ideoque suadenda est fidelibus frequens oratio vocalis.

CAPP. VII, VIII.

De circumstantiis servandis in oratione vocali privata; et explicatio orationis Dominicæ.

Dico 1: Præter internas orationis circumstantias quæ sunt bona intentio et attentio, aliæ sunt externæ; sunt: 1° *tempus*. Quovis autem tempore tum brevi tum longo potest fieri oratio vocalis; non sit tamen in nimia multitudine. 2° *Locus*. Privata oratio vocalis per se non postulat certam loci conditionem; sed in quovis loco potest fieri: *Volo viros orare in omni loco* (*I Tim.* II, 8). *In omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino* (*Psal.* CII, 22). Imo et in loco quantumvis vili et immundo, dummodo in eo conveniens attentio et reverentia ad Deum haberi possit; si enim detur attentioni impedimentum, non erit orationi aptus, v. gr. forum, etc. Deinde quamvis locus sacer per se conducat ad orationem, interdum tamen alius locus solitarius erit utilior. 3° Antiqua consuetudo orandi versus orientem ob varias causas: Primo, quia per orientem, juxta Justinum et Augustinum, majestas Domini nobis indicatur. Secundo, quia paradisus, inquit Gregorius Nyssenus et Basilius, in oriente positus erat. Tertio, quia, juxta D. Thomam, Christus in Scriptura oriens et sol justitiæ appellatur. Quarto, quia, ait Damascenus, Christus in oriente crucifixus fuit facie ad occidentem conversa. Quinto, ut Christiani, inquit Pemelianus, discernerentur a Judæis, qui ad occidentem orare solebant; templi enim tabernaculum erat versus occidentem dispositum. Licita et sancta est hæc consuetudo, sed non necessaria, maxime pro privatis orationibus; pro publicis autem, Christianorum templa ita construi consueverunt ut orientem respiciant. Sexto, modus orandi sive in voce, sive in gestu, sive in situ corporis decens ac reverens debet esse.

Dico 2: Sic oratio Dominica breviter explicatur: *Pater noster qui es in cœlis*, ista vox, *Pater*, potest dirigi et ad primam Trinitatis personam, et ad totam Trinitatem. Est autem Pater non tantum fidelium, sed etiam omnium infidelium seu viatorum. Dicitur esse in *cœlis*; quia ibi ostendit suam singularem majestatem, vel creando, conservando, dirigendo cœlos, vel beando homines, et sic viatores illam cogitando, elevant per fidem, spem, charitatem, suam mentem ad Deum. Per primam petitionem postulamus ut nomen, existimatio, sanctitas Dei ab omnibus cognoscatur, laudetur, ametur. Per secundam, oramus ut regnum Dei per gratiam hic, et per gloriam in vita futura adveniat. Per tertiam, oramus ut Dei voluntas complacentiæ, qua intendit aut cupit aliquid fieri, fiat; sive illa voluntas sit omnino absoluta et efficax, sive sit ex parte objecti conditionata et simplex complacentia. Per quartam, oramus panem et materialem et spiritualem sive Eucharistiam; in Græco ἐπιούσιον.

Per quintam, oramus peccatorum tum mortalium mediante gratia, tum venialium mediante etiam apta dispositione remissionem quoad culpam et pœnam; non ex opere operato per istam orationem, sed ex opere operantis. Hancque remissionem petere non tantum potest quilibet peccator cupiendo ut suum cor emolliat ac convertat, sed etiam quilibet justus; quia semper habet aliquid sibi a Deo remittendum sive quoad culpas veniales, sive quoad pœnæ reatum, sive quoad pœnalitates tum corporales hujus vitæ, tum spirituales, ut sunt denegatio consolationis spiritualis, uberioris auxilii, etc. Dum osor inimici dicit: *Sicut nos dimittimus*, non mentitur, quia non dicit *sicut dimitto*, sed *sicut dimittimus*; quod juxta D. Thomam (2-2, quæst. 83, art. 16), referri debet ad Ecclesiam; vel si ad ipsum referantur ista verba, debet intelligere se habere debitum aliis condonandi, quo expleto, poterit obtinere a Deo petitam remissionem. Per sextam, oramus ut Deus non permittat nos tentationi peccati succumbere. Per septimam, oramus liberari non tantum a dæmone, peccato, inferno, sed etiam ab hujus vitæ pœnalitatibus, omnibus temporalibus incommodis, peste, fame, bello, etc. Hanc petitionem septimam et tertiam omisit Lucas, quia virtualiter in aliis continentur. Denique dicitur *Amen*; quæ vox in fine orationis significat consensionem, et effectum ad factam orationem. Hæc oratio Dominica licet dicatur pro tota Ecclesia, dum dicitur tamen privatim, dicitur in sua privata persona, non totius Ecclesiæ nomine.

CAPUT IX.

De aliis orandi formulis in Ecclesia usitatis.

1. De parvo officio B. Virginis. Illud approbavit Pius V, et in eo varia alia.

2 De litaniis B. Virginis Lauretanæ eas approbavit Clemens VIII. Pro diversis orandi formis, quæ non sunt universales pro tota Ecclesia, sufficit approbatio episcopi vel alterius superioris legitimi, quia hoc non invenitur per canones prohibitum.

3. De salutatione angelica: *Ave* (id est salve, gaude), *gratia plena, Dominus tecum*: hæc verba ab angelo dicta sunt, et nomen Maria, additum est ab Ecclesia. *Benedicta tu in mulieribus*: ab angelo et ab Elisabeth dicta sunt. *Et benedictus fructus ventris tui*: a sola Elisabeth pronuntiata fuerunt; ac Ecclesia eis verbis adjunxit Jesus; uti et reliquam partem: *Sancta Maria mater Dei*, etc.

4. De rosario et corona B. Virginis: Illud constat ex centum et quinquaginta *Ave Maria*, et quindecim *Pater noster*; hæc ex tribus et septuaginta *Ave Maria* (juxta alios ex tribus et sexaginta) et septem *Pater noster* (juxta alios ex sex *Pater noster*). Corona creditur a piis hominibus inventa in memoriam et honorem totidem annorum quot B. Virginem in hac vita vixisse probabile est; ideoque vocata est corona, quia integrum B. Virginis vitæ circulum repræsentat. Rosarium autem quod habet quamdam Psalterii imitationem, licet multi credant initium sumpsisse a B. Dominico per divinam revelationem, videtur tamen longo ante tempore fuisse in usu. Dum illud recitatur ex obligatione voti aut pœnitentiæ sacramentalis, illi satisfit recitando alternatim cum socio; imo et recitando per partes in diversis diei horis. Ad lucrandam indulgentiam ipsamet recitatio rosarii, ad quam quis tenetur aliunde, v. gr. ex voto, aut ex pœnitentia sacramentali, potest sufficere. An vero dum quis tenetur ex voto aut ex pœnitentia sacramentali simul, aut ex superioris jussu, possit suæ obligationi satisfacere unica satisfactione, id pendet ex intentione voventis, aut confessarii aut imperantis.

5. De *Salve Regina*: magna elogia quæ in hac oratione illi attribuuntur, v. gr. *Regina, Mater misericordiæ, spes nostra*, etc., non illi attribuuntur ad æqualitatem cum Deo, sed ob singularem sanctitatem et dignitatem supra omnes angelos et homines.

6. De litaniis sanctorum omnium. Harum antiquitas et usus habetur ex conciliis Arausicano, Gerundensi, Bracarensi, Toletano, etc., ante mille annos celebratis. Nec solum in Ecclesia occidentali, sed etiam in orientali illarum usus est antiquissimus; ut patet ex codice Theodosii, tit. *De hæreticis*, l. 30, ex Socrate, Nicephoro, etc. Adeoque iste orandi modus non tantum privatus, sed etiam fuit in Ecclesia publicus et universalis; estque summa veritate et pietate plenus. Hinc constat istarum litaniarum inventorem et institutorem non fuisse sanctum Gregorium; ipse tantum illas variis in locis et sæpius indixit, maxime ob publicas calamitates. Litaniæ, quæ fiunt triduo ante Ascensionem, dicuntur *majores*, ob majorem olim pompam assistente episcopo; quæ autem fiunt die sancti Marci, dicuntur *minores*, ob minorem. Idem fer judicium cum proportione de litaniis B. Virginis Lauretanæ; sed hæ non sunt tam antiquæ.

LIBER IV.

De publica Ecclesiæ oratione et horis canonicis.

CAPUT PRIMUM.

De antiquitate et honestate chori ecclesiastici.

Nota: Duobus modis fit oratio ab aliqua communitate: 1° dum multi simul ad orandum conveniunt, sed unusquisque pro se orat quasi privatim, solam loci vel temporis vel materiæ habens cum aliis conjunctionem. 2° Dum una oratio funditur omnium nomine, ita ut omnes orent tanquam istius communitatis membra, et singuli ad illam orationem

partialiter aliquo modo concurrant sive voce, sive sua præsentia, ac consensu.

Dico : Chorus ecclesiasticus in quo extra missæ solemnia publicæ et communes orationes fiunt a populo Christiano aut ejus nomine, est sanctus et Spiritus sancti instinctu in Ecclesia introductus, ut antiquissima et universalis traditio manifestat, de fide. Patet ex I Cor. XIV, 40, ubi expresse agitur de istis ecclesiasticis conventibus, et concluditur his verbis : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.* Item Ephes. v. Deinde Clemens (lib. VIII, c. 34) sic incipit : « Precationes facite mane, » etc., agendo de oratione publica, et ibi enumerat horas canonicas. Idem habetur ex Justino martyre (apolog. 2), ex Tertulliano (*Apolog.*, c. 39), et maxime ex Basil. (Epist. 93, *Apolog.*). Ratio autem est, quia Ecclesia est unum corpus mysticum, in quo omnes unum sumus in Christo ; ideoque debet per modum unius Deum colere et adorare. Hinc instituti sunt ejusdem Ecclesiæ ministri et sacerdotes, quibus Ecclesia commisit suas vices, ut nomine totius corporis orationes fundant; ideoque ejusdem Ecclesiæ auctoritate institutæ sunt peculiares deprecationes, fundendæ omnium nomine, quæ vocantur divinum seu ecclesiasticum officium; estque unum et idem quoad substantiam pro tota et universali Ecclesia.

CAPUT II.

De partibus divini officii.

Nota : Partes ex quibus rite ordinatis componitur divinum officium, sunt hæ : psalmi, hymni, cantica, lectiones, responsoria, versiculi, benedictiones, capitula, invitatoria, antiphonæ, collectæ seu orationes ecclesiasticæ, oratio Dominica et angelica, Symbolum fidei, peculiares antiphonæ pro B. Virgine. Nunc breviter de his generatim et speciatim dicendum est. Itaque

Dico 1 : Omnes illæ divini officii partes aptissimæ sunt, sancteque ac prudenter fuerunt ad hoc divinum officium componendum assumptæ. Assertio hæc quoad omnes partes generatim sumptas censetur esse tanquam de fide ; quoad minutissimas autem videtur esse tam certa, ut sine gravi temeritate negari non possit. Id enim probat universalis Ecclesiæ auctoritas, et colligitur ex I Cor. XIV, Ephes. v, Col. III. Jam vero

Dico 2 : De singulis divini officii partibus sic :

1. De *psalmis*. Hos recitandi usus antiquissimus est, ut patet ex conciliis Laodicensi et Bracarensi, prohibentibus recitari in ecclesia alios psalmos præter canonicos seu Davidicos. Et ex Dionysio (c. 3 *De cœlesti hierar.*) ponente missæ initium sic : « Conversus (sacerdos) ad divinam aram psalmos canere incipit, cantantque cum eo omnes ecclesiastici ordinis. » Mosque finiendi illos per hæc verba : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, est etiam antiquissimus, cum Athanasius (*De virgin.*) sic doceat gratias agere post mensam : *Miserator et misericors Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.* Ac Basilius (*De Spir. sancto*, c. 27) dicit hunc morem glorificandi sanctam Trinitatem haberi ex apostolica traditione. Certe in initio liturgiæ Jacobi ita dicitur : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto trino et uno* Deinde crescente Arianismo, illorum usus fuit frequentior ; ac Damasus papa, suasu sancti Hieronymi, in fine cujuslibet psalmi præcepit adjungi : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.*

2. De *hymnis*. Licet non sint a scriptoribus canonicis compositi, tamen eorum auctores sunt gravissimi, nempe Ambrosius, vel Hilarius, et aliquorum etiam postea D. Thomas. Hymnorum usum in initio Ecclesiæ fuisse patet ex Ephes. v et Coloss. III. *Cantica* vero ex sacra Scriptura sumpta sunt, sicut psalmi; *Te Deum laudamus* vocatur hymnus, non canticum.

3. De *lectionibus*. Gelasius in can. *Sancta Romana*, d. 15, ait eas partim ex sacra Scriptura, partim ex homiliis sanctorum, et etiam indicat eas ex gestis sanctorum desumi ; idque clarius statuit concilium Carthaginense III, cap. 47, unde patet earum antiquitas. Uti et concilium Agathense, ante ab hinc mille et centum annos celebratum, facit mentionem de *antiphonis*, *capitulis*, *collectis* seu *orationibus*, etc.

Ex dictis colligitur licet totum officium divinum non constet ex solis Scripturis canonicis, tamen esse sancte distributum et concinnatum ex piis lectionibus, Scripturæ interpretationibus, aptis orationibus, aliisque rebus ad instructionem, meditationem, fervorem orantium conducentibus ; cumque sit institutum præcipue pro personis divino cultui dicatis, quas decet die ac nocte Dei laudibus vacare, ideo paulo longius confectum est. Dum eadem verba interdum repetuntur, id fit ad excitandum spiritum et devotionem augendam. Denique istarum parium varietas diversas etiam habet utilitates.

CAPUT III.

De divisione ecclesiastici officii in nocturnum et diurnum.

Dico 1 : Officium ecclesiasticum vocantur *horæ canonicæ* : vocantur horæ a certa diei hora, in qua recitari debet aliqua ejus pars ; et *canonicæ* a regula juxta quam debet recitari. Præter divisionem diei naturalis in viginti quatuor horas æquales, olim nox in quatuor partes, et dies artificialis in quatuor partes æquales inter se dividebatur : noctis partes dicebantur vigiliæ, nempe prima, secunda, tertia, quarta noctis vigilia; diei artificialis partes dicebantur *horæ*, et unaquaque harum horarum continebat tres alias : hinc vocabantur prima, tertia, sexta, nona ; a suo fine tamen, non a suo initio, ita ut diceretur tertia quando incipiebat sexta ; et sic de aliis. Apud Judæos hæ quatuor horæ erant peculiariter distinctæ ad orationem funden-

dam intra aliquam singularium partem, ut patet ex Scriptura : *Et mane oratio mea præveniet te* (*Psal.* LXXXVII, 14). *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam* (*Act.* III, 1). *Petrus ascendit ad superiora, ut oraret circa horam sextam* (*Act.* X, 9). Unde

Dico 2 : Convenientissime divinum officium fuit ab Ecclesia distributum in partem nocturnam et diurnam, prout habetur cap. *Dolentes*, De celebr. missar., cap. *Placuit*, d. 12 ; et patet ex I Paral. IX, 33, ubi constituti dicuntur Levitæ, *ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent*. Item David ait : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII, 62). De diurna oratione passim habentur Scripturæ testimonia : *Vespere, mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam* (*Psal.* LIV, 18). Hunceque fuisse perpetuum Ecclesiæ morem manifestatur ex Tertulliano, in *Apologet.* ex Basilio, Cypriano, Ambrosio, etc.; frustra hic adderemus istius nocturnæ et diurnæ orationis ita per horas distributæ utilitatem et sanctitatem.

CAPP. IV, V.

De partitione nocturni et diurni officii.

Dico 1 : Convenientissime nocturnum officium ab Ecclesia distributum est in Matutinum et Laudes. Cum autem sæpe Matutinum constet tribus nocturnis, ideo Durandus, Navarra, Soto, et alii dicunt primum nocturnum in prima noctis vigilia ; secundum in secunda; tertium in tertia ; Laudes in quarta, recitari olim solitas fuisse : sed hoc videtur valde incertum, quia Matutinum, ut colligitur ex Ambrosio, Hieronymo, etc., inchoabatur media nocte ; et in feriali officio est tantum unum nocturnum. Attamen posset dici non semper, sed aliquando, v. gr. in diebus Dominicis ac festis ad majorem solemnitatem et devotionem, alicubi, non ubique, istum morem recitandi tres nocturnos divisim et interrupte per tres noctis vigilias servatum fuisse ; dicique tres nocturnos in honorem ac memoriam sanctissimæ Trinitatis. Laudes autem juxta antiquam institutionem tempore distincto et separato a recitatione trium nocturnorum, vel nocturni, qui nocte intempesta dicebantur, prope auroram ad galli cantum tanquam distinctum officium recitabantur. Jam vero usus obtinuit ut Laudes, finitis nocturnis vel nocturno, continue dicantur; quod tamen non esse novum colligitur ex Hugone de sancto Victore. Imo creditur hæc consuetudo in Ecclesia Romana semper fuisse servata, ut Laudes statim post Matutinum continue dicerentur, ut refert Amalarius, lib. *De ordin.*

Dico 2 : Officium diurnum dividitur in Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, Completorium, ut habetur ex cap. *Dolentes* 1, De celebr. missarum et ex cap. *Presbyter*, d. 91. Ex his sex partibus, celebriores inveniuntur Tertia, Sexta et Nona apud antiquos Patres et Scripturam (*Act.* III, X; *Marc.* XV; *Dan.* VI ; S. Clem., Basil., etc.). Vesperæ autem satis indicantur psal. LIV, 18 : *Vespere et mane et meridie narrabo*, etc.; et psal. CXL, 2 : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. De Primæ autem et Completorii institutione quamvis non inveniatur tam certa notitia, probabile est tamen etiam ab apostolis traxisse originem, istaq duo officia distincta fuisse instituta longe ante Cassianum sancto Hieronymo coætaneum, dicentem in suo monasterio Bethlehemitico introductum more recitandi Primam, et suo tempore primitus institutam istam functionem canonicam ; cum Clemens, *Constit.*, c. 34, jam illam præcipiat. Idem dic de Completorio, etiamsi sub isto nomine *Completorii* non videatur tam antiquum.

CAPUT VI.

De numero horarum canonicarum.

Dico 1 : Horæ canonicæ non sunt plures quam octo ; quia aliæ preces aut officia, v. gr. officium B. Virginis ab Urbano II, ante ab hinc sexcentos circiter annos in concilio Claramontano, ut creditur, institutum ; Officium defunctorum, Psalmi graduales et pœnitentiales cum litaniis, sunt tantum aliquid quasi annexum horis canonicis, earumque numerum non augent : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII, 164).

Dico 2 : Numerantur tantum septem horæ canonicæ, juxta communem loquendi modum et Breviarium Romanum, contra quosdam dicentes esse octo, aut saltem fuisse olim octo, quia tunc Laudes separabantur a Matutino, et diverso tempore recitabantur ; sed quamvis nunc in recitatione privata, et etiam in publica si rei novitas non officiat, possint adhuc Laudes separari a Matutino, imo Matutini nocturnus unus ab alio ex justa causa, recitando privatim ; tamen id non probat Matutinum et Laudes esse duas horas distinctas. Dum autem fit separatio, in fine nocturnorum dicenda est oratio. Denique quando hæc divisio recitandi horas canonicas, forma ac numerus inceperit, non satis constat, sed paulatim ab imperfectiori ad hanc perfectam normam perventum est.

CAPP. VII, VIII.

De modo recitandi et canendi horas canonicas.

Dico 1 : Horæ canonicæ, prout ab Ecclesiæ ministris dicuntur, debent necessario recitari voce sensibili, ex præcepto Ecclesiæ, quæ non potest convenienter orare per suos ministros, nisi signo sensibili exprimant ipsius orationem, non enim interna cognoscit nec judicat. Clericus tamen privatim recitans satisfacit submissa voce eas dicendo, etiamsi possit etiam alta voce et psallendo illas dicere, modo non præbeat scandalum aut aliis non sit impedimento. Privatim recitans cum socio, tenetur ita alte dicere, ut ab alio audiri possit ; solus autem recitans satisfacit, si ita verba formet, ut seipsum, seclusis impedimentis, audire possit.

Dico 2 : Quando officium ecclesiasticum pro

fidelium usu in Ecclesia recitatur, necesse est alta voce proferri, ut assistentes fideles excitentur ad devotionem, ad petitionem vel ad laudem Dei ; non recitatur autem lingua vulgari, ne indocta plebs capiat inde occasionem errandi aut vilipendendi sacra mysteria.

Dico 3 : Ea est sanctissima consuetudo, ut horæ canonicæ cum cantu et psalmodia in ecclesia dicantur. De fide contra Waldenses et Wicleffistas hæreticos orationem vocalem, et maxime modum dicendi horas canonicas canendo, arguentes. Probatur : 1° ex concilio Tridentino (sess. 23, cap. 18) et ex Scriptura. Nam tempore Moysis fuit consuetudo canendi divina cantica (*Exod.* xv, *Deut.* xxxii); et tempore Davidis cœpit usus canendi psalmos et laudes Dei in cithara, ut habetur ex II Reg vii, ex I Paral. v et vi et alibi. 2° Ex consuetudine nascentis Ecclesiæ tam Græcæ quam Latinæ, etiamsi in Pontificali tribuatur Damaso iste cantus, qui forte in meliorem formam illum redegit. Nam fit illius mentio in can. 43 et 69 apostolorum, ac in Clemente, lib. viii *Constit.*, c. 34, etc. 3° Ratione, quia varias habet utilitates : « Tristia » enim « corda, » ait Isidorus (*Sentent.*, l. iii, cap. 7), « consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat, » etc. Aliaque similia habent Justinus, Basilius, Augustinus, etc. Deinde dum loquimur cum Deo sive alta, sive submissa voce, non id facimus, quasi non possit Deus aliter nostra sensa percipere; sed quia hoc expedit nobis. Nec ecclesiasticis personis, aut quibusvis aliis etiam celsæ dignitatis viris indecorum est sic laudes Deo canere. De obligatione horas recitandi, postea dicetur.

Dico 4 : Cantus organicus, quem figuratum appellant, seu musicis notis compositus, in missa et in divinis officiis per se non est malus, nec jure ecclesiastico simpliciter prohibitus : Joannes enim secundus, in extrav. unica, prohibuit tantum indecentem ejus modum et indecoras ac profanas modulationes ; nec certe illi per consuetudinem derogatum est. Et quamvis interdum psalmi vel hymni hoc modo decantati non ita perfecte percipiantur, tamen vel sic possunt excitare sua melodia fideles ad majorem devotionem, et mentis in Deum elevationem, atque ad novam mysterii æstimationem, præterquam quod in tali cantu nihil sit contra clericorum decentiam et officii sanctitatem.

Dico 5 : In hoc cantu ecclesiastico licitum est etiam uti instrumentis musicis, quæ videtur D. Thomas improbasse tanquam in lege nova inutilia; sed dicendum est moderatum et gravem horum instrumentorum usum nec per se esse indecentem pro officio ecclesiastico, ut patet ex vetere lege et ex antiquissima consuetudine, nec ullo jure ecclesiastico prohibitum. Attamen quando aliqua pars, aut versus divini officii per organum vel aliud instrumentum decantatur, expedit ut non fiat sine aliquo vocis cantu.

CAPUT IX.

Ad quas personas spectet canere horas canonicas publice in choro.

Dico 1 : Munus hoc cantandi publice horas canonicas per se loquendo spectat ad personas ecclesiasticas, seu ad peculiares Ecclesiæ ministros, non vero ad totam plebem, quæ incondite vociferando, et confusionem pareret et devotionem ac reverentiam tolleret. Hinc in templis semper particularis locus deputatus est, in quo clerus seu divinorum officiorum ministri se recipiant, et sint a populo separati, de quo fit mentio in concilio Toletano iv, cap. 18. Sed licet hoc munus cantandi divinum officium non spectet ad totam fidelium plebem, tamen non est ita proprium clericorum, ut ipsi soli ad illud assumantur; possunt enim etiam alii assumi. Unde Isidorus (lib ii *De divino officio*, cap. 12) facit mentionem de psalmistis seu cantoribus, quos Ecclesia alere et instruere solet ad cantandi ministerium. Ili psalmistæ per se non erant clerici. Psallere igitur in ecclesia non est officium alicui ordini per se affixum, sed de se potest esse commune cuilibet Christiano. Hinc institutum est, ut non solum per clericos, sed etiam per laicos ac per religiosos, imo et per feminas religiosas horæ canonicæ publice canantur; ita tamen ut personæ ad hoc ministerium deputatæ, sint ecclesiasticæ, id est peculiari modo aliquo ad divinum obsequium destinatæ. Itaque :

Dico 2 : Hoc munus pertinet quidem et ad clericos et ad religiosos, sed diverso modo : ad clericos propter audientes et usum populi, ad religiosos propter seipsos et suam devotionem; deinde nec omnes clerici debent in cantu occupari, sed solum illi qui superfuerint ex aliis gravioribus ministeriis. Unde Gregorius, cap. *In sancta Romana*, d. 92, prohibet ne diacono imponatur onus cantandi tanquam debitum sui officii ad quod vel ordinetur vel principaliter eligatur; nec in eo munere ita occupetur, ut a studio et ab officio prædicandi impediatur : atque hoc juxta antiquum morem, quo diaconis solebat committi officium prædicandi verbum Dei, ut patet ex Clemente, epist. 1 et 2, etc. Sed nunc hæc consuetudo fere cessavit; diaconi enim nunc nullum fere aliud munus exercent, nisi cantandi in missa solemni evangelium, adeoque ista Gregorii prohibitio videtur cessasse.

CAPUT X.

Quænam personæ et quo in loco teneantur publice horas canonicas dicere.

Dico 1 : Munus hoc publice dicendi horas canonicas in ecclesia, est sub obligatione præcepti impositi Ecclesiæ ministris et clericis ad id officium deputatis (cap. ult. dist. 92, et cap. 1 *De celeb. missarum*). Istud enim officium est, ut in ecclesia publice dicatur non pro sacerdotibus seu clericis tantum, sed etiam pro toto populo ad ei assistendum. Hoc præceptum publice canendi officium divinum, quoad ecclesias sæculares, obligat ut quo-

tidie in cathedralibus et collegiatis fiat hoc officium, ut habetur ex Clem. 1, *De celebr. missar.* Idemque servandum est in quibusdam parochialibus pinguioribus et habentibus plura beneficia, ita ut omnes horæ canonicæ quotidie dicantur, maxime si sit talis consuetudo; in aliis autem parochialibus, ubi est parvus populus et tenuis census, communiter obtinuit consuetudo ut officium canonicum in eis non dicatur publice, præterquam in diebus festis; et in eis quidem non solet dici totum officium, sed tantum in missa ante prandium, et vespere post prandium; sed pro simplicibus ecclesiis seu capellis nihil jure communi statutum est, adeoque standum illarum statutis approbatis.

Dico 2 : In regularibus ecclesiis datur obligatio dicendi publice horas canonicas juxta cujusque religionis institutum et consuetudinem. Sumitur ex eadem Clem. 1, *De celebr. missar.*, in qua cum ecclesiis cathedralibus et collegiatis apponuntur etiam regulares; sed hæc supponit aliunde obligationem vel ex religionis instituto vel ex consuetudine, et præcipit ut debito modo id fiat.

Dico 3 : Hæc obligatio cadit præcipue in prælatum, rectorem aut superiorem cujusque ecclesiæ, utpote qui juxta dictam Clementinam tenentur sollicitam curam adhibere, ut debitis horis id officium psallatur aut celebretur; deinde descendit ad singula istius communitatis membra, sed non eodem modo : nam clerici seu sacerdotes sæculares licet ex vi suæ ordinationis teneantur recitare horas canonicas, non tamen ex vi istius ordinationis tenentur eas in choro publice dicere, sed tenentur tantum ii qui sunt alicui ecclesiæ deputati, id est qui in ea habent beneficium, quod ob tale servitium datur, vel talem habet annexam obligationem; v. gr. canonici, præbendarii, beneficiati, parochi in suis ecclesiis. Quod attinet ad episcopum, per se loquendo non tenetur ad chorum, nisi forte quibusdam diebus festis vel solemnibus in quibus consuetudo et publica ædificatio id postulat, utpote gravioribus occupationibus impeditus; in capite enim ultimo, dist. 92, non fit mentio episcopi. Optimum tamen consilium videbitur, ut diebus Dominicis ac festis, nisi causa urgens impediat, ipse officio adsit; et in diebus solemnioribus poterit fortasse intervenire obligatio, saltem pro tempore missæ aut Vesperarum vel etiam pro Matutino; sed consuetudinis habenda est etiam ratio; denique cavere debet prælatus ne videatur hanc curam omnino negligere. Nunc quoad religiosos :

Dico 4 : Religiosi qui chorum profitentur, non tenentur ex vi generalis præcepti obligantis sub mortali, ad recitandas horas in choro, nisi ubi fuerit particularis ipsorum constitutio. Unde facilius potest excusari religiosus ab hoc munere canendi in choro sine levi culpa, quam clericus sine gravi aut mortali, dum ratione sui beneficii ad id tenetur; quia unusquisque religiosus in particulari tantum tenetur ex vi suæ regulæ, ordinarie obligantis tantum sub reatu pœnæ, non culpæ, adeoque si levis aut moderata causa interveniat, poterit ab omni culpa liberari, modo privatim officium suum recitet; idemque est de ipso religiosorum prælato gravioribus sæpe negotiis occupato, qui tamen debet aliis exemplo prælucere. At vero clericus per se loquendo ratione sui beneficii et stipendii ex lege justitiæ tenetur hoc ministerium præstare suæ ecclesiæ sub culpa gravi ex suo genere; ideoque non solvendo suum debitum peccat mortaliter, nisi ex levitate materiæ, vel ex gravi causa legitime excusetur : lex enim justitiæ ex suo genere obligat sub mortali. Potest autem dari causa quæ a culpa excuset; sed si sit diuturna, oportet ut legitima superioris facultas vel dispensatio interveniat.

Hinc collige canonicos aliosque beneficiatos, qui quotidianas retributiones ob assistentiam in choro, accipiunt, non posse illas tuta conscientia accipere, nec acceptas retinere si choro non intersint, ut habetur in capite unico *De cleric. non resid.*, in 6, sic : *Exceptis illis quos infirmitas aut justa corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusarent.* Item Tridentinum (sess. 24, cap. 12); additque canonicos assistentes non posse ipsas retributiones absentibus remittere; sed vult ut ipsi eas, quibus absentes privantur, accipiant. Denique tenentur clerici dicere officium ecclesiasticum in ecclesiis seu templis ad hoc munus deputatis.

CAPUT XI.

Quodnam officium divinum in choro sit recitandum.

Dico 1 : Omnes ecclesiæ, ex bulla Pii V, tenentur recitare officium divinum juxta formam Breviarii Romani, exceptis iis quibus fuit forma officii ab apostolica sede approbata et ducentorum annorum consuetudine ante bullam dictam roborata; possunt tamen hi Romanam formam suscipere, sed susceptam semel non licet iis relinquere. Hæc lex Pii V de recitando juxta formam Romanam officio, obligat ubique, estque non tantum præcipiens, sed etiam irritans omnem alium modum recitandi, ita ut non satisfiat præcepto aliter recitando; insuper obligat in publica oratione ad recitandum determinate tale temporis vel diei officium, et non aliud, ita ut nequeat prælatus dispensare permanenter etiamsi ex causa; cum causa vero possit quasi transeunter. Deinde in publica recitatione quæ fit in choro, servandus est non solum ordo totius seu unius horæ inter partes, sed etiam partium seu horarum inter se, idque ex præcepto pro choro.

Dico 2 : Interpolatio seu interruptio totius chori facta in aliqua hora canonica præter institutionem, est peccaminosa; dixi *præter institutionem* ut excludam interpolationem inter tres nocturnos vel inter se vel a Laudibus. Vide dicta superius. Cessatio alicujus assistentis a cantu, sed non a recitatione, non dicitur interruptio; si autem et recitatio cesset, tunc talis cessatio moraliter æquivalet omissioni

partiali alicujus partis, quæ si fuit parva potest repeti seu recitari expleto officio. At interruptio per actionem incompossibilem cum divino officio, longe gravior est culpa.

CAPUT XII.

An satisfaciant clerici in choro alternis versibus psalmos canendo; et quid in hoc servare teneantur.

Dico 1: Mos est Ecclesiæ antiquissimus ut in horis canonicis psalmi alternatim per singulos versus a psallentibus dicantur, primum, uti referunt Radulphus, Amalarius, etc., introductus a sancto Ignatio in ecclesia Antiochena, cum audisset angelos decantantes alternatim hymnos in laudem SS. Trinitatis, et inde per Orientem propagatus fuit. Hinc constat unumquemque psallentium aut publice recitantium suo muneri satisfacere, si postquam versum ad se pertinentem dixit, alium dicentem attente audiat. Sic enim Ecclesia constituit ad majorem facilitatem, devotionem, attentionem, etc.

Dico 2: Clericus qui assistens in choro omittit versus ad se pertinentes, ita ut nec illos cantet nec voce submissa recitet, si non habeat propositum recitandi iterum postea privatim officium suum canonicum, suæ obligationi non satisfaceret, audit enim tantum, non recitat. Si autem habeat propositum iterum recitandi illud privatim, tunc dic de eo idem ac de non psallente, sed submissa voce recitante. Quare:

Dico 3: Is qui aliis in choro canentibus non canit, sed tantum submissa voce recitat versus suos seu ad se pertinentes versus, recitat integrum officium, quia habet unam partem a se recitatam, et alteram ab aliis canentibus sibi communicatam, etiamsi ipse suam aliis non communicet, adeoque suæ recitandi divini officii obligationi satisfacit; sed arbitror eum non satisfacere debito chori servitio, quia ejusmodi clerici habent specialiter reditus ecclesiasticos, ut choro non tantum assistendo, sed etiam psallendo inserviant: ergo si non psallant, non implent suum officium ac servitium, ergo contra justitiam peccant, adeoque mortaliter ex genere suo. Atque id etiam aliquo modo colligitur ex concilio Tridentino (sess. 24, cap. 12). Hinc sequitur istos non solum peccare, sed etiam non facere suas distributiones quæ assistentibus choro dantur, saltem quoad dimidiam earum partem, quia implent tantum sui servitii partem dimidiam ad summum, assistendo choro, et audiendo devote alios psallentes. Si sola tamen ministrorum præsentia vel ex fundatione vel ex consuetudine rationabili requiratur, tunc et suo muneri satisfaciunt, et distributiones possunt facere suas, etiamsi non cantent in choro; sed ista consuetudo debet esse talis, ut non diminuat notabiliter divinum cultum, alioqui esset irrationabilis et contra religionem et contra justitiam. Ecclesiæ igitur sufficienter prospiciendum est de cantoribus, v. gr. capellanis, portionistis, etc., ut officium divinum pro dignitate fiat, et verisimile est horum cantorum stipendia aut portiones seu fructus determinatos fuisse ex reditibus, qui ad canonicos pertinere debuissent; ideoque sicut divisum est emolumentum, ita et onus. Hinc illi choro assistunt et per seipsos cantant; hi assistunt et cantant per alios.

Dico 4: Non tenentur clerici unius chori, dum alius chorus cantat, quidpiam submisse recitare seu dicere submissa voce quod alius cantat, sed debent tantum audire, et quasi per alios canere; imo non expedit id facere, possentque peccare venialiter perturbando seipsos, circumstantes, et canentes, ac minuendo propriam attentionem. Qui tamen submisse sic recitat versum ab alio choro cantatum, implet per se loquendo præceptum et recitandi officii, et inserviendi choro, ac potest non peccare. Dein una pars chori dum tacet, tenetur attendere ad aliam quæ cantat, et ad utramque canonicus seu præbendarius qui ex consuetudine satisfacit choro per præsentiam nil cantando, nempe ut suo muneri assistendi choro satisfaciat. Atque hæc de psalmis, nunc quoad alias officii partes:

Dico 5: In iis quæ ab uno tantum solent dici, v. gr. lectiones, initia antiphonarum aut psalmorum, oratio, capitula, etc., sufficit audire dicentem, seu canentem, nec oportet nec expedit illa privatim legere, saltem voce recitando. In iis quæ a duobus cantantur, v. gr. versiculi, aut a pluribus, v. gr. responsoria, et interdum psalmi ad organum, satisfit etiam audiendo et expedit nil aliud addere. In iis autem quæ a toto choro simul dicuntur, tunc omnes qui ad cantum tenentur, debent cantare. Si quid leve horum ab aliquo omittatur fortuito, satius est inter recitandum, nil repetere. Denique debent omnes secreto dicere *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Confiteor*, ubi dicenda sunt.

CAPUT XIII.

De omissione, mutilatione, additione officii divini in choro.

Dico 1: Privare omnibus horis canonicis ecclesiam, in qua est ad illas obligatio, per integrum diem naturalem, est peccatum mortale, quod committitur ab omnibus qui sunt istius omissionis causa, vel ad eam cooperantur, maxime ab eo cui cura ecclesiæ incumbit. Item omittere quamcunque horam integram divini officii in choro, est etiam gravis transgressio, nec potest prælatus in hoc dispensare, nisi adsit tam gravis necessitas, ut prudenter judicetur præceptum non obligare in tali casu; ideoque idem dicendum est de notabili cujusquam horæ parte, qualis videtur esse, ut postea dicetur de privata recitatione, tertia pars, imo et minor pro publica. Atque hæc omissio intelligitur de omissione officii quæ fit publice a toto choro, quæ ut talis, non potest compensari per privatam recitationem. Dum quis autem in particulari publici officii aliquid omittit, animo id supplendi postea per privatam recitationem, licet possit etiam peccare mortaliter ob defectum concurrendi cum

choro, nisi levitas materiæ ab eo excuset, tamen si ista omissio per absentiam a choro pro aliqua parte horæ non sit tanta, ut veniat digna privatione distributionis illi horæ correspondentis, procul dubio non sufficit ad peccatum grave; consuetudine enim vel statuto receptum fere est, ut qui chorum ingreditur ante primum finitem horæ psalmum, non multetur, etiamsi circa istius psalmi finem ingrediatur: habeturque in concilio Basileiensi (sess. 21, § 2), et in aliis aliquid simile. Secus vero dicendum foret, si quis formale vel virtuale propositum haberet semper omittendi in singulis horis illas partes, quas sine multa omittere potest. Non hinc tamen sequitur eum, qui omittit horæ partem majorem illa, quæ sine multa omitti potest, statim peccare mortaliter, si propositum habeat illam postea privatim recitandi; imo nec propter absentiam unius horæ integræ a choro cum onere omittendi partem distributionum, videtur statim damnandus peccati mortalis, si illam privatim recitet. Quidam id extendunt ad unius diei absentiam, sed hoc videtur periculosum.

Dico 2: Omnis modus canendi horas in choro cum aliqua versuum aut verborum mutilatione, de se peccaminosa est; et licet ordinarie videatur in hoc intervenire tantum culpa venialis, interdum tamen posset esse mortalis, si nimia sit verborum mutilatio: posset enim ex omnibus sic omissis fieri pars notabilis horæ; graviorque est culpa hæc mutilatio dum fit a toto choro, quam dum fit ab uno, alterove. Ad hunc defectum reducitur celeritas: hæc enim non fit sine verborum syncopa.

Quod attinet ad parvum officium B. Virginis, officium defunctorum, Psalmos graduales et pœnitentiales, ab his in choro recitandis Pius V exemit illos qui Breviario Romano utuntur, non autem alios qui illo non utuntur. Verumtamen pro illis ecclesiis in quibus erat consuetudo recitandi parvum officium B. Virginis, nihil innovavit circa hoc officium, easque reliquit in sua consuetudine. Sed quoad officium defunctorum, Psalmos graduales et pœnitentiales, sunt exemptæ ut aliæ. Pro cæteris ecclesiis quæ non utuntur Breviario Romano, consulenda est earum consuetudo, aut specialia statuta.

Dico 3: Qui privata auctoritate aliquid divino officio addit in choro, peccat: 1° si addat aliquid quasi perpetuo ritu servandum; 2° si ex occasione alicujus solemnitatis addat aliquid quod non est in Breviario, v. gr. antiphonas, hymnos, orationem alicujus sancti; 3° si aliquid indecens, lascivum aut profanum interponat inter officii partes, quod vocant vulgo *motetum*: si tamen hæc *moteta* sint pia et honestus illorum cantus, non erit peccatum illa interponere, vel simplicem organi sonum, modo non hic sit ad lasciviam accommodatus.

CAPUT XIV.

De attentione ac devotione in choro servanda, ac situ.

Dico 1: Præceptum latum in cap. *Dolentes*, præcipiens ut officium divinum *studiose* et *devote* celebretur, est proprium et rigorosum præceptum, et unicum quidem quo duo præcipiuntur, nempe integritas officii per particulam *studiose*, et attentio per particulam *devote*. Et quoad hunc internum attentionis actum, qui est modus recitandi, non est novum præceptum; sed idem ac antiquum, et in choro etiam obligat. Unde licet per distractionem involuntariam non violetur, potest tamen per voluntariam atque committi peccatum mortale, si voluntarie per notabilem officii partem distrahatur sine animo postea iterum recitandi; si autem habeat quis propositum iterum postea recitandi, etiamsi voluntaria distractio per notabilem horæ partem, aut per integram horam duret, modo choro assistat vel cantet, satis probabile est eum non peccare mortaliter, aut saltem incertum est. Cæterum non videtur teneri ad restituendas distributiones. Fieret tamen peccatum grave, si ejusmodi distractio prodiret in actiones externas attentionem chori graviter impedientes.

Dico 2: Quoad externa devotionis signa in choro servanda, gestum et habitum corporis, nihil in jure circa hæc specialiter determinatum est. Ex natura rei religiositas ac decentia requiritur.

CAPUT XV.

De tempore singulis horis canonicis præscripto pro publico chori officio.

Dico 1: Habent horæ canonicæ ex speciali chori obligatione certa tempora ab Ecclesia designata, ut constat ex cap. 1 *De celebr. missar*, etc. Quare Matutinum, maxime prout distinguitur a Laudibus, secundum jus proxime post dimidiam noctem inchoandum est, hæcque fuit prima institutio, ut sumitur ex dicto cap. 1. Si quandoque alicubi fuerint separatim recitati tres nocturni juxta noctis vigilias, tunc inchoati fuerunt ante dimidiam noctem. Jam vero ista prima institutio varie in variis locis magna ex parte immutata est. Prima dicenda est in prima diei hora, orto moraliter sole, seu circa solis ortum. Tertia, Sexta, Nona dicendæ sunt in temporibus, quæ ipsæmet designant, in earum tamen fine potius quam initio: sed nunc Tertia et Sexta ante missam solemnem, vel Sexta post missam, uti et Nona vel serius dicitur. De fixo Vesperarum tempore juxta primam institutionem, non satis constat: multi existimant post solis occasum dici consuevisse; alii tamen probabilius censent proprium illarum tempus olim fuisse ultimam diei horam in ejus initio, vel illa currente ante solis occasum, ut colligunt ex Athanasio, Hieronymo, etc. Denique Completorium, licet constet olim dici solitum post solis occasum, an tamen post noctem inchoatam, vel ante, incertum. Sed nunc Vesperæ circa secundam horam pomeridianam in hieme, et circa tertiam in æstate dici solent, et statim post illas Completorium.

Dico 2: Horæ canonicæ in publica chori recitatione, ubi ex obligatione dicuntur, debent recitari

horis debitis, quæ ex recepta cujusque provinciæ aut regionis consuetudine desumendæ sunt; videturque esse sub gravi ex genere suo obligatio observandi in choro statuta recitandarum horarum tempora, et posse peccari graviter si fiat enormis vel scandalosa, vel frequens ac quasi habitualis illarum immutatio. Prælati tamen ex rationabili causa in hisce statutis officii horis possunt dispensare.

CAPUT XVI.

An omnes clerici ex vi suæ ordinationis teneantur recitare horas canonicas.

Dico 1 : Certum est clericos, qui sunt in sacris constituti, teneri ex præcepto recitare quotidie horas canonicas, etiamsi beneficium non habeant, neque ex officio aut aliunde ad chorum obligentur. Hoc quidem præceptum immediate obligans clericos ad horas recitandas, non est divinum, ut volunt quidam canonistæ, nullibi enim tale jus invenitur; sed istud ministerium respectu clericorum habet magnam decentiam ex jure divino naturali. Propria tamen præcepti obligatio non solum quoad temporis aut modi determinationem, sed etiam quoad ejus substantiam manat ex lege ecclesiastica, quæ colligitur ex cap. *Presbyter*, d. 31. Attamen de diacono et subdiacono nullum est in jure expressum præceptum, sed consuetudine ad illos extensum est, vel ita declaratum.

Dico 2 : Clerici in minoribus constituti, nullum beneficium ecclesiasticum habentes, non tenentur recitare horas canonicas : ita communiter theologi contra prædictos quosdam canonistas, qui idem asserunt de his ac de aliis in majoribus ordinibus constitutis, nempe illos teneri ex jure divino. Neque tenentur ex consuetudine recitare parvum officium B. Virginis, nec septem psalmos pœnitentiales, aut quindecim graduales, imo nec sub hac obligatione potest episcopus eos ordinare. (Paludanus, etc.)

CAPUT XVII.

An religiosi professi teneantur horas canonicas recitare, etiamsi sint in sacris constituti.

Nota : Certum est religiosam professionem ex natura rei, et ex se non afferre secum obligationem recitandi horas canonicas; quædam enim sunt religiones nullo modo ad chorum deputatæ vel laicorum, vel etiam clericorum, qui non assumunt istud onus, quandiu non sunt sacris initiati. De his non agimus, sed iis quæ sunt ad chorum deputatæ. Ergo :

Dico 1 : Religiosus in religione ex vi sui status chorum profitente et ad eum in communi obligata, nondum sacris initiatus, si in choro non recitavit, tenetur privatim horas canonicas recitare. Non tamen novitii, nec laici etiam professi, qui *conversi* dicuntur. Idemque est de monialibus *conversis* : nam de monialibus ad chorum professis idem dicendum est ac de monachis ad chorum similiter professis juxta communem doctorum sententiam.

Dico 2 : Hæc obligatio religiosorum professorum ad recitandas horas canonicas non provenit ex jure divino naturali ad cultum Dei pertinente, nec ex naturali justitiæ lege respectu populi Christiani a quo adjuvantur, sed fundatur in consuetudine præscripta : ita communiter theologi, Cajetanus, Medina, Soto, etc. Hinc ejusmodi religiosus professus nondum sacris initiatus, si dispensetur ad manendum perpetuo in sæculo, probabilis tenetur ad hoc officium canonicum recitare; multo magis apostatæ, imo et ad triremes damnati si tunc possent.

CAPUT XVIII.

An clerici beneficium habentes teneantur recitare horas canonicas.

Dico 1 : Constat beneficium ecclesiasticum secum afferre gravem obligationem recitandi horas canonicas, etiamsi persona quæ illud habet, nec religiosa, nec sacris initiata sit : ita omnes theologi, ex cap. *Si quis presbyter*, et ex concilio Lateranensi sub Leone X (sess. 9). Hæc obligatio non ex jure naturali præcise provenit, ut volunt Turrecremata, Navarra, Cajetanus, etc., sed ex institutione Ecclesiæ est annexa beneficio, non obstante quavis obligatione ad illud officium, v. gr. ministerium altaris, sacramentorum administrationem, etc., ex vi talis beneficii imposita. Supposita autem hac institutione, tunc bene infertur dictam obligationem esse ex justitia naturali, tota tamen reducitur ad præceptum ecclesiasticum.

Dico 2 : Qui duo aut plura beneficia possidet, non tenetur bis aut pluries recitare quotidie officium canonicum, sed unica illius quotidiana recitatione satisfacit suæ obligationi. Ita D. Thomas et alii indubitate, contra Navarram, Guilelmum Parisiensem, Dionysium Carthusianum, dicentes teneri eum toties quotidie recitare officium, quot habet beneficia. Probatur : Quia licet Ecclesia præceperit habenti beneficium recitare officium, nullibi tamen præcepit habenti plura beneficia recitare pluries idem officium, et hanc esse præcipientis Ecclesiæ mentem consuetudo clare manifestat : adeoque suppositis etiam stipendiis nulla adhuc vel sic talis obligatio datur ex jure naturæ sive respectu fidelium stipendia suppeditantium, sive respectu eorum qui beneficia instituerunt; quia licet in variis casibus possit quis teneri ad distinctas plurium debitorum solutiones vel per plures res, vel per plures actiones, v. gr. dicendo aut audiendo bis missam, quando id ex verbis præcepti, aut ex natura alicujus materiæ constat, tamen sæpe etiam unica actione, uti in nostro casu, potest duplici obligationi satisfieri, v. gr. eodem jejunio obligationi vigiliæ et Quadragesimæ, eadem missa obligationi festi et Dominicæ, eadem peregrinatione, etc.

CAPUT XIX.

An beneficium ex vi solius tituli ante acquisitam possessionem obliget ad recitandum.

Suppono tanquam certum, solum beneficii titulum sine spe possessionis, vel etiam cum illius spe,

sed sine fructuum percipiendorum spe non obligare ad recitandum. Insuper tanquam probabiliter:

Dico 1: Beneficium non obligare ad recitandum ex vi solius tituli ante acquisitam possessionem, nisi per beneficiatum stet acquirere et habere illam contra Navarram dicentem solum beneficii titulum, sine actuali ejus possessione, imo etiamsi pro tunc haberi non possit, utpote violenter impedita, sufficere ut aliquis teneatur ratione beneficii ad recitandum, dummodo habeatur moralis spes possessionem obtinendi. Probatur: Quia in jure non censetur quis perfecte et consummate habere beneficium, quandiu pacificam ejus possessionem non habet, vel saltem per illam non stat quin habeat (cap. *Licet episcopus*, De præbend., in 6). Dixi *nisi per beneficiatum stet*, etc., quia si vel malitiose moras prætendat, vel negligenter se gerat in acquirenda possessione, tunc tenebitur recitare; ecclesia enim non est privanda suo officio ob illius culpam. Hinc collige a fortiori eum, qui accepto beneficii titulo, et jure acquisito in beneficio, per litem impeditur ne possessionem accipiat, non teneri pro eo tempore ad recitandum solius tituli ratione, cum forte nihil sit acquisiturus.

CAPUT XX.

An juste possidens beneficium, et nullos ejus fructus accipiens, teneatur recitare.

Dico 1: Post titulum et pacificam beneficii possessionem, statim beneficiatus tenetur recitare, licet fructus non statim percipiat, modo speret se eos percepturum. (Navarra, Paludanus, Sylvester, etc.) Habet enim beneficium, ergo.

Dico 2: Qui beneficium et ejus administrationem acceptat cum onere solvendi alteri omnes ejus fructus in pensionem, licet integre eos solvat, adhuc obligatur ad recitandum ratione talis beneficii. Probatur: Quia qui sic acceptat beneficium, cedendo alteri fructus, tenetur illud administrare; ergo et recitare. Nam sicut fructus beneficii dantur ob recitandi officium, ita etiam dantur ob officium ministrandi sacramenta si sit curatum, vel ob assistentiam in choro si sit canonicatus, etc. Atqui non obstante fructuum omnium pensione, ille tenetur ad omnia beneficii munia et ad residendum; ergo etiam tenetur ad recitandum. Sed si resignans beneficium, reservet sibi omnes fructus cum beneficii administratione, tribuendo alteri solum titulum seu nudum beneficium, tunc obligatio recitandi remanet apud resignantem, et beneficiatus pro tunc non obligatur, cum alter adhuc obligetur.

Dico 3: Pacifice possidens beneficium, cujus fructum non recipit primo vel secundo anno ex præscripta et justa consuetudine, sicut tenetur beneficio inservire, ita etiam tenetur isto tempore in quo fructus non recipit, recitare: v. gr. si sit consuetudo ut isti fructus applicentur pio operi, vel reserventur ipsimet beneficiato post ejus mortem ad funus aut animæ salutem, etc., quæ consuetudo non fuit reprobata per Pium Veta concilio Tridentino sed hæ duæ sequentes fuerunt ab eis reprobatæ, nempe; reservandi istos fructus episcopo, aut eos distribuendi inter alios canonicos. Si tamen alicubi illæ viguerint, et novus canonicus accipiat distributiones ad chorum admissus, tunc tenetur recitare.

Dico 4: Quando quis ex suo beneficio non recipit fructus sive sua culpa, sive sua voluntate, v. gr. quia vel ejus pater, amicus, creditor eis fruitur, vel quia non vult residere ac inservire, vel quia ob scientiæ aut ætatis incapacitatem non potest beneficio inservire: non ideo excusatur ab onere recitandi, quamvis per alium in choro et in aliis actionibus inserviat; obligatio enim recitandi est personalis, nisi specialem accipiat dispensationem ab hoc onere.

Dico 5: Licet beneficiatus vi vel injuste privetur fructibus beneficii, si ista fructuum privatio sit tantum pro aliquo tempore et non perpetua, sine spe tamen illos recuperandi, non ideo videtur excusari ab onere recitandi; multo autem minus excusatur, si habeat spem illos recuperandi. Si autem ita privetur fructibus, ut illa privatio sit quasi perpetua beneficii spoliatio, quia nullam amplius habet spem capiendi ex beneficio aliquod emolumentum, tunc videtur probabile non amplius teneri onere recitandi ob tale beneficium.

CAPUT XXI.

An habens beneficium tenue ad horas canonicas recitandas teneatur.

Dico ex beneficio quantumvis tenui simpliciter oriri obligationem recitandi: ita communiter Hostiensis, Covarruvias, Panormitanus, Azorius, Valentia, etc., contra Sotum, Angelum, etc. Probatur: Quia beneficium quantumvis tenue, reputatur verum beneficium, ut colligitur ex cap. *Is cui*. Dat enim verum jus spirituale, beneficium autem datur propter officium. Itaque quamvis sententia contraria ob diversas rationes posset esse speculative probabilis, existimo tamen non posse ad praxim applicari, maxime si istud beneficium tenue nullum aliud servitium requirat præter officii divini recitationem, quod non est onus valde grave; imo etiamsi aliquod servitium in certa ecclesia annexum habeat: tunc enim semper aliquos fructus recipit ex beneficio, saltem per modum *grossæ*, ut dicunt. Si autem beneficium detur ad alia ecclesiæ servitia obligans, quod sit tam tenue ut licet quis illi integre inserviat, omnesque accipiat distributiones et omne emolumentum ex illo proveniens, nondum tamen vel sic sufficiat ad tertiam aut quartam sustentationis beneficiati partem, tunc valde probabile est illud non obligare ad recitandum, quia juste censeri potest non esse datum pro isto recitandi munere, sed tantum pro aliis servitiis; ac proinde respectu recitationis se habet tanquam beneficium nullos habens reditus.

CAPUT XXII.

An clericus accipiens sine beneficio ab ecclesia reditus, teneatur horas canonicas recitare.

Dico: Dum fructus beneficii alicui, licet clerico, dantur per modum stipendii ob actionem temporalem, v. gr. ob docendam theologiam, ob pulsandas campanas, etc., ille non tenetur propter hoc recitare officium divinum. Item nec tenetur is qui habet ab ecclesia pensionem seu portionem ex fructibus ecclesiæ, non ut clericus, sed titulo laicis communi, v. gr. portionem in aliquo monasterio pro aliquo tempore aut tota vita per modum eleemosynæ ad suam sustentationem; idem dic de pensione data laicô a papa per modum gratitudinis. Imo nec quædam pensiones, quæ videntur dari titulo clericali, obligant ad recitandum officium canonicum. Sed Pius V præcepit pensionariis clericis, percipientibus fructus tanquam clericis, ut parvum officium B. Virginis recitent, alioquin non faciant fructus suos, cui tamen obligationi satisfacient, si loco istius parvi officii dicant officium canonicum, etiam is, ut arbitror, qui in sacris est constitutus.

Dico 2: Portiones ex beneficiorum reditibus abstractæ, et adolescentibus designatæ per modum subventionis ad peragenda studia, ut eruditi possint postea Ecclesiæ inservire, dictæ *præstimonia*, probabilius obligant, etiam ante bullam Pii V, ad officium canonicum recitandum: videntur enim esse vere ecclesiastica beneficia, adeoque dari propter officium; et quamvis ex jure antiquo non sit certum, debeantne dici beneficia, an pensiones, tamen post bullam Pii V, constat illa collatione propria, spiritualique titulo conferri, atque esse instituta propter officium, ac proinde obligare ad horas canonicas.

Dico 3: Capellaniæ collativæ, id est auctoritate episcopi erectæ, etiamsi ex bonis laicorum sint dotatæ cum jure præsentandi, sunt vera beneficia ecclesiastica, et ad officium canonicum obligantia, secus vero capellaniæ non collativæ, id est, quæ a patronis etiam laicis conceduntur sine prælati ecclesiastici collatione. Hæ enim non sunt beneficia ecclesiastica.

Dico 4: Is qui recipit beneficii servitium in *commendam*, ut vocant, id est qui habet beneficium sibi integre commendatum quoad totam ejus administrationem, tenetur ad dicendum officium, licet illa commissio seu commendatio non sit perpetua, nec in beneficii titulum erecta (Medina, Navarra, etc.); secus vero, si beneficium commendetur solum quoad exteriora et publica ecclesiæ servitia: v. gr. si canonicus id commendet amico quoad ista servitia; quia tunc proprietarius seu canonicus tenetur privatim recitare. Similiter capellanus datus proprio parocho ad eum juvandum, ex eo titulo non tenetur; quia obligatio recitandi manet penes parochum. Item beneficii coadjutor ex vi suæ coadjutoriæ non tenetur ad officium canonicum recitandum (Medina, Navarra, etc.); quia obligatio recitandi semper remanet penes proprietarium, ergo non obligatur coadjutor: ex uno enim beneficio non obligantur duo ad recitandum, uti nec ad duas missas oritur obligatio. Deinde coadjutor nondum habet beneficii titulum in re, sed tantum in spe, seu jus ad rem; nec est adhuc vere canonicus; nec coadjutor episcopi est episcopus quoad beneficium, licet forte sit jam consecratus. Quare coadjutor non obligatur nisi ad satisfaciendum choro et simili ecclesiæ servitio in quo tenetur adjuvare proprietarium; quia licet hic a chori et ecclesiæ servitio excusetur, per coadjutorem serviendo, non tamen excusatur ab onere recitandi, hoc enim est personale sequens beneficium, nisi papa aliter disponeret.

Attamen si coadjutor habeat propriam pensionem super beneficium, tunc juxta bullam Pii V tenetur recitare parvum officium B. Virginis, nisi canonicum officium recitet, ut supra dixi; quia istam pensionem recipit ut clericus, suppono enim esse coadjutorem in spiritualibus; secus vero, si recipiat tantum ex beneficii fructibus al quam sustentationem per modum stipendii.

CAPUT XXIII.

Quodnam officium divinum teneantur dicere clerici, dum privatim recitant.

Dico 1: Clericus obligatus ad horas canonicas privatim dicendas, stando in jure communi ante bullam Pii V, tenetur eas dicere, et quidem sub mortali, contra Cajetanum et alios, juxta Breviarium in sua diœcesi, vel ordine approbatum et receptum: alioquin suo muneri non satisfaceret, sive sit clericus ordinatus ad titulum beneficii, sive ad titulum patrimonii, et nulli ecclesiæ addictus (Soto, Navarra, Tabiensis, etc.); quia mutatio in tota officii forma est satis gravis, et proxime ipsam substantiam attingit. Qui autem habet beneficium in una ecclesia, et residet habetque firmum domicilium in altera diœcesi diversum officium habente, probabilius debet recitare juxta morem ecclesiæ in qua residet. Idem dic de clerico unius provinciæ, qui studiorum causa commoratur in alia habente diversum officium. Denique si clericus habeat duo beneficia, in diœcesibus distinctum recitandi modum habentibus, potest sequi morem ecclesiæ in qua residet, vel forte etiam alterius.

Dico 2: Nunc ecclesiastici qui ad horas canonicas obligantur, debent eas recitare juxta formam a Pio V seu Clemente VIII approbatam, exceptis iis qui pertinent ad diœceses aut religiones habentes ducentis annis antiquiorem bulla Pii V recitandi modum, ex institutione vel consuetudine approbatum, uti statuit dicta bulla. Hunc tamen semel susceptum recitandi modum antiquum non licet mutare, etiam probabilius privatim recitando, saltem sub veniali. Si autem alicubi ex prælatorum negligentia factum esset ut Breviarium diversum a Romano Pii V, carens prædicta ducentorum annorum antiquitate, esset in usu, possent clerici ac deberent si

commode possent, contra talem consuetudinem uti Romano.

Dico 3 : De se malum est ac peccatum mutare officium diei aut temporis in recitandis horis canonicis, v. gr. recitare officium alicujus sancti loco officii de feria, vel officium paschale, loco officii quadragesimalis ; fit enim contra præceptum ecclesiasticum, sive hoc sit de substantia recitandi, sive de modo recitandi, quia saltem ad hunc etiam modum extenditur, nempe ad recitandum septem horas canonicas tales in individuo. Imo ex genere suo potest esse mortale : Antonius, Navarra, Tabiensis, etc., contra quosdam oppositum olim sentientes, nempe Sylvestrem, Cajetanum, etc. Probatur : Quia si quis vellet omni tempore dicere officium paschale utpote brevius, peccaret graviter ; similiter si quis vellet in Dominica recitare officium feriæ tertiæ : censenda enim est talis materia gravis inducens gravem obligationem. Ex parvitate tamen materiæ potest esse peccatum leve, v. gr. si officium sit æquivalens in quantitate vel fere, nec fiat mutatio ex contemptu aut habitualiter pro libitu, sed ex levi minusque rationabili occasione. Leve etiam est, dum fit hæc mutatio ex inadvertentia licet culpabili, nec quis tenetur Matutinum aut quid simile repetere ; si tamen officium omissum esset notabiliter majus, videtur oportere aliquam facere compensationem si possit, intra eumdem diem : v. gr. si pro Matutino Dominicæ dictum sit officium sancti, deberent saltem addi novem psalmi ex nocturnis Dominicæ, ne tanta pars officii omittatur. Imo potest interdum fieri hæc mutatio ex justa causa sine culpa, v. gr. si ex charitate necesse sit alium juvare, si nunc non sit copia alterius Breviarii, et postea gravabor nimium recitando, vel a studio necessario, aut pio opere impediar.

Denique summus pontifex valide et licite potest dispensare cum quolibet clerico vel religioso, ut relicto suo officio recitet Romanum, etiamsi id faciat ob solam personæ devotionem ; si tamen fiat sine causa legitima, valida quidem erit dispensatio, sed non licita. Facta autem ab episcopo aut prælato sine justa causa, est invalida ac nulla, cum justa causa in casu particulari, vel ad certum tempus erit probabiliter valida ac licita.

CAPUT XXIV.

An sit grave peccatum mutare horarum ordinem aut continuationem in privata recitatione.

Nota : Officium canonicum diei naturalis incipit a Matutino ; festi vero, v. gr. talis sancti vel talis mysterii, incipit a primis Vesperis, quæ pertinent ad præceptum diei, in quo dicuntur.

Dico 1 : Sine causa et voluntarie mutare ordinem officii diei præsentis cum sequenti, v. gr. recitare Matutinum et Laudes diei sequentis ante Vesperas dictas et Completorium diei præsentis, vel mutare ordinem horarum ejusdem diei, v. gr. recitare Nonam ante Sextam ; vel mutare partes ejusdem horæ, v. gr. recitare psalmum posteriorem ante priorem, aut lectiones sequentes ante priores psalmos, est peccatum tantum veniale, modo absit contemptus ; nil tamen ex obligatione repetendum est, ut ordo reparetur. Si autem adsit causa rationabilis, v. gr. defectus libri pro dicendis lectionibus, futura occupatio, infirmus rogans ut secum recitet, etc., tunc ab omni culpa excusabitur

Dico 2 : Ordo dicendi Matutinum ante missam, non cadit sub præceptum, nec per se est materia gravis, secluso contemptu et scandalo : Sylvester, Soto, Aragonensis, Lessius, etc., contra plures canonistas olim dicentes esse gravem. Unde contra eosdem, licet absit causa rationabilis, erit tantum veniale peccatum dicere missam ante dictum Matutinum, secluso contemptu. Et si causa rationabilis interveniat, nullum erit peccatum. Nec assertioni obstant quædam rubricæ Missalis.

Dico 3 : Interruptio Matutini a Laudibus, uti et nocturnorum inter se, si hæc nocturnorum interruptio sit moderata et antiquæ consuetudini proportionata, nullum est peccatum ; secus vero interruptio inter partes ejusdem horæ, si sit notabilis, voluntaria seu libera, et sine causa rationabili ; sed brevis cessatio a recitatione cum animo continuandi, non dicitur interruptio. Interruptio quæ per interpositionem alicujus actionis fit, potest esse vel culpa gravis contra Dei reverentiam, v. gr. dicendo verba turpia et similia ; vel levis, v. gr. dicendo inutilia, etc. ; vel nulla si dicantur breviter verba necessaria aut saluti proficua ; vel etiam potest esse meritoria, dum quis solus recitans jaculatoria ad Deum verba intermiscet.

CAPUT XXV.

De modo recitandi integre horas canonicas privatim.

Dico 1 : Certum est eum, qui ad horas canonicas obligatur, teneri integras septem persolvere, vel eas recitando per se solum, vel eas privatim recitando cum socio, partim dicendo, partim audiendo ; utroque modo sine dubio potest suæ obligationi satisfacere, eique liberum est, prout voluerit, recitare. Hinc 1° quando cum socio recitatur, possunt recitantes, imo et decet in alternatione imitari modum recitandi officii in choro ; potestque cum socio recitari sive obligato ad recitandum, sive non, v. gr. cum scholastico, famulo, etc. : tum quia in choro id etiam fieri potest, tum quia est consuetudo, tum quia ut ego satisfaciam meæ obligationi, parum refert quod alter ex obligatione recitet, necne, dummodo ita pronuntiet, ut possim ego omnia audire, et quasi per illum dicere ; nec necessario socius tenetur sub gravi attendere ad ea quæ ipse recitat, quia alter qui obligatur ad recitandum, per se implet totam suam obligationem partim dicendo, partim audiendo attente ea quæ socius recitat. 2° Possunt etiam tres, quatuor, aut plures simul privatim officium canonicum recitare, sed non licet eis in recitandis psalmis plures quam duos choros facere ; debet ergo dicere unus ex una parte, et duo

ex alia, vel bini et bini, vel unus in uno choro, et reliqui in alio, ita ut alternis dicant; et tunc sufficit ut unusquisque dicto suo versu, audiat versum alterius chori sive ab uno tantum, sive ab omnibus simul audiat. Hoc locum habet in psalmis; in lectionibus autem, capitulis et orationibus, sufficit ut uno dicente, alii audiant: in choro enim sic fit, et ratio lectionis id magis postulat, estque melior ordo, quia si plures simul legerent, confusionem parerent; et ita habet consuetudo ac docent auctores. 3° Dum plures privatim simul recitant, singuli per vices suas ordinarie dicunt lectiones; absolute tamen omnes lectiones ab uno solo dici possunt, quia in choro fere omnes satisfaciunt audiendo tantum omnes lectiones, etsi nullam dicant; ergo ad integritatem officii ex hac parte sufficit lectionem attente audire. Quoad antiphonas vero communior et commodior usus est, ut unus tantum dicat totam antiphonam, postquam alter finivit psalmum; et hic rursus inchoet antiphonam sequentis psalmi, etiamsi possint ab utroque etiam dici, ut fit in choro. Idem servari potest cum proportione in responsoriis et versiculis; ita ut alternis omnia dicantur. Denique dicenda sunt omnia distincte et intelligibiliter ac sine syncopa.

Dico 2 : Ubi Breviarium Pii V obligat, non est obligatio extra chorum recitandi parvum officium B. Virginis, officium defunctorum, psalmos pœnitentiales et graduales ac litanias, exceptis diebus sancti Marci et Rogationum, in quibus obligant litaniæ, et die Commemorationis omnium defunctorum in quo etiam obligat horum officium; imo etiamsi ecclesia, in qua dictum Breviarium obligat, voluntarie retineat usum dicendi ista parva officia in choro, clericus tamen privatim recitans, non tenetur illa dicere. Qui autem non utuntur Breviario Pii V, sed retinent antiquum morem recitandi, si prius ex consuetudine recepta habebant obligationem recitandi ista minora officia, eodem modo etiam nunc tenentur recitare.

Dico 3 : Voluntarie et sine legitima excusatione omittere integrum unius diei officium canonicum, sive cum contemptu aut tædio, sive ex sola negligentia, est peccatum mortale tam pro religiosis professis et clericis in sacris, quam pro beneficiatis. Idem dic, si omittatur una integra hora ex septem horis canonicis, aut pars notabilis unius horæ; sed hæc pars notabilis non videtur desumenda ex eo quod sit tertia aut quarta pars alicujus horæ; est ex absoluta istius partis magnitudine seu quantitate juxta prudentum æstimationem, v. gr. unus nocturnus ex tribus in Matutino juncto cum Laudibus, est tantum quarta pars istius horæ, tamen videtur esse pars notabilis, et illum omittere esset peccatum grave.

Dico 4 : Omittere integrum officium unius diei, juxta communem sententiam, non sunt septem, sed unum tantum peccatum externum et consummatum, quod licet per internorum actuum multiplicationem ac moralem interruptionem possit multiplicari et consummari in affectu; in effectu tamen non consummaretur nisi in fine diei, quando omissio libera non potest non esse vel fuisse. Idem dic de omissione non omnium, sed aliquarum tantum horarum inter se distantium, v. gr. Primæ et Vesperarum tantum.

CAPUT XXVI.

De intentione et attentione in recitandis horis canonicis requisita.

Dico 1 : Ad implendum præceptum recitandi horas canonicas, necesse est ad illas accedere cum proposito seu voluntate explicita aut implicita orandi (alioqui ista actio exterior posset esse, non oratio, sed lectio, studium, cantus indifferens, etc.), et in ea perseverare formaliter vel virtualiter quandiu oratur. Voluntas autem implendi præceptum sufficit vel formalis in principio orationis, etiamsi in ejus decursu non amplius recordetur, vel virtualis ex quadam consuetudine qua quis illam actionem vult facere tanquam sui muneris et obligationis expletivam, vel in actu exercito velit eam facere ut solet fieri, quia eo ipso vult eam ut impletivam præcepti. Hæc enim voluntas generalis per actum contrarium non impedita, est virtualiter voluntas implendi præceptum, utpote proveniens ex generali voluntate, quam unusquisque habet satisfaciendi suis obligationibus. Unde si quis ignorans vel non advertens esse diem festum, voluntarie audiat missam modo ordinario, implebit præceptum, ita ut quando resciet esse diem festum, non teneatur aliam audire. Imo etiamsi quis cum expressa voluntate non implendi præceptum per istam horarum recitationem, eas recitat, habens voluntatem illas denuo recitandi, tamen juxta veriorem sententiam, implet vere præceptum, quia reipsa facit totum quod præceptum est, nempe in die semel horas recitare; adeoque si postea non recordetur istius voluntatis non implendi præceptum, nihil peccabit, quia præceptum ista recitatione impletum fuit quoad externi actus humani substantiam. Si autem recordetur istius præteritæ voluntatis, tenetur ex jure naturali non habere affectum seu voluntatem præcepto superioris contrariam, ideoque debet deponere illam præteritam non implendi præceptum voluntatem, sed eam conformare præcepto, judicando et volendo per illam recitationem satisfecisse suæ obligationi; atque ita non tenebitur ad iterum recitandum.

Dico 2 : Ad implendum præceptum horas canonicas recitandi, necesse est eas cum attentione dicere : ita communiter contra quosdam, nullam requirentes attentionem, sed solam vocalem recitationem. Probatur : Quia sola vocalis prolatio non est oratio, si non fiat cum aliqua attentione, et in cap. *Dolentes* ponitur illas esse recitandas *studiose pariter et devote*. Hinc sequitur eum qui horas dicit sine ulla omnino attentione sive formali sive virtuali, non implere præceptum et peccare mortaliter

ex genere suo; potest tamen esse veniale ex levitate materiæ, si v. gr. non sit pars notabilis, quæ sine attentione recitatur. Deinde potest etiam esse veniale ob defectum perfecti voluntarii cum admistione voluntarii indirecte per levem negligentiam : ideoque si quis bona fide et animo attendendi ad recitandum accedat, et in fine psalmi advertat se fuisse distractum, nihil curet, et maxime non repetat ob innumeras inconvenientias, sed ad attendendum mentem applicet et prosequatur; idemque faciat si non recordetur se omnia dixisse, est enim hæc vel naturalis vel fere naturalis inadvertentia, ideoque vel nulla culpa erit, vel venialis tantum. Secus vero si quis advertat se non ad orationem sed ad alia extranea attendere et voluntarie prosequatur sic cogitare ac vagari. Item erit peccatum grave dicere notabilem officii partem, exercendo aliquam actionem cum orationis attentione incompossibilem, v. gr. si quis velit, dum recitat, ratiocinari circa argumenta philosophica, pingere, ordinate scribere, etc. Actio autem vestiendi, lavandi, etc., non videtur ordinarie in hoc numero computanda; sæpe tamen erit peccatum veniale. Contra cavendus est etiam tantus raptus ad divina, ut quis nesciat quid loquatur; sed non obstat si relinquat illam attentionem, quæ sufficiat ut scienter ac moraliter proferat integre et ordinate quæ recitat : non enim necesse est cum reflexione attendere ad verba, imo minima attentio ad verba sufficit, nec obligatio est habendæ perfectioris attentionis ad substantiam orationis, adeoque et præcepti implendam.

Dico 3 : Quotiescunque aliquis ex defectu attentionis non implet præceptum recitandi horas canonicas, tenetur denuo eas recitare intra eumdem diem, quia præceptum nondum impletum est : præceptum enim illas dicendi et attente dicendi est unicum, adeoque si denuo non recitet beneficiatus, tenebitur restituere perinde ac si non recitasset.

Nota nos semper egisse de attentione requisita in horis ex obligatione recitandis : quando enim ex sola devotione sine ulla obligatione dicuntur, tunc non est major obligatio attente eas dicendi, quam fundendi quamlibet aliam orationem vocalem, quæ quidem non transcendit culpæ venialis obligationem, ut supra dictum est. Hinc Hostiensis, Antonius, Roselli, etc., tenent neminem teneri ad attentionem sub mortali in horis ex obligatione recitandis modo eas integre vocaliter recitet.

CAPUT XXVII.

De loco et tempore in quibus recitandum est officium canonicum.

Dico 1 : Quoad locum et corporis situm privatim horas recitando, v. gr. stando, quiescendo, ambulando, domi, in campo, in itinere, etc., nihil circa has circumstantias ab Ecclesia jure positivo præscriptum est, sed debita reverentia ac decentia, quam ratio naturalis postulat, servanda est.

Dico 2 : In privata oratione non est obligatio sub mortali horas recitandi statutis diei horis sive anteponendo sive postponendo. Sed si quis usque ad mediam noctem finitam, illas, vel notabilem illarum partem non dixit, peccavit mortaliter si per naturalem oblivionem aut legitimam causam non fuerit excusatus; cum autem in puncto mediæ noctis finiatur quotidiana obligatio, non tenetur omissas diei præcedentis horas recitare die sequenti, quia tempus præcepti jam elapsum est : sicut qui omisit in vigilia jejunare aut in die Dominico audire missam, non tenetur aliis diebus non præceptis jejunare vel audire missam. Qui tamen distulit horas statutis præsentis diei horis recitare, semper tenetur usque ad mediam ejusdem diei noctem, id quod non dixit, recitare : postpositio vero horarum intra eumdem diem si sit moderata et consueta quam communiter fere omnes faciunt sine scrupulo, v. gr. dicere Primam post secundam aut tertiam horam ab ortu solis simul cum Tertia, vel Sexta, et similes, potest fieri sine culpa veniali ob solam consuetudinem; si autem sit inusitata et extraordinaria, v. gr. recitare Primam sub noctem sine causa rationabili, erit culpa venialis. A fortiori idem dic de antepositione, cum juxta omnes sit consultius anteponere quam postponere. Deinde facilius possunt Vesperæ anteponi ante prandium quam Completorium; et in Quadragesima illas post prandium dicere nulla est culpa. Antepositio horarum sequentis diei ante dimidiam præsentis noctem in nulla hora est licita, nisi in Matutino et Laudibus quæ non tantum dimidia hora ante solis occasum, sed etiam ex recepta communi consuetudine ullo scrupulo ab hora quarta pomeridiana possunt dici tam in æstate quam in hieme.

CAPUT XXVIII.

De causis ab horarum recitatione excusantibus.

Prima causa excusans ab horarum recitatione est *ignorantia invincibilis*, v. gr. in puero recipiente beneficium, invincibiliter ignorante recitandi obligationem. Sed nota excommunicationem aut interdictum non excusare a privata recitatione.

Secunda, est *naturalis oblivio*, dum recitandi obligatio omnino in mentem non venit; adeoque cum omissio non fuerit voluntaria, nullum fuit peccatum. Qui ob ineptitudinem recitare, ut par est, nescit, debet potius defectuose et inordinate recitare, quam officium omittere; alioquin si nec ita possit sitque beneficiatus, beneficium dimittat.

Tertia, *carentia Breviarii*, quæ sine culpa vel cum culpa potest contingere tam per voluntarium directum quam per indirectum. Carens Breviario si memoriter teneat totum officium, aut aliquas vel aliquam ejus horam integram, teneri eam dicere censeo; si autem tantum psalmos, aut orationes, aut horarum partes memoria teneat, non tenetur dicere, quia illi et hæ ut sic, non sunt horæ canonicæ, neque officium divinum, ad quod tantum recitandum obligatur clericus : ita Navarra. Quoad autem

subdiaconum, illo die quo subdiaconatus ordinem recipit, tenetur solum dicere horas vespertinas, vel ad summum Nonam, si ordinem circa meridiem recepit, non vero integrum hujus diei officium, quia tantum obligatur ad illas horas correspondentes tempori, in quo cœpit obligari.

Quarta, *corporis impotentia*. Hinc, 1° qui loqui non potest, excusatur ab onere recitandi per alium sive illum audiendo sive non audiendo; non est enim præceptum audiendi, uti præceptum missæ; estque onus personale quod per alium substitui nequit. Qui autem non potest solus, sed potest cum socio recitare, si illum in promptu habeat sine magno onere et difficultate, non excusatur a recitando, juxta Navarram. 2° De cæci obligatione ad recitandum variant auctores, alii affirmantes, alii negantes eum obligari. Sed sic dicendum existimo : si possit saltem quoad psalmos suam partem cum socio memoriter dicere, eumque sine difficultate aut magno sumptu habere, non videtur excusari a recitando, v. gr. qui habet famulum aut capellanum, cum quo, dum erat sanus, solebat recitare. Si igitur ejusmodi cæcus sit beneficiatus, tenetur ad assistendum et recitandum in choro. Simplex autem clericus qui nec sine socio nec cum illo potest memoriter recitare, non videtur teneri dicere simul cum socio versus psalmorum ad se pertinentes et audire socii versus, et sic recitare; secus vero in beneficiato qui culpabiliter abest a choro. 3° Surdus simul et cæcus non tenetur recitare nisi sciat officium memoriter juxta modum supra dictum; si tantum sit surdus et non possit solus recitare, aut ita surdaster ut non possit audire socium sine magna hujus vociferatione, excusatur. Surdus autem, licet simul sit cæcus, si sit beneficiatus non excusatur ab assistentia chori. 4° Ægritudo si est magna ac gravis, excusat a recitando absque judicio medici. Si est mediocris standum est judicio medici. Et si medicus non est dubius, sed absolute judicet morbum excusare a recitando, parendum est simpliciter, nec requiritur prælati consensus; si autem sit dubius, tunc consulendus est prælatus ut dispenset, maxime inter religiosos. Si prælatus conveniri non possit dubiumque practice deponatur, excusabitur æger a recitando pro uno aut altero die. Ad longum enim tempus necessaria est licentia si fieri potest. Deinde qui ob morbum non potest majorem alicujus horæ partem dicere, ad illam horam dicendam non tenetur; et licet Navarra cum Azorio censeat eum qui non potest majorem totius officii partem dicere, ab omnibus horis dicendis excusari, non videtur tamen hoc admittendum; si enim, v. gr. in Matutino recitando habeat difficultatem, et non in aliis horis, videtur has in quibus cessat difficultas, sive plures sive pauciores sint, debere recitare. At vero si infirmitas impediat indefinite divinum officium, tunc non est scrupulose inquirendum an possit æger unam alteramve horam dicere : excusatio enim illa ex se indefinita æquivalet universali, sicque consuetudo hanc legem interpretatur. Laborans tamen quartana diurna aut levi tertiana febri non omnino excusatur, quominus tempore apto sive anteponendo sive postponendo debeat recitare, dummodo id commode et sine speciali ægritudinis præjudicio fieri possit. Non agimus de antepositione aut postpositione extra legitimum diei naturalis tempus, cum certum sit præceptum non obligare pro istis temporibus. Qui autem ob morbum ab officii recitatione excusatur, non tenetur in illius compensationem facere aliquam orationem mentalem aut vocalem.

Quinta, *gravis metus mortis*. Si tamen in religionis injuriam cedat, non excusat a recitando.

Sexta, *necessitas actionis* supervenientis, quæ officii recitationem impedit, vel ex justitia, vel ex charitate faciendæ; nec opus est ut hæc charitatis obligatio sit gravissima. Si tamen horarum recitatio possit anteponi vel postponi, anteponenda vel postponenda est.

Septima, *dispensatio*. Nam papa etiam cum beneficiario potest simpliciter dispensare, relinquendo eum liberum ab omni obligatione tam recitandi officium divinum quam aliquid aliud loco illius; est enim præceptum ecclesiasticum. (Navarra, Toletus, Sylvester, etc.) Imo data sine causa hæc dispensatio erit valida, non tamen licita. Episcopus autem nec cum clerico nec cum beneficiario sic potest dispensare; potest tamen in occurrente necessitate dare licentiam non recitandi potius per modum interpretationis quam dispensationis. Idem dic de prælatis regularibus respectu subditorum; sed hi sæpe per privilegia possunt in hoc cum suis dispensare, vel consulenda et servanda est consuetudo.

CAPP. XXIX, XXX.

Quid beneficiatus teneatur restituere qui per sex primos menses, aut post illos non recitat.

Dico 1 : Quamvis beneficiatus culpabiliter non recitans officium canonicum in sex primis mensibus ab obtentu beneficii, non teneatur perceptos fructus restituere, ex vi peculiaris constitutionis concilii Lateranensis, sub Leone X (sess. 9), statuentis illum *post sex menses* postquam beneficium obtinuit (non per sex menses, ut mendose ponit Sotus), culpabiliter non recitantem non facere fructus suos, adeoque teneri illos restituere : agit enim de posterioribus mensibus post obtentum beneficium, non de prioribus ; tamen ex vi naturalis juris tenetur eos restituere pro rata omissionis officii et temporis : Sotus, Covarruvias, Alensis, etc., contra Navarram et alios negantes eum teneri restituere istorum priorum sex mensium fructus, licet peccarit mortaliter. Sed probatur : Quia beneficiatus omittens debitam orationem, peccat contra justitiam commutativam tanquam stipendiarius, ex qua intrinsece oritur obligatio restituendi. Quia autem isti fructus beneficiales non dantur tantum propter horas canonicas, sed etiam propter alia officia, ac maxime propter

sacrificii ac sacramentorum ministerium, licet ob hæc non teneatur illos omnes omnino fructus restituere, aliquos tamen tenetur restituere ex jure naturali; sed hæc restitutio videtur posse fieri non solum in bonis temporalibus, sed etiam in spiritualibus omissis, v. gr. per alios sex menses recitando bis quotidie officium canonicum; sicut qui omisit dicere missas, potest dicendo eas postea, satisfacere. Imo hæc spiritualis restitutio non videtur necessario debere fieri in eadem actionis specie, sed videtur posse fieri per alias preces æquivalentes aut æquales prudenti judicio (v. gr. per integrum Rosarium, vel missæ sacrificium tot diebus repetitum ad istam intentionem, et similia), utpote æque Ecclesiæ utiles. Sed . . . .

Dico 2 : Beneficiatus qui post sex menses ab obtentu beneficii culpabiliter non recitat officium, stante prædicto decreto concilii Lateranensis in sua vi, tenetur in conscientia ante judicis sententiam facere restitutionem fructuum in sex prioribus mensibus, in quibus culpabiliter non recitavit, perceptorum, etiamsi delictum sit occultissimum. Decretum enim dicit : *Beneficiorum suorum fructus suos non faciat.* Lex autem potest impedire dominii acquisitionem, adeoque non potest retinere quod non est suum (Navarra, Covarruvias, etc.). Unde vi illius legis tenetur restituere omnes fructus cum ea proportione quam Pius V sic declarat : *Statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum fructus qui illi vel illis diebus responderent si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum, tantum dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Hinc ex omissa parva alicujus horæ parte ad peccatum mortale non perveniente, restituendi obligatio non oritur, uti nec videtur obligari is qui ex naturali oblivione vel ex ignorantia invincibili non recitavit; secus qui mortaliter peccavit recitans sine ulla omnino attentione, id est, qui ita recitavit ac si non recitasset aut orasset. Pro hac restitutione quæ post sex menses non recitantibus imponitur, non potest fieri compensatio spiritualis, quam supra dicebam ex natura rei sufficere; quia lex positiva hoc restitutionis ac pœnæ genus statuit, et quidem his verbis : *Ut in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.*

TRACTATUS QUINTUS.

DE JURAMENTO ET ADJURATIONE.

LIBER PRIMUS.

De juramento in genere, et de assertorio juramento in specie.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit juramentum.

Dico : Juramentum est actus adducendi Deum in testem, seu enuntiatio quæ cum divino testimonio profertur. Dum adducitur verus Deus in testem, est verum juramentum : dum adducitur falsus, v. gr. idolum, tunc est putatum tantum juramentum. Juramentum derivatur a *jure;* quia id quod divino testimonio firmatur, quasi jure suo pro vero habendum est, aut quasi jure stabilitum foret, ideoque vocatur etiam jusjurandum. Ad actum jurandi tria concurrunt : intellectus qui proponit necessitatem vel utilitatem jurandi, voluntas quæ adjungit jurandi intentionem, et lingua quæ consummat actum exterius; interius autem consummatur ab intellectu tanquam lingua spirituali, vel dictante jurandi formam voce exprimendam, vel loquente solum mentaliter cum Deo. Intentio jurandi est omnino necessaria ad juramenti constitutionem et ejus veritatem in essendo, exterius enim prolatum juramentum sine jurandi intentione non est verum juramentum, nullamque inducit obligationem : voluntas enim proferendi verba ad jurandum apta, potest separari ab intentione jurandi, atque ita sine attentione jurandi, neque potest determinari, an verba ad jurandum proferantur necne, neque distingui juramentum a non juramento.

CAPP. II, III.

An juramentum sit actus licitus, et an requiratur ad ejus honestatem veritas, justitia et judicium.

Dico 1 : De fide est non omne juramentum esse illicitum, vel prohibitum etiam a Christo : contra antiquos hæreticos, Catharos, Pelagianos, Anabaptistas, etc., volentes jurare esse intrinsece malum, vel Christianis omnino interdictum. Probatur ex Ecclesiæ usu ac traditione et sanctorum exemplis, Abrahami, Isaaci, Jacob (*Gen.* XXVI, XXXII), Moysis (Deut. III), David, etc. Deinde, Deut. VI, 13 ; X, 20, dicitur : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, et per nomen illius jurabis;* et psal. LXII, 12 : *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Ratio est, quia juramentum est quædam divini nominis invocatio, confitendo Deum non posse mentiri. Hinc etiam nunc in lege gratiæ juramentum non est prohibitum, et interdum est licitum, quod est etiam de fide. Probatur ex usu Ecclesiæ exigentis juramentum in judicio, in abjuratione hæresis, etc., ac sanctorum exemplis : nam sanctus Paulus dicit : *Ego autem testem Deum invoco in animam meam* (*II Cor.* I, 23). *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non*

mentior (*Galat.* I, 20). Dum igitur Christus ait : *Ego autem dico vobis : Nolite jurare omnino* (*Matth.* V, 34). non dat præceptum sed consilium ac monet vitandam jurandi frequentiam etiam licitam, ne per licitam facile deveniatur ad illicitam, ideo ponitur particula *omnino*. Deinde quia Judæi putabant solum perjurium seu juramentum falsum esse vetitum, et per juramentum verum nunquam peccari, ideo Christus illos admonet ut vitent consuetudinem jurandi frequenter, licet in vera re, per Deum aut creaturas. Idem dic de his verbis : *Fratres mei, nolite jurare neque per cœlum*, etc. (*Jac.* V, 12). Item dum Patres interdum dicunt juramentum esse illicitum, intelligunt de mala frequenter ac temere jurandi consuetudine. Denique dum advocatur Deus in testem, non petitur ut ipse Deus propria voce testetur, sed homo ostendit se ob reverentiam Deo ejusque nomini, quod interpellat, debitam, teneri ad dicendam veritatem. Quia autem non semper et in omni re licitum est jurare, ideo :

Dico 2 : Ad licite jurandum hæc tria requiruntur : 1° *veritas;* naturalis enim ratio dictat non licere falsum jurare; et, Levit. XIX ac Zach. V, dicuntur damnandi omnes qui jurant mendacium ; in juramento promissorio requiritur duplex veritas : una *dicti*, quo asseritur promissio, altera *facti* ad cujus exsecutionem jurans se astringit. 2° *Justitia*, id est materia debet esse honesta, seu justa; unde juramentum promissorium de re inhonesta non obligat. In assertorio non requiritur ut materia remota seu res de qua juratur, sit honesta, licite enim jurant testes de adulterio, homicidio, etc., sed ut proxima seu ipsa assertio sit honesta aut justa. Sic in sacramento pœnitentiæ materia remota sunt peccata; ipsa autem confessio est proxima. 3° *Judicium*, id est debita ac prudens consideratio, quæ judicatur an sit necesse facere juramentum, et quænam ex illo utilitas percipienda sit. Cum autem fiat juramentum per Deum verum, fides in Deum ad illud præsupponitur, et sub judicio etiam comprehenditur. In judicio diebus festis exigi juramentum prohibetur.

CAPUT IV.

An juramentum sit actus a virtute religionis elicitus.

Dico : Juramentum est vere actus religionis. (D. Thomas, etc.) Probatur : 1° ex Scriptura : *Illi soli* (*Deo*) *servies, ac per nomen illius jurabis* (*Deut.* VI, 13) ; ponitur ibi juramentum tanquam actus ad latriam pertinens ; ideo vetatur perjurium ad vitandam Dei irreverentiam : *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui* (*Levit.* XIX, 12), etc. 2° Ex philosophis : Aristoteles, *Metaph.* lib. I, cap. 3, sic describit juramentum : « Jusjurandum est cum divina veneratione dictio, probationis expers ; » et Cicero ait esse affirmationem religiosam. 3° Ratione : Licet sæpe motivum operantis inducens ad actum jurandi non pertineat ad religionem, sed ad fidem in verbis ac pactis humanis firmandam, tamen motivum operis inducens ad speciem actus seu ad servandum debitum in jurando modum, spectat ex ipso suo objecto ad religionem aut ad Dei cultum.

Objicies 1 : Omnis actus religionis principaliter intenditur ob cultum Dei. Atqui juramentum non intenditur primo ob cultum Dei, sed ob confirmandam humanam veritatem aut pactum seu fœdus humanum ; ergo non est actus religionis. Respondeo: Nego minorem. Quamvis enim primum et quasi remotum motivum excitans ad jurandum, non sit cultus Dei, supposita tamen aliunde jurandi occasione, potest ac debet Dei cultus proxime observari ac intendi, quia juramentum est actus ad significandam debitam, quam de Deo habere debemus, existimationem. Hinc D. Thomas colligit istum religiosum jurandi actum posse ulterius referri ad aliquem temporalem effectum seu utilitatem, ponitque differentiam inter votum et juramentum in hoc, quod votum ita tendat in Deum, ut sibi sistat; juramentum autem præter cultum Dei, ordinetur ad aliquid aliud præsenti vitæ necessarium.

Obj. 2 : Actus religionis est per se appetibilis, absque alia necessitate. Atqui juramentum non est tale, ergo. Respondeo : Nego majorem. Licet Dei cultus sit per se et secundum se appetibilis, actus tamen qui assumitur, ut materia cultus, non est semper per se appetibilis, sed tantum in aliqua necessitate, vel supposita convenienti ejus materia : v. gr. actus contritionis non est per se appetibilis nisi supposito peccato. Sic juramentum potest ordinari ad cultum Dei, dum occurrit ejus necessitas, licet non sit talis actus qui absque necessitate fieri debeat, nec per se appetibilis.

Obj. 3 : Juramentum est quoddam rectæ fidei de divina veritate, scientia, providentia indicium ; ergo est magis fidei confessio, quam actus religionis. Respondeo: Juramentum quidem de se est aptum et ad confitendam fidem et ad colendum Deum, si hac vel illa intentione fiat, tamen ut est actus virtutis moralis, per se ad religionem spectat ; quia ejus est observare ut cum debito Dei honore fiat, quod non ita pertinet ad fidem per se spectatam.

CAPUT V.

An licitum sit per creaturas jurare.

Nota : Certum est religiosum juramentum posse ac debere per solum Deum verum fieri. Hinc juramentum per falsos deos, per idola, per creaturas absolute spectatas, ut creaturæ sunt, non est juramentum in re ipsa, etiamsi ut tale fiat ex jurantis intentione, quia deest illi verum juramenti constitutivum; ista enim non sunt Deus. Erit quidem materialiter juramentum quoad verborum sonum, et etiam ex conscientia erronea putatum juramentum, sicut idolum est putatus Deus, sed in re non habet juramenti subsistentiam.

Dico 1 : Stando in solo jure naturali, et secluso omni jure positivo prohibente, licitum est per

creaturas ut ad Deum relatas jurare; patet ex Scriptura, v. gr. Joseph jurat *per salutem Pharaonis* (*Gen.* XLII, 15); et Moyses : *Testem invoco cœlum et terram* (*Deut.* IV, 26); sanctus Paulus : *Testem Deum invoco in animam meam* (*II Cor.* I, 23). Item sæpe juratur per Evangelia, fitque vel per simplicem attestationem, quatenus Deus in istis creaturis exsistit ac relucet, vel per exsecrationem, quatenus Deus habet dominium in creatam rem per quam juratur, de quibus postea : et sic per ipsum Deum ut in suis creaturis residentem fit semper juramentum.

Dico 2 : Hic modus jurandi per creaturas ex rei natura licitus, nullo jure positivo, sive divino sive humano est prohibitus; quia nec Deus in lege veteri, nec Christus in Evangelio, nec Ecclesia in jure canonico id prohibet, et jus civile in multis locis approbat, v. gr. in cap. *Quoties*, lib. I, quæst. 7, approbat juramentum per Deum, per Evangelia, per salutem principum. In hoc tamen jurandi modo magna cautio adhibenda est ob periculum scandali.

Dico 3 : Non potest, sine respectu ad Deum, fieri juramentum per creaturas irrationales, utpote incapaces testificandi veritatem : nec per dæmones aut homines damnatos, etiam cum respectu ad Deum, quia ratione status indigni sunt ut in eis aut eorum nomine invocetur Deus in testimonium veritatis, sed per angelos aut beatos sive cum directo respectu ad Deum in eis relucentem, sive cum indirecto ob gloriosum illorum statum mendacii incapacium et videntium humanas res in Verbo, potest fieri juramentum; non tamen ob naturalem eorum perfectionem secundum se nude spectatam, qua nec cognoscunt nostras res, nec sunt erroris incapaces. Quod attinet ad homines viatores possunt vocari in veritatis humanæ testimonium non infallibile sed probabile quod falli et fallere potest; adeoque talis invocatio nec essentiam juramenti habet nec nomen meretur. Hinc collige juramentum per creaturas secundum se spectatas ut creaturæ sunt, differre specie morali a juramento quod fit per Deum; secus vero juramentum factum per creaturas ut ad Deum relatas, quia tunc est idem Deus per quem juratur, et sub eadem primæ veritatis ratione invocatur; videtur tamen juramentum factum per ipsum Dei nomen esse accidentaliter gravius illo quod fit per creaturas ut ad Deum relatas.

CAPP. VI, VII, VIII.

De causa finali et materiali juramenti.

Dico 1 : Proximus et quasi intrinsecus juramenti effectus est confirmatio veritatis, hæcque confirmatio veritatis est proprius, proximus et quasi intrinsecus juramenti finis : non vero, ut vult Cajetanus, effectus juramenti tanquam causæ efficientis. Notitia quidem veritatis in aliis generata per juramentum, est ejus effectus tanquam causæ efficientis, sed veritas juramento confirmata ac credibilis effecta, est formalis ejus effectus finalis. Neque est quid inordinatum ordinare rem spiritualem ad temporalem tanquam ad proximum et immediatum finem etiam principaliter intentum ab ipso operante, dummodo in illo non sistatur tanquam in fine ultimo, sed in Deum virtualiter vel formaliter referatur ; usus enim juramenti primario introductus est ut medium ad confirmandam veritatem, præscindendo ab honore ejus, qui in testem advocatur; posito autem hoc usu aut prima institutione, statim quædam intrinseca divini honoris ac cultus ratio in eo insurgit et reperitur.

Dico 2 : Materialis causa, seu materia circa quam versatur juramentum licitum et religiosum, non limitatur ad solas fidei, religionis aut pietatis causas, ut voluit Wicleffus et fortasse Erasmus, sed extenditur etiam ad humana negotia, dum in illis tres supra enumeratæ juramenti circumstantiæ concurrunt. De fide, ut patet ex omni lege et ex exemplis Abrahæ (*Gen.* XXI), Isaaci (*Gen.* XXVI), Moysis (*Exod.* II), Davidis (*I Reg.* XX, XXIV), sancti Pauli (*II Cor.* I; *Rom.* I). Hinc juramentum ex parte materiæ dividitur in *sacrum* seu spirituale, quale est votum, obedientia erga prælatos ecclesiasticos, professio fidei aut abjuratio hæresis juramento firmata : et in *humanum* seu temporale, quale est juramentum factum in judiciis tam civilibus quam criminalibus, in contractibus, promissionibus, etc.

Dico 3 : Materia juramenti potest esse vel res præterita, v. gr. in judiciis; vel futura, v. gr. in pactis ac fœderibus; vel præsens, ut patet in omnibus. Hinc ex parte materiæ juramentum rursus dividitur in assertorium et promissorium : assertorium est tantum jurata assertio de præsenti : promissorium autem ultra assertionem de præsenti, addit aliquo modo promissionem de futuro. Unde omnis promissio jurata includit assertionem de præsenti; qui enim jurat se facturum quod promittit, necessario jurat assertionem de præsenti; contra vero assertio jurata de futuro non necessario includit promissionem, quia qui asserit se aliquid facturum, non necessario illud promittit; quod ex usu sat liquet

CAPP. IX, X.

Qualis sit divisio et materia juramenti assertorii et promissorii.

Dico 1 : Quamvis Cajetanus, Soto, Aragonensis, Valentia, etc., valde probabiliter et forsan vere sentiant juramentum assertorium et promissorium tantum accidentaliter ex objecto materiali diverso differre inter se, non vero specifice et essentialiter ex objecto seu motivo formali, tamen contraria sententia videtur posse satis efficaci argumento probari, nempe specifice et essentialiter inter se differre ob divini nominis invocationem sub diversa ratione formali. Nam in juramento assertorio invocatur Deus tantum ut testis veritatis, in promissorio autem quatenus tali, invocatur ut fidejussor promissionis : atqui hæ formales rationes

sunt diversæ, et inducunt morales diversarum rationum obligationes; ergo ista duo juramenta sunt formaliter diversa. Aliud est verum jurare, aliud fideliter jurare; in promissorio debet esse duplex veritas: una per conformitatem ad præsentem mentem jurantis, altera per conformitatem ad factum futurum; in assertorio tantum habetur prior veritas. Attamen ista utriusque juramenti diversitas videtur potius esse individualis quam specifica, adeoque alia sententia probabilior. Deinde juramentum promissorium sive habeat rigorosam promissionem sibi adjunctam, sive non, specifice ac formaliter est semper idem, tendens ad eumdem finem formalem, ejusdemque rationis obligationem inducens.

Dico 2: Materia juramenti debet esse contingens et aliquo modo dependens a voluntate jurantis; quia juramentum non cadit immediate in rem dictam secundum se, sed in dictum jurantis et in ejus cognitionem quam habet de re jurata.

CAPP. XI, XII.

De forma juramenti, et de ejus divisione ex parte formæ.

Dico 1: Forma juramenti sensibilis est signum quo nomen Dei assumimus ad jurandum; et ad hoc quidem verba humana voce prolata quæ istam divini nominis invocationem significant, sufficiunt: sed non sunt absolute necessaria, quia alia æquivalentia signa cum intentione jurandi data sufficiunt, v. gr. scriptura. Unde stando in jure naturali juramentum sine verbis per æquivalentia signa factum potest sufficere ad inducendam humanorum contractuum obligationem: nam mutus potest se obligare sub juramento, et esse testis ac jurare in judicio; sed quando jus humanum requirit absolute verba ad inducendam obligationem, tunc servandum est, et verba adhibenda. Hinc igitur patet tribus modis fieri posse juramentum: scilicet solis verbis; verbis et actione, v. gr. voce jurare et tangere Evangelia manu; ac sola actione sine verbis, v. gr. dum quis rogatus ad dandum sui juramenti signum tangit librum, apprehendit manum, attollit digitum, inclinat caput, etc.

Dico 2: Juramentum ex parte formæ iterum dividitur in *simplex* quod speciali solemnitate caret, et in *solemne* quod fit peculiari cæremonia ac verbis, per legem aut consuetudinem determinatis, v. gr. tangendo crucem, reliquias, Evangelia, etc.; per invocationem trium divinarum personarum, interdum B. Virginis, aut aliorum sanctorum vel per aliam peculiarem verborum formam. Huc spectat antiqua jurandi cæremonia (*Gen.* XXV, XLVII) servata, ponendo manum super femur exigentis juramentum, vel ob fidem in Christum ex genere Abraham nasciturum; vel ob fidem in Deum verum, qui Judæis præceperat circumcisionem; vel ob signum subjectionis erga exigentem juramentum. Differentia hæc inter simplex et solemne juramentum est tantum quid accidentale essentiæ juramenti.

Dico 3: Juramentum ex parte formæ rursus dividitur in *invocatorium*, implorando Deum in testimonium veritatis directe vel in se ipso, vel in creatura cum ordine ad ipsum, non petendo determinatum divinæ attestationis modum, v. gr.: *Testis est Deus, vivit Dominus*, etc., et in *exsecratorium*, imprecando sibi malum a Deo specialiter immittendum vel permittendum, si non est verum quod juratur; contra vero accipiendo pro signo veritatis quæ juratur, si tale malum non eveniat, v. gr. *Statim moriar si non est ita; hæc faciat mihi Deus, et hæc addat* (*Ruth* I, 17). *Testem Deum invoco in animam meam* (*II Cor.* I, 23). Hæc etiam in jure canonico indicatur forma juramenti exsecratoria: *Sub periculo animæ*. Item: *Sic Deus me adjuvet*. Hæc duo juramenta, simplex et solemne, non differunt specie in ratione juramenti; in utroque enim invocatur Deus in testem sub eadem ratione formali.

CAPUT XIII.

De variis jurandi formulis.

Dico 1: Ad jurandum non necessario requiritur signate verbum *juro*; in jure enim formulæ jurandi sæpe illud non habent, uti nec sanctus Paulus, nec prophetæ in his formulis: *Testis est mihi Deus, vivit Dominus*, etc. Sufficiunt enim quævis verba quæ Dei invocationem in testem exprimant; hinc graviter jurant Hispani, dum inepta phrasi dicunt: *Voveo Deum ita esse vel non esse*. Dum quis autem tantum dicit *juro*, sitne juramentum necne, id ex intentione loquentis et ex circumstantiis pendet, cum istud verbum sit indifferens; dicendo tamen *per Deum* ad veritatem confirmandam, juxta omnes est verum juramentum. Idem dic de hac formula sine particula *per*: *Vivit Dominus*, ut habetur Jerem. IV, 2: *et jurabunt, vivit Dominus*; et longe certius de hac, etiamsi non ponatur *juro*: *Testem Deum invoco*, ac idem de hac, prout nunc est in usu: *Testis est Deus*. Hæ autem sequentes possunt esse magis dubiæ: *Scit Deus; coram Deo; in conspectu* vel *in præsentia Dei*. Denique valde usitata hæc est formula jurandi: *In veritate Dei*.

Dico 2: Dum quis dicit, *in fide mea*; sive sit vir nobilis, sive non sit, juxta communem sententiam non jurat; nec per hoc nomen *fides*, intelligitur fides Christi, idemque est si dicat *per fidem meam*, contra Sotum: imo etiamsi id dicat ex intentione erronea faciendi juramentum, quia tunc erit tantum juramentum putatum; si vero rite intelligens quid sit jurare, sine errore habeat veram intentionem interponendi fidem suam cum habitudine quæ ad jurandum per Deum sufficiat, tunc erit verum juramentum; sed in usu communi non sic usurpantur ista verba, adeoque simpliciter loquendo non sunt juramenta. Si dicatur: *In fide Christiana*, vel *Christi* vel *Dei*, vel *Per fidem Christi*, aut *Evangelia*, tunc est verum juramentum; sed si dicatur: *In fide hominis Christiani*, et intelligatur de fidelitate, qualem decet esse in homine Christiano,

tunc non erit juramentum, sicut non est dum dicitur: *In fide regia, in fide viri nobilis, religiosi, clerici*, etc., specificando fidem humanam, non divinam, seu determinando fidem ad humanam tantum credulitatem. Sed in his et similibus consulenda est intentio loquentis. Dum igitur quædam jura et juristæ dicunt ista verba in *fide*, vel *per fidem* esse juramenta, intelligunt de fide Christiana.

Dico 3 : Ex dictis sequitur has loquendi formulas: *Vere, in veritate, in veritate mea*, etc., non esse juramenta; idem dic de hac : *In conscientia*, vel *per conscientiam meam*, etiamsi hæc possit esse æquivoca an ad Deum referatur; quod ex intentione loquentis pendet, satiusque est eam refugere. Hæ vero: *Per habitum sancti Petri, per professionem meam religiosam*, aut per alias creaturas ad Deum relatas aliquid attestari, sunt juramenta. An homagium includat, sive formaliter sive concomitanter, juramentum, alii affirmant, alii negant. Spectanda est consuetudo.

Dico 4 : Formulæ juramenti exsecratorii hæ duæ sunt : 1ª est quæ fit sine expressa imprecatione sic : *Per vitam, per salutem propriam, Patris, Filii*, etc. ; jurans enim per vitam, quantum est ex se, eam exponit Dei judicio, ut si falsum jurat, illa privetur. Similiter : *Sic me Deus adjuvet*, sensus est : Si mentior, Deus non me adjuvet. 2ª Est quæ fit cum expressa imprecatione sibi vel rebus sibi charis injecta ; quales sunt gravissimæ, imprecari sibi vel aliis mortem æternam, Dei iram, dæmonis obsessionem, si verum non dicitur. Sunt tamen quidam modi imprecationum qui ad juramentum non spectant.

CAPP. XIV, XV.

De personis quæ jurare possunt.

Dico 1 : Deus juxta modum ac formam juramenti, et aliquo modo quoad nos juxta ejus effectum ac finem, id est volendo ostendere sui decreti absoluti immutabilitatem, ac augere nostram fidem et spem, potest quidem jurare, ut patet ex Scriptura : *Juravi in nomine meo magno* (*Jerem.* XLIV, 26). *Juravit Dominus in Sancto suo* (*Amos* IV, 2), id est in sanctitate sua. *Juravit Dominus et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX, 4). Sed non potest jurare quoad rem ipsam, seu quoad se : *Quoniam*, ut ait sanctus Paulus ad Hebr. VI, 13: *Neminem habuit per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum ;* juramentum enim in sua proprietate dicit habitudinem ad auctoritatem superiorem respectu jurantis. Deinde non videtur Deus posse jurare per exsecrationem (nihil enim mali potest sibi imprecari), sed solum per attestationem. Unde dicitur : *Juravit Dominus in anima sua* (*Amos* VI, 8), etc. *Juravit Dominus per animam suam* (*Jerem.* LI, 14), id est per suam substantiam seu per se ipsum attestando, non imprecando. Sic dum ait : *Semel juravi, si David mentiar* (*Psal.* LXXXVIII, 36), id est non mentiar.

Dico 2: Christus potuit jurare; erat enim quatenus homo, capax juramenti etiam proprie sumpti, utpote minor Patre, et sic per majorem se jurare poterat, et ex parte quidem audientium cum fructu, cum auctoritate, et fortasse interdum cum necessitate ; imo videtur aliquando jurasse per hæc verba : *In veritate dico vobis* (*Luc.* IV, 25). *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit* (*Luc.* XXI, 3). *Amen, amen dico vobis* (*Joan.* VIII, 34, et alibi passim). Licet enim ista verba non sint formalia juramenta quoad Dei invocationem, æquivalenter tamen eamdem vim videntur habere, maxime si intelligantur de Christo jurante non per alium seu per Patrem sed per seipsum. Ista autem dictio *Amen* habet triplicem usum : 1° idem est ac *vere* aut *fideliter*, ut in exemplo allato sumitur ; 2° idem est ac *fiat* non tantum ut verbum optandi, sed etiam consentiendi et confirmandi, et sic videtur sumi ab Ecclesia in fine orationum ; 3° significat Deum immutabiliter veracem in Apoc. III, 14 : *Hæc dicit : Amen testis fidelis.*

Dico 3 : Angeli boni cum hominibus loquentes possunt jurare, ut patet in Apoc. X, 6 : *Angelus juravit per viventem in sæcula sæculorum.* Inter se autem non jurant, quia semper clare intuentur ea de quibus ab aliis illuminantur aut instruuntur per quamcunque angelicam locutionem. Nec videntur ipsi mali angeli inter se jurare, non ex bono motivo, sed ne Deum honorent; respectu vero hominum, ad illos decipiendos sub specie falsa, interdum jurare possunt, si Deus illis permittat. Denique angelus in pura natura spectatus si possit cum altero angelo ita loqui, ut rem dictam non intuitive, sed solum abstractive per suam locutionem, illi ostendat; tunc in tali statu posset illi esse usus et utilitas juramenti.

Dico 4 : Juramentum non est ex iis rebus quæ necessario supponunt peccatum aut ejus effectus in natura humana; adeoque ejus usus non fuit repugnans statui naturæ integræ, seu statui innocentiæ, ac potuisset fieri sine culpa etiam veniali, licet ejus necessitas fuisset rarior. In statu naturæ lapsæ omnes adulti verum Deum cognoscentes sive hæretici aut Catholici, sive Judæi aut gentiles sunt capaces juramenti, secus vero athei ; et qui falsos tantum deos colunt, jurando per illos, faciunt putatum, non verum juramentum. Jure autem humano inter fideles non admittuntur ad jurandum in judicio infames ac perjuri ; nec pueri ante decimum quartum ætatis annum cogi possunt ad jurandum, nec rata sunt eorum juramenta. Deinde prohibentur presbyteri jurare in manibus laicorum sine licentia sui prælati, nempe dum jurant laico ut alicujus causæ judici aut superiori (cap. *Ex rescripto*, cap. *Pervenit*). Idem dic de episcopis, exceptis casibus in jure expressis, v. gr. in præstanda papæ obedientia, in abjuratione erroris, etc.

LIBER II.

De juramento promissorio.

CAPP. I, II.

Qualis sit obligatio juramenti promissorii.

Dico 1 : Constat promissioni additum juramentum secum afferre propriam et peculiarem obligationem faciendi id quod promittitur. De fide : Qui enim juratam promissionem non implet, perjurus censetur (cap. *Querelam*, c. *Tua nos*). Quia sicut assertorium juramentum fit ut auctoritate divina confirmetur veritas, ita et promissorium ut eadem auctoritate habeatur immobilis et certa promissio. Sed

Dico 2 : Assertio jurata de futuro potest in rigore separari a promissione ; pura enim assertio de futuro quæ fit ex solo proposito, est natura sua prior omni promissione, potestque sine promissionis interventu simpliciter proferri, v. gr. : *Assero me habere propositum cras istam rem faciendi :* ergo et jurari sine promissionis interventu. Nihilominus juramentum cadens in assertionem de futuro, licet promissionem non supponat, præter tamen obligationem asserendi verum de præsenti quam includit aut supponit, specialem aliam inducit obligationem faciendi quod juratum est. (D. Thomas.) Quia qui jurat se aliquid facturum, ut licite juret, debet non solum habere propositum faciendi quod jurat, sed etiam habere animum seu voluntatem se obligandi ad efficiendum verum quod jurat, modo id non sit malum nec rectæ rationi repugnet : neque promissorium juramentum adæquate sumit suam denominationem à promissione, sed ex eo quod assertio jurata de futuro æquivaleat promissioni aut eminenter illam contineat; vel certe quia illi frequentius promissio adjungitur. Dum quis jurat de facto alieno futuro, quod a se non dependet, v. gr. cras pluviam futuram, non jurat se aliquid facturum, sed se habere talem conjecturam; si autem juret de facto alieno futuro, quod a se aliquo modo dependet, tunc tale juramentum inducit obligationem faciendi debitam diligentiam, ut illud fiat.

Dico 3 : Juramenti obligatio est religiosa, seu pertinet ad Dei cultum ac religionem, et gravis quidem ex genere suo, cum in gravitate obligationi voti æquiparetur. Tamen juramenti promissorii obligatio est specie diversa ab obligatione voti (nam votum et juramentum sunt actus specie diversi, adeoque producunt obligationes specie diversas), et ab obligatione promissionis ob formale motivum diversum, ac maxime in promissione homini facta, cujus obligatio est fidelitatis humanæ aut ad summum justitiæ; juramenti autem obligatio est religionis. Hinc sequitur juramenti et voti obligationes secundum se et ex natura sua esse separabiles, sæpe enim fiunt vota sine juramento; ac quamvis interdum simul concurrant, illorum tamen obligationes seu vincula manent semper formaliter distincta. Quod autem possit fieri juramentum etiam sine voto, patet in materia ad votum non apta, v. gr. in sponsalibus, contractibus, comminationibus, humanis promissionibus. Imo et in quacunque materia ad votum apta ac religiosa potest fieri juramentum sine voto, seu separari obligatio juramenti ab obligatione voti : potest enim quis velle jurare etiam in causa pia, v. gr. jurare pauperi se illi daturum stipem, et non vovere : v. gr. pœnitens qui jussu confessarii jurat se impleturum propositum restituendi, vel se non ingressurum talem domum meretriciam, non facit votum. Attamen hujusmodi juramenta in materia pia ordinarie fiunt cum aliqua voti admistione, quia ordinarie non fiunt sine promissione ad Deum tendente ; promissio autem Deo facta ac votum idem sunt. Hinc spectanda est maxime intentio jurantis ; si enim jurarit sine ullo respectu ad Deum, sed duntaxat ad firmandam suam voluntatem in proposito aliunde concepto, tunc erit solum juramentum.

CAPUT III.

An obligatio juramenti major sit quam voti.

Dico 1 : Obligatio quam includit seu supponit juramentum assertorium, major ac gravior est quam voti. Quia obligatio non attribuendi Deo falsum, multo major videtur, quam obligatio reddendi Domino vota; prior enim est negativa : *Non perjurabis* (*Matth.* v, 33); posterior affirmativa, *reddes Domino vota tua* (*Ibid.*); prius præceptum videtur gravius quam posterius. Sed :

Dico 2 : Obligatio juramenti promissorii videtur minor esse, quam voti, quia per votum fides directe Deo datur ; per juramentum autem promissorium quatenus tale, non datur fides ipsi Deo, sed adducitur Deus ut testis promissionis vel assertionis de aliquo futuro facto. Primus respectus magis ad divinam auctoritatem ac reverentiam spectat quam secundus, ideoque gravior obligatio. Hinc sequitur minorem esse obligationem juramenti promissorii quam assertorii, et mediam inter utramque esse voti obligationem : non tamen sequitur obligationem juramenti assertorii et promissorii esse specie et essentialiter diversam, sed in individuo et accidentaliter. Interdum autem juramentum additur voto, non ut addatur major obligatio, sed ut multiplicentur obligationes diversæ.

CAPUT IV.

Erga quem incurratur obligatio ex juramento promissorio.

Dico : Juramentum promissorium quod non est

conjunctum cum promissione humana, nec cum voto, solam inducit obligationem erga Deum, nullam erga hominem; quia erga hominem nulla ibi habetur obligatio justitiæ, cum nullum interveniat pactum; nec fidelitatis, cum nulla fuerit promissio; nec ulla alia potest excogitari. Ergo sola ibi superest obligatio religionis erga Deum, seu reddendi Deo debitum: *Reddes autem Domino juramenta tua* (*Matth.* v, 33). *Non assumes nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* xx, 7). Sed

Dico 2: Juramentum promissorium quod fit per humanam ac veram promissionem juratam, inducit obligationem non tantum erga Deum, sed etiam erga hominem cui juramentum præstatur, si aliunde non impediatur obligatio, ut postea dicetur; directe enim homini, ut supponitur, fit illa promissio, et non Deo; ergo directe producit obligationem erga istum hominem: juramentum enim promissioni additum, non tantum non tollit naturalem promissionis obligationem, sed potius confirmat ac auget, ut jam dicam, præter aliam religionis obligationem quam inducit erga Deum. Unde:

Dico 3: Juramentum promissorium extensive auget obligationem simplicis promissionis, quia novam illi addit obligationem religionis erga Deum, adductum in fidejussorem; imo et aliquo modo intensive, quia hæc religionis obligatio altior est, quam promissionis humanæ, et ipsa promissio humana ob concomitantiam istius juramenti, augetur etiam in se accidentaliter, et quasi intensive intra suam propriam speciem, sicut furtum in ecclesia factum non tantum est majus per additionem malitiæ sacrilegii, sed etiam in sua specie est gravioris malitiæ ob istam concomitantiam, quæ vel contemptum, vel considerationem auget; non tamen ita augetur ista humanæ promissionis obligatio ob juramenti concomitantiam, ut in se augeatur essentialiter intensive, sive ut ab una specie ad aliam transferatur; sed tantum in individuo intra eamdem speciem evadit gravior.

CAPUT V.

An solum juramentum promissorium factum per Deum verum inducat obligationem.

Dico 1: Certum est juramentum promissorium factum per Deum verum sive explicite nominatum in se, sive implicite nominatum in aliqua creatura, habere vim obligandi: utrumque enim est ejusdem speciei, adeoque ejusdem obligationis saltem in specie, etiamsi fortasse diversæ in individuo. Ista autem utriusque obligatio desumitur ex Dei auctoritate et reverentia illi debita.

Dico 2: Promissio facta sub juramento præstito per deos falsos, vi juramenti obligationem quidem non inducit, quia non est juramentum; quod autem non est, non potest obligationem inducere; cumque non pertineat ad veri Dei honorem, ejus violatio non est contra veri Dei honorem. Nihilominus ex erronea jurantis conscientia intendentis vere jurare, ipsum obligat, quia conscientia erronea habet vim obligandi sub ea ratione, sub qua res concipitur; atqui ille intendit et putat se vere jurare; ergo, etc. Si igitur postea deponat istam conscientiam erroneam, v. gr. infidelis ad fidem conversus, tunc obligatio ex illa sola proveniens cessabit. Cæterum pactum aut fœdus tali juramento firmatum, si sit de re licita et sine Christianæ religionis præjudicio servari possit, manebit firmum quoad obligationem justitiæ ac fidelitatis humanæ, quæ in eo sine juramento inerat: hæc enim obligatio non erat ex conscientia erronea, sed ex vera lege naturali; amisit tamen illam firmitatem quam ex putato juramento participabat; corruit enim, depulsa conscientia erronea. Hinc juramentum a fideli sine conscientia erronea factum per falsos deos, ipsum ex vi juramenti non obligat.

CAPUT VI.

An juramentum factum per creaturam sine habitudine ad Deum, sive verum sive falsum, obliget.

Dico 1: Si quis aliquid promittat jurando per dæmonem, non sub ratione falsi dei, sed sub ratione cujusdam personæ intellectualis quam vult honorari, eique fidem haberi, nullam ex tali juramento obligationem contrahit; quia dæmon est mendax, nulla fide dignus, omnis ejus cultus sacrilegus, invocatio interdicta; ergo tale juramentum est sacrilegum, et illud observare sub tali titulo perniciosum.

Dico 2: Juramentum per sanctos angelos aut homines cum Christo regnantes, si ex intentione jurantis sistat in testimonio creato quod ab ipsis dari posset, non quidem ex religionis, sed ex duliæ virtute simpliciter obligat sub mortali; quia sicut frangere fidem sub nomine Dei datam est grave sacrilegium contra religionem seu cultum latriæ, ita frangere eam sub nomine aut auctoritate alicujus sancti datam, est gravis irreverentia contra cultum duliæ sancto debitum. Dixi *ex intentione jurantis*; nam moraliter non ita fit, sed in sancto præcipue spectatur Deus; et sic, licet fortasse addatur specialis duliæ cultus erga sanctum, non excluditur cultus latriæ erga Deum, adeoque in tali juramento erit duplex obligatio specie diversa, una latriæ, altera duliæ.

Dico 3: Juramentum promissorium per creaturam absolute spectatam, v. gr. per barbam, etc., quando constat fieri per illas absolute quatenus tales, sine respectu ad Deum, qui in illis est, nullam specialem inducit obligationem neque in reipsa, neque ex conscientia erronea, si absit animus tribuendi creaturæ divinitatem; quia illud nec est, nec putatur juramentum. Quod autem Augustinus (serm. 28, cap. 12) sic dicit: « Qui per lapidem falsum jurat, perjurus est; » licet multi id interpretentur de idolo, quod vocat lapidem, probabiliter tamen potest intelligi de juramento et perjurio quoad externam speciem, injustam deceptionem, scandalum, non vero quoad rem ipsam:

vel agebat de lapide ut relato ad Deum inexsistentem.

CAPUT VII.

Quænam intentio requiratur ut juramentum promissorium obliget.

Dico 1 : Ut juramentum promissorium obliget, requiritur intentio jurandi, et quidem sufficienter deliberata, ea saltem deliberatione, libertate et advertentia, quæ ad peccandum mortaliter sufficeret : obligatio enim quæ ex hoc juramento nascitur, est ex genere suo sub mortali ; ergo requirit deliberationem quæ necessaria est ad peccandum mortaliter. Hinc si fiat cum imperfecta deliberatione quæ ad peccandum venialiter tantum sufficeret, non obligat sub veniali ad implendum promissum, quia ex actu indeliberato non potest intrinsece oriri obligatio ad actum, qui postea pleno judicio et deliberatione exercendus est. Sed potest homo ea, quæ indeliberate protulit, retractare ; neque est privandus hac libertate propter actum indeliberatum præcedentem ; privaretur autem, si teneretur sub veniali implere istud juratum promissum. Idem dic de voto.

Dico 2 : Ut juramentum obliget, sufficit ex parte jurantis voluntaria ac deliberata jurandi intentio jam explicata, etiamsi non adsit : 1° intentio promittendi ; potest enim esse et subsistere juramentum sine promissione, uti supra dictum est, adeoque cum sine promissione sit et subsistat verum juramentum, ex se et ex natura sua obligat. 2° Etiamsi nec adsit intentio se obligandi alteri, cui juratur ; quia licet tunc non adsit obligatio fidelitatis aut justitiæ ob defectum promissionis, propria tamen ac specifica religionis seu juramenti obligatio, quæ ex vero juramento connaturaliter nascitur, subsistit. Unde ex juramento promissorio cum vera jurandi intentione, sed sine se obligandi et implendi quod juratur intentione facto, oritur religionis obligatio, contra multos theologos, Scotum, Gabrielem, Richardum, Sylvestrem, etc., dicentes jurantem cum intentione non se obligandi, non obligari ex vi juramenti, quia, inquiunt, homo per proprios actus non obligatur nisi sua voluntate ; ergo si sit voluntas non se obligandi, non obligatur. Sed probatur assertio : Qui voluntarie ponit juramentum, non potest impedire effectum qui necessario ex illo sequitur, id est obligationem ; sicut qui voluntarie applicat ignem domui, non potest impedire effectum qui ex illa applicatione voluntaria sequitur ; quia dum homo cum vera intentione jurandi, jurat se aliquid facturum, eo ipso adducit Deum non solum in testem assertionis de præsenti, sed etiam de futuro ; adeoque ex necessitate obligatur ad faciendum veram illam assertionem de futuro ; ergo non ab hac obligatione excusari potest per quamcunque aliam voluntatem contrariam. Adverte autem eos, qui tenent oppositam sententiam, non sat distinguere intentionem non se obligandi ab intentione vere jurandi, et utramque confundere, cum tamen istæ duæ intentiones sint distinctæ, et possint separari, v. gr. posset quis velle vere, et cum vera intentione jurare se ingressurum religionem, advocando Deum in testem et nolle obligari, utpote sciens in hac materia juramentum non obligare ; hic tamen ex vi sui juramenti obligaretur ad ingressum : sunt enim aliqui actus humani, per quos obligatur homo etiam nolens obligari, dum nempe ponit aliquem actum ex quo necessario sequitur obligatio : sic dum furatur, obligatur etiam nolens ad restitutionem ; dum alteri damnum facit, aut dum peccatum committit, obligatur etiam nolens ad satisfaciendum, ad pœnitendum. Quare intentio non implendi rem vere juratam, non potest impedire obligationem istius juramenti, utpote naturaliter ac necessario ex illo emanantem.

CAPP. VIII, IX.

An juramentum simulatum, aut per injuriam extortum obliget.

Nota non agi de juramento simulato quoad defectum intentionis, de quo jam dictum est ; sed quoad verborum usum et significationem. Quare

Dico 1 : Quando jurans accipit verba quibus jurat, in diversa significatione a sensu quem concipit is cui jurat, suamque jurandi intentionem accommodat sensui quem ipse intendit, utens prudenti amphibologia sine alterius injustitia, obligatur tantum juramento juxta suam propriam intentionem ; et simulatum in hoc sensu juramentum non inducit obligationem ad id quod simulatur. (D. Thomas, Gregorius, etc.) Non enim obligatur titulo justitiæ, cum nullam injustitiam fecisse supponatur ; nec titulo fidelitatis, cum teneatur tantum adimplere promissa juxta sensum verborum a se intellectum : non obligat enim promissio nisi juxta intentionem promittentis ; nec ex vi juramenti, quia jurans non habet intentionem jurandi quod alter intelligit, sed quod ipse intendit significare ; imo licet cum injustitia et fraude sic juret, non obligatur ex vi juramenti directe ac per se loquendo ad verba adimplenda nisi juxta sensum a se intentum. (D. Thomas, Scotus, Richardus, etc.) Quia ille non habet intentionem jurandi id quod alter concipit, adeoque illud non jurat ; ergo nec ad illud obligatur, sed tantum ad id quod ipse habuit intentionem jurandi. Sic tamen dolose et injuste jurans graviter peccat et contra Deum et contra proximum ; deinde licet ex vi juramenti non obligetur, ratione tamen injustitiæ ac damni inde secuti, et scandali vitandi obligatur : videntes enim homines juramentum factum non servari, censent Deum graviter contemni, et in foro externo præsumetur obligare.

Dico 2 : Omne juramentum homini factum, licet sit per injuriam extortum, v. gr. ab usurario ad solvendas ipsi usuras, aut a fure ad dandam ipsi pecuniam, si absque jurantis peccato et turpi-

tudine impleri possit, est validum et inducit obligationem. Habetur in cap. *Debitores*, cap. *Si vero*, etc. Quia ejusmodi juramenta continent quidquid requiritur ad veram juramenti substantiam, et possunt sine peccato impleri, v. gr. solvere usuras, etc.

Objicies 1 : Promissio in hoc juramento per injuriam extorquetur ; ergo est nulla, adeoque et juramentum quo promissio confirmatur, est nullum, quia per injuriam non potest acquiri jus contra eum qui patitur injuriam. Respondeo : Distinguo consequens. Juramentum est nullum, quatenus firmat promissionem, concedo ; quatenus firmat assertionem, nego. Supposita enim sententia communi quæ asserit promissionem per injuriam extortam, jure naturæ esse initam (quia in actione injuriosa non potest fundari vera obligatio ex parte ejus qui injuriam patitur), contra quosdam nolentes esse jure naturali, sed civili tantum irritam, dico tunc : Quamvis juramentum non possit firmare promissionem jure naturæ initam (secus si foret tantum jure civili irrita), sive quæ nulla est in ratione promissionis, potest tamen firmare assertionem de futuro in ista promissione irrita inclusam, et inducere obligationem adimplendæ hujus assertionis de futuro ob cultum Dei ; et sic ratione hujus obligationis juramentum est validum et obligat, sive non est nullum.

Obj. 2 : Solvens usuras ad juramentum implendum, cooperatur alterius peccato ; ergo. Respondeo : Nego antecedens. Quia usurarius tunc est paratus ad eas recipiendas, sive antea fuerit paratus, necne, sive inductus ad mutuandum sub usuris, necne : si enim tunc non esset paratus, eas non reciperet, et sic liberaret mutuatarium ab obligatione juramenti ; ergo hic tradendo quod promisit, non inducit alterum ad peccatum, nec ejus peccato cooperatur.

Obj. 3 : Ista solutio non est actus virtutis, nec utilis illi, cui factum est juramentum, sed potius nociva. Respondeo : Nego assumptum. Sufficienter enim utilis est, ut fiat verum quod sub divino testimonio dictum est, cum possit verum fieri sine peccato ; adeoque actus honestus qui etiam inservit ad promittentium et humanæ societatis commodum, cum tanta sit auctoritas juramenti, ut etiam injustos exactores reddat certos de promissi impletione ob datum juramentum ; atque ita si promittentes iterum indiguerint tali remedio, eis fides adhibebitur. Deinde stare promissis et datum verbum implere, per se adeo est decens, ut etiam in injustis extorsionibus ad veritatis perfectionem pertinere videatur. Ideo simplex ejusmodi promissio sine juramento facta, posset etiam honeste impleri : non tamen sub obligatione, quia istæ omnes rationes inducunt honestatem, non tamen necessitatem ; alius enim non potuit ad tantum onus per injuriam et injustitiam obligare. In promissione autem jurata habetur solius Dei ratio. Cumque exactio juramenti fuerit turpis et injusta, is qui juravit, sufficienter implebit suum juramentum per solam rei promissæ traditionem, statim eam repetendo et conando quacunque via poterit, eam repetere, cum teneatur alter eam restituere. Et si fuerit juramentum de ea non repetenda, erit quidem validum ; sed potest id in judicio denuntiare et sui juramenti relaxationem petere. Si autem exigatur juramentum de non facienda denuntiatione, aut de non petenda relaxatione, cum sit de re mala et in præjudicium Ecclesiæ prælatorum, poterit in necessitate simulatis verbis et diversa intentione, illud honeste præstare.

CAPUT X.

An juramentum metu extortum obliget.

Dico 1 : Quando juramentum oritur ex metu sine injuria illato, si ficto animo non fuerit factum, obligatorium est, sive metus directe ad hoc extorquendum illatum fuerit, sive non, quia est simpliciter voluntarium, et tantum involuntarium secundum quid ; adeoque verum juramentum, sicut peccatum voluntarie licet ex metu commissum, est verum peccatum, imo quamvis per vim et metum cum injuria sit extortum, si sit de materia capaci, quæ honeste impleri possit, etiam obligat. (D. Thomas, Gabriel, Durandus, etc.) Quia injuria et metus simul non impediunt quominus sit verum juramentum, cum non tollant veram jurandi voluntatem. Sic etiam votum metu factum stando in jure naturali est etiam validum ; stando autem in jure ecclesiastico quædam vota metu facta, v. gr. solemne religionis votum Ecclesia irritavit, uti et matrimonium. Obligatio autem juramenti provenit ex jure naturali, estque obligatio non ratione hominis, sed Dei.

Dico 2 : Captivus qui, præviso mortis periculo, juravit redire ad carcerem, obligatur juramento, sive justus sive injustus sit carcer ; et sive mors sit justa sive injusta. Cum enim mortis periculum præviderit, quod tunc jam erat, voluntarie juravit ; et juramentum potest impleri sine peccato et ad illud servandum ob Dei reverentiam potest se reponere in eodem mortis periculo in quo prius versabatur, nec hoc est se occidere. Quando autem periculum non fuit mente prævisum, et juravit quia non putavit esse tantum periculi in reditu, tunc merito potest excusari ab observatione juramenti, quia tunc non voluit a principio se obligare ad subeundum istud periculum, et res sunt notabiliter mutatæ vel in re ipsa, vel in mente jurantis ; potest igitur credi non habuisse animum jurandi et se obligandi pro tali casu, adeoque non obligatur ; nisi in casu in quo infidelibus grave religionis scandalum daretur. An autem juramentum de contrahendo matrimonio cum aliquo mortis metu extortum, sit validum, vide in tract. *De matrim.*, ac maxime Sanchez et Covarruviam.

CAPUT XI.

An dolus vel error reddat juramentum invalidum.

Dico 1 : Error seu dolus in rei substantia annullat juramentum; quia tunc deest intentio jurandi hoc in particulari, uti similis error etiam annullat votum et matrimonium. Et hoc verum est sive error sit antecedens et det causam juramento, id est sine quo non fieret juramentum; sive sit concomitans et incidens, id est si res circa quam erratur, sciretur, non fieret juramentum : quia in utroque deest actualis intentio jurandi id circa quod erratur, et actualis consensus; nec sufficit illa conditionalis dispositio : *Etiamsi istud scivissem, jurassem;* non enim revera juravit.

Dico 2 : Error circa causam extrinsecam, quæ movet ad jurandum, vel circa qualitatem rei juratæ accidentalem, non reddit juramentum invalidum; v. gr. error vel dolus in juramento quod Josue præstitit Gabaonitis (*Josue* IX, 15 seq.), fuit circa accidentalia non circa substantialem materiam; ideo reputatum est validum. Idem dici potest de juramento quod quis faceret dandi alicui eleemosynam, putans esse concivem suum, quem postea scit esse externum; quia in illis substantialis jurandi voluntas habetur. Si tamen ista moraliter et secundum prudentem conjecturam afficerent substantialem juramenti materiam, hanc limitando, in ordine ad jurantis intentionem, ita ut non credatur jurans habuisse intentionem illa comprehendendi sub sua promissione aut jurata assertione, tunc esset invalidum ob defectum omnis consensus circa illa : juramentum enim non extenditur ad prorsus incognita. Hinc ignorantia etiam pure privativa, si auferat cognitionem rei necessariæ ad consensum aut ad intentionem jurandi, de se sufficit ad impediendum juramentum, seu juramenti obligationem; maxime rei contingenter postea supervenientis, v. gr. jurat ducere virginem, quæ postea committit fornicationem : intentio enim jurandi non se extendit ad istam materiam, seu personam fornicatione mutatam.

Dico 3 : Supra dicta doctrina de metu et dolo data, generaliter se extendit ad omnia juramenta, etiam ad ea quæ legibus civilibus repugnant, et sine peccato ex parte jurantis, impleri possunt; si enim non obstante dolo vel metu insit vera voluntas jurandi tale pactum vel promissionem, fit verum juramentum; ergo ex Dei reverentia naturalem inducit obligationem, quamvis tale pactum vel promissionem jura reprobent : id enim faciunt jura non ad excludendam simpliciter naturalem ejusmodi juramentorum obligationem, sed ad declarandum ea, dum intervenit metus aut dolus, non habere tantam firmitatem quantam haberent si sine metu aut dolo facta fuissent; quamvis enim facta cum metu aut dolo etiam obligent, tamen priusquam impleantur, potest juste peti et concedi illiorum relaxatio in odium creditoris qui per metum aut dolum illa extorsit, ut sumitur ex cap. 2 *De jurej.*, in 6, et ex cap. 2 *De pactis*, in 6. Dum autem in authentica *Sacramenta puberum* dicitur de talibus juramentis : *Nullius esse momenti jubemus :* id tantum intelligitur in ordine ad forense judicium sæculare.

CAPP. XII, XIII.

An juramentum promissorium de re honesta facienda inducat semper obligationem, etiam in concursu melioris.

Dico 1 : Certum est juramentum de re honesta, seu de actu virtutis faciendo, si non impediat majus bonum, de se obligare. Tenetur enim jurans reddere veram suam assertionem, dum finis et res est honesta.

Dico 2 : Juramentum de virtutis actu qui Deo promittitur, sequitur voti conditionem; unde sicut votum, ita et tale juramentum debet esse de meliori bono : promissio enim Deo facta, nisi sit de meliori bono, ab ipso non acceptatur, ut nunc suppono. Ergo si promissio quæ fit Deo, non fuerit talis, licet juramento confirmetur, non acceptatur, seu juramentum non acceptatur, adeoque non obligat. Unde quando votum simplex seu non juratum non obligat, etiam juratum non obligat : quia obligatio juramenti promissioni seu voto addita semper pendet ex voluntate ejus cui facta est promissio; sed quoties votum non obligat quia impedit majus bonum, censetur Deus illud non acceptare vel simpliciter vel pro tali casu; ergo nec juramentum tunc obligat. Similiter dum simplex votum, determinatum ad aliquod opus particulare faciendum, licite potest commutari in aliud melius, quia creditur hoc fore gratius Deo quam illud, etiam tunc licet juratum votum commutari; talis enim juramenti obligatio pendet ex voti obligatione, et voti obligatio pendet ex acceptatione Dei cui fit votum; ergo si votum non obliget, nec juramentum.

Dico 3 : Juramentum promissorium cadens in promissionem homini factam, si potest honeste impleri, obligat ad sui impletionem; nec potest cum creditoris nocumento aut ipso invito commutari in melius, nisi in iis quæ ad religionis ac perfectionis statum pertinent : v. gr., si quis juravit dare liberaliter decem aureos petenti, non potest eos in stipem alteri dare, etiamsi hoc opus foret fortasse melius et Deo gratius. Item si quis juravit alicui servire, non potest licite hoc servitium commutare in servitium xenodochii, quia ista promissio obligat in conscientia vel ex justitia vel ex fidelitate; et res sic promissa aliquo modo jam pertinet ad eum cui promissa est, ob jus in illam tanquam debitam acquisitum. Dixi : *Nisi in iis quæ ad religionis ac perfectionis statum pertinent;* quia status perfectionis non debet impediri ob implendam promissionem homini factam juxta cap. *Ex publico*, De convers. conjugat. Ideoque promissio jurata etiam non impedit commutari in susceptionem talis status. Unde sponsalia jurata non impediunt quominus aliquis

licite possit religionem ingredi ob excellentiam perpetui status melioris.

Dico 4: Simplex assertio jurata de aliquo bono opere faciendo, si sit facta intuitu divini honoris tantum, non ita obligat, quin per melius opus impleri possit, quia in hac semper subintelligitur inclusa conditio: *Nisi Deus meliori modo honoretur;* sicque semper juramentum impletur. Secus vero si sit facta in commodum proximi, quia verba assertoria de aliquo opere faciendo, etiamsi non sint promissoria, non solent inter homines intelligi sub ista conditione: *Nisi commutetur in melius;* ideoque ad veritatem talis juramenti spectat ut veritas impleatur sicut prolata est, si commòde possit, aut si res non fuerit notabiliter mutata. Assertio autem jurata de bono opere faciendo, quæ nec intuitu Dei nec proximi, sed vel in commodum ipsius jurantis, vel absolute facta est, obligat instar voti; quia sicut votum directe in Dei honorem, ita hoc indirecte ex intentione istius boni operis, quod natura sua ad Deum refertur, ad eumdem tendit, adeoque sicut votum potest in melius mutari, ita et tale juramentum.

Objicies 1: Juxta regulam juris, juramentum implendum est, quoties servatum non vergit in salutis dispendium; ergo juramentum de actu virtutis semper implendum est quoties sine peccato impleri potest. Respondeo: Distinguo consequens. Semper implendum est in propria specie vel in alia re meliori, concedo consequens; necessario in propria specie, nego consequens. Dum enim per aliquid melius meliori modo servatur, fit juxta aliam juris regulam: *Promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* Hinc omnis actus studiosus potest esse materia juramenti obligatorii. Ad explicandum autem capitulum *Commissum* De sponsalibus, in quo Alexander III respondet eum qui post jurata sponsalia volebat religionem ingredi, tutius facturum si ineat matrimonium, et non consummet, ac tunc religionem ingrediatur, cum sit melius, inquit, religionem ingredi quam matrimonium inire, ad istud, inquam, caput explicandum varii varia afferunt. Quidam dicunt papam ibi tantum dicere *tutius* seu consultius, non tanquam necessarium aut de præcepto; alii volunt eum non loqui absolute, sed juxta circumstantias; alii dicunt ejusmodi sponsum non posse licite religionem ingredi sponsa ignorante. Certum tamen videtur posse licite sine sponsæ consensu, et ea nihil sciente ac sine matrimonii contractu statim religionem ingredi; vel potest admonere sponsam si velit ut impleatur juramentum, se contracturum matrimonium, sed non consummaturum; si autem nolit sic contrahere, tunc relaxat juramentum, et fit liber ad religionis ingressum.

Obj. 2: Juxta jus: *Non frangit fidem qui promissum in melius commutat;* ergo licebit juramentum non implere, commutando illud in melius. Respondeo: Si agatur de juramento promissorio quod fit Deo, semper impletur, dum in melius commutatur, ut jam dictum est; et de hoc intelligitur ista juris regula. Si autem agatur de juramento homini facto, illa solum habet locum sine præjudicio tertii; sæpe enim talis commutatio esset contra utilitatem vel voluntatem ejus in cujus gratiam factum est juramentum, et ideo illo invito non licet.

CAPP. XIV, XV, XVI.

An juramentum de actu qui sine peccato fieri non potest, aut de actu indifferente, obliget.

Dico 1: Juramentum promissorium de actu, qui sine peccato mortali fieri non potest, nullam inducit obligationem. Probatur ex cap. *Si vero*, et in cap. *Cum contingat*, dicitur juramentum quod vergit in interitum salutis æternæ, non obligare: sed peccatum mortale vergit in interitum; ergo. Dein sic jurans non tenetur habere propositum istius juramenti exsequendi; et licet teneretur habere propositum in illo juramento quatenus est assertorium ne falsum dicat, non tamen quatenus est promissorium pro eo tempore in quo implendum est. Dum dicitur Levit. v, 4, 5: *Anima quæ juraverit*, etc., *ut vel male quid faceret vel bene*, etc., *oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam:* id est, agat pœnitentiam pro peccato quod commisit in faciendo malo juramento, non autem in exsequendo. Juramentum quod fecerunt filii Israel non dandi in matrimonium suas filias filiis Benjamin, non constat fuisse de re illicita, nec qua ratione impletum (*Judic.* XXI); illud autem quod, jubente Domino, Israelitæ fecerunt de dimittendis alienigenis uxoribus suis aut fortasse concubinis (*I Esdr.* X) procul dubio videtur fuisse de re licita, adeoque potuisse fieri et impleri.

Dico 2: Juramentum promissorium de opere quod sine peccato veniali impleri non potest, nullam inducit obligationem. Habetur expresse in cap. *Quanto* De jurejurando: *Quia*, inquit, *juramentum non, ut esset vinculum iniquitatis, fuit institutum.* Et regula juris 58, in 6: *Non est obligatorium*, ait, *contra bonos mores præstitum juramentum.* Peccatum enim veniale est contra rectam rationem et a Deo prohibitum, adeoque non minus incapax obligationis quam mortale; quamvis sit minus peccatum ac malum in hoc juramento quatenus est assertorium, habere propositum illud implendi quam dicere ac facere formale perjurium; quatenus tamen est promissorium, impleri non potest, nequit enim committi peccatum veniale. Chrysostomus in hom. 14 *Ad populum*, exaggerat tantum incommoda et pericula frequenter ac facile jurandi, non autem docet juramenta de re illicita obligare; nec agit de ista re.

Dico 3: Juramentum ad actum indifferentem quatenus est indifferens, non potest obligare, quia probabilius actus in individuo indifferens est peccaminosus; nec solum non potest obligare ad actum indifferentem quia peccaminosus est, sed etiam quia sic in individuo factus, bonus non est, quia

ejusmodi actus inutilis est, otiosus et impeditivus majoris boni. Si tamen actus indifferens juretur vel ob honestum finem vel ob proximi utilitatem, ad quam accommodatus est, juramentum obligat: quia actus indifferens factus ob bonum finem, est opus virtutis, et ad utilitatem proximi accommodatus, induit honestatem ob jus quod proximus acquirit per promissorium juramentum ad actum sibi utilem ac proficuum.

CAPUT XVII.

Quando et quomodo obliget juramentum de omissione alicujus operis.

Dico 1 : Juramentum de non committendo peccato, clarum est obligare, atque adeo juramentum quod fit de vitando aliquem actum qui est occasio peccati, v. gr. ingressum talis domus, consortium talis hominis, etc., maxime obligat quandiu iste actus est occasio peccati; si autem desinat esse occasio peccandi, tunc etiam desinit obligatio juramenti.

Dico 2 : Juramentum de omittendo actu indifferente, si fiat intuitu honestatis ad quam illa omissio possit aliquid conferre, v. gr. juramentum non exeundi domo ob honestam occupationem, non laborandi ob Dei servitium, non ludendi ob pericula et temporis jacturam, etc., obligatorium est: secus vero, si sit de omissione actus ad virtutem impertinentis, v. gr. juramentum non legendi aut scribendi sine ullo fine honesto; cum enim talis omissio nullam contineat honestatem aut rationabilem utilitatem, non est materia obligationis moralis.

Dico 3: Juramentum de non faciendo aliquo bono opere supererogationis seu non cadente sub præceptum, v. gr. de non ingrediendo religionem, de non audiendo missam die feriali, de non dando eleemosynam, etc., quatenus tale, nullam inducit obligationem. (D. Thomas, Cajetanus, Sotus, etc.) Quia talis omissio, esto mala non sit, per se nullam affert bonitatem, et aliunde impedit majus bonum; ideoque est incapax obligationis justæ, nedum religiosæ, qualis est juramenti obligatio. Dixi *quatenus tale;* quia si quis pater, v. gr., juraret se non daturum aliquas eleemosynas supererogationis ob honestam filiorum utilitatem, tunc juramentum posset obligare, quia non esset directe de negatione actus virtutis, sed de rationabili bonorum conservatione in filiorum emolumentum. Unde juramentum de non mutuando, aut de non fidejubendo si absolute et per se fiat, non obligat nisi omnibus perpensis ob varia incommodorum pericula censeretur esse imprudentiam seu minus bonum mutuare vel fidejubere: si autem fiat in gratiam ac utilitatem alicujus tertii tunc obligat in omni casu in quo licite servari poterit. Quoad cap. *Quemadmodum*, § *Illud*, in quo quæritur, si vir juret uxori se non accusaturum eam de adulterio aut de ullo crimine, an hoc juramentum obliget, dici potest sic : Si hoc juramentum factum sit post commissum adulterium, et jam emendata uxore, tunc certo obligat, imo quamvis nondum foret emendata, videtur etiam vel tunc obligare, quia vir potest cedere juri suo, et prospicere privato uxoris bono aut bono communi per denuntiationem; denuntiare non est accusare. Si autem juramentum sit factum ante crimen commissum, cum fuerit turpis promissio augendo uxoris proclivitatem ad peccandum, tunc non obligabit, post commissum autem ista turpitudinis ratio non militat, quia tunc per denuntiationem potest cogi ad emendationem.

Dico 4 : Juramentum de non faciendo aliquo bono opere non obligans ad ipsius observationem, v. gr. de non intrando religionem, observare *materialiter*, id est, non facere istud opus, non quia id homo juravit, sed quia non tenetur facere, clarum est non esse peccatum. Ast illud observare *formaliter*, id est, persistere in illo proposito ex vi juramenti, et ob illud quasi coacte opus bonum omittere, esset inordinatum et culpabile.

CAPP. XVIII, XIX.

An juramentum contra præceptum divinum positivum, contra prius votum, contra juramentum aut promissionem factum obliget.

Dico 1 : Juramentum contra præceptum aut prohibitionem juris divini positivi factum, v. gr. juramentum nunquam confitendi, nunquam communicandi, etc., nullam inducit obligationem. Hinc, juxta communem theologorum opinionem, juramentum quod Josue (cap. IX) præstitit Gabaonitis, jurando cum eis fœdus, non fuit contra præceptum Dei (*Deut.* VII, 2): *Non inibis cum eis fœdus*, etc., quia hoc Dei præceptum potuit intelligi de non ineundo fœdere cum illis gentibus quæ in sua infidelitate ac duritia perseverassent, populoque Dei sese opposuissent; non autem cum iis quæ se sponte submisissent, uti Gabaonitæ; Josue tamen hos servituti subjecit tum ob deceptionem qua usi fuerant ad vitam impetrandam, tum ob legem Dei quæ hoc in tali casu præcipiebat. Istud igitur juramentum non fuit de re mala et illicita, adeoque potuit ac debuit observari, quia illa Gabaonitarum deceptio non fuit circa rem substantialem quæ erat bona ac justa, sed circa accidentalem, seu modum artificiosum: contra Abulensem dicentem illud secundum se spectatum fuisse de re illicita.

Dico 2 : Juramentum factum contra obligationem ex priori voto contractum, v. gr. juramentum non jejunandi, post votum jejunandi, aut juramentum ineundi matrimonii post votum castitatis, nullam inducit obligationem; est enim de re intrinsece mala, cum non sit major obligatio juramenti quam voti. Deinde quando duo juramenta sunt contraria, unum anterius, alterum posterius, tunc si anterius juramentum fuerit licitum et honestum, posterius non potest contra illud obligare; quia posterius est de re intrinsece mala, nempe de non observando juramento honesto antea facto. Actus tamen hujus posterioris juramenti factus contra

prius juramentum, licet illicitus, sæpe validus est: v. gr. si quis juravit se non donaturum, postea donat; se non facturum votum inconsulto Petro, postea eo inconsulto votum facit; se contracturum matrimonium cum Anna, postea contrahit cum alia: ista donatio, votum, matrimonium non sunt irrita, sed valida, quia talis actus valor pendet ex voluntate operantis, nec per ullam legem impeditur; quamvis enim juramentum anterius imponat obligationem illum non faciendi, non tamen simpliciter aufert potestatem illum faciendi valide ac volendi etiam illicite.

Dico 3 : Juramentum factum contra priorem simplicem promissionem juramento non confirmatam, obligantem tamen in conscientia sive ex justitia sive ex humana fidelitate, est invalidum nec obligat in conscientia (Covarruvias, Sylvester, Richardus, Sotus, etc.); quia non implere promissionem simplicem, est peccatum vel veniale vel mortale; ergo juramentum de illa non implenda est juramentum de faciendo peccato, adeoque invalidum; cum teneatur satisfacere promissor suæ promissioni, et quidem in eadem specie quam promisit, nec potest cogere creditorem ut aliud æquivalens acceptet, ut juramentum impleat. Imo, licet creditor sit isto æquivalenti contentus, aut cedat juri suo, probabilius tamen non obligabitur suo juramento, quia ab initio fuit de re illicita ac nullum; nisi in initio illud fecisset sub hac conditione, *si creditor cedat juri suo*, aut si res postea fuerit licita; tunc enim obligabit, quia ab initio juramentum fuit de re licita, adeoque validum. Sic qui juravit servare alicujus ecclesiæ statuta, condita (inter quæ erat unum illicitum contra canones, quod postea papa reddidit licitum per suam dispensationem) et condenda, non tenetur servare istud statutum quod tempore juramenti erat illicitum, utpote quod non potest statutum dici, si absolute juraverit sine respectu ad talem dispensationem, aut ad aliquid simile.

CAPP. XX, XXI, XXII, XXIII.

An juramentum de actu contra legem humanam, aut contra bonos mores civiles factum obliget.

Dico 1 : Juramentum factum de actu prohibito per legem humanam absolute prohibentem et in conscientia obligantem, est irritum, nec ullam inducit obligationem, quia est de re illicita et actu peccati : juramentum enim non est vinculum iniquitatis (cap. *Quanto*, cap. *Si quid*, etc.). Adeoque juramentum non tantum contra leges canonicas, sed etiam contra civiles in conscientia obligantes factum, iniquum et invalidum est, quando tamen juramentum contra leges civiles factum, impleri potest sine peccato, est validum, v. gr. juramentum quo filia renuntiat bonis paternis contenta sua dote. Quia, inquit Bartholomæus, in lege *Si quis pro eo*, sunt duplices leges : quædam enim dirigunt verba sua tantum ad contractum aut ejus formam sive illam irritando sive confirmando, non vero ad personas quibus nihil præcipiunt aut prohibent, adeoque eas non obligant, sed solum actum aut contractum irritant, vel debilitant, si fiat alio modo quam lex præscribit, licet personæ non peccent quæ illum faciunt; ideo juramentum contra has leges factum, est validum, quia impleri potest sine peccato. Aliæ autem sunt leges quæ directe loquuntur ad personas, illis præcipiendo aut prohibendo, easque obligando in conscientia; hinc juramentum factum contra has leges, est invalidum nec obligat; quia non potest impleri sine peccato.

Dico 2 : Juramentum promissorium contra bonos mores naturales, id est, qui ad animæ ac conscientiæ bonitatem morumque honestatem necessarii sunt, non est validum nec ullam inducit obligationem, utpote de re illicita et peccaminosa factum; sed contra bonos mores tantum civiles, id est qui tantum ad externam pacem, ad reipublicæ gubernationem, ad status convenientiam requiruntur, potest interdum esse validum et obligatorium, v. gr. juramentum seu promissio qua quis asserit se nunquam revocaturum suum testamentum, facta contra mores civiles qui ferunt testamentum posse usque ad mortem revocari, probabilius erit valida; sic juramenta ab uxoribus facta durante matrimonio super alienationes fundorum dotalium dicuntur esse obligatoria in cap. *Cum contingat*, et in cap. *Licet mulieres*. Ratio est quia ejusmodi juramenta possunt impleri sine animæ dispendio, et sine æternæ salutis damno servari. Quare

Dico 3 : Juramentum ex eo præcise quod sit contra bonos mores civiles, non fit invalidum, sed quotiescunque juramentum contra bonos mores civiles fit invalidum, provenit ex eo quod non sit tantum contra bonos mores civiles, sed etiam contra bonos mores naturales : quia jura civilia sæpe præcipiunt ea quæ ita ad honestatem sunt necessaria, ut illis contraria sint turpia aut peccata sive ex natura sua, sive ex legis efficacia; et tunc id quod fit contra hæc jura, non tantum fit contra bonos mores civiles, sed etiam contra bonos naturales. Sola igitur contrarietas cum solis bonis moribus civilibus non sufficit ad invaliditatem juramenti; alioqui ubicunque illa inveniretur, juramentum esset invalidum, nec obligaret; quod falsum esse patet ex cap. *Quamvis pactum*, De pactis, in 6, et ex cap. *Significante*, De pignoribus, etc. Item ex juramento per metum extorto, et de solvendis usuris juxta cap. *Debitores*. Hæc enim juramenta sunt certo contra bonos mores civiles.

Objicies 1 : Juramentum a clerico præstitum parendi judici sæculari, est contra bonos mores civiles, et tamen est invalidum. Respondeo : Nego assumptum. Est enim contra immunitatem ecclesiasticam et jus canonicum, ac vergens in animæ detrimentum, adeoque graviter peccaminosum.

Obj. 2 : Juramentum de non revocando testamento est contra jus civile, adeoque contra bonos mores civiles, et tamen non est obligatorium. Re-

spondeo probabilius esse validum et obligatorium juxta plures doctores, quia ista obligatio non est de re mala, imo est in favorem proximi; neque est contra bonum commune, sed solummodo contra privatum ipsius testatoris bonum; et licet jus civile irritet talem promissionem, non tamen prohibet eam fieri eo modo, quo de facto fieri potest. Item si hoc juramentum fiat sub aliqua pœna solvenda si testamentum revocetur, videtur obligare, licet talem pœnam jura humana irritent; quia ista pœnæ adjectio non est tantum contra bonos mores civiles, sed etiam contra naturales. Similiter juramentum confirmans sponsalia sub certa pœna solvenda ab eo qui retrocesserit, alii dicunt esse validum, alii invalidum, utrimque probabiliter. Si sit invalidum nec obliget ad pœnam solvendam, hoc provenit ex eo quod non tantum sit contra bonos mores civiles, sed etiam canonicos. Quoad juramentum servandi pactum circa futuram hæreditatem, idem videtur dicendum quod de juramento non revocandi testamentum dictum est. Denique an juramentum confirmans omnium bonorum donationem valeat necne pro foro conscientiæ, attendenda est qualitas donationis : si enim donatio sit irrationabilis, prodiga, nimis nociva, non valebit, saltem quoad excessum; si autem fuerit rationabilis, nec prudentiæ aut rectæ rationi contraria, obligabit, quia etsi leges civiles ejusmodi donationi non faveant, tamen non resistunt, illam prohibendo.

CAPP. XXIV, XXV.

An juramentum vel promissio illicite facta, si sine peccato impleri possit, obliget.

Dico 1 : Juramentum illicitum ex parte materiæ malæ per quam implendum est, non obligat; materia enim mala est incapax obligationis juramenti, et quando jura generaliter constituunt juramentum illicitum non obligare, de hoc loquuntur.

Dico 2 : Juramentum illicitum ob prohibitionem, vel ob rationem extrinsecam tantum, aliunde de materia licita, et obligationis capaci, potest obligare : v. gr. si quis vovit nunquam se juraturum, nisi præcepto obstrictus, et postea sine præcepto sponte juret aliquid honestum, v. gr. dicere missam pro Petro, obligabitur ex tali juramento licet illicito.

Dico 3 : Juramentum immediate cadens in promissionem illicitam, si hæc sit illicita ex parte materiæ malæ et incapacis honestæ obligationis, non erit obligatorium, uti nec ipsa promissio. Si autem sit illicita non propter materiam, quæ sit honesta, sed propter se ipsam, v. gr. ob prohibitionem patris, prælati, legis civilis, tunc respectu actus honesti promissi potest esse obligatorium : quia non habet pro objecto ipsam promissionem prohibitam, sed rem promissam quæ honesta est. Imo licet promissio non tantum esset prohibita, sed irrita irritatione cadente in solam prohibitionem, sed non in actum promissum prohibendo illum in conscientia, posset adhuc obligare, quia illa jurata assertio de futuro posset fieri vera sine peccato, non obstante promissionis irritatione. Et hoc probat juramentum additum promissioni de solvendis usuris; nam illa promissio est irrita, potestque esse mala vel ob circumstantias, vel ob prohibitionem, et tamen juramentum obligat, ut supra diximus.

Dico 4 : In juramento promissorio potest inveniri duplex obligatio : una fidelitatis vel justitiæ respectu hominis cui fit promissio; altera religionis respectu Dei ex vi juramenti additi promissioni. Dum juramentum additum promissioni ad obligandum per se inefficaci, eamque relinquens in sua inefficacia, si inducat obligationem; inducit tantum unam, nempe obligationem religionis, vocaturque juramentum per se stans, seu obligatorium simpliciter, v. gr. juramentum per injuriam extortum. Si autem additum promissioni per se ad obligandum inefficaci, reddat illam ad obligandum efficacem, tunc inducit duplicem obligationem, alteram religionis, alteram justitiæ ac fidelitatis humanæ, vocaturque juramentum confirmatorium. In primo casu relaxato juramento exstinguitur omnis obligatio; in secundo si juramentum relaxetur a creditore, videtur etiam exstingui omnis obligatio; si autem ab alio relaxetur, quidam volunt non manere obligationem justitiæ et fidelitatis humanæ, alii probabilius dicunt manere. In primo datur sola obligatio, sed non actio ad petendum illud debitum in judicio; in secundo utrumque datur. In primo, obligatio non transit ad hæredes; in secundo, transit. In primo, sufficit tradere id quod promissum est, et statim potest repeti; in secundo, non potest repeti, nempe ordinarie. Item in primo relaxatio habet locum, non in secundo.

CAPP. XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX.

An et quomodo pacta seu contractus contra leges juramento confirmentur.

Dico 1 : Juramentum contra leges immediate prospicientes bono communi, non tantum non est confirmatorium promissionis a privata persona factæ, sed nec est obligatorium : quia nullus privatus potest renunciare favori legis immediate prospicientis bono communi; secus vero si sit juramentum contra leges immediate respicientes bonum privatorum. Attamen utraque hæc assertio multas patitur exceptiones.

Dico 2 : Quotiescunque lex reprobat contractum in odium creditoris ob ejus turpitudinem, talis contractus non confirmatur juramento, quamvis possit licite impleri, et quamvis juramentum quoad hoc suam inducat obligationem; v. gr. qui juravit solvere usuras, nec ex justitia nec ex fidelitate humana tenetur eas solvere, sed ex sola religione manet obligatus; ergo istud juramentum non confirmat contractum, sed est per se stans tantum. Ratio est quia hoc juramentum obligat ob reverentiam Dei ad faciendum verum id quod juratum est; sed ad faciendum hoc verum non est necesse confirmari

contractum; ergo istud juramentum vi sua non eum confirmat. Sed adverte contractus turpitudinem debere esse contrariam morum honestati, ita ut creditor contrahens contra leges civiles irritantes, vere peccet in conscientia; tunc enim nullum jus canonicum potest illi contra civile favere.

Dico 3 : Juramentum contra leges irritantes contractum in debitoris favorem absque creditoris odio vel turpitudine, confirmat istum contractum, dum sine peccato juramentum servari potest. Ita juristæ communiter contra quosdam dicentes juramentum non habere istam vim confirmandi ejusmodi contractum, neque ex jure naturali ac divino, neque ex peculiari concessione juris positivi, sive civilis sive canonici. Pro cujus controversiæ explicatione sic videtur dicendum : juramentum non ita confirmat ejusmodi contractum, ut ex invalido per leges, fiat in se validus ob juramentum saltem directe et formaliter; sed confirmat indirecte quoad effectum, maxime in ordine ad forum conscientiæ, ita ut ratione juramenti fiat totum id quod per ipsum contractum, si foret validus, fieri posset. Quamvis revera ipse contractus nunquam fiat in se validus. Atque hæc indirecta ejusmodi contractus confirmatio potest sic explicari : 1° si intelligatur juramentum non cadere immediate in ipsum contractum, v. gr. in venditionem, alienationem, etc., sed in promissionem contractui conjunctam, id est in promissionem non contraveniendi, quam promissionem juramentum confirmat : ex hac autem confirmatione sequitur omnis effectus moralis, qui ex valido contractu secutus fuisset, ideoque dicitur contractus juramento confirmari indirecte et in effectu. 2° Si autem contingat juramentum cadere immediate in ipsam promissionem per leges irritam in favorem tantum promittentis, et sine rei promissæ turpitudine, tunc non videtur esse istius promissionis irritæ confirmatorium, sed est tantum per se stans, solamque suam religionis obligationem inducit; quia tamen tam firmiter obligat, quam si caderet in promissionem validam, eosdemque habet effectus, ideo dicitur indirecte confirmare contractum.

CAPUT XXX.

An juramento facto non faciendi aliquem contractum lege prohibitum, possit hic fieri validus et firmari per aliud subsequens juramentum.

V. gr. Quæritur an juramento ab uxore facto non faciendi contractum alienationis sui fundi dotalis lege prohibitum, possit hic contractus firmari per subsequens juramentum ab eadem factum?

Respondeo probabiliter affirmative, exceptis hisce duobus casibus in quibus non videtur firmari per subsequens juramentum : 1° Si prius juramentum factum sit in favorem alicujus, cui per illud fuit jus acquisitum. 2° si alter contrahentium, v. gr. emens fundum, vel donatarius, etc., in cujus favorem factus est contractus, fuerit conscius prioris juramenti, et hoc non obstante contraxerit, vel exegerit, acceptaritve a contrahente posterius juramentum; sicque aliquo modo conciliantur sententiæ oppositæ. Probatur autem assertio, quia ista duo juramenta non sunt sibi contraria : primum enim cadit in promissionem non alienandi fundum dotale; secundum in promissionem non revocandi istius alienationis contractum, adeoque non est de re illicita, ac potest servari sine peccato, cum propria illius materia non sit contraria priori juramento, ergo obligat; observari enim potest sine animæ dispendio. Hincque sequitur confirmare priorem contractum non obstante lege vel juramento eum annullante; tota enim ratio cur juramentum soleat confirmare contractum per legem irritum, est quia et potest et debet observari; et si observetur, contractus manet firmus, ut supra dictum est.

CAPUT XXXI.

An juramenti obligatio sit mere personalis tam ex parte ejus qui jurat, quam ex parte illius cui juratur.

Dico 1 : Certum est juramenti actionem ejusque obligationem esse mere personalem. (D. Thomas, quæst. 98 et alii.) Cum enim sit obligatio religionis, non contrahitur nisi ab eo qui cultum Deo præbet. Hinc dum aliquis dedit alteri potestatem spondendi, aut contractus ineundi pro se, si hic ad firmandum contractum juret non accepta faciendi juramenti commissione, ille non tenetur tali juramento, quia iste procurator excessit potestatem, et illud juramentum non provenit ex principalis agentis intentione; sed tantum tenetur servare contractum. Dum tamen procurator habet specialem faciendi juramenti commissionem nomine alterius, tunc illud valide facit; jusque canonicum sæpe approbat et recipit ejusmodi juramentum; sicque factum obligat non procuratorem sed eum cujus nomine factum est, quia procurator non suo, sed alterius tanquam agentis principalis nomine loquitur ac jurat. Si autem procurator, priusquam juret, addiscat alterum revocasse suam commissionem seu consensum, tunc non potest jurare; neque si juret alterius nomine, illum obligabit, sed si jam juraverit antequam resciverit principalis agentis revocationem, hic in foro quidem judiciali per modum conventionis poterit obligari, sed non in conscientia et coram Deo, quia istud juramentum non provenit ab ejus consensu et intentione adeoque eum non obligat : sicut matrimonium per procuratorem contractum nullum est, si tempore contractus procuratio fuerit revocata, etiamsi procurator id nesciverit juxta caput ultimum *De procur.*, in 6. Porro de jure humano interdum non recipiuntur juramenta per tertiam personam in quibusdam casibus ad pleniorem rei examinationem et partis satisfactionem, v. gr. vassallus debet præstare domino juramentum fidelitatis in propria persona,

si possit, nec sit legitime impeditus, et dominus id exigat, alioqui potest per procuratorem id præstare.

Dico 2 : Ut communitas, capitulum, collegium juret quatenus est collegium, et juramento obligetur, necesse est juramentum fieri a singulis illius personis ; quia juramentum est actus personalis, qui non potest vere et in conscientia alicui attribui sine illius consensu et propria jurandi intentione. Interdum tamen major suffragiorum numerus capituli aut collegii, si in jurando conveniat, sufficit, licet alii contradicant, quia quod fit a majori numero, censetur fieri a toto capitulo aut collegio, ordinarie loquendo; in casibus autem specialibus, ad actum juratum aut promissum major concordia requiritur, v. gr. si ad aliquid gratiose donandum requiratur communis omnium consensus nemine dissentiente, licet capitulum velit sub juramento promittere aliquam donationem, si in illo juramento non omnes consentiunt, capitulum ut sic non obligabitur ad donandum, quia ad hunc actum major capituli consensus requiritur : qui tamen jurarunt, obligantur suo juramento, qui vero noluerunt jurare, postquam major numerus prævaluit ut capitulum juraret, ac se sub juramento obstrinxit, illi cogendi sunt ad jurandum, utpote qui tenentur toti communitati se conformare; si autem contingat aliquos non jurare, illi revera, non obligabuntur ex vi juramenti, cum juramentum sit actio personalis, sed ex vi legis, aut promissionis aut pacti poterunt obligari.

Dico 3 : Juramentum non obligat jurantis successores, est enim vinculum personale : quia sicut nemo jurat nisi sua voluntate, ita nemo obligatur alterius juramento, nisi in illud consentiat, ac consentiendo suum faciat (D. Thomas, Cajetanus, etc.). Hinc si aliquis quidpiam juramento promisit, potest quidem hæres quatenus hæres obligari ex vi promissionis, si fuerit valida; sed non ex vi juramenti. Juramentum tamen transit ad hæredes seu successores ejus cui juratum est ; sic juramentum fidelitatis præstitum domino feudi, intelligitur simul præstitum ejus successoribus, etiamsi in juramento non dicatur *tibi et successoribus tuis*, contra glossam quæ requirit hæc verba : *et successoribus*. Et ratio est quia præstatur juramentum, v. gr. tali domino non ut tali personæ, sed ut talem habenti dignitatem. Deinde jurans alteri habet pro objecto illum et illius successores.

CAPUT XXXII.

Quomodo interpretandum sit juramentum quoad obligationis vel extensionem, vel limitationem.

Nota : Juramentum pendet ex intentione jurantis, quæ dum est certa, non eget interpretatione ; dum autem non satis scitur quænam illa fuerit, quæritur quomodo interpretanda sit juxta materiam aut alias circumstantias. Quare :

Dico 1 : Juramentum potissime interpretandum est juxta naturam actus seu contractus, cui adjungitur. Quia qui jurat, intendit jurare id quod promittit aut paciscitur, et eo quidem modo ac sub ea conditione sub qua promittit aut paciscitur; ergo juramentum accommodatur pacto seu contractui cui adjungitur ejusque conditionem sortitur; sic qui jurat sponsalia intelligitur jurare juxta conditionem, ita ut si sponsa fornicetur juramentum non obliget. Unde juramentum de se non mutat vel auget naturalem ac humanam contractus seu actus cui adjungitur, obligationem, sed solum illi addit religionis obligationem sive vinculum altioris ordinis, non mutando ejus naturam, sed illum sua obligatione induendo.

Dico 2 : Juramentum quoad suam obligationem stricte est interpretandum, quantum ejus materja, et pacti seu promissionis verba permittunt. (Panormitanus, Antonius, Sylvester, etc., contra quosdam.) Obligatio enim juramenti valde onerosa est, ideoque quo levior fieri potest per benignam interpretationem, ubi illa locum habet, facienda est, hoc tamen intellige de materia, quæ verborum restrictioni non repugnat. Sic qui juravit servare statuta, potest interpretari suum juramentum de statutis editis, non de futuris, nec de statutis consuetudine abrogatis aut illicitis. Item dum quis jurat facere alterius jussa, non intelligitur de jussis injustis aut difficillimis supra modum.

CAPUT XXXIII.

De juramenti obligatione in dubio.

Dico 1 : Qui habet verum dubium negativum, ita ut nequeat ferre probabile judicium se emisisse juramentum, non tenetur ; quia non sufficienter ei proponitur ejusmodi obligationis ratio. Item nec videtur teneri, qui promisit aut asseruit se aliquid daturum per verba, quæ possunt habere sensum ambiguum sintne juratoria necne, dubitatque de intentione et significatione in qua illa protulit aut proferre voluit. (Cajetanus, Alciatus, etc.) Si autem sit certus se verba jurandi protulisse, sed dubitat de sua intentione, nimirum an jurare intenderit, an vero simulare tantum, tunc censeo juramentum obligare ; imo, contra Panormitanum, licet factum fuisset ex metu, quia constat juramentum saltem externum tunc factum fuisse ; ergo si non constat ficte factum fuisse, præsumendum vere et determinata voluntate fuisse factum, tum quia hoc spectat ad reverentiam Deo debitam, tum quia non est præsumendum peccatum, ubi de illo non constat.

Dico 2 : Dum quis est certus de promissorio juramento obligante, et dubitat an illud impleverit, tenetur facere quod in se est, ut dubium tollat, et probabilem saltem conscientiam formet se illud implevisse; si autem dubium tollere non potest, tenetur implere quod juramento promisit. Si autem dubitet an factum juramentum sit de re licita, vel an sine peccato possit impleri, tunc valet eo modo quo valere potest, licet de intentione juran-

tis non possit certo constare; si tamen in nullo sensu satis pateat illud licite posse impleri, tunc non obligat; aut certe si non satis constet, petenda dispensatio.

CAPUT XXXIV.

Quas conditiones includat juramentum promissorium.

Dico 1 : Hæ sunt in omni juramento promissorio subintellectæ conditiones generales : 1° si potuero; nemo enim obligatur ad impossibile. 2° Si licite potuero. 3° Nisi prælatus habens auctoritatem, aliud disposuerit; utique ex rationabili causa et juste utendo sua potestate. 4° Dum juramentum fit alteri, si ei placuerit, vel nisi ipse remiserit; ex creditoris enim voluntate pendet obligatio. 5° Si res non fuerit notabiliter mutata, aut si res in eodem statu permanserint. 6° Salvo jure superioris quod habet in subditum et in ejus actiones. Si occurrant jura contraria, expendendum est ex circumstantiis, quodnam jus alteri prævaleat; nec potest jurans has excludere conditiones.

Dico 2 : Præter has generales conditiones adduntur aliæ particulares, quæ in singulis juramentis spectandæ sunt juxta circumstantias variarum materiarum super quibus juratur, v. gr. si juramentum fiat super contractu reciproco et mutuo, semper unaquæque pars intelligitur jurare sub conditione : dummodo alter stet contractui, et suam adimpleat conditionem, aut enormis læsio non interveniat; juramentum enim sequitur contractum cui adjungitur, ideoque recipit omnes conditiones et limitationes quas includit ipse contractus. Non tamen hinc sequitur omne juramentum esse conditionatum; juramentum enim absolutum, quamvis subintelligantur supra dictæ conditiones aut præsupponantur, cadit in propositionem simpliciter absolutam seu categoricam, v. gr. *Hoc faciam, illud dabo*, etc. Conditionatum vero cadit in propositionem conditionalem seu hypotheticam, quasi exspectando promissionem ut res fiat v. gr. *Juro me daturum eleemosynam, si navis ex India appulerit*, etc., unde hoc habet quasi suspensam obligationem, donec conditio impleatur, illud vero non, sed statim obligat.

CAPUT XXXV.

Quando incipiat et quandiu duret juramenti promissorii obligatio.

Dico 1 : Juramentum absolutum statim ac fit, incipit obligare; secus conditionatum, quod licet obliget statim ad animi præparationem implendi promissionem si conditio impleatur, non tamen incipit ad factum promissum obligare, donec conditio impleatur. Deinde omne juramentum obligat pro eo tempore ad quod vel promissio vel assertio ex jurantis intentione dirigitur; ubi autem nihil speciale per intentionem determinatur, ex vi verborum colligendum est, nisi ex materia vel circumstantiis limitetur; negativa enim promissio, v. gr. non ludendi, non intrandi talem domum, etc. pro semper obligat; affirmativa semper sed non pro semper. Tenetur autem quis juramentum promissorium implere, priusquam petat is, cui factum est; nisi ex juramenti forma aliud constet, v. gr. si quis juret se mutuum daturum, dum alter petet, dumque alter petit, videtur ordinarie id petere ex vi præstiti juramenti; sed hoc non potest astrui de omnibus juramentis, maxime generalibus.

Dico 2 : Quamvis juramenti obligatio de se sit perpetua, vel durabilis pro tali vel tali determinato tempore, potest tamen ex mutatione rerum subintellectam ac necessariam conditionem auferente cessare ipso facto sine juramenti relaxatione aut dispensatione; si autem res sit dubia, requiritur superioris auctoritas.

CAPP. XXXVI, XXXVII.

An juramentum homini factum possit impleri per aliquid æquivalens, et non in propria specie, aut per compensationem.

Dico 1 : Non satisfit juramento promissorio homini facto in aliqua certa specie, reddendo æquivalens, aut rei promissæ fœnus; hinc non potest aliquis sua voluntate rem quam dare juravit, commutare in aliam, imo nec in meliorem sine consensu illius, cui eam dare juravit. Patet ex cap. *Ad audientiam* 1. Ratio est quia juramentum sequitur naturam contractus cui adjungitur; sed contractus implendus est in specie promissa, nec sufficit dare æquivalens, ergo multo magis non sufficit dum juramento firmatur. Deinde ex vi juramenti tenemur facere verum quod juratum est. Ex consensu tamen creditoris fieri potest commutatio non tantum in melius vel æquivalens, sed etiam in minus, et etiam in æquivalens auctoritate superioris dum legitima subest causa. Facta autem prædicta commutatione sive ex consensu partium, sive superioris auctoritate, id in quod fit commutatio, cadit sub obligationem juramenti, contra Covarruviam, etc. V. gr. qui juravit sponsalia, et postea paciscitur cum femina ut sit dote contenta, tenetur ad hanc dotem solvendam non solum ex obligatione justitiæ per pactum orta, sed etiam ex vi prioris juramenti præstiti. Sic qui juravit solvere debitum intra certum terminum, quem creditor prorogat ad unum mensem vel annum, tenetur id solvere ex vi sui juramenti. Idem probabilius de eo qui juravit stare sententiæ ferendæ intra certum terminum, et postea ex consensu partium terminus prorogatur. Ratio est quia si jurans non teneretur ex priori juramento, non esset commutatio, sed prioris juramenti exstinctio, novaque ac simplex pactio, quod falsum est.

Dico 2 : Juramentum non potest impleri per æquivalentem compensationem. Ita communiter Hostiensis, Felinus, etc., contra Bartholomæum, Covarruviam, etc., quia juramentum implendum est in forma qua factum est absque compensatione,

alioquin qui usurario aut latrori promisisset juramento solvere usuras aut pecuniam, non teneretur postea realiter illas solvere, sed posset compensationem facere : quod adversatur cap. 1 *Debitores*, et cap. *Si vero*, De jurejurando. Deinde si fiat compensatio, non solvitur idem quod promissum est, sed tantum æquivalens. Attamen

Dico 3 : Qui juravit dare aliquid cum intentione reservandi sibi facultatem compensandi, vel simile debitum remittendi, non tenetur realiter dare quod promisit, sed potest uti compensatione, licet jurando non id verbis expresserit, quia juramentum non obligat nisi juxta intentionem jurantis; nec etiam peccat promittendo cum tali intentione; quia nec injustitiam nec mendacium facit.

Dico 4 : Qui jurat simpliciter se daturum pecuniam, nihil de reali traditione, vel compensatione cogitans; si res promissa sit ejusdem rationis absolute cum re quam alter ipsi debet, v. gr. si sit promissa pecunia, et alter debet ipsi pecuniam, vel saltem sit ejusdem æstimationis moralis, v. gr. si sint promissi decem nummi aurei, et alter ipsi debet triticum ejusdem valoris , tunc tuta conscientia potest implere juramentum per compensationem, si ad hanc faciendam invito creditore rationabilis causa interveniat, v. gr. si non sit spes rei debitæ obtinendæ, et debitum cum quo fit compensatio, sit liquidum. Quando vero sunt res diversarum rationum, et inter se non recipiunt functionem, v. gr. si promisi sub juramento equum, et tu mihi debes pecuniam, tunc per se loquendo et ex vi verborum non implebitur juramentum per compensationem; quia non implebitur in propria specie. Jam vero quoad forum externum, dum manifeste constat non fuisse exclusam per juramentum compensationem, neque hanc fuisse jurantis intentionem, in illo etiam pro debiti aut jurati promissi solutione potest admitti compensatio, ut sumitur ex cap. *Ex parte* 2, De cleric. non resid. Dum autem id non constat, imo potius habetur contraria præsumptio, aut saltem res est dubia, per se loquendo non admittitur compensatio, ut colligitur ex cap. *Ad nostram* 1, De jurejurando.

CAPUT XXXVIII.

An juramentum præmissorium irritari possit.

Nota : Condonatio juramenti est, quando obligatio a creditore remittitur; irritatio, quando sine creditoris consensu obligatio tollitur ab alio habente potestatem. Deinde dispensatio proprie locum habet in juramentis quæ fiunt soli Deo per modum voti; relaxatio autem in juramentis promissoriis homini factis.

Dico 1 : Juramenti obligatio per irritationem tolli potest ab habente potestatem, quia sæpe materia juramenti pertinet ad dominium aut jus alterius, qui si contradicat, eo ipso cessat juramenti obligatio, cum non possit obligare in præjudicium tertii, adeoque nec juste impleri atque hoc est irritari. Unde 1° ad hanc irritationem faciendam si quis habeat potestatem mere dominativam, v. gr. dominus in servum, aut pater in filium, nulla specialis causa requiritur, sed sufficit jus vel dominium circa talem materiam, ut utens suo jure illam subtrahat ac prohibeat, sicque juramentum irritet. Si autem habeat tantum potestatem jurisdictionis seu administrationis, tunc requiritur causa sufficiens ad prohibendam actionem vel ad dandam dispensationem rei juramento promissæ, ut prohibitio aut dispensatio sit valida. 2° Hinc sequitur posse papam hoc modo irritare multa ecclesiasticarum personarum juramenta, quatenus versantur circa materias vel actiones quæ per se subsunt ejus juri, ejusque liberæ dispositioni. 3° Etiam sæculares principes et laici, licet non habeant directam potestatem in juramentum vel ejus obligationem, utpote ad forum ecclesiasticum pertinentem, tamen ratione materiæ possunt facere irrita illa juramenta, quæ ipsorum juri, dominio, aut potestati præjudicant, v. gr. rex posset irritare juramentum a suo subdito factum de donanda certa pecuniæ quantitate, de migrando in alium locum, etc. 4° Item parentes possunt irritare realia et personalia filiorum juramenta, et mariti uxorum, ac domini servorum in iis rebus, quæ ipsorum dominio aut potestati præjudicant. Item minorum juramenta, quæ versantur circa humanos contractus aut promissiones hominibus factas, possunt a tutoribus irritari, quando ipsi contractus invalidi sunt non obstante juramento, quia tunc ratione contractus nullum jus est acquisitum tertio. Sed puberum juramenta, quibus contractus confirmantur, non possunt a tutoribus irritari, quia per leges ejusmodi juramenta sunt firma et rata, ac per illos contractus acquiritur jus tertio. Impuberum autem juramenta, quibus suos contractus confirmant, juxta Lud. Lopez possunt irritari a tutoribus juxta cap. *Pueri* 22, quæst. 5 *Contra Sancium*.

Dico 2 : Valde probabile est juramenti irritationem nunquam posse in se et directe fieri per humanam potestatem, sed tantum indirecte mutando materiam ob dependentiam quam illa habet ab irritante; non enim videtur fieri posse, ut juramentum non sit juramentum quoad esse juramenti, per solam ipsius jurantis consensus irritationem; quia si ille cum vera intentione juret super materiam capacem, nequit ita irritari ista intentio, ut non sufficiat ad juramentum. Ut igitur irritetur quoad obligationem, debet mutari materia.

CAPUT XXXIX.

An juramenti promissorii obligatio condonatione a creditore facta tollatur.

Dico 1 : Certum est quod juramentum promissorium homini præstitum per condonationem a creditore factam desinat obligare, quia illud intrinsece includit conditionem, si alter cui fit promissio, fue-

rit contentus; nemini enim invito præstatur beneficium aut servitium. Sic qui juravit se daturum eleemosynam certo pauperi, nulla facta ei promissione, sed solius Dei vel misericordiæ intuitu, si ille nolit eam accipere, manet liber a juramenti obligatione, modo juramentum factum fuerit principaliter in utilitatem istius pauperis.

Dico 2 : Qui juravit aliquid in utilitatem alterius, potest licite petere ab eo ut ipsi remittat quod jurando promisit, nisi jurasset se non petiturum talem remissionem, quia tunc nascitur obligatio ex alio juramento ; nec videtur interdum sufficere ut is cui aliquid juramento promissum est, dicat se tollere obligationem liberando simpliciter a danda re promissa, dum ipse eam libenter acciperet si daretur, maxime dum sunt opera pietatis erga proximum intuitu Dei per modum voti promissa, sed oportet ut nolit ipse recipere quod promissum seu juratum est, ac positive resistat donationi.

Dico 3 : Si duo sibi invicem in mutuam utilitatem sive temporalem sive spiritualem, v. gr. sponsalia vel recitationem psalmorum, juramento promiserint, possunt per mutuum consensum sibi invicem remittere juramenti obligationem ; secus vero si non in mutuam utilitatem aut favorem, sed solum intuitu divini servitii vel pietatis aut justitiæ servandæ mutuo aliquid jurando promiserint, v. gr. si duo mercatores mutuo jurarint se daturos in eleemosynam tantam lucri partem. Si autem unus jurando præcipue intendat pietatem, alter humanum tantum contractum, v. gr. dives jurat puellæ pauperi sponsalia ex pietate et amore Dei, et puella eadem jurat ex humano contractu, tunc si puella recuset ac nolit perficere matrimonium, clarum est remitti juramenti obligationem ; secus vero, si remittat solum obligationem, ipsa contenta ac cupiens matrimonium perficere.

Dico 4 : Dum quis per injustitiam, dolum aut vim coegit alium ad promittendum juramento aliquid in suam utilitatem, potest cogi maxime per judicem ecclesiasticum, etiam per requisitionem et petitionem debitoris ad condonandum seu relaxandum juramentum, v. gr. per censuras ecclesiasticas ; imo judex laicus potest etiam compellere laicum ejusmodi juramenti exactorem, ut illud condonet ac remittat, si materia promissionis sit mere laica ac temporalis, et juramentum sit certo validum, sive non sit dubium ; judicium enim ferendum de validitate dubii juramenti pertinet ad ecclesiasticum judicem. Denique non videtur posse aliquis sibi ipsi condonare ac remittere juramentum in propriam utilitatem factum, contra multos auctores oppositum sentientes.

CAPUT XL.

An in juramentum promissorium soli Deo factum cadat dispensatio.

Dico 1 : Juramentum promissorium quod non homini, sed Deo seu absolute ob Dei honorem fit, dispensari potest ex justa causa ab habente potestatem ; vel enim includit votum, vel est instar voti, adeoque ex causa dispensabile. Hæc autem dispensatio per materiæ substractionem fit, ita ut quæ cadebat sub juramentum, jam non cadat ; dispensans enim loco Dei remittit debitum prout ad Dei honorem, et jurantis animæ bonum expedire judicat. Dispensandi in juramentis potestas, alia est ordinaria, alia delegata, alia in episcopis, alia in papa ; sicut de votis dicitur.

Dico 2 : Juramenta quæ versantur circa materiam votorum papæ reservatorum, v. gr. perpetuæ castitatis, religionis, et quarumdam peregrinationum, si includant promissionem Deo factam, ac votum illis juramentis confirmatum, patet ista a solo papa posse dispensari, illique reservari saltem ratione voti : vota enim castitatis, religionis, etc., non sunt minus reservata quando fiunt cum juramento quam dum fiunt sine illo ; voti ergo obligatione durante, non potest auferri obligatio juramenti illud confirmantis, cum non cadat dispensatio in juramentum nisi per substractionem materiæ, quæ voto perseverante, etiam illa perseverat. Imo licet ista juramenta possint esse interdum pure assertoria, sive esse separata a promissione, et confirmare solam assertionem de futuro, etiam vel sic facta videntur papæ reservari saltem ex consuetudine.

Hinc in privilegiis relaxandi juramenta sine præjudicio tertii, quæ per bullas conceduntur, non intelliguntur nec comprehenduntur juramenta de materia papæ reservata.

CAPUT XLI.

An et quomodo juramentum promissorium homini factum, possit a superiore relaxari.

Dico 1 : Juramentum tam ex parte jurantis quam ex parte ejus cui juratur, licite præstitum ad confirmandam promissionem homini factam, ordinarie non relaxatur sine consensu creditoris, quia per tale juramentum acquiritur jus ei cui fit promissio ; ergo non potest invitus privari suo jure acquisito, nisi justa causa interveniat, de qua jam infra. Si autem constat fuisse juramentum pure assertorium, seu non esse factam homini promissionem, vel acceptatam, utpote absente vel ignorante eo cui fiebat promissio, tunc in rigore potest fieri relaxatio sine creditoris consensu, quia non habet jus acquisitum, nec vere est creditor ; non sine tamen magna prudentia est facienda. Imo probabilissime si potestas delegata relaxandi data sit sub hac limitatione, *sine præjudicio tertii*, non potest fieri.

Dixi *ordinarie :* Quia interdum nulla exsistente causa aut culpa ex parte creditoris, sine ejus consensu in casu, in quo ob bonum commune potest privata persona privari suo jure privato, superior potest juramentum relaxare.

Dico 2 : Quando juramentum licitum est ex parte jurantis, sed cum turpitudine exigentis, licet obliget

juramentum, tamen relaxari potest in pœnam seu in odium creditoris, v. gr. juramentum de solvendis usuris. Item quando in contractu jurato intervenit gravis læsio jurantis, utpote passi injustitiam, quæ a potestate publica per juramenti relaxationem potest resarciri, aut quando ob præjudicium tertii, et periculum boni communis, turpe est exigere tale juramentum. Hinc ad relaxationem hujusmodi, requiritur in relaxante potestas circa materiam et in personam jurantem, aut saltem in personam cui juramentum factum est; hæc enim persona, id est creditor privatur invitus jure aliquo, adeoque est coactio : debet ergo, ut sit justa, relaxantis jurisdictio ad illam extendi. Si tamen creditor non esset subditus, v. gr. usurarius gentilis, et debitor Christianus, probabilius hujus superior posset relaxare juramentum, remittendo obligationem vice Dei, vel prohibendo ne subditus actionem illam, qua juramentum implendum erat, faciat in defensionem injuriæ quam passus est. Contra vero potest superior cogere subditum suum ad remittendum ejusmodi juramentum non suo subdito; etsi nolit, sua ipse auctoritate illam remissionem facere, ita ut non subditus maneat liber a juramento ob materiæ mutationem et non impletam conditionem.

Dico 3 : Potestas ordinaria relaxandi hæc juramenta competit non tantum papæ, sed etiam episcopis aut episcopalem jurisdictionem habentibus juxta mensuram suæ jurisdictionis; non vero iis qui episcopalem jurisdictionem non habent, nisi illis quibus illa delegata est per bullam aut privilegia, dando expresse facultatem relaxandi juramenta, non solum vota. Imo licet privilegium extendatur ad vota jurata, non sufficiet, quia talia juramenta non Deo tanquam vota, nec intuitu pietatis; sed homini et intuitu humani contractus sunt facta, adeoque pura juramenta, licet minus firma.

Dico 4 : Quamvis relaxatio juramenti per modum dispensationis aut absolutionis, quæ directe tendit ad tollendum obligationis vinculum ob dubium in illo ortum, an liceat illud observare necne, pertineat ad spiritualem et ecclesiasticam potestatem, illius tamen relaxatio per modum condonationis, factæ ex parte hominis cui juramentum promissorium factum est, potest etiam pertinere ad potestatem civilem in materia mere temporali et erga personas laicas : non enim id excedit talis potestatis limites. Causa autem sufficiens ad juramenti relaxationem est quilibet metus cum injuria gravi, etiamsi in ratione coactionis non sit tam violenta, ut pertingat ad metum cadentem in constantem virum. (Panormitanus, Hostiensis, Covarruvias, etc.) Hic enim sufficit ut superior subveniat injuriam passo, etiamsi juxta Panormitanum et Covarruviam, res foret exigenti juramentum debita.

Dico 5 : Postquam jurans fidem violavit, et perjurium commisit, v. gr. juravit se ad certum diem tale quid daturum, et non dedit, non obstante hoc perjurio potest licite et petere et obtinere juramenti relaxationem in foro interno; quia nullo jure sive naturali sive positivo prohibetur : sicuti votum transacto termino præfixo, v. gr. votum ingrediendi religionem hoc anno, potest sequenti anno non obstante transgressione, dispensari. Imo probabiliter etiam in foro externo ejusmodi perjurium non impedit juramenti relaxationem, sive habeat quasi tractum successivum, sive non habeat. Hinc infertur : 1° ejusmodi relaxationem non esse invalidam licet petatur sine commissi criminis declaratione; 2° non esse injustam, quamvis cognito perjurio superior eam concedat, utpote habens justam causam concedendi; 3° ipsum etiam creditorem posse juramentum condonare et totum suum debitum remittere.

LIBER III.

De juramenti præceptis, et peccatis eis contrariis.

CAPUT PRIMUM.

An detur præceptum affirmativum obligans interdum ad jurandum.

Dico 1 : Datur de actu jurandi præceptum affirmativum conditionatum; id est si detur occasio, honeste jurandum est per verum Deum : *Per nomen illius jurabis* (*Deut.* VI, 13); *Reddes Domino juramenta tua* (*Matth.* V, 33); id est, cum jurabis, jurabis per Deum tuum. Et sic istud præceptum in rigore resolvitur in negativum, id est, non jurabis per deos falsos aut per creaturas secundum propriam ipsarum virtutem spectatas.

Dico 2 : Absoluta obligatio ad jurandum potest interdum imponi per præceptum humanum, nempe vel per hominis personale mandatum, vel per legem sive ecclesiasticam sive civilem; ut patet ex usu Ecclesiæ et ex multis legibus quæ præcipiunt juramentum in multis occasionibus. Juramentum enim sæpe est necessarium ad coercendos peccatores, ad punienda delicta, ad cognoscendam veritatem. Hinc :

Dico 3 : Interdum obligatio jurandi potest oriri ex ipsa lege naturali, absque humano præcepto interveniente; potest enim occurrere necessitas jurandi ad subveniendum proximo in vitæ periculo exsistenti. Istud autem jurandi præceptum non videtur pertinere ad virtutem religionis, sed vel ad obedientiam, vel justitiam, vel ad aliam ejusmodi virtutem; juramentum enim præcipitur non formaliter propter Dei cultum, sed propter cognoscendam vel confirmandam veritatem; nec qui jussus a judice, jurare renuit, dicitur sacrilegus, sed inobediens, vel injustus; item qui non vult jurare ad tuendam

alicujus innocentiam sibi cognitam, censetur immisericors, non sacrilegus.

CAPUT II, III.

De præcepto non pejerandi, et de perjurii assertorii gravi malitia.

Dico 1 : Datur naturale et divinum præceptum negativum prohibens vitiosum juramentum, seu carens vel veritate vel justitia, vel judicio aut necessitate. Hinc datur secundum præceptum Decalogi : *Non assumes nomen Domini Dei in vanum* (*Exod.* xx, 7). Recta enim ratio ac lumen naturale id dictat. Hoc vitiosum juramentum sumitur dupliciter : 1° late pro quovis perverso juramento, seu mala juratione, diciturque perjurium improprie ; 2° stricte pro falso juramento, seu pro mendacio per juramentum firmato, uti sæpe sumitur in sancta Scriptura. Perjurium late aut improprie sumptum, non dicit necessario respectum ad falsitatem ; vitiosum enim juramentum seu perjurium late quo quis in vanum, et sine necessitate aliquid verum affirmat, aut occultum proximi verum crimen contra justitiam jurejurando detegit, nullum dicit ad falsitatem respectum ; et quamvis non sit contra Dei veritatem, est tamen contra reverentiam ejus supremæ majestati aut auctoritati debitam. Atque ita datur perjurium vanum seu sine necessitate, et perjurium injustum cum veritate sed sine justitia, et perjurium stricte sumptum, mendacio confirmatum : quæ tria membra non videntur specie differre in ratione vitii moralis, sed tanquam perfectum et imperfectum in eadem specie, eadem enim juramenti honestate privant jurantem ; hæcque tria perjuria possunt inveniri tam in juramento assertorio quam in promissorio. Juramentum verum per falsos deos vel reducitur ad perjurium vanum ac sine judicio, vel potius non est verum in essendo juramentum, sed tantummodo putatum.

Dico 2 : Perjurium assertorium est ita malum et prohibitum, ut in nullo casu unquam sit licitum ; estque peccatum ex suo genere mortale, religionis virtuti contrarium ; non est tamen gravissimum omnium peccatorum quæ sunt contra religionem (blasphemia enim, et idololatria est gravius) ; et multo minus quæ sunt contra virtutes theologicas. Est tamen gravius homicidio, juxta D. Thomam, Sylvestrem, Sotum, etc., contra Richardum, Durandum, Gabrielem, etc. Sed hoc satis difficile est determinatu, cum in utroque sint excedentia et excessa ; et utrum apud Deum sit dignum majori pœna, nobis incertum est.

CAPP. IV, V.

An perjurium assertorium sit semper peccatum mortale ex parte materiæ.

Nota : Ex parte materiæ, id est ex parte mendacii sive jocosi, sive officiosi, sive perniciosi quod in assertione jurata committitur :

Dico 1 : Omne perjurium assertorium, de quocunque mendacio, etiam levissimo, deliberate et advertenter factum, est semper peccatum mortale nec potest fieri veniale ex levitate materiæ (D. Thomas, Cajetanus, Scotus, Navarra, etc.) : quia perjurium accipit suam malitiam ex eo præcise quod Deus adducatur in testem falsitatis. Hoc autem est semper grave, quæcunque illa sit falsitas sive jocosa sive perniciosa, quia est directe contra primam veritatem et infallibilem ejus auctoritatem. In aliis rebus levitas materiæ facit esse peccatum veniale, quia diminuit formalem inordinationem in tali materia, v. gr. in furto ; hic vero nil simile habetur. Unde quotiescunque id quod affirmatur vel negatur, est mendacium, licet jocosum aut officiosum, si illi addatur juramentum, peccatum mortale committitur uti et dum juratur tanquam certum quod est incertum, quia sic jurans se exponit periculo falsitatis dicendæ ; imo in actu exercito dicit falsum : dicit enim se certo scire quod certo non scit, nisi tantum juret juxta suam incertitudinem.

Dico 2 : Qui jurat aliquid putans esse falsum id quod jurat, etiam ex ignorantia crassa, quamvis contingat rem esse veram, peccat tamen mortaliter ratione perjurii, formaliter enim loquitur contra mentem suam. Si tamen jurans falsum, putet ipse esse verum cum sufficienti advertentia et probabili veritatis existimatione, excusabitur a culpa perjurii, adeoque vel non peccabit vel saltem non mortaliter.

CAPP. VI, VII, VIII.

De consuetudine incaute jurandi.

Dico 1 : Consuetudo qua quis frequenter jurat sine necessitate aut utilitate, sed cum veritate et cum sufficienti advertentia ad dicendum verum jurando, non est de se peccatum grave, nec peccatorum mortalium collectio, nec jurantem constituit in statu peccati mortalis. Ista enim juramenta non sunt perjuria, seu juramenta mendacio infecta ; nec illa consuetudo ejusmodi hominem constituit in periculo morali jurandi falsum. Sed consuetudo qua quis indiscriminatim solet jurare verum vel falsum, etiam cum advertentia et directa voluntate, est quædam gravissimorum peccatorum congeries ; quia in tali homine fere omnes jurandi actus sunt perjuria gravissima. Unde quandiu talis consuetudo est voluntaria, eum constituit in statu peccati mortalis, quia eum constituit in occasione proxima et morali periculo pejerandi. Dixi *voluntaria ;* si enim illa displiceat, ita ut homo proponat facere quidquid in se est, ad eam tollendam, ex vi istius propositi interrumpitur consuetudo et retractatur quoad effectum ; ideoque ratione solius habitus qui adhuc tunc durat, non potest dici esse in statu peccati mortalis, quia licet homo adhuc versetur in periculo, non tamen in voluntario et æquali, propositum enim efficax multum facit contra consuetudinem. Si autem sit consuetudo jurandi cum sufficienti ad ipsum juramentum advertentia, sed sine debita cautione ac diligentia ad dicendum verum, quandiu homo eam non retractat per pœnitentiam, aut propositum de se efficax, illum constituit in

statu peccati mortalis, quia illum constituit in proximo pejerandi periculo.

Dico 2 : Juramentum prolatum sine formali et de se sufficienti ad peccatum mortale advertentia, existimo ob solam pejerandi consuetudinem, etiam non retractatam, non esse in se novum, proprium, ac speciale peccatum mortale ; quia non obstante ista consuetudine, habituque ex illa relicto, actualis inadvertentia cum qua juratur, est invincibilis, ut supponitur : ergo excusat a novo peccato mortali, non obstante prædicta consuetudine ; ignorantia enim involuntaria, etiam in operante ex habitu, excusat a peccato. Deinde ista consuetudo, ut supponitur, tollit actualem usum rationis per se requisitum ad peccandum mortaliter ; ergo juramentum factum tali modo non est novum peccatum mortale : v. gr. sicut perjurium ab ebrio prolatum ; non est novum peccatum in illo distinctum a præcedentibus, nec his addit novam malitiam nec auget pœnam inferni, sed ad summum se habet tanquam merus externus actus ad internum, ita actus jurandi ex indeliberatione factus, non est ratione consuetudinis præcedentis novum peccatum distinctum a præcedentibus ; et coram Deo non addit novam moralem perjurii malitiam, nec meretur novam pœnam. Sed homo videns jam suam firmatam pejerandi consuetudinem et volens in illa permanere, tunc specialiter peccat ratione periculi sequentium actuum indeliberatorum, virtualiter volitorum, sive postea sequantur sive non ; nam voluntas persistendi in illa consuetudine specialem gravitatem habet ex illis effectibus prævisis vel qui prævideri potuerunt ac debuerunt. Tunc igitur mortalis talium juramentorum quæ postea indeliberate fiunt, commissa est antecedenter malitia, nec post augetur aut fit nova : sive hæc indeliberata juramenta subsecuta denominentur peccata a causa libera quæ præcessit ; sive, ut vult Vasquez, effectus tantum peccati præcedentis ; videtur enim hæc dissensio esse tantum de nomine. Si tamen pejerans ex consuetudine et ex habitu, subito advertat et deliberet, quod in hominibus doctis magis potest accidere quam in rudibus, tunc committet novum peccatum cum mortali malitia.

Hinc sequitur : 1° Eum qui jurando peccat ob defectum diligentiæ et attentionis circa veritatem aut falsitatem sui dicti, æque peccare sive contingat rem juratam veram esse, sive falsam ; quia semper se exponit eidem periculo jurandi falsum. 2° Sic jurare assuetus, in confessione tenetur explicare juramenta quæ protulit vel advertendo falsum esse quod dicebat, vel advertendo se non certum esse de tali re, vel etiam quæ ex magna negligentia sine consideratione protulit, etc. Deinde debet habere propositum absolutum et de se efficax emendandi consuetudinem, et non jurandi nisi cum magna consideratione et veritate, ac vitandi proximas inducentes ad male jurandum occasiones. Denique licet perjurium sit alicubi reservatum, si tamen fuit indeliberatum et solum in causa peccaminosum, non incurrit reservationem.

CAPP. IX, X, XI.

An juramentum assertorium cum amphibologia factum sit perjurium, aut aliter peccaminosum.

Dico 1 : Non est intrinsece malum uti amphibologia, etiam jurando, ac proinde non semper est perjurium ; loqui enim cum amphibologia non semper est mendacium. Ergo non intrinsece est malum, adeoque nec illud juramento confirmare. Talis autem non mentitur, quia non loquitur contra suam mentem, nec tenetur conformare semper verba sua menti audientis, sed suæ. Hinc dum verba ex causa honesta proferuntur in aliquo sensu vel proprio, vel secundum aliquam legitimam interpretationem intento, nec perjurium, nec peccatum sic jurando committitur, v. gr. si quis promisit aliquid exterius sine intentione promittendi, et interrogetur a judice sub juramento an promiserit, simplicitèr negare potest, quia potest in legitimo sensu intelligere se non promisisse promissione obligante, habetque legitimam causam sic respondendi ; quia cum non possit intentionis defectum probare, condemnaretur ad solvendum id quod revera non debet. (Navarra, etc.)

Dico 2 : Amphibologia sola mente concepta, quæ ex circumstantiis aut judiciis exterioribus deprehendi potest, seu proportionata verbis ac materiæ de qua agitur ; similis his duobus Christi loquendi modis : *De die illa* (judicii ultimi) *nemo scit*, etc., *neque Filius* (*Marc.* XIII, 32); *Ego non ascendo ad diem festum istum* (*Joan.* VII, 8); cum tamen paulo post ascenderit, interdum potest esse licita. Sed ne hinc sumatur nimia sic loquendi aut jurandi licentia, addendum est hunc loquendi modum per amphibologiam, et præsertim per sermonem mutilatum in verbis, et quasi integratum ex conceptibus, non esse licitum nisi ex justa causa ac necessitate ; et si aliter fiat, culpam committi, atque si addatur juramentum, ordinarie esse grave peccatum, uti sentiunt communiter doctores Cajetanus, Soto, etc. Hinc

Dico 3 : In tali modo loquendi etiam sine rationabili causa, non datur vere mendacium, adeoque si juramentum addatur, nec datur proprium perjurium, licet aliter peccet homo dum sic loquitur sine causa : qui enim sic loquitur ac jurat, non intendit, ut supponitur, falsum dicere aut falsum jurare, idque quod dicit, in rigore non est falsum, sed aliquem verum sensum habet quem ipse intendit et profert ; ergo in rigore nec mentitur, nec perjurat. Ista igitur nimia declarandæ veritatis occultatio et dolosa circumventio erit aliud genus peccati, vel injustitiæ vel irreligiositatis, vel scandali, vel contra proximi charitatem, etc.

CAPUT XII.

An juramentum assertorium, cui tantum vel judicium vel justitia deest, sit mortale peccatum.

Dico 1 : Juramentum assertorium cui inest veri-

tas sufficienter considerata et cognita, solumque ei deest necessitas, vel utilitas, nunquam est in individuo peccatum mortale, nisi adsit contemptus; ratione enim contemptus peccata venialia solent fieri mortalia. Ita theologi communiter. Probatur : Quia tunc Deus non adducitur in testem falsitatis, nec in re jurata, nec in conscientia jurantis. Interponitur quidem divina auctoritas et majestas ad confirmandam rem veram levis aut nullius momenti, sed hæc non est gravis irreverentia, nullaque ei infertur macula. Sic orando sine attentione levis in isto ordine culpa contra Dei auctoritatem committitur.

Dico 2 : Juramentum assertorium cui deest tantum justitia, quatenus est contra religionem, ordinarie est veniale. Ex circumstantiis vero potest interdum esse mortale, quia non facit Deum testem rei falsæ, sed pravæ aut indecentis. Imo licet narratio sit de peccato mortali, si fiat ob honestam causam vel necessitatem vel utilitatem, poterit nullum esse peccatum : si vero leviter fiat, tantum erit peccatum de se veniale, adeoque illam juramento confirmare, vel nullum vel leve erit peccatum. Sed quamvis narratio esset peccatum mortale vel complacendo in illo vel infamando proximum, tamen malitia, quæ per juramentum irreligiose factum illi superadditur, videtur esse tantum venialis, quia juramentum per se non cadit in illam assertionem ut malam, sed ut veram.

CAPUT XIII.

An liceat inducere alium ad jurandum, quando per falsos deos juraturus est.

Dico 1 : Non licet aliquem inducere determinate ut juret per falsos deos, quia non licet aliquem inducere determinate ad id quod malum est ; esset enim directe eum tentare. Non est tamen per se malum ab eo quem constat juraturum esse per falsos deos, petere ut juret, si adsint hæ conditiones : 1° Si is, a quo postulatur juramentum, habeat aliquam notitiam, saltem confusam, veri Dei, ut possit per illum jurare si velit ; quia si ignoret verum Deum et modum jurandi per ipsum, non potest debito modo jurare ; dum tamen Christianus ab idololatra juramentum postulat, supponitur hic ex fama habere saltem confusam alterius Dei notitiam, per quem Christianus cum quo init contractum, seu Christiani jurant. 2° Si interveniat justa causa petendi juramentum, nempe gravis utilitas vel necessitas ; tunc enim vere utitur jure suo, v. gr. si sit lis componenda, controversia finienda, fœdus firmandum, securitas in humano contractu statuenda. Sic licet ab iniquo mercatore mutuum petere, etiamsi sit usuras exacturus.

Dico 2 : Si ad obtinendum juramentum necesse sit non solum illud petere, sed etiam expresse declarare ei qui nisi per falsos deos jurare vult, esse acceptandum, id non erit per se malum ; quia ista declaratio non est inductio ad tale juramentum, sed est permissio et acceptatio.

CAPUT XIV.

An sit semper peccatum petere juramentum ab eo qui pejeraturus est.

Dico 1 : Non licet inducere quemquam ad jurandum modo indebito ; non enim licet inducere ad peccatum. Unde 1° Semper est peccatum saltem veniale petere seu exigere juramentum verum sine necessitate, quia alter sine necessitate jurabit, ac peccabit venialiter ; atque ita est inductio ad peccatum veniale. 2° Item semper est peccatum petere ab alio juramentum quod non potest præstari sine injustitia aut turpitudine jurantis, quantumque fuerit peccatum in jurante, tantum erit in petente : si veniale sit in jurante, erit etiam veniale in petente ; si mortale, mortale. 3° Semper est peccatum mortale petere ab alio juramentum, quod sine falsitate ac mendacio aut morali ejus periculo præstari nequit ; est enim inductio ad peccatum mortale. Nec licet determinate inducere ad jurandum falsum eum qui putat talem rem esse veram, quam inducens scit esse falsam ; talis enim homo inducit alium ad testificandam falsitatem, quod est intrinsece malum, nec alterius ignorantia illum excusat. Si autem non determinate inducat seu petat ut hoc vel illud juret, sed tantum absolute ut juret quod verum est, vel prout ipse sentit, nesciatque utrum sit juraturus falsum necne, non peccabit sic petendo juramentum. Imo licet moraliter sciat aut præsumat illum juraturum falsum, si non determinate petat ut juret id quod scit esse falsum, justaque adsit petendi causa, ita ut eum cogat necessitas vel saltem utilitas, ad quam habet jus, quo revera uti possit, nec illi cedere teneatur, ut alter non peccet : tunc etiam potest ab illo petere juramentum sive petens sit persona privata sive publica, etiamsi is a quo petitur juramentum, non se obtulerit ad jurandum ; secus vero si non subsint hæ prædictæ conditiones. Atque hæc dicta sint de juramento assertorio, idemque dic cum proportione de promissorio.

Dico 2 : Licite quidem per solam inductionem aut simplicem petitionem exigi potest juramentum ab alio quod ipse licite potest præstare ; sed non potest illud exigi quasi per vim aut coactionem, id est non per præceptum, metum, pœnam, etc., nisi vel is a quo id exigitur, teneatur ex justitiæ vel obedientiæ debito istud præstare, vel is qui illud exigit, habeat jurisdictionem ad id exigendum et imponendum præceptum, etc.

CAPP. XV, XVI.

An violare juramentum promissorium quoad ejus veritatem sit peccatum mortale ex genere suo, et an possit fieri veniale ex levitate materiæ.

Dico 1 : Semper est peccatum mortale cum falsitate jurare in ipso actu faciendi juramentum promissorium, sive materia sit gravis, sive levis, sive bona, sive mala, jurando sine intentione exsequendi quod promittitur. Non tamen est semper novum peccatum illud non implere, etiamsi id factum sit cum intentione se obligandi, et illud implendi,

quia vel mutata est materia, vel fuit factum de re illicita aut impossibili, sicque a principio non obligavit. Sed voluntarie non implere juramentum promissorium licitum et obligans pro eo tempore quo non impletur, peccatum est ex suo genere mortale contra divinam legem naturalem.

Jam vero an violatio juramenti promissorii, quatenus tale est, possit esse veniale peccatum ex levitate materiæ, negant Gabriel, Lessius, Valentia, etc., affirmant Antonius, Soto, Navarra, etiamsi tota promissionis materia sit res privata ac levis. Cajetanus autem, Covarruvias, etc., quando tota promissionis seu juramenti promissorii materia est res parva ac levis, negant; et quando tantum quædam integræ gravioris materiæ pars est valde parva, v. gr. facto juramento recitandi integrum rosarium, omittere unum *Ave Maria*, tunc affirmant. Sed:

Dico 2: Non est constituenda pro hujus quæstionis resolutione differentia inter totalem et partialem juratæ promissionis materiam: est enim eadem utriusque ratio; quia veritas consistit in dicti ad rem adæquatione indivisibili; ideoque sicut falsa est propositio affirmans esse hic viginti homines, quando nullus adest; ita et falsa est, affirmans esse viginti quando adsunt decem et novem. Parumque refert de æqualitate disputare an una propositio sit magis falsa quam altera; sufficit enim utramque esse falsam, et ejus assertionem scienter prolatam esse mendacium. Ergo si falsitas propositionis de futuro, quæ resultat ex jurata promissione non impleta ad peccati mortalis gravitatem sufficiat, non minus in partiali quam in totali materia sufficiet; quia quomodocunque Deus adducatur in testem falsitatis, gravis fit illi injuria. Unde:

Dico 3: Probabilius est, secluso formali contemptu, non esse peccatum mortale non implere juratam promissionem in materia levi. Quia in juramento promissorio, licet Deus adducatur in testem assertionis de præsenti quoad ejus veritatem de præsenti, quæ ad juramentum assertorium pertinet, tamen quoad assertionem de futuro ejusque veritatem non adducitur ut testis, sed ut fidejussor, quod sic promittens non sit mutaturus indebite voluntatem suam ac propositum. Atque ita qui non implet id quod recta intentione juravit, non facit Deum testem mendacii, sed quia in re promissa sub divina auctoritate infideliter agit, ideo peccat: sicut qui non implet promissionem recte factam, non mendacium sed infidelitatem committit. Cum igitur in juramento promissorio non fiat Deus testis mendacii, sicut fit in assertorio, ideo non habet juramentum promissorium tantam malitiæ gravitatem in materia levi, quantam assertorium. Sic voti transgressio in materia levi etiam totali, non est culpa mortalis, quamvis obligatio voti major sit quam juramenti promissorii. Non enim ista promissionis juratæ infidelitas continet tantam erga Deum irreverentiam, ut non possit usque ad culpam venialem minui ex levitate materiæ. Juramentum metu extortum obligat sub gravi in materia gravi.

CAPUT XVII.

An juramentum promissorium sine veritate factum, semper sit peccatum mortale.

Dico 1: Jurare exterius sine intentione jurandi, peccatum est ex suo genere mortale contra religionem, et contra secundum Decalogi præceptum, et interdum contra justitiam; sic enim gravi modo ac pernicioso ad decipiendum, ficte et vane assumitur nomen Dei, et licet non sit vere juramentum, fit tamen Deo gravis injuria. Qui maledicit sine intentione maledicendi, non assumit nomen Dei, sicuti assumit jurans; ideoque ista maledicendi fictio minuit malitiam. Qui tamen jurat sine intentione jurandi, dum injuste juramentum exigitur, aut dum voluntarie sine obligatione, damno, vel injuria tertii facit juramentum, probabilius videtur non peccare mortaliter: ita Soto, etc.

Dico 2: Jurare cum intentione jurandi, et non faciendi quod juratur, semper peccatum est mortale; est enim perjurium assertorium, utpote juramentum de formali et proprio mendacio. Juramenta vero parentum aut dominorum, qui filiis aut servis sub juramento punitionem minantur, aut contra eis munuscula spondent si aliquid faciant, solum ad eos excitandos sine animo implendi, solent excusari a peccato mortali, vel quia fiunt sine intentione jurandi in materia levi, vel quia, licet fiant cum intentione jurandi, fiunt sub conditione subintellecta: *Si id feceris, si consenseris, si nimis non repugnaveris, si aliud magis expedire non judicaverim, si alteri non fuerit ingratum;* vel quia sunt de re impertinenti, non honesta, sine debita ratione, et in materia levi; ac sæpe postea non obligant ob mutationem materiæ.

Dico 3: Juramentum fictum ex defectu intentionis promittendi aut se obligandi, tunc solum est mortale, quando includit falsitatem assertionis aut injustitiam; alias vel est veniale, vel nullum. Simulatum autem juramentum seu verbis simulatis factum, etiamsi promissorium sit, intrinsece non continet perjurium; nam secundum intentionem jurantis verum est quod juratur. Nec est grave si absque injustitia et ex causa honesta fiat; ratione autem injustitiæ, poterit esse peccatum grave vel levius juxta materiæ gravitatem vel levitatem.

CAPP. XVIII, XIX.

Quale sit peccatum juramentum promissorium de materia obligationis incapaci, aut de peccato committendo.

Dico 1: Promittere sub juramento aliquid, ad quod obligare non potest juramentum, semper est peccatum, et ex genere suo mortale, quia inordinatum est applicare formam materiæ indebitæ, et rem sacram conjungere profanæ ac repugnanti; secus vero, si aliqua juramenti conditio tolleret materiæ obligandi incapacitatem. Istud tamen peccatum in individuo non est semper mortale, sed potest esse

veniale ex levitate materiæ; tale enim juramentum, ut supponimus, non continet mendacium; ergo non est perjurium, adeoque potest fieri ex levitate materiæ. Unde 1° non est peccatum mortale, per se loquendo, jurare aliquid consiliis evangelicis contrarium. (Navarra, Cajetanus, Soto, etc.) Quia in re jurata secundum se spectata non habetur malitia, sed sola obligationis juramenti incapacitas. 2° Qui jurat rem sibi impossibilem, sciens esse impossibilem, v. gr. debitor qui jurat se soluturum intra talem terminum, cum sciat sibi esse impossibile, peccat mortaliter; quia cum tali scientia non potest habere propositum implendi quod jurat. Secus vero, si putet rem sibi fore possibilem. (Sylvester, Navarra, etc.)

Dico 2 : Juramentum peccandi venialiter, si adsit animus implendi, est veniale : ita communiter Cajetanus, Soto, Sylvester, Navarra, etc. Quia hoc non est stricte perjurium, et licet sit aliqua Dei irreverentia, velle ejus nomine et auctoritate confirmare stabilitatem de veniali peccato faciendo, tamen cum istud peccatum sit leve, non videtur sufficere ad mortalem ejusmodi irreverentiæ gravitatem, secluso formali contemptu.

Objicies 1 : Qui adhibet Deum in testem peccati, ipso facto profitetur tale peccatum Deo placere, cum inducat Deum ad confirmandam talem assertionem; atqui hæc est magna blasphemia, etiam in peccato veniali; ergo. Respondeo : Nego majorem. Solum enim profitetur Deum esse testem veritatis, quem minime licet in testem falsitatis adducere, quamvis materia sit turpis; nec profitetur istud opus secundum se, pertinere ad Dei reverentiam, sed veritatem ut sic, esse Deo conformem.

Obj. 2 : Qui sic jurat, tenetur habere propositum peccandi venialiter dum jurat, alioquin jurabit mendacium seu peccabit; sed gravis est Dei irreverentia efficere, ut nominis ejus assumptio obliget hominem ad habendum propositum peccandi venialiter. Ergo. Respondeo hanc necessitatem exsequendi propositi in peccati venialis commissione, non sequi ex juramento secundum se, sed ex inordinata hominis voluntate quæ se immiscet tali perplexitati. Attamen hæc necessitas, et inordinatio non excedit culpam venialem.

Obj. 3 : Qui juravit se peccaturum venialiter, si id postea faciat intuitu juramenti, peccabit mortaliter, utpote quasi Deo attribuens talem malitiam; ergo etiam a principio, id jurare, est peccatum mortale. Respondeo : Nego antecedens. Patrare peccatum veniale eo quod de illo patrando factum sit juramentum, est quidem quædam circumstantia aggravans, quia est vana juramenti observatio et zelus non secundum scientiam; non est tamen peccatum mortale, nisi talis operandi modus ex gravi errore contra fidei doctrinam oriretur, v. gr. putando tunc teneri ad peccandum, quod grave esset superstitionis peccatum.

CAPUT XX.

De pœnis ecclesiasticis perjurio impositis.

Nota : Deus (*Malach.* III, 5) gravissimam pœnam imponit perjuris, et hi, ut refert Diodorus Siculus (lib. II, c. 3), olim ab Ægyptiis capite multabantur. An autem exstent leges civiles, quæ illis pœnas imponant, controvertitur. Quare de solo jure canonico loquor.

Dico 1 : Nulla est censura ipso jure lata ob perjurium, nec ulla ob illud ipso facto et immediate incurritur irregularitas. Dixi *ipso facto;* quia an mediante infamia incurratur, controvertitur; sicque seclusa infamia non incurritur inhabilitas ad beneficia obtinenda ante sententiam, seu ipso facto, ita ut collatio beneficii perjuro collata nulla sit, sed per sententiam criminis declaratoriam inducitur infamia juridica, ex qua prædicta inhabilitas consequitur, quatenus illa infamia reddit hominem irregularem, et collatio beneficii facta irregulari est nulla. Unde ob perjurium non incurritur ipso facto privatio beneficiorum jam acquisitorum, contra Rebuffum dicentem incurri.

Dico 2 : Per omne externum perjurium proprie dictum et mortale incurritur quidem infamia canonica, id est quæ absque dispensatione per mutationem vitæ, cum mutatione existimationis apud homines auferri potest; seu non per omne tale perjurium incurritur infamia civilis, id est quæ semel incursa auferri nequit sine dispensatione, seu habilitatione superioris potestatem habentis. Itaque ob perjurium omnino occultum nulla incurritur infamia; ut autem incurratur infamia canonica, sufficit crimen esse notorium, ita ut nulla tergiversatione celari possit; nec requiritur ulla sententia, quia illa non requirit nisi factum et publicam ejus notitiam. Sed infamia civilis seu indelebilis per pœnitentiam tantum incurritur per sententiam, et in iis quidem solis juramentis quæ humana pacta concernunt dum illa violantur. Ita leges civiles, quibus canonicæ non resistunt.

Dico 3 : Inter pœnas perjurii præcipue poni solet, quod perjurus non est in testem admittendus, cap. *Quicunque* 6, quæst. 1; per hoc tamen non imponitur obligatio ipsi perjuro, ut ad jurandum postea non accedat, sed solum ut possit et debeat repelli, adeoque etiam in foro externo, si talis perjurus de facto admittatur, ejus testimonium non erit nullum nec irritum ipso jure. Oportet ergo ut per sententiam judicis repellatur, vel inhabilis ad testificandum declaretur. Quoad hoc perjurium, videtur intelligi de perjurio in judicio, vel in solemni pacto ac promissione, vel etiam sufficiet publica infamia testificans talem hominem solitum pejerare quovis modo.

Dico 4 : Aliæ pœnæ quæ perjuris imponi possunt hæ sunt : pro clericis depositio, ex c. *Presbyter*, d. 81, beneficii privatio, ex cap. *Querelam* De jurej. Olim imponebatur pœnitentia jejunii in pane et aqua per quadraginta dies; et alia septennis pœni-

tentia, in cap. *Quicunque* 6, quæst. 1. Imo in cap. ult. 22, quæst. 1, statuitur ut pro perjurio non minus quam pro homicidio, adulterio, etc., imponatur pœna.

LIBER IV.

De adjuratione.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit adjuratio, et an sit proprius religionis actus.

Dico : Adjuratio, de qua hic agitur, significat obtestari vel imprecari per sacram invocationem : *Adjuro te per Deum vivum* (*Matth.* XXVI, 63), dicebant Judæi Christo. Unde si iste actus circa debitam materiam et cum requisitis circumstantiis fiat, est ex suo genere honestus. Cum autem respectu personæ adjuratæ adjuratio sit quædam inductio, hæc inductio erit honesta, si habeat has tres conditiones : 1° Si sit inductio ad actionem vel omissionem de se bonam ; 2° si fiat vel amice petendo vel imperando et quasi cogendo, vel objurgando juxta personæ adjuratæ conditionem ; 3° si inductio habeat justam et rationabilem causam. Hinc adjuratio respectu personæ adjuratæ non habet specialem actus religionis rationem, quia ex ista habitudine non habet Deum pro objecto ; sed respectu personæ, per quam vel ob quam altera adjuratur dum per ipsum Deum fit, est proprius religionis actus, et ab aliis quidem ejusdem actibus distinctus, v. gr. ab oratione et juramento quia cultus divini modus qui in eo invenitur, est distinctus ab aliis. Per orationem enim aliquid petimus a Deo ; per adjurationem autem aliquid ob Deum. Per juramentum Deus in testem veritatis ; per adjurationem interponitur Deus ut objectum vel amoris vel timoris alterius quem adjuramus, ut inde vel amore vel timore moveatur ad aliquid faciendum. Interdum quidem conjunguntur adjuratio et juramentum ; sed manent semper actus distincti quoad suas proprias rationes, et motiva formalia, v. gr. : *Adjuravit principes sacerdotum et levitas, ut facerent secundum verbum hoc, et juraverunt* (*I Esdr.* x, 5).

CAPUT II.

Quæ res possint sancte et religiose adjurari.

Dico 1 : Deus potest aliquo modo adjurari ; ejus tamen adjuratio inter partes orationis collocatur, et dicitur obsecratio. Sic Deus olim obsecrabatur *propter Abraham, Isaac, Jacob*, etc., et nunc per Christum. Deinde etiam homines tam viatores quam beati, ac sancti angeli possunt a nobis adjurari licite et sancte, si debito modo id fiat, v. gr. obsecramus B. Virginem per ejus Filium, etc. Respectu vero viatorum potest interdum fieri adjuratio deprecando tantum, v. gr. dum subditus adjurat superiorem, amicus amicum, pauper divitem, ut per Deum vel Christum aut sanctum sibi opem ferat ; interdum autem adjuramus alios homines imperando et quasi cogendo ; et tunc oportet ut adjurans habeat auctoritatem in adjuratum.

Dico 2 : Dæmones etiam licite et sancte adjurari possunt ab hominibus si debito fiat modo, in quo hæc requiruntur : 1° Requiritur ut finis adjurationis sit expellere ac fugare dæmonem, non vero aliquid ab eo obtinere, aut societatem cum eo inire : *In nomine meo dæmonia ejicient* (*Marc.* XVI, 17), etc. 2° Requiritur ut non rogando, vel amice petendo, sed imperando, objurgando et cogendo adjuretur. Nihil enim sponte ob Deum facit, et, amice petendo, censetur iniri quædam societas cum illo. 3° Requiritur ut hæc adjuratio cum legitima fiat potestate ; non enim omnibus datum est dæmones exorcizare, sed ministris ad id munus deputatis ; ideoque ordinarie non licet aliis id munus usurpare. Interdum tamen licet privatim dæmonem adjurare in Dei virtute, aut in virtute nominis Jesu, v. gr. ad privatim resistendum invisibili ejus tentationi, vel ut sicuti quidam sancti, Spiritus sancti instinctu impulsi, eum fugemus.

Dico 3 : Irrationales creaturæ secundum se spectatæ non possunt proprie adjurari, non sunt enim capaces excipiendi præcepti aut obsecrationis ; sed in alio aut per miraculosam aut supernaturalem efficaciam adjurari possunt, v. gr. imperando huic monti, ut inde transferatur, locustis ut recedant. Sic Christus imperavit ventis et mari.

CAPP. III, IV. *Possitne adjuratio fieri per creaturas, an per Deum solum, et quomodo possit peccari per adjurationem.*

Dico 1 : Deus adjurari potest per ipsum Deum : *Ne moreris propter temetipsum, Deus meus* (*Dan.* IX, 19). Item per sanctos in cœlis regnantes, et angelos : ut colligitur ex Scriptura : *Recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum* (*Exod.* XXXII, 13). Imo et per viatores qui justi existimantur : in Ecclesia enim est communicatio bonorum operum. Non vero per alias creaturas vel in natura vel in statu gratiæ inferiores, quia nec harum conditio aut dignitas nec opera aliquid valere possunt apud Deum ad quidpiam ab eo impetrandum.

Dico 2 : Sancti homines sive beati sive viatores possunt adjurari non solum ob Deum, sed etiam ob rationes aut personas creatas, v. gr. possumus adjurare, seu obsecrare sanctum ob rationes creatas, vel ob alium sanctum, vel etiam hominem viatorem, ob B. Virginem, ob sanctum Antonium, etc., imo ob patrem, amicum, etc., et tunc ista adjuratio non est actus latriæ. Dæmones autem tantum adjurandi sunt per Deum expresse, vel implicite, v. gr. per sanctos.

Dico 3 : Adjuratio ex vi juris divini aut naturalis nunquam cadit sub præcepto affirmativo ; quod

enim fieret per adjurationem, potest impleri per orationem. Sed interdum per Ecclesiæ præceptum imponitur adjurationis obligatio, ut patet in baptismi exorcismis, aut in aliis Ecclesiæ cæremoniis. Datur tamen præceptum affirmativum quoad modum actus adjurandi, id est, licet non sit obligatio exercendi actum adjurandi, si velimus tamen illum exercere, tenemur cum debito modo, nempe cum debita erga Deum reverentia eum exercere, maxime quando ad illum fit abjuratio deprecativa. Hæc autem reverentia requirit ut adjuratio fiat: 1° cum *veritate*, id est propter Deum verum, et animo sincero, non doloso, nec injusto; sic peccaret fictus pauper petendo stipem ob Deum. 2° Cum *justitia*, ita ut res quæ postulatur aut impetratur sub invocatione divini nominis non sit injusta, aut mala. 3° Cum *judicio*, seu discretione, ita ut non fiat leviter ac temere in quacunque occasione, sine necessitate aut utilitate. Hinc non licet: 1° adjurare dæmonem rogando; 2° nec illi imperando aliquod obsequium in homines redundans; 3° non licet adjurare homines non subditos, imperando; 4° non licet adjurare irrationales creaturas sive eas obsecrando, sive cum proprietate eis imperando.

Dico 4: Quando persona adjurata est homo viator, si adjuratio sit tantum deprecativa, non inducit obligationem; si autem sit cum imperio et justa causa, eam inducit. Non tamen videtur ex sola adjuratione oriri propria et specialis religionis obligatio, ita ut non parens isti adjurationi non tantum sit inobediens vel injustus, sed etiam sacrilegus, nisi eo procedat adjuratio, ut per eam juramentum exigatur.

TRACTATUS SEXTUS.

DE VOTO.

LIBER PRIMUS.

De essentia et honestate voti.

CAPP. I, II. *An recte fieri possit Deo votum, et an ad illud sufficiat propositum de se efficax faciendi aliquid in Dei honorem.*

Dico 1: Vera ac propria vota possunt Deo fieri; ideoque recte et convenienter illi facta sunt in veteri lege, et in nova nunc fiunt: *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV, 12). Et de nova lege sic prophetavit Isaias (XIX, 21): *Colent eum in hostiis et muneribus; et vota vovebunt et solvent.* Et de validitate in lege nova sic ait sanctus Paulus I Tim. V, 12: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est votum castitatis violarunt, ut Augustinus et alii exponunt. Mos ergo vovendi Deo non fuit aliquid legale aut cæremoniale in veteri lege quod per novam sit abolitum ac prohibitum; imo ante legem scriptam votum fecit Jacob (*Gen.* XXVIII), itaque hic mos vovendi per se et ex natura sua bonus est, cum eum in veteri lege Deus approbarit. Dum Paulus ad Col. II, reprobat *voluntariam religionem*, agit de cultu superstitioso, non de votis; quandoquidem ipse det consilium de servando cœlibatu (*I Cor.* VII).

Objicies 1: Omnis promissio seu votum ordinatur ad donationem; sed hominis ad Deum nulla potest esse donatio, cum omnia sint ejus; nec possit novum rerum acquirere dominium; ergo nec promissio seu votum esse potest. Respondeo: Nego majorem. Non enim omne votum ordinatur ad propriam donationem, prout significat traditionem novi dominii aut juris in re aliqua; sed etiam potest ordinari ad obsequii exhibitionem, vel ad exercendam actionem quæ in alterius honorem vel utilitatem cedat.

Obj. 2: Servus non potest domino suo facere veram promissionem, quia nihil habet quod domini non sit. Respondeo: Nego assumptum. Quia potest facere promissionem inducentem obligationem saltem fidelitatis, sed de hoc postea.

Obj. 3: Homo non potest sua voluntate obligari Deo; quia quidquid potest facere, id debet Deo, ratione tum præcepti tum beneficii. Respondeo: Nego assumptum. Licet multa sint bona opera quæ homo tenetur facere, non tamen omnia. Plures enim sunt actiones humanæ honestæ et bonæ quæ non cadunt sub præceptum; ergo ad has faciendas potest se per votum Deo obligare. Deinde potest quis uni et multis obligationibus addere aliam diversæ rationis obligationem, ut dicetur postea.

Dico 2: Solum propositum faciendi aliquid in honorem et cultum Dei, v. gr. ingrediendi religionem, servandi cœlibatum, etc., quantumvis sit absolutum et efficax, non est votum nec voti obligationem inducit (D. Thomas, Cajetanus, Bonaventura, Navarra, etc.), quia habens propositum aliquid faciendi, non statim voluntatem habet se obligandi ad illud faciendum; et qui proponit aliquid facere, non continuo asserit se facturum, aut saltem tantum asserit se habere propositum id fa-

ciendi, quod verum est, licet postea mutato proposito non faciat. Varia jura quæ in contrarium objiciuntur, non agunt de mero et nudo proposito, sed firmato saltem per simplicem promissionem explicitam vel implicitam : ita Panormitanus et alii theologi. Nudum autem propositum etiam inchoatum exsequi, v. gr. ingressus in religionis noviciatum, ex se vel sic non obligat. Nec locus Lucæ IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei;* quidquam probat de proposito nudi obligatione.

CAPUT III.

An intentio seu propositum se obligandi sit de essentia voti.

Dico 1 : Non tantum voluntas promittendi Deo, sed etiam se illi obligandi requiritur ad votum. An autem ista utraque voluntas sit voto essentialis, controvertitur. Primam esse voto essentialem, omnes fatentur, quia substantia voti in promissione consistit : *Si quid vovisti Domino, ne moreris reddere; displicet enim illi infidelis et stulta promissio* (*Eccle.* v, 3), ibi votum appellatur promissio. Quoad secundam vero seu voluntatem se obligandi, quidam dicunt hanc se obligandi voluntatem non esse simpliciter necessariam ad voti essentiam, solamque voluntariam promissionem Deo factam absque obligatione se obligandi sufficere ad verum votum et inducere obligationem, quia licet obligatio non sit volita in se, erit tamen volita in causa, seu in promissione : ita Soto, Aragonensis, etc. Alii autem sentiunt in isto casu non fieri nec oriri obligationem, quia deest voluntas omnino ad substantiam et essentiam voti necessaria. (Sylvester, Angelus, Navarra, etc.) Quare

Dico 2 : Si vovens ex ignorantia existimet veram ac validam promissionem posse consistere sine obligatione, aut quia putat vovendo aut promittendo non obligari, ideo voveat aut promittat, tunc non fit verum votum nec oritur obligatio, quia ignorantia tollit voluntarium sine quo non oritur obligatio ; sic enim promittens, nec explicite, nec implicite vult obligari, utpote qui non putat se facere actum quo obligetur. Si autem non interveniat ignorantia, et vovens etiamsi sciat veram promissionem non posse esse quin sit obligatoria, velit tamen promittere et non se obligare, tunc negatur id esse possibile, quia voluntas non potest simul ea quæ repugnantiam involvunt, velle efficaci voluntate ex certa scientia; sed vovere seu promittere et non obligari, involvunt repugnantiam, quia obligatio est effectus omnino naturalis ac necessarius promissionis qui impediri non potest per voluntatem contrariam; ergo, etc. Hinc sequitur : 1° Dum casus est possibilis, tunc deesse voluntatem faciendi verum votum ob ignorantiam, qui enim sic vult vovere et non se obligare, sistit in nomine voti et non attingit rem ipsam, videturque per votum intelligere solummodo propositum faciendi talem rem sine obligatione ; voluntas enim se obligandi juxta communem theologorum sententiam est necessaria ad votum emittendum. 2° Dum aliquis exterius promittit aut vovet animo non vovendi aut se obligandi, non manet in conscientia obligatus ad faciendum quod promisit ex vi promissionis : adeoque qui dicit se vovisse sine animo promittendi, aut se obligandi, in foro conscientiæ illi credendum, quia in illo foro non agitur nisi de ejusdem conscientiæ bono ; secus vero in externo Ecclesiæ foro, in quo si constet votum esse factum, Ecclesia potest cogere ad illud servandum voventem, utpote non judicans de internis, et licet affirmet, imo juret se ficte vovisse, non illi credendum est. Cum enim fateatur se mentitum fuisse, ideo nunc indignus est cui etiam credatur; hinc tenetur parere, non ob votum, sed ob Ecclesiæ præceptum, quod si non possit licite impleri nisi mutando animum, et de novo vere promittendo, ad id etiam obligabitur.

CAPP. IV, V.

An propositum faciendi quod vovetur, et motivum honestum sint necessaria ad voti valorem.

Dico 1 : Propositum implendi quod vovetur, non est necessarium ad valorem voti. Hinc si quis promittit cum intentione vere promittendi et se obligandi, etiamsi non habeat voluntatem faciendi quod promittit, v. gr. servandi castitatem, imo habeat positivum propositum illam violandi, ejus votum est validum et obligat. (Sylvester, Angelus, Navarra, etc.) Quia voluntas se obligandi et voluntas non implendi sunt inter se diversæ et possunt stare simul, ac proinde nulla in hoc repugnantia. Voluntas autem vovendi et se obligandi sufficit ad valorem et obligationem voti; sed qui vovet cum proposito non servandi quod promittit, graviter peccat, grave enim et perniciosum profert mendacium. Ideoque ut votum recte et honeste fiat, requiritur propositum vel formale vel virtuale faciendi quod voto promittitur.

Dico 2 : Ad valorem et obligationem voti non requiritur necessario ut promissio fiat ex fine honesto operantis ; adeoque validum est votum, etiam si fiat ob malum finem, dummodo materia voti sit capax, nec promittatur ut ordinata vel ordinanda ad talem finem. Sic validum est votum dandi eleemosynam ob vanam gloriam, ingrediendi religionem militarem ob divitias, etc. (Soto, Angles, etc.) Votum enim non habet vim obligandi ex individuali honestate, quam voluntas promittens seu se obligans de facto habere debet, sed simpliciter ex deliberata voluntate se obligandi, modo materia sit talis obligationis capax ; nec ob finem istius voluntatis mutet suam capacitatem ac conditionem, quia illa voluntas se obligandi, licet ex fine operantis mala sit, tamen ex intrinseco fine, objecto et materia bona est ; et quoad id quod in ea bonum est, illam Deus acceptat, ac proinde obligatio nascitur. Istam deliberatam voluntatem vovendi, seu se obligandi, videtur Cajetanus vocare applicationem ad vovendum, distinguens hanc a voto ipso, dicitque

hanc ex pravo fine factam non obstare voti validitati, sed ipsum votum ex pravo fine factum, esse invalidum. Verumtamen frustra videtur fingi aut adhiberi ista distinctio. Deinde potest esse mala promissio ex fine operantis, et exsecutio esse bona, quia non oportet, ut fiat ex illo fine.

Objicies 1 : Votum ex pravo fine non est acceptum Deo ; ergo est nullum. Respondeo : Distinguo antecedens. Non est acceptum Deo, quatenus est actus moralis factus ex pravo fine operantis, concedo antecedens ; quatenus est vinculum obligans de se ad bonum, nego antecedens. Non est acceptum quidem quoad modum, sed acceptum est quoad substantiam et observantiam ejus.

Obj. 2 : Iste actus non est actus religionis utpote qui non fit ex motivo cultus divini, sed ex aliquo pravo ; ergo non est votum, quia votum est actus religionis. Respondeo negando primam consequentiam, et distinguo secundam. Votum est actus religionis per se et natura sua ac secluso impedimento ex parte operantis, concedo consequentiam ; est semper actus religionis in individuo, nego consequentiam. Ut sit enim votum, sufficit voluntas promittendi rem de se aptam ad cultum Dei, quamvis ex alio fine alieno a religione moveatur ; sicque potest fieri ex malitia operantis et ex prava ejus intentione, ut non sit actus a virtute religionis elicitus.

Obj. 3 : Si quis voveat Deo jejunare ut turpem libidinem assequi possit, tale votum est nullum, idque ob motivum turpe ; ergo idem est quoties votum emittitur ob pravum finem. Respondeo quod istud votum sit nullum non tantum ob motivum turpe, sed etiam ob rem promissam turpem ; istud enim motivum non solum est finis promissionis, sed etiam materiæ promissæ. Aliud autem est dum finis seu motivum pravum ita apponitur promissioni, ut in materiam promissam non redundet.

CAPP. VI, VII.

An perfecta libertas necessario requiratur ad valorem voti.

Dico 1 : Votum ordinarie et ex natura rei, est actus quoad ipsam promissionem seu voti emissionem liber ab obligatione ; liberum est enim homini vovere vel non vovere, sed factum votum tenetur vovens implere, atque ita impletio est necessitatis. Attamen ista libertas ab obligatione, non est de essentia voti ; nam si quis in necessitate Ecclesiæ vel ex præcepto papæ obligetur sacros ordines suscipere, simul obligabitur vovere castitatem ; quia licet attenta materia et nuda voti natura non includat obligationem, non repugnat tamen ei aliunde adjungi.

Dico 2 : De intrinseca voti ratione et essentia est, ut sit actus liber libertate indifferentiæ, ea saltem libertate quæ sufficeret ad peccandum mortaliter. (D. Thomas, Cajetanus, Navarra, etc.) Quia homo per votum tanquam pactum cum Deo, sibi imponit gravissimam obligationem implendam sub mortali ; ergo, etc. Hinc si voluntas se Deo obligandi, sit ex surreptione et indeliberata voluntate, non sufficit ad valorem voti, v. gr. si sit tantum motus primo primus ; imo nec imperfecta libertas, qualem habet motus primo secundus, sufficit ad ejus valorem, nec ad aliquam ejus obligationem etiam sub veniali, quia lex obligans sub veniali non potest imponi sine maturo et deliberato consilio ; ergo nec votum quod est quasi privata lex, potest aliter obligare. Quin et videtur ista indifferentiæ libertas esse conditio tam essentialis voto, ut ne quidem de potentia absoluta possit absque illa votum esse validum in ratione promissionis sufficientis ad obligationem inducendam.

Dico 3 : Votum factum ex quocunque metu proveniente a causis naturalibus, etiamsi gravissimus sit, validum est et obligat ; v. gr. factum in tempestate ex metu naufragii. Ratio est, quia metus non tollit voluntarium nec libertatem ; et falsum est Deum generatim non acceptare obsequia metu facta ; imo vero communis modus trahendi homines ad suum obsequium, est per incussos timores ac terrores.

Dico 4 : Metus proveniens ex injuriosa hominis actione, si non incutiatur directe ad extorquendum votum, non obstat voti valori ea occasione facti ; v. gr. facti in captivitate apud Turcas ex metu vel tædio tanti mali : imo etiamsi metus sit directe incussus ad extorquendum votum, verius videtur etiam tunc votum in tali casu factum, stando præcise jure naturali aut divino, esse validum. (Sylvester, Aragonensis, Henriquez, etc.) Probatur : Quia licet fiat ab homine injuria, non tamen est a Deo cui fit votum ; nec illa impedit Deum quominus acceptet votum. Deinde metus quidem minuit voluntarium ; sed quia voluntas vovendi est efficax, et voti displicentia intervenit tantum per voluntatem conditionatam, aut simplicem affectum seu nolleitatem, ideo istud votum simpliciter est voluntarium. Contra hoc sic

Objicies 1 : Deus non acceptat tale votum, quia non vult sacrificia coacta ; nec acceptat nisi quod bonum est. Atqui nihil bonum et Deo acceptum est nisi voluntarium ; ergo. Respondeo : Nego majorem. Cum autem dicitur Deus non acceptare sacrificia coacta, intelligitur de coactis proprie et sine consensu factis. Hoc vero votum licet ex metu fiat, est tamen voluntarium et fit ex voluntatis consensu.

Obj. 2 : Cum obligatio istius voti ortum habeat ab arbitrio voventis, pronum est, si voluntas necessitate impellatur, ut votum non sit legitimum. Respondeo : Distinguo assumptum. Non sit legitimum ex parte injuste illud extorquentis, concedo : ex parte voventis, nego. Quamvis votum natura sua postulet fieri sine necessitate et coactione, cum voluntarie tamen fiat, factum tenet, seu est validum.

Obj. 3 : Matrimonium gravi metu contractum

censetur a multis jure naturæ invalidum, ergo et votum. Respondeo : Fortasse probabilius est matrimonium gravi metu contractum, non jure naturæ, sed solo ecclesiastico esse invalidum. Deinde disparitas est quod matrimonium sit contractus multa habens opera et perpetuo obligans ob quæ forte ex natura rei postulat integram libertatem. Deinde est contractus humanus, ad quem irritandum injuria videtur esse sufficiens causa ; secus vero votum.

Obj. 4 : Votum non obligat ad sui observationem imminente mortis metu ; ergo neque obligat factum ex metu. Respondeo : Nego consequens. Quia vovens a principio non intendit se obligare cum tanto discrimine, seu mutatis sic rebus ; secus vero in nostro casu, in quo quis vult vovere, non obstante metu.

Obj. 5 : Nemo obligari debet ex injuria quam passus est ; ergo vovens ex metu non obligatur ob injuriam quam passus est. Respondeo : Vovens non obligatur ex injuria quam ab homine patitur, sed ex voluntaria promissione Deo facta.

Obj. 6 : Non videtur tale votum ex metu fieri cum voluntate ad obligandum sufficienti, ob displicentiam in vovente. Respondeo : Nego assumptum. Quia ista displicentia non impedit quominus voluntarie voveat, et votum Deo placeat.

CAPUT VIII.

An votum ex gravi metu factum, jure ecclesiastico sit irritum.

Dico 1 : Ecclesia potest irritare vota simplicia ex metu facta, irritat enim votum solemne, uti postea dicetur agendo de professione religiosa, et de voto continentiæ sacri ordinis ; ergo a fortiori potest irritare simplex. Dein habet potestatem in eo dispensandi, ergo et illud irritandi ; non est enim illa materia extra ejus potestatem, cum ejus jurisdictio circa illam versetur, sive votum sit externum sive internum. Attamen

Dico 2 : Ecclesia non irritat de facto vota simplicia metu facta, ideoque probabilius est obligare donec dispensentur seu tollantur, ad quod metus præsertim gravis sufficit, nullibi enim in jure illa irritari reperiuntur : nam cap. *Prælatus* agit de voto solemni, cap. *Cum dilectus* agit tantum de voto per metum levem facto obligante, non de irrito ; cap. *Abbas* dicit tantum generatim ea quæ metu fiunt, debere irritari ; nec agit de votis, sed de aliis rebus, etc. Quamvis votum simplex castitatis metu extortum sit validum non tantum jure naturali, sed etiam positivo, quia in neutro irritatur ; tamen votum simplex religionis metu extortum videtur per legem canonicam irritatum, et esse invalidum, quia per legem canonicam professio religionis metu extorta irrita facta est ; alioqui si simplex esset validum, ejus impletio obligaret ad professionem religionis.

CAPP. IX, X.

An ad validitatem voti non tantum libertas, sed etiam formalis deliberatio requiratur.

Dico 1 : Ad voti validitatem requiritur necessario aliqua deliberatio ; non fit enim sine libero voluntatis consensu ; voluntas autem non potest operari sine prævia ratione considerante et discurrente. Quanta autem debeat esse hæc consideratio, deliberatio ac advertentia, controvertunt auctores ; verior tamen ac communior sententia asserit sufficere illam rationis deliberationem, quæ sufficit ut actus sit simpliciter liber ita ut fiat cum dominio sufficiente ad actum absolute humanum, seu ad peccandum mortaliter. (Cajetanus, Soto, Angelus, Navarra, etc.) Quia voti essentia solum requirit ut sit actus absolute et sufficienter ad talem obligationem voluntarius. Deinde ejusmodi deliberatio sufficit ad valorem juramenti, et ad contractus humanos ; ergo etiam ad valorem voti, frustraque major requireretur. Quonam autem signo discerni possit, utrum votum subito factum invalidum sit necne, ob rationis inconsiderationem vel perturbationem, videtur non posse dari certum et infallibile ; sed prudenti arbitrio opus est, ac maxime spectanda rationis advertentia, quæ ordinarie non habetur sine prævio aliquo saltem brevi discursu. Non oportet tamen ut sufficiens deliberatio quoad judicium de voto faciendo quod in momento fit, præcedat tempore ipsum votum ; eodem enim momento quo intellectus judicat, potest voluntas velle efficaciter, et facere promissionem. Statim pœnitere post votum factum, non est certum signum, uti vult Soto et alii, fuisse indeliberatum et invalidum ; nec certum signum est, uti vult Panormitanus, etc., si non intervenisset tanta passio votum non fuisset factum.

Dico 2 : Ad validitatem voti non est necesse ut formalis deliberatio de voto faciendo, quæ in intellectu præcessit sive ordine temporis, sive saltem naturæ, formaliter duret usque ad illud instans intrinsecum, in quo voluntas vult voti obligationem suscipere, seu emittit votum ; sed sufficit ut virtualiter perseveret, quia tunc formalis voluntas vovendi seu emittens votum provenit ex præcedenti formali deliberatione non retractata, et moraliter perseverante, atque virtualiter influente in totam illam vovendi actionem, sicut qui suscipit sacros ordines non cogitat actu de voto castitatis emittendo, imo nec de ordine quem suscipit, et tamen nemo dubitat quin votum validum emittat ex virtute præcedentis deliberationis, cujus virtus tunc operatur. Idem potest contingere in professione religionis aut alterius voti. Hinc sequitur, si non præcesserit formalis deliberatio, et formale propositum deliberatum ipsius voti in se, non sufficere ad hujus valorem, deliberationem virtualem in causa, requiritur enim formalis voluntas se voto obligandi, sive actu duret quando fit votum, sive tantum ejus virtus ; actu durat, dum post voluntas-

tis deliberationem statim fit votum. Imo judicium movens voluntatem ad vovendum et continens deliberationem debet esse semper formale et actuale ; ejus autem virtus tantum durat, dum exterius modo ordinario verba voti proferuntur sine actuali ad præcedentem formalem deliberationem ac determinationem attentione. Qui ante ebrietatem prævidet se solere in ebrietate vota emittere, si tunc habeat voluntatem valide vovendi et se obligandi, dum ebrius votum proferet, tenetur voto ; quia jam tunc ante ebrietatem votum quoad substantiam factum est sub conditione, si in ebrietate voti seu promissionis verba proferat ; secus vero si non habuerit ejusmodi voluntatem.

CAPP. XI, XII.

An dolus, ignorantia, aut error impediat valorem voti simplicis.

Dico 1 : Dum votum fit ex ejus proprietatum et conditionum substantialium ignorantia, hæc impedit illius valorem, nisi vovens non obstante tali ignorantia velit promittere ac vovere eo modo quo alii promittunt ac vovent. Unde qui ignorat votum fieri Deo, licet dicat *voveo*, nihil vovet ; ignorando scilicet vim verbi *voveo*. Similiter ignorantia circa materiam voti, si sit circa substantiales ejus conditiones, vel circa res adeo graves ut moraliter censeantur pertinere ad rei substantiam, etiam impedit voti valorem. Quia ignorantia tollit propriam vovendi voluntatem ; nihil enim magis contrarium consensui quam error. Hinc si in voto ingrediendi aliquam talem in individuo religionem ignorantia circa res substantiales impediat voti validitatem, non videtur ejusmodi vovens obligatus ad ingrediendam aliam religionem. Si autem in materia voti interveniat ignorantia vel deceptio circa aliquas tantum conditiones leves vel ad votum impertinentes, ista ignorantia qualiscunque sit, non impedit voti valorem, quia parum pro nihilo reputatur, nec tollit voluntarium. Denique quando conditio ignorata non spectat ad materiam voti, sed ad ejus causam, tunc etiam impediet valorem voti, si fuerit propria et intrinseca finalis causa voti et quasi ratio formalis movens ad promittendam Deo talem rem, est enim error circa substantiam ; si vero fuerit tantum occasio aut ratio secundario movens, tunc illius ignorantia non impediet voti valorem, utpote non pertinens ad ejus substantiam, et juxta hoc intellige cap. *Ex parte* 2, De convers. conjug.

Dico 2 : Quando ignorantia est talis, ut sit causa et ratio emittendi votum, sitque de re substantiali, etiamsi sit vincibilis et indirecte voluntaria ob negligentiam illam depellendi, tamen impedit valorem voti : quia illa conditio substantialis non est in se volita, sed tantum interpretativo modo in causa, id est in ipsa ignorantia est intenta ; interpretativum autem in causa non sufficit ad voti valorem. Quando vero ignorantia est directe volita, et non obstante illa velit vovens absolute se obligare etiamsi decipiatur, tunc stabit voti obligatio ; secus si velit tantum se obligare ad id quod scit, aut juxta exigentiam rei sub tali et tali conditione sibi propositæ. Quando autem ignorantia non est causa actus, sed tantum concomitans, nimirum quando homo est ita dispositus ut idem operaretur, licet non haberet talem ignorantiam, si ista dispositio sit tantum *habitualis*, non actualis, etiam impediet valorem voti, quia homo non obligatur per hoc quod facturus esset in tali et tali casu, sed per hoc quod actualiter facit, aut fecit. Si autem sit *actualis* et voveatur res absolute, quacunque conditione affecta, stabit votum. Denique privatio scientiæ alicujus conditionis in re quæ vovetur, non impediet valorem voti, si implicite fuit volita in objecto proposito a quo non fuit expresse exclusa per voventis intentionem.

CAPUT XIII.

In quo actu voti substantia consistat.

Nota : Votum formaliter consistit in promissione Deo facta, ita ut interius in anima actus vovendi et actus promittendi sint omnino idem ; sicque votum idem est quod promissio. Quæritur autem a qua potentia hæc promissio fiat, et quis sit actus.

Dico : Votum mentale est actus voluntatis, quo ipsa efficaciter vult ex tunc se obligare Deo ad faciendum hoc vel illud in ejus honorem, ita ut ex tunc seu ex vi talis actus statim homo maneat obligatus, quasi diceret : volo ex nunc in me oriatur vinculum et obligatio ; non vero proponendo tantum aliquid in futurum sine obligatione actuali. Iste igitur actus voluntatis est ipsum votum, cum per seipsum inducat statim spontaneam obligationem in ordine ad Deum et voluntarie assumptam ; nec in esse voti dependet ab aliquo subsequenti intellectus actu, v. gr. a cognitione aut judicio, quia hæc jam votum supponunt, et ad illud consequuntur ; nec a locutione mentali, sine qua potest esse votum ; et si sit pure mentalis, fit per voluntatem, nec requiritur imperium ab actu voluntatis distinctum ; et quamvis votum sit quasi privata lex quam homo sibi imponit, potest tamen sufficienter ferri per voluntatem. Denique votum sumitur dupliciter : 1° pro obligatione et vinculo quod manet in homine habente votum, et de hoc non agitur ; 2° pro actu illo, a quo immediate nascitur obligatio : et hic non habet pro objecto alium actum humanum, sed ipsam obligationem seu vinculum efficiendum per actum vovendi.

CAPUT XIV.

An votum sit tantum promissio Deo facta ; an vero sit etiam traditio.

Dico 1 : Votum omne quatenus votum, sola promissione valida Deo facta, sine ulla traditione perficitur ; neque ullum est votum simplex quod in sua essentiali ratione traditionem includit. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, etc.) V. gr. per votum simplex castitatis, quod est pura promissio, uti et per votum ingrediendi religionem, nulla fit traditio.

Deinde votum generatim definitur spontanea promissio Deo facta inducens obligationem circa materiam capacem; ergo si quid aliud illi addatur, non est de ejus essentia. Unde vota simplicia in ratione puræ promissionis et conjunctæ cum traditione, non possunt distingui ex solis rebus circa quas versantur, sed ex propriis rationibus essentialibus, aut formalibus effectibus ob quos fiunt. Promissio autem et traditio sunt res omnino distinctæ; adeoque nulla est materia voti, v. gr. castitas, obedientia, paupertas, etc., quæ non posset simpliciter promitti sine ulla traditione, per puram enim promissionem nil donatur aut traditur promissario; at quod votum statim obliget, non provenit ex traditione, sed ex qualitate materiæ, v. gr. castitatis, et ex intentione promittentis obligandi se statim. Hinc:

Dico 2 : Ex intentione et actione voventis fieri potest, ut cum voto simplici conjungatur aliqua traditio, v. gr. potest aliquis se tradere servitio xenodochii, et vovere se nihil petiturum pro suo servitio; quia licet traditio et promissio fiant sub diversa ratione, sintque res diversæ, non sunt tamen repugnantes, sed dum conjunguntur nunquam ita confunduntur, ut una sit alia, sive ut traditio sit de essentia promissionis, id est voti, vel contra; aut una sit differentia contrahens alterius. Quia ista duo possunt separari, non versantur circa idem, habent rationes formales oppositas; traditio enim est de præsenti, promissio de futuro. Hinc fieri non potest ex intentione operantis votum simplex quod sit simul votum et traditio, utpote semper inter se distincta; nec traditio in honorem Dei facta potest ex intentione operantis evadere essentialiter votum seu promissio; nec in utroque est idem cultus divinus nec obligatio ejusdem rei.

CAPP. XV, XVI.

An votum sit, et necessario sit proprius religionis actus.

Dico 1 : Verum et validum votum ex se est actus a religione elicitus (D. Thomas, etc.); proxime enim intendit Dei honorem, id est extrinsecum Dei bonum; licet enim opus promissum secundum se, sit tantum ad cultum Dei, tamen obligatio ad illud faciendum includit divini cultus rationem; unde fit ut velle se ad id obligare sit actus elicitus a virtute Deum colente, quæ est religio, adeoque supernaturalis, et probabilius per se infusus.

Dico 2 : Votum implere, reddendo Deo quod illi promissum est, est etiam actus religionis; ordinatur enim ad Dei cultum et honorem. Sed est imperatus tantum, non elicitus a religione ex vi voti, quia elicitur a sua propria particulari virtute. Dum dicitur *imperatus*, id est aptus imperari a religione; et si votum servetur formaliter, seu si fiat actus promissus animo implendi votum, tunc ad sic implendum requiritur imperium religionis, quia ista intentio includit cultum Dei. Si autem tantum materialiter servetur, id est si fiat quod promissum est sine ulla voti memoria vel relatione ad illud servandum, tunc non requiritur religionis imperium.

Obj. 1 : Religio est virtus reddens debitum cultum; atqui promissio non est debitus sed voluntarius cultus; ergo non est actus virtutis religionis. Respondeo : Distinguo majorem. Religio est virtus reddens cultum semper in particulari ex præcepto debitum, nego majorem; sponte etiam exhibitum et in communi tantum debitum, qualis cultus est votum, concedo majorem. Deinde votum est actus religionis quatenus in se cultum Dei continet.

Obj. 2 : Promittere et implere promissum inter homines non sunt actus ejusdem virtutis : primus enim est actus misericordiæ aut liberalitatis, secundus est actus justitiæ aut fidelitatis; ergo etiam idem dicendum respectu Dei, si implere votum sit actus religionis; ergo illud facere non est actus ejusdem virtutis. Respondeo, concesso antecedente, quod quidam negant : nego consequens. Disparitas est quod respectu hominis locum habeat liberalitas, misericordia, et aliæ similes virtutes; Deo autem nihil offerri potest sive promittendo, sive faciendo, nisi per modum cultus.

Obj. 3 : Promissio juxta intentionem voventis, multiplicem potest habere honestatis speciem, v. gr. gratitudinis, spei, charitatis, etc.; ergo ex se non est actus religionis. Respondeo : Distinguo consequens. Promissio voventis ex se et secundum se spectata non est actus religionis, nego consequens. Quatenus est actus imperatus ab aliis virtutibus, non est actus religionis, concedo consequens. Votum enim, uti et alii actus religionis, possunt ab aliis virtutum affectibus imperari; et sic sub ista formali ratione non sunt actus religionis.

Dico 3 : Proprium et stricte dictum votum soli Deo fit, utpote cultus latriæ; dum igitur dicuntur fieri vota sanctis, id potest tribus modis explicari : Primus est, juxta D. Thomam, dum fiunt duæ promissiones; una directe sancto, de tali opere in ejus obsequium præstando; altera Deo, de adimplenda promissione sancto facta. Secundus est dum soli sancto fit promissio, nulla adjuncta promissione Deo facta : et tunc ista promissio, uti et præcedens, non tantum fit sancto ut est creatura rationalis, sed formaliter ut est sanctus ob excellentiam creatam gratiæ et gloriæ quam in se habet; hicque cultus qui sic sancto datur, non elicitur a virtute religionis seu latriæ, sed a virtute duliæ; neque terminatur ad Deum tanquam ad objectum quod proprie colitur, sed tantum ad eum ordinatur tanquam ad ultimum finem, in cujus gloriam omnis gloria sanctorum cedit; adeoque ejusmodi promissio sancto facta non est votum, nisi lato modo, nimirum prout votum generalissime potest significare promissionem alicui factam, per modum cultus religiosi; differtque a promissione civili, quia est sacra et spectat ad virtutem duliæ. Tertius est dum vere ac proprie soli Deo fit promissio, sed in honorem sancti, ita ut quod promittitur cedat in cultum aut

honorem sancti, v. gr. promitto Deo ornare sepulcrum alicujus sancti, erigere ei statuam argenteam, etc., tunc est unice promissio Deo facta, sed duplex cultus; unus latriæ, alter duliæ. Dum igitur dicitur *voveo Deo, B. Mariæ ac sanctis*, vel per verbum *voveo* intelligitur *promitto*, eo modo quo jam dixi; vel potius intelligitur *B. Mariæ ac sanctis* tanquam testibus, seu *voveo Deo coram B. Maria ac sanctis.*

CAPUT XVII.

An opus ex voto factum melius ac magis meritorium sit quam sine voto.

Dico 1 : Opus ex voto factum, melius est saltem extensive, quam sine voto factum : quia opus ex voto factum, habet totam honestatem quam per se haberet sine voto, et insuper habet voti honestatem per quam Deo dedicatur et fit opus religionis, adeoque duas habet honestates. Deinde quod Deus consulit, est melius; atqui consulit facere votum : *Vovete et reddite* (*Psal.* LXXV, 12); ergo. Atque ita facere aliquid ex præcepto, et ex voto, erit duplex bonitas. Interdum etiam operis ex voto facti bonitas augetur intensive; quia bonitas, quæ per votum additur, sæpe major est quam intrinseca actus bonitas, v. gr. in jejunio servato ex voto, major bonitas est religionis quam temperantiæ; non tamen semper, nam si actus amoris Dei vel fidei ex voto fiat, major est bonitas charitatis vel fidei quam religionis. Præterea votum reddit propositum firmius ac perficit, et consequenter ipsum etiam opus. Denique omissio operis voto promissi est majus peccatum, quam si non esset promissum; ergo facere illud est etiam majus bonum : oppositorum enim opposita est ratio. Loquimur autem hic de opere facto ex formali voti observatione, quæ requirit actualem vel virtualem servandi voti voluntatem, non de materiali quæ sine illa voluntate fit. Hinc :

Dico 2 : Opus ex formali voti observatione factum, est meritorium majoris præmii non solum accidentalis, quod est certissimum, D. Thoma damnante oppositum ut erroneum, sed etiam essentialis, quam absque voto factum, contra hæreticos putantes vota ad fructum spiritualem esse inutilia, et contra quosdam Catholicos qui censent solam charitatem, non autem opera moralia mereri præmium essentiale, nisi saltem per extrinsecam denominationem ratione charitatis imperantis et juxta ejus gradum et valorem. Sed hoc alibi rejectum est. Probatur assertio : Quia opus ex voto factum habet majorem bonitatem; ergo et majus meritum. Intellige hoc de formali voti observatione, non materiali; unde nec solus personæ religiosæ aut Deo dicatæ per votum status sufficit ad hoc meriti augmentum.

Objicies 1 : Non est melius operari ex præcepto, melius est enim opus consilii quam præcepti; ergo nec est melius operari ex voto. Respondeo : Nego antecedens. Opus enim præcepti habet fructum obedientiæ et majorem connexionem cum charitate. Deinde cum dicitur melius est opus consilii quam præcepti, id intelligendum est de opere comparato ad aliud quod non est præceptum; vel si ad opus præceptum comparetur, debet intelligi cum inclusione ipsius operis præcepti, ita ut sit melius facere simul opus consilii cum opere præcepti, quam solum opus præcepti.

Obj. 2 : Honestas religionis quæ per votum additur actui, non auget moralem ejus valorem; juramentum enim addens actui honestatem religionis non facit ut sit opus excellentius implere promissionem juratam, quam simplicem. Respondeo : Nego assumptum. Opus enim quod fit ex speciali juramenti reverentia ad illud implendum, etiam auget ejus meritum; deinde non est eadem ratio de juramento ac de voto, quia opus quod sub juramento promittitur, non ita ordinatur ad cultum Dei, sicut opus quod voto promittitur.

Obj. 3 : Licet ex voti honestate crescceret actus bonitas, minuitur tamen ex necessitate imposita per votum. Respondeo negando votum minuere libertatem indifferentiæ; solum enim inducit obligationem, obligatio autem non inducit necessitatem prædictæ indifferentiæ repugnantem, quia ipsa obligatio cum perfecta indifferentia impletur.

CAPUT XVIII.

An votum sit per se expediens.

Dico 1 : Votum secundum se est ita honestum, per se appetibile et ad vitæ perfectionem expediens, ut simpliciter cadat sub consilium. Id patet ex Scriptura : *Vovete et reddite* (*Psal.* LXXV, 12). *Vovete* est consilii; *reddite* est necessitatis. Christus etiam, Matth. XIX, 12, consulit castitatis votum : *Sunt eunuchi qui se castravere propter regnum cœlorum.* Patres etiam Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, etc., vota commendant et consulunt. Ratio est quia per votum firmatur voluntas in bono, in quo magna tum honestas tum utilitas reperitur, ut patet in statu religioso quem de fide constat esse honestum et utilem ad perfectionem. Differentia autem inter juramentum, cujus frequentia non consulitur, et inter votum est, quod illud non solum ob periculum peccandi, sed etiam ex sua natura ac per se primo non expediat ad vitæ perfectionem; non enim per se primo ordinatur ad cultum Dei, sed ad confirmandam humanam veritatem, votum autem per se primo expedit et ad cultum Dei ordinatur. Nec ullum ex voto nascitur morale periculum, quia sola obligatio bene operandi constituit hominem in periculo; alioqui nullum præceptum positivum deberet aut posset ei imponi.

Dico 2 : Licet votum de se expediat, in praxi tamen et usu servanda est prudentia, ne in laqueum convertatur, attenta sive conditione personæ voventis fragilis, inconstantis, junioris, etc., sive voti materia difficiliori, diuturniori, etc.

CAPUT XIX.

De quibusdam voti divisionibus.

Votum dividitur : 1° in commune et singulare, seu in necessarium et voluntarium ; commune consistit in sola acceptatione præcepti cum proposito illud implendi, adeoque non est proprie votum; singulare consistit in proprio promittendi actu, qui semper est supererogationis. 2° In votum factum Deo et votum factum sanctis ; sed hoc diximus supra non esse proprie votum. 3° In bonum et malum votum quod fit de re prava ; ast hoc non est vere votum. 4° In votum perfectum et imperfectum ; si sit imperfectum essentialiter, id est factum sine intentione vovendi aut se obligandi, tunc non est votum sed fictum et apparens ; si sit imperfectum accidentaliter, id est, factum non satis considerate et prudenter, ex ignorantia circumstantiæ accidentalis, ex reverentia aut timore alicujus, tunc potest esse verum votum. 5° In absolutum et conditionatum, quod fit cum conditione suspensiva obligationis ex parte objecti donec ipsa impleatur, v. gr. : voveo dare talem eleemosynam, si navis salva appulerit. Dicitur conditionatum, non quia non obligat statim atque emissum est, sed quia quoad voti exsecutionem suspenditur obligatio ; statim enim ex voto manet subjectus isti obligationi si conditio impleatur, et ex tunc tenetur habere animum illud implendi, impleta conditione ; adeoque postea non erit necessarius novus consensus vel promissio, sed posita conditione votum quod erat conditionatum, transit in absolutum. Votum quidem absolutum continet etiam conditiones, sed generales et intrinsece in ipso inclusas, v. gr., si vixero, si res non fuerit mutata, etc. At conditionatum continet particularem conditionem ex voluntaria voventis aut promittentis intentione conceptam, et contingentem quidem, non necessariam, si sit de futuro. Deinde votum conditionatum rursus dividitur in pœnale et non pœnale seu purum ; in hoc ponitur conditio non ut pœna sed ut mera conditio, v. gr. si convaluero ex morbo, voveo talem eleemosynam ; in pœnali autem res sub conditione promissa intenditur tantum in pœnam istius actus per quem conditio impletur, et quidem intenditur contra voventis affectum ; v. gr., si rursus lusero, voveo trium dierum jejunium. 6° In votum internum et externum seu in mentale et sensibile. Internum est, quod sola mente fit, vel de actu interno, v. gr. de tot actibus divini amoris, de oratione mentali, etc., Externum autem proprie est de faciendo vel vitando actu externo et sensibili, ita exterius factum, ut promissio possit hominibus innotescere. Votum vero externum, nempe solemne subdividitur in tacitum et expressum, de quo postea. 7° In votum publicum, v. gr. factum coram testibus, et in occultum. 8° In solemne, quod sacro ordini vel religiosæ professioni annexum est, et in simplex quod caret ista substantiali solemnitate, de qua postea agetur. Hinc erit votum simplex, licet vovens dicat se solemniter vovere tale quid, aut fiat votum, v. gr. peregrinationis Jerosolymitanæ, cum publico apparatu, ritu, et solemnitate.

LIBER II.

De materia voti ejusque divisionibus.

CAPP. I, II.

Qualis voti materia esse debeat.

Nota : Duplex est voti materia, proxima et remota. Proxima est aliqua actio humana in quam proxime cadit promissio ; sicut ablutio in baptismo. Remota est omne id quod mediante materia proxima attingitur, et ad Dei cultum ordinatur.

Dico 1 : Proxima voti materia debet necessario esse actus humanus ; quia illa debet ita esse in hominis potestate, ut actum possit vel facere vel omittere. Hinc nec de re necessaria, nec de impossibili datur votum validum.

Dico 2 : Remota voti materia est quævis res qua per actum humanum uti possumus ad divinum cultum, sive eam efficiendo et donando, sive eam cavendo et vitando.

Dico 3 : Si in impossibili voti materiæ pars sit possibilis, votum de tota ista materia aliquando obligat ad partem possibilem, aliquando vero non. Obligat, si adsint hæ duæ conditiones : 1° si conditio inducens impossibilitatem non sit inseparabilis ab actu possibili, eo manente utili et honesto ; v. gr. si quis vovit jejunare omnibus hebdomadæ diebus, hocque totum sit ei impossibile, sed possit jejunare tribus aut quatuor diebus in hebdomada, ad jejunandum hisce diebus obligatur. 2° Si actus possibilis maneat ejusdem rationis sub qua promissus est ; quæ conditio includit etiam voventis intentionem, quia votum non obligat ad omnem actum possibilem, sed ad illum de quo fit ; de illo autem actu in specie et secundum rationem, quæ per promissionis verba significatur, tantum fit votum ; si igitur materia non sit ita possibilis, licet aliqua ejus pars sit possibilis, non obligabit votum : v. gr. si quis vovit confiteri, et postea id sit impossibile, non tenetur ex vi voti elicere dolorem de peccatis, licet dolor ut pars sacramenti fuerit in voto inclusus. Unde 1° dum voti materia totalis non est aliquod totum moraliter indivisibile, sed est tantum vel quædam actuum species, vel eorum multitudo ac collectio, tunc quamvis impossibile sit totam materiam et singulas partes implere, tamen votum obligat vel ad partes vel ad partium collectionem possibilem, ubi de contraria voventis intentione non constiterit ; adeoque votum tunc ex parte est validum, ex parte invalidum, quia virtua-

liter est multiplex, ut patet ex voto jejunandi tota Quadragesima; sic castitas non est unum totum indivisibile, sed est collectio plurium actuum quorum singuli per se sub votum cadunt. 2° Quando impossibilitas materiæ voti provenit ex modo accessorio actui principaliter promisso, votum obligat ad actum absolute, secluso modo; nisi talis modus ob minuendam materiæ difficultatem sit adhibitus, vel nisi constet voventis intentionem fuisse non se obligandi ad actum sine tali modo: v. gr. votum eundi Jerosolymam flexis genibus, censetur obligare ad substantiam actus, secluso modo; impedimentum enim in accessorio non redundat in principale, sicut non polluitur ecclesia polluto cœmeterio. Si autem substantialis actus fiat notabiliter difficilior ex defectu modi qui putabatur possibilis, tunc poterit votum non obligare, non quia est de re impossibili, sed ex defectu voluntatis: v. gr. vovit quis visitare limina Sancti Petri equitando vel navigando, quia credidit nec facultatem nec possibilitatem sibi defuturam eundi tali modo; postea deest facultas, non tenebitur pedes ire, quia hic modus notabiliter mutat materiæ difficultatem, nec censetur volitus actus sine suo modo. Denique si constet intentionem voventis noluisse vovere principale nisi dependenter ab accessorio et modo, et quasi sub illius conditione, tunc quomodocunque sit impossibilis materia vel unius partis, vel modi accessorii, votum ad nihil obligat; si autem vovens manet dubius de sua intentione in vovendo, tunc maxime spectanda est materiæ conditio, qualitas, circumstantiæ.

CAPUT III.

An fieri possit votum non peccandi, et ad quid obliget.

Dico 1: Votum nunquam peccandi mortaliter, etiam ab homine fragili factum, validum est (Sotus, etc.): est enim de re honesta et non impossibili, quia licet sit res impossibilis per naturam, est tamen possibilis per gratiam; ideo facile potest in illo dispensari. Nec expedit ordinarie illud facere; quia potest esse occasio gravius peccandi, et aliquando in eo faciendo peccaretur imprudentia et temeritate. Imo votum nunquam peccandi venialiter ex deliberatione et plena advertentia, est etiam validum, minus tamen id expedit, minusque consulendum est, quam præcedens. Rationes eædem ac ante. Sed

Dico 2: Votum de non peccando omnino simpliciter, et quovis modo, non obligat ad sui observationem quoad totam illius materiam. (Navarra, Soto, etc.) Quia vitare omnia peccata venialia etiam ex surreptione et collective, non est possibile non solum per liberum arbitrium, sed etiam nec per gratiam ordinariam; solumque ex speciali privilegio id potest fieri. Licet igitur id non sit impossibile physice, quia cum peccatum requirat libertatem, requirit etiam ut sit possibile vitare illud; dicitur tamen simpliciter impossibile, quia humano modo fieri non potest, nec fieri unquam contingit sine speciali privilegio. Hinc non potest homo habere efficax et absolutum propositum vitandi omnia hæc peccata; sed si non potest habere istud propositum, ergo nec potest promittere illa vitare. Imo juxta Sotum, Navarram, Valentiam, Sanchez, etc., tale votum ad nihil omnino obligat, ne quidem ad diligentiam adhibendam pro vitandis peccatis quantum fieri potest, quia, inquiunt, est nullum; estque de toto illo objecto impossibili per modum unius integræ materiæ, cujus partes non intenduntur, nisi ut votum componunt, id est integram innocentiam et culpæ carentiam. Ita illi probabiliter, sed rationes non convincunt. Ideo satis probabile est istud votum, quandiu non commutatur vel dispensatur, obligare ad vitanda omnia peccata deliberata, vel saltem mortalia, quia hæc istius objecti pars est possibilis, et non est per se connexa cum alia parte impossibili; et videtur sic interpretanda intentio voventis. Cæterum videtur prior sententia posse practice teneri.

CAPP. IV, V.

An actus moraliter malus, aut honestus sub conditione mala, possit esse materia voti.

Dico 1: Actus moraliter malus non potest esse materia capax obligationis voti; nemo enim potest obligari ad faciendum actum malum, seu ad peccandum: idque intellige de actu tam venialiter quam mortaliter malo, sive ex se intrinsece per legem naturalem, sive extrinsece per legis positivæ prohibitionem. Hinc, 1° non potest esse materia voti non tantum actus malus ex objecto, sed nec etiam qui est malus ex fine intrinseco, aut aliis circumstantiis, si hæ seu ad has habitudo, aut earum conjunctio sub votum cadant; malum enim ex quocunque defectu. An autem tunc votum obliget, ut rejecto fine aut circumstantia mala, impleatur quoad actum; hoc pendet maxime ex voluntate et intentione quam vovens habuit. 2° Actus indifferens ut sic, non est materia voti capax; quia in individuo sic factus, semper malus est, accidentali saltem malitia, ex defectu boni finis, et materia voti in individuo debet esse Deo consentanea. Si autem iste actus ex se indifferens proxime aptus sit referri ad honestum finem, ad Dei honorem, ad spiritualem utilitatem, tunc affectus bonitate istius finis, potest esse voti materia. 3° Votum factum contra prius votum validum, est nullum, quia prius votum fuit de meliori bono; si ergo posterius illi opponatur, erit ea materia opposita meliori bono, adeoque prava, et indebita. Idem dic de voto contrario priori promissioni humanæ etiam simplici, supposita ejus validitate et vi obligandi sive ex justitia, sive ex fidelitate, et sive sub peccato veniali, sive sub mortali; quia talis promissio sufficit, ut votum de materia illi contraria sit de re prava, adeoque nec placeat Deo, nec sit validum. Atque hæc jam dicta intellige de fine ex parte operis promissi seu materiæ promissæ, et de circumstantiis

quæ sunt quasi illius pars. Nunc autem de fine et circumstantia aut conditione quæ se tantum tenet ex parte ipsius intentionis voventis. Quare

Dico 2 : Votum sub conditione turpis actus ad se puniendum et vitandum illum, v. gr. si blasphemavero, dabo talem eleemosynam, non tantum est validum, et de materia convenienti, sed etiam honeste et pie fit. Quod enim directe promittitur, est bonum, et finis voti bonus. Item votum factum sub conditione boni effectus præsupponentis actum turpem, qui per se non intenditur in conditione, sed supponitur prius factus, est validum, nec ista materia est inepta ad votum, v. gr. si quis voveat dotem pauperi puellæ, si ipsi nascatur filius ex alia quam violavit, ejus votum est validum; quia in illo non est ordo ad actum turpem qui jam supponitur, sed est ordo ad ejus effectum, qui est bonus, sive est bonum temporale : votum autem pro bono temporali obtinendo, est validum si materia voti sit capax, uti hic.

Dico 3 : Votum emissum Deo ad obtinendum auxilium pro faciendo actu pravo (v. gr. si victoriam obtinuero in bello injusto, et vindictam sumpsero injustam de inimicis, dabo talem eleemosynam), est nullum ob materiam turpem et iniquam (Cajetanus, Sotus, Navarra, etc., communiter) ; quia actus pravus non solum est finis voti ex parte promissionis seu promittentis, sed etiam ex parte materiæ quæ Deo sub tali turpi conditione promittitur ; iste enim actus pravus movet voventem ad ipsius exsecutionem, quæ est prava. Imo etiamsi per tale votum non petatur a Deo ut ipse cooperetur vel inducat ad malum, tamen votum est iniquum ; quia vovens optat et ordinat, quantum est in se, totam illam Dei actionem vel promissionem ad pravum finem ; nam qui Deo aliquid promittit ut injustam actionem perficere sibi concedat, eo ipso vult et procurat, ut Deus suam cooperationem, quæcunque illa sit, ordinet ad favorem vel opem præstandam suæ iniquæ voluntati ; ideoque talis promissio et actio quæ ex vi illius fit, non solum in se iniqua est, sed etiam speciali modo injuriosa. Attamen si v. gr. in bello aut duello injusto, pro propria incolumitate aliquid Deo voveat, probabilius votum est validum (Navarra, Cajetanus, Sotus, etc.) ; quia id quod postulatur, est bonum, nempe incolumitas ; nec intenditur per turpe medium, quia bellum aut duellum injustum non est medium ad obtinendam incolumitatem ; imo vero de se est illi contrarium, solumque petitur a Deo ut non permittat sui occisionem, quod etiam per se bonum est, et Deum non dedecet ; nec talis effectus de se, nec ab ipso vovente ordinatur ad pravum finem. Ergo istud votum nec ex objecto nec ex fine est iniquum, adeoque validum.

Dico 4 : Votum factum in puram gratiarum actionem pro victoria injusta jam parta, vel pro alio effectu bono ex actione prava secuto, validum est, si sit de materia capaci, et id quod ex actione prava secutum est, possit honeste et juste retineri ; secus vero, si non possit honeste et juste retineri, v. gr. si rex ex victoria injusti belli parta usurpatum alterius regnum retineat.

Dico 5 : Si votum fiat sub conditione turpi, habente rationem puræ conditionis, non causæ nec motivi ad istud votum faciendum, v. gr. meretrix votum facit dandi eleemosynam, si habeat bona superflua ex suo meretricio, illa conditionis turpitudo non obstabit quin votum sit validum ; istius enim materia voti non fit mala ex turpi conditione, adeoque nec ipsum votum, quia non est ejus circumstantia.

CAPUT VI.

An actus boni, qui sunt de præcepto, possint esse voti materia.

Dico : Actus qui sunt de præcepto, possunt esse materia voti propriissime dicti (D. Thomas, Cajetanus, Sotus, Sylvester, Navarra, etc., contra Gersonem, Gabrielem, etc.) ; quia licet actus præceptus, sit aliquo modo necessarius, est tamen simpliciter voluntarius et liber : nec repugnat unam obligationem addi alteri obligationi, remque uno titulo debitam simul deberi ex alio ; votum enim reddit voluntatem immobiliorem in proposito faciendi rem promissam, quod lex aut præceptum non faciebat, licet ex se foret sufficiens ad obligationem imponendam. Hinc, 1° votum de materia præcepta, est univoce votum cum aliis votis quæ fiunt de operibus consiliorum ; est enim verus religionis actus univoce cum aliis, sive est promissio Deo facta sicut alia vota. 2° Violatio præcepti voto confirmati, v. gr. violatio castitatis voto confirmatæ addit novam malitiam contra et religionem et fidelitatem Deo debitam ; ideoque violatores sacrarum virginum dicuntur sacrilegi, in cap. *Sciendum*. Ergo a fortiori ipsæ etiam sunt sacrilegæ. 3° Votum castitatis absolute factum comprehendit materiam ex præcepto naturali necessariam, seu obligat ad servandam castitatem lege naturali præceptam. Denique D. Thomas (quæst. 88, art. 2) dicit ea quæ sunt necessaria ad salutem, posse cadere sub votum.

Objicies 1 : In cap. *Quia circa* De bigam., accessus clerici ad concubinam appellatur simplex fornicatio, tanquam non comprehensa sub voto ; ergo signum est actum, qui est de præcepto, non esse materiam voti. Respondeo : Distinguo antecedens. Appellatur simplex fornicatio in ordine ad bigamiam inducendam, concedo antecedens ; in ordine ad excludendam malitiam contra votum castitatis, nego antecedens. Clerici copula cum soluta dicitur simplex fornicatio, ut distinguatur ab ea quæ fit cum nupta, inducens bigamiam, non autem dicitur simplex quasi non includeret speciem sacrilegii contra votum præter malitiam contra castitatem.

Obj. 2 : Votum est opus supererogationis ; ergo non cadit nisi in opus supererogationis. Respondeo : Nego consequens. Opus enim supererogationis. sive opus non præceptum potest versari circa opus præceptum, addendo aliquid non debitum, v. gr. jura-

mentum. Sic confessarius potest in satisfactionem injungere jejunium præceptum, imponendo novam obligationem pertinentem ad pœnitentiam.

Obj. 3 : Votum inducit obligationem; ergo non supponit illam. Respondeo : Distinguo consequens. Non supponit eamdem obligationem, concedo. Non supponit aliam a voto, nego. Potest enim addi obligatio obligationi, maxime quando obligationes sunt diversæ rationis, uti jam ostensum est de juramento, sic solutio quæ jam debita est ex contractu mutui, potest de novo promitti et jurari, nempe promittendo et jurando id quod jam debetur alio titulo.

Obj. 4 : Res voto promissa non potest iterum voveri; ergo neque res præcepta potest voveri. Respondeo : Nego consequens. Res voto promissa non potest iterum voveri, quia non potest obligatio ejusdem omnino rationis multiplicari, etiamsi id quidam negent; votum autem circa rem præceptam est diversæ obligationis ab obligatione rei præceptæ, sive sunt duæ obligationes diversarum virtutum. Imo etiamsi votum foret de actu religionis aliunde præcepto, v. gr. de auditione missæ præceptæ, posset iste actus adhuc voveri : quia possunt intra eamdem virtutem esse actus qui habeant honestatem specie diversam, v. gr. oratio, sacrificium, votum.

Obj. 5 : Votum debet esse de meliori bono juxta commune axioma; atqui meliora bona dicuntur opera consiliorum non præceptorum; ergo. Respondeo : Votum de actu præcepto potest dici esse de meliori bono; quia actus præceptus præferendus est aliis actibus non præceptis qui simul fieri non possunt. Deinde actus præceptus factus ex voto et intuitu religionis, melior est quam factus sine voto. Si autem istud axioma : *Votum debet esse de meliori bono*, intelligatur de bono quod consulitur ad melius esse, sed non præcipitur, potest negari tale principium; quia nullo jure, ratione vel auctoritate fundatur, sed de ejus vero sensu dicetur in capite sequenti.

CAPUT VII.

An votum debeat esse necessario de meliori bono.

Dico : Votum necessario debet esse de meliori bono, non solum ut recte, sed etiam ut valide fiat. Quia non potest obligare ad bonum cum detrimento melioris boni; hoc enim non est consonum divinæ voluntati, quæ est sanctificatio nostra, nec ab ea acceptaretur. Istud autem melius bonum vel est præceptum, vel consilium evangelicum ducens ad consequendam perfectionem, vel est aliud opus bonum non præceptum, nec impediens majus bonum, v. gr. jejunare tali die, talem dare eleemosynam, etc.

Objicies 1 : Ad faciendum aliquod opus propter Deum et ad ejus gloriam, sufficit ut illud sit bonum, nec necesse est ut sit melius; ergo etiam ad vovendum Deo, sufficit ut sit bonum id quod vovetur, nec necesse est ut sit melius. Respondeo : Nego consequens. Quia aliquid potest ordinari ad Dei gloriam; sed obligari ad illud, potest non pertinere ad Dei gloriam. Simplex enim boni operatio sine obligatione non tollit potestatem faciendi melius bonum in futuro; sed operatio boni cum obligatione voti, tollit moralem potestatem faciendi melius bonum in futuro, et hæc ablatio potestatis non placet Deo, nec talis obligatio est ad gloriam Dei.

Obj. 2 : In humana promissione non solum quod est utilius et melius homini est materia validæ promissionis, sed etiam id quod est tantum utile; ergo etiam in voti promissione. Respondeo : Nego consequens. Disparitas est, quod promissio humana fiat homini qui nec semper cupit quod melius est, nec curat promittentis perfectionem sed suam utilitatem; et licet optet quod sibi est utilius, tamen quando id non offertur, acceptat id quod est utile. Deus vero semper cupit ab homine quod est melius et perfectius ad honestatem voventis; et ratione promissionis sibi factæ non vult id impedire.

Obj. 3 : Ergo quotiescunque actus bonus impedit meliorem, votum de illo non obligat. Respondeo : Nego illatum. Votum de hujusmodi actu inferiori est quidem validum absolute, non tamen facta comparatione ad meliorem actum, id est obligat ad faciendum talem actum; non tamen obligat ad omittendum meliorem, et sic omne votum est semper de bono sub ratione melioris. Hinc negatur votum de actu bono repugnante meliori quocunque modo, absolute non obligare; sed non ita definite obligat, quin liceat isti actui inferiori qui promissus est, substituere meliorem.

CAPUT VIII.

An omnis actus moraliter bonus non impediens meliorem, possit esse materia voti.

Dico 1 : Votum de aliquo actu honesto ad corporis aut ad vitæ præsentis commoditatem pertinente, v. gr. de actu ambulandi, ludendi, etc., si fiat de ejus specificatione quatenus honestus est, et quasi sub hac conditione : si ambulavero, si lusero, etc., honeste et secundum rectam rationem ambulabo, ludam, etc., sic est validum, adeoque conveniens voti materia : quia hoc votum est de re consentanea rationi et Deo grata, nec per se avertente mentem ab alia meliori; non enim obligat simpliciter ad talem actum, sed solum, si fiat, ponit in illo debitum modum. Si autem fiat votum de ejusmodi actu quoad ejus exercitium, ordinarie non obligat, quia ordinarie ejusmodi actus talis est, ut melius sit homini abstinere ab illo quam illum exercere. Si igitur sit melius, licitum est facere non obstante voto, adeoque votum absolute non obligat; ut enim absolute votum obliget ad exercendum actum, oportet ut exercitium actus prævaleat saltem ejus carentiæ. Possunt tamen interdum concurrere tales circumstantiæ, ut talis actus bonus fiat materia voti obligantis ad illius exercitium comparati ad abstinentiam ab illo, v. gr. si supponatur et judicetur esse rectæ rationi consentanea respectu talis personæ : imo ejus exercitium esse magis rectæ rationi consentaneum ac melius quam abstinentia ab illo, aut

etiam necessarium; tunc votum de eo, obligabit ad illius sic formaliter spectati exercitium. Unde :

Dico 2 : Nullus est actus virtutis moralis qui secundum suam speciem non possit interdum esse voti materia, licet in quibusdam id rarissime contingat, ut patet ex dictis. Talis enim actus est bonus, nec impedit transitum ad meliorem nisi quandiu durat; ergo, etc., quia ut actus sit materia voti, sufficit illum ita esse bonum ut post factum votum non liceat ab eo abstinere, nisi per transitum ad meliorem, vel saltem æque bonum.

CAPUT IX.

An actus moraliter bonus, v. gr. contractus matrimonialis inducens inhabilitatem ad statum perfectionis, possit esse interdum voti materia.

Dico 1 : Actus matrimonii voluntarie contrahendi per se loquendo non est voti materia, adeoque votum de illo generaliter est nullum; quia istud vinculum inducit effectum repugnantem meliori bono, id est statui religionis et cælibatus; ergo votum de tali vinculo assumendo, non potest obligare ad non ingrediendam religionem aut ad dimittendum statum cælibatus, atque ita ad nihil obligare potest ac proinde irritum. Juramentum quidem potest obligare ad matrimonium, quia sequitur naturam promissionis humanæ cui adjungitur; quæ promissio ad id quod promissum est, obligat si sit bonum, licet non sit melius bonum, votum vero per se intendit bonum melius et quod est Deo gratius. Deinde votum de matrimonio duntaxat rato cum intentione non consummandi illud, non est etiam voti materia, quia nec videtur per se honestum nec rationi consentaneum, maxime si fiat ab uno contrahentium, altero ignorante, sic injuriam aut dolum erga eum committendo; imo licet id fieret cum mutuo conjugum consensu, nisi interveniat specialis Dei revelatio, esset contra matrimonii substantiam, vel contra modum contrahendi, fini matrimonii et rationi consentaneum; ideoque non est illa voti materia.

Dico 2 : Quando matrimonium cadit sub præceptum, v. gr. ob nocumentum factum alicui personæ sub promissione illam ducendi in uxorem, ob legitimandos liberos in mortis articulo, etc., tunc potest etiam cadere sub votum; quia tunc votum redundat in majus voventis bonum, illumque confirmat in bono quod facere tenetur.

Dico 3 : Votum contrahendi matrimonium ad vitandum periculum incontinentiæ seu fornicationis, affirmant esse validum Cajetanus, Navarra, Bellarminus, Sanchez, etc., negant vero Soto et Aragonensis; sed assero : 1° non obstante tali voto et necessitate, fore semper licitum illi, qui illud emisit, ingredi religionem, et tentare alia media quibus juvetur ad servandam continentiam, adeoque omittere vel suspendere ejusmodi voti obligationem. Deus enim non sinit aliquem tentari supra id quod potest, istique personæ in particulari melius est non inire matrimonium, sed perfectiori modo vincere fragilitatem suam. 2° Tamen assero in illo necessitatis casu votum esse validum, quia in tali persona matrimonium est de meliori bono : *Melius est enim nubere quam uri* (*I Cor.* VII, 9); et si judicetur tale remedium illi esse simpliciter necessarium aut utilius quam status religiosus, aut quidpiam aliud, tunc votum absolute obligat. Si autem non putetur necessarium, meliusque posse vitari istud periculum per religionis statum, aut per aliud medium, tunc obligabit tantum sub conditione si vovens nolit per religionis ingressum aut per aliud simile vitare periculum in quo versatur.

Dico 4 : Votum ducendi virginem pauperem, cujus integritas periclitatur, factum intuitu pietatis ac misericordiæ adeoque divini obsequii ad ei succurrendum, videtur validum quoad ducendam istam personam in particulari; ita tamen ut non obligetur vovens ad exercitium actus, possitque si nolit matrimonio jungi, amplecti statum religiosum aut servare cælibatum in quovis continentiæ gradu; ideo istud votum obligat tantum per modum voti conditionati : *Si duxero uxorem, istam pauperem ducam*, non vero quamvis aliam. Idem dic de voto contrahendi matrimonii cum meretrice ad eam liberandam ab isto malo statu. Ratio est quia vovens habet intentionem obligandi se, quantum potest, ad istud pietatis opus; ergo si non potest obligari absolute ad exercitium actus, obligabitur saltem ad ejus specificationem seu determinationem. Similiter vovens perpetuo inservire in xenodochio, ingredi religionem laxiorem, et quid simile, obligatur quidem, sed non ablata libertate transeundi ad statum meliorem, v. gr. ad religionem strictiorem, etc.

CAPUT X.

An objectum includens bonum et malum possit esse materia voti capax.

Dico 1 : Quando materia voti aliquid bonum et aliquid malum actu includit, v. gr. si quis voveat nudus peregrinari Romam, votum obligat ad id quod bonum est, seclusa materia, nisi principalis ratio vovendi fuerit pravitas materiæ seu turpe motivum, vel nisi constet intentionem voventis non voluisse se obligare ad unam partem sine connexione alterius, vel quasi sub illius conditione.

Dico 2 : Quando materia voti est aliquod objectum commune sub se continens actiones licitas et illicitas, votum obligat ad licitas et non ad alias; et ex natura sua talem determinationem includit, quia illa materia divisibilis est, nec ulla est ex se connexio inter partes.

Quoad votum Jephte sacrificandi filiam suam, etc., quamvis Lyra et Vatablus negent fuisse corporali morte sacrificatam, volentes eam fuisse in holocaustum Deo, id est ad perpetuum ejus cultum solummodo oblatam seu consecratam, tamen communis est Patrum sententia quod Jephte illam sacrificaverit corporaliter interficiendo. Istud autem votum secundum se spectatum, fuit temerarium et impium.

An vero Jephte excusari possit ab omni culpa tam in vovendo quam in voto adimplendo, ob ignorantiam, videntur Patres dubitare aut fluctuare.

CAPUT XI.

An bonorum operum omissiones possint esse voti materia.

Dico 1 : Negatio seu omissio boni operis quod est supererogationis aut consilii, non est ex suo genere voti materia, et si fiat tale votum, v. gr. non ingrediendi religionem, ad nihil obligat ; quia omittere istud opus bonum, non est melius bonum ; ipsa enim consilia sunt de melioribus bonis.

Dico 2 : Votum non vovendi absolute non est licitum, quia est de re consiliis directe opposita. Si quis tamen suæ prudentiæ ac consilio diffidens, voveat non facere votum, donec virum prudentem consuluerit, eumque consulat, tale votum erit validum. Sic votum non petendi voti dispensationem erit validum, ubi dispensatio ex justa causa non fuerit melior, seu magis conveniens ad animæ bonum ; imo id totum videtur posse proponi superiori ut ipse faciat quod melius esse judicaverit.

Dico 3 : Votum non suscipiendi ordines, probabilius non est validum, maxime spectando statum clericalem quatenus habet annexum castitatis votum ; cujus impeditivum tanquam majoris boni esset tale votum. Deinde ordo clericalis est res sacra, et ad Dei cultum pertinens, etc. Votum autem non suscipiendi episcopatum vel prælaturam, etiamsi papa vel alius, qui potest præceptum imponere, istud imponat, non est validum ; quia est contra bonos mores, secus vero si fiat de non procurando episcopatu aut prælatura, vel etiam de non acceptanda, nisi is qui potest præcipere, præcipiat. Hoc enim de se est valde utile ad spiritualem profectum, occludit viam ambitioni, etc.

Dico 4 : Negatio seu omissio boni operis, quod nec in consilio nec in præcepto est, potest esse materia voti, v. gr. votum non nubendi seu non ducendi uxorem, prout distinguitur a voto castitatis, est validum et sanctum : quia licet actus qui omittitur, sit bonus, v. gr. matrimonii, potest tamen impedire majus bonum ; ergo negatio seu omissio talis actus, non ut est negatio alicujus bonitatis, sed ut est negatio impedimenti majoris bonitatis, potest esse voti materia. Sic votum non ludendi et similia ordinarie et per se loquendo sunt valida et obligant, etiam in ludis qui sine peccato exerceri possent ; sunt enim simpliciter de meliori bono, quia ludi ex se sunt impeditivi majoris boni, nisi forte in casu valde particulari.

CAPUT XII.

Divisiones votorum ex parte materiæ.

Votum dividitur :

1. In *reale*, *personale*, et *mistum*. *Reale* est quo promittitur pecunia vel aliquid pecunia æstimabile, quod non sit ipsa hominis voventis actio. *Personale* est, quod est tantum de aliqua personali ipsius voventis actione, v. gr. votum laborandi suis manibus in templi ædificatione. *Mistum* est quod præter voventis actionem, etiam reales sumptus includit, v. gr. dum quis vovet visitare pauperem et dare illi stipem ; sed hoc in re duplex est votum, nempe personale et reale. Alio modo est votum mistum, dum miscetur intrinsece ex natura actionis voventis, quæ moraliter fieri nequit sine realibus sumptibus, v. gr. votum longinquæ peregrinationis ; ast hoc reducitur ad personale. Vota tum realia tum personalia complectuntur materias aut opera omnium virtutum, v. g. misericordiæ, religionis, gratitudinis, justitiæ, etc.

2. In *affirmativum :* v. gr. votum orandi, peregrinandi, etc. ; et in *negativum :* v. gr. votum non nubendi, non fornicandi, etc.

3. In *perpetuum*, quod durat tota vita, et interdum post voventis vitam in suo pio opere, v. gr. votum ædificandi xenodochium in quo alantur perpetuo pauperes ; et in *temporale*, quod non durat per totam vitam.

4. In *reservatum*, cujus dispensatio superiori determinato reservatur, et in *non reservatum*.

—

LIBER III.

De personis quæ vovere possunt.

—

CAPP. I, II.

An solus et omnis homo possit votum emittere, et illo obligari.

Dico 1 : Christus de potentia ordinaria, saltem ut viator, potuit proprium sive virginitatis, sive paupertatis, sive obedientiæ votum Deo emittere : *Vota mea reddam in conspectu timentium eum* (*Psal.* XXI, 26). *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob* (*Psal.* CXXXI, 2). Per assumptam enim naturam videtur clarum potuisse votum aliquod emittere ; an vero de facto aliquod proprium votum emiserit, incertum est.

Dico 2 : Angelica natura secundum se spectata, non est voti incapax, utpote intelligens et libera, v. gr. angelus posset vovendo promittere Deo diligentem hominis custodiam ; juxta ejus tamen exigentiam non videtur in angelo reperiri actus vovendi sive in statu *viæ* quæ fuit brevissima, sive *gloriæ* cui non est accommodatum votum, sive *damnationis*, cui votum repugnat. Hinc beati spiritus licet secundum se sint voti capaces, tamen ejus usus non est illorum statui accommodatus, non indigenti confirmatione in bono per votum. Quare solus homo viator ita est voti capax, ut et de facto frequenter in illo reperiatur.

Dico 3 : Homo ante usum rationis non est voti

capax, quia non habet deliberatum consensum, neque uti potest propria voluntate tanquam habens ejus dominium, quod ad votum requiritur; nam votum est actio personalis quæ fit propria voventis voluntate, et in illa immediate nititur, adeoque non potest per alium fieri. Unde votum unius non transit ad alios, v. gr. parentum ad liberos, defuncti ad hæredes, populi ad successores, sed potest esse causa quasi efficiens obligationis in aliis, non religionis, sed justitiæ aut præcepti, de qua post. Dum quis adultus vovet aliquid per procuratorem, voti obligatio oritur ex proprio consensu. Filii a parentibus voto oblati religioni illo non obligantur ut in sequenti tomo dicetur.

Dico 4 : Nullum proprium votum fit in susceptione baptismi, ne ab adultis quidem (Durandus, Richardus, Soto, Bellarminus, etc.). Nullum enim in ea verbum significat votum, nec Ecclesia id præcipit. Dum liberam baptismi susceptionem, seu legis evangelicæ acceptionem ac ejus servandæ propositum quidam antiqui Patres vocant votum, intelligunt votum commune et necessarium, non voluntarium et singulare, de quo supra in lib. I, cap. 19, sed votum late et improprie.

Dico 5 : Omnis homo viator sufficienti ratione utens et sufficientem habens Dei cognitionem, quantum est ex parte sua, id est habens materiam quam voti obligationi possit efficaciter subjicere, cum Dei auxilio, est capax voti emittendi, si aliunde non sit impeditus, nempe a superiore illud vetante et irritante.

CAPUT III.

An Ecclesia possit reddere aliquas personas inhabiles ad valide vovendum, seu impedire, ne valide voveant.

Dico 1 : De votis solemnibus, quatenus solemnia sunt, non est dubium quin possit Ecclesia inhabilitare aliquas personas ad valide facienda ejusmodi vota, seu stabilire impedimenta irritantia et reddentia ista vota invalida, si cum illis fiant; imo id de fide certum est ex communi usu et sensu Ecclesiæ, quæ olim juxta jus antiquum irritabat religiosam professionem factam ante annos pubertatis, id est ante decimum quartum ætatis annum in masculis, et ante duodecimum in feminis; nunc juxta novum jus Tridentini (sess. 25, c. 15) irritat tam in feminis quam in masculis ante decimum sextum ætatis annum expletum, et ante unum probationis annum expletum. Ratio est quia in voto solemni semper intervenit acceptatio ex parte Ecclesiæ, et contractus humanus inter religiosum se religioni tradentem et ipsam religionem acceptantem istam traditionem, et se religioso utcunque obligantem; ideo potest Ecclesia statuere conditiones sine quibus non sit validum, atque ita facere irritum, si quis id emittat non servatis conditionibus requisitis. Imo ejusmodi votum sic emissum non tantum est invalidum quatenus solemne, sed etiam quatenus simplex; quia Tridentinum (ubi supra) dicit : *Professio antea facta sit nulla, nullamque obligationem inducat*, etc., *aut ad alios quoscunque effectus*. Deinde vovens non intendit istud votum emittere, nisi ut solemne sive ut annexum statui religioso, adeoque est invalidum ex intentionis defectu. De votis simplicibus quæ fiunt a scholaribus societatis Jesu, post duos probationis annos, dicetur postea. Quædam autem vota simplicia, quæ in eadem societate a professis post professionem fiunt, si professio fuisset invalida, etiam essent invalida, quia in illa nituntur sicut accessorium in principali, quo ruente ruit accessorium.

Dico 2 : Potest etiam Ecclesia directe et per se inhabilitare personam, seu ejus voluntatem ac consensum reddere inefficacem ad vota simplicia valide emittenda, sive conditiones aliquas designare sine quibus votum simplex non valeat, etiamsi promittens aut vovens velit. Quia valor voti simplicis pendet ex Dei acceptatione; Deus autem non acceptat votum quando Ecclesia illud irritat, sicut censetur Deus in voto dispensare quando Ecclesia dispensat; et licet voti materia sit mere interna, ac votum solo corde fiat, Ecclesia tamen potest etiam ad illud reddere inefficacem consensum internum, si ita ad animæ bonum expediat : tale enim votum internum est capax dispensationis, ergo et invalidationis, cum utraque fiat ex vi ejusdem potestatis : *Quodcunque solveris*, etc. (*Matth.* XVI, 19); et : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Hæc autem potestas reddendi vota invalida videtur soli papæ competere, non episcopis. Itaque potestas impediendi ne votum sit validum, a Christo data est in ordine ad forum conscientiæ, sicut potestas dandi indulgentias, vota relaxandi, etc., pertinetque ad potestatem jurisdictionis pro animæ gubernatione et bono : præterea inhabilitare personam ad valide vovendum, non est contra jus naturale; nullum est enim jus naturale, quod prohibeat privare aliquem usu suæ libertatis in re aliqua justa, ut patet in servitute, in matrimonio et aliis contractibus.

CAPP. IV, V.

An aliquorum vota simplicia sint nulla ex jure ecclesiastico; et an quædam personæ subjectæ sint prohibitæ, ne valide voveant.

Dico 1 : Nulla est persona simpliciter inhabilis ex jure ecclesiastico ad emittendum valide vota simplicia; nec ullum est votum simplex quod sit irritum ex vi solius juris ecclesiastici, si ad illud concurrant omnia quæ de jure naturæ requiruntur et sufficiunt. Nullum enim tale jus invenitur ex parte personæ quod illam inhabilitet, reddendo ejus votum simplex irritum; potest tamen a jure positivo fieri mutatio materiæ quam prohibeat, et tunc ex jure naturali votum erit irritum et nullum, quia erit de re mala prohibita et illicita. Quædam autem particularia jura, quæ objiciuntur, nihil prædictæ assertioni officiunt. Nam 1° votum episcopi longinquæ peregrinationis, de quo in cap. *Magnæ*, potuit esse de re licita, adeoque validum; potuit etiam esse in-

validum si fuit de re illicita, ob obligationem residendi, ob defectum concessæ a papa facultatis, etc. Idem dic de voto episcopi renuntiandi episcopatui sine papæ licentia, de qua in cap. *Nisi cum pridem*. Quia est de re illicita, adeoque ex natura rei invalidum, non ex jure positivo. 2° Similiter votum clerici de facienda peregrinatione, de quo in cap. *Non oportet* De consec., d. 5, absolute loquendo, licitum et validum est dum non obstat officii vel beneficii obligatio specialis, et tunc etiam erit validum si fiat conditionate in ordine ad habendum consensum et licentiam prælati, etc.

Dico 2 : Non est illicitum personis subditis vovere in materia quæ sibi licita est, non obstante subjectione. (D. Thomas, etc.) Sic filius impubes castitatem, uxor moderatam orationem, servus pias ad Deum genuflexiones licite et valide vovent sine licentia, uti et religiosi sine consensu ac licentia sui prælati. D. Thomas, Cajetanus, Sotus, Navarra, etc., contra Richardum, et Angelum, putantes esse jure prohibitum religioso vovere sine expresso vel tacito prælati consensu, in cap. *Monacho* 24, quæst. 4 ; sed hoc caput *Monacho*, non agit de ejusmodi voti prohibitione, aut de religiosæ obedientiæ perfectione et dependentia a voluntate prælati, nec ibi fertur lex ecclesiastica. Dum dicitur religiosus non habet velle et nolle, id est nihil potest licite agere contra voluntatem sui prælati, neque ita sibi proponere quidpiam agendum, ut non sit paratus id omittere, si superior velit.

Dico 3 : Vota subditorum valida sunt, quandiu per superiorem non tolluntur, si sint de materia ipsis non prohibita, adeoque licita. Hinc quandiu non irritantur, obligant juxta materiæ exigentiam et conditionem : v. gr. votum a religioso sine prælati licentia, a filio impubere, ab uxore factum obligabit, donec irritetur.

CAPUT VI.

An vota personalia in religioso, aut in alio subdito possint esse valida ex parte materiæ.

Dico 1 : Religiosus potest valide emittere vota personalia in necessaria præceptorum, v. gr. recitandi officii canonici, non mentiendi, etc., materia, quæ vota nullam involvunt conditionem ex parte materiæ ; ideoque statim et semper obligant, quandiu legitime non tolluntur, nempe a superiore nolente, ut subditus habeat talem obligationem. Item ejus vota facta de actibus religionis propriis, v. gr. jejunii, pœnitentiarum, etc., ad firmandam voluntatem et augendam obligationem in eorum observatione, sunt valida et absoluta ex parte materiæ. Sunt enim tales actus non tantum honesti, sed etiam consilii, quin et quasi ad perfectionem necessarii.

Dico 2 : Vota de bonis melioris ordinis, quæ per regulam nec prohibentur nec præcipiuntur, valida sunt in religioso, statimque obligant, licet includant conditionem negativam : *Si prælatus non prohibuerit*. Et licet ea religiosus non aperiat prælato, qui forte si sciret, illa prohiberet. Non enim omnes et singuli actus religiosi subjiciuntur voluntati superioris, etiamsi possit semper de eo, quid debeat agere, disponere.

Dico 3 : Quando juxta religionis regulam prohibitum est opus ne fiat sine licentia superioris, votum factum a religioso de eo opere faciendo, non est invalidum ; quamvis ad id opus non obliget, nisi impleta conditione, quam votum includit : *Si superior fuerit contentus ;* quæ suspendit obligationem donec impleatur, ideoque id votum proprie est conditionatum. Obligat tamen per se loquendo ad petendam a superiore facultatem faciendi tale opus ; quia hoc inclusum est, intrinsece in objecto et in ratione talis voti, talisque est intentio voventis. Dixi *per se loquendo*, nam si intentio voventis expresse fuisset non se obligandi ad petendam licentiam, sed solum ad faciendum opus dum contigerit licentiam dari, vel quia solet interdum generaliter dari etiam non petita ; vel quia vovens voluisset expresse petitionem sibi manere liberam, aut ignorasset, petendam esse facultatem, tunc non obligaretur. Jam vero quoad istam facultatis petitionem, quidam censent teneri subditum aperire superiori se esse voto obligatum ad faciendum tale opus : ita Soto, Angelus, etc. Alii autem existimant sufficere facultatem petere a superiore faciendi opus quod voto promissum est, v. gr. jejunandi, peregrinandi, etc., etiamsi voti emissi nulla fiat mentio. (Navarra, Palatius, etc.) Atque hæc posterior opinio sequenda videtur, ne laquei et vincula multiplicentur sine cogente causa, licet prior in ordine ad perfectionem et melius esse consulenda sit.

Dico 4 : Votum religiosi de opere per regulam prohibito, est simpliciter nullum, nullamque obligationem parit, quia non est de meliori bono ; religionis enim regula non prohibet id quod est melius, nisi forte in casu raro in quo religiosus prudenter expensis omnibus judicaret sibi esse melius non servare materialiter regulam ; at tunc non ageret proprie contra regulæ prohibitionem, quia interpretaretur rem in isto casu sibi non esse prohibitam. Contra vero votum religiosi de superante obligationem regulæ, v. gr. votum transeundi ad strictiorem seu perfectiorem religionem, absolute validum est, et obligat independenter a consensu prælati, nisi constiterit prælati seu papæ consensum vel dispensationem ob majus bonum commune requiri.

Dico 5 : Omnia uxoris vota de actionibus honestis et maxime ad animæ salutem spectantibus sibique liberis, in quibus est quasi sui juris, seu quæ ad usum matrimonii ac externam familiæ gubernationem non pertinent sunt absolute valida ; in iis autem quæ pertinent ad jus mariti, possunt tantum esse sub conditione valida, si maritus non prohibuerit, aut si consenserit, uti et mariti vota in iis quæ spectant ad usum matrimonii. Cum proportione dic idem de filiisfamilias seu de impuberibus seu puberibus re-

spectu patris ; ac de servis respectu suorum dominorum.

CAPUT VII.

An vota realia possint esse valida in personis subditis.

Dico 1 : Is qui nec pecuniam aut rem pecuniæ æquivalentem nec liberam ejus administrationem habet, sive subditus, sive non subditus, non potest facere vota realia defectu materiæ; essent enim de re illicita. Hinc religiosus etiam superior, cum nihil habeat proprium, non potest facere votum reale nisi sit illi concessa rei quam vovet administratio, vel sub conditione, si superior det licentiam, quam videtur teneri petere, si sit votum de re quam in proprios usus potest consumere; si vero sit votum de rebus religionis, quarum usus aut administratio ad ipsum religiosum non spectat, videtur esse impertinens et regulariter ad nihil obligare, nisi forte in casu alicujus gravis necessitatis ad aperiendum illud superiori.

Dico 2 : Similiter uxor non potest facere vota realia absoluta de bonis communibus ac dotalibus, nisi de paraphernalibus aut propriis lucris si ad ipsam specialiter pertineant. Idem dic cum proportione de filiisfamilias quoad bona paterna ; secus quoad propria sive castrensia sive quasi castrensia. Idem cum proportione de servis quoad bona propria, si habeant.

LIBER IV.

De voti obligatione.

CAPP. I, II.

An votum Deo factum inducat in conscientia obligationem, et in hac obligatione intercedat Dei acceptatio.

Dico 1 : De fide certum est contra quosdam, votum inducere in conscientia obligationem faciendi quod Deo promissum est. (D. Thomas, Bellarminus, etc.) *Vota tua reddes* (*Job* XXII, 27). *Vota vovebunt Domino et solvent* (*Isa.* XIX, 21). Ratio est, quia sicut inter homines promissio bona fide facta et acceptata obligat in conscientia, ita et promissio Deo facta, et hæc quidem obligatio est fidelitatis erga Deum; nam implere promissionem cuicunque facta sit, ad fidelitatem erga illum spectat, atque ista fidelitas in se et veritatem et cultum Deo debitum complectitur ; fidelitatis enim actus, qui in promissione implenda consistit, est constitutivus veritatis quasi ex parte termini, et mensuræ ipsius veritatis; ideoque illa fidelitas potest dici veritas religiosa erga Deum, et simul justitia erga eumdem, seu cultus Deo redditus tanquam ex justitia debitus, eo modo quo justitia erga Deum dari potest. Hinc servandi veritatem in dictis et factis cum ipso Deo obligatio est gravis ; nam mentiri Deo ex genere suo est peccatum gravissimum.

Dico 2 : In omni voto requiritur acceptatio Dei ; quia de ratione promissionis, cuicunque fiat, est ut includat hanc conditionem si res promissa placeat ei cui promittitur. Hæc autem Dei acceptatio, contra Barbosam, est possibilis ; quia nihil est aliud quam Deum intelligere et videre actum vovendi dum fit, et in illo complacere sine ulla sui mutatione aut accidente superveniente. Sic dicitur Deus acceptare hominum merita. Hinc votum non est pura pollicitatio, sed fit per modum pacti cum Deo, includit enim ejus consensum et acceptationem.

CAPP. III, IV.

Quanta sit voti obligatio : et an vovens possit in materia gravi obligare se sub peccato levi ; et contra, in materia levi sub gravi.

Dico 1 : Certum est voti obligationem ex suo genere esse gravem, ac maxime quando est de actu, seu materia gravi. Nascitur enim ex præcepto divino et naturali : *Redde Domino vota tua ;* et in præceptis solet conjici obligatio gravis ex materia gravi. Jam vero an sit major obligatio voti circa eamdem materiam quam præcepti, sic videtur distinguendum: si actus secundum se, de quo præceptum datur, sit altioris virtutis et honestatis quam votum, tunc major erit obligatio præcepti ex genere suo, quam voti ; ideoque præcepta fidei, spei et charitatis ex suo genere magis obligant, quam vota de eisdem actibus, nempe dum simul cadunt in eumdem actum. Si autem voti materia sit inferioris ordinis adeoque præceptum de illa pertineat ad virtutem religione inferiorem, v. gr. ad temperantiam, misericordiam, etc., tunc per se et ex genere suo videtur esse obligatio voti major quam præcepti sive positivi sive naturalis, v. gr. si quis habeat votum jejunandi in vigilia Assumptionis B. Virginis, et non jejunet, gravius videtur esse peccatum contra votum, nempe peccatum contra religionem, quam contra præceptum ecclesiasticum in materia temperantiæ. Sic expendere in lusu decem nummos argenteos quoad certam personam ex vi legis naturalis, poterit esse peccatum leve ; si autem eos expendat contra suum votum, erit grave ; denique si utraque materia voti et præcepti exstet in eadem religionis virtute, v. gr. audire missam die Dominico, suscipere Eucharistiam, etc., tunc expendenda est materiæ gravitas, et ordinarie major obligatio præcepti quam voti fortasse erit.

Dico 2 : Si quis dum votum facit, habeat intentionem seu voluntatem non se obligandi sub peccato mortali, non manet sub illo obligatus. Sanchez, etc., contra Sotum, Vasquez, etc., dicentes non esse in potestate voventis emittere verum votum, et illud sua intentione ita limitare, ut ad veniale et non ad mortale obliget. Probatur : Quia superior in materia gravi potest ferre præceptum sub obligatione peccati venialis, ergo et vovens potest sic votum emittere ;

sicut enim præcepti obligatio introducitur per intentionem præcipientis, ita et voti per intentionem voventis. Deinde talis modus vovendi vel est possibilis, vel impossibilis ; si possibilis, non potest aliter reduci ad actum nisi per dictam voventis intentionem ; si impossibilis, ergo vovens intendit votum impossibile, adeoque nihil facit, nec obligationem ad mortale contrahit. Hinc videtur non improbabile, votum factum de re gravi cum intentione non se obligandi sub culpa gravi seu mortali, esse prorsus invalidum, ac proinde nihil obligare in conscientia, quia si esset validum, obligaret in tali materia quantum potest obligare : est enim quasi naturale agens quod agit quantum potest, cum in vi divinæ ac naturalis legis obliget ; sed non potest obligare ultra intentionem voventis qua vult tantum se obligare sub veniali, ergo est nullum ; nam intentio vovendi et non se obligandi est de re impossibili. Attamen videtur probabilius esse aliquale votum obligans sub veniali ex intentione voventis, quia essentia voti perficitur voluntate se obligandi ; sed hæc obligatio quantum est ex se, recipit majus et minus ; ergo etiam voluntas, adeoque et votum. Hinc vovens in materia gravi potest non absolute, sed tantum secundum quid se obligare, id est sub veniali : sicque voluntas et obligatio erit de re possibili nec mala ; sicut præcipiens in materia gravi potest tantum sub veniali obligare. Aliud est de juramento, quia juramentum non est directe ad obligandum, sed ad veritatem divino testimonio confirmandam, ex qua confirmatione sequitur naturaliter obligatio juxta naturam juramenti, in quo non datur magis aut minus. Votum autem est directe ad obligandum, procedens a voluntate obligante se magis aut minus prout lubet ; sive promittente absolute, vel tantum secundum quid. Votum autem castitatis simpliciter dictum, est votum absolute, non secundum quid, ideoque obligat juxta talis materiæ exigentiam, id est graviter. Quare omne votum etiam pœnale, inducit semper obligationem in conscientia sub aliqua culpa ; nam pœnale resolvitur tandem in obligationem vel ferendæ pœnæ voto promissæ, vel exsequendæ actionis primo intentæ.

Dico 3 : Qui vovens in materia levi vult se obligare sub peccato gravi seu mortali, si perpensis omnibus istius materiæ respectibus, et maxime respectu personæ voventis, permaneat levis, probabile videtur tale ejus votum, non obstante voventis intentione, non obligare graviter, quia verisimile est Deum non acceptare talem obligationem, non enim illi placet stulta promissio, nec ista levis materia videtur capax tam gravis obligationis. Unde talis obligatio censetur excedere potestatem voventis ; quia non potest se obligare Deo plusquam Deus velit et materia patiatur.

CAPP. V, VI.

De obligatione voti dubii.

Nota : Non hic agitur de dubio positivo, quando homo per probabile utrlusque partis judicium judicat probabiliter se non emisisse votum, etiamsi fortasse habeat etiam probabiles rationes quæ contrarium suadeant ; tunc omnes fere auctores consentiunt eum non obligari tali voto ; sed agitur de dubio negativo quando intellectus ita est in utramque partem suspensus, ut neutri det assensum, quia pro neutra parte habet rationes, quæ ad judicium saltem probabile ferendum sufficiunt. Itaque

Dico 1 : qui post moralem diligentiam adhibitam ad expellendum dubium (secus dic si nullam adhibeat) manet dubius an votum emiserit, necne, nec potest ferre probabile judicium quod illud emiserit, non tenetur ad talis voti observationem. (Sotus, Medina, Henriquez, Sanchez, etc., contra Cordubensem, Azorium, etc.) Probatur : Quia in dubiis melior est conditio possidentis ; quod axioma non tantum habet locum in materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum, et specialiter in voto, in quo est quædam æqualitas inter obligationem dandi seu faciendi et potestatem non solvendi. Deinde homo ante votum et ejus dubium exortum erat in statu indifferentiæ et libertatis ad faciendum vel non faciendum aliquid in Dei cultum ; ergo non debet ob dubium solum cogi potius ad unam partem quam ad aliam, cum dubium sit utrinque æquale, et obligatio voti sit restringenda utpote quæ est onerosa. Dum dicitur : *In dubio tutior pars est eligenda*, id est, in dubio practico dum quis dubitat, an bene vel male agat, non vero semper in speculativo : vel in dubiis tutius est eligendum, quando cætera sunt paria, sive quando ex neutra parte intercedit jus possessionis, vel alia æquivalens ratio quæ parti minus tutæ quasi materialiter magis faveat.

Dico 2 : Quando constat de simplici (non de solemni, de quo alibi) voto facto, et dubitatur de ejus valore : 1° si sit dubium de intentione et consensu voluntatis ; et vovens facto suæ intentionis examine, nec certum nec probabile judicium potest de illa ferre, tunc recurrendum ad verba : si voti verba in proprietate non significent promissionem, sed solum propositum, non obligat ; si sint ambigua ad utramque significationem, tunc benigne interpretandum est etiam non obligare. Si vero in rigore significet solam promissionem, nec constet de intentione derivandi illa a propria significatione, etiamsi non constet positive de intentione vere promittendi aut se obligandi, tale votum obligat, et mortaliter certum censendum est. 2° Si de verbis et intentione constet, sed dubitatur de usu rationis, tunc si dubium sit de usu rationis ante ætatis septennium, nec moraliter constet jam fuisse sufficientem rationis usum, qui ad peccandum mortaliter sufficeret, conjicitur et præsumitur votum non obligare ; secus, si constet. Post septennium autem ætatis ante pubertatem, debent haberi fortiores conjecturæ ut non obliget. Si vero sit dubium de usu rationis ob contingens et accidentale impedimentum, quale est somni hebetudo, ebrietas, phrenesis ex febri, sitque verum dubium de tali impedimento, adeoque de voto, videtur

etiam tunc votum non obligare. 3° Si sit dubium de usu rationis ob subitam passionem et commoti animi præcipitationem, videtur tunc votum non esse invalidum, quia similis animi commotio non solet ita absorbere usum rationis, ut tollat libertatem sufficientem ad mortaliter peccandum, vel saltem raro id contingit; ideoque præsumi non potest votum invalidum. 4° Si sit dubium ex parte materiæ, dubitando an sit licita, necne, existimo tale votum obligare ad sui observationem, vel non transgressionem; quia qui sic dubitat, certus est se vovisse, et quantum est ex sua parte, sese obligasse; ergo non potest ob solum dubium ex parte materiæ votum pro nihilo habere, quia istud dubium jam non favet illi tanquam suam libertatem possidenti, quandoquidem certus sit sese voluisse obligare. Attamen in illius observantia prudens ac debitus modus servandus est: stante enim dubio practico, an res promissa sit licita, non potest quis progredi ad voti exsecutionem, quia temere se peccandi periculo exponeret; sed debet prius rem per se aut per alium discutere et dubium deponere; et si non possit esse sic practice certus, debet dispensationem voti aut interpretationem superioris procurare.

CAPUT VII.

De voti interpretatione in materia incerta.

Dico 1: Si vovens determinate, satisque expresse intenderit omnes circumstantias, cum quibus voluit ad votum servandum obligari, ad illas servandas per se loquendo obligatur, et si quas illarum voluntarie omittat, ex eadem parte violabit votum; si autem illæ non possint servari, et illas intenderit tanquam necessariam conditionem ad substantialem voti obligationem, tunc conditione ista deficiente cessat tota voti obligatio; secus vero, si aliqua circumstantia non pertineat ad substantialem voti obligationem, nec ita principaliter a vovente fuerit intenta, ut sine illa non habuerit animum se obligandi, quia deficiente accessorio principale non cessat: v. gr. vovens suam principalem intentionem direxit ad tale monasterium, et non ad aliud, si non possit illud ingredi, manet liber a voto; secus si principaliter intenderit illam religionem, et secundario talem locum.

Dico 2: Quando voventis intentio expresse non præscribit particulares circumstantias, sed simpliciter fertur in talem actum, tunc juxta exigentiam materiæ voti, spectata ejus intrinseca natura, vel institutione, determinandæ sunt ejus circumstantiæ quoad fieri potest: v. gr. vovit quis jejunare tali die, si nihil speciale determinaverit, tenetur jejunare juxta exigentiam jejunii ecclesiastici, et abstinere a carnibus, non a lacticiniis extra Quadragesimam; et sicut secundum communem de jejunio ecclesiastico sententiam, quoad comedendos cibos non vetitos, semel tantum in die violatur jejunium, ita et violando votum; ac sicut postquam semel violatum est jejunium, non amplius peccatur sæpius comedendo, quia jam non potest servari forma jejunii, ac proinde jam quoad illam non obligat. Ita dic de jejuniis. (Paludanus, Antonius, Sylvester, Navarra, Cajetanus, etc.) Idem dic cum proportione de voto audiendi missam, faciendi orationem, etc., obligante juxta actus promissi naturalem exigentiam. Similiter vovens virginitatem, licet illam perdat, si non constet de intentione limitante istam materiam ad talem particularem solum actum virginitati contrarium, adhuc tenetur ex voto abstinere ab omnibus actibus venereis.

Dico 3: Quando intentio voventis et materia non sufficiunt ad omnes circumstantias declarandas quoad obligationem, verba voti expendenda sunt et in omni proprietate servanda ac accipienda juxta morem personæ voventis, regionis, etc. Si autem vel sic verba sint adhuc ambigua, licite possunt exponi et interpretari in favorem voventis, ita ut minus gravetur, non in favorem voti seu religionis; salva tamen eorum proprietate et materia voti non repugnante, vel aliis circumstantiis. Quædam juris quæ contra hoc objiciuntur, v. gr. cap. *Cum dilecti*, cap. *Ex parte*, etc., nihil probant.

Dico 4: Quando de voventis intentione expresse constat, nec ex materia et ex verbis satis colligitur obligationis determinatio ad certam circumstantiam, tunc vovens tenetur determinato aliquo modo votum implere, licet determinationis modus sit illi arbitrarius: v. gr. si vovit religionem, tenetur aliquam eligere, sed quamcunque voluerit; cum enim tale votum obliget, ergo obligat ad aliquem possibilem exsecutionis modum; et cum non obliget ad aliquem determinatum, ergo determinandus est a vovente pro suo arbitrio.

CAPUT VIII.

Quomodo singulæ circumstantiæ voti, quæ in eo non exprimuntur, determinandæ sint.

Nota: Hæ decem spectari solent in voto circumstantiæ: cui, quis, per quem, quid, quale, quantum, propter quid, quomodo, ubi, quando. Hinc

Dico 1: Votum per se obligat Deo vero, et illi soli. Votum enim per se fit Deo, ergo illi obligat. Unde si quis simpliciter voveat opus capax voti, licet expresse non cogitet de Deo, nec illum nominet, obligatur Deo ex naturali ipsius voti habitudine, ob quam implicite vult Deo obligari, nisi constet hominem non habuisse intentionem vere vovendi, vel ob ignorantiam vel ob inadvertentiam, etc.; cumque votum soli Deo vero fiat, ideo vota falsis diis facta ex se nullam inducunt obligationem. Quando autem votum Deo factum conjungitur cum promissione homini facta, sive cum promissione facta beato in cœlis, sive facta homini in terra, v. gr. promissione eleemosynæ vel dotis facta pauperi virgini, tunc exsurgit religionis erga Deum obligatio, duliæ erga beatum, fidelitatis aut justitiæ erga hominem.

Dico 2: Si ex verbis aut intentione voventis non possit satis determinari circumstantia *quid*, seu ad quid obliget votum; voventi datur optio ut inter ea de quibus dubitatio, vel æqualis incertitudo est, eli-

gat quæ voluerit : non enim constat de obligatione ad partem magis rigorosam, adeoque vovens non cogitur illam eligere ; datur ergo ei optio ut partem minus rigorosam, ac proinde quam voluerit, eligat, quæ verisimiliter potuit cadere sub votum : v. gr., aliquis vovit religionem, et nescit an religionem in communi, an vero talem in particulari, is potest eligere quam voluerit.

Dico 3 : Quando nec ex verbis nec ex materia determinari potest qualitas rei voto promissæ, illa arbitrio voventis potest eligi, modo bona fide et sine fraude verbis voti ac rei promissæ substantiæ plene satisfaciat : v. gr., vovit quis dare oleum pro ecclesia, aut vinum pro missa, satisfaciet voto si det bonum ac decens, licet non optimum et exquisitum.

Dico 4 : Quando quantitas rei voto promissæ nec ex verbis, nec ex materia secundum se spectata, nec ex consuetudine determinari potest, illius determinatio relinquitur arbitrio voventis, dummodo prudentum judicio censeatur sufficiens; tunc enim non est unde oriatur obligatio ad certam quantitatem vel mensuram.

Dico 5 : Idem sentiendum est de circumstantia loci seu *ubi*. Si enim in voto non exprimitur, voventis arbitrio relinquitur : v. gr. si vovi orare, non teneor orare in templo, sufficit in loco apto ad implendam voti substantiam.

Dico 6 : Voti finis non cadit sub voti obligationem, nisi sit finis intrinsecus, id est materiæ seu actus promissi objectum, v. gr. qui vovit castitatem, tenetur abstinere ab actibus venereis, qui est finis intrinsecus seu objectum observantiæ castitatis. Contra qui vovit ingredi religionem cum intentione eundi ad Indos, eam ingressus non tenetur ire ad Indos ; aut qui vovit stipem ad satisfaciendum pro suis peccatis, non tenetur dare stipem ad hunc finem quia est extrinsecus ; atque ita circumstantia *propter quid* non cadit sub obligationem voti.

Dico 7 : Circumstantia *quomodo*, seu modus implendi votum, v. gr. ex motivo charitatis aut alterius virtutis ex habitu, etc., non cadit sub obligationem voti, nisi vel ad substantiam actus promissi pertineat, vel directe ac formaliter promissus sit. Unde talis modus, ex vi voti, relinquitur voventis arbitrio ; quia actus modus formaliter voto non promittitur, nisi vel in ipso actu includatur, vel directe intendatur. De reliquis voti circumstantiis dicetur post : et primo de circumstantia *quis*, et *per quem*. Quare :

CAPP. IX, X.

An voti obligatio sit personalis.

Dico 1 : Votum obligat solum voventem, neque potest alium obligare propria religionis ac fidelitatis erga Deum obligatione ; votum enim est actio mere personalis, dicens respectum ad propriam voluntatem et consensum. Potest tamen unus votum alterius facere suum per proprium consensum juxta caput *Licet*, ubi filius rogatus aut jussus a patre, qui peregrinationem et expugnationem terræ sanctæ promiserat, proprium de eadem facit votum, et sic ipse voto promisit per se quod alter promiserat. Hinc vota parentum offerentium filios infantes religioni aut statui ecclesiastico non obligant ipsos filios ad ætatem adultam provectos : similiter vota communitatum non obligant singulos, qui sunt illarum partes, propria voti obligatione, nisi a singulis personaliter emittantur. Est tamen in communitate potestas obligandi præsentes et futuros successores in vi præcepti humani, vel ad acceptandum tale votum quoad voti obligationem, vel saltem ad actus promissi observationem ; unde eo ipso quod populi rectores in tale votum sufficienter consentiunt, consequenter imponunt aliis præceptum observandi illud quoad actum promissum ; ideoque graviter peccabunt, si eum non observant. Qui non voverunt licet non violent votum, nec proprium infidelitatis peccatum erga Deum committant, tamen graviter peccant contra obedientiam, aut contra virtutem in qua est voti materia, si nempe interveniat episcopi auctoritas et approbatio ac præceptum. Dum quis per procuratorem facit votum, non obligatur voto alieno, sed proprio, uti supra de juramento dictum est.

Dico 2 : Nemo tenetur votum personale implere per alium, si non possit per seipsum. (Paludanus, Antonius, Sotus, Sylvester, etc.) Nemo enim potest vovere aut promittere actum alterius : ideo qui vovit peregrinari aut jejunare per alium, non vovet peregrinari, sed vovet mittere alium, qui sui loco peregrinetur, nec vovet jejunare sed procurare ut alter pro se jejunet ; et qui rem promissam exsequitur, obligatur tantum juxta obligationem quam vel vovens potuit ipsi imponere vel sponte ipse suscipit. Hinc, 1° qui vovit simpliciter aliquid facere, nec licite nec valide potest id per alium facere. 2° Qui fit impotens ad implendum suum votum sive absque sua culpa, sive cum sua culpa, non tenetur per alium implere votum suum personale ; sed absolute excusatur, quando aliud expresse non vovit. (Sylvester, Sotus, Navarra, etc.) Imo etiamsi hæc impotentia a principio exstiterit, quando votum fuit factum, et sive vovens tunc præviderit impedimentum, sive non ; dummodo eadem fuerit intentio, sive non habuerit intentionem promittendi aliud. 3° Quando quis expresse vovit aliquid agere per alium, sufficienter implet præstando actionem accommodatam voto quam per se potest præstare : v. gr. rogando alium, ut id quod vovit, faciat, sive revera hic faciat sive non ; sic superior injungendo aut imperando subditis fundere orationes quas vovit pro aliqua necessitate ; aut si quis det stipendium pro dicenda missa quam vovit, licet sacerdos injuste eam non dicat, non tenetur aliud dare ; idem potest dici de eo qui dedit sumptus necessarios pro peregrinatione quam promisit, et quæ non fuit executioni mandata.

Dico 3 : In voto reali tenetur vovens dare de suo

quod promisit, ita ut si non possit dare de suo ob paupertatem, non teneatur ab alio emendicare sumptus, ut suum votum impleat; deinde debet procurare, ut opus quod promisit, exsecutioni mandetur, si non possit per se, ut fiat per alium : v. gr. dando suo ministro aut famulo pecuniam promissam ad distribuendum pauperibus, urgendo promissam templi ædificationem per opifices conficiendam, etc.

Dico 4 : In voto misto, dum mistio est quasi intrinseca promisso operi personali, v. gr. in voto peregrinationis, sumptus itineris sunt quasi intrinseci peregrinationi; tunc cessante obligatione personali, v. gr. peregrinationis, cessat obligatio voti realis, id est sumptuum, quæ est ibi principali accessoria. Contra vero si mistio sit tantum per accidens ex particulari voventis intentione, v. gr. vovit quis visitare sepulcrum sancti Jacobi, et dare ibi lampadem argenteam, si non possit visitare, seu explere votum personale, obligatur ad dandam lampadem argenteam, seu ad votum reale explendum.

CAPUT XI.

An voti obligatio ipso facto seu ipso jure transeat ad hæredes.

Dico 1 : Propria ac formalis voti obligatio non extenditur ad hæredes, sunt enim personæ a defuncto distinctæ, licet illum repræsentent, adeoque nequeunt ejus promissione formaliter obligari; sed testator in voluntaria hæredis institutione, potest suam hæreditatem relinquere hæredi sub conditione cujusdam voti implendi, maxime realis. Imo :

Dico 2 : Obligatio voti realis ipso jure seu facto ex vi acceptæ hæreditatis transit ad hæredes. (Abulensis, Paludanus, Sotus, Navarra, etc.) Probatur ex capite *Ex parte* De censib., et habetur in lege 2, ff. *De pollicit.* Ratio est, quia per votum reale fit homo Deo debitor illius rei in quam votum cadit; atqui bona defuncti sunt obnoxia debitorum ejus solutioni; ergo hæres tenetur vota realia ex vi bonorum sibi relictorum implere, adeoque ipso facto obligatur. Unde licet obligatio voti in vovente ad religionem pertineat, in hærede tamen transit in obligationem justitiæ ratione rei acceptæ cum illo onere, ob tacitum quasi contractum quo obligatur ad solvenda defuncti debita dum adit ejus hæreditatem, nisi forte vovens restrinxisset suum votum reale ad suam vitam : sic v. gr. voveo ædificare in vita mea templum, si autem illud non ædificavero aut perfecero, nolo ullam obligationem transire ad meos hæredes, tunc enim per mortem voventis exstinguitur omnis obligatio.

Dico 3 : Vota mista, quæ per se et quasi per intrinsecam partis realis cum personali connexionem sunt mista, non transeunt ad hæredem : v. gr. si quis se suaque bona vovit tradere religioni, et ante religionis ingressum moriatur, sicut illius hæres non tenetur ingredi pro eo religionem, ita nec ejus bona tradere religioni, utpote solum promissa quatenus religioso voventis statui annexa; et ratio est quia ibi censetur esse unum simplicissimum votum, et pars realis esse accessoria personali. Sicut ergo personale non transit ad hæredes, ita nec ejus pars realis accessoria; accessorium enim sequitur principale. Si vero tantum sint mista per accidens ex speciali voventis intentione, tunc votum istud est quasi duplex, et pars realis per se est distincta a personali, tantum per accidens hanc concomitans, potestque per se impleri : ideo quoad partem realem non impletam, ejusmodi vota transeunt ad hæredes. Quod attinet ad caput *Licet*, et caput *Quod super his*, intelligenda sunt juxta ea quæ in hoc et præcedenti capite dicta sunt de voto personali, reali et misto. Nunc de circumstantia *quando*. Itaque :

CAPP. XII, XIII.

Pro quo tempore votum obliget; et an præscripto tempore non impletum, desinat obligare.

Dico 1 : Votum negativum, v. gr. non ludendi absolute et sine restrictione factum, statim ac fit, ex vi formæ suæ obligare incipit, semperque ac pro semper et perpetuo obligat quantum materia patitur, nisi ex voventis actione limitetur : v. gr. usque ad talem diem, mensem, annum, etc., et tunc votum est quasi conditionatum, non absolutum. Votum autem affirmativum, licet etiam statim ac fit, obliget, seu quasi naturaliter ac necessario inducat obligationem, non tamen pro statim, sed prudentum judicio pro prima opportuna commoditate, aut pro tempore quod judicatur prudenter esse ex vi voti intentum; si nempe votum sit absolute et indefinite emissum. Unde dilatio temporis in voti exsecutione sumenda est ex prudenti judicio, nisi tempus sit determinatum ab intentione voventis, aut ex verbis voti, quod tunc servandum est. Eodem modo fer judicium de fine ac duratione obligationis voti, quo de ejus initio.

Dico 2 : Quando votum personale fit ad certum diem, et actio voto promissa intenditur aut imponitur tanquam proprium illius diei qui designatur onus, v. gr. missa pro die Dominica, jejunium pro tali vigilia, horæ canonicæ pro singulis diebus, etc., tunc juxta communem doctorum opinionem, transacto illo die sive absque culpa, sive cum culpa, cessat voti obligatio; quia elapsum est tempus, quod voto designatum fuerat, et quia vovens habuit intentionem jejunandi, v. gr. in illo die et non in alio. Secus vero quando certum tempus aut dies ita præfigitur, ut usque ad illum possit differri voti exsecutio seu solutio : tunc enim præfixo termino elapso remanet adhuc voti obligatio, quia debitor, qui ad certum diem solvere debitum tenetur, licet intra illum diem non solvat, semper permanet debito obnoxius donec solvat; sed vovens per suum votum constituitur Deo debitor; ergo, etc. Quod autem attinet ad vota realia, cum in illis raro soleat circumstantia temporis aut diei principaliter intendi, ideo Soto et Aragonensis sentiunt vota realia, tempore præfixo non impleta, semper relinquere obligationem postea quamprimum ipsa adimplendi,

eorumque onus in subsequens tempus transferri. Potest tamen, juxta Vasquez, votum reale etiam ita affigi certo diei, ut eo elapso finiatur obligatio, v. gr. votum dandi pecuniam ad dicendam solemnem missam tali die, v. gr. in festo B. Virginis, vel ad pompam talis festi, etc. Sed tunc videtur esse votum non purum reale, sed mistum, sicut votum dandi eleemosynam tali die ob istius diei jubilæum; et tunc voti pars realis est accessoria personali. Unde in voto reali non potest satis constare ex ipsa materia illud esse immobiliter affixum tali diei, sicut in personali. Denique vota habentia terminum non ad finiendam, sed ad differendam solutionem, transacto isto termino, tenetur vovens statim et quamprimum potest, et sine mora, sive eo modo quo intra terminum expresse præfixum obligant, omnino implere.

CAPP. XIV, XV.

An qui non potest præfinito tempore votum implere, teneatur tempus prævenire; et qui præfinito tempore non implevit, teneatur illud compensare.

Dico 1 : Quando opus vovetur ut proprium certi diei aut temporis onus, non tenetur quis prævenire, etiamsi prævideat impedimentum pro illo die; sicut aliquis non tenetur prævenire auditionem missæ quam die Dominica fore ut non possit audire, prævidet. Imo præveniendo non potest implere quod promisit, quia v. gr. promisit jejunare feria sexta in cultum istius diei, licet jejunet feria quinta, non exsequitur promissionem.

Dico 2 : Quando dies impletionis voti assignatur non tantum ad differendam, sed etiam ad suspendendam solutionem seu voti exsecutionem, v. gr. *Si vixero et potuero, tali die hoc faciam;* tunc nulla est obligatio præveniendi solutionem, etiamsi impedimentum prævideatur: non enim ante illum terminum obligat. Sed quando terminus solum ponitur ad differendam solutionem, sed non ad suspendendam obligationem, tunc vovens si prævideat futurum postea impedimentum, debet prævenire solutionem; sicut qui prævidet fore ut non possit audire missam die Dominico post horam decimam, debet prius audire, quia tunc votum statim ac fit, obligat absolute ut intra designatum terminum fiat opus promissum. Similiter licet temporis terminus sit præfixus ad solutionem finiendam, si tamen opus promissum non sit peculiare alicujus determinatæ partis totius temporis usque ad istum terminum præfiniti onus, tenetur vovens prævenire ad solutionem illum terminum, si impedimentum ante eum prævideat, v. gr. vovit quis jejunare quatuor dies intra mensem, illos non designando, ita tamen ad mensem limitando obligationem, ut hæc cum illo exstinguatur; si igitur ille prævideat fore ut post decimam quintam mensis diem jejunare non possit, tenetur in præcedentibus diebus totum votum implere, et sic terminum prævenire. Denique tenetur vovens in omnibus casibus vitare impedimentum, ut votum suum tempore promisso implere possit.

Dico 3 : Votum inculpabiliter non impletum tempore ad finiendam obligationem præfixo, non obligat ad compensationem; nemo enim intelligitur habere intentionem cum tanto rigore se obligandi, et non excedit intentionem obligatio. Imo in votis personalibus etiam culpabiliter non impletis tempore ad terminandam obligationem præfixo, non tenetur vovens ad aliquam compensationem faciendam; sicut qui culpabiliter omittit jejunium, vel missam in die præcepti, non obligatur postea ad aliquam compensationem sed ad solam pœnitentiam; ita in voto personali. Insuper nec in votis realibus ulla habetur compensandi obligatio, quando propria voti obligatio vel per impotentiam, vel per terminum elapsum exstincta est : v. gr. qui se vovit religioni et postea ducit uxorem, aut qui vovit dare certam pecuniæ summam ad celebrandum tale festum tanquam speciale istius diei onus, et ista die non dedit, nullam tenetur compensationem facere. Ob injuriam homini factam datur obligatio restitutionis aut compensationis, quia homo damnificatur in bonis suis : Deus vero ob infidelitatis injuriam erga ipsum commissam, non damnificatur proprie in suis bonis; ideo datur tantum obligatio pœnitendi, non compensandi.

CAPUT XVI.

An sint valide facta quæ fiunt contra votum.

Dico 1 : Omnis promissio contra votum validum et obligans, non solum est illicita, sed etiam invalida et irrita. Est enim de re illicita et intrinsece mala, seu de voti prioris fractione. Sed

Dico 2 : Acta contra voti obligationem et observationem, licet male fiant, valida sunt. Sic matrimonium factum contra simplex castitatis votum, est validum, licet illicitum seu male fiat; sic acceptatio episcopatus contra votum non acceptandi, est valida, quia votum non aufert voluntati, a qua hujusmodi actus accipiunt, suam validitatem, libertatem naturalem ad volendum absolute contrarium. Nec tantum sunt valida, sed etiam firma, id est sine obligatione illa revocandi aut irritandi ex parte voventis, v. gr. si quis donavit amico rem alteri promissam ex voto, non tenetur donationem cassam reddere; imo non potest solius voti titulo. Sic matrimonium contra votum ingrediendæ religionis initum est irrevocabile. Insuper talis donatio contra votum facta, nullum voventi relinquit onus faciendi compensationem pro voto violato, si votum fuerit de re individua, v. gr. de isto equo, de ista imagine, etc., quia per donationem exstincta est voti obligatio. Secus, si fuerit de re in communi et non fuerit exstincta voti obligatio, ideoque post violationem debebit non compensare, sed servare. Præterea qui accipit sive cum culpa, sive absque culpa rem a donante aut vendente contra suum votum, non tenetur compensare, restituere, contractum rescindere; sed potest licite rem acceptam, etiamsi peccasset in ejus acceptatione, retinere et libere illa uti tanquam sua, ut patet in eo qui accepit in uxo-

rem puellam voto castitatis obstrictam. Ratio est, quia cum donatio fuerit valida, accipiens acquisivit rei dominium; cumque fuerit firma, non tenetur rem acceptam reddere, aut contractum rescindere. Votum igitur non habet vim actualis donationis aut collationis, sed tantum promissionis de futuro, ideoque licet a Deo sit acceptata, non privat voventem dominio et absoluta potestate disponendi de sua re; sed peccabit si de ea disponat aliter quam Deo promisit. Quando vero testator habens votum reale, declarat expresse se nolle obligare hæredem ad illud implendum, an hæres maneat liber ab impletione istius voti realis, an autem teneatur illud implere, ob multas rationes pro utraque parte, res est satis dubia; quamvis opinio affirmans hæredem teneri tale votum adimplere, videatur securior et rationi valde consentanea.

CAPUT XVII.

Quando et quomodo obligent vota conditionata.

Nota : Omne votum, etiam absolutum, includit has tres conditiones generales : *Si potuero, si mihi licuerit, si superior non abstulerit obligationem.* Votum autem conditionatum specialem conditionem includit, quæ suspendit ejus obligationem. Hinc :

Dico 1 : Votum conditionatum, etiam pœnale, non obligat ad actualem actus promissi exsecutionem ante impletam conditionem; statim tamen ac fit, obligat ad habendum propositum et animum faciendi actus promissi, si conditio impleatur : impleta autem conditione, statim incipit obligare ad actualem exsecutionem, quia tunc obligatio desinit esse suspensa, et omnis conditionalis impleta conditione transit in absolutam.

Dico 2 : Quando votum pœnale est, v. gr. si juravero, dabo eleemosynam, licitum est voluntarie non ponere conditionem; et licet id fiat pure ad vitandam obligationem, nullum tamen erit peccatum respectu obligationis voti, cum non sit contra voventis intentionem. Deinde si votum factum sit sub conditione testandæ gratitudinis per votum, v. gr. si hoc peccatum vitavero, religionem ingrediar, non est contra votum voluntarie ac libere vitare illam conditionem seu contrariam ponere.

Dico 3 : Non est improbabile eum qui vovit religionem, si tanto tempore certum peccatum vitet, non violare votum, si ea intentione peccatum illud committat; probabilius tamen est id esse contra fidelitatem et pactum in isto voto inclusum, et peccari gravius irreligiose tali voto abutendo.

Dico 4 : Quando votum est pure conditionatum, pendens ex libera et quasi indifferente voventis conditione, utpote quæ de se sine peccato vel poni vel vitari potest, tunc censeo nec votum violari, nec peccatum committi mere voluntarie et ob vitandam voti obligationem non implendo conditionem; v. gr. si quis sic voveat : Si in hac civitate per annum remansero, dabo quotidie talem eleemosynam, ille non tenetur voto ibi permanere, potest ergo libere vitare conditionem inde abeundo; et licet id consulto faciat ad vitandum eleemosynæ onus, non aget contra suum votum.

Dico 5 : Quando votum fit sub conditione dependente a libero alterius consensu sine alio respectu, v. gr. : Voveo hoc, si Petrus aut pater consenserit, tunc contra votum erit per vim aut fraudem impedire liberum illius consensum aut dissensum; secus vero morali modo et non injusto inducere illum ut non consentiat, et conditio non impleatur. Idem dic si conditio per modum prudentis consilii sit apposita; v. gr. : Hoc voveo, si Petrus id approbaverit. Sed quando conditio est tantum pendens ex causis naturalibus contingentibus, v. gr. vovet quis ingredi religionem, si corporis valetudo sibi conservetur, non obligatur simpliciter vovens ad illam non impediendam, sed obligatur ad procedendum bona fide et non ad utendum extraordinariis ac maxime illicitis mediis ad eventum ejus impediendum. Denique :

Dico 6 : In hisce casibus vovens sub conditione nunquam obligatur ad implendum votum conditione non impleta, etiamsi in impediendo conditionis eventu peccaverit. Contra Richardum, Angelum, etc., volentes si conditionis eventus fuerit per voventis culpam impeditus, eum teneri implere votum. Probatur : Quia vovens non intendit se obligare ad rei promissæ exsecutionem nisi impleta conditione. Ergo quomodocunque impediatur conditionis eventus, non nascitur obligatio ex vi voti, et maxime quando conditio jam non potest amplius impleri; si autem conditio possit adhuc impleri, vel tenetur tollere conditionis impedimentum, vel efficere quantum ad ipsum spectat, ut eveniat conditio, sed ante ejus eventum non obligatur ad voti exsecutionem. Sic qui vovit ingredi religionem, si per annum abstineat a fornicatione, et ab illa non abstinet, ex quacunque malitia aut intentione, quamvis forte peccet contra votum, non tamen tenetur ingredi, quia conditio non fuit impleta, nec potest impleri.

CAPP. XVIII, XIX, XX

An cessante causa, aut mutata materia cesset voti obligatio.

Dico 1 : Per causam finalem hic intelligitur, non tantum finis remotus, sed etiam proximus et proprium promissi actus motivum, et quasi dans illi speciem; licet enim generalis finis voti sit cultus Dei, non tamen est cujusvis voti proximus : non enim per quodvis votum iisdem rebus intenditur Dei cultus, quia modo per castitatis, modo per jejunii, modo per misericordiæ observationem, prout fit votum, intenditur; propria igitur et finalis cujuscunque voti causa non est cultus Dei in communi sed in particulari, ut exhibendus per talem virtutis actum qui a vovente intenditur et promittitur. Cessante autem hoc fine, sine quo non potest esse promissæ virtutis actus, cessat etiam voti obligatio; quod intellige de fine operis, non de fine operantis.

Sic qui vovit jejunare, si non possit, non obligatur ad dandam stipem vel ad alium Dei cultum. Causa vero voti impulsiva est tantum motivum secundarium, nec actui promisso intrinsecum, nec proximum voti objectum; unde cessante causa impulsiva extrinseca, non cessat voti obligatio : imo licet omnes illæ cessarent, si finalis et intrinseca permaneat, non tollitur voti obligatio, quia illa sola est ex qua pendet per se voventis consensus, estque quasi intrinsecum actus promissi objectum, adeoque voti substantia.

Dico 2 : Quandocunque tanta fit mutatio in voto ex parte ejus materiæ in ordine ad voventis potestatem, ut in principio fuisset sufficiens ad valorem ejus impediendum, sufficit etiam postea ad tollendam ejus obligationem, v. gr. decursu temporis materia quæ vota est, fit impossibilis, votique observatio impossibilis. Unde si hæc impotentia aut impedimentum ex quo illa provenit, sit perpetuum, exstinguit et omnino votum aufert; si autem sit temporale, suspendit et differt obligationem. Idem dic de materia : si impedimentum integram materiam reddat impossibilem, integre etiam votum excusabit seu tollet; si vero solum ex parte eam impediat, solum etiam quoad eam partem excusabit, idque intellige absolute de mutatione materiæ, sive fuerit voluntaria aut involuntaria, sive prævisa aut non prævisa, adeoque cum culpa aut sine culpa.

Dico 3 : Si facta mutatio materiæ non reddat absolute impossibilem voti observationem, non sufficit ad tollendam obligationem, licet talis esset ut si a principio exstitisset, homo non vovisset, nisi moraliter credatur non fuisse voventis intentionem ad illum statum extensam; cum enim obligatio voti pendeat ex voventis intentione, si credatur non se extendisse ad talem rerum statum quem nunc mutatio attulit, tunc votum non obligabit; secus vero si tantum credatur quod pro tali rerum statu non vovisset. Utrum autem mutatio materiæ sit sufficiens ad judicandum non fuisse voventis intentionem se obligandi pro tali casu, videtur aliquo modo posse ex his signis discerni : 1° Si res per mutationem devenit ad eum statum, in quo leges humanæ non solent obligare, v. gr. in morbo gravi non obligant ad jejunium; ergo nec votum. 2° Si exceptio possit prudenter fundari in aliqua juris regula, v. gr. in hac : *Sub generali clausula non continentur specialia.* 3° Si juxta communem hominum consensum et consuetudinem non soleant homines in eo statu talia sibi onera imponere. Quare :

Dico 4 : In casu necessitatis vel extremæ, ut in periculo mortis, etc., vel gravis, ut in periculo gravis jacturæ bonorum temporalium, famæ, honoris, status, valetudinis, si quis votum emiserit generaliter nulla speciali facta reflexione, nec speciali intentione habita circa talia pericula, illud non obligabit, nisi ex certis conjecturis constaret aliam fuisse voventis intentionem. Si autem votum emisit cum formali vel virtuali intentione comprehendendi tales casus, fueritque ista intentio rationalis et prudens, tunc in illis obligabit : v. gr. votum inserviendo ægris cum periculo vitæ. An vero qui vovit jejunare omnibus feriis sextis, teneatur jejunare die Nativitatis Christi incidente in feriam sextam, controvertitur. Paludanus et Panormitanus asserunt teneri; Molina et Joannes Andreas negant. Videtur affirmativa sententia magis juri conformis, communior et securior; quamvis quis possit etiam sine scrupulo conformari negativæ. Sed attendendus modus quo factum est votum.

LIBER V.

De peccatis voto contrariis.

CAPP. I, II.

De peccato in modo et materia indebita voti emissi.

Dico 1 : Vovere temere et sine debita consideratione, aliquod peccatum est, raro tamen mortale, nisi ob grave et mortale periculum cui sic vovens posset se exponere, maxime si istud periculum non ignoret.

Dico 2 : Vovere ficte in ordine ad ipsam voti obligationem et substantiam, id est sine animo vovendi aut se obligandi, peccatum est (ista enim fictio non fit sine mendacio). Sed non est mortale per se loquendo, id est secluso contemptu, scandalo, injustitia, aliisque accidentibus : quia votum non potest esse fictum respectu Dei, sed tantum respectu hominum; adeoque per illud non fit Deo gravis irreverentia, cum homo non intendat Deum fallere cordium scrutatorem, nec fit hominibus gravis injuria, cum non sit perniciosum mendacium. Ergo per se loquendo non est peccatum mortale. Vovere tamen ficte quoad voti exsecutionem, id est sine proposito voti implendi vere et ex animo facti quoad ejus substantiam, peccatum est mortale ex suo genere; non implere enim votum, peccatum est ex suo genere mortale. An possit autem esse veniale ex levitate materiæ, dicetur postea. Deinde vovere propter pravum finem extrinsecum est peccatum contra religionem, cujus malitia, quatenus est specialiter contra religionem, videtur esse tantum venialis, etiamsi contingat talis finis intentionem in sua specie esse mortalem, seu esse malitiam mortalem specie distinctam a malitia contra religionem.

Dico 3 : Vovere Deo materiam voti obligationis incapacem, semper est peccatum nisi inadvertentia aut ignorantia excuset : v. gr. vovere actum moraliter malum aut vovere aliquid quod impleri nequit;

est enim contra reverentiam Deo debitam, et actus irrationalis. Sed dum quis bona fide, et sub honesta ratione ac intentione vovet quod impleri non potest, raro committet grave peccatum; quia fieri nequit ut quis ex animo voveat facere quod scit se non posse facere. Quod attinet ad votum de actu pravo :

Dico 4 : Facere votum de peccato mortali committendo, juxta omnes est mortale peccatum speciale contra religionem. Est enim non promissio, sed comminatio gravis injuriæ Deo faciendæ, et si habeat animum illam faciendi sive peccatum mortale committendi, jam peccat mortaliter; imo licet non habeat animum et intentionem illam injuriam Deo faciendi, id est peccatum istud mortale committendi, verisimilius tamen videtur vel sic etiam committere ex gravitate materiæ sacrilegii peccatum, non solum ratione scandali, quod ordinarie intervenit; sed etiam ratione divinæ injuriæ, quæ ibi esse censetur per modum cujusdam blasphemiæ. Facere autem votum de peccato veniali committendo, sitne peccatum mortale, an non, dissentiunt auctores. Sotus enim, Navarra, etc., dicunt esse veniale. Sed Cajetanus probat esse mortale, nec posse esse veniale ex levitate materiæ, cujus opinio volens esse mortale ex vi materiæ, videtur vera; potest tamen esse veniale ex subreptione et ex naturali inconsideratione qua quis vel non advertit an Deo promittat necne; vel saltem non advertit per talem promissionem significari opus Deo minime gratum. Hinc sequitur vovere Deo rem indifferentem, esse etiam peccatum, licet per se non videatur plusquam veniale, uti et directe vovere non ingredi religionem aut non sequi ejusmodi consilia.

CAPP. III, IV.

Quale sit peccatum voti transgressio.

Dico 1 : Violare votum, intrinsece malum est, et peccatum, de fide : *Cum votum voveris Domino*, etc., *si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum* (*Deut.* XXIII, 21). Hujus peccati malitia, per se loquendo, est unica, et formaliter consistit in perfidia seu infidelitate erga Deum, quæ et mendacium et sacrilegium virtualiter continet. Sed non proprie mendacium, cum violans votum nil affirmet vel neget; nec proprie sacrilegium, cum immediate versetur circa ipsum Deum, non rem sacram. Transgressio voti interdum potest esse peccatum commissionis, interdum omissionis, quod patet.

Dico 2 : Transgressio voti est semper ejusdem speciei respectu cujuslibet voti, etiamsi materiæ votorum, v. gr. castitatis, temperantiæ, etc., sint distinctæ : quia hujus malitiæ ratio formalis est perfidia erga Deum, quæ in quavis materia est ejusdem rationis. Quamvis autem in voti transgressione, quando materia est de præcepto, v. gr. votum non furandi, adjungatur alia malitia specie distincta contra specialem virtutem ad quam ejus materia et ejus præceptum pertinet, v. gr. contra justitiam in voto non furandi : tamen quando materia est supererogationis et non de præcepto, v. g. votum abstinendi a carnibus die Mercurii, non videtur adjungi alia malitia specie distincta a malitia perfidiæ erga Deum, qua votum violatur; adeoque per se loquendo, in talis voti transgressione est tantum unica malitia contra religionem ex vi voti, non vero alia specie distincta contra virtutem temperantiæ in dicto voto abstinendi a carnibus die Mercurii : ita Cajetanus, Sotus, etc.; quia votum est tantum promissio, non vera lex, ideoque solam fidelitatis erga Deum necessitatem imponit; ergo ejus transgressio soli religioni per se repugnat, ac proinde in ea habetur sola irreligiositatis malitia, etiamsi per accidens possit ex alio motivo adjungi alia malitia.

Dico 3 : Violatio voti est ex suo genere peccatum mortale, fit enim Deo gravis injuria contra præceptum primum aut secundum Decalogi, aut contra utrumque simul. Potest tamen esse veniale ex subreptione aut indeliberatione. Imo juxta communem theologorum sententiam potest etiam esse veniale ex levitate materiæ, licet fiat cum sufficienti deliberatione (Sylvester, Sotus, Angelus, Navarra, etc.); quia omissio fidelitatis in re parvi momenti non est gravis injuria. De gravitate autem aut levitate materiæ debet ferri judicium non juxta respectum ad totam materiam vel ejus partem, ut vult Cajetanus, sed juxta respectum ad rectam rationem; et sic semel dicere orationem Dominicam, licet sit tota voti materia, est levis non solum respectu gravioris quæ promitti posset, sed etiam quia secundum se spectata levem Dei honorem seu cultum continet, ideoque ejus omissio levem etiam Deo injuriam infert. Deinde ut cognoscatur an sit gravis vel levis voti materia, ex prudentium communi æstimatione, attentis personæ conditione et materiæ circumstantiis colligendum est.

CAPUT V.

Quando transgressio voti, quæ committitur per plures actus leves ex parte materiæ, fiat peccatum mortale.

Nota : Contingit fieri votum dandi quotidie per annum pauperi unum obolum, aut recitandi brevem orationem; certum quidem est ejus transgressionem in uno solo die esse tantum peccatum veniale : sed quæritur, an transgressione procedente per singulos anni dies ita multiplicentur tantum venialia, ut nunquam peccetur mortaliter; vel si mortaliter interdum peccetur, quando id contingat? Respondeo : Si ex transgressione voti in tempore destinato, relinquatur adhuc obligatio implendi voti in tempore futuro, tunc certum est violando votum in tota materia vel in gravi ejus parte, peccari tandem mortaliter : v. gr. aliquis vovit dare quotidie assem pauperi ea intentione, ut quamvis uno alterove die omittat, teneatur diebus sequentibus supplere, tunc posterior omissio semper gravior erit; et post aliquot dies, omissio evadet mortalis, quia non solum omittitur eleemosyna illius diei, sed omnium præcedentium eleemosynæ quæ eodem simul die dandæ erant, sicque ista omissio habet materiam gravem,

Non autem agitur de his voti transgressionibus, sed de transgressionibus singulorum dierum per quas ita exstinguitur obligatio, ut ad faciendum quod omissum est, nulla jam restet; qua in re variant auctores, quorum quidam asserunt nunquam per illas peccari mortaliter sive in voto reali, sive personali. Soto et Aragonensis id concedunt tantum in voto reali, non in personali. Quare :

Dico : Levis transgressio voti diversis diebus seu temporibus sæpius repetita, non est gravis, nisi ex his actibus sæpius repetitis componatur unus moraliter; quia si onus diei præcedentis quod omissum est, non adjungatur hodierno, non habetur unde augeatur materia præsentis diei; ergo permanet levis sicut de se erat, atque eadem est ratio de singulis aliis et omnibus. Hinc cum istæ omnes leves transgressiones nullam inter se habeant connexionem nec augmentum, si quis haberet propositum illas omnes non vitandi, videtur is in rigore non peccaturus mortaliter; secus vero, si inter se connexionem et augmentum habeant.

CAPUT VI.

De variis modis votum violandi.

Dico 1 : Per omissionem contra votum peccatur interdum sola dilatione, interdum absoluta voti transgressione, qua illius obligatio exstinguitur et finitur. Gravius tamen peccatur per totalem omissionem quam per solam dilationem, quia prior peccandi modus est contra voti substantiam, posterior solummodo contra temporis circumstantiam. Unde quando votum, v. gr. jejunium, est affixum tali diei, non potest transferri in alium ; sed si occurrat causa sufficiens ad excusandum, tunc licita erit omissio et exstinguetur obligatio. Non est tamen semper peccatum mortale voti dilatio, sed potest ex parte brevis moræ esse veniale, etiamsi actus qui differtur sit materia gravis : ita Sylvester, Angelus, etc., communiter ; quia promissiones et obligationes justitiæ non obligant cum majori rigore; nec cum majori vovens videtur voluisse se obligare, si constet de termino in tali die præfixo, non licet uti epikia ad procrastinandum ; secus, si non constet, dumque procrastinatur, debet, statim ac fieri potest, impleri obligatio.

Dico 2 : Per modum commissionis non peccatur contra votum ob solam temporis dilationem, sed per directæ obligationis voti violationem, quod peccatum tantum in votis negativis reperitur, v. gr. in voto abstinendi perpetuo a carnibus, non peccatur differendo, sed directe illud violando ; et dum votum habet tractum successivum, v. gr. votum abstinendi a vino, non ludendi, etc., per unam ejus transgressionem non exstinguitur obligatio, ideoque contra illud potest sæpius peccari. Deinde dum quis sæpius fecit aut repetiit idem votum, v. gr. castitatis et postea illud violet, in ejus quidem peccato est unica malitia, sed major accidentaliter, non est tamen circumstantia hæc necessario in confessione aperienda, utpote non adeo notabilis ; sic etiam dum quis vovit, v. gr. jejunium, et postea vovit implere votum, si illud violet, ejus peccatum continet unicam malitiam.

CAPUT VII.

An dolere de facto voto, sit peccatum, et quale.

Dico 1 : Pœnitentia efficax voti facti in ordine ad ejus observationem, qua quis ita detestatur votum, ut statuat illud non servare, vel si hactenus illud servaverit, nolit amplius servare licet duret ejus obligatio, est peccatum mortale eidem voto contrarium; sed pœnitentia voti inefficax, qua alicui displicet se fecisse votum, sed non obstante ista displicentia retinet propositum illud servandi, per se loquendo non est peccatum, quia hæc pœnitentia non est de objecto prohibito ex vi voti; ergo non est peccatum contra votum; imo ex genere suo nullum peccatum est, quia nullum habetur præceptum cui directe opponatur. Quare :

Dico 2 : Implere votum cum hac pœnitudine inefficaci et tristitia de voto emisso ejusque obligatione, per se loquendo nullum est peccatum ; quia illa operatio non est voti obligationi contraria, cum votum obliget tantum ad rei substantiam, non ad modum, v. gr. ad dandum alacriter eleemosynam; posset tamen ista pœnitentia esse mala et voto contraria, si ob illam constitueretur homo in morali periculo votum violandi : *Qui* enim *amat periculum, peribit in illo* (*Eccli.* III, 27). Ideoque facile potest cum ea misceri aliqua culpa. Porro ista pœnitentia est ex objecto actus indifferens, imo ordinarie malus, quamvis interdum ex fine possit etiam honestari.

LIBER VI.

De voti irritatione, dispensatione et commutatione.

CAPUT PRIMUM.

An possit votum irritari ; quæ , et quotuplex sit voti irritatio.

Dico 1 : Votum irritabile dicitur, quod in suo valore et obligatione, seu in suo fieri et conservari pendet a voluntate alterius personæ quæ non est vovens, nec cui fit votum; quæ dependentia provenit, vel ex parte materiæ, quando materia voti est sub alterius potestate, vel ex parte personæ voventis, quando ejus voluntas ita est subordinata alterius voluntati, ut in sua obligatione includat conditionem *si alter consenserit*, ut voluntas filii impubis. Hinc duplex irritandi votum modus : unus indirectus per subtractionem vel mutationem materiæ ob quam cessat voti obligatio; alter directus et proprius per quem revocatur, dissolvitur et aufer-

tur ipse actus vovendi, ideoque votum directe semel irritatum nunquam amplius reviviscit, sed indirecte tantum ex parte materiæ irritatum cessante aut ablata prohibitione, votum rursus incipit obligare. Unde omnis fidelis præter papam, potest habere vota irritabilia indirecte ex parte materiæ, quia potest papa prohiberi ne hoc vel illud faciat, sed non directe ex parte voluntatis voventis et obligationis. Et hæc potestas irritandi, alia est *dominativa*, v. gr. mariti respectu uxoris, heri respectu mancipii, quæ nullam requirit specialem causam ad irritandum votum; alia *jurisdictionis* spiritualis quæ ad irritandum justam causam requirit.

Dico 2 : Non potest prælatus qui votum irritat, cogere subditum ut aliquam commutationem acceptet, si illum a proprii voti observatione impediat ; quia subditus non vovit nisi talem materiam in specie ; ergo si illa non permittitur, non potest ad aliam cogi, nec superior qui votum irritat, tenetur hujusmodi commutationem imponere per se loquendo, et ex vi obligationis voti.

CAPP. II, III.

An superiores possint suorum subditorum, et domini suorum servorum vota irritare.

Dico 1 : Summus pontifex non potest directe irritare Christianorum vota; adeoque multo minus id possunt inferiores prælati ecclesiastici, vel principes seu gubernatores temporales. Non enim invenitur talis in eis potestas, ut pro lubitu possint sic vota irritare ; cum Christianorum voluntates non ita in omnibus rebus sint dependentes, ut nequeant sine alieno consensu se Deo firmiter obligare. Papa tamen potest aliquando indirecte irritare vota fidelium cujuscunque status, etiam episcoporum, quæ Ecclesiæ præjudicium afferunt, aut ad jus pontificium pertinent; et hanc potestatem cum proportione participant prælati inferiores, imo aliquo modo et per quamdam consecutionem superiores temporales, quia possunt hoc vel illud prohibere in ordine ad bonum spirituale aut publicum. Ejusmodi irritatio etiam habet locum in votis, quæ præcesserunt statum subjectionis.

Dico 2 : Dominus non potest directe irritare servi vota, tollendo immediate per se et nulla facta morali mutatione ex parte materiæ obligatione voti; quia servus non est subjectus domino in spiritualibus et secundum animam, sed secundum corpus et ejus actiones. Potest tamen irritare illa indirecte et ex parte materiæ, illam prohibendo; quia servus est domini quoad exercitium actionum suarum quas illi ex justitia debet, ideoque possunt a domino prohiberi, vel præcipi contrariæ. Et in his, ut servi votum sit licitum et validum, debet includere conditionem : *Si dominus consenserit*, vel *non contradixerit*, Unde non potest irritare personalia servi vota, nisi ea tantum, quorum exsecutio ipsi esset nociva, et contraria juri quod habet in servum ; adeoque non potest irritare personalia ejus vota quæ ipsi non afferunt præjudicium, v. gr. votum castitatis, recitandi brevem orationem, etc. Realia autem ejus vota pene omnia potest irritare, quia omnia quæ habet servus, domini sunt. Dixi *pene omnia*, quia ex conventione cum domino potest servus aliquid proprium habere. Sic creditor potest irritare vota debitoris, quæ debiti solutionem impediunt.

CAPUT IV.

An unus conjugum possit alterius vota irritare.

Dico 1 : Maritus non habet potestatem irritandi directe vota uxoris, multo minus uxor mariti ; quia subjectio uxoris ad virum solum nascitur ex vinculo matrimonii in ordine ad matrimonii usum, filiorum educationem, familiæ regimen; adeoque sola est dependentia et subjectio ex parte materiæ voti, non ex parte voluntatis voventis ; ideo indirecte tantum et ex parte materiæ potest maritus irritare uxoris vota, non omnia tamen, sed tantum illa quæ sibi suæve familiæ et gubernationi afferunt præjudicium, ideoque non potest irritare ejus votum castitatis conjugalis, aut castitatis factum pro tempore viduitatis, nec ea quæ non sunt contra jus mariti, v. gr. votum recitandi brevem orationem, aut dandi res aliquas de quibus potest disponere sine licentia mariti.

Dico 2 : Etiam uxor potest indirecte irritare illa mariti vota, quæ in ipsius præjudicium facta fuerunt : ita theologi communiter. Hinc in voti irritatione, quatenus provenit ex dominio, v. gr. ex dominio uxoris in corpus viri quoad usum matrimonii et contra, uxor et maritus sunt æquales; secus vero in irritatione quatenus manat ex potestate gubernatrice vel administratrice, ad quam uxor non habet jus. In capite *Ex multa* excipitur votum peregrinationis Jerosolymitanæ in subsidium terræ sanctæ, quod uxor non potest irritare ; sed juxta D. Thomam et Antonium, maritus non potest personaliter implere id votum, si uxor nolit eum comitari et relinquatur in periculo incontinentiæ, nempe ob jus naturale. Ista conjugum voti irritatio habet etiam locum in votis sive personalibus sive realibus quæ antecesserunt matrimonium, quando sine præjudicio alterius conjugis servari non possunt. Deinde ubi semel facta est irritatio, durat perpetuo pro toto matrimonii tempore ; quia conjux pro illo tempore exstinguit obligationem, et obligatio semel exstincta non redit.

Dico 3 : Quando conjux semel approbavit votum alterius conjugis sive reale sive personale, v. gr. uxor vovit dare calicem ecclesiæ, et petiit facultatem a marito qui conscius de voto illam concessit, si postea ante voti exsecutionem revocet datam facultatem et votum irritet, valide quidem illud irritabit (excepto castitatis voto), sed illicite et peccat, nisi superveniat justa causa datam facultatem revocandi et votum irritandi ; hoc tamen peccatum videtur raro esse mortale, dum abest scandalum et gravis contemptus. Valide autem irritat, quia dando facultatem, non a se abdicavit proprium dominium et potestatem gubernatricem.

CAPP. V, VI.

An parentes possint irritare vota suorum filiorum puberum et impuberum.

Dico 1 : Pater non potest omnia vota tam filiarum quam filiorum puberum sub ipsius cura adhuc exsistentium irritare absolute et simpliciter, multo minus directe, v. gr. votum castitatis, moderatæ abstinentiæ, audiendi missam die Dominico, etc., sed tantum potest irritare ea quæ suo juri paterno præjudicant et derogant; et juxta hunc sensum potest explicari textus num. 30, ubi dicitur parens posse irritare vota filiæ exsistentis domi suæ in ætate puellari. Quare potest pater irritare indirecte omnia vota filiorum puberum sub sua potestate degentium seu nondum emancipatorum, quæ paterno juri præjudicium afferunt, id est quæ liberum et expeditum familiæ regimen impediunt, vel filium nimis ab obedientia et cura paterna subtrahunt, v. gr. jejunia extraordinaria, longa peregrinatio, vota realia de bonis paternis, vel de bonis quorum ususfructus et administratio ad patrem pertinet. (D. Thomas, Durandus, Sotus, Navarra, etc.) Hæc potestas irritandi tandiu durat quandiu filius non est emancipatus. Sed vota facta a filio pubere non emancipato, quæ durante patria potestate non fuerunt irritata, post emancipationem non possunt amplius irritari. Deinde deficiente patre, curatores possunt irritare vota realia puberis prout ipsorum administrationi officiunt, non vero personalia, per se loquendo; quia non est commissa curatoribus persona, sed ejus bona. Mater autem et avia hac in re nihil possunt nisi quatenus suscipiunt munus curatoris, aut votum sit in ipsarum præjudicium.

Dico 2 : Parentes possunt irritare vota filiorum impuberum, non tantum indirecte ex parte materiæ, sed directe ex parte voluntatis voventis; quia ante pubertatis annum cum ætas non soleat esse sufficiens ad perfecte deliberandum in negotio tam gravis obligationis, ideo rectæ rationi consentaneum fuit, ut post comparatum rationis usum voluntas filii impuberis aliquo tempore penderet a voluntate patris, et ejus vota posset, vel irritare, seu tollere, vel confirmare; ideoque necessaria fuit lex positiva ut istius ætatis terminum intra quem possit pater irritare filii vota, determinaret, cum solum jus naturæ illum non satis designet; determinavitque pro masculis usque ad decimum quartum, et pro feminis usque ad duodecimum ætatis annum completum. Hinc pater sine ulla exceptione omnia filii impuberis vota potest irritare, imo votum in ætate impubere factum potest irritari in ætate pubere, si in eodem statu permanet ex parte voventis filii et patris, id est si a neutro fuerit confirmatum; quia ab initio inclusit hanc conditionem : *Si pater non contradixerit*, et fuit infirmum ac irritabile; secus vero, si vovens confirmavit ac denuo emisit illud post pubertatem, aut pater illud ante pubertatem confirmarit ac ratum habuerit. Impuberis autem votum semel a patre irritatum nunquam amplius reviviscit, quia talis irritatio cadit directe in ipsum votum, et ejus obligationem exstinguit.

Dico 3 : Solus pater habet hanc potestatem filii, præsertim impuberis, vota irritandi, non mater, nisi indirecte in votis quæ ex parte materiæ ipsius juri præjudicant; patre autem defuncto, tutor habet eamdem potestatem erga pupillum : et quia jure ordinario, deficiente patre, mater habet filii tutelam, ideo tunc potest ejus vota irritare, idemque de avo, vel alio ascendente in propinquioris defectu. Tutor tamen non potest pupilli vota emissa in ætate impubere irritare post inchoatam pubertatem, dum non fuerunt confirmata. Vota autem servuli parvuli parentibus orbati possunt a domino irritari etiam directe, ratione impubertatis et quasi tutoris titulo.

CAPUT VII.

An prælati religionum possint religiosorum vota directe irritare.

Dico 1 : Prælatus religionis non tantum potest indirecte ex parte materiæ, sed etiam directe irritare vota subditorum, tollendo voti obligationem, etiamsi circa materiam nullam faciat mutationem, aut votum sit de materia quæ nullum illi affert præjudicium. Quia religiosus per voluntariam professionem ac promissionem obedientiæ ita subditur suo prælato, ut respectu dominii, bonorum, et sui ipsius sit tanquam servus; respectu vero suarum actionum et dispositionis suæ voluntatis sit tanquam pupillus sub tutore, ita ut velle et nolle non habeat; et sic voluntas religiosi manet impotens ad vovendum absolute, sed tantum potest vovere sub conditione simpliciter *si superior consenserit*, vel saltem *si non contradixerit;* atque hinc fit ut superior possit directe tale votum irritare, id est prælatus omnia religiosi sui subditi vota quæ in ista religione et statu impleri possunt ac debent, potest irritare, imo et probabiliter potest non directe sed indirecte sive ex parte materiæ quæ religionis convenienti ordini ac regimini præjudicium afferunt, novitii vota irritare.

Dico 2 : Ut votum religiosi irritetur simpliciter et directe, necesse est illud prælato innotescere; et tunc votum directe irritatum, non amplius redit, etiamsi prælatus revocet irritationem, nisi votum iterum a subdito fiat voluntarie, quia obligatio exstincta non reviviscit; nec peccat religiosus petens sui voti irritationem, dum non habet causam quæ ad justam dispensationem sufficeret, quia utitur jure suo, et votum fuit tantum conditionale, quod non obligat dum conditio non impletur. Deinde quilibet prælatus ab immediato usque ad mediatum supremum, v. gr. priores, guardiani, rectores, provinciales, generales ac maxime papa habent hanc potestatem irritandi religiosorum vota : item prælatæ monialium, v. gr. priorissæ aut abbatissæ, licet jurisdictionem spiritualem non habeant, possunt ob suam potestatem quasi gubernatricem seu œconomicam, suarum monialium vota, quæ ordinario ipsarum regimini præjudicium afferunt, irritare indirecte et ex parte materiæ; imo abbatissæ proba-

bilius etiam possunt directe, quia subditæ vovent illis obedientiam, et sic sine jurisdictionis necessitate sufficit professionis obligatio.

CAPUT VIII.

An votum cum licentia prælati factum, aut ab eo confirmatum possit irritari.

Dico 1 : Prælatus inferior non potest irritare votum a superiore prælato confirmatum, aut de ejus licentia factum; sed contra, potest prælatus superior, etc. Deinde prælatus non tantum indirecte sed etiam directe potest irritare votum a seipso confirmatum, vel de sua licentia factum. Ita communiter theologi, quia dando licentiam vel confirmando votum, non se privat suo dominio et potestate; ergo potest retractare quod antea fecerat, et votum irritare, non tamen licite sine aliqua causa, quamvis valide.

Dico 2 : Successor prælatus in officio æqualis, potest vota subditi a prædecessore confirmata revocare æque ac ipsemet prædecessor facere potuisset; imo majori facilitate, quia non fuit particeps istius voti per proprium consensum.

CAPUT IX.

An sit in Ecclesia potestas in votis dispensandi, eaque commutandi.

Nota : Dispensatio est relaxatio juris ab habente potestatem legitime facta. Hinc :

Dico : Certum est in Ecclesia esse potestatem circa vota ad auferendum, quando oportuerit, illorum obligationem. Probatur ex antiquissimo et perpetuo Ecclesiæ usu ac traditione. Et ratio est, quia omnis lex humana eget interdum dispensatione; votum autem est quasi privata lex humana; ergo eget interdum dispensatione. Non dispensatur hic in lege naturali formaliter, quæ jubet fidelitatem Deo servari, sed aufertur et mutatur legis naturalis materia, auferendo et relaxando votum, et sic cessat ejus obligatio. Pontifex autem seu prælatus dispensando in votis, Dei vicem gerit remittendo obligationem Deo factam, et declarando placere Deo ut non servetur votum, sicque dissolvitur pactum et cessat obligatio; ideo ista dispensatio seu absolutio est quædam debiti remissio nomine Dei facta, ac proinde dispensandi in votis potestas est supernaturalis a Christo data his verbis Petro dictis : *Pasce oves meas*, etc. (*Joan.* XXI, 17) ; *Quodcunque solveris super terram*, etc. (*Matth.* XVI, 19); uti et potestas concedendi indulgentias. An vero hæc dispensandi potestas sit de jure naturali in republica Christiana, ita ut seclusa speciali Christi institutione, esset tempore legis naturalis in quo erat verus Dei cultus et vota fiebant; et an fuerit tempore legis scriptæ in republica Hebræorum, incertum est. Hoc enim magna ex parte pendet ex divina revelatione.

CAPP. X, XI.

De personis quæ possunt in votis dispensare et illa commutare.

Dico 1 : Potestas hæc dispensandi et commutandi vota residet in summo pontifice immediate de jure divino et in summo perfectionis gradu. De fide. Patet ex dictis in capite præcedenti. Deinde unusquisque episcopus in sua diœcesi habet ordinariam potestatem dispensandi et commutandi omnia vota, quæ non sunt specialiter reservata papæ : illa enim est necessaria ad regimen episcopale; et quamvis per Christi vicarium proxime conferatur, tamen ratione divini juris instituentis munus episcopale, potest dici illa esse de jure divino naturali. Istam potestatem archiepiscopus habet tantum pro sua episcopatus diœcesi, non autem pro suorum suffraganeorum diœcesibus; imo, ut probabilius censetur, nec in ipsa earum visitatione, quamvis tunc possit audire confessiones. Cardinales autem ex vi suæ dignitatis, nullam habent potestatem in votis dispensandi; summus tamen pœnitentiarius et legatus papæ eam habet. Parochus nec dispensandi nec vota commutandi ullam habet ordinariam potestatem.

Dico 2 : Nullus prælatus episcopo inferior, vel in dignitate ecclesiastica constitutus sine episcopali jurisdictione, potest in votis dispensare; ex privilegio tamen, consuetudine, vel speciali institutione pontificia, prælati aliqui sæculares episcopis inferiores, sed habentes jurisdictionem episcopalem, uti et prælati regulares exempti, possunt in votis non reservatis dispensare cum suis subditis, et ea commutare, v. gr. in aliquo voto a se confirmato, aut quod non vult irritare.

Dico 3 : Papa potest probabiliter per seipsum dispensare secum in votis, aut potius hanc jurisdictionem suo committit confessario. Episcopus autem non potest istam committere suo confessario, quia nemo dat quod non habet, id est, non habet potestatem secum dispensandi; ergo non potest eam dare. Idem dic de prælatis sive sæcularibus sive regularibus habentibus jurisdictionem episcopalem, aut potestatem dispensandi. Prælatus vero regularis potest novitii vota quæ vel impediunt religionis opera et ordinem, vel nimium aggravant religionis onus, suspendere; non tamen alia quæ nihil simile continent, v. gr. votum castitatis, obedientiæ, etc. Denique peregrini nequeunt nisi a suo proprio episcopo, non vero ab alio episcopo, dispensari in votis. Idem multi dicunt de scholasticis vel mercatoribus per magnam anni partem habentibus alibi quasi domicilium.

CAPUT XII.

An dispensandi potestas et commutandi vota sit delegabilis.

Dico : Certum est tam dispensandi quam commutandi vota posse delegari potestatem sive ab homine habente ordinariam, sive per indulta aut privilegia, sed debet esse specialiter delegata pro votis. Attamen concessa per delegationem potestate commutandi vota, non censetur concessa potestas in illis dispensandi : et contra, juxta communiorem sententiam Paludani, Sylvestri, Soti, etc., contra Navarram, Azorium, Sanchez, etc., concessa pote-

state dispensandi in votis, conceditur consequenter potestas illa commutandi, et hoc ita censeo verum, ut non videam quomodo contraria sententia possit solide et constanter in omni casu sustineri. Probatur : Quia omnis commutatio est voti dispensatio secundum quid, ideoque ad illum solummodo necessaria est superioris potestas, quia aliquid dispensationis voti involvit; ergo potestas commutandi continetur in potestate dispensandi tanquam pars in toto, seu tanquam *secundum quid* in *simpliciter;* et sic dispensatio et commutatio inter se differunt tanquam pars et totum, aut tanquam *simpliciter* et *secundum quid* sub eodem dispensationis genere, non vero tanquam magis et minus diversorum generum. Hinc suspensus ab usu commutandi vota, suspenditur etiam ab usu dispensandi.

CAPP. XIII, XIV.

Ad quid se extendat facultas dispensandi vel commutandi vota.

Dico 1 : Si hæc facultas sit perpetua, constat extendi ad omnia tempora, si concessa sit pro certo tantum tempore, etiam constat extendi ad omnia vota jam ante concessionem et concessionis promulgationem seu applicationem emissa. Quoad autem vota emissa intra tempus quo durat concessio, v. gr. vota emissa intra annum quo durat facultas per bullam *Cruciatæ* concessa, vel intra quindecim dies, quibus durat jubilæi facultas; habens potestatem delegatam potest etiam in illis omnibus dispensare, aut illa commutare, sive emissa fuerint in principio, sive in decursu, sive sub finem temporis determinati; ista enim delegata potestas potest extendi ad futura, sicut potestas absolvendi a censuris et casibus reservatis. Sotus et Cordubensis id admittunt pro potestate commutandi, non pro dispensandi, sed sine solido fundamento.

Dico 2 : Relictis variis sententiis, quæ non videntur veræ juxta sententiam communem, quæ sine dubio in praxi teneri potest, satis probabile est potestatem simpliciter delegatam ad dispensandum in votis, extendi ad dispensandum etiam in votis juratis seu in juramentis piis circa easdem materias quando per se stant, suamque solam inducunt obligationem; quia concessa potestate ad aliquem actum majorem, censetur etiam concessa ad minorem in quo eadem vel minor ratio consideratur. Tota autem ratio quæ in voto consideratur, est obligatio religionis erga Deum quam sibi homo sponte imposuit; atqui in juramento de quo agimus, est etiam obligatio religionis erga Deum; et licet diversæ rationis, tamen quasi par in ordine ad usum moralem. Hinc ob vehementem voluntatis et intentionis concedentis conjecturam dum facultas dispensandi in voto conceditur, censetur concedi etiam pro juramento illi adjuncto; quia juxta communem æstimationem ejusmodi juramenta tanquam vota reputantur, et præsertim in ordine ad finem ab eo qui istam facultatem concedit, ordinarie intentum; uti potest colligi ex cap. *Pervenit* 2, De jurej., et ex cap. *Si vero* De jurej., non tamen hæc facultas extenditur ad juramenta quæ in promissione humana fundantur.

Dico 3 : Vota etiam jurata, in quæ juramentum directe cadit, possunt per hæc privilegia dispensari, vel commutari; nam licet votum juramento firmetur, semper est votum. Ergo ablato voto directe per potestatem illud tollendi seu remittendi aut commutandi, indirecte aufertur simul juramentum tanquam accessorium : quia tale juramentum est conditionale sic : *Juro servare votum, nisi relaxetur.* Hinc cui commutatur votum juratum, ei relaxatur juramentum. Præterea etiamsi votum et juramentum immediate cadant super eamdem materiam, et unumquodque per se seorsim obliget ad Dei honorem, tamen per absolutam dispensandi in votis facultatem potest auferri vel votum vel juramentum solum vel utrumque simul pro justo dispensantis arbitrio. Verum quidem est juramenti vinculum esse specie distinctum a voti vinculo, sed in ordine ad dispensationem et commutationem, dum juramentum tendit duntaxat ad Dei honorem uti votum, illud voto æquiparatur; ideoque ad illud, privilegii extensio et interpretatio est juri, finique concessionis et menti concedentis consentanea; et sic potestas concessa se extendit, vel ad auferendum utrumque vinculum directe, vel ad auferendum directe vinculum voti et indirecte vinculum juramenti per naturalem sequelam.

CAPUT XV.

An potestas dispensandi in votis, vel illa commutandi, extendatur ad vota in tertii emolumentum facta.

Dico 1 : Quando votum in proximi utilitatem fit soli Deo, nulla homini facta promissione, potest ex justa causa commutari, aut in eo dispensari per eamdem potestatem sive ordinariam sive delegatam, per quam alia vota possunt commutari, aut in eis potest dispensari. Quia per tale votum nullum jus acquiritur tertio, nec per dispensationem fit illi injuria, v. gr. per votum soli Deo factum de danda Petro eleemosyna, nullum proprium jus Petro acquiritur vel in re vel ad rem, solumque potest implorare officium judicis vel prælati ut cogat alium suum votum implere, si adhuc in sua vi ac specie permaneat, id est, si nondum sit commutatum aut in eo dispensatum. Et hoc tantum videtur lex 2, ff. *De pollicit.*, præscribere.

Dico 2 : Quando votum Deo emissum habet adjunctam promissionem certæ personæ aut communitati vel ecclesiæ valide factam et acceptatam ad cujus confirmationem votum adjunctum est, tunc non potest ordinarie commutari sine consensu tertii, in cujus præjudicium commutatio caderet, privaretur enim suo jure acquisito. Votum autem obedientiæ in professione factum religioni, commutari potest in aliam religionem strictiorem; quia habebat conditionem hanc : *Nisi ad meliora vota transiero.*

Dico 3 : Potestas delegata absolute concessa ad tollenda vota, extenditur ad ea quæ possunt esse utilia tertiæ personæ, sed quando nullum jus ei conferunt; non tamen ad illa quæ habentia admistam promissionem humanum jus conferunt tertiæ personæ.

CAPUT XVI.

De facultate eligendi personam ad dispensandum in votis, vel ad ea commutanda.

Nota : Potestas delegata ex parte personæ dispensantis, est favorabilis, et amplianda quantum verborum proprietas permittit; ex parte autem personæ dispensandæ est odiosa et stricte intelligenda, excepta facultate per jubilæa et fortasse per bullam *Cruciatæ* data. Hinc,

Dico : Dispensandus debet eligere personam illis instructam qualitatibus quas indultum aut rescriptum postulat, v. gr. confessarium in tali gradu constitutum, et ab ordinario approbatum. Si non fiat mentio confessionis, potest fieri dispensatio vel commutatio extra pœnitentiæ sacramentum, uti si requirat tantum confessarium, vel dicat in foro conscientiæ, quod latius patet quam forum pœnitentiæ; secus vero si dicat in foro pœnitentiæ, vel audita confessione. Si ergo non servetur forma præscripta ad dandam dispensationem, hæc erit invalida. Si quis bona fide procedat et habeat propositum lucrandi jubilæum, potest recipere voti dispensationem vel commutationem antequam perfecerit omnia ad lucrandum jubilæum requisita; si autem post voti dispensationem aut commutationem omittat aliquod requisitum ad consequendam jubilæi indulgentiam, v. gr. jejunium, preces, etc., probabiliter rata manet dispensatio aut commutatio, modo dispensandus bona fide processerit, et confessarius simpliciter dispensaverit aut commutaverit, nulla conditione adjuncta, nec debet eam adjungere. Cum enim dispensatio fuerit simpliciter et absolute concessa, habueritque effectum, non potest rursus redire, nisi dispensatus reiteret votum : porro qui sic recipit dispensationem aut commutationem, semper eam recipit sub onere adimplendi quod ad lucrandum jubilæum requiritur. Unde si voluntarie aliquid omittat, graviter peccabit, manente tamen rata, ut dixi, dispensatione vel commutatione. Si quis intra tempus jubilæi oblitus est obtinere dispensationem aut commutationem voti, non potest eam vi jubilæi postea obtinere. Denique spectata forma ordinaria sub qua concedi solet jubilæi gratia intra duas hebdomadas obtinenda, non videtur posse gratia dispensationis aut commutationis voti, vel alia similis, semel in prima septimana, et iterum in secunda obtineri.

CAPUT XVII.

An requiratur causa ad valide dispensandum, et quænam ad licite.

Dico 1 : Dispensatio voti data sine causa legitima, est nulla, et obligationem non aufert, licet detur a papa (D. Thomas, Richardus, Cajetanus, etc.) : quia inferior dispensans in lege superioris non potest valide dispensare sine causa et pro libitu ; multo igitur minus papa potest valide dispensare in voto sine causa, quia aliquo modo dispensat in jure divino naturali, subtrahendo saltem illi proximam materiam, quam nulla humana potestas auferre potest, nisi ex commissione divina. Idem a fortiori dic de episcopis, et aliis dispensantibus. Idem cum proportione dic de commutatione quæ in minus fit ; si enim nulla sit causa tam pro commutatione quam pro diminutione, totus actus erit nullus. Falso fingunt quidam in omni voto includi hanc conditionem : *Nisi papa aliud disposuerit.* Jam vero de justis causis ad valide et licite dispensandum in votis, sic videtur judicandum.

Dico 2 : Justæ causæ valide et licite dispensandi in votis, hæ possunt esse : 1ª si imperfecto et indiscreto modo votum fuerit factum, v. gr. ob metum, ob iracundiam, ob juniorem ætatem, etc. 2ª Si votum sit occasio peccandi, aut afferat periculum respectu voventis, v. gr. votum nunquam peccandi mortaliter, non petendi debitum in conjugio, etc. 3ª Si impediat majus bonum voventis. 4ª Si materia voti sit valde mutata, v. gr. ob ingentes difficultates supervenientes. 5ª Si sit magna boni publici et communis utilitas vel necessitas aut etiam domus seu familiæ. 6ª Si dispensans prudenter judicet causam, quæ affertur, sufficere ad dispensandum. Idem dic de commutatione in minus, ad quam requiritur etiam causa proportionata. Deinde potest esse causa sufficiens ad commutationem, non ad dispensationem, et tunc licet tantum commutare, non dispensare. Si sit sufficiens ad utramque seu ad utramvis juxta prudens judicium, tunc licebit absolute dispensare ; præstat tamen ordinarie immiscere aliquid commutationis, nisi forte non expediat addere tale onus, si sit pauper qui nequeat talem ferre commutationem, aut si timeatur periculum lapsus in quavis commutationis materia.

CAPP. XVIII, XIX.

Quid requiratur ad votum commutandum in aliquid melius, æquale, aut minus.

Dico 1 : Commutatio voti in melius bonum potest propria auctoritate fieri, modo evidenter constet de excessu materiæ seu rei in quam fit commutatio ; et ista commutatio non sit specialiter ab Ecclesia prohibita. Cajetanus, Sotus, Navarra, etc., contra Richardum, Sylvestrem, etc., dicentes non posse commutari votum etiam in evidenter melius sine auctoritate prælati. Probatur. Quia talis commutatio consentanea est voti fini qui est promovere homines ad majus bonum et Deo magis gratum ; adeoque est majus Dei obsequium, quod moraliter evidens est illi placere et acceptari. Hoc etiam potest confirmari ex variis juribus, v. gr. ex cap. *Pervenit* 2, De jurej., ex cap. *Scripturæ* De voto, etc.

Dico 2 : Quando commutatio in melius est evi-

deus, sine causa est licita ; si sit dubia, interdum requiret causam, prout prælatus dispensans judicaverit, vel certo, vel probabiliter, vel aliter, esse in melius ; levis tamen causa sufficiet. Hæc commutatio in evidenter melius fieri potest propria auctoritate etiam in votis quæ in alicujus tertii utilitatem cadunt vel fiunt, modo soli Deo fiant, et specialem promissionem homini factam non includant ; quia per talia vota nullum jus acquiritur tertio.

Votum enim pendet ex propria voluntate, lex ex voluntate alterius. Caput XXVII Levitici, in quo prohibetur mutari animal quod quis Deo vovit ad immolandum, agit tantum de isto voto in particulari, non de aliis. Dein ista cæremonialis prohibitio veteris legis, nunc cessat. Caput vero primum de voto, postulans prælati auctoritatem ad commutandum, agit de commutatione quando non est evidens esse in melius. Et aliud est lex quam votum ; hinc lex seu præceptum non potest mutari in melius propria auctoritate. Deinde, sunt etiam quædam vota reservata, quæ non possunt sic mutari in melius, v. gr. votum solemne religionis minus strictæ.

Dico 3 : Ad commutationem voti in bonum æquale, etiamsi constet certo esse æquale, necessario requiritur auctoritas prælati et aliqua justa causa, licet parva sufficiat. D. Thomas, Cajetanus, Navarra, Angelus, etc., contra Henriquez, Medinam, etc., dicentes posse fieri propria auctoritate, adeoque sine speciali causa. Probatur ex cap. 1, de voto, requirente prælati auctoritatem, quando incertum est, an res sit magis Deo grata. Unde confessarius non potest facere istam commutationem nisi habeat potestatem delegatam ; imo nec per bullas aut per privilegia potest illam facere, rigide loquendo, nisi in æquale bonum, id est æquale utcunque ac moraliter, et non sine aliqua causa ; levis tamen sufficit. Si quis autem propria auctoritate et sine causa commutet votum suum in bonum æquale, animo non implendi aliter votum prout emisit, videtur peccare mortaliter per se loquendo ; nisi per ignorantiam vel adhæsionem oppositæ sententiæ, quam censeat esse certo probabilem, excusetur ; cum enim non habeat potestatem faciendi talem commutationem, remanet tota voti obligatio ; ergo si illam non impleat, peccat.

Dico 4 : In commutatione voti non est necesse votum reale in reale onus, et personale in personale commutare (quod vocatur voti redemptio), neque id ex natura rei requiritur ; sed tantum ubi per legem vel per delegationem potestatis id præscriptum fuerit. Sic votum reale eleemosynæ, posset commutari in jejunia, orationes, etc., et votum personale jejunii commutari in eleemosynas, aut pecunia redimi, atque hæc voti redemptio, attenta personæ et operis conditione, juxta moralem æstimationem facienda est.

CAPUT XX.

Quam vim habeat commutatio voti ad tollendam obligationem circa priorem voti materiam.

Dico 1 : Post factam voti commutationem in melius, sive ex voventis electione, sive per superiorem ipso acceptante, non videtur esse in potestate voventis iterum ad prius votum redire, omissa materia in quam facta est commutatio ; quia hæc habet vim novi voti obligantis ad reddendum Deo aliquid melius. Secus vero, dum fit commutatio in aliquid minus, uti et probabilius, dum fit in æquale ; quia videtur esse hæc communis commutantium intentio.

Dico 2 : Quando commutatio rite facta est, et impleta, tunc prioris voti obligatio manet exstincta ; si autem propria auctoritate facta sit, et fuit invalida, tunc etiamsi impleatur, non exstinguitur obligatio voti. Sed si facta sit ab habente potestatem in æquale bonum cum aliquo causæ defectu, de quo non satis constat, impleto commutationis opere, tollitur prioris voti obligatio. Deinde quando vovens fit impotens ad implendum commutationis opus sive sua culpa sive absque culpa, si votum sit commutatum in melius, prioris voti obligatio non reviviscit, quia exstincta est. Idem dic, si sit commutatum in æquale, vel in minus : est enim etiam exstincta prioris voti obligatio, adeoque nunquam amplius redit ; superest tantum ut de sua culpa pœnitentiam agat, si illa intervenerit. Si quis autem post commutationem renuntiavit commutationi, decernens servare prius votum seu renovans prius votum rejecta commutatione, et postea pœnitens iterum redire ad commutationem desiderat ; dico eum, si commutatio facta sit in minus bonum, aut fortasse etiam in æquale, non posse redire ad commutationem, cum ei non liceat talem commutationem propria auctoritate facere, adeoque teneri servare resumptum votum.

Dico 3 : Facta commutatione, actio in quam fit commutatio, probabilius non subit omnes prioris voti conditiones ; v. gr. votum erat papæ reservatum et fuit commutatum in aliam actionem seu materiam ; hæc materia in quam fuit votum commutatum, non videtur esse papæ reservata, sicut erat votum ; quia per commutationem fuit exstinctum votum reservatum, et aliud loco illius substitutum seu acceptatum quod non est reservatum. Deinde votum reservatur ratione materiæ ad quam obligat ; ergo mutata materia, mutatur etiam seu tollitur reservatio. Subrogatum quidem naturam illius pro quo subrogatur sapit quoad intrinseca, sed non quoad extrinseca. Denique potest confessarius, per potestatem delegatam non solum pœnalem voti obligationem, sed etiam pœnam per ejus transgressionem incursam commutare, v. gr. hanc pœnam dandæ eleemosynæ incursam per transgressiones iteratas voti quo quis voverat dare toties eleemosynam quoties luderet. Si autem transgressor petat tantum commutationem istius pœnalis voti, videtur commutatio intelligenda esse tantum de pœna in futuro incurrenda,

non de pœna jam incursa eleemosynæ nondum solutæ ac debitæ.

CAPUT XXI.

De dispensatione et commutatione votorum papæ reservatorum.

Dico 1 : Quinque tantum sunt vota papæ reservata quoad dispensationem, scilicet votum Hierosolymitanum, Romanum, Compostellanum, castitatis et religionis. Hæc reservatio, si antiquitatem respiciamus, magis traditione et consuetudine quam jure scripto habetur ; sed nunc videtur haberi satis expresse in extrav. *Etsi Dominici*. Cæterum prout nunc de facto reservata sunt, sive per usum sive per jus novum, non est limitandum, ut quidam volunt, votum Hierosolymitanum ad votum factum in subsidium terræ sanctæ, sed intelligendum est simpliciter de voto peregrinationis illuc faciendæ, sive pœnitentiæ sive devotionis gratia. Hinc votum de suscipiendo clericatu, de exhibendo servitio spirituali propter Deum, licet perpetuo ; de assumendo statu feminarum devotarum, de servanda paupertate extra religionem, non est papæ reservatum ; non enim habetur inter ista quinque. Dum igitur D. Thomas ait vota perpetua esse papæ reservata, intelligit de prædictis quinque reservatis. Imo non potest quis ita se voto obligare, ut non possit ab alio tolli, nisi a papa, sive ut sit papæ reservatum ; quia reservatio consistit in ablatione seu subtractione jurisdictionis, qua subditus non potest privare superiorem, v. gr. episcopum. Istud votum Hierosolymitanum non extenditur ad votum de applicandis bonis incertis in terræ sanctæ subsidium, de dando auxilio in expeditione contra infideles, schismaticos, hæreticos, nec ad votum Lauretanum.

Dico 2 : Prædicta quinque vota non solum quoad dispensationem, sed etiam quoad commutationem papæ reservata sunt, ut patet ex extrav. *Etsi Dominici :* imo non videntur hæc vota posse sine auctoritate papæ in melius commutari, v. gr. votum Compostellanum in votum castitatis perpetuæ, nisi in votum religionis constitutivum, seu religionis professionem juxta cap. *Scripturæ*, De voto ; sed non solum in votum religionis ingrediendæ promissivum, per cujus ingressum ad probationem non exstinguuntur, sed tantum suspenduntur ejusmodi vota.

CAPUT XXII.

De votis conditionatis, quando et quomodo sint reservata.

Dico 1 : Votum, v. gr. Hierosolymitanum, et alia quæ papæ reservantur, si fiant sub conditione, probabilius non sunt reservata quandiu in illo statu permanent (Toletus, Ledesma, Lessius) : quia votum conditionatum, non impleta conditione, nondum est consummatum et perfectum votum, ideoque ad illud non extenditur reservatio. Licet enim votum conditionatum, v. gr. castitatis, religionis, etc., sit verum votum, non est tamen votum simpliciter castitatis, etc., sed tantum secundum quid, et tota obligatio quam inducit in ordine ad materiam sub conditione promissam, est tantum secundum quid. Non est tamen conditionatum hoc votum : *Voveo ingredi religionem, si pater obierit*, sed est absolutum cum dilatione exsecutionis ; quia ibi particula *si* æquivalet adverbio temporali *quando*, posita ad determinandum tempus, non ad suspendendam obligationem, uti et quædam alia similia.

Dico 2 : Prædicta vota, quando a principio fuerunt vere ac proprie conditionata, impleta conditione, sunt proprie ac vere talis rei, v. gr. castitatis, religionis, etc., vota, ideoque vere ac proprie reservata ; intelligendo de voto conditionato, ut est distinctum a pœnali, de quo in capite sequenti. Ita communiter Sotus, Navarra, Valentia, etc. Quia licet contractus fuerit a principio conditionatus, impleta tamen conditione purificatur, ac tam perfectus manet, ac si a principio fuisset sine conditione factus ; atqui idem est de voto ; ergo, etc.

CAPP. XXIII, XXIV.

An vota pœnalia vel disjunctiva in materiis votorum reservatorum, sint reservata.

Dico 1 : Vota pœnalia, v. gr. *Si fregero jejunium quadragesimale, voveo peregrinari Compostellam*, ante commissam culpam, non sunt reservata, et tolli possunt per episcopum, vel per alium habentem generalem facultatem : quia talia vota præter propriam imperfectionem quam habent quatenus pœnalia, generalem insuper habent votorum conditionatorum suspensionem. Post commissam vero culpam seu post impletam conditionem, Sotus, Cordubensis, etc., dicunt esse reservata ; sed verius id negant Henriquez, Medina, Sanchez, etc., quia hæc vota a principio fuerunt conditionata, et imperfecte voluntaria, semperque trahunt secum illam imperfectionem : pœnalia enim vota de futuro fiunt cum deliberatione et affectu cavendi illud ipsum, quod sub conditione vovetur, et cum animo vitandi absolutam ejus obligationem. Sed cum sit duplex pœna peccati, una punitiva, alia medicinalis, hæc posterior conclusio debet intelligi de pœna peccati punitiva, non de medicinali : si quis enim voveat ingredi religionem, si talia peccata commiserit, non in peccatorum punitionem, sed ad vitanda in religione peccandi pericula, videtur id votum sufficienter fieri ex affectu erga religionem tanquam remedium aptum ad vitanda peccata ; unde censetur esse potius pure conditionale quam proprie pœnale, nec fieri ex affectu cavendi obligationem, sed cavendi peccatum ; ideoque impleta conditione votum religionis tanquam remedii contra peccata, relinquitur satis voluntarium et consummatum, id est simpliciter votum religionis ac proinde reservatum.

Dico 2 : Votum factum sub disjunctione in materia reservata et non reservata sic : *Voveo peregrinari Jerosolymam, vel dare eleemosynam centum aureorum*, re

existente integra, id est non mutata voventis voluntate per novum votum materiæ reservatæ, non est reservatum, etiamsi vovens sit factus impotens ad materiam non reservatam, v. gr. ad eleemosynam dandam ; tunc tamen manet obligatio ad alteram voti partem subsistentem. Sic nec erit reservatum si fiat votum religionis vel clericatus, castitatis vel clericatus ; si autem utraque voti disjunctivi materia sit reservata, clarum est illud esse reservatum.

CAPP. XXV, XXVI.

De potestate commutandi vota reservata, vel in illis dispensandi.

Dico 1 : Per delegatam potestatem ac concessionem generalem ad dispensandum in votis, vel ad ea commutanda, non comprehenduntur prædicta quinque vota reservata, contra Sotum et alios dicentes solum non comprehendi votum religionis et castitatis, reliqua tria comprehendi. Probatur, quia sub generali concessione non veniunt specialia, habeturque ex cap. *Si episcopus* De pœnit. in 6. Dum tamen papa generatim dat facultatem pro omnibus votis, excipiendo duntaxat votum castitatis et religionis, tunc tria peregrinationum vota intelliguntur concessa ; idem cum proportione de aliis judica, ut ipsa concessionis verba sonant.

Dico 2 : Votum reservatum ante pubertatem factum, non potest per episcopum relaxari seu dispensari, licet a parentibus possit irritari, ut supra dictum est, sed non dispensari ; nec per eumdem potest relaxari tale votum ex metu factum, sed si dubitetur, an istud votum ob metum gravem fuerit validum, necne, tunc in illo episcopus poterit dispensare : uti et quando est de valore aliorum ejusmodi votorum dubium, v. gr. castitatis, etc., reservatio enim intelligitur de votis certis et indubitatis, quia vota dubia sunt tantum vota secundum quid. Quando autem votum reservatum constituit voventem in gravi periculo aut necessitate, v. gr. votum castitatis in proximo periculo incontinentiæ, vel votum religionis in necessitate contrahendi statim matrimonium, nec potest haberi recursus ad papam, tunc potest episcopus in eo dispensare quantum est necesse pro præsenti periculo aut necessitate, nec plus potest nuntius seu legatus apostolicus de potestate ordinaria ; secus si habeat specialem delegatam potestatem pro ejusmodi votorum dispensatione. In his autem casibus, in quibus vota sunt revera reservata, nihil possunt alii episcopo inferiores aut privilegiati, habentes generalem tantum facultatem cum exceptione votorum reservatorum, aliud est de illis commutandis in æquale bonum, quando revera non sunt reservata, nimirum quando sunt vel pœnalia, vel conditionata ante impletam conditionem, vel temporalia vel partialia, etc.

CAPUT XXVII.

De necessaria ad valorem dispensationis aut commutationis voti servanda forma.

Dico 1 : Ad valorem dispensationis (idem semper intellige de commutatione) necessario requiritur, ut ex libera prælati aut dispensantis voluntate proveniat. Hinc dispensatio interdum est nulla, quia per deceptionem aut subreptionem obtenta est ; fuit enim involuntaria. Dispensatio autem est nulla seu fit irrita : 1° ex taciturnitate veri, quando vel substantia ipsius voti non satis declaratur, v. gr. si habens votum castitatis dicat se vovisse non nubere ; vel non proponitur causa ad voti dispensationem sufficiens, nisi dispensans sciat esse aliam causam justam et sufficientem, propter quam dispensat. 2° Ex admistione falsi, quando vel additur, demiturve aliquid voto, quod ejus substantiam mutet, sive dicendo falsum, sive negando verum ; vel admiscetur aliquid falsum ad voti substantiam spectans. Si autem proponantur duæ dispensationis causæ, quarum una sit vera ac per se sufficiens sola ad talem dispensationem prout hic et nunc conceditur, et altera addatur falsa ut facilius dispensatio obtineatur, non ita tamen movens dispensantem ut ob illam dispenset, tunc non videtur dispensatio fore invalida. Unde :

Dico 2 : Quando veritas quæ proponitur, sufficienter declarat et voti substantiam et justam dispensationis causam, si aliquid taceatur aut falso addatur quod quidem si dispensans sciret, difficilius concederet dispensationem, sed absolute non obstante hoc, eam concederet, tunc non censenda est dispensatio invalida ac subreptiva ; secus vero, si cognita illa re occultata aut falsitate dispensationem concessurus non fuisset. Deinde dispensatio voti per gravem metum obtenta, si non obstante hoc metu, processerit ex vero dispensantis consensu et justa fuerit dispensandi causa, non est invalida naturali nec positivo jure.

Dico 3 : Ad valorem seu effectum dispensationis voti requiritur, ut dispensantis voluntas sufficientibus signis patefiat ; nulla tamen in hoc præscripta est verborum forma. (Sylvester, Paludanus, etc.)

TOMUS DUODECIMUS.

DE

RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU.

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE STATU PERFECTIONIS ET RELIGIONIS.

LIBER PRIMUS.

De statu perfectionis variisque ejus modis.

CAPP. I, II.

Quid sit status vitæ Christianæ, et quotuplex.

Dico 1 : Status sumitur hic pro aliquo stabili vivendi genere, et ad duos reducitur; nimirum ad statum servitutis et libertatis. Hinc status stabilitas seu firmitas ex varia causa oritur juxta materiam in qua versatur, v. gr. firmitas seu immobilitas status servitutis humanæ oritur ex justo dominii titulo in servum; status libertatis naturalis ex lege naturæ. Sic stabilitas status peccati, qui est status servitutis, oritur vel ex proclivitate ad peccandum, vel ex difficultate regressus ad gratiam; status gratiæ, qui est status servitutis Dei, sed veræ libertatis, oritur ex ipsa gratia. Similiter stabilitas status regularis, qui ad statum servitutis reducitur, oritur ex professione, vel voto, vel pacto; status sæcularis, qui est status libertatis a jugo religioso, oritur a naturali proprio libertatis jure; status clericalis, qui sub sæculari continetur, oritur vel a sacramentali non iterabili, vel a charactere indelebili. Idem cum proportione dic de statu conjugii, virginitatis, viduitatis. Jam vero status vitæ Christianæ, est ipsa Ecclesia triumphans et militans; sed hic solum agimus de statu Ecclesiæ militantis, qui est quidam religionis modus ad salutem et beatitudinem æternam necessarius, ac in fide Christi fundatus.

Dico 2 : In Ecclesia status prout dirigitur ad commune bonum, dividitur in clericalem et laicum; prout dirigitur ad spirituale singulorum bonum, dividitur in varios religionis status, qui ex divina manant institutione : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, etc. (*Matth.* XIX, 11). *Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic* (*I Cor.* VII, 7). *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes*, etc. (*Matth.* XIX, 21). Hinc optime et adæquate dividitur status vitæ Christianæ in statum vitæ communis, qui non obligat ad perfectionem, seu ad opera consiliorum evangelicorum et supererogationis, etiamsi ea non impediat aut vetet; et in statum perfectionis, qui ultra opera vitæ communis addit opera supererogationis et consiliorum; adeoque uterque hic status inter se distinguitur tanquam includens et inclusum. Hinc subdivisio qua sanctus Augustinus distinguit statum vitæ Christianæ in quatuor membra, conjugatorum, clericorum, religiosorum, episcoporum, continetur in prædicta bimembri divisione.

CAPUT III.

Quænam sit illa perfectio Christiana ad quam perfectionis status ordinatur.

Nota : Perfectio potest tribui soli charitati vel essentialiter seu substantialiter, vel principaliter, vel totaliter tanquam adæquatæ et unicæ totius perfectionis causæ. Hinc

Dico 1 : Perfectio vitæ Christianæ ac sanctitas non solum essentialiter in sola charitate (per charitatem intelligendo simul gratiam sanctificantem), sed etiam in ea principaliter consistit, adeoque perfectionis status principaliter et essentialiter ad charitatem ordinatur : *Super omnia autem charitatem habete* (*Coloss.* III, 14). Insuper finis hujus perfectionis et primaria causa movens ad omnia perfectionis opera in sola charitate consistit : *Finis præcepti, charitas de corde puro* (*I Tim.* I, 5). *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit*, etc. (*I Cor.* XIII, 4, 7). Tamen

Dico 2 : Totalis perfectio vitæ Christianæ absolute sumpta, non in sola charitate sita est, sive sola charitas non est formalis vitæ Christianæ perfectio; nam aliæ virtutes et earum operationes

multum etiam conferunt ad vitæ Christianæ perfectionem : vel ut instrumenta charitatis, v. gr. jejunia, mortificatio, cilicia, etc., quibus illa utitur ad perficiendam ejusmodi actuum honestatem; vel ut accidentia essentialis perfectionis : licet enim hic status habeat charitatem seu essentialem perfectionem, si careat aliqua alia virtute, dicitur imperfectus quoad accidentale. Deinde non solum charitas, sed etiam aliæ virtutes illa informatæ, sunt meritoriæ præmii essentialis.

CAPUT IV.

Ad qualem charitatis perfectionem ordinetur perfectionis status.

Nota : Iste perfectionis status non requirit, ut clare patet, amorem Dei infinitæ perfectionis, nec etiam actualis Dei amoris perpetuam immutabilitatem, quæ nullum defectum, ne venialem quidem patiatur. Sed

Dico 1 : Charitatis perfectio a statu perfectionis intenta consistit formaliter in habitu charitatis non absolute, sed ita disposito ut prompte et sine impedimento, ex parte subjecti, possit et elicere et imperare actus; ut tamen ad hanc permanentem ac perfectam dispositionem perveniatur, obtineaturque ista proxima habilitas et promptitudo ad bene operandum, debet juxta legem ordinariam præcedere bonorum actuum frequentia; et ut conservetur, debet iterum similium actuum frequentia subsequi; atque ita potest dici vitæ perfectio antecedenter et consequenter in actuali, licet non continua, virtutis operatione consistere.

Dico 2 : Prædictæ vitæ perfectio non requirit aliquam certam charitatis habitualis intensionem, quia hæc perfectio in quadam convenienti dispositione et habilitate proxima ad perfecte operandum juxta Christi præcepta et consilia posita est. Hæc autem bona dispositio sive cum minori sive cum majori charitatis intensione potest obtineri et permanere. Hinc perfectus potest fieri imperfectus, etiamsi non peccet mortaliter, atque ita eamdem gratiæ seu charitatis intensionem retinere.

Dico 3 : Non tantum dilectio Dei, sed etiam proximi per se ad vitæ Christianæ perfectionem et perfectionis statum pertinet, quia utrumque præceptum amandi Deum et proximum essentialiter ac per se pertinet ad charitatem : principaliter quidem ac per se primo prout ad Deum terminatur, secundo vero prout ad proximum, una enim et eadem est charitas quæ ad Deum et ad proximum inclinat ut ad suum essentiale objectum, quamvis tendat ad Deum diligendum propter se tanquam objectum primarium; et ad proximum diligendum propter Deum tanquam objectum secundarium. Multo autem magis dilectio Dei, qua impletur ejus voluntas, per se primo pertinet ad charitatis perfectionem. Denique ut charitas in perfecto vitæ statu esse censeatur, sive ut homo in statu perfectorum esse absolute dicatur, requiritur cordis puritas et quædam in ipsamet charitate habilitas ad prompte operandum in tota sua materia sive eliciendo sive imperando actus bonos, et ad cavendum omnes defectus qui ejus fervorem impedire possent.

CAPUT V.

Quid sit status perfectionis, et quomodo a perfectione distinguatur.

Nota : Potest quis esse perfectus, v. gr. conjux in matrimonio, et non esse in statu perfectionis : et contra potest quis esse in statu perfectionis, v. gr. religiosus, et non esse perfectus, imo nec justus. Hinc

Dico : Status perfectionis est quædam vitæ professio, sive quidam vivendi modus firmus et stabilis ad propriam vitæ Christianæ perfectionem exercendam et assequendam institutus, ex qua descriptione quomodo distinguatur ab ipsa perfectione quam in capite præcedenti explicuimus satis patet; status enim perfectionis comparatur ad perfectionem tanquam actus primus ad secundum, aut tanquam medium ad finem. Quinque autem ad statum perfectionis requiruntur conditiones : 1° ut hic vivendi modus sit externus et visibilis, adeoque per externam actionem aut quasi professionem assumatur. 2° Ut hujusmodi vitæ professio aliquam habeat conjunctam obligationem permanendi in tali vivendi genere. 3° Ut talis obligatio cum aliqua solemnitate fiat. 4° Ut talis status sit ad exercenda perfectionis opera institutus. 5° Ut hæc opera seu actiones, ad quas dictus status ordinatur, sint externæ.

CAPP. VI, VII, VIII, IX.

An in lege gratiæ, consilia distinguantur a præceptis.

Dico 1 : Hæreticum est negare distinctionem inter consilia et præcepta : contra Calvinum, Lutherum, etc., qui eam negant. Probatur 1° ex Scriptura, Matth. XIX, 12, ubi Christus consulit cœlibatum et voluntariam paupertatem, et non præcipit; ergo consilium evangelicum distinguitur a præcepto : *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Item (*ibid.* 21) : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes.* Sic, I Cor. VII, 25-40 : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, etc., *beatior erit* (nempe vidua), *si sic permanserit.* Item, Act. V, 4-9, de Anania : *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum erat in tua potestate?* Non ergo erat opus præcepti res suas Deo vovere seu offerre; adeoque in lege evangelica non omnia bona opera sunt de præcepto. Idem sancti Patres sæpius ostendunt. 2° Ratione : Non omnia bona opera sunt nobis præcepta sive naturali sive positiva lege, v. gr. fundere istam orationem, dare istam eleemosynam, etc. : ergo dantur aliqua bona opera quæ non sunt præcepta; adeoque quæ possunt consuli, seu quæ cadere possunt sub consilio : nam de ratione consilii est ut sit de bono opere non præcepto, et per hoc maxime distinguitur consilium a præcepto, uti ait Hieronymus (Epist. 22, *ad Eustoch.*) :

« Ubi præceptum, ibi est necessitas servientis : ubi consilium, ibi offerentis arbitrium. » Deinde ad opus consilii requiritur, ut sit opus melius quam ejus oppositum, aut quam aliud sibi incompossibile; quinetiam aliqui requirunt ut sit opus melius quam opus præcepti in eadem materia; v. gr. melius est servare virginitatem quam non fornicari; sed hoc non est universaliter verum. Unde istud opus melius quam ejus oppositum, cum non sit præceptum, distinguetur ab opere præcepto; id est consilium a præcepto.

Dico 2 : Consilia ex parte materiæ, alia sunt generalia quæ multum conferunt ad alias omnes virtutes acquirendas, nempe hæc tria tantum : voluntaria paupertas, castitas et obedientia; alia particularia quæ circa cujusvis virtutis materiam non solum in operanda virtute, sed etiam in cavendis malis per certa media et circumstantias adhibitas versari possunt; et sic hæc possunt esse plurima et varia juxta cujusvis rei materiam. Quæ circa hoc ab hæreticis objiciuntur, sic solvuntur : 1° Paulus ad Philippenses (IV, 8) dicendo : *Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica*, etc., *quæcunque bonæ famæ*, etc., *hæc facite*, hortatur Christianos non tantum ad bona opera quæ sunt de præcepto, sed ad omnia bona opera generaliter, sive sint de præcepto sive de consilio. Idem dic de loco ad Ephes. VI, et Joan. XIII, etc. 2° Præceptum dilectionis Dei : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. (*Matth.* XXII, 37-39), non excludit multos bonos alios actus qui non sunt de præcepto, sed tantum de consilio, saltem pro eo tempore, quo alia præcepta non obligant. 3° Charitas non habet quidem mensuram quoad exercitium et fervorem, sed habere potest quoad obligationem et determinationem, sicque intelligenda sunt D. Augustini et D. Thomæ quædam loca difficiliora. 4° Negatur non posse dari respectu Dei opera supererogationis, id est opera quæ superent id quod Deus mandavit quando dicitur : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII, 10), id est, nihil adhuc sua sponte, sine præcepti obligatione fecerunt, sed tantum ea quæ ex præcepto tenebantur facere; imo hæc adimpleverunt non tam suis viribus quam Dei gratia. 5° Consilium purum et quatenus tale, nullam inducit obligationem, nequidem sub veniali; non enim est præceptum, quia consilium Dei externum seu nobis propositum immediate, solum indicat divini intellectus dictamen judicantis et approbantis id quod consulit, tanquam utilius et convenientius ad vitam beatam facilius et perfectius consequendam; et licet sit signum alicujus divinæ voluntatis, non tamen talis voluntatis quæ aliquam obligationem etiam levem indicet; sed est tantum signum simplicis affectus et complacentiæ in tali meliori bono, quæ de se non sufficit ad obligationem inducendam; non autem signum efficacis voluntatis.

CAPP. X, XI.

An Christiana perfectio includat consiliorum observationem; et an magis consistat in consiliorum quam in præceptorum observatione.

Dico 1 : Cum supra exposuerimus duplicem charitatis perfectionem, alteram essentialem, alteram accidentalem; hinc inferimus perfectionem vitæ Christianæ necessario includere non tantum essentialem, sed etiam accidentalem charitatis perfectionem; adeoque illam non posse acquiri sine consiliorum observatione, non omnium quidem, sed eorum quæ cujusque perfectionis statui, v. gr. pauperum, divitum, incipientium, proficientium, perfectorum, etc., in particulari proportionata sunt.

Dico 2 : Christianæ vitæ perfectio principalius præceptorum quam consiliorum observationem requirit; essentialis enim rei perfectio, principalior est quam accidentalis. Atqui observatio præceptorum est essentialis, consiliorum accidentalis; ergo, etc. Status autem perfectionis non tantum ad præceptorum aut consiliorum disjunctim, sed ad utriusque simul observationem ordinatur; attamen principalius præcepta, utpote majoris momenti, quam consilia respicit : qui enim in uno præcepto offendit, factus est omnium reus (*Jac.* II, 10); non sic de consiliis. Verum :

Dico 3 : Ipse perfectionis status in suo esse ac per se constituitur ordinarie per opera consiliorum; quia nullus ordinarie sub præcepto, sed ex consilio assumit statum perfectionis; imo potest aliquis vivere in statu perfectionis, et transgredi præcepta; v. gr. religiosus exsistens in peccato mortali. Nec præcepta habent pro suo fine perfectionem consiliorum.

CAPUT XII.

An status perfectionis necessario inducatur aut assumatur per aliquem actum qui obligationem pariat.

Dico 1 : Status perfectionis non potest ab extrinseco imponi, neque ejus obligatio sine propriæ voluntatis ejus qui eum assumit, consensu; v. gr., nemo potest constitui in statu religionis sine proprio consensu, etiamsi a superiore jussus.

Dico 2 : Actus, quo perfectionis status constituitur, fit ordinarie per votum Deo emissum, v. gr. status religiosus; sæpius tamen debet adjungi aliqua donatio, traditio aut contractus, et interdum potest constitui per alium contrahendæ obligationis modum sine proprio voto, v. gr. status episcopalis, qui non per votum, sed per talis muneris acceptationem constituitur. Actus autem exterioris promissionis aut voti, licet occultus, potest sufficere ex natura rei ad constituendum statum et ad obligationem inducendam. Denique ad proprium perfectionis statum requiritur ut fiat per actum qui et ad perpetuo permanendum in tali vivendi genere, et ad observandum seu exercendum in eo aliquod perfectionis opus obliget.

CAPP. XIII, XIV.

De divisione status perfectionis.

Nota : Status perfectionis sumitur, modo pro

gradu perfectionis seu termino ad quem res vel qualitas per suum augmentum tandem pervenit; modo pro stabili vivendi modo in ordine ad aliquem finem. Hinc :

Dico 1 : Status perfectionis dividitur in statum incipientium, proficientium et perfectorum; incipientium, id est, qui passionibus nondum domitis difficulter et periculose virtutis opera exercent; proficientium, id est, qui passionibus jam sedatis facilius virtutum studiis et charitatis augmento incumbunt; perfectorum, id est, qui per longam passionum suarum edomitarum victoriam sese prompte et delectabiliter in perfectissimo charitatis munere, sive in perfectissima Dei et proximi dilectione exercent : incipientes sunt in via purgativa, proficientes in illuminativa, perfecti in unitiva. Unde ista triplex divisio non est in tres species perfectionis status totaliter diversas, sed in tres totius status partes, seu divisio vel *accidentis in subjecta*, quia status perfectionis est quasi quoddam accidens hominibus illis inhærens, qui talem statum profitentur : alii enim sunt incipientes, alii proficientes, alii perfecti ; vel *subjecti in accidentia*, quia status perfectionis est quasi subjectum diversorum accidentalium vivendi modorum : alius enim inchoatus est, alius provectus, alius perfectus, primus consistens in charitate et quavis alia virtute incipiente, secundus in proficiente, tertius in perfecta.

Dico 2 : Status perfectionis convenienter dividitur in statum perfectionis acquirendæ, in quo tanquam in schola docentur homines modum acquirendæ et obtinendæ perfectionis, qualis est status religiosorum ; et in statum perfectionis exercendæ, in quo quis tenetur perfectionis opera exercere, sive perfectionem aliis indere ac communicare, etiamsi ex vi istius status non doceatur propriam perfectionem acquirere, qui ex vi dignitatis supponitur jam esse in statu perfectionis acquisitæ, qualis est status episcoporum. Non est tamen extra rationem hujus status episcoporum in eo simul perfectionem exercere, novam acquirere, acquisitam augere; non enim sunt in summo perfectionis apice, sed in statu quo debent aliorum perfectioni ac saluti prospicere.

CAPP. XV, XVI.

De statu perfectionis episcoporum.

Dico 1 : Episcopi ratione sui muneris episcopalis sunt in statu perfectionis non tanquam in via ad illum, sed tanquam in termino, qui proprie dicitur status perfectorum et perficientium alios. Episcopatus enim includit non tantum consecrationem cum potestate ordinis, sed etiam prælationem cum potestate jurisdictionis, quæ duo ad magnam personæ dignitatem et perfectionem pertinent; deinde habet absolutam immutabilitatem moralem, quia eo ipso quod semel acceptatur, perpetuam secum affert obligationem in tali munere permanendi, ita ut non possit pro suo libitu dimitti; non tamen ad hunc statum constituendum requiritur votum de aliquorum consiliorum observatione; episcopatus enim de se nullum necessario votum requirit.

Dico 2 : Vinculum episcopi cum sua ecclesia non est jure naturali aut divino indissolubile : ita communiter doctores contra Cajetanum et Vasquez; quia nec ex sola ratione naturali, nec ex traditione ecclesiastica ostendi potest dari jus naturale aut divinum, quo fiat indissolubile : papa enim, qui est proprius Romanæ Ecclesiæ episcopus, potest renuntiare licite omni suæ dignitati, nec episcoporum translatio est contra jus divinum. Jura autem prohibent ne episcopi suas ecclesias deserant, nempe sine sedis apostolicæ licentia, quia in assumptione muneris episcopalis quoddam pactum intervenit inter episcopum et ipsius ecclesiam, vi cujus tenetur episcopus non recedere a munere suscepto sine consensu suæ ecclesiæ seu eligentium, ideoque vocatur conjugium spirituale ; sed cum non sit ratum per solam electionem ab ipso electo acceptatam, sed requiratur papæ confirmatio, ut sit firmum vinculum, ita etiam per papæ auctoritatem potest hoc vinculum dissolvi. Licet enim Christus constituerit ut episcopi essent ordinarii suarum ecclesiarum pastores, determinatio tamen quoad modum regiminis ac jurisdictionis, et quoad prælationis perpetuitatem seu immobilitatem non est ex immediata Christi institutione, sed eam vicario suo commisit, ut ab illius prudenti ac rationabili arbitrio penderet; Christi autem vicarii seu papæ determinarunt ut episcopalis cura ita esset perpetua, ut sine papæ licentia dimitti non posset, atque ita ista perpetuitatis determinatio non est immediate sed tantum mediate ex divina Christi institutione. Unde ista vinculi episcopalis dissolutio in cap. *Inter corporalia* De translat. episc., dicitur esse soli Romano pontifici reservata, *non tam constitutione canonica, quam institutione divina*. Non ergo hæc episcopatus immobilitas cum obligatione non deserendi eum sua sponte oritur ex peculiari voto, quo episcopus se obligat ad perpetuam talis ecclesiæ pastoralem curam, ut videtur sensisse D. Thomas, sed juxta Cajetanum D. Thomas ibi locutus est de voto late sumpto, id est de pacto, quo ad tale munus se obligat episcopus.

CAPUT, XVII.

An prælati sæculares episcopis inferiores, aut etiam parochi sint in statu perfectionis exercendæ.

Dico 1 : Simplices sacerdotes ex vi sui ordinis et characteris sacerdotalis habent statum altiorem et sanctiorem; qui status ab eis nonnulla perfectionis opera requirit, v. gr. missæ sacrificium, etc., ob quorum obligationem merito dici possunt exsistere aliquo modo, saltem inchoative, in statu perfectionis exercendæ.

Dico 2 : Probabile est prælatos episcopo inferiores, v. gr. abbates perpetuos religiosorum ordinum superiores, et alios similes, etiam sæculares, et vi sui muneris perpetui et obligationis esse in statu non tantum acquirendæ perfectionis, sed etiam

exercendæ, seu in statu alios perficiendi. Parochi autem spectato communi usu recepto, non tam statum seu stabilem vivendi modum, quam ministerium mutabile seu officium pro aliquo tempore assumunt. Attamen hi, sicuti alii inferiores pastores, sive partialem sive totalem episcopi jurisdictionem habentes, ex parte objecti seu operum exercendorum, censentur esse in statu perfectionis exercendæ seu habere proprium munus ac statum et obligationem exercendi vitæ perfectæ actiones, v. gr. juxta concilium Tridentinum : *Pascendi gregem verbo et exemplo in omni bonorum genere, sacrificium et sacramenta digne offerendi ac ministrandi, et corporalibus ac spiritualibus operibus misericordiæ incumbendi.* Nec obstat quod episcopi sint in altiori perfectionis exercendæ gradu, quia sicut in statibus acquirendæ perfectionis, unus potest esse alio perfectior, ut postea ostendemus : ita etiam sub communi perfectionis exercendæ statu, potest esse varietas et inæqualitas in perfectionis gradu.

CAPUT XVIII.

An status episcoporum sit perfectior quam religiosorum.

Dico : Episcoporum status est perfectior quocunque statu religioso ; ac proinde status perfectionis exercendæ ex suo genere perfectior est quam acquirendæ. Probatur ex conciliis, Patribus, et operum ab episcopis exercendorum excellentia, qualia sunt universaliori modo alios docere, et illuminare verbo ac exemplo, prædicare verbum Dei, etc. Attamen status episcopalis propter adjuncta præsumptionis, ambitionis, avaritiæ in eo appetendo pericula, non est ordinarie materia voti, qualis est status religiosus, licet minus perfectus, ubi non sunt ista pericula, adeoque utilitate, non nobilitate, episcopalem superat : quamvis interdum, sublatis istis periculis aut in necessitate possit etiam fieri votum acceptandi statum episcopalem tanquam melius seu majus bonum. Hinc licet votum non acceptandi statum episcopalem, si fiat debito modo, sit validum, et votum non ingrediendi religionem, per se loquendo sit invalidum ; non tamen sequitur episcopalem statum esse minus perfectum quam religiosum, sed esse minus securum et pluribus periculis expositum. Deinde religiosus quidem status interdum exercet actiones spectantes ad statum perfectionis exercendæ circa alios, seu eis communicandæ, sed illas exercet tantum ministerialiter, et per quamdam delegationem a supremis prælatis acceptam ; ideoque talis status non attingit excellentiam status episcopalis, ad quem principaliter et quasi proprio jure spectant istæ actiones. Prælatura religiosa si sit perpetua, meretur nomen status, inferioris tamen episcopalis ; si non sit perpetua, meretur solum nomen officii.

CAPP. XIX, XX.

An status episcopalis ita sit perfectus, ut per ejus assumptionem votum ingrediendi religionem impleatur.

Nota : Quæritur an is qui vovit ingredi religionem, et ante expletum votum vocatur ad episcopatum, possit licite et sine voti transgressione episcopatum accipere, quasi votum in melius commutando, aut per fortius vinculum illud exstinguendo, ita ut non amplius teneatur votum implere. Hinc :

Dico 1 : Votum ingrediendi religionem, per episcopatus acceptationem nec exstinguitur nec impletur : adeoque peccat is, qui habens votum religionis, ante illud impletum, assumit sua voluntate et sine speciali dispensatione statum episcopatus ; et qui sic eum assumpsit, tenetur episcopatui renuntiare, ut votum religionis impleat, quamvis illo impleto possit iterum episcopatum acceptare, si ad illum eligatur. Cajetanus, Richardus, Azorius, Sanchez, etc., contra Abbatem, Antoninum, Henriquez, etc., dicentes non frangi istud votum, acceptando episcopatum, sed exstingui; ac proinde nihil in eo peccari, nec relinqui obligationem renuntiandi episcopatui, et implendi votum. Probatur autem assertio, præcipue ex cap. *Per tuas* De voto, cujus genuinum sensum variis modis frustra volunt eludere auctores contrarii. Ratio est, quia licet status episcopalis sit perfectior religioso, tamen nec virtualiter nec eminenter per assumptionem episcopatus impletur votum religionis ; nam hoc religionis votum complectitur multa consiliorum evangelicorum et perfectionis opera, quæ in statu episcopali non inveniuntur; ergo nullo modo impletur per episcopatus assumptionem. Potest quidem per assumptionem perfectioris status impleri votum assumendi minus perfectum, quando uterque est ejusdem generis, v. gr. duæ religiones, ita ut minus perfecta includatur in magis perfecta ; sed non quando uterque status est diversi generis ; v. gr. episcopalis et religiosus status, ubi episcopalis non includit religiosum ; imo non potest quis amplecti statum religiosum retinendo episcopalem ; secus contra.

Dico 2 : Episcopus confirmatus, qui ante assumptum episcopatum habebat votum ingrediendæ religionis, non potest sine licentia papæ renuntiare suo episcopatui, ut votum impleat (Azorius et Sanchez, contra Cajetanum et Tabiensem), quia non obstante voto valida fuit episcopatus collatio, vinculumque inter episcopum et ecclesiam contractum est, quod non potest solvi sine papæ licentia juxta cap. *Inter corporalia*, etc. Deinde ejusmodi episcopus non tantum debet licentiam petere, sed etiam suam voti obligationem papæ proponere, qui probabilius non potest sine speciali causa spectante ad Ecclesiæ utilitatem, vel sufficiente ad voti dispensationem, dare licentiam renuntiandi episcopatui : alioqui si sine voti narratione negetur licentia dimittendi episcopatum, remanebit adhuc suo voto obstrictus ; secus si data licentia dimittendi episcopatum ex justa causa, impleat votum, quia sic potest suæ famæ consulere sine sui peccati seu transgressionis sui voti manifestatione. Episcopi autem votum de ingredienda religione emissum post susceptum episcopatum, non est necessario explicandum cum petitur licentia il-

lum dimittendi, quia tunc istud votum includit hanc conditionem : *Si licentia episcopatum dimittendi fuerit concessa ;* nec videtur semel negata licentia teneri illam rursus petere, nisi augeatur causa eam concedendi.

CAPUT XXI.

An status inferiorum prælatorum vel parochorum sit perfectior statu religioso.

Dico : Videntur hi status se mutuo habere, sicut excedens et excessum ; absolute tamen loquendo videtur status religiosus esse perfectior : nam si isti status considerentur in ordine ad nos, non est dubium quin status religiosus sit præferendus tanquam aptior et longe utilior ad morum innocentiam, virtutum augmentum, divini obsequii fervorem, æternæ beatitudinis adoptionem ; et in hoc sensu status religiosus est melior, perfectior et utilior statu prælationis infra episcopalem aut illi æquivalentem posito, et id liquet ex sensu Patrum. Si autem spectentur secundum se et in ordine ad propria munia, potest dici status istorum prælatorum aut parochorum esse perfectior ; cum ipsi ex vi sui status teneantur verbo, exemplo, missæ sacrificio, sacramentorum administratione alios purgare, illuminare, perficere, et sic conciliantur oppositæ hac in re sententiæ.

—

LIBER II.

De religiosi status essentia, origine, votis quibus constituitur, et aliis ad hæc spectantibus.

—

CAPP. I, II.

Quid sit status religiosus, et an ad illius essentiam necessario requirantur tria et sola paupertatis, castitatis et obedientiæ vota.

Dico 1 : Religiosus status late sumptus comprehendit omnes qui per aliquod votum, v. gr. castitatis aut aliud, ac per specialem vivendi modum se Dei obsequio mancipant ; stricte autem sumptus significat tantum eos qui tria substantialia paupertatis, castitatis et obedientiæ vota in religione approbata emittunt. Statum igitur religiosum sumendo late, status perfectionis acquirendæ et status religionis erit idem ; quia hic et ille habent eumdem finem, nempe perfectionem charitatis in via et patria, Deique peculiarem cultum ac gloriam ; atque ad hunc finem utuntur consimilibus mediis, id est non sola præceptorum, sed etiam consiliorum vel saltem alicujus consilii observatione : non est enim opus ut unaquæque religio omnia consilia amplectatur ; sine tamen aliquibus aut aliquo, non potest dici nec esse religiosus status. Hinc patet statum religionis et statum perfectionis acquirendæ solis nominibus differre, si cum proportione ad finem et media comparentur.

Dico 2 : Ad statum religiosum stricte ac proprie dictum ac perfectum requiruntur necessario tria illa essentialia paupertatis, castitatis et obedientiæ consilia seu vota. (D. Thomas et omnes theologi.) Probatur : Quia cum status religiosus sit schola perfectionis acquirendæ, ad hanc acquirendam absolute requiritur : 1° Abdicatio bonorum temporalium seu paupertas : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes* (*Matth.* XIX, 21) ; cura enim opum impedit studium perfectionis, spinæ suffocant sementem. 2° Cœlibatus, quia *qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo ; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi*, etc. (*I Cor.* VII, 32, 33). Status enim conjugalis dividit cor. 3° Obedientia erga prælatum ad secure ineundam perfectionis viam.

Dico 3 : Hæc tria consilia per se sufficiunt ad substantiam religiosi status constituendam ; quia juxta D. Thomam, sufficiunt : 1° ad omnia removenda quæ charitatis fervorem impediunt ; 2° ad excludendum omnem animi inquietudinem et nimiam sollicitudinem sæcularem quæ perfectionis progressum maxime solent retardare ; 3° ad se et omnia sua totaliter Deo offerendum. Omnia alia consilia ad religiosi status perfectionem conducentia sub his tribus virtualiter continentur.

Dico 4 : Qui tantum unum alterumve ex his principalibus consiliis profitetur, vel omnia imperfecte, quamvis non possit dici tenere simpliciter religionis statum, tamen aliquo modo religiosum statum participat ; et status ille lato modo dicitur religiosus, quia si habeat sufficientem firmitatem, est modus vivendi ad charitatis perfectionem acquirendam spiritualiter ordinatus per consiliorum semitam supra communis vitæ genus, v. gr. status eremitarum.

CAPP. III, IV

An ad statum religiosum requiratur obligatio voti perpetua, et præter tria vota essentialia, sui ipsius traditio seu promissio humana.

Dico 1 : Ad statum religiosum non sufficit propositum observandi tria principalia consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ, sed requiritur obligatio permanendi toto vitæ tempore in tali vivendi genere quantum est de se, et firmata quidem per tria essentialia vota Deo voluntarie facta : nec sufficit sola promissio homini facta, sed Deo facienda est, seu debet esse votum, quia per statum religiosum homo se Deo consecrat ac devovet ; et ad hunc requiruntur tria prædicta vota. Dum in aliquibus religionibus fit professio per solum obedientiæ votum juxta regulam, sub illo duo alia castitatis et paupertatis vota implicite comprehenduntur.

Dico 2 : Supposito duplici statu religioso, uno qui in communitate religiosa reperitur, quique nunc solus in usu est : altero qui in vita privata aut solitaria haberi potest, qualis fortasse fuit in apostolis,

in primis anachoretis, in virginibus sacrum virginitatis velum olim accipientibus ac privatam vitam religiose agentibus; hoc, inquam, supposito, homo per vota religiosa ita se totum tradit Deo quasi in holocaustum, ut dominium sui in eum speciali modo transferat, illius servituti singulariter addictus; hoc tamen non fit, sive hæc traditio non valet, nisi talia vota Dei nomine acceptentur per Ecclesiam, quia cum status religiosus sit status ecclesiasticus, debet fieri per traditionem validam in foro Ecclesiæ, non potest autem esse valida in foro Ecclesiæ nisi per eam acceptetur. Deinde traditio non habet valorem ad transferendum dominium in alterum, nisi ab eo acceptetur; sed Deus immediate per se ipsum non acceptat donationem sibi factam; ergo debet per Ecclesiam vel per ministrum ab ea deputatum acceptari, adeoque hæc traditio in manibus alicujus hominis debet fieri, quia Deus non suscipit curam immediate gubernandi per se ipsum privatam personam. Hinc

Dico 3 : Ad proprium religiosi status vinculum, quando ille in communitate religiosa assumitur, præter tria vota essentialia immediate Deo facta, quibus religiosus Deo obligatur, requiritur peculiaris obligatio humana per modum pacti reciproci, quo religiosus se religioni tradit ac obligat, et religio acceptando religiosi traditionem, se vicissim ei obligat ad eum alendum, conservandum, regendum tanquam suum membrum. Cum enim religiosus fiat membrum unius corporis mystici, id est religionis, id debet per mutuam inter partem et totum unionem moralem fieri, sive per mutuam obligationem traditionis et acceptationis.

Dico 4 : Status religiosus privatim et sine unione cum aliqua communitate religiosa assumptus, licet non possit fieri sine habitudine ad aliquem hominem cui vovens se obligat, eique tribuat in se potestatem; interdum tamen potest fieri vel per pactum speciale cum tali persona acceptante illud Dei nomine, ex quo reciproca oriatur obligatio; vel sine pacto, sive sine speciali promissione directe ac proxime homini facta, per sola vota Deo emissa, et peculiari modo ab homine acceptata, loquendo nempe ex sola rei natura, et secluso omni jure ecclesiastico : v. gr. posset quis tria vota essentialia Deo emittere coram suo confessario illa acceptante, nullam ei promissionem faciendo, sed retinendo libertatem eligendi modo istum, modo alium cui obedientiam præstaret.

CAPUT V.

An ad statum religiosum constituendum vota debeant esse solemnia.

Nota 1 : Votum solemne et simplex, licet inter se distinguantur, tamen in essentiali voti ratione conveniunt, suntque univoce votum. Unde solemne differt a simplici tanquam includens et addens aliquid quod simplex non includit; id autem quod addit, non est essentiale voto quatenus votum est talis materiæ, sed est essentiale voto quatenus solemne.

Nota 2 : Duplex est voti solemnitas : alia accidentalis et quasi extrinseca, quæ in certo ritu et cæremoniis externis consistit, sed sine eo quod requiritur ad substantialem; alia substantialis, quæ præter alia, specialiter duo requirit, nimirum unum qui promittit ac se offert, et alium qui eum acceptat nomine Ecclesiæ seu Dei, habendo legitimam ad hoc potestatem. Istæ duæ solemnitates sunt inter se separabiles, et simul possunt etiam inter se conjungi. Votum accidentaliter solemne, dicitur solemne secundum quid, substantialiter solemne, dicitur simpliciter solemne.

Dico 1 : Ad statum religionis constituendum, moraliter necessarium est ut vota sint solemnia saltem accidentaliter et secundum quid, sive ut fiant cum aliqua saltem solemnitate extrinseca; quamvis in rigore non sit id necessarium ad actus valorem, nisi aliud vel communi vel privato religionis jure statutum sit. Expedit enim ut tam perfecti status assumptio fiat cum certa decenti forma, et sacro ritu palam in aliorum præsentia. Sed

Dico 2 : Quamvis vota substantialiter solemnia ad statum religiosum assumendum sint convenientissima, non tamen absolute et simpliciter sunt necessaria, quia talis necessitas nec jure divino positivo, nec humano, nec ratione efficaci aut satis probabili ostendi potest, ut postea videbitur.

CAPP. VI, VII, VIII, IX.

In quo solemnitas voti castitatis consistat. Referuntur, et refutantur quorumdam sententiæ.

Nota : Votum castitatis solemne duplex est, aliud sacro ordini, aliud religiosæ professioni annexum; et utrumque dirimit matrimonium, et contractum annullat.

Dico 1 : Votum castitatis non fit substantialiter solemne ob quamdam sacram benedictionem, vel spiritualem consecrationem; potest enim votum castitatis esse substantialiter solemne absque ulla consecratione aut benedictione, ut patet in professione religiosa multorum ordinum religiosorum; et contra potest esse cum consecratione ac benedictione, et non esse solemne, seu non reddens personam inhabilem ad matrimonium, cum nulla consecratio aut benedictio humana possit per se reddere personam ad matrimonium inhabilem. Vasquez autem ponit istius voti solemnitatem in quadam præscripta religiosæ regulæ forma, non in vi inhabilitandi ad matrimonium : ast omnes doctores pro certo supponunt omne votum castitatis, quod non irritat matrimonium contractum vel contrahendum, esse simplex, non solemne, etiamsi externam et accidentalem solemnitatem habeat; et omne vere solemne irritare. Quod attinet ad D. Thomam, qui videtur constituisse prædictam solemnitatem in consecratione aut benedictione, potest dici intellexisse solemnem istam benedictionem esse quoddam signum solemnitatis voti; aut per voti so-

lemnitatem seu consecrationem intellexisse ipsam traditionem, qua religiosus seipsum donat religioni.

Dico 2 : Solemnitas voti castitatis non etiam consistit formaliter in traditione seu donatione sui ipsius quam religiosus Deo et religioni facit : contra multos theologos, qui in hac traditione ponunt voti istius solemnitatem seu inhabilitatem ad matrimonium, quia votum et traditio sunt diversa, et potest esse votum sine traditione, ac traditio sine voto. Simplex enim votum castitatis est pura promissio, nullam habens traditionem; nec traditio etiam prout habet sibi adjunctum castitatis votum, ex natura rei seu ex jure naturali divino reddit illud solemne, inducendo inhabilitatem ad matrimonium; potest enim esse traditio nomine Dei ab homine acceptata ac conjuncta cum voto castitatis, et votum non esse solemne, sed esse simplex, ut patet in iis qui in societate Jesu post noviciatus biennium emittunt votum castitatis cum reliquis. Et licet hoc votum, ex novo jure bullæ Gregorii XIII, reddat voventem ad matrimonium inhabilem dum durat, non hoc tamen habet ex jure naturali, imo vel sic remanet adhuc simplex post dictam bullam. Ergo votum castitatis non solemnizatur, seu non fit solemne ex natura rei, et ex jure naturali divino per traditionem religiosam, sed solum ex jure positivo humano, atque ex constitutione ecclesiastica. Si enim ista sui traditio spiritualis ex natura rei et jure naturali irritaret matrimonium subsequens, etiam sine speciali castitatis voto illud irritaret seu redderet personam ad matrimonium inhabilem; atqui hoc falsum est, ut patet in iis qui se vel xenodochio vel religioni tradunt in perpetuam quasi servitutem spiritualem. Ergo, etc.

CAPP. X, XI.

Declaratur in quo voti castitatis solemnitas consistat.

Dico 1 : Substantialis solemnitas voti castitatis consistit in morali efficacia, qua persona vovens redditur perpetuo inhabilis ad matrimonium valide contrahendum : ita communius doctores. Hæc moralis efficacia tribuitur potius voto, quam traditioni religiosæ, quia jura et doctores communiter loquuntur de voto, et prima prohibitio matrimonium contrahendi, non a traditione, sed a voto castitatis manat. Atque ita ista substantialis solemnitas voti castitatis solo jure ecclesiastico est instituta. Unde votum solemne et simplex castitatis in hoc tantum modo differunt, quod solemne contineat dictam efficaciam ab Ecclesia constitutam; simplex vero eam non contineat, etiamsi fiat cum omnibus aliis circumstantiis, quibuscum fit solemne, v. gr. cum obligatione erga Deum, cum adjuncta sui ipsius traditione, cum simili ritu et forma exterius vovendi, etc. Hæc enim omnia, traditio, ritus et forma externa, benedictio, promissio Deo facta servandi perpetuo castitatem, non reddunt per se et ex natura sua personam ad valide contrahendum matrimonium inhabilem; ergo ista inhabilitas ad matrimonium validum ac vis illud irritandi habetur ex lege positiva ecclesiastica, quæ illam attexuit voto castitatis emisso in sola religionis professione valida; adeoque si professio non fuit valida, votum non erit solemne, sed simplex. Hinc fit ut papa in solemni voto castitatis (cum ista solemnitas sit tantum ex jure ecclesiastico) possit dispensare ex gravi causa ad valide et licite contrahendum matrimonium; imo Ecclesia posset instituere ut vovens professionem religiosam fieret vere religiosus sine inhabilitate ad matrimonium. Hinc :

Dico 2 : Idem votum manens in se immutatum independenter a voventis voluntate, potest fieri ex solemni simplex, si v. gr. papa legem ferret statuens, ut in tali religione vota jam emissa, vel deinceps emittenda, non irritent matrimonium subsequens; et contra ex simplici solemne, si v. gr. papa voto simplici quod religiosi societatis Jesu emittunt post biennii probationem, sicut jam annexuit inhabilitatem valide contrahendi matrimonii, ita etiam annecteret legem qua auferret dictæ societati potestatem dimittendi eos qui post biennii probationem vota emiserunt, istud votum ex simplici fieret solemne independenter a voventium voluntate : quia posito voto, major aut minor illius obligatio non pendet ex novo voventis consensu, sed oriri potest ex aliis circumstantiis vel ex præceptis extrinsecis.

Dico 3 : Votum simplex et solemne non differunt specie, sed morali tantum proprietate, quæ est accidentalis et extrinseca respectu substantiæ voti; utrumque enim intrinsece est tantum promissio Deo facta, cujus essentiam ac naturam non immutat ecclesiastica constitutio, inducens vim irritandi matrimonii subsequentis. Quod autem votum castitatis habeat vel non habeat adjunctam traditionem, id non facit specificam distinctionem, cum traditio extrinsece ei adjungatur, et ad summum possit esse tantum vel ejus materia, vel effectus; quia votum quatenus votum, non est intrinsece et essentialiter traditio. Denique solemne castitatis votum adæquatè dividitur in votum sacri ordinis et religionis, utrumque absolutum et annexum statui et traditioni ab intrinseco immutabili, nempe statui clericali ex vi indelebilis characteris, et religioso statui ex vi propriæ professionis, immutabili ac perpetuo; differunt tamen in hoc, præter alias varias differentias, quod clerici votum irritet quidem matrimonium subsequens, sed non antea contractum; solemne autem religiosi votum, utrumque irritet.

CAPUT XII.

De solemnitate voti paupertatis.

Dico 1 : Duplex potest esse votum paupertatis : aliud *simplex*, quando Deo fit pura promissio abdicandi a se omnium bonorum temporalium dominium, et nunquam illis, ut propriis, utendi, nihil addendo quod specialem aliam obligationem inducat, vel peculiarem moralem effectum adjungat. Aliud *solemne*, quando fit in statu religioso ab Ecclesia approbato, in quo rigorosa professio emit-

titur : id est, cum vinculo ex utraque parte, nempe religiosi et religionis, indissolubili per traditionem unius et acceptionem alterius irrevocabilem, ut excludam alium professionis modum quæ olim fiebat, et nunc fit in societate Jesu ab aliquibus ejus membris cum perfecta traditione irrevocabili ex parte religiosi, et non ex parte religionis. Hoc simplex et solemne votum conveniunt quidem in univoca et essentiali ratione voti, sed differunt in hoc quod solemne requirat necessario omnium omnino bonorum abdicationem, non vero simplex; quamvis etiam possit fieri, abdicando omnia omnino bona, et quidem cum religiosa traditione. Quare pro vera illorum differentia

Dico 2 : Solemne paupertatis votum non solum obligat ad non habenda bona temporalia ut propria, sed etiam reddit personam perpetuo incapacem proprietatis et dominii, adeoque inhabilem ad quamlibet hæreditatem adeundam; ac proinde sua vi et ipso facto omnium bonorum, quæ prius possidebantur, dominium simul exstinguit; quos effectus non habet votum simplex ejusdem materiæ, etiamsi ex parte voventis sit æquale. Hinc :

Dico 3 : Substantialis solemnitas hujus voti consistit in hoc, quod habeat vim et efficaciam ad inducendos hujusmodi effectus in personam voventis, non ex jure naturali aut divino, nec quatenus votum est, nec ex religiosa traditione quæ illi conjungitur, sed ex sola Ecclesiæ institutione. Quæ prius dicta et probata sunt pro solemni castitatis voto, huic possunt applicari. Si quis enim sine voto traderet omnia sua bona religioni, non fieret incapax dominii. Ergo dominii et proprietatis incapacitas non oritur ex traditione. Imo in societate Jesu post biennii probationem fit votum paupertatis cum vera et perfecta sui traditione, et tamen persona non fit incapax acquirendi et retinendi bonorum dominium; ideoque istud votum paupertatis est tantum simplex. Ergo traditio religiosa non sufficit ad reddendum solemne hoc votum, nec ad reddendam personam dominii incapacem; ac proinde id pendet ex speciali humana institutione cum Ecclesiæ approbatione ac determinatione. Deinde traditio religiosa per se fit solum ad Dei famulatum et religionis obsequium; ergo ad eum non pertinet renuntiatio omnium bonorum ac paupertas.

CAPUT XIII.

De solemnitate voti obedientiæ.

Nota : Duplex datur votum obedientiæ : aliud *simplex* quod fit extra religiosam professionem, aliud *solemne* quod fit in religiosa professione. Clericus in sua ordinatione non facit votum obedientiæ, sed solum promittit obedientiam prælati in rebus necessariis.

Dico 1 : Votum solemne obedientiæ in hoc consistit, quod vovens ita subjiciat suam voluntatem prælato, ut sine illius consensu inefficax sit ad quamvis civilem obligationem contrahendam; imo et ad naturalem, firmam et irrevocabilem. Quia religiosus sine prælati consensu per contractum, vel per quemcunque alium obligationis modum, juxta omnes non potest civiliter obligari; et licet possit naturaliter obligari valide, non tamen firmiter et irrevocabiliter : potest enim ejus obligatio a prælato irritari. Hæc impotentia religiosi ad se obligandum independenter a prælati voluntate, oritur ex voto religiosæ obedientiæ, quod ideo dicitur solemne, et per hoc distinguitur a simplici obedientiæ voto, non inducente ejusmodi impotentiam. Quæritur autem utrum ista religiosi impotentia ad se firmiter seu independenter a voluntate superiorum obligandum, oriatur naturaliter ex religiosa sui traditione, an vero ex voto obedientiæ illi adjuncto? Quare

Dico 2 : Traditio religiosa etiam obedientiæ voto firmata, non habet ex solo naturæ jure absque juris canonici adminiculo, vim ita subjiciendi prælati voluntati voluntatem religiosi ut reddatur impotens ad valide et firmiter se obligandum sine prælati consensu. Civilis enim obligatio quoad suam institutionem et substantiam est de jure humano, et naturalis obligatio, non obstante prædicta traditione, est valida, estque tantum irritabilis per prælatum, non vero ipso jure naturæ, et ipso facto irrita, adeoque ista impotentia non ex jure naturæ, sed ex institutione ecclesiastica immediate provenit. Ecclesia autem hanc vim inducendi impotentiam ad se obligandum nec soli obedientiæ voto separatim a traditione facto, nec soli traditioni per se sumptæ tribuit, sed traditioni quatenus per obedientiæ votum confirmatæ et principaliter propter id votum; adeoque ista vis et efficacia, seu ipsius voti solemnitas per Ecclesiam introducta, principaliter attribuitur ipsi obedientiæ voto religiosam traditionem supponenti et super illam cadenti, tanquam formali super materiale. Unde hujus voti solemnitas includit vel supponit religiosam traditionem, sed traditionem absolute perpetuam cum vinculo et obligatione irrevocabili ex utraque parte, nempe religiosi et religionis; idcirco votum obedientiæ scholarium in societate Jesu non est solemne, sed simplex, quia caret illa obligatione irrevocabili ex utraque parte.

Nota : Præter tria substantialia religionis vota solemnia, non repugnat dari alia solemnia, affixa alicui status perpetuitati, cum id ab Ecclesiæ institutione dependeat; qualia vocantur quartum votum perpetuæ abstinentiæ quadragesimalis in ordine Minimorum, et quartum votum obedientiæ erga summum pontificem pro missionibus obeundis in societate Jesu.

CAPUT XIV.

An solemnitas trium votorum essentialium sit de essentia status religiosi.

Dico : Verus status religiosus potest cum tribus votis simplicibus solis, sine eorum solemnitate constitui, adeoque votorum solemnitas non est de essentia status religiosi.

Probatur 1 : Quia hæc solemnitas est ex institutione Ecclesiæ, essentia autem status religiosi est

ex institutione Christi; ergo est accidentalis statui religioso substantialiter a Christo instituto, potestque essentialiter sine illa subsistere.

2. Voti religiosi solemnitas consistit in absoluta traditione ex utraque parte, nempe religiosi et religionis irrevocabili, ac in habilitate personæ ad effectus morales supra explicatos; atqui sine istis duabus rebus potest substantialiter et essentialiter subsistere status religiosus; ergo, etc.

Quoad primum sic ostenditur : Licet obligatio irrevocabilis ex parte religiosi se religioni tradentis sit necessaria ad statum religiosum, non tamen ex parte religionis acceptantis; quia sicut in servitute civili vera servitus est ex parte servi, licet dominus possit eum dimittere liberum, ita et in servitute religiosa poterit esse; cum contractus ex utraque parte sit voluntarius, et utraque pars possit apponere conditiones sibi convenientes vel necessarias: atque ita ibi nihil est contra naturam contractus, nec contra naturam status religiosi, cum adsit sufficiens illius perpetuitas absoluta ex parte religiosi, moralis ex parte religionis; nec sit contra jus divinum positivum a Christo stabilitum, quia nullibi invenitur Christum statuisse prædictam ex utraque parte irrevocabilem religiosam traditionem : tempore enim apostolorum jam erat in usu, ut ostendetur postea, verus status religiosus, et tamen sub illa tempora in primis Ecclesiæ sæculis religiosi professi ita recipiebantur a religione, ut ob justam causam posset illos dimittere, non solum separando eos quoad communem habitationem, sed etiam quoad omnem votorum et traditionis obligationem relinquendo liberos, ut colligitur ex antiqua ordinum sancti Basilii, sancti Augustini, sancti Benedicti consuetudine olim exsistente.

Quoad secundum, sic probatur percurrendo singula vota : Nam pro voto castitatis non requiritur necessario tanquam aliquid essentiale ut irritet matrimonium, sive ut inhabilitet voventem ad illud valide contrahendum, cum id non sit de essentia status religiosi a Christo instituti, sed ei ex ecclesiastica constitutione additum; ideoque multi theologi contendunt olim exstitisse verum religionis statum cum voto castitatis non dirimente matrimonium subsequens. (Medina, Azorius, Vasquez, Basilius, etc.) Unde ista inhabilitas ad contrahendum matrimonium est accidentalis voto castitatis, nec naturali nec divino positivo jure constituta. Similiter incapacitas proprietatis et dominii bonorum temporalium in voto paupertatis, non est illi essentialis : nam scholares in societate Jesu, qui sunt vere religiosi, voto paupertatis adstricti tale dominium retinent. Cum proportione idem dic de impotentia ad firmum ineundum contractum in voto obedientiæ.

3. Ad statum religiosum essentialiter constituendum, duo sufficiunt et necessario requiruntur : primum, sufficiens stabilitas, secundum, ablatio impedimentorum perfectionis cum mediis sufficientibus ad illam acquirendam; atqui istud utrumque possunt præstare vota simplicia ab Ecclesia rite approbata et admissa; ergo votorum solemnitas ad statum religiosum constituendum nec essentialis nec necessaria est.

CAPP. XV, XVI.

An Ecclesiæ approbatio ad verum religionis statum constituendum sit absolute necessaria.

Dico 1 : Ad instituendam religionem quæ et certum vivendi modum in humana ac religiosa congregatione profitetur, et toti Ecclesiæ se sequendam proponit, necessario requiritur judiciaria Ecclesiæ approbatio, seu judicium, quo Ecclesia publice et notorie declarat istam religionem esse verum acquirendæ perfectionis statum. Et de hac approbatione doctores maxime loquuntur, dum dicunt non posse errare summum pontificem in approbanda religione, declarando authentice illam esse honestum vivendi modum, et aptam viam ad acquirendam perfectionem; cum enim ejusmodi religio universæ Ecclesiæ amplectenda proponatur, si non esset talis qualis declaratur, contingeret perniciosus Ecclesiæ error in materia morum. Hinc Innocentius III, sua constitutione, prohibuit ne aliquis deinceps religiosus ordo sine summi pontificis approbatione erigeretur. Quare ante hanc prohibitionem, quamvis aliquis erigendo mysticum novæ religionis corpus non peccabat, si tamen illud erigebat ad diffundendum per universalem Ecclesiam (quod olim vix factum fuit), eguit certe Ecclesiæ, seu pastoris universalis Ecclesiæ consensu et approbatione; si autem erigebat tantum pro uno loco, v. gr. unum monasterium in tali loco, uti antiquæ religiones inceperunt, tunc indigebat approbatione episcopi loci; si postea in alio loco novum ejusdem religionis monasterium fiebat, egebat adhuc alterius loci episcopi approbatione; et si ista religio sensim diffundebatur per totam Ecclesiam, tunc tacito vel expresso totius Ecclesiæ seu summi pontificis consensu approbabatur.

Dico 2 : Ad erigendum ejusmodi religionis communem statum non tantum est necessaria prædicta Ecclesiæ approbatio judiciaria et speculativa, sed etiam requiritur practica per quam detur ejusmodi religiosæ communitati aut ejus prælatis potestas recipiendi Christi nomine, et in vero religioso statu constituendi eos qui istum vivendi modum profiteri voluerint. Hinc vides hic agi non de privato religioso statu, de quo supra diximus, sed de communi et in religiosa communitate constituto.

Dico 3 : Materia legis prohibentis novas sine sedis apostolicæ approbatione religiones erigendas, prout lata est ab Innocentio III, his verbis : *Prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat*, est cujuscunque congregationis vere religiosæ institutio sine pontificis seu Ecclesiæ approbatione. Deinde illa lex non solum prohibet sine pontificis facultate erigere novam religionem, sed etiam erectam seu potius attentatam irritat, facitque ut non sit vera religio, quia ad veram religionem constituendam

non sufficit tria paupertatis, castitatis et obedientiæ vota immediate Deo emittere, sed vice Dei debent illa ab aliquo habente potestatem acceptari; post illam autem prohibitionem, nemo eam potestatem habet, nisi a papa illi communicetur, adeoque in ejusmodi communitate non approbata vota emissa non tantum substantialiter solemnia, sed etiam simplicia cum aliqua accidentalis solemnitatis externa forma facta per prædictam prohibitionem sunt nulla et prorsus irrita, etiam votum ipsum castitatis, si vovens habuerit solummodo intentionem vovendi eam in tali statu; secus, si absolute pro quovis statu, voluerit illam vovere. Hinc colligitur ante dictam prohibitionem semper etiam fuisse necessariam Ecclesiæ facultatem ad acceptanda Dei nomine vota verum statum religiosum constituentia, non tamen semper eodem modo.

Dico 4 : Quando papa certum vivendi in communitate modum per tria simplicia paupertatis, castitatis et obedientiæ vota de se perpetua et in suo ordine perfecta constitutum approbat ut honestum et sanctum, datque facultatem emittendi et acceptandi in illo prædicta tria vota, eo ipso dat approbationem ut sit verus status religiosus, possitque introduci et esse; nec alia formalior approbatio necessaria est. Quando autem institutum et modus vivendi alicujus congregationis non includit tria vota integra et de se perpetua, prout de veri status religiosi essentia sunt, quamvis papa illud approbet in ratione modi vivendi honesti aut quasi religiosi, multaque illi privilegia concedat, imo et communicationem indulgentiarum et privilegiorum cum omnibus religionibus ei tribuat; non sufficit tamen talis approbatio ut sit verus status religiosus. Præterea requiritur etiam papæ approbatio, ut honestus vivendi modus qui aliquos ritus ac cæremonias religiosas sine tribus votis substantialibus observat, possit constitui. Denique supra dicta Innocentii III prohibitio intelligitur de nova veræ religionis prout nunc in usu est per quemdam communem vivendi modum, erectione et ejus ingressu per assumptionem habitus, non de privato religiose vivendi modo in suis domibus particularibus; et certe nunc extra communitatem approbatam, nemo fit vere religiosus, quia non datur a papa facultas acceptandi nomine Dei tria vota substantialia extra approbatam communitatem.

CAPUT XVII.

In quo resideat ordinaria potestas religionem approbandi.

Dico 1 : Ordinaria potestas approbandi aliquam religionem jure divino competit summo pontifici, utpote supremo Christi vicario et totius Ecclesiæ rectori; et aliquo modo etiam residet in episcopis, et olim, ante concilium Lateranense, sub Innocentio III celebratum, illam participabant (Vasquez, Azorius, Lessius, Mendoza, etc.). Probatur, quia olim monachi erant sub episcopis tanquam sub propriis prælatis, ut ex conciliis fuse probat Mendoza; et illorum receptio ad episcopum spectabat. Denique antiquæ illæ religiones sancti Basilii, sancti Augustini et sancti Benedicti quæ ipso usu approbari meruerunt, sine speciali summi pontificis approbatione inceperunt, sed sola episcoporum approbatione introductæ. Multo magis idem dicendum est de religione sancti Pachomii longe antiquiore, ejusque regula ab angelo accepta, ac de aliis sancti Antonii monasteriis. Sed :

Dico 2 : Potestas approbandi aliquam religionem longe altiori et excellentiori modo residet in summo pontifice quam in cæteris episcopis. Nam 1° pontificis approbatio per se respicit totam Ecclesiam; episcopi, solam suam diœcesim. 2° Papæ approbatio habet divinam auctoritatem a speciali sancti Spiritus assistentia, ne in re tam gravi erret; episcopi, mere humanam ac fallibilem. 3° Hæc potestas in papa immediate est de jure divino, in episcopis vel est ex institutione apostolica, vel si est ex jure divino, illis data est cum dependentia a Christi vicario. 4° Papa potest approbare religionem dando substantialem votis solemnitatem, quam probabiliter non videtur posse dare episcopus. 5° Papa potest simpliciter approbare religionem; episcopus potest tantum secundum quid, nempe pro sua sola diœcesi, et ita ut possit ejus approbatio revocari a superiori potestate.

CAPUT XVIII.

An potestas jurisdictionis et ad statum religionis, et in illo statu requiratur.

Dico 1 : Alicujus religionis inventio ac dispositio divinam quidem vocationem et sapientiam, sed non jurisdictionem requirit; ejus autem approbatio necessario postulat jurisdictionem spiritualem, quæ etiam requiritur in acceptante vota seu professionem religiosam, sive ordinaria sit, sive delegata late sumpta.

Dico 2 : In statu religioso necesse est, ut sit in prælato potestas monasterii gubernativa, et suo modo denominativa singulorum religiosorum ad illis imperandum, et eorum operibus utendum, distincta a potestate jurisdictionis ad Ecclesiæ claves spectante, et ab ea separabilis : nam prælatus potest indirecte irritare sui subditi religiosi vota; ista autem indirecta votorum irritatio est actus dominii seu potestatis dominativæ, non jurisdictionis. Imo hæc potestas quasi dominativa seu œconomica, sine alia propria spirituali jurisdictione quæ exstat in abbate, priore, aut alio simili religiosæ communitatis proprio et immediato prælato, sufficit sola ad verum statum religiosum constituendum, ut patet in conventu monialium, in quibus abbatissa nullam habet jurisdictionem spiritualem, et tamen moniales illi ut matri, tenentur parere secundum regulam quam professæ sunt; et videntur etiam antiqua monachorum monasteria fuisse instituta sine jurisdictione spirituali, quia ordinarie tunc monachi, etiam abbates, non erant clerici, uti de sancto Benedicto affirmat Bonaventura in expositione suæ regulæ, c. 7 : atque

ejusmodi superiores absque propria jurisdictione spirituali, poterant ex paterna spirituali potestate cogere ad regulæ observationem, ac punire subditos ob religiosæ obedientiæ præstitum votum. Attamen:

Dico 3 : Ad perfectum status seu monasterii religiosi regimen requiritur propria jurisdictionis potestas in aliquo istius religionis prælato, saltem externo et communi aliis fidelibus. Monialium enim monasteria, licet non habeant intra se prælatam cum potestate jurisdictionis, habent tamen semper prælatum qui propriam jurisdictionem in illas, etiam in abbatissam exercet, qualis est episcopus in monasteriis ipsi subjectis, et provincialis vel alius prælatus virorum istius religionis, cujus est membrum monasterium monialium. Olim etiam monachorum monasteria ante religiosorum exemptionem, subjiciebantur episcopo, sed nunc post exemptionem, subjiciuntur summo pontifici, seu propriæ religionis prælatis quibus summus pontifex suam jurisdictionem communicavit. Unde cum primum religiosus status instituitur et approbatur, mox fit sacer et ecclesiasticus, et ejus personæ sunt sub spirituali pastorum Ecclesiæ jurisdictione, in quibus inest erga illos tum potestas jurisdictionis spiritualis, tum potestas dominativa seu paterna, orta ex religiosa professione, nempe ex traditione et voto obedientiæ; ideoque sunt exemptæ a principum sæcularium jurisdictione.

—

LIBER III.

De auctore, origine et antiquitate status religiosi.

—

CAPUT PRIMUM.

An status religiosus sit legis evangelicæ proprius ; an vero etiam ante illam exstiterit.

Nota : Quidam senserunt statum religiosum originem duxisse ab Enos, qui Gen. IV, 26, dicitur cœpisse invocare nomen Domini, nempe aliquo specialis religionis cultu Dominum colere ; vel a Nazaræis in lege veteri, de quorum votis fit mentio Num. VI ; vel ab Elia, Elisæo, et filiis prophetarum qui simul in collegiis habitabant, et quorum auctorem seu fundatorem volunt Hebræi fuisse Samuelem, vel alii Joannem Baptistam ejus status institutorem aut restauratorem. Sed :

Dico : Religiosus status simpliciter et prout includit omnia ad substantialem ipsius perfectionem spectantia, videtur esse proprius legis evangelicæ, antea quidem adumbratus aut ex parte inchoatus fuit, sed non perfectus, ut colligitur ex Patribus Hieronymo, Bernardo, D. Thoma, etc. Tanta enim vitæ perfectio, quantam secum affert status religiosus, postulabat tempus legis evangelicæ, et Christum illius institutorem ac ducem, quia *nihil ad perfectum adduxit lex* (*Hebr.* VII, 19). *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes*, etc. (*Matth.* XIX, 21). Quod autem ante Evangelium status religiosus fuerit tantum adumbratus et non perfectus, hinc infertur : primo, quamvis Elias, Elisæus et alii servarint cœlibatum, incertum tamen est an ex voto, maxime cum tunc consiliabatur magis connubium quam cœlibatus ob Christum ex gente Judæorum nasciturum ; nec castitas perpetua vovebatur, nisi ex speciali Dei revelatione, qualis juxta multos Patres videtur fuisse facta B. Virgini et sancto Josepho, aut datus Spiritus sancti instinctus illi æquivalens : nam ante legem gratiæ non solebant fieri vota de se perpetua. Unde multo minus erat tunc in usu votum paupertatis et obedientiæ religiosæ, cujus rei nullum prorsus vestigium reperitur. Filii quidam prophetarum in quadam societate cum Elisæo quasi superiore vivebant ; sed an ad aliquod tantum tempus, an vero tota vita, nescitur ; deinde an cum aliquo pacto aut voto, necne, etiam incertum, nec ullibi de votis fit mentio. Denique nec Esseni, nec Nazaræi fuerunt veri religiosi, utpote, juxta Epiphanium, sana et integra fide carentes, sine qua religio vera non subsistit, etiamsi quemdam religiosæ vitæ modum tenuerint ; non enim creditur eos vota emisisse, maxime castitatis perpetuæ. Esseni, de quibus Philo loquitur, probabilius erant jam Christiani per prædicationem sancti Marci ad fidem conversi. Hinc nullum habetur sufficiens fundamentum asserendi ante Christum exstitisse aliquem statum, sive privatum, sive communem vere religiosum, saltem cum votis solemnibus.

CAPUT II.

An status religiosus a Christo fuerit institutus.

Dico 1 : Status religiosus secundum se et quoad omnia quæ sunt de ejus substantia, fuit a Christo immediate traditus et institutus, etiamsi non instituerit particularem ejus determinationem ad talem regulam vel circumstantias ; atque ita dici potest eum esse de jure divino, non præcipiente sed consulente. Ita catholici doctores contra antiquos et præsertim recentiores hæreticos, religiosorum ordinum insectatores, nempe Arianos, Donatistas, Wicleffum, Lutherum, etc. Probatur ex Patribus Basilio, Chrysostomo, Athanasio, etc., qui communiter docent Christum distribuisse vitam et statum Christianorum in duos ordines : unum profitentium communem mandatorum viam, ut sunt conjugati, et alium profitentium altiorem et angelicam vitam, id est religiosum. Christus enim in Evangelio sæpe hortatur homines ad amplectenda tria paupertatis, castitatis, obedientiæ consilia, in quibus religiosi status substantia consistit : *Vade, et vende omnia quæ habes*, etc., *et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. (*Matth.* XVI, 24). *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem*, etc., *propter nomen meum, centuplum accipiet* (*Matth.* XIX, 29). Atque ita Christus non tantum religionis statum secundum se immobiliter

instituit, sed etiam ad eum in particulari vocavit et congregavit apostolos, qui juxta multos Patres emissis votis vere religiosi fuerunt, et pro fine sui status religiosi habuerunt non solam vitam contemplativam aut activam, sed mistam, animarumque salutem per prædicationem Evangelii procurandam.

Dico 2 : Quamvis Christus multa de hoc statu religioso docuerit, quæ ex se et ex natura sua, prout docuit, sunt, tamen non solum doctrina, sed etiam potestate et facultate Ecclesiæ suæ concessa, illum instituit : status enim religiosus non solum promissionem voto firmatam, sed etiam traditionem homini, Dei locum tenenti, et ejus nomine acceptanti, factam requirit ; hoc autem ex sola rei natura fieri nequit, ergo oportet ut declararit talem contractus modum cum homine sibi placere, dederitque alicui potestatem seu facultatem suo nomine illum acceptandi. Hinc patet non requiri hanc facultatem ad votum simplex, sed ad solemne, quia votum simplex fit immediate Deo quasi in seipso, et ab eo immediate acceptatur ; solemne vero fit Deo, mediante homine per externam traditionem irrevocabilem, et mediante homine ad id potestatem habente, a Deo acceptatur.

CAPUT III.

An status religiosus a Christi tempore semper in Ecclesia perseveraverit.

Nota : Non agimus hic de perpetua transmissione status religiosi ab Elia, Elisæo, et Joanne Baptista, usque ad hæc tempora ; valde enim incertum est an illorum status fuerit vere religiosus, sed agimus de transmissione status religiosi a Christi tempore. Quare

Dico : Communis est Patrum sensus statum religiosum a Christi tempore huc usque sine interruptione semper durasse : nam a principio prædicationis apostolicæ semper fuerunt qui in religionis statu apostolos secuti et imitati sunt. Non omnes, quia nunquam omnes Christiani vixerunt in cœlibatu et sine aliquibus bonis propriis ; sed apostoli aliquos selectos clericos et sacerdotes congregarunt, qui eumdem secum statum amplecterentur ad prædicandum Evangelium relinquendo omnia, seque totos Deo consecrarent in ejus obsequium ad fidem propagandam, sicut dicitur de Paulo et Barnaba : *Tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* xv, 26). Hujusque status religiosi continuatio colligitur ex quadam bulla Pii IV. Varii episcopi ab ipsis apostolis in vita religiosa instructi, cœperunt in quibusdam locis presbyteros et clericos secum congregare, qui in divinis ministeriis et laudibus præcipue occuparentur, et cum eis vitam religiosam agerent, cumque sensim cœpisset remitti iste status, renovatus est a D. Augustino, et late diffusus est. Præterea ab apostolis dimanavit alius laicorum religiosorum ordo, qui monachi dicti sunt ; hos autem ex sua institutione non fuisse clericos, sed laicos, constat ex Dionysio (*De eccles. hierarch.*, cap. 6). Cum enim in principio nascentis Ecclesiæ multus esset fervor in acquirenda perfectione, quidam a communi aliorum fidelium societate se segregare ac solitariam religiosamque vitam agere cœperunt : inde fluxerunt tot congregationes et monasteria monachorum in Ægypto, Palæstina et alibi.

Sub monachis comprehendere possumus moniales ; illarum enim status etiam ab apostolorum tempore incepit, cum virgines sacræ ac velatæ jam tunc exsisterent : siquidem Matthæus Iphigeniam, Paulus Theclam, Petrus Petronillam consecrarunt, Martha collegium virginum Massiliæ constituit, quibuscum usque ad mortem sanctissime vixit, etc.

CAPUT IV.

An status religiosus in Ecclesiæ exordio fuerit ejusdem rationis cum eo qui nunc est.

Dico 1 : Status religiosus quoad substantiam et essentiam fuit semper ejusdem rationis in Ecclesia. Ita Catholici contra hæreticos Calvinum, Melanchthonem, etc. Probatur : Status religiosus est juris divini, utpote a Christo institutus ; ergo idem semper et ubique ac immutabilis. Deinde status religiosus quoad substantiam in hoc consistit quod homo se totum Deo consecret per tria, sive solemnia, sive simplicia paupertatis, castitatis et obedientiæ vota, id est, per eorum emissionem et obligationem ac sui traditionem ; atqui olim et nunc idem fit ; ergo, etc. Olim enim etiam interveniebat traditio, ut colligitur ex reg. 14 sancti Basilii, et ex modo quo virgines Deo consecrabantur.

Dico 2 : In cæremoniis seu ritibus religiosis saltem in genere sumptis, magna est etiam convenientia inter religiosos primitivæ et præsentis Ecclesiæ ; nam quoad habitum monialium seu sacrarum virginum ac monachorum fuisse olim ab aliis distinctum et specialem, constat ex concilio Carthaginensi IV, cap. ult. ; et ex Dionysio (*De eccles. hierarch.*, cap. 6) ; item ex regula 56, et 58, sancti Benedicti ; ex Cassiano et aliis. Iidem etiam referunt habitus illorum colorem ac figuram. Quod attinet ad religiosorum primitivæ Ecclesiæ communem habitationem, exercitia, sanctæ conversationis modum, etc., de illis in sanctis Patribus frequens est etiam sermo ; religiosi clerici intra urbem et in episcoporum ædibus, monachi extra urbes et separatim solebant habitare. Olim monachis duplex erat præcipua occupatio : una in canendo divino officio, alia in manuum operibus ; prima subsistit, altera pene desiit. Denique ex his omnibus liquet quanta fuerit antiquarum religionum similitudo cum præsentibus.

LIBER IV.

De voto assumendi religionis statum.

CAPP. I, II.

An votum suscipiendi statum religiosum sit bonum ac validum, et quomodo obliget.

Dico 1 : Emittere votum suscipiendi status religiosi, per se loquendo, est bonum ; est enim de bono meliori : ut autem istud votum sit validum, requiritur sufficiens usus rationis et deliberatio sufficiens ad peccandum mortaliter. Imo ad illud congrue emittendum, major ætas et deliberatio quam ad alia vota requiritur, et factum ante pubertatem non est firmum, potestque tunc irritari a parente. Votum vero sic factum : *Si futurus sim religiosus, ero in tali religione*, licet sit validum, non est tamen proprie votum religionis ; nec obligat ad exercitium seu ad actum ingrediendi religionem, sed tantum ad speciem, nec est reservatum.

Dico 2 : Votum religionis ingrediendæ obligat pro illo tempore, quod vovens designavit ; si autem nullum designavit, sed absolute vovit, tunc per se obligat ad statim moraliter, id est ad implendam executionem quanto ocius poterit ; potest tamen differre ex justa causa, v. gr. ob teneram ætatem, scientiæ defectum, aut ob alia rationalia impedimenta ; quin et potest intervenire impedimentum, quo non teneatur illud implere. Sed non cessat obligatio voti ob negligentiam aut voluntariam dilationem ultra tempus designatum vel commodum.

Dico 3 : Hoc votum obligat ad procurandum religionis ingressum, sed antequam homo admittatur, ad nihil aliud obligat nec ad castitatem nec ad alia religionis onera ; obligat tamen ad cavenda religiosi status impedimenta, quale præsertim est matrimonium. Si autem vovens post factam sufficientem diligentiam non admittatur, manet liber a voto. Hinc, 1° si ex primaria ac directa intentione vovit ingredi tale monasterium in individuo, et non aliud ac sine alia intentione ingrediendi quamcunque religionem seu religionem in communi, petatque habitum in isto monasterio et non admittatur, tunc non tenetur alibi petere, nec alibi religionem ingredi etiamsi invitetur aut rogetur. An autem sufficiat semel petere, et postquam fuit semel repulsus, si ipso non amplius petente invitetur ab ipso monasterio ad ingressum ac rogetur, an tunc teneatur adhuc ingredi, id pendet ex intentione quam vovens habuit, et juxta illam ordinarie loquendo ad neutrum teneri videtur, nisi aliud constet de dicta intentione. 2° Si vovit ingredi religionem in specie, v. gr. ordinem sancti Dominici, sancti Francisci, etc., tunc si non recipiatur in uno loco, debet in aliis petere vel formaliter vel virtualiter : id est, si ex repulsa unius alteriusve monasterii aut etiam multorum, judicet se habiturum eamdem repulsam in aliis omnibus, tunc censetur in illis virtualiter petivisse, et se esse repulsum. Hæc difficultas cessat dum receptio fit per aliquem provincialem, aut forte generalem ; repulsus enim a provinciali vel generali, censetur repulsus a tota provincia vel ordine. Deinde cum obligatio voti non extendatur ultra intentionem voventis, non videtur teneri, juxta Cajetanum, extra proprium regnum aut in loca valde distantia excurrere ad petendum ingressum, nec petere ingredi arctiorem ejusdem ordinis observantiam, si ex sua intentione vovit laxiorem. 3° Si vovit ingredi religionem in genere, tenetur aliquam ingredi ; non videtur tamen satisfacere voto, ingrediendo aliquam ex militaribus, in quibus tantum vovetur castitas conjugalis ; secus si ingrediatur religionem militarium clericorum regularium. Qui autem post sufficientem diligentiam in nulla recipitur, manet liber a voto. At si non recipiatur ob impedimentum quod sine gravi onere potest tollere, v. gr. ob defectum grammaticæ in juniore adolescente facile ab eo addiscendæ, vel ob defectum alicujus necessarii officii in laico facile ab eo perdiscendi, tunc tenetur illud tollere ; secus vero si sine gravi difficultate tolli non possit. Denique qui indefinite vovit ingredi religionem, si non recipiatur pro gradu sacerdotum, debet si possit ingredi pro gradu laicorum, nisi dum vovit vel formaliter vel virtualiter habuerit intentionem ingredi pro gradu sacerdotum ; tunc enim non tenetur ingredi pro inferiore gradu.

CAPUT III.

An votum ingrediendæ religionis obliget ad perseverandum, seu ad professionem emittendam.

Dico 1 : Qui simpliciter vovit religionem, vel talem religionem, post susceptum ejus habitum non tenetur absolute perseverare ac facere professionem ; nam si intra probationis annum ex causa sufficienti judicet sibi non expedire istum statum, potest absque voti violatione illum relinquere : ita omnes doctores ; quia per votum non renuntiatur juri novitiorum, quibus exire aut permanere liberum est. Sed si post sufficientem probationem judicet sibi istum statum competere, tunc ex vi voti tenetur perseverare et profiteri ; alioqui votum violaret et teneretur iterum ingredi et profiteri. Si quis autem faceret votum ingrediendi tantum sine animo profitendi ad proficiendum in virtute ex religiosorum societate et exemplis, teneretur tantum ingredi, non profiteri ; sed hoc non est proprie votum religionis. Jam vero quale debeat esse judicium quod expediat vel non expediat permanere in religione post sufficiens ejus experimentum, non est facile id determinare, sed spectandum est jus concernens novitios : si quis, v. gr., timeat gravioris mali et damni spiritualis periculum, si prævideat se non posse cum animi pace in tali statu vivere, si credat religionis onera superare suas vires, etc.,

in his et similibus casibus non videtur obligari ex voto suo ad perseverandum; ad hoc enim non tenetur sub conditione tam rigorosa. Quinimo novitius nullum habens religionis votum, potest per se loquendo sine rationabili causa illam deserere sine peccato; non tamen religionis ministri possunt sine peccato illum ex causa nulla rationabili expellere, abutentes sua potestate in alterius damnum.

Dico 2 : Qui ex rationabili causa dimittit habitum religionis intra probationis annum, si emisit votum de isto loco solo in individuo, manet liber a voto, ejusque obligatio exstincta est. Idem dic dum votum fuit de religione in specie, si causa rationabilis illam relinquendi universalis sit pro omnibus illius locis; idem etiam cum proportione applica voto emisso de ingredienda religione in genere. Attamen quotiescunque votum simpliciter et modo ordinario factum est, videtur vovens intendisse tantum semel ingredi. Sicut ergo qui indefinite promisit dare eleemosynam, tantum semel eam dando implevit promissionem, ita qui semel ingressus est, et bona conscientia non perseveravit aut ejectus est, suam ejectionem non procurando, sufficienter implevit votum suum, adeoque exstincta est ejus obligatio; gravissimum enim esset onus iterum ac sæpius varia loca aut religiones experiri, in eisque novitiatum iterare, etc., quæ omnia videntur esse aliena a voventium intentione.

CAPUT IV.

Ad quid obliget votum perseverandi et professionem faciendi in religione.

Dico 1 : Per hoc votum absolute factum, nisi specialis et expressa voventis intentio interveniat, non censetur vovens renuntiare juri suo relinquendi religionem ex justa et rationabili causa; votum enim quantumvis absolutum appareat, intelligendum est juxta formam juris, nisi aliud fuerit expressum : quia licet votum istud in cortice verborum videatur continere absolutam perseverandi promissionem, reipsa tamen tacite includit conditionem, si judicetur expedire post juridicam probationem; et contra hoc nihil disponit concilium Tridentinum irritans professionem factam ante annum probationis expletum, non autem votum simplex factum intra istum annum. Hinc :

Dico 2 : Si vovens expressa intentione voluit se absolute obligare ad perseverandum, manet ad hoc obligatus, ita ut istud votum sit distinctum a voto religionis indefinite facto, et aliam quoad hoc inducens obligationem; sicque videtur intelligendus D. Thomas, et alii censentes ejusmodi voventem esse absolute obligatum ad perseverandum. Potest enim homo sic se obligare cum sit votum de re licita, bona, imo et meliori; sed quantumvis hoc votum sit de perseverando absolute, includit tamen generales conditiones quæ in omni voto includuntur, v. gr. si professio istius hominis in tali religione fuerit immunis a ruinæ spiritualis periculo, medium ad majorem perfectionem, utilis, licita, etc. Habens igitur tale votum, si voluntarie egrediatur sine justa causa, tenetur redire ad profitendum; si ex justa causa quæ sit perpetua, egrediatur, non tenetur amplius talem religionem ingredi; si ex justa causa, temporali tantum et non perpetua, tenetur regredi illa cessante, etiamsi oppositum possit etiam censeri probabile in praxi. Dum autem involuntarie ejicitur, exstinguitur votum, si propter causam perpetuam et adæquatam ejiciatur. Si vero propter temporalem, illa cessante, tenetur redire.

CAPUT V.

An simplex religionis votum dirimat sponsalia, et impediat matrimonium.

Dico 1 : Votum religionis factum in statu matrimonii consummati, solum obligat ad religionis ingressum post mortem conjugis, vel illo vivente de ejus consensu, juxta voventis intentionem jure ecclesiastico in aliis servato; votum autem religionis, etiam illicite non impletum, non obligat ad servandam castitatem, ac proinde habens tale votum potest reddere et petere debitum.

Dico 2 : Votum religionis factum post matrimonium ratum non consummatum, obligat absolute ad religionis ingressum, et ad abstinendum a prima copula tam reddendo quam petendo, etiamsi alter conjux, etc., tunc det facultatem, ut, non obstante consummatione matrimonii, possit religionem ingredi. Post transactum tempus duorum mensium a jure præfixum ad ingrediendam religionem, si habens votum petat debitum, clarum est eum peccare, nam etiam tunc si alter conjux non contradicat, tenetur adhuc ingredi religionem; si autem post transactos istos duos menses, alter conjux statim petat debitum, nolens diutius exspectare, habens votum tenetur reddere, nec peccat reddendo, sed si diu post elapsos duos menses tantum incipiat petere, cum videatur voluisse cedere juri suo, prudenter spectatis circumstantiis, considerandum est an teneatur reddere, an vero potius confestim religionem ingredi.

Dico 3 : Si votum religionis fiat post sponsalia de futuro, etiam jurata, obligat ad ingressum religionis, adeoque ipsa sponsalia dissolvit (Navarra, Sanchez, Lessius, etc.); et quamvis ad implendum juramentum simul et votum, posset quis contrahere matrimonium, et statim post contractum ante consummationem ingredi religionem; tamen hoc nec consulendum ob periculum, nec necessarium, quia juxta jura non violatur juramentum, dum commutatur in melius. Cap. autem *Commissum* De sponsal., quod videtur dicere contrarium, non agit de habente religionis votum, sed de eo qui jurarat sponsalia, nullum habens religionis votum. Sed adverte si contingat habentem prædictum religionis votum non profiteri in religione, ex hac egressum adhuc teneri implere sponsaliorum promissionem, si alter sponsus id velit.

Dico 4 : Si factum sit votum absolutum ingrediendæ religionis ante omnia sponsalia tam de præsenti

quam de futuro, obligat per se ad non contrahendum matrimonium, nec ad promittendum nisi sub hac ratione: *Si non potuero religiosam professionem emittere.*

CAPUT VI.

An votum ingrediendæ religionis possit proprie irritari.

Dico 1 : Parentes possunt directe irritare omnia filiorum impuberum vota, nempe in masculis ante quatuordecim, in feminis ante duodecim ætatis annos expletos, nullo excepto, sive sint realia aut personalia, sive temporalia aut perpetua, sive sint vota castitatis aut religionis, sive sint de consiliorum aut præceptorum observatione; sed non possunt irritare votum solemne castitatis annexum sacris ordinibus, si filius impubes voluntarie, etiamsi illicite, ordinetur; solemne autem religiosæ professionis votum ante sexdecim in masculis et feminis ætatis annos expletos, per se irritum est ex concilio Tridentino, sess. 25, c. 15.

Dico 2 : Probabilius est patrem simplex votum religionis a filio impubere factum, posse post annos pubertatis irritare, dummodo post annos pubertatis filius expresse et non tantum tacite, aut pater ipse illud non confirmarit; si intra annos pubertatis pater illud confirmarit, potest adhuc irritare ante illos expletos. Imo si istud filii votum ante pubertatem factum nunquam positive confirmarit, licet id non ignorarit, potest post pubertatis annos adhuc irritare, quia a principio fuit infirmum, et inclusit hanc conditionem : *Nisi pater contradixerit;* et pater retinet eamdem potestatem quam habebat a principio respectu filii sibi subditi et operum ætatis impuberis. Sed :

Dico 3 : Votum religionis aut castitatis tam simplex quam solemne, a filio pubere factum etiam invitis parentibus, est omnino validum, nec directe nec indirecte potest a patre irritari (D. Thomas, Cajetanus, Durandus, Navarra, et alii communiter); quia tale votum ex parte voventis est perfectum, nec ex parte materiæ, nempe servitii divini, præjudicat parenti. Prælatus non potest irritare votum a suo subdito religioso factum transeundi ad arctiorem religionem.

CAPP. VII, VIII.

Quomodo religionis votum sit papæ reservatum quoad dispensationem, vel commutationem.

Dico 1 : Votum ingrediendæ veræ et ab Ecclesia approbatæ religionis est papæ reservatum; secus, si non sit religio ab Ecclesia approbata, aut non sit religio simpliciter dicta, quales videntur esse religiones militares in quibus vovetur tantum castitas conjugalis. Clericorum tamen militantium religio est simpliciter religio, adeoque illius votum est reservatum.

Dico 2 : Tam votum ingrediendi tantum religionem, imo et factum sub intentione probandi et exeundi si non placuerit, quam votum ingrediendi simul et perseverandi, est papæ reservatum, intelligendo hæc de voto absoluto. Ejusmodi enim vota non sunt diversæ rationis quoad jus reservandi.

Dico 3 : Juxta communiorem sententiam votum ingrediendi strictiorem religionem, non est papæ reservatum quoad ejus gradum; sed potest episcopus dispensare, ut illud in laxiori impleatur; adeoque potest in hoc dispensare cum novitio ante professionem, sed non cum religioso jam professo exempto ab ipsius jurisdictione; cum religiosis autem professis sibi subditis seu non exemptis, videtur jure antiquo, uti et prælati religionis cum suis subditis, posse dispensare, cum nullibi in jure communi antiquo reperiatur id prohibitum. Verum nunc ex jure novo concilii Tridentini (sess. 25), generaliter prohibentis transitum ad laxiorem ordinem cujuscunque facultatis vigore, videtur nec episcopus nec religionis prælatus posse in hoc dispensare, nempe in transitu ad laxiorem ordinem, secus ad æqualem aut arctiorem; nam concilium vetat tantum transitum ad laxiorem. Ideo Gregorius XIII, in bulla quæ incipit *Cum alias* anni 1582, specialem societatis Jesu generali facultatem concedit, ut absolute possit dare licentiam suis subditis, etiam professis, transeundi ad aliam religionem paris, laxioris, aut strictioris observantiæ; sed nolens ut hæc facultas possit participari ab aliis religionibus ex vi generalis communicationis quam plures habent in aliarum privilegiis.

Dico 4 : Votum ingrediendæ religionis arctioris a sæculari factum, non potest jure ordinario dispensari a prælato laxioris religionis in quam postulat ingredi; ex privilegio tamen concesso religionibus sancti Benedicti et societatis Jesu, etc., potest ab ipsarum religionum prælatis dispensari, modo volens ingredi declaret iis suum votum; et si istud privilegium esset concessum non immediate prælatis, sed ipsi religioni, ita ut papa immediate et veluti ipso jure dispenset cum tali homine, tunc non foret necesse declarare suum votum; ad hanc autem licite petendam dispensationem, non requiritur alia specialis causa, quam voluntas postulantis talem religionem ad spirituale animæ suæ bonum.

CAPUT IX.

De commutatione voti ingrediendæ religionis.

Dico 1 : Ut commutatio hujus voti commode fiat, generaliter loquendo, admiscendum est aliquid dispensationis ad attingendam æqualitatem, si commutans habeat etiam potestatem dispensandi; alias posset commutari in votum sacerdotii, vel castitatis perpetuæ, additis aliquibus pietatis operibus. Non videtur tamen votum absolutum strictioris religionis posse commutari in votum laxioris; secus vero, si fuerit votum pœnale, et vovens libentius laxiorem ingredi cupiat spe majoris fructus spiritualis : in voto enim pœnali res in pœnam imposita, non fuit a principio per se intenta, nec per se volita.

Dico 2 : In pura prædicti voti commutatione, ut attingatur æqualitas, consideranda sunt tria vota substantialia, et onera alia istius religionis; hinc ista vota possent fortasse commutari in votum per-

petuæ castitatis, saltem conjugalis, si aliter fieri non posset, cum variis eleemosynis et orationibus adjunctis, ac cum frequenti usu sacramentorum pœnitentiæ et Eucharistiæ, et religionis austeritates, in quædam jejunia, etc. Deinde spectandum est etiam, si sit votum ingrediendæ religionis in genere, posse id compleri in quavis religione, quamvis faciliori, et ejusmodi hominem ex sui voti vi teneri tantum ingredi et non profiteri absolute; sicque attenta professionis spe incerta facienda est commutatio.

LIBER V.

De ingressu religionis ac novitiatu.

CAPUT PRIMUM.

An ad religionis ingressum requiratur in ingrediente determinata ætas.

Dico : In quacunque ætate, sive ante pubertatem post usum rationis, sive post pubertatis annos, sive ante usum rationis licitus est religionis ingressus, nec ullo jure prohibetur, quia stando jure naturali, vel divino positivo, nulla ætas præscripta est, in qua non liceat religiosum habitum suscipere; et quoad jus ecclesiasticum, quamvis ante concilium Tridentinum, ad faciendam religiosam professionem præscripta ab Ecclesia esset ætas duodecim annorum completorum pro feminis, et quatuordecim pro masculis; ac deinde pro utrisque concilium Tridentinum præscripserit sexdecim annos completos, tamen nulla unquam ætas præscripta fuit pro religionis ingressu, seu pro religiosi habitus susceptione. Imo, juxta jus antiquum, filius habens usum rationis potest ante pubertatem ingredi religionem sine consensu parentis, sed pater intra annum habet jus illum a religione revocandi. Deinde concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 17) statuit ut feminæ majores duodecim annis nequeant statum religiosum suscipere, nec professionem emittere sine episcopi examine. Jam vero quoad pueros ante usum rationis, etiam illis licitus est ingressus, si parentes positive consentiant, ut habetur ex cap. 1, 20, quæst. 2, et c. 4. Unde parentes licite possunt offerre religioni filios educandos, ut quantum in ipsis est, perpetuo in ea perseverent; sicque oblati licite et recipiuntur et retinentur a religione, ex qua jam pater non potest eos revocare, nec filii egredi ante pubertatis annos.

CAPP. II, III.

De potestate parentum ad offerendos religioni filios rationis usum habentes.

Dico 1 : Probabilius possunt parentes licite filios suos usum rationis habentes ante annos pubertatis (non vero post) non exspectata vel etiam repugnante eorum voluntate offerre religioni : ita Paludanus, et D. Antoninus, quia pater cogendo filium impuberem ad hunc religionis ingressum, utitur jure suo; et quidem ille usus de se cadit in majus filii bonum, nec illum suæ libertatis jure privat pro illa ætate, in qua erit juris sui in rebus ad Dei cultum et animæ salutem pertinentibus; ergo talis actus nec continet injustitiam respectu filii, nec malitiam contra religionem aut aliam virtutem; ergo non est per se malus : cumque non reperiatur prohibitus, ergo est licitus, nec Deo displicet, quia licet iste filius involuntarie ingrediendo, displiceat forte Deo, non tamen pater qui illum collocat in loco acquirendæ virtutis, et si puber effectus egredi voluerit (tunc enim potest), saltem efferet bona virtutum semina ex visis religiosæ vitæ exemplis desumpta; et licet filius sic coactus possit licite, juxta multos auctores, etiam ante pubertatem dimittere habitum religiosum, tamen pater potest impedire, ac paterne castigare, ac cogere ad retinendam vitam religiosam : nam observatio castitatis, paupertatis et obedientiæ non sunt supra naturalem pueri conditionem, et ad alia religionis opera obligatur tantum prout captui ætatis istius sunt accommodata.

Dico 2 : Matre repugnante potest pater licite et valide filium impuberem offerre religioni, sed non potest mater patre repugnante; sed si non repugnet, licet non consentiat, potest licite et valide, adhuc tamen revocari potest a patre intra annum. Si filius altero parente sit orbatus, in altero remanet eadem potestas. Item eadem potestas est in tutore, qui etiam sine consensu matris viduæ, imo et ea repugnante, potest religioni offerre pupillum impuberem; non autem ita mater, si non est nutrix. Idem est de avo ac de tutore, si ipse est tutor.

Dico 3 : Prædictus religionis ingressus ejusmodi pueris impuberibus, valde expedit et prodest, si ista religio sit in suo vigore, in eaque religiosa disciplina et prælatorum vigilantia regnet; hæcque fuit mens D. Thomæ, ac praxis sancti Benedicti, sancti Pachomii, etc., quia : *Bonum est viro portare jugum ab adolescentia sua* (*Thren.* III, 27); et : *Sinite parvulos venire ad me* (*Matth.* XIX, 14; *Luc.* XVIII, 16). Attamen iste puerorum ingressus et educatio non expedit ipsi religioni, quæ non potest sine magno labore, distractione, molestia et dispendio majoris boni circa illos occupari. Denique non constat, an isti pueri olim in religione educandi sub habitu religioso reciperentur ac admitterentur.

CAPUT IV.

Quænam personæ inhabiles sint ad religionis ingressum seu receptionem.

Dico : Dantur aliqua impedimenta quæ reddunt personam inhabilem ad religionis ingressum, suntque hæc sequentia :

1. *Carentia usus rationis perpetua ;* si enim sit tan-

tum temporalis, tantum facit personam inhabilem pro tempore quo durat, ita ut non computetur initium novitiatus, aut ejus decursus, si tunc duret.

2. *Matrimonium consummatum;* si tamen alter conjux consentiat, non inhabilitat ad ingressum : sed postquam alter ingressus est, adhuc vel tunc potest revocare licentiam, et tenetur egredi. Si autem uterque conjux ex mutuo consensu et facultate religionem ingrediatur, et unus non perseveret, hic potest alterum revocare. Deinde si ingressus factus sit a principio sine licentia alterius conjugis, et postea ante professionem obtineatur illius consensus, tunc ingressus ex tali consensu videtur ita ratificari, ut probatio seu novitiatus in eo fundatus possit valere ad professionem validam faciendam (Sanchez, Lessius, etc.) : quia ibi interveniunt omnia quæ ad religionis probationem et experientiam sufficiunt, et consensus ex utraque parte, etc.; ergo. Imo quando jura annullant professionem, non ideo annullant ingressum etiamsi illicite factum, nisi id exprimant.

3. *Professio facta in alia religione;* hæc enim impedit ingressum alterius religionis, si hæc religio vel sit laxior, vel ex speciali papæ prohibitione irrita sit ejus posterior professio. Ingressus autem peccaminosus, v. gr. factus sine petita licentia, censebitur validus, si postea obtineatur debita transeundi licentia; et incipiet valere ad validam professionem faciendam, ita ut novitiatus a die ingressus, non autem a die facultatis obtentæ, computari possit ac debeat.

4. *Dignitas episcopalis;* hæc non invalidat ingressum, si postea licentia a papa obtineatur.

5. *Servitus;* hæc non irritum, sed tantum illicitum facit ingressum, nempe sine domini licentia. Idem dic de impedimento alicujus debiti, vel obligationis sive civilis, sive naturalis. Quoad particularia aliquarum religionum impedimenta, v. gr. origo ex Judæis, defectus natalium, infamia, etc., spectandum est, an sint tantum prohibentia, an vero irritantia tam ingressum quam professionem.

6. Multa sunt alia quibus homo impeditur, ne licite possit ingredi religionem, quamvis ingressus non fiat invalidus, v. gr. gravis animi aut corporis ægritudo occulta, ineptitudo, etc. Illegitimatus impedimentum a Sixto V positum, nunc sublatum est.

CAPUT V.

An propter parentum necessitatem teneatur filius non ingredi religionem.

Dico 1 : Filius ob levem et communem patris necessitatem non tenetur differre aut omittere religionis ingressum, nisi moraliter ac proxime jam immineret extrema, aut gravis, de qua infra.

Dico 2 : Filius in extrema patris necessitate constituti, ut illi subveniat, tenetur differre vel omittere religionis ingressum, si manendo in sæculo possit isti necessitati succurrere, et sit illi necessarius. Nam si vel alios filios habeat, vel aliam viam, qua suæ necessitati prospicere possit, tunc recte potest, non obstante ista necessitate, religionem ingredi, modo spem et moralem certitudinem habeat, quod alii sint patrem adjuturi; alioquin non posset, nisi posset alio modo, v. gr. per amicorum opem, per bona aliqua procurata, etc., illi subvenire; et quamvis in extrema necessitate non tantum patri, sed etiam avo, aliisque consanguineis ac cuivis proximo teneatur quis subvenire, tamen obligatio filii respectu patris ad ei succurrendum est longe strictior et specialior, ita ut non solum ex bonis externis quæ jam possidet, sed etiam ex iis quæ potest acquirere aut procurare cum labore diurno, si necesse fuerit, teneatur illi opitulari, imo et corporaliter laborando. Obligatio erga alios non requirit tantum vel tam longum dispendium.

Dico 3 : Juxta communem sententiam filius non potest per se loquendo, dimittere patrem in gravi necessitate constitutum, ut religionem ingrediatur, subintelligendo limitationes in præcedenti puncto positas (Sylvester, Angelus, Alensis, Navarra, etc.); quia non est omittendum naturale et divinum præceptum juvandi patrem graviter egentem ad opus consilii faciendum. Necessitas autem quæ jure naturali est sufficiens ad obligandum filium sub peccato mortali, ut sustentet patrem, aut illi necessarium præstet auxilium, est etiam sufficiens ad impediendum religionis ingressum ut patri egenti succurrat; et censetur gravis, v. gr. si pater cogeretur mendicare, frigus, nuditatem, famem, ægritudinem pati, servire aliis magno cum dedecore, trahi in carcerem propter debita, etc. Item si nequeat juxta statum suum honorifice vivere; sed cogatur ad vilia opera descendere, ut aiunt Sylvester et Angelus: imo etiamsi religionis votum habeat, non potest licite in hujusmodi gravi patris necessitate illud exsequi. Si tamen filius a patre induceretur ad peccatum, excusaretur ab obligatione manendi in sæculo propter illum, et teneretur illum deserere; secus vero, si tantum provocetur sine ullo morali peccandi seu tentationi succumbendi periculo, uti sentit Cajetanus. Attamen ad vitandam spiritualem patris ruinam, quam illa provocatione incurrit, debet, si possit, fugiendo ejus consortium, per alium vel alio modo illi succurrere. De inductione autem ac provocatione ad venialia tantum, sic videtur dicendum : si pater directe inducat filium ad peccata venialia ita ut nequeat illa vitare, debet patrem deserere; secus, si tantum indirecte, v. gr. suo malo exemplo. Idem dic si filius impediatur ab operibus perfectionis. Denique si filius probabiliter timeat se non posse manere in sæculo sine gravi et morali periculo mortaliter peccandi, nullam patre dante occasionem, quidam sentiunt tunc, non obstante patris necessitate, posse eum religionem ingredi. (Sylvester, Cordubensis, Alensis, etc.) Sed id in praxi vix videtur admittendum, nisi foret periculum valde extraordinarium, certum in materia determinata, specialiter procedens ex circumstantiis inso-

parabilibus ab obsequio paterno, nec aliter auferri possit nisi religionis ingressu.

CAPUT VI.

An ob filiorum aut fratrum necessitatem teneatur quis non ingredi religionem.

Dico 1 : Parens non potest, omissa filii nondum emancipati cura aut in necessitate positi, ingredi religionem et illum deserere; sed jam emancipato, eodem modo tenetur tantum subvenire quo filius patri.

Dico 2 : Si fratres (idem dic de sororibus) quibus subveniendum est, sint adhuc sub cura parentis, tenetur frater ratione patris eis subvenire, et non ingredi religionem; secus, si non sint amplius sub cura parentis. Si autem frater habeat religionis ingrediendæ votum, non potest licite sine dispensatione differre religionis ingressum propter gravem fratrum necessitatem.

CAPUT VII.

An oneratus debitis, vel rationibus reddendis astrictus, aut criminum pœnis obnoxius, possit licite ingredi religionem.

Dico 1 : Si quis habeat debita incerta, debet, si possit ante religionis ingressum, ea solvere, vel dando pauperibus, vel ipsi religioni, vel in alios usus pios expendendo; nec iis per solum religionis ingressum satisfacit, sed habens votum dandæ eleemosynæ, potest per ejusmodi ingressum tanquam per commutationem satisfacere, nec indiget compositionis bulla : si vero habeat debitum certum, et sit simpliciter impotens ad solvendum sive in re sive in spe, potest statim ingredi religionem; si tamen speret fore ut proxime possit solvere, tenetur exspectare ut prius solvat. Si autem debitor et in re et in spe proxime sit impotens ad solvendum, sed speret diurno labore ac industria, aut alia via fore ut paulatim possit debitum solvere, an tunc teneatur differre suum ingressum, controvertunt auctores : aliqui absolute negant ob notabile sui detrimentum, alii absolute affirmant ob debitum justitiæ; quia tenetur solvere debita : ita Medina, Major, Navarra, etc. Alii dicunt, si debitum sit reale, satisfacere debitorem reddendo quantum potest, id est cedendo bonis suis in favorem creditoris, et tunc tuta conscientia posse ingredi religionem, ita ut nulla amplius teneatur talis debiti solvendi obligatione; si vero debitum sit personale, quo ipse personaliter obligetur ad agendum aliquid determinatum, vel ad reddendum, v. gr. ad reddendas rationes, tunc negant eum posse ingredi religionem, priusquam illud debitum solvat : sic D. Thomas, Sylvester, Paludanus, etc. Attamen si adsit spes moraliter certa (incerta non sufficit), qua debitor paulatim possit, etiamsi infra tempus utcunque longum, solvere quævis sua debita, non videtur tunc posse ingredi religionem antequam illa solverit. Opus enim justitiæ magis obligat quam opus consilii. Non tenetur tamen mendicare, aut exercere viliores, et suo statui indecentes actiones ut solvat, nec incumbere negotiationibus peccato moraliter obnoxiis, aut similibus suspectis occupationibus; si enim aliter non possit solvere, censendus est simpliciter impotens.

Dico 2 : Per bullam Sixti V redduntur ad religionis ingressum inhabiles, criminosi, v. gr. homicidæ, latrones, etc., quorum delictum est publicum notorietate facti et juris aliquo modo per accusationem aut inquisitionem in particulari, et juste factam; secus vero, si delictum sit occultum, aut si reus post accusationem vel inquisitionem declaratus sit innocens, aut si damnatus impositam pœnam implevit, et tam reipublicæ quam parti satisfecit. Deinde per eamdem bullam idem papa reddit etiam inhabiles ad religionis ingressum ingenti ære alieno gravatos, et reddendis rationibus obnoxios cum molesto litis intentandæ aut jam intentatæ gravamine. Postea hic idem pontifex declaravit se non comprehendere in istis duobus impedimentis moniales. Et Clemens VIII, ann. 1602, declaravit ejusmodi criminosorum aut ære gravatorum professionem esse validam, licet receptio fuerit illicita.

CAPP. VIII, IX.

Ex qua scientia et libertate ingressus religionis fieri debeat.

Dico 1 : Religionis ingressus non debet fieri temere, sed plena cum scientia, cognitione ac deliberatione talis status in particulari; quamvis enim per se loquendo religionis ingrediendæ desiderium sit a Spiritu sancto, et ut tale sine consultatione sit amplectendum, tamen istius desiderii exsecutio multam postulat consultationem; sed non ad hoc exspectanda est extraordinaria Spiritus sancti motio; sufficit aliqualis. Deinde ut religionis ingressus debite fiat, eget tum bona intentione Deo militandi et apostolicam vitam imitandi; tum voluntate perfecte spontanea, quæ potest interdum importunis precibus aut blanditiis debilitari. Bonum quidem est suadere religionis ingressum, sed magna cum prudentia id agendum.

Dico 2 : Libertas quæ ad religionis ingressum requiritur, debet esse a triplici defectu immunis : 1° a *violentia;* injusta enim violentia et directe ad religionis ingressum injecta, peccaminosa est ac prohibita. Hinc concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 18) excommunicat quamcunque personam, quæ per vim seu metum quomodocunque coegerit feminam ingredi monasterium, vel suscipere habitum, vel facere professionem, adeoque ut excommunicatio incurratur, debet aliquis horum trium effectus reipsa sequi. Nec hæc excommunicatio incurritur a parentibus aut tutoribus qui feminam ante annos pubertatis cogunt ad ingressum monasterii, imo per se loquendo non peccant. 2° A *deceptione*, vel ex parte religionis, vel ex parte ingredientis. Hinc qui judicat aliquem ineptum, et tamen ei suadet religionis ingressum, peccat graviter, nisi bona fides eum excuset, uti et qui per de-

ceptionem avertit alium a religionis ingressu; secus vero, si solis precibus aut promissionibus sine deceptione eum avertat, nisi forte preces forent importunæ, ac sine ulla causa contra certam sancti Spiritus vocationem. Si deceptio facta sit cum detractione vel religionis, vel personæ volentis eam ingredi, reparanda est fama, uti et tollenda vis si illata fuerit. Idem concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 13) excommunicat eos, qui sine justa causa impediunt quoquo modo feminas a religioso statu suscipiendo. 3° A *Simonia* quæ potest esse, vel ex parte personæ, si pretio dato trahatur ad religionis ingressum; vel ex parte religionis, si ob pretium illum admittat; per *pretium* autem non intelligitur eleemosyna, dos pro congrua sustentatione, largitio sine pacto. Concilium Tridentinum (*Ibid.* cap. 17) prohibet sub excommunicatione ferenda tribui monasterio aliquid ex bonis novitii vel novitiæ (non autem ex aliorum bonis) ante professionem, *ne hac occasione discedere nequeat, eo quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat.*

CAPUT X.

A quo, et qua forma facienda sit receptio, ut ingressus sit validus et licitus.

Dico 1 : Ut receptio in religione fiat valide, requiritur potestas in recipiente; hæc autem potestas primario et principaliter est in summo pontifice, sed immediate est in sola et qualibet religione approbata, et includitur in ipsa religionis approbatione. Deinde cum ista recipiendi potestas debeat in particulari alicui vel aliquibus committi, si in regula, privilegiis, approbatione aut saltem consuetudine non sit commissa alicui in particulari, videtur ex jure communi pertinere ad abbatem in religionibus monasticis, et ad provincialem in Mendicantibus, contra quosdam qui dixerunt non posse abbatem recipere monachum sine capituli consilio; et Panormitanus quidem dicit receptionem sine capituli consultatione esse irritam ac nullam, quamvis abbas non teneatur sequi capituli judicium ac sententiam, sed suam propriam contrariam sequi possit. Sed hoc ex jure communi non videtur posse colligi : multo minus verum apparet, quod idem Panormitanus ait, omnem actum, ad quem secundum regulam requiritur capituli consultatio, etiamsi ipsius consensus non sit necessarius, si illa omittatur, esse nullum.

Dico 2 : Circa formam et modum servandum in recipiendis religiosis ad habitum et professionem, Sixtus V, ann. 1587, hæc in sua bulla sancivit : ante ejus, qui petit admitti, receptionem, præmittenda est inquisitio de illius parentibus et patria, quæ si post inquisitionem non innotescant, potest fieri receptio; item de ejus moribus ac vita. Deinde de dicta inquisitione debet certius fieri capitulum generale, vel provinciale; post hanc inquisitionem committit præfatus pontifex potestatem recipiendi provinciali et definitoribus, aut aliis etiam electis; ad receptionem autem non requiritur horum omnium definitorum aut electorum consensus definitivus, sed sufficit si plures consentiant cum provinciali. Denique receptionem ad habitum et professionem factam non servata hac forma, annullat ac irritam reddit; sed Clemens VIII per aliam bullam sancivit postea ut professio foret valida, quamvis præfatæ inquisitiones omissæ fuissent. Verum in his attendenda sunt singularum religionum privilegia, constitutiones, consuetudines, etc.

Nota : Olim nemo recipiebatur sine licentia episcopi, potestatem in isto monasterio habentis; et in novitiatu quidam diu probabantur, nempe incogniti, milites, aut ecclesiastico servitio deputati; alii autem pro admittentium arbitrio. Sed pro admittendis peccatoribus vel statim vel post aliquam dilationem, id prudentiæ relinquitur; ut non rejiciatur sine causa idoneus, obligat charitas et officium.

CAPUT XI.

Quos effectus producat religionis ingressus.

Dico 1 : Ab hoc ingressu statim computatur tempus probationis novitii ad validam professionem requisitum; sed iste ingressus non obligat ad perseverandum et profitendum, nullum enim pactum intervenit; ideoque potest egredi licite per se loquendo, etiam sine causa; quia est sui dominus, et potest de se libere disponere; sed non potest religio illum dimittere licite sine justa causa, quia ipsa in hoc non est domina, sed dispensatrix; nec novitius egrediens tenetur solvere expensas in religione factas, quia reditus aut eleemosynæ monasterii, non tantum sunt ad alendos professos, sed etiam novitios, utpote qui se ejus servitio et utilitati offerunt, nisi ingrediendo pacto se obligasset ad solvendam certam summam pro sumptibus novitiatus. Si autem is qui ingreditur aliquid religioni donet in sui sustentationem tempore novitiatus, religio illi egredienti non tenetur restituere nisi eam partem quam non consumpsit pro rata temporis. Iste egressus sine causa, videtur esse potius ingratitudo Dei negativa quam privativa; negativa, quia homo non correspondet divino beneficio quantum posset ac deberet, ut meliori modo se gereret; non privativa, quia in rigore, non privat honestate, neque est culpa per se loquendo.

Dico 2 : Novitius quandiu religionis habitum retinet, non potest licite matrimonium contrahere; si tamen de facto contrahat, valide contrahit, teneturque quam primum potest, dimittere habitum, nisi esset matrimonium tantum ratum, et pœnitentia ductus vellet perseverare.

Dico 3 : Ingressus religionis suspendit omnia vota prius facta, et dissolvit sponsalia ex parte remanentis in sæculo, ita ut post alterius ingressum possit statim cum altero contrahere, si velit; ex parte vero ingredientis religionem, non cessat ipso jure obligatio sponsaliorum donec professionem emittat : si enim postea non perseveret in religione, et altera pars quæ exspectavit, velit tunc impleri sponsalia, altera tenebitur etiam implere; sed illa pars

quæ remansit in sæculo, non videtur teneri implere, si nolit ob magnam mutationem ex altera parte, quæ assumptum religionis habitum dimisit, factam.

Dico 4 : Novitius seu assumens religionis habitum gaudet privilegio canonis, ita ut ipso facto excommunicetur qui eum percusserit.

CAPP. XII, XIII.

An novitiatus requirat necessario integrum annum, ac religionis habitum ; et quando incipit.

Dico 1 : Ex jure divino nullum certum ac determinatum novitiatus tempus requiritur, imo licet pro statu religioso extra congregationem, ut olim in usu fuit, nullus sit necessarius novitiatus, tamen pro statu cœnobitico requiritur ; sed ex jure positivo certum novitiatus tempus fuit definitum, quamvis non unum semper et idem. Prima igitur ad unum annum temporis novitiatus determinatio videtur prius proprio ac privato religionum jure fuisse introducta ; deinde jure communi fuit confirmata ac stabilita, ut colligitur ex cap. *Ad apostolicam* De regular., et cap. *Non solum*, ibid. Idque specialiter renovavit concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 19, 16). Statuit ut probatio ultra annum non differatur ; datur tamen exceptio, de qua postea. Tempus autem unius integri anni ex jure antiquo non erat absolute necessarium, sed tantum sub hac conditione : *Si religio et novitius juri suo non renuntiarint.* Si ergo non renuntiarint, erat absolute necessarium, ita ut professio ante unum probationis annum facta, foret nulla, ut ex juribus antiquis colligitur, exceptis tamen religionibus mendicantibus, in quibus integer probationis annus fuit absolute necessarius, nec locum habuit proprii juris renuntiatio, ut habetur in capp. *Non solum* et *Constitutionem*, De regul. in 6. Sed nunc ex jure novo concilii Tridentini (sess. 25, cap. 15), pro omnibus religionibus integer probationis annus absolute necessarius est, cujus verba sunt hæc : *In quacunque religione tam virorum quam mulierum nullus ad professionem admittatur, qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Ac postea subdit : *Professio autem facta antea sit nulla, nullosque habeat effectus*, etc.

Dico 2 : Juxta communiorem sententiam de substantia novitiatus est, ut fiat in proprio illius religionis habitu, ad quam aliquis probatur, sive in eo habitu quem vel religionis regula præscribit, vel ejus consuetudo determinavit. Hoc enim fundatur maxime in consuetudine et quadam congruitate. Hinc formaliter loquendo, annus probationis incipit ab eo momento, in quo et ex religionis intentione et ex novitii consensu admittitur aliquis ad istam probationem in statu novitiorum, ut in eo probari incipiat.

Dico 3 : Annus probationis, ut communiter docetur, potest inchoari ante decimum quintum ætatis annum expletum, post tamen decimum quartum seu post pubertatem, adeoque finiri ante decimum sextum expletum. Concilium enim Tridentinum nil statuit pro novitiatus inchoatione, sed tantum præscripsit decimum sextum ætatis annum completum pro emittenda professione, quæ tamen ultra decimum sextum annum completum, finito etiam probationis anno, potest ob rationabilem causam differri.

CAPP. XIV, XV.

Quænam sint de novitiatus substantia ; et an sit necessarius annus unus continuus.

Dico 1 : Novitiatus seu status probationis substantialiter requirit, ut novitius non emiserit professionem sive validam, sive existimatam tantum validam, per vota et traditionem acceptatam in ea religione in qua probatur : deinde ut exterius exstet et moraliter duret aliqua unio seu habitudo inter novitium et religionem per receptionem et traditionem novitii, aliaque signa externa ad istam unionem requisita. Actualis autem probatio, nulla alia substantialiter requiritur præter voluntariam permanentiam in hoc probationis statu cum sufficienti illius significatione exteriori. Hinc novitiatus sive fiat sub habitu novitiorum, sive sub habitu professorum, est validus, validaque professio postea emissa, contra Jac. de Graffis dicentem professionem fore invalidam, si novitiatus non sit factus per integrum annum continuum sub habitu novitiorum.

Dico 2 : Non est de substantia novitiatus commorari materialiter intra claustrum per totum annum probationis, sed necessario requiritur commoratio formalis seu commorari formaliter, ita ut ubicunque fuerit novitius sive intra, sive extra claustrum, v. gr. ob morbum, negotia, studia, semper permaneat sub obedientia prælati religionis. Ut autem censeatur formaliter non commorari amplius intra claustrum, debet illud deserere non solum exeundo sine licentia, sed etiam animo non redeundi nec vivendi amplius sub obedientia prælati ; tunc eo ipso desinit esse novitius. Quare si novitius statim ac monasterium ingreditur, incidat in lectum æger, in quo per totum annum morbo detineatur, iste annus fuit verus probationis annus, et eo expleto potest profiteri, quia vere mansit in statu probationis sub obedientia istius religionis prælati. Dum dicitur unus annus, intelligitur unus annus integer, ita ut ne una quidem dies, imo juxta Lessium et Sanchez, ne unum quidem momentum aut horæ particula illi desit.

Dico 3 : Iste probationis annus debet esse continuus, seu non potest discontinuari. (Panormitanus, Angelus, Sanchez, Navarra, et alii theologi communiter.) Id colligitur ex modo loquendi in jure, et ex ipso rationis dictamine, atque ita declaratum fuit in cardinalium congregatione. Discontinuatur autem iste annus probationis, vel faciendo professionem ante annum completum, putans facere veram professionem, vel per habitus dimissionem seu exitum a

religione; ita ut abrumpatur status probationis, et nova receptione egeatur juxta religionis consuetudinem et modum. Nec sufficit ad hanc discontinuationem exuere religionis habitum sive licite cum licentia, sive illicite sine licentia, sed requiritur consummata habitus dimissio animo mutandi suum vitæ statum : aliud est enim exuere habitum, aliud dimittere. Denique videtur ex verbis concilii Tridentini colligi continuitatem anni probationis ita debere præire professioni, ut, finito anno, statim feratur judicium, vel de admittendo novitio ad professionem, vel de eo relinquendo in eodem probationis statu usque ad futuram professionem; si enim statum probationis mutet, poterit multum mutare mores, adeoque egebit nova probatione ad ferendum judicium de eo admittendo ad professionem, contra Angelum et Sylvestrem dicentes novitium, si expleto probationis anno nolens profiteri, monasterio egrediatur, et postea iterum redeat, non egere nova probatione ad emittendam professionem.

CAPUT XVI.

An novitius obligetur ad regularem observantiam; et an possit ecclesiastica beneficia habere.

Dico 1 : Novitius non obligatur in conscientia ad regularem observantiam, quamvis aliquo modo debeat religiosæ disciplinæ subesse quandiu a monasterio non recedit. Itaque quoad votorum religionis observationem :

Dico 2 : Novitius nulla nova seu speciali obligatione tenetur servare castitatem, nisi ratione scandali ob habitum religiosum; unde si vitato scandalo, peccet contra castitatem, non videtur circumstantia personæ peccantis, id est novitii, necessario in confessione explicanda.

Dico 3 : Quoad paupertatem, quamvis novitius non obligetur ad usum paupertatis ex voto, quia illud non fecit, ex lege tamen justitiæ tenetur bonorum religionis dominium non usurpare, quia non ejus sunt; nec ampliorem eorum usum accipere quam ei a religione conceditur, quia non utitur illis bonis ut eorum dominus, sed ex domini concessione; ergo non potest excedere ejus voluntatem ac facultatem. Si autem novitius habeat propria bona, potest valide ac licite de illis disponere sicut antea poterat, et alia acquirere sine prælati licentia, sive per testamentum, sive per donationem, sive alio modo, religioso statui non repugnante. Unde ante professionem, sive moriens, sive non moriens, potest, cui voluerit, sua bona testamento relinquere, prætermisso prorsus monasterio ; nisi prius ea illi donasset, aut oblata religio acceptasset; imo non potest religio licite illum ab hoc prohibere, aut minis cogere, ut vel testamentum non condat, vel, si condat, ut monasterium relinquat hæredem, alioqui non admittendum ad professionem. Hinc novitius ante professionem si moriatur, infecto testamento, religio illi ab intestato non succedit. Si autem sua bona monasterio donavit donatione inter vivos, et ante professionem egrediatur, monasterium potest et debet illa retinere, utpote absolute donata a vero domino, nisi foret donatio omnium omnino bonorum, aut nimis magna, excedens donantis intentionem; si tamen ante professionem moriatur, et suam donationem expresse non revocaverit, sive parva sive valde magna, etiam omnium bonorum fuerit, videtur firma et rata subsistere; quia licet habuerit subintellectam conditionem : *Si perseveravero,* satis tamen perseveravit qui in religione mortuus est, etiamsi ob temporis defectum professionem emittere non potuerit. Deinde novitius potest retinere beneficia ecclesiastica, nec potest juste illis privari sine ipsius consensu (cap. *Beneficium* De regular. in 6); obligaturque adhuc ad sui beneficii servitium, quod potest per se præstare in tali statu, v. gr. ad recitandum officium canonicum. Quoad autem alia omnia quæ non potest per se præstare, debet, quantum fieri potest, per alium inservire, assignata hujusmodi vicario portione congruenti, ut in eodem capite *Beneficium*, declaratur. Præterea novi beneficii sæcularis collatio facta novitio, est quidem valida, sed ordinarie non est licita; regularis autem beneficii, si sit simplex, collatio est valida et licita juxta jus novum concilii Tridentini (sess. 24, cap. 10), dicentis posse dari beneficium regulare nondum professis, imo et iis qui religionis habitum nondum suscepere, modo eum suscipere, et professionem emittere teneantur. Non tamen potest eligi ad aliquam religionis dignitatem, ut habetur in cap. *Nullus* De elect. in 6. Sed potest licite ad episcopatum; ad alias autem inferiores dignitates sæculares potest, uti ad beneficia sæcularia eligi, id est valide, sed non licite ordinarie. Dum novitius habet jus activum ad electionem, non debet illo privari. Denique novitius sacris initiandus, probabilius debet habere litteras demissorias ab episcopo in cujus diœcesi domicilium habebat ante religionis ingressum, nisi religio habeat ex speciali privilegio facultatem eas dandi, uti habet societas Jesu.

Dico 4 : Circa obedientiam, novitius per se et directe non potest obligari in conscientia præcepto superioris; nondum enim obedientiam promisit; tenetur tamen ob vitandum scandalum et ob pactum virtuale, quo suscipiendo habitum se obligavit ad excipiendam correctionem, subjacere religiosæ disciplinæ, ita ut per vim non resistat; imo prælatus illa quæ posset episcopus, potest ei sub censuris præcipere. Deinde novitius ex proprio præcepto non tenetur recitare horas canonicas, quia non est vere religiosus, nec est ullum hac de re præceptum.

LIBER VI.

De valida professione religiosa.

CAPUT PRIMUM.

An professio sit, semperque fuerit ad statum religiosum necessaria.

Dico 1 : Professio vera ac valida ita est de substantia religiosi status, ut ante illam nemo sit vere ac proprie religiosus; sed per illam fiat. Probatur ex cap. *Religiosi* De sent. excom. in 6, et ex perpetua Ecclesiæ traditione ac praxi; hujusque ritum describit Dionysius c. 6 *De eccles. hierar.*, p. II. Et ratio est quia de ratione status religiosi, est firmitas in isto vitæ genere, quod per statum religiosum assumitur; hæc autem firmitas constituitur per professionem. Sed

Dico 2 : Professio alia valida, alia invalida; invalida nullam inducit obligationem, nec facit religiosum. Deinde alia expressa, quæ fit per formalia et expressa verba, v. gr. : *Ego professionem facio*, etc ; alia tacita, quæ factis potius quam verbis fit, v. gr. gestando habitum aut exercendo actus professorum. Assertio autem prius posita intelligitur de quacunque professione valida, sive expressa sive tacita; quia interior voluntas, a qua maxime pendet professionis vis, valor et obligatio, non solum verbis, sed etiam factis sufficienter declarari potest, id est voluntas profitendi ac mutandi statum; quod sufficit ad veram professionem. Sed nota istam vocem *religiosus* interdum sumi in latiori significatione pro eo qui aliquod speciale religionis opus agit.

CAPUT II.

Quid sit formaliter professio religiosa, et quis formalis ejus effectus.

Dico 1 : De substantia et essentia religiosæ professionis est traditio, quam religiosus de se ipso facit religioni, vel Deo, in ista religione victurus; et quidem in manibus ejus prælati, cujus acceptatio est etiam de professionis substantia : ita communiter doctores Richardus, Durandus, Sotus, etc., ex cap. *Ad apostolicam* De regular. Ratio est quia ad constituendum quempiam in statu religioso, non sufficit ut quomodocunque promittat, sed oportet ut se privet jure quod in seipsum habet in ordine ad suas actiones et sua bona, illudque transferat in religionem seu in ejus prælatum. Hæc autem translatio non fit, nisi per religiosam traditionem; hinc oritur in prælato potestas irritandi suorum religiosorum vota, acquirendi eorum bona, cogendi eos ad obedientiam, ac puniendi. Præter traditionem tria etiam paupertatis , castitatis et obedientiæ vota sunt de professionis substantia, sive explicite sive implicite fiant, v. gr. dum religiosi sancti Dominici profitendo, solum vovent obedientiam secundum regulam sancti Augustini.

Dico 2 : Traditio quæ in professione fit, quamvis immediate homini fiat, non est tamen pactum aut donatio mere humana, sed est religiosa et sacra, nam aliquo modo fit principaliter Deo, erga quem ex illa nascitur obligatio : hinc ejus transgressio est sacrilegium. Quare :

Dico 3 : Formalis effectus professionis, quatenus traditionem includit, est esse traditum aut donatum, seu translatum in alterius potestatem. Hinc oritur in religioso subjectio tum servitutis simul et filiationis erga Deum, tum filiationis spiritualis erga prælatum; et in prælato potestas erga religiosum œconomica, paterna, spiritualis et supernaturalis.

Dico 4 : Ex dictis patet, quamvis traditio et tria vota substantialia secundum se ac formaliter sint diversa, ex illis tamen coalescere professionem, quoad substantiam per modum unius moralis contractus perfecti ac consummati. Quoad eos autem qui se religioni tradunt in ejus servitium, et vocantur *oblati*, licet emittant tria vota, possunt tamen vel sic inveniri qui non sint vere religiosi, nec veram emittant professionem; quia non quæcunque traditio sufficit ad veram professionem, nec satis est fieri vota in religione approbata, sed debet fieri traditio et vota in religione approbata prout est approbata et secundum regulam approbatam emitti.

CAPUT III.

An ad valorem professionis requiratur consensus omnino liber et in ætate pubertatis.

Dico 1 : Non fit vera ac valida professio sine consensu ejus qui religiosus efficitur, et quidem sine consensu omnino libero ac perfecto; ideoque ex jure positivo ante ætatem puberem nec consensus efficax nec professio valida est. Ecclesia enim habet potestatem irritandi vota, dum non fiunt cum legitimis conditionibus ab ipsa præscriptis; irritat autem ejusmodi vota ante pubertatis annos facta, nec acceptat ejusmodi professionem; ergo est invalida. Sed quamvis nunc non possit fieri valida professio ante decimum sextum ætatis annum expletum, potest tamen valide serius fieri post expletos sexdecim annos juxta cujusque religionis statuta. Dicuntur enim Carthusiani nullum admittere ad professionem ante vicesimum ætatis annum, et Prædicatores non admittere ad eam laicos ante decimum octavum.

Dico 2 : Pueri ante usum rationis, donati religioni a parentibus, nullam habent obligationem, si quando perveniunt ad annos pubertatis, contradicant, nolintque religionem profiteri; libere enim possunt matrimonium inire, aut quemcunque alium statum assumere. Quædam igitur jura, quæ in contrarium afferuntur seu objiciuntur, intelligenda sunt de filiis in infantia, qui postquam ad annos discretionis pervenerunt, oblationi de se factæ a parentibus expresse vel tacite consenserunt. Deinde hic liber consensus ad validam professionem necessarius non tantum requiritur ex parte religiosi se dan-

tis, sed etiam ex parte religionis acceptantis; professio enim includit quoddam pactum inter religiosum et religionem, in quo utriusque consensus requiritur, et potestas in acceptante.

CAPUT IV.

An consensus ex metu reddat professionem invalidam.

Nota : Non agitur hic de eo qui ex metu exterius profitetur, interius autem non consentit; sed de eo, qui ex metu profitendo verum interius consensum præbet.

Dico 1 : Professio ex metu facta non videtur esse nulla ac irrita ex natura rei, sed ex jure positivo est certo nulla et irrita. (Sanchez, Henriquez, Lessius, etc.) Probatur prima pars, quia sive iste metus sit directe incussus ad extorquendum consensum, sive ex occasione alicujus periculi, mortis, naufragii, etc., conceptus, homo semper retinet tunc sufficientem libertatem ad profitendum; cumque hic et nunc simpliciter et absolute profiteatur, ergo ex natura rei est valida; et quamvis patiatur injuriam ab eo qui metum incutit, non tamen a Deo cui fit promissio ac traditio. Probatur prima pars ex variis juris capitibus et ex communi Ecclesiæ sensu, consuetudine, praxi.

Dico 2 : Ad irritandam professionem non sufficit metus levis, sed requiritur gravis, cadens in constantem virum; nec etiam videtur sufficere timor reverentialis, si significet tantum interiorem reverentiam erga patrem, aut aliam ejusmodi personam cum quadam verecundia, quæ puerum aut puellam detinet ne illius voluntati contradicat; secus vero, si insuper includat aliquam coactionem, qua puer aut puella cogitur istam reverentiam ei præstare ob incussas minas, ita ut in hoc negotio non audeat illius voluntati contradicere. Præterea quamvis ex parte religionis requiratur etiam voluntaria acceptatio vel receptio, si tamen prælatus quocunque metu adactus non ficte sed vero consensu professionem acceptarit, videtur valida professio, quia nullum jus ecclesiasticum, nec consuetudo, nec aliud principium habetur, quo reddatur invalida ejusmodi professio aut acceptatio.

CAPUT V.

An professio facta per errorem, dolum, aut ignorantiam sit valida.

Dico : Ignorantia vel deceptio in substantialibus religionis rebus vel adeo gravibus ut moraliter ad religionis substantiam revocentur, reddit professionem invalidam ac nullam; v. gr. si quis inducatur ad faciendam professionem, putans se non in perpetuum obligari, vel per eam non privari suorum bonorum dominio, etc., aut si decipiatur circa religionis asperitatem, quæ tanta sit, ut moraliter superet ipsius vires. Probatur ex cap. *Cum dilectus*, ex cap. 1 *De his quæ vi*, et ex cap. *Veniens* De convers. conjug. Deinde ejusmodi deceptio reddit matrimonium invalidum, ergo et professionem. Sed quando ignorantia vel deceptio est tantum in accidentalibus religionis rebus, vel in iis quæ sunt minoris momenti, non constat irritam facere professionem, quia non excludit substantialem consensum. Parum autem refert ex qua causa adveniat iste error, vel ignorantia, sive per injuriosam deceptionem, sive ex aliqua causa naturali et exstrinseca, quia professionis impedimentum in hoc casu non provenit ex injuria, sed proxime ex consensus defectu; nec hoc impedimentum ex parte profitentis tantum, sed etiam ex parte religionis, cujus consensus est quoque necessarius, potest intervenire, de quo cum proportione idem dicendum est.

CAPP. VI, VII.

An servitus, vel consummatum matrimonium reddat invalidam professionem.

Dico 1 : Una ex conditionibus requisitis ad licitam professionem faciendam, est libertas a statu servitutis; servus enim manens servus non potest licite religionem profiteri sine heri licentia (cap. *Qui vere* 16, quæst. 1). Videtur tamen sic facta professio, esse valida (Angelus, Sylvester, Lessius, etc.,) quia nullum habetur jus canonicum quod illam faciat irritam, neque ex natura rei est irrita. Potest tamen herus eum etiam professum repetere, et cogere sibi servire, et non religioni; ast extra monasterium manebit verus religiosus votis obstrictus. Nec potest a religione cogi herus, ut vendat suum servum, vel pro eo pretium accipiat, nisi sub ea conditione in professionem consensisset. Deinde si extra triennium illum non repetiit, cum posset, potest admitti ad professionem, nec est hero reddendus, sed tantum res quas secum attulit (cap. *Si quis incognitus* 17, quæst. 2). Imo si herus sciat, et non contradicat, censetur consentire. Sed si servus illo invito professionem fecerit, et religio sciens admiserit, herus si velit, potest religionem cogere ad dandum pretium pro gravamine sibi injuste illato; secus, si ignorans et bona fide eum admiserit.

Dico 2 : Professio alicujus conjugis sine alterius conjugis licentia post consummatum matrimonium, licet ex natura rei videatur esse valida, sicut jam dixi de servi professione invito domino, tamen ex jure ecclesiastico est certum esse invalidam ac nullam, ut colligitur ex cap. *Quidam* De convers. conjugat., et ex cap. *Placet*, eodem titulo. Sed hæc jura excipiunt aliquid circa votum castitatis, docendo illud fuisse validum, nempe ex natura rei et vivente conjuge obligare ad non petendum debitum, et illo mortuo ad non contrahendum novum matrimonium. Quando autem fit ab uno conjuge professio de licentia alterius conjugis promittentis etiam suam conversionem juxta jus requisitum, id est castitatem servare, tunc patet illam esse licitam ac validam, quamvis subsistat adhuc semper indissolubile matrimonii vinculum, sopito et impedito ejus usu. Si autem fiat professio de licentia alterius conjugis sine ejus conversione, id est manentis in sæculo sine edito castitatis voto, est quidem valida, sive expressa fuerit licentia sive tacita tantum, quæ intelligitur esse dum alter conjux scit alterius factum,

et non vetat : ut colligitur ex cap. *Ex parte* 1, De convers. conjug., et ex cap. *Consuluit*, ibidem. Sed si alter conjux, qui licentiam dedit, sine conversione manens in sæculo, petat suam vel suum conjugem jam professum, debet illi reddi ad usum matrimonii. Ita statutum est in cap. 1 De convers. conjug. Licet enim conjux licentiam dederit, non censetur vovisse castitatem, nec potest ad hoc cogi, si nolit; quia quamvis jus statuat ut ista licentia non habeat effectum, nisi ipsa uxor votum emittat, si tamen hoc jus non fuerit servatum, non ideo potest ad hoc compelli, quia illa juris transgressio magis tribuenda est prælato vel conjugi profitenti, quam ei qui licentiam dedit; vel si in eo fuit culpa aliqua, ista pœna non est proportionata, nec ullo jure lata; ergo petenti debet reddi conjux, nisi manens in sæculo fecisset simplex religionis votum. Verumtamen mortuo conjuge, qui, vel quæ licentiam dedit, vel si vivens velit castitatem vovere, tenetur alter vel altera quæ professionem emisit, redire ad monasterium, ejus enim professio quæ fuit valida, semper subsistit.

CAPUT VIII.

An episcopus, vel alius in alia dignitate constitutus possit professionem emittere.

Dico 1 : Episcopus per se et sua voluntate, id est sine obtenta papæ licentia, non potest professionem emittere., ex cap. *Nisi cum pridem* De renunt., etc. Hoc intelligitur de episcopo confirmato et consecrato, et actualiter suam ecclesiam habente, ac etiam de episcopo confirmato habente ecclesiam sed nondum consecrato, imo et probabiliter de episcopo titulari habente ecclesiam ab infidelibus occupatam, aut relegato : non vero de episcopo consecrato, qui nullius est ecclesiæ episcopus, nec de electo tantum, et nondum confirmato, nisi personali præcepto vetitus sit professionem facere. Ista prohibitio episcopo facta emittendi professionem, non eam reddit irritam quoad ejus substantiam seu quoad tria religionis vota; sed irritum reddit aliquem ejus effectum, nempe dissolutionem vinculi episcopalis sine qua substantia stare potest, id est remanendo episcopus potest de novo vovere castitatem ac paupertatem : actualis enim horum duorum observatio non repugnat statui episcopali. Item potest obedientiam vovere in eo quod muneri episcopali non repugnat; sed quia non potest renuntiare suo episcopatui, seu solvere spirituale vinculum quod est inter episcopum et ipsius ecclesiam, ideo professio quoad omnem religionis usum episcopali muneri repugnantem manet impedita, et quoad hunc effectum invalida, et episcopo prohibita. Unde quoad substantiam et religiosum vinculum nullo jure ecclesiastico est irrita, sed est irrita quoad ejus usum, sive quoad muneris episcopalis renuntiationem aut obligationem, onus et usum tollendum.

Dico 2 : Alii prælati episcopo inferiores possunt sine papæ licentia dimittere suam dignitatem aut beneficium ac professionem emittere; quia illi non obligantur speciali voto perpetuo ad pastorale munus, adeoque nulla egent dispensatione, et nullum jus illis id prohibet. Item professio facta in unâ religione impedit quidem professionem in alia laxiori aut æquali, sed non in strictiore et altiore.

CAPUT IX.

Quænam sit obligatio filii jam professi ad subveniendum parenti graviter egenti.

Nota : Quamvis filius, relicto parente graviter egenti, possit mortaliter peccare faciendo professionem; tamen professio est valida. Hinc quæritur ad quid obligetur filius jam professus erga parentem graviter egentem. Quare omissis variis doctorum id diversimode explicantium opinionibus :

Dico 1 : Quando filius professus est religionem cum injuria parentis jam in gravi necessitate constituti, tenetur petere facultatem ad illi subveniendum, et religio seu prælatus tenetur eam dare; si autem neget, nec aliud remedium commodum adsit, v. gr. si nec ex eleemosynis corrogatis, nec aliquo vivendi modo a prælatis concesso, nec alia via possit illi succurrere, potest licentia nec a prælatis immediatis, nec a generali, ipsove papa obtenta ei succurrere, secluso scandalo, et notabili religiosi status indecentia.

Dico 2 : Quando parens incidit post filii professionem in gravem necessitatem, in qua prius non erat, tenetur illi subvenire servato suo statu et substantiali religionis ordine; non tamen potest ob istam causam mutare statum sine legitima pontificis aut suorum prælatorum facultate. Facultatem autem ad diu vivendum extra monasterium, vel etiam ad mutandum habitum, aut ad vivendum intra monasterium cum detrimento ejus actionum, quæ in utilitatem monasterii redundabant, probabilius non tantum non tenetur religio ex justitia concedere, quia sine ullo onere aut debito justitiæ acquisivit jus absolutum in istam personam per ipsius professionem, sed nec etiam ordinarie ex charitate cum suo notabili incommodo. Retento autem religioso statu et substantiali ordine, si prælatus injuste in iis quæ non sunt principalia ad substantialem status religionis statum pertinentia, sed quædam secundaria, v. gr. observatio hujus cæremoniæ vel regulæ, cujus transgressio non est directe contra status aut alicujus voti substantiam, deneget licentiam; nec sit moralis spes eam obtinendi, videtur sine illa caute et occulte vitato scandalo posse filius professus per illa parenti graviter egenti succurrere. Denique ad omnia ad quæ in prædicto casu obligatur filius erga parentem, etiam parens professus obligatur erga filium. De fratrum autem obligatione erga fratres aut sorores idem dicendum est pro professione quod dictum est supra pro ingressu religionis.

CAPP. X, XI.

De exemptione debitorum, et conditionibus ex parte religionis requisitis ad recte profitendum.

Nota : Debita quæ impediunt ingressum religio-

nis, etiam a fortiori impediunt professionem, non tamen irritam reddunt.

Dico 1 : Qui licite cum debitis professus est, non tantum non tenetur nec potest egredi monasterium ad solvendum debitum, sed probabilius per professionem totum ipsius debitum exstinctum est ; quia per eam homo civiliter moritur ; adeoque nulla amplius justitiæ obligatio manet in creditore. Unde non tenetur ex justitia intra monasterium propriis manibus laborare, eleemosynas quærere, mendicare, etc., ad sua debita solvenda. Si autem illicite et graviter peccando contra justitiam respectu creditoris professus est, quia nempe tenebatur exspectare, donec prius solveret debita, tunc Navarra, Angelus, Medina, censent eum teneri solvere vel intra religionem, si possit, vel relicta religione, si necesse sit, ex facultate quidem superioris, si eam possit obtinere ; vel si nequeat, etiam sine illa, contra Sylvestrem et Paludanum sentientes eum non teneri solvere tale debitum sive egrediendo religione, sive manendo intra illam. Sed via media inter istos auctores incedendum esse censeo : quamvis iste non teneatur religione egredi ut solvat debita, nec quidquam contra istius status decentiam vel substantiam facere, quia debita civilia non obligant tanto cum rigore ut teneatur quis cadere a suo statu, tamen videtur, si aliquo modo possit commode intra religionem manens, et regularem disciplinam observans, teneri illa solvere ; quia ratio injuriæ ex se obligat ad satisfactionem possibilem intra status decentiam. Quoad censuras ecclesiasticas, si quis illis innodatus profiteatur, valida est professio.

Dico 2 : Conditio ex parte religionis requisita ad validam professionem, est ut ea fiat in manibus ejus qui habeat potestatem incorporandi isti religioni profitentem, nempe vel ejus prælati, vel summi pontificis, vel etiam episcopi per se aut alium delegatum si talis religio non sit exempta ab ejus jurisdictione ; an professio debeat fieri cum capituli seu monasterii consensu vel sine illo, id pendet ex illius religionis instituto. Professio autem facta tantum sub spe ratihabitionis, si acceptans postestatem non habeat, licet postea ratihabeatur, non videtur valida. Denique acceptans præter potestatem, debet habere liberam acceptandi professionem, et obligandi religionem eo modo quo obliganda est, voluntatem.

CAPUT XII.

Quænam forma servanda est, ut professio valide et licite fiat.

Dico 1 : Certum est aliquam exteriorem formam, quæ mutuum religionis et religiosi consensum sufficienter exprimat, requiri, ut professio perficiatur, ejusque vinculum consurgat, ut constat ex Dionysio, c. 6 *De eccles. hierar.*, et aliis. Hujusque formæ expressio ordinarie fit per verba profitentis ; ex parte recipientis, ordinarie nulla verba requiruntur, sufficit aliquod signum quo patefacit se acceptare professionem. Deinde ex natura rei et jure communi, non requiritur, ut professio fiat scripto, cum possit sola voce fieri ; et contra non requiritur necessario ut voce fiat, cum possit solo scripto exhibito fieri, tamen jure speciali aliquarum religionum requiritur ut scripto fiat, ac voce proferatur : et quidem in societate Jesu videtur id esse professioni essentiale ut scribatur et legatur coram testibus, ut colligitur ex v. part. cap. 3 *Constit.*, his verbis : *Illud autem essentiale est, ut publice votum legatur coram iis*, etc., id est, coram iis de societate et externis, qui adfuerint. Pro qua re spectanda est ac servanda cujusque religionis consuetudo.

Dico 2 : Ad expressæ professionis formam requiritur necessario ut per eam exprimatur trium votorum essentialium obligatio cum traditione certæ ac determinatæ religioni facta ; expressa enim professio non est valida si non obliget ad certam ac determinatam religionem ; quia status religiosus non potest reipsa suo modo exsistere, quin sit in certa specie. Imo vero nunc ex speciali Ecclesiæ decreto statutum est, ut professio religiosa fieri non possit nisi in religione approbata, adeoque in vita communi ac regulari.

Dico 3 : Ad valorem professionis necessario requiritur forma ita absoluta, ut non includat conditionem status religiosi substantiæ repugnantem (Sylvester, Angelus, Covarruvias, Lessius, etc.); quia deficiente substantiali parte, aut in hanc consensu, non potest contractus seu professio perfici. Si autem professio facta sit sub conditione indifferente aut non repugnante status religiosi substantiæ, videndum est qualis sit ista conditio : si sit conditio de præsenti aut de præterito ac subsistat, valida est professio; si non subsistat, invalida ; si vero sit de futuro, videtur professio quoad proprium ejus vinculum, esse nulla, nisi apposita conditio ita reducatur ad conditionem de præsenti, ut ea impleta ac subsecuta, fiat novus consensus cum nova actuali traditione ; sicut dicitur de matrimonio facto conditione etiam per verba de præsenti, quod impleta conditione non incipit esse matrimonium nisi mutuus consensus denuo detur. Deinde sicut matrimonium factum sub conditione æquivalet sponsalibus quoad vim obligandi ad ineundum matrimonium impleta conditione ; ita professus sub ejusmodi conditione, tenetur postea impleta conditione vere profiteri, et ad id cogi potest.

Dico 4 : Professio, sicuti matrimonium, aut alius contractus, potest fieri per procuratorem specialiter deputatum ad illam emittendam in tali religione suo nomine. Quoad locum professionis, sive intra monasterium sive in templo fiat, nihil refert pro ejus valore. Sed professio feminæ in virorum religione, et contra viri in religione feminarum, non censetur valida juxta communem sententiam, quia non fit in religione approbata pro illis.

CAPP. XIII, XIV.

Quos effectus habeat valida professio expressa.

Dico 1 : Ex voto castitatis oritur inhabilitas ad matrimonium ineundum, et irritatio matrimonii

rati, non consummati; ex voto paupertatis, inhabilitas ad habendum aliquid proprium, etc.; ex voto obedientiæ, obligatio parendi prælato, etc.; ex traditione, translatio et privatio sui juris; ex tota professione sequitur per privilegium exemptio a jurisdictione judicum ordinariorum, ablatio aliquarum irregularitatum, etc.

Dico 2 : Quamvis professio valida non remittat ex opere operato, reatum culpæ uti baptismus; pie tamen credi potest Deum profitenti in statu gratiæ remittere ex sua liberalitate omnem pœnæ temporalis reatum quasi ad munerandum excellentem istius operis perfectionem, etiamsi hæc non sit condigna istius reatus satisfactio. Qua in re nonnulli sancti Patres professionem religiosam quasi æquiparant baptismo.

Dico 3 : Per religiosam professionem omnia vota quæ illam præcesserunt, exstinguuntur veluti per quamdam commutationem in aliud adeo melius, ut universaliter et quasi eminenter comprehendat omnia ista vota præcedentia : ita communiter theologi D. Thomas, Cajetanus, Sotus, Sylvester, etc.; adeoque vota omnia præcedentia, quæ cum ipsa professione simul impleri non possunt, v. gr. vota peregrinationum, etiamsi reservata, eleemosynarum, etc., aut etiam vota pure realia, per eam commutantur et exstinguuntur. Insuper vota quæ simul stare et impleri possunt cum ipsa professione; et etiam ea quæ ante professionem impleri potuerunt, sive realia vel personalia, sive parva vel magna etiam reservata, si faciens professionem habeat intentionem omnia illa commutandi in suam professionem, totamque eorum obligationem exstinguendi, potest valide et licite id facere, talis enim commutatio est evidenter in melius; probabiliter tamen si vovens seu profitens non intendat istam suorum votorum commutationem, ipso facto non fit : quia nullum apparet jus, cujus vi fiat; non naturale, quia ista vota non sunt incompossibilia ex natura rei; non divinum positivum, quia nullibi reperitur; non ecclesiasticum, quia ex cap. *Scripturæ* de voto, quod ab auctoribus affertur, non sat id colligitur. An vero tale jus fuerit consuetudine introductum, dubitari aut conjectari posset ob tot tantorumque virorum ipsa professione omnia vota exstingui asserentium auctoritatem; cæterum tutius est ut qui profitentur, admoneantur semper de ejusmodi commutatione facienda, vel certe ut superiores statim post factam professionem illa vota reddant irrita, quod facere possunt. Quoad id quod D. Thomas asserit cum multis idem sentientibus, votum ingrediendæ strictioris religionis exstingui per professionem (nempe votum solemne) in laxiori, quamvis ex vi solius juris naturalis non exstinguatur, tamen ex jure positivo Bonifacii id specialiter statuentis in cap. penult. *De regular.*, exstinguitur; imo probabiliter ante Bonifacium etiam ex jure ecclesiastico, saltem consuetudine introducto, exstinguebatur. De votis societatis Jesu simplicibus, quæ post biennium probationis fiunt, dicetur postea in tomo sequenti; nunc tantum supponimus per illa non exstingui cætera vota, sed tantum manere ipso jure suspensa, juxta decretum 128 primæ congregationis.

CAPUT XV.

An professionis religiosæ vinculum quatenus humanum contractum includit, possit dissolvi per voluntatem contrahentium.

Dico 1 : Professionis vinculum ex parte profitentis est omnino indissolubile, ita ut nunquam possit sola ejus voluntas sufficere vel ad illud per se rumpendum, vel ad cogendam religionem ut illud rumpat, et restituat ipsi libertatem; quia profitens transtulit sui dominium in religionem, sicut fit in servitute civili, seque in perpetuum donavit religioni : donator autem non potest acceptatam donationem revocare. Ergo, etc.

Dico 2 : Post absolutam et solemnem professionem acceptatam, religio non potest sua tantum voluntate etiam cum causa rationabili religiosum invitum dimittere liberum a vinculo professionis et obligationis, eumque religioso statu privare, neque illum ad acceptandam istam dimissionem cogere, quia professio fit cum obligatione reciproca inter religiosum et religionem; ac quamvis dimitteretur seu ejiceretur, nunquam prorsus rescinderetur prius vinculum tam ex parte religiosi quoad traditionem et servitutem religiosam, quam ex parte religionis, quæ non omnino amitteret jus seu dominium acquisitum in istam personam quandiu aliam religionem non intraret ac in ea profiteretur; imo licet cederet juri suo quoad illius gubernationem, maneret tamen sub potestate et speciali obedientia summi pontificis, qui est supremus omnium religionum prælatus. Verum cum ejectus a religione exempta, et religionis habitu privatus amittat exemptionis privilegium, tenetur episcopo tanquam suo prælato religiose obedire juxta jus antiquum, per quod olim religiosi erant episcoporum jurisdictioni subjecti.

Dico 3 : Etiam ex mutuo religionis et religiosi consensu ac conventione non potest religiosa traditio a religione rite acceptata rescindi quoad ejus vinculum, hæcque professionis indissolubilitas fundatur in jure tum ecclesiastico tum naturali, quia modus faciendæ professionis cum vinculo indissolubili est quidem jure ecclesiastico introductus ac præscriptus; tamen professio sic facta potest etiam dici reddi indissolubilis per mutuam contrahentium voluntatem, adeoque ex natura rei : tum quia religiosus sic se tradens, se privat potestate revocandi aut retractandi sui donationem, tum quia religio ex vi suæ institutionis ita eam acceptat, ut absolutum quasi dominium istius religiosi Deo simul et sibi vices Dei gerenti in perpetuum acquirat; ideoque non potest amplius acceptatio retractari, quia istud jus acquisitum principaliter ac specialiter transivit in Deum, cujus bona seu jura acquisita solus papa tanquam ejus vicarius, potest dispensare; non autem religio aut ejus prælatus. Hinc :

CAPP. XVI, XVII, XVIII.

An papa et solus papa possit in professione religiosa dispensare.

Dico 1 : Papa potest dispensare in professione religiosa, adeoque efficere ut qui fuit hactenus religiosus professus, non sit amplius religiosus : ita communius theologi, Cajetanus, Paludanus, Scotus, Richardus, Valentia, Toletus, Sanchez, Lessius, etc., contra D. Thomam (2-2, quæst. 188, art. 11, licet alibi etiam oppositum teneat), Sylvestrem, Capreolum, etc. Probatur : 1° ex praxi, nam papæ dispensarunt cum Ramiro monacho et sacerdote, regibus Aragoniæ consanguineo, cum Constantia Siciliæ regis filia monacha, cum Casimiro Benedictino rege Poloniæ ad ineundum matrimonium. 2° Ex capite *Unico* De voto in 6, ubi dicitur voti solemnitas esse ex Ecclesiæ institutione introducta. Papa autem potest dispensare in quacunque Ecclesiæ institutione seu constitutione; quamvis enim status religiosus quoad substantiam sit ex jure divino positivo, seu ex institutione Christi, non tamen suo præcepto Christus reddidit immutabilem et indispensabilem ; sed eum reliquit suæ naturali obligationi, in qua papa per universalem potestatem a Christo acceptam : *Quidquid solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19) ; et : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17), tanquam ejus vicarius potest dispensare. Sicut ergo potest dispensare in voto simplici, ita et in solemni, per utrumque enim jus acquiritur Deo, qui cum ipsemet possit cedere juri suo acquisito illudque remittere, suas vices summo pontifici tanquam omnium suorum bonorum dispensatori commisit ut istud suo nomine remitteret; et quoad alterum jus religioni acquisitum per religiosi traditionem, hoc etiam potest remittere tanquam supremus omnium religionum prælatus, omniumque Ecclesiæ bonorum ac jurium summus dispensator. 3° Ratione : Id quod posset impedire dispensationem in professione religiosa, est voti solemnitas; nam papa in omni voto simplici potest dispensare, sed voti solemnitas est introducta ab Ecclesia, uti dicitur in dicto capite unico ; ergo non impedit, cum papa possit dispensare in omni Ecclesiæ lege ac constitutione, adeoque potest in professione religiosa dispensare ; ex graviori tamen causa quam in votis simplicibus nude sumptis, quia majus est traditionem et donationem jam factam rescindere, quam promissionem remittere.

Objicies 1 : Innocentius papa in cap. *Cum ad monasterium* De statu monachorum, sic ait : *Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo annexa est regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Cum pontifex dicat se non posse dispensare in actibus contra ista vota, ergo nec illa, nec statum per illa acquisitum auferre potest. Respondeo : Nego consequens. Ibi enim non agitur de dispensatione monachatus, illum auferendo, sed de dispensatione observationis votorum manente monachatu; dicitque papa se non posse dispensare in eorum observatione cum monacho, manente monacho; quod clarum est.

Obj. 2 : Non potest pontifex efficere ut res semel consecrata ad divinos usus permanens in suo esse, non maneat consecrata, sed per professionem consecratur religiosus divino cultui, ita ut esse religiosum, nihil aliud sit quam esse Deo consecratum. Ergo non potest papa efficere ut persona semel religiosa per professionem, quandiu vivit, non sit religiosa. Respondeo : Nego consequens. Religiosus dicitur res seu persona consecrata non per characterem indelebiliter impressum, nec per actionem sacram similem ei per quam calix consecratur, sed solum per quamdam deputationem promissione aut pacto firmatam, per quod obligatur ad cultum et usum divinum. Dum autem hæc obligatio aufertur vel rescinditur per dispensationem, tunc amittit suam consecrationem ; sive iste consecrationis modus cessat, quia non durat nisi quandiu durat obligatio pacti seu voti. Sicut enim ista consecratio potest ab Ecclesia institui, ita et potest ab ea destrui dispensando. Quod attinet ad locum Levitici, capite ultimo (XXVII,33) : *Illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari*, id intelligitur in sensu composito ; id est, durante consecratione et sanctificatione, vel etiam seclusa necessitate et auctoritate ejus qui possit dispensare. Imo nec id pro omnibus statuitur, ut patet in consecratione et sanctificatione Nazaræorum (*Num.* VI).

Obj. 3 : Papa non potest dispensare in matrimonio ; ergo nec in professione religiosa. Respondeo : Distinguo antecedens. In matrimonio rato, nego antecedens ; in consummato, concedo antecedens. Verius enim est posse pontificem in matrimonio rato dispensare, ut habetur ex cap. *Ex publico* De convers. conjug., et ex cap. *Inter corporalia* De translat. episc. Quod vero non possit dispensare in matrimonio consummato, id provenit ex speciali omnimodæ indissolubilitatis ratione vel ob perfectam significationem sacramentalem unionis Christi cum Ecclesia, vel ob damnum aut injuriam in liberos naturaliter redundaturam orta.

Itaque quamvis olim opinio D. Thomæ fuisset probabilis, nunc tamen post Bonifacium VIII, D. Thoma posteriorem, qui in dicto cap. *Unico* De voto, declaravit voti solemnitatem esse de jure ecclesiastico ; ac post bullam *Ascendente Domino* Gregorii XIII, in qua ipse Bonifacii dictam declarationem confirmat, addendo insuper ac definiendo statum vere ac proprie religiosum posse stare sine ulla solemnitate, ac revera stat in gradu scholarium approbatorum societatis Jesu, contraria sententia, quam supra attuli et asserui, pro certa et indubitata tenenda est.

Dico 2 : Hæc potestas dispensandi in professione religiosa nunc de facto in solo residet summo pontifice, qui videtur istam dispensandi potestatem sibi reservasse, dum sibi cœpit reservare religionum approbationem aut votorum perpetuorum dispensatio-

nem. Unde ante istam pontificum reservationem, quando episcopi poterant instituere et approbare religiones, atque acceptare per se vel per alios religiosam traditionem ac vota religiosa, tunc videntur etiam potuisse cum suis religiosis subditis dispensare in professione religiosa ac in votis religiosis, sicuti poterant dispensare in voto virginitatis. Et quamvis urgente gravi necessitate etiam nunc juxta communem doctorum sententiam possint in votis papæ reservatis dispensare, utendo epiikia, aut interpretatione; non videtur tamen ista potestas nunc extendi ad dispensandum in solemni voto religionis quocunque casu aut necessitate occurrente, uti usus universalis et consuetudo probat.

CAPUT XIX.

Quot modis fieri possit tacita professio juxta jus antiquum.

Dico 1 : Primus modus tacitæ professionis olim erat, supposito semper interiori profitentis consensu, quando aliquis induebatur habitu professorum proprio, id est distincto ab habitu novitiorum, ut colligitur ex cap. *Statuimus* De regular.; et voluntarie induendo istum habitum, si annus probationis nondum erat expletus, censebatur illi renuntiare, quod ei licitum erat per cap. *Ad apostolicam* De regular., non tamen ante annos pubertatis.

Dico 2 : Juxta quosdam secundus professionis tacitæ modus putatur fuisse per exercitium actuum, qui jure aut consuetudine erant proprii professorum, non intercedente ignorantia aut metu gravi, etiamsi illi actus exercerentur in ipso novitiatus anno, et cum solo novitiorum habitu, ut colligunt ex cap. *Vidua* De regular. Quamvis hæc sententia sit satis probabilis, videtur tamen præter istos professorum actus proprios, necessaria fuisse gestatio habitus professorum proprii, ad tacitam professionem; nec arbitror in foro ecclesiastico aliquem posse judicari vere professum ob solum illud signum intra novitiatus annum exhibitum sine professorum habitu. Unde verus et certus tacitæ professionis modus erit si quis et habitum religiosi professi assumat, et ejus actum exerceat, nempe in ætate legitima cum sufficienti professionis suæ scientia ac voluntate libera, renuntians anno probationis nondum expleto; et quidem si solum habitum professorum induat sine actus exercitio, requiritur post habitum assumptum, perseverantia tridui, ut tacita professio facta ac valida censeatur ex cap. *Ad nostram* De regular., etiam coram Deo et in foro conscientiæ. Imo quamvis assumptioni dicti habitus adjungat actus exercitium, etiam probabilius requiritur ista tridui perseverantia priusquam sit aut censeatur valida professio tacita, saltem post Bonifacium VIII, qui in cap. *Constitutionem* De regular. in 6, videtur id requirere, contra quosdam qui dicunt, quando susceptioni habitus professorum proprii adjungitur actus exercitium, tunc statim non exspectato triduo censeri factam esse professionem. Sed adverte sicut erat tacita professio ex parte profitentis, ita etiam necessariam fuisse tacitam admissionem ac consensum ex parte religionis.

Dico 3 : Tertius tacitæ professionis modus erat, dum quis post expletum probationis annum integrum, qui debebat post pubertatem inchoari, gestabat professorum habitum, sicque censebatur tacitam professionem emisisse. Si iste professorum habitus erat distinctus ab habitu novitiorum, debebat post dictum annum expletum, illum suscipere; si indistinctus, debebat illum per annum probationis integrum et ulterius gestare, ut censeretur tacite professus.

Dico 4 : Quidam putant fuisse etiam alium tacitæ professionis modum per solam cujusvis habitus, etiam novitiorum proprii, susceptionem, si iste habitus assumebatur post simplex castitatis et ingrediendæ religionis votum, ita ut istud votum tanquam solemne, redderet personam in istius habitus susceptione inhabilem ad matrimonium contrahendum, et ratum dirimeret, sed non videtur hoc verum : simplex enim votum intrandi religionem nunquam redditur solemne, nisi forte solemnitate aliqua accidentali per publicam istius habitus novitiorum susceptionem cum demonstratione talis propositi ac voti; non vero substantiali, quæ requirit trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiæ emissionem cum traditione et acceptatione.

CAPUT XX.

Quibusnam modis fiat professio tacita juxta jus novum concilii Tridentini, et quos habeat effectus.

Dico 1 : Post concilium Tridentinum jam non habet locum tacita professio ante integrum probationis annum expletum facta, cum nec ante illum nunc valeat expressa; ergo multo minus tacita, cum dicat concilium : *Professio antea facta sit nulla.* Sed tacita professio, quæ fit expleto integro probationis anno adhuc habet locum post concilium Tridentinum, nullibi enim annullavit omnem professionem tacitam; ideoque si sit expletus probationis annus, et sexdecim ætatis anni, tunc fieri potest duobus modis supra relatis, et non aliis. Ubi ergo fuerit sufficiens distinctio inter habitum professorum et novitiorum, si quis completo probationis anno, et suæ ætatis decimo sexto, sponte professorum habitum assumat, professus judicandus est, dummodo ex parte religionis tacita acceptatio non desit, id est vel vidente et tacente conventu prælatus professorum habitum dedit, vel ipse novitius vidente et tacente prælato istum habitum assumpsit, atque ita per triduum perseveravit. Similiter si quis per integrum probationis annum, inchoandum tamen a decimo sexto ætatis anno completo, gestet patenter indistinctum religionis habitum eodem modo quo antea, censebitur professionem tacitam fecisse, quia pro eo casu nihil innovatum est a concilio Tridentino.

Dico 2 : Cum omnes conditiones requisitæ ad professionem expressam, requirantur etiam ad tacitam, excepto diverso signo externo, ideo professio tacita

habet eosdem effectus, quos expressa superius explicatos, præter hos duos sequentes in jure expressos : 1° Professio tacita non necessario obligat hominem illi religioni, in qua professus est, sed religioni in genere, ita ut possit pro suo libitu ad aliam transire etiam laxiorem. Ita habetur in cap. *Constitutionem*, in cap. *Statuimus*, etc., De regularibus, in 6. Unde intentio aut mens sic tacite profitentis, est tantum se obligare juxta id quod jus determinavit, et non aliter ; nec aliter religio particularis acceptat ejus professionem ; non potest tamen eum expellere, sed potest cogere vel ut statim expressam professionem emittat, vel aliam religionem eligat. Verum intra probationis annum nulla, quodcunque fiat, tacita professio nunc est valida post concilium Tridentinum. 2° Tacite professus non potest eligi in prælatum aut abbatem suæ vel alterius religionis, ita in cap. *Nullus* De electione in 6.

—

LIBER VII.

De invalida professione religiosa.

—

CAPUT PRIMUM.

Quibus modis professio possit esse invalida, et quomodo confirmanda.

Dico 1 : Professio potest esse invalida variis modis tam jure naturali quam ecclesiastico, et interdum ita est invalida ac nulla, ut nunquam possit fieri valida aut ratificari, v. gr. professio facta in religione a sede apostolica non approbata, aut facta a perpetuo amente. Interdum autem ita est invalida, ut possit postea fieri valida, v. gr. professio facta nunc ante decimum sextum ætatis annum expletum, est invalida, sed fiet valida, si is qui sic professus est, cognoscens postea nullitatem suæ professionis, dato novo consensu iterum eam emittat in ætate legitima : et hic quidem novus consensus debet manifestus fieri per aliquod signum exterius sive expressum sive tacitum ; potestque statim fieri sine novo novitiatu, si ante professionem invalidam fuerit factus per annum integrum sine morali interruptione : si autem non fuerit factus per annum integrum, iterum integre repetendus est, perseverando nempe in tali religione sub quocunque ejus habitu sive novitiorum sive professorum et sub ejus obedientia, etiam sine exercitiis novitiorum propriis per annum integrum computandum ab eo tempore, in quo religiosus prioris suæ professionis nullitatem cognovit, ac decrevit ex animo in ea religione perseverare. Et si professionis nullitas provenerit ex defectu irritante duntaxat religiosi consensum, non autem religionis, v. gr. si religiosus ficte sine interiori voluntate, si ex metu gravi cadente in constantem virum, si ante decimum sextum ætatis annum professus fuerit, tunc non erit necessarius novus religionis consensus, sed prior moraliter perseverans sufficit, et præsumptive simul concurret cum novo consensu quem religiosus id temporis præstabit, et quem sufficienter exterius prodet deferendo religionis habitum, et perseverando sub prælatorum obedientia sine religionis injuria ac damno. Si autem nullitas professionis provenerit ex defectu irritante et religiosi et religionis legitimum a legibus requisitum consensum, v. gr. si quis ante expletum novitiatus annum professus fuerit, tunc utraque pars cum defectum noverit, suppletusque fuerit defectus, debet denuo consensum dare legitimum et efficacem.

Dico 2 : Quando professio fuit nulla ex defectu legitimi consensus tam religiosi quam religionis, novus probationis annus debet incipere non solum a tempore quo scivit religiosus suam professionem fuisse nullam, sed maxime a tempore quo religio id scivit, ut possit juxta novitiatus regulas aut alio modo illum probare.

Dico 3 : Quando receptio fuit nulla seu invalida, totum probationis tempus quod illam ac ipsam postea factam professionem subsequitur, etiamsi putatam validam, est inutile ad complendum valide annum probationis ; ideoque ad ratificandam talem professionem requiritur ut nova receptio valida fiat, et post illam fiat novus integer probationis annus, atque hunc tandem sequatur valida professio. Si autem receptio fuit valida, sed professio invalida, quia ante sufficiens probationis tempus fuit facta, tunc totum illud tempus quo perseveratum est in religione sub existimatione validæ professionis, nihil omnino potest prodesse ad complendum probationis annum ; ideoque cognito defectu non potest ratificari, sive fieri valida professio, nisi tempus ad integram probationem sufficiens pertransierit. Verum non obstante hujusmodi invalida professione, aliquo temporis spatio putata valida, licet probabile sit probationis tempus quod post validam receptionem præcessit professionem, posse computari in anno probationis, ita ut post cognitam professionis nullitatem non oporteat exspectare integrum annum novum probationis ad ratificandam professionem, sed solum debeat suppleri tempus novitiatus, quod defuit, uti sensit Sanchez, dicens illam interruptionem continuationis requisitæ ad integrum probationis annum non esse sufficientem ; oppositum tamen est securius et fortasse probabilius, ut ex Navarra colligitur.

Dico 4 : Quando professio fuit invalida, religiosus volens in religione manere, non tenetur expressam professionem iterare, sed quantum ad religionis substantiam ac proinde ad absolutam obligationem sufficit tacita professio, quia nullum jus ad expressam obligat : maxime quando professionis defectus

est occultus, potestque sine nova religionis scientia ratificari consensus; ubi autem religionis scientia et novus consensus requiritur, si ipsa postulaverit expressam professionem, facienda est; si nihil exegerit, potest professione tacita esse contentus. Quod vero attinet ad electionem passivam in religionis prælatum, si professio expressa ita fuit invalida ac nulla, ut de ejus nullitate constet, vel constare possit in foro ecclesiastico, tunc qui illam solum tacite confirmavit seu ratificavit, non potest eligi in prælatum, et si eligatur, erit electio invalida : adeoque non potest ipse tuta conscientia illam acceptare; secus vero probabiliter, si nec constet nec constare possit, Ecclesia enim non judicat de occultis.

CAPUT II.

An professio invalida habeat aliquos effectus.

Dico 1 : Quando professio bona fide et sine culpa facta, simpliciter et absolute est invalida, sive ex natura rei, sive ex institutione et statuto Ecclesiæ, per se loquendo nullum habet effectum, ex se enim est nulla, et dum Ecclesia illam irritat, non tantum irritat quoad jus et obligationem humanam, sed etiam quoad naturalem vim et efficaciam. Per accidens tamen potest habere aliquem effectum magis in externo quam interno foro : quia quandiu existimatur valida, perinde obligat ac si valida esset, et si illa existimatio sit communis ac publica, omnes actus proprii professorum, quos iste religiosus existimatus facit, sunt validi. Deinde si dubitetur an professio sit valida necne, potest cogi in foro externo ad permanendum in religione, et tenetur parere sententiæ. Imo licet non interveniat sententia, nec invaliditas probari possit in foro externo, si ipsemet sit dubius de invaliditate, videtur posse tunc etiam cogi a religione ad professionem iterandam, tenerique eam vere et non ficte iterare. Si autem coram Deo sit certus de suæ professionis bona fide factæ invaliditate, non videtur teneri, loquendo in rigore, illam ratificare seu iterare, quantumvis cogatur per sententiam publicam in religione permanere, ut communiter tradunt theologi, Navarra, Sanchez, Lessius, etc. Sed cum sic foret difficillimum remanere apparenter in religione sine votorum obligatione, consulendum illi esset ut professionem priorem ratificando validam efficeret. Hæc autem omnia multo magis sunt vera, si professionis invaliditas proveniat ex fictione, seu ex ficto consensu ac culpa profitentis, etiamsi ficte professus non obligetur vel sic ad statum religiosum, vel ad votorum observationem.

Dico 2 : Quando professio est nulla tantum ex jure ecclesiastico, per se potest habere aliquos effectus, si in jure sint expressi; et hi tres exprimuntur : 1° Professio tacita intra novitiatus annum facta per susceptionem habitus professorum proprii, valet quoad substantiam status religiosi, non quoad obligationem alicujus determinatæ religionis (cap. *Constitutionem* De regular. in 6, etc.). 2° Professio facta in religione Mendicantium ante expletum novitiatus annum, quamvis non valeat quoad vinculum talis religionis; tamen juxta jus antiquum obligabat ad statum religiosum (cap. *Non solum*, ibid.). Sed hi duo effectus post concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 15) jam annullati sunt. 3° Professio invalida conjugis sine licentia conjugis facta, habet vim seu effectum voti simplicis castitatis, juxta cap. *Quidam*, ibid. Alii casus sequentes non huc pertinent, nempe, susceptio habitus religionis cum proposito mutandi vitam, emissio trium substantialium votorum in manibus episcopi, vel alterius non habentis potestatem, non sunt enim professio religiosa, nec facta in religione approbata.

CAPUT III.

An et quomodo liceat statum religiosum dimittere post professionem invalide factam.

Nota 1 : Agitur hic de professione absolute invalida, quæ non fuit ratificata, et quam non vult sic professus ratificare. Unde hic, relicta religione, potest pro suo libitu quantum est ex vi suæ professionis invalidæ, quemvis statum assumere.

Nota 2 : Quamvis religiosus testetur etiam juramento, suam professionem omnino nullam, v. gr. ob defectum interioris consensus, vel ob alium quemcunque defectum occultum exteriorem, non tamen illi credendum est, si aliunde sufficiens probatio non interveniat, sicut non creditur conjugi juranti se non consensisse interius in matrimonii contractu; oportet enim ut sufficienter exterius constet professionem cum tali defectu irritante factam esse, quia in dubio judicandum in religionis favorem, sicut de matrimonio carnali omnes fatentur doctores, Paludanus, Sotus, Navarra, etc. Itaque :

Dico 1 : Qui certus est in conscientia suam professionem esse nullam, sed id non potest in foro Ecclesiæ probare, habet jus per se loquendo, seu ex vi talis professionis invalidæ, religionem relinquendi propria auctoritate, utpote qui nequit id jus per ecclesiasticum judicem obtinere, et assumendi quemcunque alium statum, etiam matrimonii, sine religionis injuria; quia non privat illam aliqua re sua, et licet ficte profitendo aut cum alio defectu occulto quem sciebat, fecisset a principio injuriam religioni, hæc tamen non est talis, ut necessario sit resarcienda per validam professionem, sed temporale damnum quod illi illatum est, poterit alio modo restituere. Si autem præter deceptionem nullum illi damnum illatum sit, sufficiet istius peccati agere pœnitentiam.

Dico 2 : Quando professio invalida probari potest in foro Ecclesiæ, non debet is, qui publice professus est, putaturque religiosus, relinquere habitum et statum religiosum propria auctoritate, sed debet petere et obtinere libertatem suam ab ecclesiastico prælato; et si aliter relinquat habitum et statum, graviter peccat, nisi ob eam rem in carcere detineretur, vel impediretur suum jus postulare, vel non posset alio modo ipsam vexationem vitare. Præterea non potest amplius uti religionis privile-

gis, cum non sit vere religiosus, sitque extra religionem; sed quamvis peccarit sic exeundo, non tenetur tamen redire ad religionem, cum non sit religiosus : et probabilius non incurrit ipso facto excommunicationem et pœnam apostatarum, quia in re non est apostata, et concilium Tridentinum jubet tantum *ut tanquam apostata puniatur*, id est extendit ad hoc delictum pœnam apostatarum per judicem imponendam, non ipso facto incurrendam; imo si velit redire habitu resumpto, audiendus est, inquit Navarra.

CAPUT IV.

De quinquennio per concilium Tridentinum præscripto.

Nota : Concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 19) statuit ut omnes religiosi, qui suæ professionis nullitatis causam voluerint prætendere, illam intentent ante quinquennium elapsum, computandum a die professionis, nempe vel expressæ, vel tacitæ; id est a die in quo judicatus fuit tacite professus; alioqui post illud quinquennium non audiantur. Itaque

Dico : Concilium Tridentinum, decernit ut post dictum quinquennium non audiatur in foro exteriori religiosus super intentata suæ professionis nullitate, non obligando tamen eum in conscientia, sive ad permanendum in religione, sive ad ratificandum ac iterandum suam professionem, nec dando religioni per istud quinquennium quasi jus præscriptionis in dominium istius religiosi, quod videtur excedere potestatem humanam. Cum autem hæc lex sit tantum fundata in præsumptione, ideo dantur casus in quibus non obstante quinquennio transacto, audiendus est religiosus : 1° Dum quis non potuit toto quinquennii tempore jus suum coram ordinario postulare, maxime si ab ipsa religione per vim aut metum impeditus fuerit, tunc enim ipso jure concedenda est temporis restitutio. 2° Si ignorantia invincibilis de professionis nullitate aliquo tempore intercessit; tunc quinquennium computandum est a die, quo quis cœpit habere notitiam de suæ professionis nullitate. 3° Dum professionis defectus talis est, ut constet toto quinquennio non potuisse auferri, adeoque nec professionem ratificari, maxime si præter novum religiosi consensum requirebatur nova religionis admissio expressa, vel tacita.

LIBER VIII.

De paupertate.

CAPP. I, II, III.

An paupertas sit ad salutem necessaria, et an eam vovere sit opus honestum.

Dico 1 : Actualis paupertas non est ad salutem necessaria, neque præcepta; de fide contra hæreticos dictos Apostolicos, et Fratricellos, non enim jure naturali illa præcepta est, ut clarum est; nec jure divino positivo, quia licet Christus eam consuluerit ut utilem ad salutem facile obtinendam, et ad perfectionem, dicendo : *Si vis perfectus esse*, etc. (*Matth.* XIX, 21); *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33), seu non potest esse perfectus : non tamen illam præcepit ut ad salutem necessariam, cum immediate ante dixisset tantum : *Si vis in vitam ingredi, serva mandata mea* (*Matth.* XIX, 17), nempe Decalogum. Voluit igitur solum significare divitias solere esse impedimenta et perfectioni et saluti juxta id quod ibidem ait : quia *dives difficile intrabit in regnum cœlorum* (*Ibid.* 23). Deinde renuntiatio bonorum ac paupertas potest interdum etiam sub præcepto esse in occurrente necessitate fidei defendendæ, vel charitatis exercendæ, ad quod requiritur animi præparatio, non actualis bonorum renuntiatio.

Dico 2 : Simplex paupertatis votum per se honestum est, ac de meliori bono, contra modernos hæreticos vota ac consilia spernentes : nam 1° materia hujus voti, seu paupertas est bona, et si necesse fuerit : *In sudore vultus tui comedes panem tuum* (*Gen.* III, 19). Deinde id votum est de meliori bono cum dicat Christus : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes* (*Matth.* XIX, 21). Nam divitiæ afferunt impedimenta ad salutem, paupertas autem voluntaria, quæ et voluntatem divitiis carendi, et actualem carentiam includit, illa tollit, adeoque longe magis utilis ad salutem et ad perfectionem, quam divitiæ. Non agimus hic de paupertate coacta, quæ sæpe est parens vitiorum. 2° Quare cum paupertas sit bona ac de meliori bono, seu bonum supererogationis, ergo illam voto spondere est bonum et opus consilii; cumque Christus consuluerit paupertatem, consuluit etiam illius votum, seu firmitatem; ideo in primitiva Ecclesia, qui apostolorum vestigia sectabantur, isto modo paupertatem colebant. 3° Licet istud votum sit simplex, tamen est etiam honestum ac sanctum, quia votum solemne majorem bonorum abdicationem secum afferens, est honestum, ergo et simplex quod est minus. Hoc autem votum simplex potest fieri vel in aliqua communitate, cujus membrum fiat is qui vovet, uti fiebat in primitiva Ecclesia tempore apostolorum, vel extra aliquam communitatem manendo in priori statu seu in vita privata; de quo

Dico 3 : Votum paupertatis in persona sæculari aut vitam privatam agenti, per se loquendo, est etiam bonum, et ad opera consilii pertinet : nulla enim incommoda inde rationi aut majori bono contraria proveniunt; imo vero multa commoda ad ineundam perfectionis viam oriuntur, ut patuit in variis sanctis qui, abdicatis omnibus opibus et curis sæcularibus, liberi vel in solitudine vel in mundi turba innocentissimam vitam traduxerunt, sive

laborando manibus, sive ex eleemosynis vivendo. Pauper autem sæcularis, ut sacros ordines suscipiat, nunc debet ex decreto concilii Tridentini, ob publici ministerii decentiam; vel beneficium vel idoneas facultates possidere. Denique hoc votum paupertatis potest stare sine voto obedientiæ et castitatis, cum pauper possit vivere in cœlibatu sine voto.

CAPP. IV, V.

De materia remota et proxima voti simplicis paupertatis.

Nota: Duplex est materia voti paupertatis, alia *remota*, id est res illæ, seu divitiæ, in quarum privatione seu carentia paupertas consistit: alia *proxima*, id est habitudo vel actio hominis circa illas res paupertati repugnantes, v. gr. dominium, jus, ususfructus, proprietarius usus alicujus rei.

Dico 1: Remota voti paupertatis materia sunt tantum ea bona extrinseca, quæ sub nomine divitiarum comprehenduntur; nomine autem divitiarum veniunt pecuniæ, et quidquid æstimari aut comparari pecunia potest, v. gr. fundus, mancipium, etc. acquirendo in illas res dominium adventitium. Hinc vita, fama, honor, gratia divina, virtutes, bona interna spiritualia, propria corporis membra ejusque facultates et alia ejusmodi in quæ habet homo dominium innatum seu naturale, non pertinent ad hanc voti paupertatis materiam; neque beneficia ecclesiastica, doctoratus etc., spectata quoad jura spiritualia aut honorifica ad eam pertinent, sunt enim bona altioris ordinis quam divitiæ; nec sic sumpta reddunt hominem divitem, aut corporis necessitatibus subveniunt, sunt enim tantum honores ecclesiastici, aut tituli honorifici: sed spectata quoad bona temporalia et jus ad reditus, qui solent esse annexi istis beneficiis et officiis, sine dubio comprehenduntur sub voto paupertatis et ejus materia; vere enim reddunt hominem divitem, nec mutant naturam suam ob illam connexionem cum spiritualibus officiis; ideoque homo ex vi prædicti voti fit incapax illa possidendi.

Dico 2: Dominium rerum temporalium, sive principale jus disponendi de iis, est præcipua pars proximæ materiæ voti paupertatis, quia istud votum est promissio non habendi hoc dominium; ideo hoc dominium est materia proxima talis voti. Solemne paupertatis votum quod fit in religione, necessario et actualiter expellit illud dominium quod prius erat, et futurum impedit, uti et votum simplex scholarium societatis Jesu ex particulari Ecclesiæ lege ita disponente, simplex autem votum generatim sumptum tantum obligat ad dominium, quod habebatur, relinquendum et ad nullum acquirendum, si vovens id intendat; potest enim esse votum paupertatis circa unam rem, et non circa alteram, vel circa omnem ejus materiam. Hinc dives privatim vovens paupertatem, non caret dominio suarum rerum, donec de illis disponat ut incipiat esse pauper. Hoc igitur voto obligatur tantum ad moralem diligentiam adhibendam, ut quam primum prudenter poterit, se suis bonis spoliet. Deinde si accipiat aliquid animo acquirendi ejus dominium, vel ab eo qui potest istud transferre, vel quando res antea nullius erat, licet accipiendo aut acquirendo peccet, tamen illius dominium acquirit; non potest tamen illud retinere, sed debet ac potest licite, etiamsi peccaminose acquisitum, transferre in alium dispensando rem acceptam ad aliquem usum honestum, et sic redire ad suum priorem paupertatis statum.

Dico 3: Ususfructus et usus juris, id est jus fruendi et jus utendi alienis rebus salva substantia, est etiam materia proxima paupertatis ex vi illius voti relinquenda; nam usufructus est dominium utile, magisque fructuosum ad efficiendum hominem divitem, quam dominium directum; sic usus sumptus pro jure utendi est etiam aliquale dominium utile. Similiter possessio proprie sumpta pro habituali rei tanquam propriæ detentione, sub proxima paupertatis materia etiam continetur: talis enim modus habendi rem temporalem directe paupertati repugnat.

Dico 4: Usus facti, et omnis rei apprehensio ac retentio, vel administratio, quæ non ex proprio jure ac proprio nomine, sed tantum ex alterius jure ac nomine fit, non est adeo proprie voti paupertatis materia, ut ista omnia ex vi istius voti excludantur aut excludi possint; non potest enim homo sine usu et retentione aliquarum rerum vivere, v. gr. cibi, potus, vestium, etc.: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (*I Tim.* VI, 8); debet ergo habere earum usum in facto, licet non habeat jus in illas. Similiter administratio solius facti, quæ fit nomine alterius, ita ut res non teneatur nec administretur tanquam propria, sed ejus domini nomine, cui omnis illius fructus accrescit, nullum proprium jus dominii aut utendi vel fruendi includit; adeoque ad objectum voti paupertatis non spectat. Attamen in ejusmodi usu facti, aliqua moderatio juxta voventis intentionem potest esse materia voti paupertatis: si quis, v. gr. voveat non uti talibus cibis pretiosis, talibus vestibus, ornatu domus, etc., illis utendo, suum paupertatis votum violabit, sive illæ res erunt materia ipsius voti. Apud quem autem maneat dominium earum rerum, quibus utitur vel quas acquirit habens votum paupertatis: an apud donantes, an apud Deum, an apud summum pontificem omnium religionum superiorem, si iste pauper sit religiosus, valde controvertunt auctores; probabiliter dici potest apud neminem manere; donator enim dando rem potest illius dominium amittere, et in alium non transferre, ut patet in Simonia; qui dat pretium, amittit ejus dominium, et alter non acquirit; ergo perit dominium. Deinde si ille venando capiat avem, quæ sub nullius erat dominio, potest illam tantum capere ad suum usum, non ad dominium.

CAPUT VI.

Quomodo violetur simplex paupertatis votum.

Dico 1: Peccatur contra hoc votum habendo vel

accipiendo aut volendo habere vel accipere alicujus rei dominium sub quo comprehendo etiam propriam possessionem, propriumque jus utendi et fruendi, juxta superius dicta; atque hoc peccatum ex genere suo est mortale et sacrilegium.

Dico 2: Quantitas rei habitæ vel acceptæ contra hoc votum sufficiens ad peccandum mortaliter, non est desumenda ex quantitate absoluta ac generali sufficiente in materia furti ad peccatum mortale, sicut in religioso peccante contra suum paupertatis votum potest desumi; quia sæcularis habens votum paupertatis potest peccare contra suum votum, proprietatisque sacrilegium committere nihil furando, ideoque ex gravitate sacrilegii, non ex gravitate furti desumenda est istius transgressionis gravitas; hæc autem sacrilegii gravitas videtur posse desumi ex trangressione voti eleemosynæ, illa enim rei voto in eleemosynam promissæ quantitas quæ sufficeret ad mortale in istius voti transgressione, etiam sufficiet ad mortale in trangressione voti paupertatis per dominii acquisitionem; videtur enim esse æqualis ratio in ordine ad fidelitatem, et ad cultum Dei. Hinc habetur differentia inter sæcularem habentem votum paupertatis et religiosum, quod sæcularis, licet non possit dominium licite acceptare, non est tamen illius incapax; religiosus autem est incapax. Deinde sæcularis aliquid acquirendo, acquirit sibi; religiosus autem acquirit religioni cujus est pars, ideoque furatur si id sibi usurpet invito domino, utpote usurpans sibi rem alienam. Hinc fit, ut quantitas illa quæ sufficit ad peccatum mortale furti, possit etiam sufficere ad peccatum mortale in religioso sibi aliquid appropriante. Præterea sæcularis habens paupertatis votum, potest sine licentia alicujus, ea quæ sibi donantur, recipere ad suum usum, modo non intendat acquirere eorum dominium, occulte ea retinere, de iis disponere, aliis donare non tanquam dominus, sed tanquam dispensator; quæ omnia religioso non licent. Item sæcularis potest committere peccatum mortale furti contra justitiam, non committendo peccatum mortale sacrilegii contra votum paupertatis, v. gr. si furetur equum tantum ad usum facti, non intendendo acquirere illius dominium nec proprietatem, aut si furetur acum, ad vivendum alicui omnino necessariam. Contra vero potest interdum esse peccatum mortale quatenus est acceptio dominii contra votum paupertatis, et non esse mortale quatenus est furtum. Denique hoc simplex paupertatis votum non est papæ reservatum.

CAPUT VII.

De tempore quo voti paupertatis solemnitas introduci cœperit.

Dico 1: Quamvis probabile sit primis Ecclesiæ temporibus statum religiosum aliquando substantialiter constitisse in aliquibus, v. gr. in quibusdam antiquis anachoretis solitariam vitam agentibus, aut in virginibus velatis privatim domi suæ viventibus, cum paupertate non bonorum dominium nec eorum usum independentem, sed superfluum tantum usum excludente, et sic sufficiente ad acquirendam vitæ religiosæ perfectionem, videtur tamen probabilius semper in Ecclesia viguisse paupertatem quæ excluderet a religiosis usum rerum independentem ab aliquo superiore, cui vovebatur obedientia, v. gr episcopo, vel alteri, et a quo accipiebant facultatem necessariam pro rerum usu ac dispositione, quas poterant accipere et acquirere ad vitæ usum tantum, absque animo ac voluntate acquirendi eorum dominium; ac proinde sic potuit esse ejusmodi paupertas religiosa in istis virginibus et anachoretis, qui omnibus bonis suis renuntiarant. Cæterum licet paupertas excludens omne bonorum dominium ac proprietatem olim usitata fuerit, maxime in eis qui in religiosa communitate vivebant, non videtur tamen fuisse semper ab omnibus observata: nam difficile est credere eos omnes qui in vita privata statum religiosum profitebantur, non habuisse suorum bonorum tam immobilium quam mobilium proprietatem ac dominium, cum non essent membra alicujus particularis communitatis, in quam ejusmodi dominium transiret; imo nec ii qui in communitate vivebant, erant illius incapaces, poterantque valide et licite cum licentia prælati justa de causa illud tenere. Quare

Dico 2: Paupertas quæ reddit hominem religiosum dominii incapacem, non fuit ab Ecclesiæ principio in statu religioso usitata, sed postea justis de causis fuit ab Ecclesia introducta: ista enim incapacitas dominii vovendo, non inducitur ex natura rei, quia quantumcunque quis velit se privare ista capacitate, ex natura rei non potest; non est ergo propria materia voti paupertatis, sed est effectus isti voto adjunctus ab Ecclesia, ita ut supposita hac Ecclesiæ institutione, quicunque solemne paupertatis votum fecerit, inhabilis fiat ad quodvis dominium; atque ita volendo causam, seu faciendo votum, vult ejus effectum. In primitiva namque Ecclesia, licet in usu foret perfectissimum paupertatis votum, ex nullo tamen capite probari potest reddidisse voventes dominii incapaces, Christus siquidem, qui probabilius ex voto habuit perfectissimam paupertatem, non fuit dominii incapax; uti nec apostoli tam quoad bona immobilia, quam quoad mobilia, postquam vocati ad apostolatum omnia sua reliquerunt. Idem dic de monachis, qui in solitudine vivebant, sive omnino solitarii essent, sive in aliqua ejusdem eremi societate versarentur, singulis cellulis separati, ac propria peculia habentes, de quibus poterant saltem ad usus pios ex senioris licentia disponere, et verisimiliter dominium habentes, saltem erant illius habendi capaces, et ipsimet qui in religiosa communitate vivebant, etiamsi hi nihil proprium, ut probabilius videtur, haberent, nec habere possent sine prælati facultate; itaque:

Dico 3: Voti paupertatis solemnitas, quæ reddit hominem dominii incapacem, a temporibus imperatoris Justiniani circa annum Christi 530, univer-

saliter introducta est per varias ejus leges, vel ex consensu summorum pontificum editas, vel eas postea illis approbantibus : licet enim hæc incapacitas non necessario ad perfectionem requiratur, quia sufficit actu omnia dimittere cum obligatione in eo statu perseverandi, multum tamen confert ad tollendam radicitus omnem proprietatis occasionem, ad majorem stabilitatem, et ad totum suum jus, quod habet et habere potest religiosus, transferendum secum in religionem. An vero aliqua religio ex speciali pontificum aut episcoporum concessione istam solemnitatem ante dictum tempus observaverit, non constat. Postea tamen semper observata est ab omnibus in religiosa communitate professis, etiamsi hisce possit concedi libera bonorum suorum administratio sine dominii retentione, imo et concedi juxta quosdam jurisperitos retinere dominium ad breve tempus.

CAPUT VIII.

An votum paupertatis, quæ omne dominium a communitate excludit, liceat aut expediat statui religioso.

Dico 1 : De fide certum est istorum religiosorum qui quoad carentiam possessionum ac redituum tam in particulari quam in communi paupertatem profitentes vivunt non ex solis eleemosynis, sed ex proprio manuum labore, laudabile esse institutum, contra hæreticos Massilienses dicentes non licere operari ad comparanda vitæ necessaria, sed insistendum esse orationi ac Deo fidendum. Probatur ex sancto Paulo qui sæpe testatur se suis manibus laborasse ad se alendum, idque ipsa ratio dictat; nec ejusmodi labor est orationi ac perfectioni obstaculum, imo est fons charitatis, humilitatis, etc.

Dico 2 : De fide etiam certum est istorum religiosorum institutum, in quo non ex labore manuum, sed ex solis eleemosynis vel sponte oblatis, vel mendicando quæsitis vivitur observando paupertatem in communi quoad carentiam redituum et bonorum immobilium, esse laudabile, contra Calvinum, Lutherum, Wicleffum, etc., id damnantes. Probatur : 1° ex Christi exemplo et apostolorum, ex eleemosynis viventium, maxime dum per orbem terræ dispersi sunt ad prædicandum Evangelium omnibus bonis temporalibus destituti; quod postea multi viri apostolici ac sancti imitati sunt ac professi. 2° Ex approbatione et confirmatione religionum Mendicantium sancti Dominici, sancti Francisci, qui videntur primi cœpisse profiteri in communi ejusmodi paupertatem; harumque institutum non tantum summi pontifices et concilia, sed etiam universalis Ecclesiæ infallibilis consensus huc usque semper approbavit. 3° Ratione : Quia sic vivere nec naturali, nec divino, nec humano juri repugnat. Olim religiosi magna ex parte erant laici, ideoque ne otiose viverent, labore manuum occupabantur, uti et nunc religiosi laici; religiosi autem sacerdotes, qui sacris ministeriis, divini verbi prædicationi, sacramentorum administrationi, horis canonicis persolvendis nunc assidue occupantur, non possunt manuum laboribus vacare. Dum sanctus Paulus (*II Thess.* III) suadet ac præcipit manuum laborem, alloquitur communem fidelium populum, eumque a turpi et pernicioso otio deterret, hortando ad operandum manibus, ut non inordinate ac male mendicet; sic etiam intelligendus Augustinus loquens de labore manuum. Imo cum religiosi sint operarii spirituales in vinea Domini, digni sunt mercede sua ac sustentatione a fidelibus subministrata.

Dico 3 : Similiter de fide est laudabile esse religiosum institutum, in quo paupertas cum abdicatione omnis proprietatis in particulari et cum dominio bonorum in communi observatur; ista enim carentia proprietatis in particulari, et istud bonorum dominium in communi, sive divisim sive conjunctim spectatum, nihil habent contra bonos mores, nec contra leges : quod attinet ad dominium bonorum mobilium in communi, habemus exemplum primitivæ Ecclesiæ in qua omnia erant communia, et antiquarum religionum sancti Basilii, sancti Benedicti, etc. Sic enim eximuntur religiosi particulares a cura quærendi res ad vitam necessarias. Idem cum proportione dic de dominio bonorum stabilium : videntur enim jam a temporibus apostolorum aliquæ ecclesiæ habuisse bona stabilia, uti et prima ac antiquissima monasteria, quia hoc non impedit viam perfectionis, cum singuli religiosi juxta Christi consilium, relictis omnibus sive multum sive parum sit quod reliquerint, sint vere pauperes nec possint de ulla re pro suo libitu disponere.

CAPUT IX.

Quænam sit inter omnes religionum paupertates præstantissima.

Dico : Juxta D. Thomam (2-2, quæst 188, art. 7) paupertas illa est alteri præferenda, quæ unicuique magis religioni accommodata est ad suum finem consequendum, nimirum in religione pure activa, v. gr. militari, curam nosocomiorum habenti, etc., præferendum dominium multorum bonorum in communi; in religione pure contemplativa, dominium bonorum moderatum in communi; in mista, privatio seu carentia omnis dominii bonorum tam in particulari quam in communi; atque hæc paupertas quoad carentiam dominii bonorum immobilium in communi, id est redituum ac possessionum ex quibus illi percipiuntur, videtur per se loquendo, et ex vi status, esse præferenda ac præstantior in religione mista seu in religiosis apostolicis, etiamsi Sotus, Ferrarius et alii sentiant melius esse pro hisce religiosis habere dominium bonorum immobilium in communi. Quoad autem carentiam bonorum mobilium in communi, quod religio sancti Francisci a se amovet, et de quo alibi dictum est, videtur id parum pertinere ad eam paupertatem quæ perfectionis acquirendæ instrumen-

tum ac medium est; ista enim paupertas sive cum dominio, sive sine dominio rerum mobilium, est semper præstantissima ob exercitium multarum virtutum, humilitatis, patientiæ, fiduciæ in Deo, etc., quas parit, et ob Christi exemplum, etc.

CAPP. X, XI.

De obligatione et violatione solemnis voti paupertatis.

Dico 1 : Hoc votum obligat sub culpa mortali ex genere suo, ad non habendum alicujus rei dominium aut proprietatem; unde dupliciter peccatur contra hoc votum : 1° Per directam voluntatem seu desiderium habendi vel acquirendi dominium; 2° per modum accipiendi rem moraliter æquivalentem dominii acquisitioni; nempe, vel illam accipiendo seu acquirendo, vel illam conservando seu retinendo; vel illam consumendo, seu de illa disponendo, atque ita se tanquam illius dominum gerendo. In hoc capite dicemus de acceptatione vel acquisitione tantum.

Dico 2 : Religiosus privatus accipiens aliquid sine licentia sui prælati, ex genere suo mortale peccatum facit, nisi ex levitate materiæ fiat veniale (Navarra, etc.); colligitur ex cap. *Cum ad monasterium* De statu monach., et ex concilio Tridentino (sess. 25, cap. 2); et expressa quidem licentia requiritur ubi commode peti potest, sed ubi non est commoditas petendi hanc expressam licentiam, certe sufficit præsumpta seu interpretativa; quando enim superior distat, vel est occupatus, et urget necessitas aut commoditas moralis accipiendi, si quis credat probabiliter superiorem daturum licentiam si conveniri posset, tunc sine proprietatis peccato accipi potest, cum habitudine tamen ad ordinatam rei retentionem ac dispositionem, adeoque cum intentione manifestandi rem superiori, cum primum opportunitas occurrerit, ut non tantum acceptionem ratam habeat, sed etiam ut det licentiam rem retinendi ac de ea disponendi : nisi post acceptionem jam res fuerit prius consumpta, tunc enim per se et ratione paupertatis rem manifestandi cessat necessitas.

Dico 3 : In rigore præcepti ad aliquid accipiendum sufficit tacita vel probabiliter præsumpta superioris voluntas, etiam quando posset peti expressa licentia, et non petitur vel ob aliquem humanum respectum, vel ob pudorem, vel ob difficultatem adeundi superiorem : ita communiter doctores, Navarra, Angelus, Toletus, Molina, Valentia, Azorius, etc.; quamvis sit melius et securius operari in hac materia cum licentia expressa, tamen cum ista sententia communis sit practice probabilis et secura ad excusandam culpam mortalem, et fortasse in rigore etiam speculative vera; ideo ut eam probem, distinguo licentiam tacitam et præsumptam : 1° licentia *tacita* proprie sumpta, est quæ in aliquo actu expresso virtualiter continetur; si hæc adsit, id est, si adsit tacita superioris voluntas, sine dubio sufficit, quia hæc non est voluntas futura et conditionalis, sed aliquo modo exsistens; hæcque tacita voluntas censetur secundum rectam actionem aut rationabilem interpretationem contineri in expressa, v. gr. si in aliqua religione scientibus et permittentibus prælatis sit consuetudo recipiendi aliquid usque ad certam quantitatem absque expressæ facultatis petitione; vel si quis sciente et tacendo approbante superiore aliquid recipiat censetur haberi tacita licentia. 2° *Præsumpta* non fundatur in aliqua præterita aut præsenti, formali aut virtuali superioris voluntate, sed solum in probabilibus conjecturis de futura ejus voluntate conditionate, si sciret, aut si ab eo facultas peteretur; licet hæc præsumpta licentia non sat patenter indicet superioris voluntatem, cum tamen D. Thomas dicat eam sufficere ad dandam eleemosynam, cujus sententia communiter recepta est, non est cur negemus eamdem sufficere ad aliquid accipiendum; tunc enim res non accipitur nomine proprio, sed nomine alterius cui ista res subordinatur tanquam communis.

Dico 4 : Licentia injusta ex parte operantis, nimirum per vim, per metum, per fraudem obtenta, est nulla; injusta autem ex parte materiæ, v. gr. si superior det licentiam accipiendi aliquid per furtum, per usuram, vel ab eo qui non potest dare, excusabit quidem a peccato proprietatis contra votum, sed non a peccato furti contra justitiam. Similiter injusta ex parte causæ, v. g. data sine necessitate, sine utilitate rationabili, sine titulo justo, excusat quidem a peccato proprietatis, sed non ab omni alio, v. gr. a peccato nimiæ commoditatis, vani honoris, scandali, etc. Non est autem ibi peccatum proprietatis, quia fit acceptio nomine superioris.

Dico 5 : Licentia quæ secundum rectam rationem est debita, sed probabiliter præsumitur a superiore esse deneganda, etiamsi irrationabiliter, non sufficit ad licitam rei acceptionem. Aliud foret, si superior nollet dare licentiam faciendi, quod sub peccato tenetur facere subditus religiosus, v. gr. subvenire parenti in extrema necessitate; votum enim paupertatis non obligat ad ejusmodi irrationabilem paupertatem. Sed ista licentia irrationabiliter denegata quæ non sufficit ad aliquid licite accipiendum, intelligitur de eo quod fieri potest a subdito sine peccato, quamvis superior abutendo sua potestate peccet vel contra charitatem, vel contra justitiam, etc. Dum autem quis rem accipit in quantitate sufficienti ad peccatum mortale sine superioris licentia, non ut eam sibi acquirat tanquam propriam, sed ut eam acquirat communitati, quamvis peccet contra paupertatem, si tamen statim eam tradat communitati, videtur ordinarie excusari a peccato mortali, quia præsumitur voluntas superioris, cui licet modus accipiendi displiceat, non displicet tamen aliquid acquiri ac tribui religioni, nisi probabiliter constaret de contraria superioris voluntate : et si donans voluit ut res sic accepta in proprietatem ac dominium istius personæ, non vero communitatis, cederet, tunc non potest reti-

neri, illique restituenda est; secus vero, si donavit absolute; quia sic dans, se spoliat istius rei dominio, quod religioni acquiritur, modo religio seu superior illud postea acceptet; nam potest rescindere seu rejicere, si judicet istam rem non esse retinendam, nec religioni expedire: acquiritur autem ista res religioni, quia quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.

Dico 6: Propria auctoritate accipere aliquid ex communibus monasterii bonis, ex se est contra votum paupertatis et contra justitiam; et quidem, dum est pecunia, erit peccatum mortale, si quantitas sit sufficiens, prout eam supra determinavimus. Si sint res usu consumptibiles, et actualiter consumantur, ut sunt cibus et potus, ordinarie non est peccatum mortale, nisi damnificatio foret valde gravis, religiosi enim censentur ut filii respectu religionis. Si sint res quæ usu non statim consumantur, et accipiantur tantum ad usum patentem et superioris arbitrio expositum, videtur esse etiam tantum veniale, nisi circumstantiæ valde aggravantes intervenirent. Similiter propria auctoritate accipere aliquid ab externo quoad usum, licet non sit contra justitiam, est tamen contra votum paupertatis; sic etiam peccabitur, si sine licentia accipiatur pecunia mutua. Accipere autem pecuniam non sibi, sed ad dandam alteri personæ, ita ut donatio pecuniæ ex dantis intentione fiat alteri personæ et religiosus accipiens sit tantum veluti minister ac sequester, quo mediante pecunia ab uno ad alium transferatur; aut eam accipere ad custodiendam tantum, ita ut reddat quandocunque dominus repetet, non est peccatum contra votum paupertatis, etiamsi possit esse contra regulam vel obedientiam, si in religione prohibitum sit, ne quid simile absque licentia fiat; secus vero, si ista pecunia donetur immediate religioso, et ipse eam accipiat sibi, cum intentione illam donandi alteri.

CAPUT XII.

De retentione seu possessione alicujus rei contra religiosam paupertatem.

Dico 1: Possidere ac retinere aliquid sine legitima prælati licentia, est contra votum paupertatis; item si a principio res sit accepta sive cum tacita aut præsumpta, sive cum expressa licentia, et postea ita occultetur, ut omnino superiorem lateat, ne possit de ea disponere, aut illam auferre, est etiam contra hoc votum. Hinc inferunt aliqui habere quidpiam clavi obseratum sine licentia, peccatum etiam esse contra idem votum; sed cum usus clavis in aliquibus religionibus generaliter, in aliis particulariter concedatur, si ergo particularis religiosus de superioris licentia legitime obtenta juxta regulam vel consuetudinem suæ religionis, aliquid clave obseratum habeat, non ideo est proprietarius, quia illud et ipsamet clavis non proprio, sed superioris nomine habetur. Imo secluso scandalo non debet statim censeri peccatum mortale, sic custodire rem obseratam, quæ accepta est cum licentia, si is sit paratus ad nutum superioris dare clavem et rem relinquere, dum volet et petet superior.

Dico 2: Religiosus habens aliquid cum licentia superioris irrationabiliter concessa, defectu causæ legitimæ, non est proprietarius, sive non peccat præcise contra votum paupertatis: quia non possidet illam rem proprio nomine, sed dependenter a superioris voluntate, semper paratus eam relinquere, quando superior volet. Potest tamen peccare ratione transgressionis regulæ, ratione superfluitatis, ratione scandali, ratione cooperationis vel inductionis superioris ad dandam talem licentiam. Hinc religiosus nunquam aliquid potest habere cum proposito illud non relinquendi, dum superior volet aut jubebit relinquere; id enim haberet animo proprietario seu tanquam dominus, ideoque superior non potest dare licentiam irrevocabilem, aut quam ipsi aut superiori prælato non liceat revocare.

CAP. XIII, XIV.

An post solemnem professionem religiosus retineat usum fructuum, et habere possit annuos reditus.

Dico 1: Juxta communem doctorum sententiam ususfructus bonorum religiosi post professionem quoad fructuum utilitatem, non in religioso, sed in religione perseverat, et per professionem non exstinguitur; imo probabiliter ipsum jus ad istos fructus non in religioso remanet, sed etiam transit in religionem; non tamen pensio beneficii, quia pensio ita confertur pensionario, ut immutabiliter ex consuetudine et ex communi doctorum interpretatione adhæreat pensionario, nec possit in alium transferri sine papæ auctoritate.

Dico 2: Ante concilium Tridentinum, ut communiter sentiunt canonistæ, non fuit illicitum religiosis possidere in particulari bona immobilia, illisque de licentia superioris uti, sive eorum fructus in proprios usus convertere dependenter semper a superioris voluntate. Concilium autem Tridentinum de cujus mente varie disputant auctores, sic statuit (sess. 25, cap. 2): *Non liceat regularibus bona immobilia vel mobilia quovis modo acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Quoad ergo consuetudinem monialium, aut religiosorum habendi vitalitios census aut certos reditus, videtur dicendum sic: 1° jus percipiendi istos reditus debet adhærere non personæ particulari religiosæ, sed quasi monasterio; vel debet non esse proprium jus civile respectu monialis ac religiosi, sed tantum in eo, qui solvit pensionem, obligatio in conscientia ad eam solvendam. 2° Servetur debitus modus in actuali usu istorum redituum, seu pecuniæ, quæ singulis annis certo recipitur, ita ut pecunia quandiu non consumitur, non possideatur ab ipsa particulari persona; sed vel a superiore, vel a publico officiali ad hoc munus constituto custodiatur, et postea de ejusdem superioris licentia in istius personæ particularis usum expendatur. Hoc modo religiosus aut monialis non habet aliquid proprium

vel superfluum, nec habet proprium rei immobilis usumfructum, nec licentiam ad possidenda bona stabilia, sed solum ad actualem illorum usum, convenientem, nec apud se tenet istam pecuniam; atque ita nihil committit contra tenorem dicti concilii Tridentini.

CAPUT XV.

De bonorum usu paupertati religiosæ contrario.

Dico 1 : Omnis rei usus sine licentia aut voluntate prælati factus, dicitur proprietarius ac paupertati repugnat : ad hunc tamen sufficit licentia præsumpta juxta communem doctorum sententiam. Sed debet esse justa ex parte causæ : justa autem et valida censenda est, quando ipse superior per se illud posset expendere, quia quod potest per se facere, potest per alium ; si vero ipse hanc potestatem non habet, nec potest alteri dare. Usus rei factus ex licentia præsumpta, per se non eget expressa superioris ratihabitione, seu expressa licentia postea petita : fuit enim licitus et validus. In usu rerum sine ulla licentia facto, ut judicetur de peccati gravitate vel levitate, videndum est an fiat circa externos alienando rem ac consumendo, vel non alienando, nec consumendo ; an vero fiat circa domesticos.

Dico 2 : Religiosus non potest ex rebus sibi concessis ad suum usum, v. gr. ex suo cibo, ex sui viatici pecunia, etc., alteri dare, nisi habeat præsumptam superioris voluntatem (Sylvester, Navarra, etc.). Item monasterii officiales ac maxime procurator non possunt disponere de rebus sibi commissis, nisi juxta superioris voluntatem; imo ipse superior, v. gr. abbas, aut quivis alius monasterii prælatus, non potest pro suo arbitrio et libera voluntate religionis bona expendere, sed juxta cujusque religionis præscriptam normam; unde fit, ut iniquæ aut turpes donationes sint invalidæ.

Dico 3 : Religiosus expendens bona aliqua ad monasterium non pertinentia, invito domino, et sine prælati licentia, contra justitiam peccat et contra votum paupertatis; si autem volente domino sine prælati licentia illa accipiat ad determinatum usum facti, non pro se nec in suum usum aut utilitatem, tunc cum nihil suo nomine accipiat, et expendat, sed tantum transferat rem ab una persona ad aliam, non peccat contra paupertatem accipiendo et expendendo ; secus vero, si ea accipiat tanquam sibi donata, aut usus cedat in ipsius utilitatem. Hinc dum usus facti conceditur pro arbitrio accipientis, semper est contra paupertatem sine licentia prælati ejusmodi usum acceptare, seu ejusmodi rem accipere et expendere, nisi accipiatur expendenda solum nomine alterius, relicta personarum electione in arbitrio expendentis.

Dico 4 : Quando res quæ donatur religioso, est valde pretiosa, vel est pecunia magnæ quantitatis, et nondum est acceptata a religione, sive illius dominium nondum transiit in religionem, tunc superior immediatus ordinarie potest dare facultatem isti religioso donandi illam ac expendendi, vel extra religionem honeste, vel intra in privatum ipsius religiosi rationabile commodum, vel in alium usum pium justa ex causa; si res autem sit absolute donata religioni, intuitu quidem istius religiosi, jamque transierit in religionis dominium, tunc superior non potest dare aliter religioso facultatem ista re utendi quam dum dat pro usu rei jam ad religionem pertinentis ; adeoque spectanda est superioris potestas disponendi de rebus religionis, et legitima causa dandæ istius facultatis, v. gr. necessitas, gratitudo etc.

CAPUT XVI.

De testamentis religiosorum.

Dico 1 : Religiosus professus nec valide nec licite testari potest sine legitima facultate. Probatur ex multis codicibus authenticis; et ratio est, quia esset usus proprietarius, et dispositio de re non sua, adeoque invalida. Excipitur in jure pater, qui emisit professionem priusquam hæreditatem filiis suis distribueret : ei enim conceditur facultas distribuendi bona sua pro suo arbitrio inter filios ; non vero aliis impertiendi, nisi monasterio aliquam partem. Neque hoc repugnat voto paupertatis, quia fit votum a tali persona cum conditione a jure statuta, nec potest esse alia voventis intentio ; cum autem inhabilitas ad dominium sit a jure humano, hoc jus specialiter illam suspendit in tali persona pro illo tempore ; eique permittit dominium ad illum solum actum. Ista autem bonorum distributio est quasi quoddam testamentum, quia est ultima voluntas quæ vim habet testamenti, et per mortem civilem confirmatur.

Dico 2 : Religiosus non potest testamentum facere de cujusvis prælati papa inferioris licentia; imo quidam dubitant an papa possit illam dare. Sed certum existimo posse papam illam dare, quia dando hanc testamentum condendi licentiam, non dispensat in voto nec in proprietate, sed in jure positivo, non videtur tamen posse hanc dare irrevocabiliter, ita ut eam revocare non possit, nisi dispensando in voto paupertatis, quia licentia irrevocabilis dat proprietatem et dominium. Sed oportet ut revocatio fiat tempore congruo; nam si testamentum jam sit factum et morte confirmatum, non amplius habet locum revocatio, quia facultas jam est expleta, et jus est translatum in hæredes, quo privari non possunt; si autem sit factum quidem, sed nondum morte confirmatum, primo testator ipse religiosus potest si velit, manente eadem facultate, et illud revocare et aliud condere; deinde etiam ipse papa potest illud, etiamsi sua facultate factum, revocare, quia hæc facultas nondum habuit actum perfectum ; potestque illam semper revocare, ut jam dictum est; ergo potest etiam testamentum illius virtute factum annullare, quandiu non est morte confirmatum. Hæc facultas testamentum condendi non exspirat morte concedentis ; est enim gratia : cumque papa sit supremus dispensator bonorum religionis, non est

mirum cur possit hanc dare facultatem. Quoad religiosos conjugatos militarium ordinum, videntur primo per privilegia pontificia cœpisse testari; postea usu et consuetudine introductum, ut ipsamet professio ex voventium intentione non fiat cum obligatione non testandi, sicut non fit cum obligatione non ducendi uxorem. Horum autem militarium ordinum religiosi clerici, et alii qui non sunt conjugati ex vi sui voti et juris communis, testari non possunt si qui eorum habeant vel generalem vel specialem testandi facultatem, id interpretare juxta superius dicta.

CAPUT XVII.

Quam specialem obligationem inducat votum paupertatis, excludens in communi dominium.

Nota : Concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 3) concessit omnibus religionibus, excepto ordine Sancti Francisci, posse bona immobilia possidere, etiamsi eis esset ante prohibitum; permittens tamen ut aliæ religiones quæ vellent, possent etiam bonorum immobilium possessionem, eorumque dominium in communi excludere. Quare

Dico 1 : Religio quæ hanc paupertatem profitetur, obligatur ad non habenda bona aliqua immobilia in religiosorum sustentationem tanquam propria; secus quoad mobilia. Unde potest habere domum ad ordinariam habitationem, templum ad divinum cultum, aliqua animalia ad usum domesticum, non ad locandum, nec eorum greges habere aut vineas; item potest nutrire aves domesticas, v. gr. gallinas, colligere fructus et olera ex horto domestico ad proprium usum, perquirere ex eleemosynis res ad victum necessarias, v. gr. triticum, vinum, etc., et pro tempore necessario ad convenientem usum conservare.

Dico 2 : Ejusmodi religio non potest habere jus seu actionem ad recipiendum aliquid per modum annuæ pensionis aut reditus, quia tale jus inter bona immobilia computatur; sed potest habere jus vel actionem ad comparandum ac recuperandum debitum quod uno actu solvi potest, statimque exstinguitur, vel quod potest statim converti in utilitatem religionis, v. gr. jus ad aliquod pecuniæ debitum, nempe jus mobile ad bonum mobile, vel jus ad debitum rei immobilis quæ statim potest ac debet converti in rem mobilem, cui æquivalet, seu vendi in utilitatem religionis, adeoque accipienda est non ut immobilis, sed ut mobilis. Hinc non potest habere seu acquirere jus ad certam pensionem aut legatum quod singulis annis solvi debeat; si tamen hæredi imposuit testator tale onus in conscientia, ut istam singulis annis solvat pecuniam, ille in conscientia tenetur solvere, et religio potest accipere : est enim tunc quædam tantum eleemosyna, cum nullum jus civile ad eam habeat, etiamsi possit admonere debitorem, ut suam obligationem adimpleat. Imo quidam probabilius censent contra alios oppositum tenentes etiam sat probabiliter, si dicta pensio sit data ad breve tempus tantum, id est brevius decennio, posse religionem jus civile ad illam acquirere. Deinde licet istud legatum seu pensio sit data ad longum tempus aut perpetua, potest religio, si legatarius qui debet eam solvere annuatim, consentire velit, transferre per venditionem jus recipiendi in alium tertium, qui recipiat singulis annis dictam pensionem; sed tunc id erit potius opus misericordiæ quam justitiæ, quia probabilius legatarius non tenetur in conscientia dare talem consensum, sine quo non fieri poterit ejusmodi transactio, quia nullum jus per tale legatum, monasterio acquisitum est. Aliud est de legato quod non annuatim solvendum est, v. gr. de domo legata, quia ista res non consideratur ut immobilis, sed ut mutabilis, statimque convertenda uno actu in sui æstimationem ac pretium, quod est bonum mobile, et quod religio potest jus quasi mobile acquirere.

Dico 3 : Prædicta religio ex vi voti paupertatis in communi, non prohibetur habere certos reditus pro expensis ad divinum cultum necessariis, v. gr. pro templi fabrica, ornamentis, pane, vino, cera, etc. excepta Societate Jesu, de qua post, et si quæ sit alia. Ratio est, quia isti reditus non sunt religiosorum, sed reditus divini cultus, ad quos exigendos habent jus civile religiosi, non ut domini, sed ut œconomi et administratores; nec possunt eos aut eorum partem convertere in suos aut monasterii usus. Imo non repugnaret tali religioni habere aliquos reditus præcise pro excipiendis hospitibus externis; repugnaret autem eos habere pro celebrandis anniversariis perpetuis missis perpetuo tempore destinatis, etc., nisi isti reditus reciperentur per modum eleemosynæ sine ullo ad illos jure.

Dixi supra non licere ejusmodi religioni habere bona immobilia *tanquam propria;* habere autem *tanquam propria* est ita habere illa ex voluntate domini quoad usum et usumfructum, ac si essent propria, etiamsi non habeatur eorum dominium, v. gr. si quis in principio anni concedat absolute et irrevocabiliter vineam religioni, ut eam suis sumptibus colat, et ejus fructus isto anno percipiat, tunc dicitur illa vinea uti ac frui tanquam propria; secus vero si post sufficientem vineæ culturam, tempore proventuum, concedat illi facultatem colligendi ejus fructus, et de iis disponendi prout libuerit, quia tunc tantum datur talis res ad usum seu usumfructum facti (non juris), nomine veri domini et dependenter semper ab ejus voluntate.

Ex his collige superiores ejusmodi religionum, et unumquemque etiam religiosum juxta suum officium debere tali paupertati servandæ et conservandæ vacare, et religiosos posse a prælatis juberi, ut eant mendicatum non tantum pro se, sed etiam pro tota communitate.

CAPUT XVIII.

An in votum solemne paupertatis cadere possit dispensatio.

Dico 1 : Potest papa dispensare cum religioso, ut

sit capax dominii, nullam aliam votorum vel sui status obligationem ab eo auferendo, quia ista dominii incapacitas est tantum effectus juris humani; ergo potest in eo dispensare, non dispensando in ipso voto. Moraliter tamen vix potest id licite fieri, quia vix potest illius necessitas aut causa legitima occurrere. Nec tantum potest dispensare ut sit capax dominii, sed etiam ut actu habere possit dominium, et aliquam proprietatem, manentibus integris reliquis religiosi obligationibus : ablata enim dominii incapacitate, remanet tantum votum simplex paupertatis, in quo papa potest dispensare. Si dispensatus in incapacitate dominii, voto simplici remanente, acceptet aliquid ab eo qui potest donare, acquirit quidem illius dominium, sed illicite si non habeat licentiam prælati, qui poterit dare licentiam, ut rem acceptet, sed probabilius sine dominii acquisitione.

Dico 2 : Potest papa dispensare non solum in solemnitate, sed etiam in toto voto paupertatis, non dispensando in voto castitatis aut obedientiæ, si causa subsit. Ista enim sunt distincta, nec necessariam habent inter se connexionem; moraliter tamen defectu justæ causæ vix aut raro potest istam exercere potestatem, quia cuivis necessitati potest aliter prospicere, concedendo rerum usum et administrationem. Potest tamen occurrere casus, in quo daretur sufficiens causa ad dispensandum in ipso voto : v. gr. si quis religiosus fieret papa, vel episcopus, eique votum afferret periculum peccati, etc. Nam episcopus religiosus non est ex vi sui status ab obligatione voti paupertatis exemptus. Hinc dum justa causa dispensandi in ipso religionis statu ac castitatis voto occurrit, v. gr. ut quis ex monacho fiat rex, et ducat uxorem ad regni successionem, tunc potest papa in voto paupertatis dispensare. Sed in similibus casibus dispensat in omnibus votis religiosis, et hominem transfert a statu monachi ad sæcularem.

—

LIBER IX.

De voto castitatis.

—

CAPUT PRIMUM.

An votum castitatis sit licitum et consulendum.

Nota : Saturninus et Marcion, nuptias; contra Wicleffus, ut dicitur, cœlibatum ceu illicitum, damnarunt. Posteriores hæretici Calvinus, aliique dixerunt cœlibatum rem esse indifferentem, ac proinde illam Deo offerre per votum, esse superstitiosum; sed cœlibatum eligere ob vitandas matrimonii molestias ac curas, non esse malum, imo laudabile, si homo id faciat, ut sit expeditior ad munia evangelica obeunda. Hinc

Dico 1 : De fide est servare perpetuam virginitatem ac continentiam, non esse malum aut superstitiosum, sed licitum ac sanctum. Probatur ex verbis Christi (*Matth.* XIX), ubi Christus laudat cœlibatum. Deinde nullum datur matrimonii præceptum; ergo quod non est contra præceptum, non est malum. Dum Deus dixit : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I, 28), vel id non fuit præceptum, cum idem dixerit in piscium præcepti incapacium productione, sed benedictio fecunditatis et approbatio nuptiarum; vel fuit præceptum naturale, non positivum, quod solum primos homines obligabat pro illo tempore necessitatis : postea vero neminem in particulari obligavit, nec in lege veteri ullum fuit matrimonii præceptum obligans quoad ejus exercitium.

Dico 2 : Etiam de fide est non solum licitum, sed etiam melius esse castitatem servare, quam in conjugio vivere, nam in lege evangelica licet non præcipiatur, consulitur tamen : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, etc.; *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit* (*I Cor.* VII, 25, 38), nempe melius quoad utilitatem supernaturalem et profectum spiritualem. Virginitas, juxta Patres, facit homines angelis similes. Hinc :

Dico 3 : Bonum et optimum est virginitatem seu perpetuam castitatem Deo per votum consecrare. Probatur : 1° ex Scriptura (*Matth.* XIX, 12), ubi Christus laudat *qui se castraverunt propter regnum cœlorum*. Et sanctus Paulus agens de viduis, ait : *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V, 12); id est, juxta Patres, fidem Deo datam per votum castitatis vidualis irritam fecerunt, votum violando. 2° Ex Christi, B. Virginis, sancti Josephi, sancti Joannis Baptistæ et apostolorum, qui post vocationem ad apostolatum cœlibem vitam egerunt, exemplis. 3° Ratione, perpetua castitas est per se bona et melior quocunque statu illi repugnante; ergo est materia voti; adeoque servare illam ex voto melius est, quam sine voto. Quod attinet ad difficultatem servandi illam, non deest Dei speciale auxilium, quo ista difficultas vincatur.

CAPP. II, III.

Ad quid obliget simplex castitatis votum.

Dico 1 : Hoc votum obligat non tantum ad se abstinendum ab omni actu venereo illicito, qui vel delectatione morosa, vel desiderio, vel alio modo fit, ita ut transgressor præter peccatum intemperantiæ contra naturale præceptum, committat aliud sacrilegii contra religionem, necessario in confessione aperiendum : sed etiam obligat ad abstinentiam omnis actus venerei per matrimonium liciti, ita ut habens ejusmodi votum, non possit matrimonium inire cum intentione illud consummandi (excipe casum necessitatis, in quo præceptum naturale ad matrimonium obligaret). Id autem constat et ex intentione voventium, et ex usu totius Ecclesiæ. Qui-

dam locus sancti Cypriani non satis clarus, in epist. 62 *Ad Pomponium*, sic exponendus est : Virgines quæ castitatem Deo voverunt, firmiter in suo voto perseverent; quæ autem illud emissuræ sunt, prævideant fore ut possint ac velint in eo statu perseverare, nam si nolint aut non possint, melius est ut nubant quam delictis suis in ignem cadant.

Dico 2 : Hoc votum per se et ex natura sua absolute non obligat ad non contrahendum matrimonium, si quis habeat intentionem illud non consummandi, et propositum statim intrandi religionem; quod propositum matrimonio contracto tenetur statim exsequi, imo et facere professionem; nisi hanc tanta difficultas impediret, ut non verisimile esset voventem voluisse a principio ad hoc se obligare, tunc enim posset repetere sæculum, et reddere debitum conjugale, non petere; sed ut possit licite sic matrimonium contrahi, requiritur valde urgens causa, v. gr. metus mortis, aut gravis infamiæ, libertas ad ingrediendam religionem, etc. Imo licet alter conjux post contractum matrimonium faceret etiam votum castitatis, et sponderet nunquam petere debitum, Ecclesia tamen non sinit ut uterque remaneat in sæculo nisi in certa ætate, et cum quibusdam conditionibus. Unde a fortiori sine proposito intrandi religionem, non licebit ei contrahere matrimonium, dum antequam contrahatur, alter conjux promittit se nunquam petiturum debitum, nisi divina interveniret revelatio, qua sciretur nunquam petiturum. Denique in hoc modo contrahendi matrimonium, non fit injuria conjugi in sæculo remanenti, quia alter conjux utitur jure suo intrando religionem intra tempus a lege præscriptum post matrimonium ratum; et quædam jura quæ in contrarium objiciuntur, loquuntur de matrimonio vel consummato vel consummando.

CAPUT IV.

An simplex castitatis votum per se et ex natura sua irritum reddat matrimonium subsequens.

Dico : Quamvis post simplex castitatis votum illicite contrahatur matrimonium, contractum tamen non est invalidum nec irritum : ita omnes theologi, et constat ex Patribus Augustino, Epiphanio, Hieronymo, etc., ac ex jure. Ratio est, quia votum simplex est pura promissio; per puram autem alicujus rei promissionem non amittitur ejus dominium, ideoque si postea ista res quæ alicui promissa fuit, alteri donetur, valida erit donatio : sic matrimonium post simplex castitatis votum contractum, est quasi donatio seu alienatio ejusdem rei, quæ Deo prius promissa fuerat; ergo est valida, quamvis illicita, et contra fidelitatem Deo debitam facta. Sic matrimonium post promissionem seu sponsalia de futuro etiam jurata cum una virgine, contractum cum altera est validum. Quia simplex castitatis votum nullam traditionem continet, nec per illud Deo acquiritur ullum dominium aut jus ad usum corporis hominis voventis, quod ante non habebat : extra enim matrimonium non fit privata auctoritate ac voluntate traditio proprii corporis, ita ut quis fiat inhabilis ad matrimonium, ut patet in eo qui se tradit in servum, aut qui se dedicat nosocomii servitio, quia homo non est absolutus dominus sui corporis ad dandum alteri quemcunque illius usum, per solum matrimonium contractum donare potest alteri dominium in corpus suum in ordine ad usum conjugalem. Varia jura quæ videntur prædictæ assertioni esse contraria, vel loquuntur de voto solemni, quod jam erat in usu longe ante tempora Innocentii II, redditque matrimonium invalidum, vel si loquantur de simplici, dicunt illicitum, non autem invalidum ac irritum matrimonium reddere. Idem dic de testimoniis sanctorum Patrum.

CAPUT V.

Ad quid obliget simplex castitatis votum post contractum matrimonium.

Dico 1 : Is qui habens simplex castitatis votum, contraxit matrimonium, videtur in rigore probabilius non teneri ingredi religionem, etiamsi juxta extrav. *Antiquæ* De voto, sit ad hoc excitandus; sed tuta conscientia posse matrimonium consummare, reddendo petenti debitum : Sotus, Henriquez, Sanchez, etc., contra communem D. Thomæ, Richardi, Gabrielis, Navarræ, etc., sententiam dicentium votum illud obligare ad non consummandum matrimonium, ita ut si alter conjux velit perpetuam cum ipso castitatem servare, possit licite in sæculo manere, matrimonium non consummando; si vero alter nolit, suumque jus exigat, teneri religionem ingredi ac professionem emittere. Sed probatur assertio : Ille non fecit votum religionis ingrediendæ, ergo ad illius ingressum non obligatur; dumque vovit castitatem, non habuit intentionem se obligandi ad illam servandam cum tanto onere, quale est mutare statum, et fieri religiosum; secus vero si certo habuisset intentionem se obligandi ad religionis ingressum. Deinde dicto favet extrav. *Antiquæ* De voto, et cap. *Ex parte* De convers. conjug. Præterea non tenetur quis ex vi voti castitatis servare eam per omne medium possibile, etiam includens talem status mutationem. Si quis tamen ad majorem securitatem velit dispensationem impetrare, videtur episcopus posse eam dare, non simpliciter quoad votum, sed quoad licentiam consummandi matrimonii ob difficultatem aliter servandi castitatem. Idem dic de voto castitatis post matrimonium ratum facto, nisi vovens tunc habuerit particularem intentionem ingrediendæ religionis ad servandum votum. Sed

Dico 2 : Habenti tale votum non licet debitum petere, sed tantum potest petenti reddere, juxta ea quæ jam dicta sunt. Hoc certissimum est contra Hostiensem, Angelum et Glossam, sentientes post consummatum semel matrimonium licere non tantum reddere, sed etiam petere, rati fortasse per matrimonium consummatum exstingui castitatis vo-

tum; quod falsum est. Votum enim castitatis, non obstante matrimonio male contracto, adhuc obligat ad omne id quod servari potest sine alterius conjugis injuria, adeoque nisi alter petat, tenetur abstinere a consummatione matrimonii; et illo mortuo, non potest transire ad alias nuptias.

Dico 3 : Si votum castitatis fuit tantum temporale, non potest matrimonium iniri ante elapsum tempus, multo minus consummari intra tempus a lege præscriptum. De voto virginitatis idem dic ordinarie ac de voto castitatis, nisi vovens expresse intenderit se obligare tantum ad abstinendum a primo actu; tunc hoc posito exstinguitur votum. Quoad votum non nubendi, si post tale votum homo nubat, poterit reddere debitum, ut supra; non autem petere prima vice, aut etiam semper post matrimonium semel consummatum, si vovendo habuerit voluntatem se obligandi ad abstinendum ab omni actu venereo licito in matrimonio; secus vero si vovens solum intenderit se obligare ad non assumendum talem statum, seu tale matrimonii vinculum, et nil amplius; tunc enim usus venereus in matrimonio licitus, non fuit materia talis voti, adeoque sic poterit peti debitum, nisi constet de expressa voventis intentione contraria.

CAPUT VI.

An simplex castitatis votum dirimat matrimonium ratum.

Dico 1 : Certum est simplex castitatis votum nude ac solitarie spectatum non dissolvere matrimonium ratum, cum nec ipsum sacri ordinis solemne votum dissolvat, uti habetur in extrav. *Unica* De voto Joannis XXII, multo minus dissolvere consummatum. Insuper

Dico 2 : Simplex castitatis votum, etiam prout habet sibi adjunctam traditionem religiosam, seclusa particulari lege positiva et ecclesiastica institutione, ex se et ex natura sua nunquam sufficit ad dissolvendum matrimonium ratum; non enim irritat matrimonium faciendum, quod est facilius : multo ergo minus irritabit jam factum, seu ratum, quod sane est difficilius. Deinde in jure communi omne castitatis votum quod dissolvit matrimonium ratum, irritat etiam faciendum; atqui simplex castitatis votum non irritat faciendum; ergo nec factum seu ratum. Nec ex ullo jure divino positivo habetur quod simplex castitatis votum dissolvat matrimonium ratum, etiamsi habeat adjunctam quamcunque traditionem, vel quasi sui dominationem ex sola voventis voluntate factam, vel ipsi Deo, vel homini locum Dei tenenti : imo solemne votum istam vim dissolvendi matrimonii rati non habet ex jure divino, sed ex statuto Ecclesiæ, ut supra, libro II, dictum est. Denique contraria sententia nec in exemplis antiquitatis quæ affert, nec in traditione aut prisca consuetudine, quam obtendit, habet sufficiens fundamentum; vel enim nullum aderat votum, vel erat votum solemne, non simplex : vel erat dissolutio matrimonii facti cum infideli, vel aliud quod nil facit contra assertionem : simili modo explicanda sunt quædam sanctorum Patrum verba. Vide hæc fuse exposita apud Patrem Suarez.

CAPUT VII.

An simplex castitatis votum dissolvat sponsalia de futuro.

Dico 1 : Simplex castitatis votum antecedens sponsalia, quæ postea contrahuntur, etiamsi juramento firmentur, illa impedit et irrita reddit, quia tendunt contra voti obligationem, adeoque illicita, et continent promissionem de re illicita, nempe promissionem de contrahendo matrimonio contra votum castitatis; ergo et sunt irrita.

Dico 2 : Si votum simplex castitatis fiat post simplicia, aut jurata sponsalia de futuro, juxta veriorem ac magis securam multorum opinionem, non dissolvit sponsalia, nempe ex parte voventis; nam ex parte alterius dissolvitur obligatio sponsalium ob mutationem in vovente factam, cum non possit uti matrimonio, nisi petendo debitum, quod esset onus grave. Si tamen vel sic velit contrahere, vovens tenetur quidem contrahere, sed non potest debitum petere; remanet enim ejus votum. Cæterum contraria sententia, quæ ait solvi sponsalia etiam jurata per subsequens votum castitatis, quamque multi tenent graves auctores, Angelus, Sotus, Sylvester, Richardus, etc., non est improbabilis, dicendo sicut matrimonium per professionem, ita sponsalia per votum simplex dirimi, dummodo sponsus sub spe matrimonii sponsam non corruperit.

CAPP. VIII, IX.

An maritus possit votum castitatis a sua uxore sine suo consensu emissum irritare, et an idem possit uxor respectu mariti; quid si fiat mutuo consensu.

Dico 1 : Maritus non potest non tantum uxoris votum sive religionis sive castitatis factum ante matrimonium, sed nec etiam factum post matrimonium consummatum irritare quoad petendum debitum, neque uxor potest irritare simile mariti votum, adeoque istud votum manet validum ac firmum : non enim præjudicat juri alterius conjugis, qui potest semper sive expresse sive tacite petere debitum, et alter tenetur reddere. Et ratio est, quia tale votum uxoris non subjacet mariti potestati ratione materiæ, maritus enim non potest uxorem cogere, aut ei præcipere ut petat debitum; ad hoc non se obligavit in traditione sui corporis, sed tantum ad reddendum : ita communiter theologi, Cajetanus, Valentia, Antoninus, etc. Quidam tamen putant posse facilius uxorem irritare votum mariti ad petendum debitum ob præjudicium quod affert pudori femineo : sed hoc votum esset imprudens, si factum fuisset de non accedendo ad uxorem, nisi quando ipsa expresse peteret, nec quoad hunc excessum obligaret; sufficit enim videre ejus desiderium, et tacite petentem. Hinc

Dico 2 : Quando uterque conjux ex mutuo consensu facit tale castitatis votum, non tantum est

validum et sanctum, sed etiam ita firmum, ut neuter possit alterius votum irritare, imo nec possit alteri reddere debitum, etiamsi maxime exigat, et velit priorem consensum revocare : ita communiter theologi, D. Thomas, Richardus, Navarra, Lessius, etc.; quia uterque per mutuum contractum cessit juri suo, adeoque alium liberavit onere et obligatione reddendi debitum, quam non potest denuo imponere invito, revocando priorem consensum; pacta enim absoluta sunt perpetua. Imo quamvis uterque revocet suum pactum, tamen ex voto semper subsistente uterque obligabitur et ad non petendum et ad non reddendum debitum conjugale, quia ex vi sui voti tenentur prius pactum reiterare. Si autem fuisset nudum tantum pactum sine voto, tunc ex mutuo consensu potest illud rescindi : uterque enim potest cedere juri suo, redeundo in pristinum conjugii usum. Imo si alteruter conjugum id cupiat, alter debet si non ex justitia, saltem ex honestate aut charitate illi consentire.

CAPUT X.

An licentia faciendi votum castitatis ab alterutro conjuge concessa, sit revocabilis.

Dico 1 : Conjux qui dedit consorti licentiam faciendi votum castitatis, non tenetur amplius, nec potest licite ei petenti debitum reddere; quia cessit juri suo, et alter reddendo cooperaretur ejus peccato.

Dico 2 : Privata licentia faciendi prædictum votum, potest valide revocari antequam votum sit emissum, quia licentiæ dator nondum amisit suum jus; postquam autem emissum est, non videtur posse amplius valide revocari, nec posse licite debitum reddi petenti, quia dans licentiam cessit juri suo intuitu divini honoris; quamvis ergo illam revocet, alter non potest licite reddere, quia non habet amplius jus, illi enim renuntiavit dando talem licentiam. Renuntiatio autem proprii juris voto firmata, juxta Gratianum, habet vim cujusdam donationis irrevocabilis. Si uxor acceptet istam mariti revocationem, reddendo illi suum jus, quamvis nec teneatur, nec licite ob suum votum possit eam acceptare, valida tamen erit acceptatio, cum non sit injusta, sed sacrilega contra votum; et tunc tenebitur reddere debitum petenti, quia maritus suum jus amissum, et quod per matrimonium acquisierat, recepit. Non tamen potest petere, quia ipsius votum subsistit; sed tantum poterit licite reddere ob jus quod habet maritus, sicut deberet reddere et non petere, si sine mariti licentia fecisset tale votum.

CAPUT XI.

An solus papa possit dispensare in simplici voto castitatis.

Dico : Solus papa jure ordinario potest dispensare in dicto voto, et episcopi juxta communem doctorum sententiam, habent quasi ordinariam potestatem illud commutandi, vel dispensandi in casu necessitatis urgentis, ut colligitur ex cap. *Veniens*, Qui cleric. Quidam tamen recentiores id negant, nixi rationibus sat efficacibus, dicentes episcopum nullo jure sive divino, sive humano, habere ejusmodi jurisdictionem. Ut igitur contrariæ opiniones quasi concilientur, sic dicendum censeo : 1° Quando in casu urgentis necessitatis et difficilis ad papam recursus, subveniri potest subditi necessitati sine totali et absoluta dispensatione in voto, tunc non potest episcopus illam concedere. 2° In tali casu si necessaria sit aliqualis dispensatio vel moderatio in voti usu pro aliquo tempore, vel pro aliqua voti parte, tunc potest illam episcopus concedere : v. gr. cum conjuge voto castitatis obstricto ad petendum debitum dispensare, non dispensando in obligatione servandi conjugalem et vidualem castitatem. Non enim potest conjugatum dispensare in toto castitatis voto, sed tantum ad petendum debitum : et certe non potest dari casus urgentis necessitatis, in quo totalis voti dispensatio sit necessaria, ac proinde moraliter loquendo, nunquam potest episcopus absolutam et totalem in voto castitatis perpetuæ dare dispensationem, sed tantum partialem.

CAPUT XII.

De variis dubiis circa reservationem simplicis voti castitatis.

Dico 1 : Temporale votum castitatis, v. gr. unius anni, non est papæ reservatum, sed potest in eo dispensare episcopus (Navarra, Sotus, Toletus, etc.), quia non est votum simpliciter, sed secundum quid. Votum tamen castitatis ita factum, ut obliget tantum post unum vel decem annos, est reservatum, quia communi æstimatione censetur votum simpliciter, et ejus perpetuitas non attenditur ab instanti in quo fit, sed ab instanti pro quo fit.

Dico 2 : Votum non nubendi, aut non contrahendi matrimonium, communiter censetur non esse reservatum (Angelus, Sotus, Sylvester, Navarra, etc.). Similiter votum conjugalis castitatis non est reservatum, ut usus et consuetudo habet; et reservatio præcipue ex consuetudine pendet. Habens autem votum non contrahendi matrimonium, quamvis peccet contrahendo, contracto tamen non peccat debitum petendo, quia ejus votum fuit abstinere præcise a vinculo matrimonii, non vero a debito conjugali.

Dico 3 : Votum suscipiendi sacrum ordinem, probabilius non est etiam reservatum (Navarra, Lessius, Sanchez, etc.); quia non est formale castitatis votum, et reservatio restringenda est ad vota propria et formalia. Hinc nec votum vovendi castitatem, nec votum assumendi statum præcise in quo includitur cælibatus, sine hujus voto; nec votum castitatis sub conditione ut sibi liceat matrimonium inire cum aliqua virgine quæ secum velit sine usu debiti conjugalis vivere, est reservatum. De voto conditionato castitatis, an sit reservatum, supra dictum est libr. VI a cap. 22 usque ad 26.

CAPUT XIII.

An obligatio servandi castitatem sit jure divino annexa sacro ordini.

Nota : Castitatis obligatio juxta præsentem Ecclesiæ Latinæ usum, est annexa sacris ordinibus qui a subdiaconatu usque ad episcopatum numerantur, istius autem rei ratio et origo inquiritur. Quare

Dico 1 : Nullus sacer ordo susceptus ante matrimonium, reddit hominem ex vi solius juris divini inhabilem ad matrimonium contrahendum. (D. Thomas, Cajetanus, Sotus, Bellarminus, et alii omnes). Nullum enim reperitur tale jus divinum ; ideoque hac in re papa potest dispensare, qui non dispensaret, si daretur divinum præceptum in causa tam gravi universalem Ecclesiam spectante. Imo nec datur præceptum divinum, ne sacris initiati uxores ducant (D. Thomas et alii jam citati, contra Waldensem, Turrianum, etc.) : quia vel esset naturale seu connaturale ipsis sacris ordinibus, intrinsece consequens ad eorum dignitatem, vel positivum a Christo impositum ; atqui neutrum datur, nec ulla traditio etiam apostolica id indicat; ergo, etc. Hinc sequitur nec esse divinum præceptum clericis qui sunt in sacris, prohibens uxoris usum, si eam ante suam ordinationem duxerint : si enim non datur præceptum divinum illis prohibens ducere uxorem, ergo nec datur ipsis prohibens illa uti, cum ad usum ordinetur matrimonium, idque comprobatur ex praxi Græcæ Ecclesiæ, quæ suis clericis hujusmodi usum non prohibuit, nec Latina Ecclesia eum reprobavit.

Dico 2 : Lex ecclesiastica obligans sacris initiatos abstinere a matrimonio contrahendo, aut ab ejus usu, si antea contractum fuerit, est divino juri consentanea ; ac de fide est non esse contra jus divinum, uti patebit ex solutionibus objectionum hæreticorum asserentium esse contra jus divinum et naturale. Si enim in aliis votum castitatis non sit contra jus divinum ; ergo nec in clericis, qui sponte et pro suo libitu assumendo sacros ordines, illi se obstringunt. Imo id maxime est conforme juri divino et naturali, exigenti a sacris ministris animum a curis sæcularibus et carnis illecebris abstractum, quibus status matrimonialis eum necessario implicat ; istamque castitatis decentiam insinuavit lex vetus, jubens ut sacerdotes eo tempore quo in templo ministrabant, ab uxoribus abstinerent, et ipse Christus maxime castitatem commendavit.

Objicies 1, cum hæreticis : Scriptura dicit : *Oportere episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum* (*I Tim.* III, 2) ; si hoc de episcopo dicitur, multo magis dicendum est de omnibus inferioribus ordinibus. Respondeo : Per ista verba *unius uxoris virum*, vult sanctus Paulus episcopum non oportere esse bigamum, et quia tunc in principio Ecclesiæ Christianæ cælibes pauci inveniebantur episcopatui apti, ideo assumebantur uxorati ; sed non dicitur ejusmodi episcopus in episcopatu continuasse usum conjugii ; imo vero dicitur oportere eum esse *sobrium*, *justum*, *sanctum*, *continentem*, etc. (*Tit.* I, 7, 8), præter alia quæ postea dicentur.

Obj. 2 : Excedit potestatem humanam præceptum vovendi castitatem clericis impositum. Respondeo : Ecclesia non præcipit absolute clericis ut voveant castitatem, sed præcipit, ut si velint sacris initiari, promittant seu voveant se servaturos castitatem, nec ullus unquam cogitur ad suscipiendos sacros ordines ; si quis sacris ordinibus initiatus cogatur postea suscipere episcopatum, non cogitur ad novam castitatem vovendam aut servandam, iste ergo Ecclesiæ modus præcipiendi castitatem nulli vim aut injuriam infert, sicut non fit injuria ei qui vult religiosus fieri, jubetur vovere castitatem perpetuam.

Obj. 3 : Ecclesia per istud votum exponit multos manifesto fornicationis et sacrilegii periculo. Respondeo : Nego assumptum. Ecclesia enim non exponit illos fornicationis periculo, sed potius spectat majus cujusque bonum spirituale, et sanctius totius reipublicæ Christianæ regimen. Si autem aliqui interdum in carnis lapsus incidant, hoc ipsorum malitiæ aut fragilitati, non Ecclesiæ præcepto imputandum est.

CAPUT XIV.

Quando obligari cœperint in Ecclesia episcopi ac presbyteri ad servandam castitatem.

Dico 1 : A tempore apostolorum in Ecclesia sancitum ac observatum fuit, ut episcopis ac presbyteris post suam ordinationem non permitteretur matrimonium contrahere. Probatur apostolorum exemplo : Nullus enim eorum, qui ante matrimonium vocati sunt ad apostolatum, postea uxorem duxit, ut constat de Joanne evangelista ; idemque dici potest de Jacobo fratre Domini, de sancto Andrea et de sancto Paulo et de aliis. Si enim eorum aliqui ante apostolatum uxorem duxerant, postea in apostolatu ab ea abstinuerunt ; multo minus prima mortua, secundam duxerunt, cum bigamiam in episcopis et presbyteris apostoli prohibuerint, ut constat ex I Tim. III et Tit. I, et ex apostolorum canonibus. Hinc dum dicuntur apostoli fuisse uxorati (non tamen omnes), intellige de tempore ante apostolatum ; dumque I Cor. IX, 5, ait Paulus : *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri apostoli, et fratres Domini*, juxta expositores antiquos et modernos intelligitur de quavis femina, non autem uxore. Hæc igitur castitatis obligatio est antiquissima, et ab apostolica traditione manavit, quamvis in principio magis ex consilio quam ex præcepto fuerit introducta. Quando vero sub rigore præcepti ac necessitatis cœperit stabiliri, non satis liquet ; verisimile est primos episcopos ab apostolis consecratos, qui apostolorum exemplo cælibatum servabant, in suis successoribus vel coadjutoribus consecrandis eamdem castitatis servandæ regulam tradidisse ; atque

ita intra breve tempus consuetudinem pro lege ac regula acceptatam fuisse.

Dico 2 : Episcopi et presbyteri, qui post matrimonium consecrantur, tenentur a propriis, si eas ante habuerint, uxoribus abstinere, quamvis hoc præceptum in Ecclesia Græca non obliget ob contrariam consuetudinem. Unde non satis constat hoc præceptum proprie esse apostolicum, licet constet ex traditione apostolica manasse; nam apostolos post vocationem perpetuo ab uxoribus abstinuisse colligitur ex his Christi verbis Petro, qui dixerat : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo*, etc., respondentis : *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem*, etc. (*Matth.* XIX, 27, 29.) Reliquerant ergo apostoli uxores eo modo, quo poterant, nempe quoad torum. Hæc igitur observantia, prout exemplo et verbo docuerant apostoli, testante concilio II Carthaginensi (cap. 2), celebrato circa annum Christi quadringentesimum, perseveravit; et videtur ista perseverans nec interrupta consuetudo in re tam difficili non exstitisse sine obligatione. Deinde Siricius papa (epist. 1, cap. 7) illam castitatis servandæ legem expressius declaravit, et transgressoribus pœnam imposuit, quam legem in occidentali Ecclesia fuisse receptam, et antiquissimis et variis conciliis provincialibus, Eliberitano, Arelatensi II (can. 2), Carthaginensi II (cap. 2), Taurinensi (can. 7), Toletano II (cap. 1), Aurelianensi III (can. 1), etc., in quibus sancitur ac præcipitur prædicta sacerdotalis castitas observanda, eamque antiqui Patres Latini Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, miris laudibus extulerunt.

CAPUT XV.

Quænam sit ac fuerit obligatio servandi castitatem in episcopis et presbyteris Ecclesiæ Orientalis.

Nota : Nunc, etiam ante multos annos episcopi vel presbyteri Græci, si ante suam ordinationem habuerunt uxores, ab iis post ordinationem non separantur quoad torum : quam consuetudinem licet Ecclesia Latina non imitetur, nec laudet, non tamen damnat ut malam. Hinc quæritur quando ista consuetudo apud Græcos inceperit.

Dico 1 : Cajetanus censet in Ecclesia Græca nunquam fuisse consuetudinem obligantem sacris initiatos ad non contrahendum matrimonium etiam post ordinationem; sed hæc sententia communiter reprobata est. Alii verisimilius docent nunquam fuisse in Ecclesia Græca consuetudinem, ut sacerdotes a propriis uxoribus abstinerent, si eas ante suam ordinationem habuissent, sed solum ut si non habuissent, jam ordinati eas accipere non possent : et confirmatur ex historia concilii Nicæni primi, quod cum vellet condere decretum, ut episcopi, presbyteri, diaconi, aut subdiaconi abstinerent a suis uxoribus, si quas ante suam ordinationem habuissent, fertur Paphnutius se tali decreto opposuisse, et persuasisse concilio ut illud onus sacerdotibus non imponeretur. Sed cum hæc historia non sit adeo indubitata, ideo alii existimant primis sexcentis annis et Orientalem et Occidentalem Ecclesiam eamdem servasse integram suorum sacerdotum consuetudinem in lege et obligatione abstinendi etiam a propriis uxoribus, postea vero istam consuetudinem in Orientali Ecclesia paulatim fuisse remissam atque mutatam : ita Bellarminus, Baronius, etc., probant ex Patribus circa illa prima tempora viventibus. Unde

Dico 2 : Probabile videtur 1° nunquam fuisse presbyteros, etiam episcopos, obligatos ad prædictam castitatem servandam, nisi illam in sua ordinatione promisissent; imo in Latina Ecclesia id observatum est, ut constat ex Gregorio (lib. I, epist. 82) et ex aliis. 2° Ordinarie, etiam in Orientali Ecclesia, istis primis sæculis servatam fuisse a presbyteris castitatem circa suarum uxorum usum, quia episcopi ordinarie eum, qui uxorem habebat, nolebant ad sacros ordines promovere, nisi prius de consensu uxoris castitatem voveret, hancque formam promovendi conjugatos ad sacros ordines, vel per consuetudinem vel per provincialia aut nationalia concilia impositam fuisse episcopis; nunquam tamen inter Græcos cum tanto rigore intellectam ac servatam, neque ita generaliter, sicut inter Latinos, ut colligitur ex variis Patrum testimoniis et historiis. 3° Episcopos etiam optimos non ex necessitate legis, sed ex majori decentia solitos fuisse istam promissionem abstinendi ab uxoribus exigere a conjugatis promovendis, vel certe ex rationabili causa potuisse in hoc dispensare, et nolentes promittere separationem ab uxoribus quoad torum, potuisse licite ordinare : v. gr. si ministrorum penuria aderat, si ordinandus ob egregias naturæ, gratiæ, virtutum, doctrinæ dotes censebatur Ecclesiæ valde utilis.

CAPUT XVI.

De obligatione servandi castitatem, qua diaconi et subdiaconi obstringuntur.

Dico 1 : Diaconus, si dum ordinatur, non habeat uxorem, obligatur ad perpetuum cælibatum, in hoc enim diaconi semper fuere fere æquales sacerdotibus : olim tamen in Ecclesia Græca, si diaconus in sua ordinatione protestabatur se nolle obligari ad non contrahendum matrimonium, episcopus, justa causa occurrente, dispensabat, et poterat matrimonium contrahere; sed postea illud sublatum est. Si vero diaconus, dum ordinatur, habeat uxorem, in Ecclesia Orientali, non aliter ac presbyteri, non tenetur ab ea abstinere, sed in Occidentali diaconi tenentur omnino ab ea abstinere, quamvis hæc diaconorum ab uxoribus abstinentia, an perpetuo a temporibus apostolorum servata fuerit, dubitari possit, cum dicat concilium Arausicanum I (can. 22) : *Deinceps non ordinentur diaconi conjugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem.*

Dico 2 : Similiter subdiaconis post ordinationem, sive in Græca sive in Latina Ecclesia semper pro-

hibitum fuit ducere uxorem ; si autem antequam ordinarentur, jam habebant uxorem, in Ecclesia Græca servata est eadem semper consuetudo pro illis ac pro diaconis. In Latina autem non videtur semper aut ubique illis conjugatis jam ordinatis, prohibitum fuisse abstinere a sua uxore.

CAPUT XVII.

An obligatio servandi castitatem in clerico sacris initiato proveniat ex voto, an vero ex solo præcepto ecclesiastico.

Dico 1 : Constat Ecclesiæ intentionem esse, ut is qui voluntarie sacrum suscipit ordinem, castitatis votum emittat, et ad hoc posse Ecclesiam eum obligare sub conditione seu conventione voluntaria : ideo qui sic suscipit ordinem, teneri vel ex conditione vel ex justitia conditionem implere, sub qua ad illum admittitur. Deinde licet explicite votum non emittat, tamen eo ipso quo illud non excludit, seu bona fide ordinem suscipit animo parendi Ecclesiæ in isto statu assumendo, implicite illud facit, ut patet ex Ecclesiæ usu et decretis. Si tamen cum expressa voluntate contraria seu cum expressa intentione non promittendi castitatem, voluntarie sacrum ordinem susciperet, valide quidem ordinaretur, seu vere ac valide sacramentum susciperet, sed graviter contra statutum Ecclesiæ, et pactum cum ea initum, peccaret multiplici sacrilegii peccato, semperque teneretur votum castitatis, quod in ordine suscipiendo non emisit, emittere, mutando suam intentionem ; et semper maneret vel sic sine voto inhabilis ad matrimonium contrahendum, quia ordo sacer, quem valide suscepit, est unum ex impedimentis dirimentibus subsequens matrimonium ; quod impedimentum immediate provenit ex statuto Ecclesiæ supponentis in persona, quam inhabilitat, et ordinem et votum vel verum vel præsumptum castitatis, non enim de occultis judicat ; adeoque quasi ex utroque, nempe ex vi ordinis et ex vi voti ordini annexi mediate provenit. Hinc ejusmodi clericus obligatur ad non contrahendum matrimonium, cum sit factus ad illud inhabilis. Ab actibus autem venereis, qui extra matrimonium sunt illiciti, tenetur abstinere saltem præcepto naturali præter aliam malitiam sacrilegii ex vi prohibitionis ecclesiasticæ provenientem, quæ probabiliter in ejus transgressione committitur ob gravem status sacri indecentiam.

Dico 2 : Si quis puer ante usum rationis sacris initiaretur, rationis usum adepto danda esset optio, an velit habere ordinis suscepti usum, vel non : si velit habere, tunc ministerium admittendo, consentit servare castitatem, eamque tenetur servare et fit inhabilis ad matrimonium contrahendum ; si autem nolit habere, tunc non tenetur servare castitatem, potestque matrimonium inire ; tenetur tamen perpetuo abstinere ab usu ordinis. Si quis vero jam habens usum rationis, sed ante pubertatis annos sacris initietur, videtur certo obligari ad castitatem servandam. Sotus, Sylvester, etc., contra Innocentium, Panormitanum, etc., dicentes non obligari, si ante expletum pubertatis tempus intra triduum contradicat. Et cum hoc votum sit solemne ob validam ordinationem, non potest a parente irritari. Deinde si quis habens legitimam ætatem invitus ob metum gravem cadentem in constantem virum suscipiat sacrum ordinem, voluntarie quidem seu ordinationi consentiendo, sed expresse nolendo se obligare ad servandam castitatem, is non vovet castitatem in tali ordinis susceptione, et fortasse sic vi coactus ad ordinem suscipiendum, nolendo illam vovere non peccat ; adeoque non tenetur eam servare. Hinc sequitur etiam si suscipiendo ordinem nihil omnino cogitarit de castitatis observatione, sed tantum voluerit ordinationem ad vitandum grave damnum quod timebat, eum nec votum castitatis fecisse, nec obligationem ad illam servandam, aut impedimentum ad matrimonium ineundum contraxisse. Contra vero si suscipiendo sic ordinem ex metu, sciebat se in tali casu non obligari ad vovendam castitatem, et tamen voluit eam vovere, tunc votum est validum, et probabilius manet inhabilis ad matrimonium contrahendum ; verum non manebit inhabilis, si vis ac metus incussus sit non solum ad suscipiendum ordinem, sed etiam ad extorquendum votum, quod saltem in ratione voti solemnis erit invalidum. Attamen ut sic ordinatus possit matrimonium contrahere, metus injustus debet probari ante judicem. Denique si religiosus ex ejusmodi metu invalide professus, et ex eodem metu sacris initiatus sit titulo religiosi, videtur ex neutro titulo obligari ad castitatem ; secus vero, si tempore ordinationis cessabat metus, tunc ratione ordinis voluntarie suscepti obligatur ad castitatem.

CAPUT XVIII.

Quibus modis cælebs sacris initiatus peccet contra votum castitatis, et quas pœnas incurrat.

Dico 1 : De fide certum est, cælibem sacris initiatum esse inhabilem ad matrimonium contrahendum, ut habetur in cap. *Unico* De voto in 6, et alibi. Quando autem hoc castitatis votum cœperit habere istum effectum irritandi subsequens matrimonium, sive esse solemne, non satis liquet, quia plura antiqua circa hoc decreta non satis clare explicant, an prohibeant tantum, an vero etiam irritent ac invalident tale matrimonium. Quamvis enim Bonifacius VIII fuerit fortasse primus, qui in dicto c. *Unico* De voto in 6, cœperit istud votum vocare solemne, sunt tamen longe antiquiora jura quæ istum voti solemnis effectum irritandi matrimonium declarant, dicuntque ejusmodi matrimonia nulla seu irrita esse.

Dico 2 : Ejusmodi clericus in sacris constitutus affectando contrahere matrimonium, præter gravissimum sacrilegium quod committit, multiplicem incurrit pœnam : prima est excommunicatio major ipso jure incurrenda ; secunda est privatio beneficiorum non ipso facto, sed per sententiam judicis statuenda ; item privatio pensionum spirituali titulo

collectarum; tertia est irregularitas ob speciem bigamiæ similitudinariæ; quarta est depositio, etc.

Dico 3 : Hoc votum obligat ad servandam perpetuam et integram castitatem in omnibus actibus, non tantum in iis qui sunt in matrimonio liciti, sed etiam in illis qui sunt jure naturæ prohibiti, sive quoad internum sive quoad externum effectum. Idcirco canones ecclesiastici ab ipsismet legibus civilibus etiam comprobati, sæpe admonent clericos de vitando contubernio ac convictu mulierum extranearum, id est quæ non sunt sanguine in certo gradu conjunctæ, idque variis in locis prohibent.

CAPUT XIX.

Ad quid obligetur is qui post contractum matrimonium sacris initiatus est, vivente uxore.

Dico 1 : Ut vir conjugatus possit sacris initiari : 1° non debet esse bigamus. 2° Debet intervenire uxoris consensus, nisi jure et auctoritate judicis ecclesiastici jam foret exemptus ab obligatione reddendi debitum, v. gr. per perpetuum divortium quoad torum ob adulterium, etc., vel nisi matrimonium nondum foret consummatum, et vellet ingredi religionem; sed in hoc casu ordinarie, non tamen necessario, debet prius emittere religionis professionem quam ordinari. In istis enim duobus casibus potest, invita uxore, suscipere ordines sacros. 3° Præter uxoris consensum requiritur, ut ipsa etiam emittat votum castitatis, vel simplex, juxta quosdam doctores, remanendo in sæculo, vel probabilius et verius juxta alios, nempe Sotum, Sylvestrem, Panormitanum, etc., solemne in religione, nisi ita esset senex, ut possit sine suspicione in sæculo manere, ut habetur in cap. *Cum si* De convers. conjugatorum.

Dico 2 : Conjugatus licite sacris initiatus eamdem omnino castitatem servare tenetur, ac si ante matrimonium sacros ordines suscepisset, adeoque non potest petere, nec reddere etiam petenti uxori debitum; et uxore utendo juxta diversum actualem illius statum committeret diversum sacrilegium. Deinde nec licet cum illa tanquam sorore, toro separato, cohabitare ob periculum incontinentiæ.

Dico 3 : Qui sine uxoris consensu sacrum ordinem suscipit, ad castitatem integre servandam obligatur, excepto debito conjugali quod petenti uxori reddere tenetur, et manet suspensus, vel potius irregularis, fitque inhabilis ad contrahendas secundas nuptias; et licet uxor sciens non reclamarit, probabilius tamen potest ipsa adhuc petere debitum, et alter ei reddere tenetur, nec tenetur vovere castitatem, ut sibi non liceat amplius illud petere. Imo quamvis uxor expresse consenserit, si non emiserit vel religionis professionem, vel votum castitatis, non tenetur hanc servare; nec ad id cogi potest; sed si suum virum repetat, non est ei denegandus, ut colligitur ex cap. 1 *De convers. conjugatorum.*

CAPUT XX.

An in votum ordinis sacri possit cadere dispensatio.

Nota : Qui dixerunt castitatem jure divino esse annexam sacro ordini, ii negarunt esse in Ecclesia seu in summo pontifice potestatem dispensandi in ejusmodi castitate, præsertim ad ducendam uxorem (Major, Clicthoveus, Turrecremata, Medina); sed indubitanter :

Dico 1 : Votum solemne castitatis sacro ordini annexum potest per Ecclesiam relaxari seu dispensari duobus modis : 1° antecedenter, id est, Ecclesia potest alicui permittere, ut in suscipiendo sacro ordine non voveat castitatem, adeoque non contrahat impedimentum ad contrahendum matrimonium. 2° Consequenter, id est, cum eo qui ordinario modo suscipiens ordines fecit solemne castitatis votum, factusque est ad matrimonium inhabilis, potest dispensare ut matrimonio ligetur aut utatur; sed hic modus dispensandi est difficilior, quia supponit votum castitatis jam factum ex jure divino obligans, et impedimentum ecclesiasticum irritans matrimonium. Si non adsit causa legitima, dispensatio erit invalida quoad votum, sed non quoad impedimentum ecclesiasticum, cum papa valide pro sua voluntate possit hoc jus ecclesiasticum tollere; adeoque sic dispensatus valide poterit matrimonium contrahere, et reddere debitum, non tamen petere ob remanens castitatis votum, quod juxta Ecclesiæ institutionem absolute et simpliciter fecit, non conditionate *ad sedis apostolicæ* beneplacitum. Unde papa non potest pro suo libitu illud irritare, aut dispensare in lege superiori sine justa causa, seu in lege divina sine potestate a Deo ad id accepta.

Dico 2 : Non tantum potest Ecclesia permittere conjugato, ut ordinem sacrum suscipiat, sed etiam ut illo suscepto retineat usum et ordinis et simul conjugii, sicut in Ecclesia Græca toleratur; sed in Latina hic casus vix est possibilis, nam dum ex speciali necessitate permittit clerico sacris initiato matrimonii contractum aut usum, eodem tempore eum privat usu sacri ordinis.

CAPUT XXI.

De vi et antiquitate solemnis voti castitatis religiosæ.

Dico : De fide certum est votum solemne in professione religionis approbatæ factum, reddere hominem ad subsequens matrimonium inhabilem, illudque irritare : ita definitur in cap. *Unico* De voto in 6, et in extrav. 1 Joannis XXII, de voto, et in concilio Tridentino (sess. 24, can. 9). Deinde certum est a tempore Innocentii II, circa annum 1140, hanc legem in Ecclesia inviolabiliter observatam fuisse; nam ille in concilio Romano statuit, ut ii qui sic contraxerint, separarentur, declarans talem contractum non esse matrimonium. Sed ex sola ratione, vel ex natura status religiosi, non videtur posse satis ostendi hunc morem, seu hunc voti effectum ante tempora Innocentii II, qui eum isti voto primus tribuisse invenitur in cap. *Ut lex*

27, quæst. 1, incepisse. Cum enim ista voti solemnitas ex sola Ecclesiæ institutione sit inventa, ut habetur in cap. *Unico* De voto in 6, non potest solo rationis discursu ex natura status religiosi colligi eum prius fuisse; et olim monachi etiam professi sæpe aut ejiciebantur aut abire sinebantur; cumque omnes tunc fere laici forent, valde probabile est sic egressos interdum matrimonium contraxisse. Attamen videtur probabilius ante Innocentium II, jam fuisse solemnia religiosæ castitatis vota, quæ istam irritandi matrimonium subsequens vim habebant, adeoque id non fuisse primo a dicto Innocentio introductum. Sed a quo tempore et a quo institutore id inceperit, an omnibus omnino religiosis, aut iis qui censebantur religiosi, fuerit commune; an fuerit in eis varietas, nonnullis solemni irritante, aliis simplici non irritante matrimonium voto se obstringentibus, non satis liquet ob varia sanctorum Patrum dicta. Cæterum videtur semper fuisse non solum usus *simplicis* voti castitatis privatim facti sine religiosa traditione et publica Ecclesiæ acceptatione quod matrimonium non irritabat, sive non reddebat voventem ad contrahendum matrimonium inhabilem, sed etiam *solemnis* quod in universali Ecclesia ab omnibus sive monialibus sive monachis seu religiosis, qui publice coram Ecclesia in manibus alicujus prælati castitatem profitebantur, fiebat cum Ecclesiæ acceptatione, et hoc reddidisse voventem ad matrimonium subsequens inhabilem. Imo hujusmodi usus probabiliter reducendus est usque ad apostolorum tempora; multa enim sunt Patrum et conciliorum dicta, quæ ista omnia utcunque probant aut indicant. Vide apud Patrem Suarez.

CAPUT XXII.

An solemne castitatis votum possit dissolvere matrimonium consummatum.

Dico 1 : Certum est solemne votum castitatis non dissolvere matrimonium valide consummatum : matrimonium enim consummatum inter baptizatos est omnino indissolubile juxta hoc : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6). Lex ultima Justiniani, cap. *De episcopis et clericis*, debet intelligi de matrimonio rato tantum, non vero de consummato, vel de dissolutione matrimonii quoad torum, non quoad vinculum : nam licet mors naturalis dissolvat matrimonium quoad vinculum, non tamen civilis seu professio religiosa; quia mors civilis tantum quoad casus in jure expresso æquiparatur naturali, ut ait Bartholus. Hinc religiosa unius conjugis professio, sive valida dum fit cum alterius conjugis licentia, sive invalida dum fit sine illius licentia, nunquam dirimit consummati matrimonii vinculum. Imo

Dico 2 : Non potest Ecclesia facere, ut hoc solemne castitatis votum dissolvat matrimonii consummati vinculum, hoc enim intrinsece juri naturali, et specialiter in lege evangelica perfectæ sacramenti matrimonii significationi repugnat; ideoque Christus non dedit suo vicario potestatem illud dissolvendi quacunque ex causa, etiam urgentissima occurrente; et dum præcipit ei qui vult ipsum sequi, ut habeat odio patrem, matrem, uxorem, etc. (*Luc.* XIV, 26), non præcipit ut dissolvat suum matrimonium consummatum, sed ut uxorem immoderato amore non diligat, Deique amori ejus præferat amorem.

CAPUT XXIII.

An solemne castitatis religiosæ votum dissolvat matrimonium ratum.

Dico 1 : Solemne religiosæ castitatis votum dirimit matrimonium ratum non consummatum, etiam invito altero conjuge, ut patet ex pluribus juribus; et ista res de fide definita est in concilio Tridentino (sess. 24, can. 6), contra modernos hæreticos id negantes. Quæritur autem quo jure illud dirimat; naturali, an divino; positivo, an ecclesiastico. Quare :

Dico 2 : Non dirimit illud jure naturali, contra Durandum, Cajetanum, etc. Probatur : 1° si dirimeret jure naturali, ista duo, matrimonium ratum et votum castitatis, non possent stare simul; ergo votum castitatis factum post matrimonium esset nullum. Deinde si ex natura rei dirimeretur matrimonium, etiam per votum sacri ordinis, aut per simplex perpetuæ castitatis votum in statu privato, etiam dirimeretur, quod utrumque est falsum; imo non tantum ratum, sed etiam consummatum dirimeretur. 2° Vinculum matrimonii rati, et vinculum voti castitatis possunt ex natura rei stare simul, ut patet in marito aut uxore habente simplex votum castitatis; ergo ex natura rei seu jure naturali non dirimitur.

Dico 3 : Nec dirimitur jure divino positivo, contra Abulensem, Rebello, Sanchez, etc., dicentes illud dissolvi ex jure specialiter lato a Christo in evangelica lege, per quod voluit in naturali indissolubilis matrimonii lege dispensare, immediate per se ipsum præcipiendo ut liceret, non obstante matrimonio rato, religionis statum assumere, ex quo assumpto statim sequeretur istius matrimonii dissolutio. Sed oppositum probatur : 1° Quia solemne religiosæ castitatis votum non irritat jure divino matrimonium contrahendum, ut supra dictum est, ergo nec contractum : difficilius enim est dissolvere aut irritare contractum seu ratum, quam impedire contrahendum. Si ergo Christus dedisset solemni castitatis voto vim irritandi matrimonium contractum, dedisset etiam ei vim irritandi contrahendum. 2° Voti solemnitas, ut jam sæpe dictum est, provenit ex Ecclesiæ institutione ac constitutione; atqui religiosæ castitatis votum non dirimit matrimonium ratum, nisi quatenus solemne; ergo non illud dirimit ex vi solius juris divini, sed ex interventu et vi juris ecclesiastici. Quare

Dico 4 : Solemne religiosæ castitatis votum dirimit matrimonium ratum ex Ecclesiæ statuto; quamvis enim Christus voluerit dispensare cum sua Ec-

clesia, ut in ea esset aliquis perfectionis status, per cujus professionem posset matrimonium ratum dissolvi, tamen nullibi ipsemet illum determinavit, sed reliquit Ecclesiæ suæ arbitrio potestatem illam determinandi dicendo generaliter : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Et : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Hinc Ecclesia solemni sacri ordinis voto non applicuit istam vim dirimendi matrimonii rati, uti Joannes XXII, in extrav. *Unica*, sic ait : *Quia nec jure divino, nec per sacros canones reperimus hoc statutum ;* sed illam applicuit soli solemni religiosæ castitatis voto : itaque istud matrimonium ratum non privata contrahentium, sed publica Ecclesiæ, nec præcise humana, sed potius divina potestate a Christo accepta dissolvitur; et dum Christus dixit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6), intellexit de matrimonio consummato, non de rato tantum; ideoque non dedit potestatem dissolvendi matrimonii consummati, quia jam non sunt duo, sed una caro.

CAPUT XXIV.

Quando incepit solemne religiosæ castitatis votum dirimere matrimonium ratum.

Dico 1 : Invenitur decretum Eusebii papæ circa annum Christi 311, dicentis desponsatam puellam non licere tradere alii viro, sed licere monasterium eligere; at nescitur an hoc decretum agat tantum de sponsalibus, an vero de matrimonio rato. Deinde afferuntur exempla sanctæ Theclæ, sanctæ Iphigeniæ, sancti Alexii, etc. Sed omnia ista exempla nil probant pro voto solemni dirimente matrimonium ratum ; adeoque an hæc institutio fuerit in Ecclesia perpetua a temporibus apostolorum, vel an præcesserit Eusebium necne, incertum est.

Dico 2 : Ecclesia voto ordinis sacri vel episcopatus non tribuit istum effectum dirimendi matrimonium ratum, etiamsi potuisset : fortasse autem noluit id stabilire, quia conjugium et religiosa professio ex natura rei inter se repugnant; non vero conjugium et ordo sacer. Deinde cum status religiosus sit status perfectionis acquirendæ, requirit separationem a curis domesticis et usu conjugii, non vero ita ordo sacer.

CAPUT XXV.

Solutio quorumdam dubiorum circa prædictam materiam.

Dico 1 : Post matrimonium ratum juxta communiorem theologorum opinionem dantur duo menses, intra quos, conjuges tenentur vel reddere debitum, vel ingredi religionem, etiamsi quoad hoc temporis spatium judicis arbitrium non sit excludendum, qui potest illud augere vel minuere.

Dico 2 : Licet si copula, etiam per vim facta, præcesserit matrimonium ratum, subsequens tamen professio religiosa illud dissolvit, uti et sponsalia de futuro, si ea præcesserit copula; non consummatur enim matrimonium ratum per copulam præcedentem. Si autem post matrimonium ratum per vim illata sit copula, probabilius non potest illud, utpote consummatum, dissolvi. Sed si sponsus vel sponsa differendo nimis diu religionis ingressum, transacto concessi temporis spatio injuste deneget petenti debitum, licet peccaret, videtur tamen posse adhuc tunc licite, præteriti peccati pœnitens, statim ingredi religionem : uti et maritus, etiam invita uxore, postquam illam consentientem et volentem tradidit alteri ad committendum adulterium: probabiliter tamen illicite poterit ingredi, si invitam eam per vim aut metum gravem tradidit ; imo per motum proprium Sixti V, si istud crimen fuerit deductum ad forum contentiosum, ejusmodi maritus redditur inhabilis ad professionem religiosam.

Dico 3 : Quando uterque conjux religionem professus est, vel altero saltem profitente, alter simplex castitatis votum emisit, tunc matrimonium ratum dissolvitur per professionem. Hinc si is qui simplex castitatis votum emisit altero profitente, postea matrimonium contrahat, validum est, quia simplex votum illud non dirimit, nec matrimonium præcedens, utpote jam solutum, impedit; erit tamen illicitum, si fiat sine voti dispensatione. Imo si uterque professus, sui voti dispensationem obtineat, posset cum quovis alio matrimonium contrahere, nec possent inter se uti pristino matrimonio, sine contractu novi matrimonii. Attamen ut professio religiosa dirimat matrimonium ratum, debet esse perfecta, integra, et facta in religione a sede apostolica approbata ; ac debuit esse semper talis, etiam olim, ut redderet voventem ad matrimonium inhabilem.

CAPUT XXVI.

An dispensatio cadere possit in solemne religiosæ castitatis votum.

Dico 1 : Sicut papa potest dispensare in professione religiosa, juxta ea quæ antea dicta sunt, faciendo de religioso professo non religiosum, ita potest solemne castitatis votum omnino auferre; imo ablato simpliciter et absolute professionis vinculo, simul etiam necessario aufertur castitatis votum, quia hoc votum non fuit emissum, nisi ut annexum tali professioni et statui. Ergo ablato statu et professionis vinculo, consequenter aufertur et votum ; hinc moraliter loquendo non potest saltem licite dispensari in professione, quin dispensetur in voto.

Dico 2 : Papa potest religiosum dispensare in solemni castitatis voto, quoad usum conjugii, non auferendo ipsum totum castitatis votum, nec religiosum statum, nec professionis vinculum, ita ut religiosus professus manens religiosus licite ac valide matrimonium contrahat ac consummet ex ista dispensatione : uti videtur factum cum religiosis militaribus, qui prius integram castitatem profitebantur, et postea cum eis dispensatum est, ut retento religionis statu ad solam conjugalem castitatem obligarentur. Status enim religionis simpliciter, et status matrimonii simpliciter possunt simul stare in eadem persona, ut patet in conjugatis qui post consummatum matrimonium mutuo consensu religionem professi sunt; nam vere sunt religiosi et rema-

neut conjugati. Sic papa dispensat cum persona simplici castitatis voto ligata ad contrahendum et consummandum matrimonium, remanente partialiter ipsius voti vinculo, quo tenetur post mortem conjugis servare castitatem. Unde papa potest ejusmodi religiosum dispensare, vel ad usum matrimonii prius contracti et consummati, vel ad contrahendum et consummandum, vel ad contrahendum tantum sine licentia illud consummandi; sed pro omnibus istis deberent occurrere valde proportionatæ et urgentissimæ causæ.

—

LIBER X.

De voto obedientiæ.

—

CAPUT PRIMUM.

An simplex obedientiæ votum sit honestum et cadat sub consilium.

Dico : Obedientia quatenus est subordinatio et subjectio propriæ voluntatis ad alienam, est unum ex bonis supererogationis quæ sub consilium cadunt, si fiat cum debita mensura et requisitis circumstantiis : contra antiquiores et recentiores hæreticos, qui hoc, ut alia vota, damnant tanquam superstitiosa aut mala. Probatur ex verbis Christi : *Si vis perfectus esse*, etc., *sequere me* (*Matth.* XIX, 21), nempe parendo iis quæ dicam tibi, ad acquirendam perfectionem. Unde ibi non loquitur de obedientia necessaria ad observationem præceptorum, sed de voluntaria ac stabili, quæ sub consilio cadit ad majorem vitæ perfectionem, et quam videntur amplexati fuisse apostoli sub obligatione Christo obediendi, relinquendo normam futuris fidelibus perpetuo in Ecclesia duraturam. Simplex igitur obedientiæ votum, quod extra statum religiosum fit debitis cum circumstantiis homini ut vicem Dei tenenti vel Deo, ut homo Dei nomine præcipiat quæ ad majus animæ bonum expedire judicabit, prudenti omnium judicio est honestum, laudabile, et per se loquendo obligat (Cajetanus, Navarra, etc.).

CAPP. II, III.

An simplex obedientiæ votum contineat duplicem promissionem Deo et homini factam, et ad quid obliget.

Dico 1 : In faciendo simplici obedientiæ voto, potest intervenire duplex promissio : una Deo, et altera homini, sive separatim sive conjunctim, et tunc in ejus transgressione duæ erunt malitiæ specie distinctæ, nimirum altera sacrilegii, contra votum, altera infidelitatis vel injustitiæ, contra promissionem homini factam. Potest etiam intervenire unica promissio Deo facta, et tunc in transgressione erit unica sacrilegii malitia ; si autem promittatur obedientia soli homini, seu unica promissio facta homini, non Deo, tunc non erit votum. Jam vero ad judicandum quomodo tale obedientiæ votum sit factum, cum unica, an cum duplici promissione, spectanda est voventis intentio, a qua id maxime pendet.

Dico 2 : Prædictum votum obligat tantum ad faciendum id quod est possibile moraliter sine magna difficultate, et quod non est impeditivum majoris boni ; in re autem dubia, quamvis ex vi hujus voti pure simplicis probabiliter non teneatur quis obedire præcipienti, utpote non proprie superiori, videtur tamen posse licite obedire ei, imo et ordinarie melius esse. Deinde materia hujus voti quoad operum præcipiendorum varietatem, multitudinem, perfectionem, difficultatem, semper limitanda est proportionate ad voventis personam et ad statum seu vivendi modum quem profitetur. Unde sub tali voto non comprehenduntur ea quæ pertinent ad mutationem status, nisi aliud constaret de intentione voventis, v. gr. vidua aut virgo ex vi istius voti obedientiæ non potest obligari ut non nubat, aut ut nubat. Præterea dici potest istius obedientiæ perpetuitatem non intelligi promissam absolute, sed promissam pro duratione illius status, in quo promittitur, vel potius pro duratione carentiæ alterius status, ad quam carentiam non obligatur quis ex vi talis voti. Hoc votum potest emittere quævis persona, v. gr. quivis prælatus, episcopus, imo et papa ; quia semper debet intelligi personæ conditioni accommodatum, ac præsertim non repugnans alteri obligationi, quam vovens habeat. Nec sub hujus voti materia comprehenduntur omnia virtutis opera, etiamsi non sint cum statu voventis directe pugnantia, sed sufficit ut tantum ab eo aliena et omnino extranea sint. Denique hoc votum simplex obedientiæ non est necessario cum duobus aliis paupertatis et castitatis connexum ; materiæ enim sunt diversæ, quæ pro personæ arbitrio possunt separatim voveri.

CAPUT IV.

De obligatione et transgressione simplicis voti obedientiæ.

Nota : Duplex est in superiore, seu potius in eo cui obedientia per votum promissa est, voluntas. Alia *inefficax* sive desiderii, sic : *Vellem aut cupio ut hoc facias.* Certum est hanc voluntatem vel velleitatem nullam inducere obligationem, obediendi ; qui enim promisit obedientiam, non promisit omnium superioris desideriorum exsecutionem. Alia *efficax*, quæ iterum duplex est : una de sola actione aut opere, sic : *Volo ut hoc facias ;* altera de formali obligatione, sic : *Volo te obligare ut hoc facias.* et de hac utraque sic dicendum.

Dico 1 : Voluntas de solo opere sine voluntate obligationis ad opus, non obligat, adeoque istud opus omittere non erit contra votum, nam in religioso talis omissio non est proprie contra ipsius votum ; ergo multo minus in eo qui non est religiosus, erit contra simplex illius votum obedientiæ, quia velle aliquod opus fieri secundum se spectatum, est tantum voluntas affectiva seu generali modo motiva, non præceptiva : ut autem sit præceptiva, debet intimari voluntas obligandi aliquo signo sufficienti, et tunc vovens obligatur in conscientia ad parendum sub culpa, suo obedientiæ voto contraria vel veniali vel mortali, juxta materiæ capacitatem et præcepti modum. Jam vero ut culpa inobedientiæ sit mortalis, requiritur materia gravis ; nec sufficit sola voluntas superioris graviter obligantis. Supposita ergo materia gravi et voluntate superioris graviter obligantis, tunc vovens tenetur sub culpa mortali obedire. Verum sicut in religione superior aliquid simplici verbo præcipiens in materia quantumvis gravi, non censetur velle obligare sub mortali, nisi quando dicit : *In virtute obedientiæ,* vel *in virtute sanctæ obedientiæ,* vel aliud æquivalens ; ita hoc cum proportione potest applicari simplici obedientiæ voto.

Dico 2 : Ea quæ excusant generatim ab obligatione voti, aut legis humanæ, etiam solent ab hujus voti obligatione excusare : hinc periculum gravis nocumenti quod non est operi præcepto annexum, nec a præcipiente prævisum aut cogitatum, excusat ab obedientia in exsequendo isto opere ; si autem fuerit a præcipiente prævisum ac cogitatum, sitque honestum et urgens ob causam gravem, teneaturne obedire, necne, id videtur præcipue ex intentione, quam vovens habuit, pendere. In hoc simplici obedientiæ voto potest episcopus dispensare, est enim dispensabile sicut alia vota, nec est papæ reservatum ; requiritur tamen justa dispensandi causa.

CAPUT V.

An votum religiosæ obedientiæ distinguatur a traditione religiosa.

Dico 1 : Certum est verum ac proprium obedientiæ votum in statu religioso fieri ; tria enim vota ac maxime obedientiæ, sunt de essentia status religiosi. Hoc autem votum formaliter est distinctum a traditione quæ in professione religiosa includitur ; nam votum est essentialiter promissio, promissio est de re futura, traditio autem est vera donatio, donatio est de re præsenti ; ergo formaliter distinguuntur, etiamsi necessariam inter se habeant connexionem : non tamen intrinsece se includunt. Deinde votum immediate fit Deo, traditio autem immediate fit religioni ; ergo utrumque vinculum et actio sunt formaliter diversa. Utrumque quidem (nempe obedientiæ votum et traditio) continet tum propriæ voluntatis abnegationem, tum illius subjectionem erga superioris voluntatem, sed diverso modo. Hinc

Dico 2 : Ad integram evangelicæ perfectionis abnegationem requiritur simul et promissio obedientiæ, seu votum obedientiæ, et traditio ; requiritur enim ut homo se dominio sui ipsius suæque voluntatis spoliet, quod fit immediate per religiosam traditionem ; et ut hoc totum Deo offerat ac consecret in ejus cultum ac in holocaustum, quod fit per obedientiæ votum.

CAPUT VI.

Quotuplex sit malitia in transgressione religiosæ obedientiæ.

Dico : Quando religiosus peccat contra votum obedientiæ, ordinarie ac per se loquendo duplex tantum intervenit malitia : una sacrilegii contra Deum ratione voti, altera injustitiæ contra prælatum ratione pacti cum eo initi, seu traditionis ac donationis sui ; et licet cum ista traditione adjungatur promissio prælato facta de obedientia ei præstanda, tamen hæc promissio videtur confundi cum traditione, adeoque eadem erit malitia injustitiæ in ejus transgressione ; si enim interveniat alia infidelitatis malitia, erit tantum venialis. Si quæ aliæ in ejusmodi transgressione interveniunt malitiæ, provenient non ex voto, sed ex objecto per se malo, vel aliunde extrinsece. Inobedientia quæ in hoc peccato, sicut in omni alio reperitur, est circumstantia generalis non addens specialem malitiam, nisi quando est formalis, id est quando quis ex contemptu prælati et ejus potestatis recusat parere ; tunc enim incurrit specialem malitiam ab aliis distinctam, et ex suo genere mortalem. Denique ex multiplicatione legum seu præceptorum ut sic, non multiplicatur transgressionis malitia, quia non multiplicantur obligationes ; hinc furtum contra legem naturalem, divinam, positivam, humanam, civilem et ecclesiasticam commissum habet tantum unam malitiam.

CAPUT VII.

An votum obedientiæ obliget ad totius regulæ observationem.

Nota non hic agi an religiosa regula vi sua et abstrahendo a voto obliget ad culpam, necne, de quo in tractatu sequenti, sed præscindendo ab ista quæstione, petitur an observatio regulæ sit materia voti obedientiæ religiosæ, adeoque an ex voto oriatur ista obligatio servandi regulam quæ sit ex suo genere sub mortali, utpote obligatio justitiæ erga Deum. Quare

Dico 1 : Regula seu ejus observatio continetur sub materia voti obedientiæ religiosæ (D. Thomas, Cajetanus, etc.), quia religiosus vovet obedire prælatis religionis ; sed prælati non solum personali præcepto, sed etiam per religionis regulam seu per legem stabilem præcipiunt ; ergo votum obedientiæ cadit et in hanc et in illud, et ad utrumque ex vi unionis cum religione obligatur. Attamen obedientiæ votum non inducit obligationem regulæ servandæ sub peccato mortali, nisi in ipsa regula id vel supponatur vel exprimatur. Hinc

Dico 2 : Si regula ex se, quatenus ex jurisdictione seu potestate dominativa promanat, sub veniali obliget vel ratione materiæ, vel ob præcipientis intentionem, tunc votum obedientiæ addit illi aliam obligationem servandi eam sub veniali alterius speciei, nimirum contra virtutem religionis ratione voti. Sed quando regula de se nec ad mortalem nec ad venialem culpam obligat, tunc etiam votum obedientiæ neutram obligationem illi adjungit ex virtute religionis, seu non obligat, quia illa regula ut sic, non est materia voti obedientiæ ; non est enim verum præceptum. Objectum autem seu materia obedientiæ est præceptum, et votum non addit obligationem, nisi supposita sua materia. Ergo, etc. Idque verum est, sive fiat votum obediendi secundum regulam, sive servandi regulam, modo intelligatur fieri obedientiæ votum modo ordinario ; aliud foret si quis præter votum obedientiæ, intenderet facere votum observandi immediate regulam, se ad hoc obligans, sive in ista observantia interveniret vera obedientiæ ratio, sive non; tunc enim tale votum, quod est generalius voto obedientiæ, adderet in conscientia obligationem illis etiam regulis quæ per se nullam afferunt ; quia vere et proprie caderet in illas tanquam in suæ partem materiæ. Sed adverte, licet regula religiosa ad nullam culpam obliget in conscientia, transgressorem tamen teneri in conscientia ex vi voti obedientiæ sustinere pœnam isti transgressioni annexam ; et ejusmodi transgressio est semper in viro religioso imperfectio contra virtutem religionis et voti.

CAPUT VIII.

An votum obedientiæ religiosæ obliget ad parendum superiori in quavis materia honesta.

Dico 1 : Ex voto obedientiæ unusquisque religiosus solum tenetur obedire prælato juxta suæ regulæ professionem, id est intra limites regulæ prout comprehendit omnia quæ ad perfectam illius observationem vel necessaria, vel utilia, vel convenientia esse possunt ; quia votum obligat tantum juxta voventis formam et intentionem. Sed in singulis religionibus vovetur tantum obedientia secundum regulam, non vero illimitate. Ergo materia hujus voti non ulterius extenditur ; adeoque prælatus non potest obligare ad ea quæ sunt omnino supra regulam, utpote sub voto obedientiæ non comprehensa. Excipe : 1° nisi major austeritas in pœnam commissi delicti præcipiatur, quia superior potest dignam pœnam imponere ; si autem ultra consuetam rerum austeritatem nihil posset addere, nulla esset pœna et delictum ; sed et hæc non est supra regulam, modo sit delicto proportionata, quia religiosus ex vi regulæ subjacet condignæ pœnæ, quam in conscientia tenetur sustinere ex vi voti. 2° Quando major quædam austeritas additur ad præcavendum ac vitandum peccatum ; sed hoc est potius secundum regulam, quam supra regulam. 3° Si ipsa religio edat constitutiones prioribus austeriores, quidam sentiunt religiosos teneri eas observare, etiamsi in illas non consenserint, modo major capituli generalis pars consenserit ; sed Angelus, Sylvester, Gabriel, etc., negant eos teneri, si nempe ista additio sit omnino extra regulam secundum se et in sua integra observantia spectatam, nec ad illam conducens, sed tantum spectet majorem austeritatem vel perfectionem in genere. Atque hæ rationes procedunt etiam in summo pontifice, si præcise spectetur ut est supremus religionis prælatus, habens vim præcipiendi fundatam in voto obedientiæ.

Dico 2 : An is qui professionem emisit in religione, quæ a rigore suæ primitivæ regulæ multum remisit, possit cogi in virtute obedientiæ ad observandam primitivam regulam, postquam facta est in ista religione reformatio, vel antequam fiat, variis varie sentientibus, sic videtur distinguendum : 1° si reformatio ab initio licite facta sit, et eodem modo perseveret : v. gr. si ista reformatio seu moderatio facta sit per dispensationem vel privilegium, vel si ipsius totius religionis auctoritate licite facta sit in accidentalibus religionis rebus, non substantialibus ; tunc videntur ii qui post talem reformationem ingressi sunt religionem, non posse obligari ad primitivæ regulæ rigorem observandum. 2° Si relaxatio consuetudine introducta fuerit in rebus religionis accidentalibus, v. gr. in esu carnium, et ita sensim prævaluerit, ut jam habeat vim derogandi contrariis constitutionibus, illisque deroget ; tunc non videntur religiosi ante factam reformationem posse cogi ad observandum primitivum regulæ rigorem contra præsentem consuetudinem legitime præscriptam, quia durante isto rerum statu illa obedientia non esset secundum regulam præsentem. Sed si fiat reformatio, tunc arbitror quemlibet religiosum, etiam ante reformationem professum, cogi posse ad primitivæ regulæ observationem, quia talis reformatio non est additio supra regulam, sed restitutio moraliter necessaria ad perfectam ejus observationem. Ista autem consuetudo quandiu durat, licet habeat vim relaxandi regulæ obligationem, non tamen habet vim auferendi religioni vel papæ potestatem illius tollendæ, et regulæ reformandæ. 3° Si relaxatio sit ita per se et intrinsece mala, ut nulla consuetudine præscribi aut honestari possit : tunc religiosus etiam ante factam universalem reformationem potest obligari ex vi voti sui ad servandam regulam, etiamsi ob relaxationem ab aliis non servetur, quia professus est obedientiam secundum regulam, non secundum malam consuetudinem, seu potius corruptelam, et maxime si relaxatio sit substantialis, et in materia directa votorum, ea non obstante, tenetur vota observare juxta regulam.

CAPUT IX.

De obedientia evangelica perfectissima.

Dico : Obedientia evangelica ut sit perfectissima, debet non tantum ad certam materiam aut regulam, uti religiosa, se extendere, sed sine limitatione debet aliquo modo omnia perfecta complecti,

quo enim abnegatio propriæ voluntatis est universalior, eo obedientia est perfectior. Non tamen potest esse de re per se mala, aut per superiorem prohibita. Hinc sequitur dictam obedientiam non solum in actus externos, sed etiam in internos cadere posse, nec obedientiam religiosam in quavis religione esse perfectissimam; hæc quidem est semper omnino perfecta quoad essentiam, et in suo ordine perfectissima, sed non semper perfectissima quoad extensionem. Idcirco patet longe esse diversum promittere obedientiam secundum determinatam regulam, et promittere obedientiam in omnibus quæ regulæ non repugnant; nam primum votum obligat solum ad ea quæ directe vel indirecte in regula continentur, secundum vero comprehendit omnia, quæ illi non repugnant.

CAPUT X.

An ex voto obedientiæ obligetur religiosus perseverare in eodem statu sine transitu ad alium.

Dico 1 : Religiosus ex vi voti obedientiæ non potest transire ad statum sæcularem, nec ad aliam religionem inferiorem vel æqualem; qui transitus a nullo, nec ab ipso papa potest præcipi in vi seu in virtute obedientiæ. Transitus autem ad religionem perfectiorem, non est materia voti obedientiæ, quia ex vi voti obedientiæ prohiberi non potest; talis enim prohibitio impediret majus bonum, et votum est semper de meliori bono. Nec etiam potest præcipi ex vi voti, quia consuetum obedientiæ votum fit secundum regulam; talis autem transitus non est secundum regulam, imo est quasi contra regulam.

Dico 2 : Transitus a religione ad episcopatum, est materia ex vi voti obedientiæ prohibita, saltem in hoc sensu ut acceptari non possit episcopatus a religioso sine consensu prælati. Probatur ex cap. *Quam sit* 18, quæst. 2, et ex cap. *Si religiosus* De electione, in 6, ubi Bonifacius VIII irritat religiosi consensum acceptantis electionem sui ad prælationem sine petita et obtenta prælati licentia. Sed hoc non videtur habere locum in electione religiosi ad papatum, nec in hujus acceptatione sine licentia prælati, etiam inviti, quia in cap. *Si religiosus* agitur tantum de aliis inferioribus prælationibus extra monasterium, non de suprema dignitate in Ecclesia; adeoque nullum est jus positivum aut aliud quod religiosum impediat aut vetet papatum acceptare sine licentia sui prælati. De episcopatu posset esse aliquod dubium, sed videtur absolute dicendum religiosis in dicto cap. *Si religiosus*, prohibitum esse acceptare electionem de se factam ad episcopatum sine sui prælati consensu, quod jam ante istud jus novum a Bonifacio VIII positum, probabilius erat prohibitum ex vi voti obedientiæ. Et licet episcopatus collatio seu donatio fiat a summo pontifice, cujus voluntas præeminet prælati religiosi voluntati, electio tamen ab illo non fit, ejusque confirmationem seu collationem antecedit; licentia autem prælati religionis solum requiritur ad acceptandam electionem : quocirca ubi nulla intervenit electio, sed ipsemet papa immediate episcopatum alicui religioso offert, non videtur ille in rigore præcepti indigere licentia sui prælati ad eum acceptandum, quia papa est supra omnes prælatos, et sic episcopatum offerendo censetur (nisi aliud explicet) dare facultatem ad illum acceptandum, sicut si offerret pecuniam, censeretur dare facultatem accipiendi illam; nec contra paupertatem peccaret religiosus illam accipiens sine alterius prælati licentia. Deinde prædictum jus spectat generatim collationem, non proprie specialem ipsam papæ collationem, seu oblationem. Idem dic de postulatione ad episcopatum ac de electione, si per illam acquiratur jus ad eam, non vero de præsentatione per quam nullum jus acquiritur.

Dico 3 : Papa non tantum in casu gravis necessitatis, sed etiam sine necessitate, imo et pro arbitrio suo, si religiosus sit idoneus, potest illi præcipere ratione suæ supremæ jurisdictionis ut episcopatum acceptet; non tamen ex vi voti obedientiæ, quia munus episcopale secundum se spectatum, non est materia voti, uti supra dictum est. Deinde votum obedientiæ religiosæ ita fit, ut tantum obliget secundum regulam, non circa transitum ad alium statum. Unde non potest generalis alicujus religionis, multo minus inferior prælatus præcipere suo religioso subdito ut episcopatum acceptet, nec etiam potest illum obligare ad acceptandum beneficium sæculare; potest tamen obligare ad acceptandum beneficium regulare, v. gr. habens adjunctam animarum curam, quia hoc beneficium, et ejusmodi cura, est juxta regulam et spectat ad munus religionis; secus vero beneficium sæculare.

CAPUT XI.

Cuinam parendum sit ex vi voti religiosæ obedientiæ.

Dico 1 : Ex vi hujus voti tantum homini parendum est, seu Deo per hominem præcipienti; adeoque hoc votum non obligat ad obediendum Deo præcipienti vel per seipsum, vel per angelum, vel per legem naturalem, vel suam legem positivam; unde religiosi peccatum contra has leges commissum non contrahit ex circumstantia voti obedientiæ novam malitiam in confessione explicandam. Nec Ecclesiæ prælatis tenetur obedire ex vi voti obedientiæ, sed ex vi jurisdictionis ecclesiasticæ, quia non vovit obedientiam secundum præcepta Ecclesiæ, sed secundum regulam religionis, nec vovit obedire Ecclesiæ, sed religionis prælatis; imo secluso casu necessitatis, plus tenetur obedire prælato quam patri carnali.

Dico 2 : Votum obedientiæ obligat ad parendum omnibus religionis prælatis, servato inter illos ordine; adeoque si prælatus superior et inferior præcipiant omnino contraria, parendum est superioris, non inferioris prælati præcepto, quia tunc superioris præceptum revocat præceptum inferioris, utpote contrarium. Papa vero non tantum ex vi suæ jurisdictionis religiosis, ut cæteri illorum prælati, sed etiam ex vi obedientiæ voti potest præcipere, et

illos obligare, quia religiosi emittendo professionem, intendunt vovere obedientiam omnibus prælatis, a quibus juxta regularem disciplinam regi possunt, inter quos primum locum papa tenet. Deinde papa approbando aliquam religionem, sub sua cura et patrocinio speciali eam suscipit; hinc ipse est qui traditionem et vota religiosorum principaliter acceptat, et ab illo tota prælatorum religionis potestas derivatur ac pendet. Quod attinet ad episcopum respectu religiosorum sibi immediate subjectorum ac maxime monialium, videtur quoad totam jurisdictionis potestatem esse ordinarius illorum prælatus, et fortasse etiam quoad obligationem voti obedientiæ.

Dico 3 : Superiores locales habent ordinariam præcipiendi potestatem ex vi voti obedientiæ, adeoque possunt illam alteri delegare ; item abbatissæ aut priorissæ, quamvis non habeant potestatem spiritualis jurisdictionis ad ferendas censuras, tamen habent potestatem dominativam seu œconomicam ex traditione et voto ortam; adeoque in virtute istius voti obedientiæ possunt tanquam matres spirituales præcipere ea quæ juxta regulam spectant ad religiosam perfectionem, subditæque debent obedire. Attamen hæc præcipiendi potestas semper magis limitata est in feminis quam in viris.

CAPUT XII.

An in solemne obedientiæ votum cadere possit dispensatio.

Dico : Si summus pontifex dispenset religiosum in professione et in toto statu religioso, ita ut ex religioso non maneat amplius religiosus, tunc dispensatus est, ut patet, in voto obedientiæ; et hoc posse fieri supra ostensum est. Si vero non fiat dispensatio in ipso statu religioso, non potest integre in eo per se ac directe dispensari, quia votum obedientiæ, est de essentia status religiosi; ergo eo durante non potest auferri votum. Posset quidem pontifex dispensare cum religioso manente religioso, ut in obedientiæ usu seu exercitio esset liber ab omni obedientiæ obligatione, vitam solitariam aut privatam ducendo; sed non dispensaret cum eo in ipso voti vinculo, semperque maneret sub voti obedientiæ jugo, saltem respectu summi pontificis; nec videtur posse hic, ex defectu causæ sufficientis ac possibilis, dispensare in totius voti obedientiæ vinculo, relinquendo in suæ obligationis vi alia duo paupertatis et castitatis vota.

TOMUS DECIMUS TERTIUS.

DE

RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU.

—

TRACTATUS OCTAVUS.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS EX REGULA, PRÆLATIONE, SUBJECTIONE PROVENIENTIBUS.

—

LIBER PRIMUS.

De propriis religiosorum obligationibus, quatenus sub regula vivunt.

—

CAPP. I, II, III.

Quid et quotuplex regula religiosa, et quam obligationem inducat.

Dico 1 : Regula religiosa collective sumpta, est quædam vivendi norma secundum perfectionem evangelicam regens animos, et dirigens eorum actus ad illam acquirendam : distinguitur autem a constitutionibus in hoc, quod constitutiones sint quid speciale et proprium, regula vero sit quid commune et generale; et interdum illa duo vix distinguuntur. Olim quadruplex tantum recensebatur regula religiosa ab Ecclesia specialiter approbata, nimirum regula sancti Basilii, sancti Augustini, sancti Benedicti et sancti Francisci, et sub una ex

his quatuor multi religiosi ordines divisi vivebant, et etiam nunc vivunt, v. gr. Dominicani sub regula sancti Benedicti, etc., sed nunc sunt aliæ religiones quæ habent regulas ab illis quatuor distinctas, v. gr. Carthusiani, Minimi, Societas Jesu, etc., et ab Ecclesia approbatas.

Dico 2 : Duplex datur modus condendi regulam religiosam : 1° Sine jurisdictione ecclesiastica per modum instructionis et doctrinæ potius quam per modum legis ; uti videtur factum fuisse in principio antiquarum religionum. 2° Cum jurisdictione ecclesiastica vel per jus canonicum a pontificibus erga religiosos latum, vel per ipsam religionem a sede apostolica approbatam. Hinc regula religiosa plus obligat quam consilium ; habet enim vim et rationem legis, adeoque potest obligare vel ad mortale in materia gravi, vel ad veniale non tantum in materia levi, sed etiam in gravi, si nempe auctor regulæ velit eam sic tantum sub veniali obligare ; tota enim præcepti positivi obligatio pendet ex voluntate et intentione ferentis. (Sanchez, Valentia, etc.) Imo dari potest regula quæ in conscientia nullam etiam ad culpam venialem inducat obligationem, sed solum obliget in conscientia ad pœnam sustinendam, seu ad parendum superiori pœnam imponenti pro regulæ transgressione quod sufficit ut habeat rationem legis, saltem conventionalis. Quonam vero ex his tribus modis aliqua regula de facto obliget, colligendum est ex cujuscunque religionis instituto, et ex intentione institutoris. Unde:

1. Si in regula aut religionis instituto distincte et signate exponatur religionis mentem esse velle obligare in vi præcepti, quantum potest juxta cujusque materiæ capacitatem, qualis videtur esse sancti Francisci regula, prout Clementina : *Exitus de paradiso*, explicat, dicens eam obligare sub mortali, ubi in illa ponitur *verbum præcipiendi, teneantur*, aut æquivalens, tunc illa regula quæ fuerit constituta per modum præcepti, et materia fuerit capax, obligabit ad mortale ; aliæ non habentes ejusmodi præcipiendi verba obligabunt juxta modum numeri quarti infra positi. Talis tamen regulæ modus foret obnoxius periculo sæpius peccandi graviter.

2. Si distincte et signate dicatur obligare tantum ad veniale et nunquam ad mortale ex vi regulæ, nisi ubi specialibus verbis major præcepti rigor fuerit expresse declaratus, tunc obligabit tantum ad veniale, nisi ipsa regula contineat aliquam voti materiam sub mortali ex vi voti prohibitam, aut in particulari expresse declaret talem obligationem, dicendo, v. gr., *In virtute obedientiæ*, vel *sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.*

3. Si expresse ponatur in regula eam non obligare in conscientia ad ullam culpam etiam venialem, ut habet regula Fratrum prædicatorum et Societatis Jesu, tunc de se ad nullam obligabit, sed solum ad pœnam seu ad aliquod gravamen sustinendum ob transgressionem, ut jam dictum est.

4. Si nihil horum omnium in regula ponatur, sed solum ordinetur, statuatur aut præcipiatur omne id quod agendum est ; tunc circa hujus regulæ obligationem, variant auctores. Aliqui enim dicunt obligare ex vi sua et ex institutoris intentione ad culpam quantum potest, juxta vim verborum et materiæ capacitatem. Alii autem censent, si in ea nulla fiat declaratio de obligatione, nullam inducere obligationem ad mortale peccatum, quantumcunque utatur verbis præceptivis, nisi speciali verbo ostendat se ferre præceptum sub virtute voti obedientiæ, vel talem addat pœnam quæ lapsum gravem indicet, aut consuetudo ita regulam interpretata sit; obligare tamen sub veniali ad omnia quæ in ea continentur. Alii vero sentiunt illam sive præceptivis sive ordinativis tantum verbis utendo, non obligare de se ad ullam culpam seu mortalem seu venialem, nisi ubi id specialiter in ipsa regula declaratur, aut ex aliis circumstantiis colligitur, aut consuetudine ita receptum ac interpretatum est. Inter has opiniones ferre judicium difficile est, quia non satis potest colligi intentio illius qui unamquamque regulam condidit. Quod attinet ad obligationem peccati venialis, non est in hac re multum contendendum, quia quamvis regula ad nullum peccatum obligaret, vix tamen potest violari, sive in commissione sive in omissione, sine aliquo peccato levi ob defectum motivi et finis honesti : v. gr. violando ejusmodi regulam præcise ob non petitam a superiore licentiam.

CAPUT IV.

An religiosus sub præcepto teneatur ad non contemnendam regulam.

Dico 1 : Prætermissis variis circa hoc disceptationibus, religiosus absolute tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis, quia ex vi suæ professionis tenetur velle servare statum, qui est secundum se in consilio tantum, et non in præcepto ; sed hoc intrinsece est velle tendere ad perfectionem ; ergo, etc. Non tenetur tamen per se loquendo, et ex vi objecti sub mortali habere propositum servandi omnia vel aliqua ex his quæ nec promisit, nec sibi specialiter præcepta sunt.

Dico 2 : Quando religionis regula ad nullum peccatum obligat, sed tantum ad pœnam, religiosus qui nullam intendit servare, sed paratus est ad sustinendam pœnam, per se et ex vi objecti non peccat mortaliter, quia ille actus ex parte objecti non est contrarius alicui voto nec præcepto ; adeoque ex se nec erit peccatum veniale. Ubi autem regula obligat non ad mortale, sed ad veniale tantum peccatum, propositum illam non servandi quando occasio se obtulerit, erit quidem gravior culpa venialis, quia in illo objecto confuse et indefinite intento major malitia includitur, quam in qualibet particulari transgressione ; sed non mortalis, quia omnes transgressiones, quæ sub illo communi ac generico conceptu apprehenduntur veniales tantum sunt, nec concurrunt, sicut plura levia

furta, ad unam peccati mortalis materiam componendam; excipe, nisi quis ita transgrediendo regulam, exponat se periculo incidendi in mortale, aut illam transgrediatur ex formali contemptu vel evangelicorum consiliorum, vel prælati, vel suæ religionis, vel ipsiusmet tanquam pravæ seu inutilis regulæ, tunc enim peccaret mortaliter, et de hoc contemptu intelligendus est D. Thomas, dicens aliquem transgredi « ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici regulæ, » etc.

CAPUT V.

An teneatur religiosus non dimittere suum habitum.

Nota : Mos a religiosis usitatus gerendi habitum particularem, ab initio nascentis Ecclesiæ incepit, ut patet ex Dionysio, *Eccles. hier.* (cap. 6) ; idque ob varias causas factum est. Vide Bellarminum, lib. II *De monachis.*

Dico 1 : Religiosus tenetur sub peccato mortali retinere, seu non mutare proprium suæ religionis habitum. Probatur ex cap. 2 *Ne clerici vel monachi*, in 6, ubi fertur excommunicatio ipso jure in quemlibet religiosum professum temere dimittentem suæ religionis habitum. Excommunicatio autem major supponit peccatum mortale. Ergo, etc. Hoc præceptum fundatur in quodam status religiosi jure exigente, ut unusquisque in sua vocatione, adeoque in suæ vocationis habitu permaneat, quod jus ultra id quod est mere naturale, communi omnium religionum consensu receptum est ; utque hæc dimissio seu mutatio habitus sit peccatum mortale, non necessario requiritur contemptus formalis, sed sufficit virtualis inclusus in libera voluntate faciendi actum legi contrarium, id est dimittendi seu mutandi habitum temere sine causa rationabili. Hæc tamen habitus mutatio potest interdum esse peccatum leve ex levitate materiæ : v. gr. si quis ludi causa ad repræsentandam aliquam personam, mutet habitum cum intentione statim eum resumendi, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur ; aut si quis non totum habitum, sed tantum illius partem mutet, ita ut pars retenta exterius appareat sufficienter ad dignoscendum proprium illius statum religiosum ; secus vero, si nihil ex retenta habitus parte exterius appareat, quo cognosci possit ipsum esse religiosum. Occultare totum habitum religiosum alio superinduto, non videtur proprie esse habitus mutatio ; et id quale sit peccatum, pendebit maxime ex intentione et fine operantis.

Dico 2 : Ob gravem necessitatem vel tuendi vitam, vel vitandi gravem infamiam aut scandalum, licite habitus religionis ad tempus potest mutari, ut habetur ex cap. *Cleric.* 2 De vita et honest. cleric. Licita est etiam hæc mutatio habitus per justam dispensationem a papa obtentam ; quamvis autem religionis prælatus non possit proprie dispensare in gestatione habitus, potest tamen dare licentiam ad opus, quod sine mutatione habitus commode non potest fieri, adeoque pro aliquo brevi tempore, imo et interdum pro longo dare : si, v. gr., religiosus mittatur a prælato ad prædicandum Evangelium, ubi necesse est mutare habitum, ille poterit longo tempore, et per totam vitam ea licentia uti.

Dico 3 : Si religiosus se exuat absque animo dimittendi habitum, v. gr. ad dormiendum, ad se lavandum, etc., seclusa regula id fortasse prohibente, aut extrinsecis circumstantiis, non peccat ; ex vi enim juris communis, aut ex natura rei, vel ratione voti seu status religiosi, hoc non est prohibitum.

CAPUT VI.

An religiosi proprio præcepto teneantur non egredi claustro sine facultate.

Dico 1 : Hæc obligatio non egrediendi claustro sine licentia, quamvis neque ex voto neque ex præcepto ecclesiastico oriri videatur, tamen ex usu et consuetudine omnium religionum recepta habet rationem proprii præcepti in conscientia obligantis, non tantum ad pœnam instar regulæ, sed etiam ad culpam ; hæcque obligatio ex suo genere talis est, ut etiam possit contra illam peccari mortaliter ex eo solum quod materia in illo genere sit gravis : v. gr. si quis sine licentia claustro abeat, ut diu et quasi stabili modo extra illud vivat independenter a superiore, non animo tamen apostatandi, aut si noctu et furtive sine licentia egrediatur, quamvis non ex fine ad peccandum mortaliter ; est enim casus reservatus in decreto Clementis VIII his verbis : *Nocturna ac furtiva e monasterio egressio etiam non animo apostatandi facta*, adeoque erit peccatum mortale. Hinc colligimus radicale hujus gravitatis fundamentum esse jus superioris ad regendum et custodiendum suum subditum, quod graviter per ejusmodi egressus læditur. Attamen

Dico 2 : Exire de claustro sine superioris licentia non est ita grave peccatum, ut non possit in individuo esse veniale ex levitate materiæ, v. gr. si duo religiosi per communem januam sine licentia exeant modo consueto, paulo post reversuri, seclusa mortalis peccati intentione et speciali alicujus religionis præcepto, ex vi clausuræ non peccabunt graviter ; imo non obstante hac obligatione, potest interdum religiosus ex justa causa, v. gr. ex charitate proximi, egredi licite sine licentia, sed tunc intervenit præsumpta seu tacita licentia, quæ in ejusmodi casibus sufficit. Quæcunque autem superioris licentia etiam sine causa libere data sufficit ut non peccetur egressu contra obligationem clausuræ ; nec contra illam superior peccabit egrediens sine causa, dando sibi licentiam, quam potest aliis dare, etiamsi in his egressibus possit intervenire aliquod peccatum.

CAPUT VII.

An religiosi prohibeantur admittere externos intra claustrum.

Dico : Nullum jus commune vetat externorum ingressum in claustra religiosorum, adeoque sola naturalis obligatio potest dari illos ab ingressu arcendi, vel ad vitandum scandalum, vel ad decentiam religiosam conservandam ; ubi specialis alicujus religionis constitutio datur prohibens externorum ingressum, v. gr. feminarum (nam pro viris nunquam videtur dari generalis prohibitio), servanda est juxta modum et loca præscripta. Sed quia quædam mulieres per privilegia a sede apostolica obtenta facultatem habebant ingrediendi religiosorum monasteria, hinc Pius V, in bulla *Regularium personarum* anni 1566, revocat omnes licentias ingrediendi monasteria ac domos Carthusiensium et aliorum quorumcunque regularium, etiam Mendicantium, mulieribus cujuscunque gradus, conditionis, etc. Deinde sub excommunicatione latæ sententiæ sibi reservata prohibet istum ingressum prædictis mulieribus ejusmodi facultates prætendentibus, prohibetque monasteriorum prælatis ac religiosis, ut illas non admittant sub pœnis privationis officiorum, et inhabilitatis ad illa, et suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ. Idem papa in alia bulla, quæ incipit : *Romanum pontificem*, anni 1570, subjicit eisdem pœnis quascunque feminas, virorum monasteria ingredientes, etiamsi sine ullo facultatum prætextu ea ingrediantur et admittantur. Dubia circa hanc legem orta vide alibi.

CAPP. VIII, IX.

De clausura monialium quoad egressum, et ejus dispensatione.

Dico 1 : Omnes moniales obligantur ex præcepto Ecclesiæ ad non egrediendum e suo monasterio. Hoc præceptum primus posuit Bonifacius VIII, in cap. unic. *De statu regular.*, in 6. Sed hoc præceptum seu decretum vel non fuit usu receptum, vel per contrariam consuetudinem antiquatum ; ideo concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 5), illud innovavit, stricte prohibendo omnibus monialibus professis, adeoque et monialibus non professis quas *conversas* vocant, egredi e suo monasterio etiam ad breve tempus sine licentia episcopi, et revocando quævis circa hoc privilegia. Hinc novitiæ sub hoc decreto non comprehenduntur, quæ cum licentia abbatissæ aut superiorum ad quos id pertinet, data ex justa causa possunt licite egredi sine sui novitiatus interruptione ; videtur vero interrumpi novitiatus, si sine data licentia exeant. Quod attinet ad moniales conversas, si maneant intra monasterium, possunt esse professæ ; secus, si extra monasterium degant. Ex constitutione decima tertia Gregorii XIII, imo nunc, non possunt recipi conversæ quæ professionem postea non emittant, aut maneant semper in monasterio non professæ. Hinc patet istam clausuræ monialium obligationem, generatim loquendo, non ex voto, sed ex præcepto ecclesiastico oriri, et si quæ hac de re emittant votum, v. gr. Clarissæ, tunc ex duplici titulo orietur illa obligatio.

Dico 2 : Legitima causa e monasterio monialium egrediendi, per concilium Tridentinum relinquitur prudenti episcopi arbitrio judicanda ; et per decreta Bonifacii VIII et Pii V assignantur, morbus contagiosus, lepra, incendium, etc. Hinc possunt aliæ similes causæ inferri, v. gr. subita inundatio aut ruina monasterii, periculum irruptionis militaris, etc. Alia causa exeundi ex uno monasterio, et in aliud migrandi, est quando monialis unius monasterii eligitur in alterius abbatissam, aut quando monialis ita gravi morbo laborat, ut in morali mortis periculo constituatur, nisi extra monasterium curetur. Habita igitur causa legitima episcopus seu alius loci ordinarius potest dare monialibus sibi subjectis licentiam egrediendi, uti et sibi non subjectis seu exemptis ; sed pro his requiritur insuper licentia eorum provincialis vel generalis juxta cujusque institutum. Imo Emmanuel Rodriguez dicit sufficere pro his solam licentiam provincialis habentis jurisdictionem episcopalem. Dare vero dispensationem in proprio et rigoroso sensu sumptam pro ejusmodi egressu, solius est papæ, quia solus ipse potest dispensare in suis legibus jure ordinario. Pius V illegitime egredientes et illis cooperantes ipso facto excommunicat in sua bulla, quæ incipit : *Decori et honestati.*

CAPUT X.

De clausura monialium quoad ingressum.

Dico 1 : Quamvis jure antiquo non fuerit omni ex parte prohibitum ingredi monialium monasteria, jure tamen novo concilii Tridentini (sess. 25, cap. 5) omnino prohibetur his verbis : *Ingredi autem intra septa monasterii* (nempe monialium) *nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint.* Pueri quidem ante usum rationis, utpote præcepti incapaces, non comprehenduntur in tali prohibitione, sed perpetuo amentes adulti videntur vere comprehendi, quia hoc præceptum per se et vi sua illos etiam obligat, quamvis ex accidenti excusentur ; per se enim, sunt præcepti capaces, et per accidens tantum ab illo sunt excusati ob impedimentum amentiæ : infantes autem ante usum rationis per se sunt præcepti incapaces. Dari ex consuetudine locum communem ad quem possint egredi moniales, et ingredi sæculares, si non sit contra clausuram, saltem est contra mentem concilii et ejus legem.

Dico 2 : In casibus necessariis potest et debet dare licentiam ingrediendi monialium monasteria episcopus, ejus vicarius generalis, aut capitulum, sede vacante, quoad moniales sibi subjectas ; quoad exemptas vero potest ac debet eam dare solus illarum superior regularis, non episcopus juxta concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 5), sic dicens : *Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam*

debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit etiam vigore alicujus facultatis vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et immediate ante dixerat : *Sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtinenda sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Quinam autem sint isti casus necessarii, in quibus potest dari dicta licentia, prudens prælati arbitrium debet judicare. Hæc prohibitio etiam comprehendit ipsos prælatos, ita ut non possint ingredi, nisi in casibus necessariis. Per istud tamen concilii decretum non prohibetur, quin puellæ sæculares possint educari in monasteriis, uti sæpe declaravit congregatio cardinalium.

Dico 3 : De accessu ad monialium colloquia nihil vetuit aut statuit concilium Tridentinum, nec ulla lex habetur eum prohibens, præter illam Bonifacii VIII sic loquentis : *Nullique inhonestæ personæ, nec etiam honestæ ingressus vel accessus pateat ad easdem,* id est moniales. Sed cum hæc lex non fuerit recepta quoad ingressum, aut per contrariam consuetudinem antiquata, ita etiam quoad accessum ; sed tantum sæpe damnant aut arguunt antiqua jura illius frequentiam. Multo autem minus nihil a jure prohibitum est circa scriptionem litterarum ad illas mittendarum, seu missarum, aut contra.

CAPUT XI.

An sint quædam actiones specialiter religiosis prohibitæ.

Dico 1 : Ea quæ specialiter prohibentur clericis, etiam specialiter prohibentur religiosis, v. gr. negotiatio, causæ forenses maxime in causa sanguinis, alearum ludus, clamosa venatio : moderata tamen justæ recreationis causa et sine scandalo interdum potest ab eis exerceri. Quædam autem alia sunt solis religiosis specialiter prohibita, v. gr. alienatio bonorum religionis.

Dico 2 : Præcepta quæ sunt religiosis et non religiosis communia, de se æqualiter ambos obligant; ordinarie tamen religiosus gravius peccat quotiescunque perfecta cum deliberatione peccat, ob majorem et scientiam et libertatem et ingratitudinem. Deinde potest etiam ex accidente esse gravius, quia est vel contra votum vel cum scandalo, vel ex contemptu; sed levius peccat, dum peccat ex subreptione ob rationes contrarias. Denique religiosi ex vi sui status deputati ad aliquos suæ religionis actus, excepta officii canonici recitandi obligatione, per se loquendo, ad illos non obligantur sub mortali, nisi ubi vel regula sub tali rigido præcepto distincte eos præcipit, vel prælatus in virtute obedientiæ eos fieri mandat; religiosus enim tantum obligatur ad id quod vovit, illos autem actus ad quos deputatur, immediate non vovit; ergo, etc.

—

LIBER II.

De religiosis quatenus prælati sunt, et eorum obligationibus, ut sic.

—

CAPUT PRIMUM.

An in statu religioso requiratur prælatus jurisdictionem habens; unde illam habeat.

Dico 1 : In omnibus religionibus monarchicum regimen, saltem quoad immediatam gubernationem, usu receptum est, utpote, juxta Aristotelem et D. Thomam, perfectissimum. Hinc prælatus requiritur qui habeat saltem potestatem dominii, hæc enim est necessaria ad œconomicam gubernationem ; non tamen opus est, ut habeat necessario potestatem jurisdictionis, ut patet in antiquis monachis, quorum prælati non erant clerici, adeoque carentes jurisdictione spirituali, uti et nunc abbatissæ aut prælatæ monialium; sed semper requiritur aliquis ecclesiasticus prælatus, v. gr. episcopus, abbas, clericus, provincialis, etc., qui spiritualem in religiosos aut religiosas jurisdictionem habeat. Ideo nunc in religionibus exemptis, quales nunc sunt fere omnes virorum religiosi ordines, necessarii sunt prælati proprie dicti, habentes jurisdictionem spiritualem et quasi episcopalem : cum enim immediate subjiciantur summo pontifici, non possunt bene gubernari, nisi sint aliqui prælati seu superiores ab ipso constituti, habentes jurisdictionem spiritualem. Unde

Dico 2 : Prælatorum religionis jurisdictio non a divino, sed ab humano jure provenit, sive a summis pontificibus illam largientibus, vi cujus possunt ligare et solvere ; imo episcoporum jurisdictio probabilius juxta multos non est de jure divino. Et licet Christus religiosorum statum quoad substantialia vota immediate instituerit, non tamen instituit illius præfecturas cum jurisdictione spirituali, quæ ad ejus conservationem absolute non est necessaria. Deinde ista ecclesiastica prælatorum religiosorum jurisdictio non emanat ex vi juris communis, nullum enim datur jus commune illam constituens, sed ex specialibus pontificum concessionibus. Quando autem primo illa inceperit, non satis constat. Videtur in religione sancti Benedicti incepisse a tempore D. Gregorii, ut colligitur ex cap. *Quam sit necessarium* 18, quæst. 1. Quandiu igitur religiosi fuerunt subjecti episcopis, si quam habebant jurisdictionem, illam eis delegabant episcopi; dum au-

tem ab eis exempti fuerun., tunc inceperunt illam habere a papa; et exemptio pro integris religionibus videtur initium sumpsisse sub tempora Alexandri III, Innoc. III et Honorii III.

CAPUT II.

Quotuplex sit in una religione prælatorum genus, et quem ordinem inter se servent.

Dico 1 : Triplex est in quaque religione prælatorum genus, nimirum : 1° prælati *infimi* seu *locales*, quorum quisque uni tantum monasterio præest, immediatam in eo præfecturam gerens, v. gr. abbas unius monasterii, prior, rector, guardianus, etc. 2° Prælatus *supremus* seu *generalis*, qui in sua religione non habet sibi superiorem, et omnes alios ejusdem religionis prælatos habet sibi subjectos, v. gr. abbas, generalis magister aut præpositus generalis. 3° Prælati *medii* seu provinciales, qui intra eamdem religionem habent sibi superiorem prælatum, et multos inferiores prælatos locales sub se constitutos.

Dico 2 : Hi prælati triplicis generis conveniunt in hoc, quod omnes habeant spiritualem jurisdictionem in subditos tam in foro pœnitentiæ, quam in exteriori ecclesiastico, aut religioso, et quidem ordinariam tanquam ordinarii pastores, non autem delegatam tantum; imo et quasi episcopalem, se extendentem circa suos subditos ad aliquos actus jurisdictionis episcopalis, quales sunt excommunicatio, suspensio, absolutio a censuris, etc., non vero ad eos, qui requirunt characterem episcopalem, ideoque dicitur quasi *episcopalis*. Item hi prælati conveniunt in hoc, quod omnes, nempe generales, provinciales, locales superiores, habeant immediatam in unumquemque religiosum sibi subditum jurisdictionem, ut habetur ex omnium religionum usu et institutione. In hoc autem differunt : 1° Quod aliquorum jurisdictio sit major extensive tum quoad personas et loca, tum quoad actus circa personas et loca exercendos; aliorum autem minor. 2° Quod inferiores prælati soleant ducere suæ præfecturæ originem a superioribus, non contra, et ab illis pendere in operari, non contra; imo interdum et in conservari, seu in suæ præfecturæ conservatione. Hinc prælatus major potest ex justa causa licite restringere ac limitare jurisdictionem minoris prælati, sine causa autem valide quidem, si non sit contra bonos mores, sed non licite : v. gr. potest sibi reservare absolutionem a tali peccato, talem dispensationem, subjectionem talis personæ, etc., quod attinet ad jurisdictionem delegatam, per se loquendo, potest licite restringi sine causa.

CAPUT III.

De electione supremi prælati in religione, seu generalis; et de conditionibus in eo requisitis.

Dico : Supremus cujuscunque religionis prælatus seu generalis per legitimam electionem ab ipsis religiosis factam creatur. Conditiones autem in eligendo seu electo hæ requiruntur : 1° debet esse capax et dignus, nempe baptizatus, non excommunicatus, etc.; 2° debet habere ad minimum viginti quinque ætatis annos juxta cap. *Cum in cunctis* De electione; 3° debet esse professus, ut habetur in cap. *Cum ad nostram* De elect., et in cap. *Cum in magistrum*, ibid., et professus quidem expresse, seu per expressam professionem, non autem tacitam juxta cap. *Nullus* De elect., in 6. Atque hæc professio debet fuisse emissa in eadem religione, uti statuitur in Clementina prima *De electione*. Atque hæc requiruntur non ex obligatione juris naturalis, sed positivi ecclesiastici. Deinde licet concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 7 *De regul.*) statuat ut abbatissa non eligatur nisi quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, vel saltem quinque, tamen ad eligendum generalem aut abbatem non requiritur ut certum aliquod tempus post expressam professionem transierit, sed statim per ipsam professionem expressam redditur capax hujus dignitatis; posset tamen electio, si nimis præmatura fieret, in certis quibusdam circumstantiis fortasse irritari, ut colligitur ex cap. *Officii* De electione. 4° Requiritur quidem in eligendo sacerdotium, ex cap. 1 *De ætate et qualitate*, sed non necessario, sive spectes potestatem dominativam cum non sit jurisdictionalis, qualis potestas sine jurisdictione videtur fuisse in antiquis abbatibus, v. gr. Pachomio, Antonio, etc., qui nec presbyteri, nec clerici probabiliter fuerunt : sive spectes spiritualem jurisdictionem, cum sufficiat prima tonsura, aut alius quicunque ordo sacer sacerdotio inferior. Attamen requiritur sacerdotium post electionem debito tempore suscipiendum, ut colligitur ex dicto cap. 2 *De ætate et qualitate*, ex cap. *Præterea*, ibid., et ex cap. *Si pro clericis* De præbend., in 6. Ratio est quia prælatis incumbit cura animarum subditorum religiosorum. 5° Eligendus non debet esse irregularis, sive irregularitate ad sacrum ordinem, sive ad beneficium ecclesiasticum aut præfecturam inducente inhabilitatem. Aliæ etiam sunt conditiones, quæ sæpe reddunt personam inhabilem ad hujusmodi electionem, v. gr. defectus natalium quoad ortum illegitimum, defectus originis ex radice infecta hæresis, apostasiæ, Judaismi labe, infamia, etc.

CAPP. IV, V.

De conditionibus eligentium generalem, et de forma hujus electionis.

Dico 1 : Electores, 1° debent esse ex ipsa religione, pro qua eligendus est generalis (capp. 1, 2, 3, 4, 18, *De electione*). 2° Debent esse professi (*ibid.* et in cap. *Ex eo*, § *In ecclesiis* De electione, in 6); non tamen necessario professi per professionem expressam, sufficit enim tacita (in cap. *Nullus*, et in cap. *Ex eo*, etc., De electione, in 6, etc.). 3° Debent esse clerici in sacris constituti (probatur ex Clement. *Ut ii qui* De ætate et qualitate, et ex dicto cap. *Ex eo*). Si tamen elector sit sacris initiatus illicite et subreptive ante legitimam ætatem, fit inhabilis ad ele-

ctionem; secus, si licite et ex privilegio. Quare irritum est suffragium datum a non initiato in sacris (excipe religionem pure laicorum). 4° Debent non esse suspensi per excommunicationem aut aliam censuram, vel per inhabilitatem ecclesiasticam a munere eligendi.

Dico 2 : In cap. *Quia propter* De electione, præscribitur forma eligendi ecclesiasticum prælatum generatim sumptum; et concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 6) declarat in eo comprehendi superiorum regularium electiones. In illo autem capite præscribuntur ea quæ antecedunt, concomitantur et subsequuntur electionem. Sic : 1° *ante electionem.* Omnes qui habent jus eligendi, convocandi sunt, si commode fieri possit, vel per publicationem generalem, vel per ipsam legem ac constitutionem, qua ipso facto censentur convocari electores. Non est autem necesse, ut omnes, qui habent jus suffragii, veniant et adsint, imo nec necesse ut major eorum pars intersit : non enim coguntur eligere, adeoque nec venire. Sed omnes qui venerunt electores debent adesse in communi congregatione; iisque præsentibus, tres fide digni, qui secreto et sigillatim cunctorum suffragia exquirant, ex electorum cœtu assumantur sive eligantur. 2° *In ipsa electione.* Ab his tribus commissariis suffragia electorum vel scripto vel voce data secreto a singulis exquirantur seu accipiantur, et illa in scriptis redacta publice proferantur, seu integer eorum numerus proferatur coram tota congregatione, nondum explicando in quorum favorem data fuerint, vel quot ex illis huic vel isti personæ obtigerint; sed solum recensendo numerum personarum quæ suffragium tulerunt, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto. Dein facta suffragiorum collatione is, in quem omnia vel major et sanior suffragiorum pars consentit, sit electus; major autem pars, censetur simpliciter sanior. 3° *Post electionem.* Requiritur quidem electionis confirmatio facta a pontifice, sed juxta multarum religionum privilegia, simul atque quis publice denuntiatur canonice electus, mox censetur auctoritate apostolica confirmatus : v. gr. finita electione generalis, statim omnes ei ut supremo prælato reverentiam exhibent, et ipse incipit præsidere generali capitulo, suumque munus exercere.

CAPUT VI.

De electione aliorum prælatorum infra generalem.

Dico 1 : Licet hi inferiores prælati possint per electionem creari, tamen possunt etiam alio modo constitui; et ea quæ de electione generalis diximus, cum proportione servanda sunt, dum per electionem fiunt. Quare in eligendo requiritur ætas ad minimum viginti quinque annorum. Olim prælatus ordinario jure eligebatur ex eadem provincia vel ex eadem domo; nunc in religionibus virorum, id non est necesse, sed sufficit ut electus sit ejusdem religionis, professionis et habitus quoad identitatem substantialem juxta istius religionis regulam, ut patet ex Clement. 1 *Ne religiosus*, etc. De electione. Quod locum etiam habet in monialibus, et pro his monialibus concilium Tridentinum vult, ut in abbatissam aut priorissam, si commode fieri possit, non eligatur, nisi habeat quadraginta annos ætatis, et octo vel saltem quinque religionis; non tamen esset irrita electio, si id non servatum fuisset. Deinde eligendus debet esse sacerdos, ut supra dictum est de generali eligendo, et filius legitimus; ac juxta communem doctorum sententiam contra quosdam, ut monialis eligi possit in abbatissam, debet etiam esse legitima, nec potest illegitima eligi sine dispensatione, fortasse idem etiam dic de vidua.

Dico 2 : Quoad electores, cum proportione idem servandum est quod servandum diximus ab electoribus generalis. Nam uniuscujusque electio ad proportionatam congregationem pertinet, et electores debent esse ejusdem religionis professi (adeoque ad minimum sexdecim ætatis annorum, cum nunc nequeat fieri professio ante istam ætatem), ac sacris initiati. Patronus non habet jus eligendi simul cum religiosis, sed electioni factæ dat suum assensum. Denique hi electores non sint per censuram ecclesiasticam impediti, aut voce activa privati, et supra allata electionis forma cum proportione servetur. Dum autem sine capitulari electione constituuntur superiores, qui eos constituit, habeat potestatem non impeditam, et constituendus habeat conditiones aut qualitates superius dictas, ac voluntas constituentis sufficienter exterius declaretur.

CAPP. VII, VIII.

De duratione prælationis religiosæ, et an prælatus possit obligare subditos in conscientia, et quando.

Dico 1 : Attento jure sive naturali sive divino, nihil statutum est circa durationem prælationis religiosæ, sed id pendet ex speciali cujusque religionis jure. Hinc generalis prælatio interdum est temporalis, seu ad tempus, v. gr. ad sexennium, interdum est perpetua seu ad vitam, qualis est generalis Carthusianorum, Prædicatorum et Societatis Jesu. Reliqui autem inferiores prælati in omnibus fere religionibus sunt temporales juxta proprias cujusque constitutiones aut indulta apostolica; idque videtur magis expedire ob varias convenientias, contra Navarram.

Dico 2 : Religionis prælatus potest obligare in conscientia subditum, vel per legem, si habeat potestatem condendi leges, vel per præceptum personale justum, tum ex vi voti obedientiæ, quam subditus emisit, tum ex vi jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ ipsi concessa est. Unde superiores locales, et provinciales, non possunt obligare per statuta perpetua, quia non habent potestatem condendi leges; imo nec ipsi generali sine universali conventu solet dari facultas condendi leges seu statuta perpetua.

Dico 3 : Potest ordinarie prælatus imponere alicui præceptum personale sine consilio suorum consultorum, nisi foret valde onerosum aut extraordinarium, aut pro tota communitate ad quod requiri videtur illorum consultatio; quod tamen maxime ex cujusque religionis statutis pendet. Generale religionis capitulum, sede vacante, ante generalis electionem, potest ex natura rei condere leges perpetuo mansuras, si jura vel pontificia istius religionis indulta non obstent; quia capitulum generale habet a papa supremam in istam religionem potestatem, habetque semper vicarium ad præsidendum. Aliud est de generali Ecclesiæ concilio acephalo, sede vacante.

Dico 4 : Ut prælati præceptum in conscientia obliget, debet esse de re non excedente præcipientis potestatem, honesta, apta seu accommodata cujusque religiosi statui, et ipsius voto obedientiæ, sufficienter intimatum, aut promulgatum. Deinde cum lex feratur tantum in subditos, illa novitios non comprehendit, nondum enim sunt religiosi; quamvis in aliis quibusdam subdantur et teneantur parere religionis prælatis. Sed generalis obligatur servare statuta a generali capitulo facta, utpote inferior ; a se ipso autem solo facta, obligatur servare ut princeps supremus suas leges quoad vim directivam, non coactivam. Hospites qui ad tempus in aliqua provincia aut domo degunt, secluso speciali jure (quod si habeatur, servandum est), non obligantur generalibus puris præceptis istius provinciæ aut domus propriis ; imo juxta quosdam nec statutis quæ sunt vere leges perpetuæ ; sed quoad hæc, probabilius videntur obligari, quia tenentur se conformare consuetudini receptæ, ergo et statutis.

Dico 5 : Prælatus religionis licet dicat, etiam in materia gravi : *Mando, præcipio, fac, recita*, etc., ex usu communi religionum, non obligat sub mortali; sed dum dicit : *In virtute obedientiæ*, vel, in quibusdam religionibus : *In nomine Domini nostri Jesu Christi*, supposita materiæ gravitate, censetur juxta omnes obligare sub mortali ; idem dicendum est si dicat : *Sub excommunicatione ipso facto incurrenda.* Quando autem religiosus possit excusari ab obligatione servandi præcepti sui superioris, v. gr. ob rigorem, vel ob aliam causam, fer judicium juxta ea quæ in tomo *De legibus*, dicta sunt.

CAPP. IX, X.

An prælati religionum habeant tum generatim, tum speciatim potestatem coercitivam quoad pœnas tam spirituales quam corporales.

Dico 1 : Licet religionis prælatus ex vi talis status seu professionis ac voti obedientiæ subditorum, habeat tantum potestatem coercitivam modo paterno, et juxta limites regulæ, tamen ratione jurisdictionis ecclesiasticæ habet perfectam potestatem coercitivam episcopalem, sive quoad pœnas spirituales, sive corporales. Hinc potest excommunicationis, suspensionis, et interdum interdicti personalis censuras in subditos ferre, supposito quod illius potestas non sit limitata vel a superiore, vel constitutione ; non tamen potest propriam imponere irregularitatem, sed potest imponere pœnam vel communi vel speciali religionis jure præscriptam, qua delinquens reddatur inhabilis ad prælationes, officia, etc. Quod attinet ad abbatissas, non possunt imponere suis monialibus has pœnas spirituales utpote spirituali jurisdictione carentes ; possunt autem eas punire alio modo, v. gr. separando eas a mensa communi, a choro, a communi oratione, etc. Si autem clericos sibi habeant subjectos, habent tantum in illos jurisdictionem substantialiter temporalem annexam administrationi bonorum ecclesiasticorum, et gubernationi istorum clericorum ; et dum dicuntur posse beneficium ecclesiasticum conferre aut habere jus illud instituendi, etc., id intelligitur quod possint præsentare seu designare clericum, cui beneficium, vel jurisdictio ecclesiastica conferatur; non vero quod habeant propriam jurisdictionem spiritualem.

Dico 2 : Quoad pœnas corporales, non potest quidem religionis prælatus multare religiosum pœna mortis, quæ a nullo judice ecclesiastico imponi potest ex cap. *Cum non ab homine* De judiciis. Sed quatenus incorrigibilem ob enormia crimina, potest eum habitu et omnibus privilegiis religionis privare, non tamen degradare si sit clericus sacris initiatus, nec privare clericali privilegio, et brachio sæculari tradere, quantumvis eum statu seu habitu religionis privet; sed sic privando eum statu et habitu religionis, permissive et remote se habet ut illum brachium sæculare apprehendat, si non sit clericus; non vero immediate et positive illum tradendo in manibus judicis sæcularis. Item non potest illum damnare ad mutilationem, aut ad flagellationem per plateas aut vias civitatis : videtur tamen posse eum damnare ad triremes, ut ait Navarra. Deinde potest etiam pœna exsilii intra eamdem religionem illum punire, uti et in perpetuum carcerem detrudere, ex quo reus ordinarie tenetur non fugere. Præter has pœnas potest reo imponere varios labores, vel opera aspera, aut humilia pro delicti gravitate.

CAPUT XI.

An religiosi possint a sententiis et præceptis suorum superiorum appellare.

Nota : An liceat religioso appellare a superioris sententia injusta, aut justa quidem, sed nimis rigorosa, variis varie circa hoc opinantibus, sic respondendum videtur :

Dico : Ordinarie appellatio etiam ex se non injusta, religiosis est interdicta, maxime per specialia religionum privilegia ; appellatio, inquam, per quam suspendatur inferioris prælati jurisdictio, tam quoad vim obligandi, per præceptum vel sententiam, a qua appellatur, quam quoad potestatem procedendi in causa de qua agitur ; sed licitus est recursus ad superiores prælatos, etiam papam, per quem recur-

sum non suspenditur tradita jurisdictio : non tamen ad externos, quorum vel ipsa sola intercessio solet in religionibus prohiberi. Dixi *ordinarie;* quia in gravioribus causis, quando injustitia est clara et certa, aliquando admittenda est appellatio religiosi ad altiorem prælatum, servato debito ordine, ut patet ex quadam Gregorii XIII constitutione pro Minoribus data, et ipsa naturalis ratio id dictat; sed non ad prælatum extra religionem, qui non sit judex competens. Debitus autem ordo est, ut cum licentia inferioris prælati, quam dare tenetur, possit ad superiorem, etiam ad ipsum papam accedere, vel si denegetur, possit alia via sibi et simul communi religionis bono ac famæ providere, servando interim debitam erga superiorem obedientiam. In communibus autem defectibus aut correptionibus, quæ nec infamiam, nec acerbam pœnam inferunt, penitus non est audienda appellatio, sed submisse excipiendum quod injungitur aut imponitur, ut dicitur in cap. *Reprehensibilis* De appellationibus.

CAPUT XII.

An religionum prælati habeant potestatem dispensandi cum subditis.

Dico 1 : Religionum exemptarum prælati jure ordinario et ex vi voti exemptionis habent potestatem dispensandi cum suis subditis, habent enim jurisdictionem episcopalem, aut quasi episcopalem; adeoque in iis in quibus episcopi possunt dispensare quatenus episcopi sunt, seu in eis quæ conveniunt episcopis jure ordinario quatenus episcopi sunt, servata proportione possunt dispensare; non vero in eis quæ speciali jure conceduntur episcopis, quatenus sunt legati summi pontificis; nec probabiliter in eis quæ in extraordinariis casibus specialiter circa dispensationes episcopis conceduntur, quæ ante non erant concessa : multa tamen privilegia sunt concessa religionibus maxime Mendicantibus, per quæ longe ampliorem habent potestatem dispensandi cum suis subditis, quam episcopi habeant cum suis clericis aut laicis. Religiones autem quæ non sunt exemptæ, sive quæ episcopo subjacent, non habent jure ordinario potestatem dispensandi, sed eam habent quam vel episcopus eis commiserit, vel pontifices per privilegia communicaverint, vel ex legitima consuetudine præscripserint.

Dico 2 : Prælati religionum exemptarum in irregularitatibus, in quibus jure communi concessum est episcopis dispensare, possunt etiam dispensare, in eis autem, in quibus ex speciali jure episcopi possunt, prælati regulares exempti non possunt dispensare. Verum ut in his religiosi possint valide dispensari ab episcopo, non videtur prærequiri necessario ipsorum prælatorum regularium exemptorum licentia aut consensus, uti nec ad lucrandas indulgentias.

Dico 3 : Quoad dispensationem in præceptis Ecclesiæ, quidquid jure communi possunt episcopi circa suos subditos, hoc etiam possunt prælati regulares circa suos religiosos, habentes utique jurisdictionem quasi episcopalem; et contra quidquid in his episcopus jure communi non potest, nec prælatus regularis potest, nisi ex speciali privilegio ei seu ejus religioni illud concessum sit. Nec videtur, generaliter loquendo, quidquid in hoc genere episcopis expresse speciali jure conceditur, censeri etiam concessum hisce prælatis regularibus, probabiliter tamen pro suscipiendis sacris ordinibus, dando suis religiosis litteras dimissorias, possunt in interstitiis dispensare, in quibus a concilio Tridentino (sess. 23, cap. 11 et 13), datur episcopis facultas specialis dispensandi.

Dico 4 : Idem prælati jure communi possunt in regula seu in regulari observantia dispensare. Dum autem circa hoc et alia ejusmodi dantur religionibus ad dispensandum privilegia, vel nihil novum concedunt, explicando tantum expressius horum prælatorum potestatem, ad tollendos scrupulos; vel concedunt peculiarem circumstantiam, ad quam ordinaria potestas 1° non extendebatur, v. gr. ad facilius dispensandum, vel cum minori necessitate. Verum prædicta potestas non extenditur ad dispensandum in votis quæ ultra tria essentialia, sunt tanquam substantialia alicui religioni, v. gr. in quarto Societatis Jesu solemni voto obediendi summo pontifici quoad missiones obeundas; item in votis simplicibus, quæ ejusdem Societatis religiosi post factam professionem statim emittunt; item in promissione seu voto ingrediendi dictam Societatem quod approbati ejus scholares emittunt : in quibus ne ipse quidem generalis potest dispensare, quia ista suo modo sunt annexa per se isti religionis statui, et quasi accessoria, quæ imitantur naturam principalis. Idem dic de voto clausuræ, quod emittunt moniales sanctæ Claræ, et de voto religiosorum Minimorum non comedendi carnes. 2° Nec extenditur ad dispensandum in gravibus regulæ obligationibus secundum se absolute spectatis, quæ aliquo modo ad substantiam alicujus religionis pertinent; sive sub peccato mortali, sive sub nullo impositæ sint; quale est reddere rationem suæ conscientiæ superiori in Societate Jesu, et alia sub nullius culpæ obligatione imposita, quæ in congregatione generali v, can. 17, declarata sunt hujus instituti substantialia; idem dic de abstinentia a carnibus inter Carthusianos, quæ censetur valde substantialis, licet forte non obliget sub mortali. In hæc ergo quatenus religioni substantialia sunt, non potest cadere dispensatio, neque prælatorum potestas ad hanc materiam spectatam secundum istam rationem extenditur; cum enim ista omnia pertineant ad religionis substantiam, perseverante illo statu non possunt per dispensationem generaliter tolli. Attamen in particulari possunt dicti prælati licite cum particularibus personis dispensare quoad aliquos istarum observantiarum aut præceptorum actus ex justa causa, sed invalide, si dispensent sine causa. Hoc tamen non est extendendum ad dandam licentiam : aliud est

enim dare licentiam, aliud concedere dispensationem.

CAPUT XIII.

In quibus religionis prælatis resideat dispensandi potestas.

Dico 1 : Generaliter loquendo unusquisque prælatus regularis in hac dispensationum materia id tantum potest, quod ipsi a jure communi, vel a privilegio, vel a regula concessum est : ita Innocentius, in cap. 2 *De eo qui sacros ordines suscepit.* Per specialem juris communis concessionem abbatibus unius monasterii, sub quo nomine veniunt alii prælati locales, conceduntur novem aut decem casus circa promotionem ad ordines, circa administrationem Ecclesiæ parochialis, etc.; sed in his non agitur de vera dispensatione. Per generalem autem juris communis concessionem, abbatibus seu prælatis non exemptis, præter potestatem dominativam, nulla ex vi sui muneris datur jurisdictio spiritualis aut quasi episcopalis ad dispensandum in votis, præceptis, aut impedimentis ecclesiasticis, sed eam possunt habere per concessionem episcopi, cui subduntur; regulares vero prælati exempti, et in suo ordine supremi, seu immediate summo pontifici subjecti istam potestatem dispensandi habent ordinariam, seu episcopalem respectu suorum subditorum ; his inferiores prælati, v. gr. provinciales et superiores locales habent eam, quæ ipsis vel a jure, vel a regula concessa est, utpote qui jurisdictionem episcopalem participant. Hinc

Dico 2 : Generaliter loquendo unusquisque prælatus regularis exemptus potest dispensare cum suis subditis in omnibus, quæ in regula non sunt reservata prælato superiori, ita ut quidquid non est prohibitum sive per regulam sive per speciale jus religionis, censeatur illi concessum.

CAPUT XIV.

Quasnam personas prælati regulares possint dispensare.

Dico : Prælati regulares possunt dispensare : 1° professos ejusdem religionis sibi subditos, secus vero, non sibi subditos, etiam si ejusdem religionis ; multo minus externos nullo modo religioni conjunctos, sive sint alterius religionis religiosi, sive sæculares. Interdum tamen per privilegia conceditur religiosis potestas dispensandi in ordine ad forum conscientiæ cum externis, et quasi jurisdictioni in foro sacramentali annexa, non ad regimen religionis, sed ad ministerium circa salutem animarum aut pœnitentium. 2° Supremus religionis prælatus potest secum dispensare vel per seipsum, vel per aliura cui id committat : ea enim est pontificum intentio concedentium religioni ejusmodi facultates, et privilegia, ut omnes illius religiosi possint iis gaudere, adeoque et generalis ; et eo ipso quod religio sine restrictione committit generali suam omnem potestatem quoad actus dispensandi, eam etiam illi committit, ut secum dispenset. Prælati autem inferiores videntur in hoc dependere a suo immediato prælato superiore juxta institutionem et usum suæ religionis, ita ut. v. gr. superiores locales debeant a suis provincialibus postulare hujusmodi dispensationes, vel ab eo, quem illi commiserint ; sed hoc intellige de propria dispensatione, non de licentia : nam in iis actibus qui non prohibentur simpliciter fieri, sed prælati licentia postulantur, videntur prælati inferiores, etiam locales posse licentias, quas aliis possunt dare, sibi concedere. Licentia enim non est tam actus jurisdictionis, quam dominii. 3° Item possunt dispensare cum novitiis pro tempore novitiatus in iis in quibus possent a suo episcopo dispensari, v. gr. in jejunio, in auditione missæ, etc. Non possunt tamen in perpetuum duraturas ejusmodi dispensationes concedere, ita ut durent etiamsi a novitiatu ad sæculum redeant. Circa communes religionis observantias ac præcepta, cum novitii in rigore iis non obligentur, non habet locum dispensatio. De eorum votis dictum est supra. 4° Quod attinet ad religionis familiares et ei inservientes, possunt tantummodo cum eis dispensare, quando religio ad hoc habet privilegium, quale Eugenius IV dedit monachis sancti Hieronymi, ut prælati conventuales possent dispensare cum familiaribus monasterii in jejuniis ecclesiasticis, etc., quo privilegio aliæ religiones per participationem etiam gaudent. Nunc de horum prælatorum potestate absolvendi.

CAPUT XV.

An prælati regulares habeant potestatem absolvendi suos subditos tum per se, tum per alium a peccatis non reservatis.

Dico 1 : Prælati regulares exempti ordinariam habent jurisdictionem ad absolvendum suos subditos religiosos a peccatis ; sunt enim ordinarii illorum pastores, et in eos translata est cura, quam episcopi et parochi habent erga suos sæculares subditos. Imo hæc jurisdictio in omnibus prælatis subordinatis inter se, est immediata respectu ejusdem seu eorumdem subditorum : v. gr. superiores locales habent jurisdictionem circa suæ domus religiosos, et circa eosdem habet provincialis eamdem jurisdictionem de se æque immediatam quoad usum absolvendi subditos, si velit independenter a voluntate superioris localis, vel etiam ipso renuente. Idem dic cum proportione de generali.

Dico 2 : Isti prælati non tantum possunt, sed etiam debent delegare suam jurisdictionem alteri ad absolvendum a peccatis, tum ex natura rei, tum ex lege Clementis VIII, in decreto de reservatione casuum pro regularibus, sic dicentis : *Non liceat superioribus regularium, confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint.* Ideo idem pontifex ibidem jubet ut superiores in singulis domibus deputent duos,

tres aut quatuor confessarios pro subditorum numero majori vel minori, qui generalem habeant facultatem absolvendi a non reservatis, vel divisim aliquos, vel omnes indiscriminatim. Hi deputati vel a provinciali, vel a proximo superiore locali, habent solum jurisdictionem delegatam, non ordinariam. Præter autem istos deputatos potest prælatus extraordinarie eamdem suam jurisdictionem aliis delegare vel ex parte confessarii, dando illi directe jurisdictionem, vel ex parte subditi pœnitentis, dando illi facultatem ad eligendum confessarium.

CAPUT XVI.

An præter prælatos et eorum delegatos alii habeant potestatem absolvendi religiosos.

Dico 1 : Religiosus per bullam *Cruciatæ*, non potest eligere quemcunque voluerit confessarium approbatum invito vel non consentiente suo prælato. Quia in illa excipiuntur religiosi maxime Societatis Jesu, per decretum Gregorii XIII declarantis : *Non esse nec fore unquam mentis suæ, aut sedis apostolicæ, ut personæ Societatis Jesu*, etc. Imo Clemens VIII, in bulla anni 1599, declarat concessionem *Cruciatæ* et illius privilegia quoad eligendum confessarium vel absolvendum a reservatis, non habuisse nec habere locum in religiosis vel monialibus; atqui nunc semper est idem istius bullæ tenor; ergo, etc. Quando autem pontifices volunt hanc gratiam facere religiosis, id verbis expressis et specificis declarant. Idem dic de aliis ejusmodi bullis. Novitii autem videntur posse isto bullæ privilegio gaudere, sive eam acceperint ante novitiatus ingressum, sive post de licentia vel sine licentia prælatorum, nondum enim sunt vere religiosi.

Dico 2 : Per privilegium unius religionis non potest absolvi pœnitens alterius religionis; sive religiosi non possunt confiteri sine licentia suorum prælatorum religiosis alterius religionis, etiamsi hi habeant jurisdictionem a papa delegatam ad quascunque confessiones audiendas. Pontifices enim qui religiosis concesserunt jurisdictionem ad quascunque confessiones audiendas, non voluerunt per hanc dare facultatem audiendi confessiones regularium invitis eorum prælatis; quia cum prælati religionum ab ipso pontifice habeant jus prohibendi subditis ne confiteantur extraneis, esset aliquid inordinatum, si non obstante hoc jure ac prohibitione haberent ab eodem pontifice extranei jurisdictionum ad audiendas illorum confessiones.

CAPUT XVII.

An religiosi audire possint confessiones peregrinorum religiosorum alterius religionis ac novitiorum.

Dico 1 : Juxta regulas juris communis religiosus peregrinans debet confiteri habenti in loco, in quo invenitur, jurisdictionem ordinariam vel delegatam, et speciale suæ religionis jus servare, ac suæ regulæ seu prælati directionem sequi. Hinc, 1° quando religiosus peregrinus secum habet ejusdem religionis socium sacerdotem, et ad confessiones audiendas sufficientem, mos est ut debeat illi, et non alteri confiteri; ea enim solet esse voluntas superiorum. 2° Quando est hospes in alia domo aut monasterio ejusdem religionis, tunc regula est ut debeat confiteri vel istius domus superiori, vel alteri de ejus licentia, vel conventuali confessario qui est istius loci quasi ordinarius. Si autem religiosus peregrinus habens socium sacerdotem, hospes sit in aliquo suæ religionis monasterio, tunc vel suo socio vel ordinario istius monasterii confessario potest confiteri; videtur enim esse sic consuetudo. 3° Quando divertit ad loca extra suæ religionis monasteria, tunc seclusis particularibus suorum prælatorum voluntatibus aut instructionibus, generalis regula est ut possit cuicunque sacerdoti sæculari vel regulari confiteri, quia non debet privari confessionis subsidio; et ad hoc sufficit voluntas prælati mittentis peregrinatum. Non tenetur autem eligere sacerdotem aliunde habentem jurisdictionem, hic enim non debet religiosum absolvere per jurisdictionem episcopi aut parochi, sed per jurisdictionem quam recipit a prælato regulari, mediante facultate ipsum eligendi; item nec tenetur eligere approbatum ab episcopo, aut regularem potius quam sæcularem, si nihil ipsi specialiter præscriptum fuerit a suo prælato. Atque hæc quoad peccata non reservata; de reservatis autem dicetur cap. 19.

Dico 2 : Novitius unius religionis probabilius potest libere confiteri cuicunque confessario privilegiato, habenti suam jurisdictionem a papa : nisi prælatus religionis expresse suis subditis religiosis vetuerit confessiones suorum novitiorum audire, quia tunc hi religiosi jurisdictionem non habent, cum prælatus illam coarctare, ac communicare possit prout voluerit; nec potest invito prælato confiteri sacerdoti habenti tantum jurisdictionem ab episcopo, quia novitius censetur ita mutasse domicilium ac territorium, ut sit omnino extra sæcularium pastorum jurisdictionem; ideoque non potest ex vi superioris jurisdictionis illis confiteri. Henriquez tamen et quidam alii moderni tenent satis probabiliter novitium posse confiteri indiscriminatim cuicunque sacerdoti habenti jurisdictionem vel a papa per religionum privilegia, vel ab episcopo ipsius novitii.

CAPUT XVIII.

Quid circa peccatorum reservationem in religionibus statuerit Clemens VIII.

Nota : Clemens VIII, in suo decreto anni 1595, recensuit hos undecim casus, qui possunt in religionibus reservari: 1. veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasiam a religione sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit ut extra septa monasterii seu conventus egressio fiat. 3. Nocturnam ac furtivam e monasterio seu conventu egressionem, etiam non animo apostatandi factam. 4. Proprietatem contra votum paupertatis, quæ sit

peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 6. Procurationem, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fetum, etiam effectu non secuto. 7. Falsificationem manus vel sigilli officialium monasterii aut conventus. 8. Furtum de rebus monasterii aut conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsum carnis voluntarium, opere consummatum. 10. Occisionem aut vulnerationem, seu gravem percussionem cujusque personæ. 11. Malitiosum impedimentum aut retardationem, aut apertionem litterarum a superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores. Circa quos casus

Dico 1 : Ut dicti casus sint reservati, debent esse opus externum et peccatum mortale ; venialia enim non solent reservari. Circa 2, licet quis tentet egredi, si non sit egressus, non est casus reservatus. Circa 3, vox *nocturna ac furtiva* debet utraque simul collectim sumi ; una sola non sufficit ad reservationem *ly furtiva*, id est, sine prælati licentia. Circa 7, sub voce *officialium*, comprehenduntur generalis, provincialis, superior localis, vicarius, etc.; falsificatio sigilli debet esse opere completa, ut sit casus reservatus. Circa 9, lapsus carnis ut sit reservatus, videtur debere esse in sua specie consummatus, v. gr. in specie pollutionis. Circa 11, vox *malitiosum* non tantum debet sumi pro *facere cum gravi culpa*, sed *etiam ex malitia*, id est, ex directa intentione retardandi litteras, et impediendi earum effectum.

Dico 2 : Prædictus papa non præcipit ut isti undecim casus reserventur, sed permittit superioribus religionum, ut quos ex his judicaverint esse reservandos, possint reservare, prohibendo ne alios reservent, nisi id fiat vel a capitulo generali pro tota religione, vel a capitulo provinciali pro sua provincia. Provincialis autem congregatio in Societate Jesu, non habet jurisdictionem ad reservandum casus. Per dictam pontificis prohibitionem non videntur prælati regulares privari jure reservandi censuras; reservatio enim peccati et censuræ sunt quid distinctum ac diversum.

CAPUT XIX.

Quis possit absolvere religiosos a peccatis reservatis.

Dico 1 : Religiosus incidens in casum reservatum, per se loquendo et jure ordinario a nemine potest absolvi extra suam religionem, præterquam a summo pontifice ; adeoque nec ab eis qui per privilegia generalia a papa concessa habent potestatem absolvendi a reservatis.

Dico 2 : Religiosi peregrinantes quomodo possint a reservatis absolvi, debent attendere suæ religionis regulam aut consuetudinem aut prælatorum ordinationem. Hinc aliquæ religiones illis concedunt ut a reservatis absolvi possint, sed cum onere comparendi postea coram suis prælatis.

Dico 3 : Religiosus non potest absolvi a reservatis ab aliquo suæ religionis confessario, nisi de licentia prælati specialiter ad hoc concessa ; aut nisi ex regula vel ex usu constaret facultatem absolvendi a reservatis esse annexam tali confessarii muneri ; aut foret datum a papa privilegium aliquod pro casu particulari, v. gr. pro articulo mortis.

Dico 4 : Religionis prælatus jure suo potest absolvere subditos a peccatis in sua religione reservatis, modo non sint prælato altiori reservata, vel suam jurisdictionem alteri committere ; cum enim ejus jurisdictio sit ordinaria, potest eam alteri delegare ; quomodo autem eam delegare debeat, dum a subdito postulatur, dicetur in tomo *De pœnit.* Cæterum si prælatus subdito per se vel per alium petenti licentiam confitendi alteri, ut a peccatis reservatis absolvatur, eam deneget ; non continuo subditus potest alteri confiteri, et ab illis absolvi, nisi circuinstantiæ valde particulares occurrerent, in quibus directe absolveretur a non reservatis, et indirecte a reservatis.

CAPP. XX, XXI.

An prælati regulares possint absolvere suos subditos a censuris ac pœnis, et a quibusnam.

Dico 1 : Prælatus regularis jure communi potest absolvere suos subditos ab omnibus censuris non reservatis et ipso jure latis, sive sit jus commune, sive sit religionis proprium ; idem de ordinario conventus confessario, et quocunque alio approbato a superiore ad audiendas suorum confessiones subditorum.

Dico 2 : Prælatus regularis jure ordinario potest absolvere subditum ab omni censura lata ab homine tam per sententiam generalem, quam per particularem, nisi sit lata a superiore prælato suo, v. gr. a generali aut provinciali. Si aut sit lata ab episcopo in casibus in quibus religiosos etiam exemptos potest censura afficere juxta concilium Tridentinum (sess. 5, cap. 1, 13), tunc prælatus regularis non potest ab ea absolvere. Deinde potest absolvere a censuris latis et reservatis jure religionis, si ad eum spectet reservatio, uti et ejus delegatus : item partim jure communi, partim ex privilegio absolvere a censuris papæ reservatis, quæ in jure episcopis sunt commissæ, utpote habens jurisdictionem episcopalem. Denique per privilegia religionum, maxime Mendicantium, possunt prælati regulares absolvere suos subditos ab omnibus censuris a jure, sub quo comprehende censuras bullæ *Cœnæ*, vel ab homine latis. Hinc :

Dico 3 : Regulares prælati possunt absolvere suos subditos ab omnibus censuris pontificiis, quæ sunt et intra bullam *Cœnæ*, et extra illam, adeoque et ab hæresi, multoque magis ab excommunicatione, quæ incurritur ob percussionem clerici, in cap. *Si quis suadente diabolo.* Nec per bullas *Cœnæ* sequentes, quæ quotannis renovantur, ista privilegia seu facultates revocantur. Excipitur tamen censura ob Simoniacam ordinationem, a qua nequeunt prædi

eti prælati absolvere suos subditos, nisi habeant novam aliquam istius privilegii concessionem. Ista facultas absolvendi etiam extenditur ad censuras contractas spe et fiducia privilegiorum, quia recentiora et universaliora privilegia nullam quoad hoc limitationem addiderunt. Dum in his indultis datur facultas absolvendi a censuris et a pœnis, v. gr. inhabilitate, irregularitate, infamia, etc. (cum tamen non detur a pœnis absolutio, sed dispensatio); dicendum est ergo per verbum istud *absolvere a pœnis*, intelligi, *tollere* seu *abolere* illas pœnas ecclesiasticas.

CAPUT XXII.

De quibusnam prælatis regularibus intelligatur prædicta potestas absolvendi subditos ab omnibus censuris tam a jure, quam ab homine latis.

Dico 1 : Si in privilegio dicatur dari potestas prælato vel prælatis ; intelligitur dari prælatis localibus, et a fortiori aliis altioribus, v. gr. provincialibus et generali. Sed vi horum privilegiorum in quibus nominantur prælati, non possunt inferiores ministri aut confessarii absolvere a prædictis casibus. Istis tamen privilegiis gaudet vicarius illius domus quæ non habet alium prælatum localem, vel quia mortuus est, vel quia tempus suum absolvit, vel quia in tali domo non solet haberi alius prælatus ; sed iis non gaudet ordinarie, dum proprius prælatus præsens regit domum, dum autem hic est absens, an iis gaudeat, necne, incertum.

Dico 2 : Prælati in usu harum facultatum possunt suas vices aliis committere, uti pro Societate Jesu habetur expresse in bulla Pauli III, sic : *Ut omnes gratias, concessiones, indulta sibi concessa a sede apostolica, exercere possit* (id est generalis) *per vicarios aut personas ad id bene sibi visas.* Deinde, juxta communem doctorum sententiam, commissarius ex privilegio perpetuus potest alteri suas vices committere. Deinde superiores prælati probabilius possunt restringere has facultates inferioribus prælatis, v. gr. generalis provincialibus, provinciales prælatis localibus, etc., quandiu hoc non prohibetur in ipso indulto a sede apostolica prælatis concesso.

Dico 3 : Per dicta religionum privilegia, non tollitur pro religiosis reservatio peccatorum, quæ vel in jure vel in bulla *Cœnæ*, vel in aliis reservantur. Unde dum superior concedit alicui religioso facultatem audiendi confessiones suorum subditorum, non continuo censetur concedere facultatem eos absolvendi a casibus papæ reservatis, maxime in bulla *Cœnæ*, v. gr. ab hæresi, etc. Imo probabilius etiamsi daret facultatem absolvendi a peccatis in religione reservatis, nihil loquendo de casibus pontificiis, non censeretur concedere facultatem ad absolvendum ab his pontificiis.

CAPUT XXIII.

An etiam in dictis casibus possint interdum episcopi absolvere religiosos.

Dico 1 : Quamvis jure communi canonico possint interdum episcopi absolvere a casibus papæ reservatis, v. gr. a leviori læsione clerici, tamen non videtur religiosus exemptus posse in isto aut simili casu ab episcopo absolvi, si prælatus regularis per religionis privilegia habeat potestatem absolvendi eum, quia religiosus exemptus non tantum a jurisdictione fori contentiosi, sed etiam pœnitentialis eximitur ; hinc sine licentia sui prælati non potest episcopo confiteri.

Dico 2 : In casu in quo religiosus non potest adire prælatum, ut a papæ reservatis absolvatur, potest a quovis sacerdote, a quo potest absolvi a mortalibus, ab illis absolvi cum onere comparendi coram prælato aut alio habente potestatem ab istis papæ reservatis absolvendi ; adeoque nullus per epiikiam ad episcopum recursus necessarius. Si autem ipsemet prælatus in talem casum inciderit, prælatus localis a provinciali, hic a generali poterit absolvi ; vel in multis religionibus provinciales et locales prælati eligunt sibi confessarium cum omnibus facultatibus, quas ipsi suis subditis possunt communicare, ut ab iis absolvantur. Si vero sint tantum duo sacerdotes, prælatus et subditus, ambo excommunicati occulte, et non nominatim, tunc prælatus qui nondum est privatus jurisdictione, videtur posse prius absolvere subditum, et hic postea illum absolvere.

CAPP. XXIV, XXV.

Ad quas personas absolvendas extendantur hæc privilegia.

Dico 1 : Hæc privilegia non tantum ad omnes subditos religiosos professos, ut et ad scholares Societatis Jesu, sed etiam ad hospites seu peregrinos, qui hospitii jure sacramentaliter absolvi possunt, extenduntur. Item ad novitios qui virtute dictorum privilegiorum possunt absolvi, uti habetur expresse in multis privilegiis, in quibus etiam dicitur, ut possint absolvi ab omnibus peccatis ante et post ingressum commissis, et ab omnibus ecclesiasticis et sæcularibus sententiis, censuris et pœnis a jure et ab homine latis, uti habetur in diversis bullis. Atque hæc facultas non tantum conceditur pro novitiis, qui jam habitum susceperunt, sed etiam pro iis qui ingredi religionem volunt. Si quis autem bona fide sic absolutus suscipiat habitum religionis cum animo profitendi, sed postea non profiteatur absque sua culpa, quia vel ejicitur, vel ex justa causa egreditur, juxta communem sententiam non reincidit in priores censuras, a quibus fuit absolutus vi privilegiorum : secus, si ante vel post ingressum sua voluntate sine causa retrocedat. Præter hæc privilegia sunt alia quibus possunt novitii absolute et sine ulla conditione absolvi a censuris reservatis, per bullas Eugenii IV et Cœlestini V, etc.

Dico 2 : Hæc privilegia etiam extenduntur ad donatos seu oblatos religioni, ut habetur expresse in privilegio Cisterciensibus concesso ad absolvendum semel in vita, adeoque et fratres qui dicuntur conversi ; non tamen omnia prædicta privilegia ad

illos extenduntur, sed tantum ea quæ de illis faciunt mentionem. De laicis religioni servientibus quoad privilegia, præter sacramentorum administrationem, nihil speciale habetur.

Dico 3 : Dum in privilegiis datur directe facultas ad absolvendum a censuris, vel a peccatis et censuris, tunc potest dari absolutio ab istis reservatis censuris extra sacramentum, licet dicatur in privilegio in foro conscientiæ tantum ; id est absolutio inservit tantum quoad conscientiam, non quoad forum externum. Si vero in privilegiis concedatur tantum facultas absolvendi a peccatis reservatis in foro conscientiæ nulla facta censurarum mentione, tunc videtur non posse quis tollere censuras istis peccatis annexas nisi in ipso sacramenti usu, et in ordine ad sacramentalem absolutionem.

Dico 4 : Per privilegia religionum videntur posse absolvi religiosi et novitii seu ingredientes religionem ab omnibus censuris, etiam ab homine, v. gr. a judice aut prælato aliquo extra religionem latis per sententiam specialem : dicitur enim in privilegiis Eugenii : *Ab omnibus censuris et sententiis a jure vel ab homine in genere vel in specie promulgatis.* Et in privilegiis Pauli III dicitur : *Vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis.* Ergo, etc. Sed oportet ut absolvendus prius recedat a contumacia, per quam judici facta est injuria ; deinde ut satisfactionem exhibeat vel spondeat, ac judicem a quo excommunicatus est, certiorem faciat de obedientia ipsi et Ecclesiæ reddita, et absolutione obtenta. Si autem religiosus excommunicatus foret a suo generali vel provinciali, superior localis non posset per dicta privilegia absolvere ; quia superiores religionis prælati possunt sibi censuras seu casus reservare, et restringere inferiorum jurisdictionem, non obstantibus privilegiis.

CAPUT XXVI.

De potestate prælatorum regularium circa bonorum temporalium administrationem juxta jus antiquum.

Dico : Juxta primævam religionum institutionem, quam jus antiquum admittebat, tota bonorum monasterii administratio erat apud solum abbatem, ut colligitur ex cap. *Nullam* 18, quæst. 2. Et patet ex regulis Basilii, Augustini et Benedicti. Ratio hujus institutionis est, quia debuit hæc potestas alicui committi, non poterat enim a tota communitate administrari, debuit ergo prælato committi ab ipsa communitate ; et soli quidem prælato seu abbati fuisse commissam invenitur. Hanc institutionem jure communi antiquo pontifices approbarunt, ut liquet ex cap. *Nullam*, etc. Ista autem abbatis potestas extendebat se : 1° ad acquirendum suo monasterio quidquid donabatur ; 2° ad conservanda illius bona creando officiales qui illa diligenter curarent et administrarent ; 3° ad alienanda aut usu consumenda illius bona tum immobilia tum mobilia, v. gr. disponendo de monasterii pecunia juxta æquitatem, etc.

CAPUT XXVII.

De potestate prædictæ administrationis bonorum immobilium juxta posterius jus canonicum.

Dico 1 : Ad alienanda bona religionis immobilia aut mobilia pretiosa juxta jus posterius requiritur : 1° causa sufficiens, id est necessitas, vel utilitas, et etiam juxta quosdam pietas, v. gr. redemptio captivorum ; 2° mutua præcedens conventus aut capituli collatio ad istam alienationis causam tractandam ; 3° capituli consensus in istam alienationem : quoad regulares autem vel conventus consensus, vel si conventum non habeat, superioris prælati assensus.

Dico 2 : Hæ prædictæ conditiones non requiruntur ad alienanda quæ non sunt immobilia nec pretiosa mobilia, uti nec ad locationes vel redditiuum, fructuumve venditiones faciendas ad tempus modicum quod est triennium, vel juxta multos infra decennium. Si in alienatione non serventur supra dictæ conditiones, videtur contractus esse invalidus ; adeoque ut possit ratificari, debent prius illæ adhiberi.

CAPUT XXVIII.

De prædicta bonorum administratione juxta specialia religionum, ac maxime Societatis Jesu indulta.

Dico : Unusquisque religionis prælatus potest et debet administrare suæ religionis bona juxta induita apostolicæ sedis, et regulam aut constitutiones ab illa approbatas. In Societate Jesu, in qua regimen est perfecte monarchicum, generalis habet plenam potestatem administrandi omnia illius bona, acceptare novas domos, collegia, universitates, quamvis illa non possit dissolvere sine congregatione generali, cum qua potest illa dissolvere, uti et earum bona stabilia alienare. Item potest quosvis contractus inire, fundos locare, aut facultatem dare ad eos locandos etiam ultra triennium, etc. ; et quidem ipse solus per se vel per alios sine congregationis necessitate. Plura super his vide apud P. Suarez.

CAPUT XXIX.

Quam potestatem habeant prælati regulares ad conferendos ordines.

Dico 1 : Aliqui religionum prælati possunt primam tonsuram, minoresque ordines conferre ; imo olim poterant etiam subdiaconatum et diaconatum conferre, partim ex jure communi, partim ex privilegiis. In jure enim communi (cap. 1, dist. 69), ex septima synodo (c. 14), dicitur *abbates posse tantummodo in proprio monasterio lectores ordinare.* Hinc ipse prælatus debet esse abbas benedictus, ut ibidem dicitur, sacerdos et habens jurisdictionem ; adeoque non potest ordinare nisi suos, etiam novitios subditos, non vero extraneos, aut sæculares, et intra quidem suum monasterium. Etiamsi probabiliter foret valida ordinatio extra illud facta, et vi hujus textus potest tantum conferre lectoratum, non autem superiores ordines minores, nempe acolythi

et exorcistæ ; potest tamen inferiorem, nempe ostiarii ac primam tonsuram ; qui enim potest majus, potest et minus, non contra. Ex aliis tamen privilegiis, vel usu omnes abbates benedicti habentes jus deferendi mitram et pedum, imo et non benedicti seu triennales, possunt suis subditis omnes minores ordines conferre ; insuper aliquibus abbatibus benedictis Cisterciensibus indultum fuerat ipsum etiam subdiaconatum ac diaconatum conferre ; sed hoc, juxta Navarram, revocatum est per concilium Tridentinum (sess. 23, cap. 8).

Dico 2 : Prælatos aliarum religionum, qui non sunt abbates, usus perpetuus probat non gaudere isto privilegio, ne per communicationem quidem, quia nempe hoc privilegium valde speciale est, pertinens ad quamdam dignitatem ; dein hi prælati non benedicuntur, uti abbates.

CAPUT XXX.

De potestate prælatorum regularium ad benedicendum res, vel vestimenta sacra.

Nota : Non agi de benedictione aquæ, panis, etc., quæ juxta Missale simplici sacerdoti competit, sed de aliis.

Dico 1 : Abbates regulares possunt vestes sacras et pallas altaris ac corporalia benedicere, non tam ex jure communi aut particulari, quam ex consuetudine, quæ non dat potestatem, sed est signum datæ a pontificibus istius potestatis; non tamen possunt consecrare calices vel aras vel aliquam consecrationem efficere, utpote actus episcopales qui fiunt cum unctione chrismatis, quia id nullo jure vel consuetudine concessum est, iidem possunt suas ecclesias reconciliare aqua benedicta, etc.

Dico 2 : Prælati religionum Mendicantium possunt etiam sacra ornamenta benedicere, imo et suas ecclesias ac cœmeteria. Ista enim ex vi communicationis privilegiorum sunt in usu ac praxi. Deinde ejusmodi privilegium directe concessum est Minoribus per Leonem X, cum hac limitatione, ut solum pro usu fratrum suorum possint illa benedicere; nec possint benedicere ea in quibus chrisma intervenit; in reliquis potestas est amplissima, extenditur enim ad ecclesias, cœmeteria, capitula oratoria benedicenda, adeoque ad reconciliandam ecclesiam pollutam, quotiescunque opus fuerit sine alia limitatione ; item ad paramenta et ornamenta, atque alia quævis ad divinum cultum necessaria : adeoque possunt benedicere corporalia, pixidem Eucharistiæ, et omnia alia quæ ad altaris ornamentum, vel ad missæ usum juxta morem Ecclesiæ Romanæ benedici solent. Atque hæc facultas conceditur non solum generalibus et provincialibus, sed etiam superioribus localibus, eorumque vicariis in defectu superiorum localium. Deinde in privilegio Innocentii VIII concesso Cisterciensibus, datur facultas benedicendi ejusmodi res *tam sui monasterii, quam undecunque sit.* Sed hoc prudenter sine offensione prælatorum tantum est faciendum.

LIBER III.

De religiosis religionem tum deserentibus tum mutantibus.

CAPP. I, II.

Quando religiosus sit censendus apostata; et quas pœnas incurrat.

Dico 1 : Egredi monasterio sine prælati licentia de die per portam ordinariam ad breve tempus, est semper aliquod peccatum, nisi excuset vel justa necessitas, vel magna utilitas, ita ut tunc prudenter præsumatur licentia. Dum quis autem egreditur sine licentia, fugiendo a proprii prælati obedientia et subjectione, non quidem animo relinquendi religionem, aut habitum, sed alia occasione aut prætextu, hic lapsus gravior est, et ex objecto videtur mortalis, nisi justa excusatio intercedat, v. gr. nimia immediati prælati vexatio cum manifesta injuria, vel ultra modum punientis aliquod delictum, vel sine justa causa auferentis ea quæ ex ordinario religionis jure debentur, præsertim cum infamia et dedecore : tunc si religiosus sine licentia recedat non animo vagandi sed adeundi superiorem prælatum qui ipsum defendat, videtur posse excusari, quia jus defensionis naturale est, et quia ibi intervenit interpretativa superioris prælati voluntas. Multi tamen censent hanc excusationem vix posse in ullo casu admitti. Cum autem hoc crimen non sit apostasia, nulla censura aut pœna contra illud ipso jure lata invenitur. Vera autem erit apostasia si quis propriam religionem deserat animo non amplius ad illam redeundi, etiamsi illius habitum non dimittat, volendo manere cum illo in sæculo, et vivere prout sibi placuerit; cum enim nolit amplius manere sub religiosa prælati obedientia, ergo a religioso statu deficit, nec facit monachum habitus retentus; adeoque est apostata a religione, incurritque omnes pœnas apostatis ipso jure impo-

sitas de quibus postea, præter excommunicationem, quia hæc tantum ipso jure imponitur dimittenti habitum.

Dico 2 : Si quis fugiat a religione dimittendo habitum sine intentione perpetuo manendi extra religionem, sed solum pro aliquo tempore, non tantum committit peccatum mortale, sed etiam incurrit ipso facto excommunicationem latam in cap. 4 *Ne clerici vel monachi*, in 6, dimissioque habitus est circumstantia necessario in confessione aperienda. An etiam sit apostata censendus, variant auctores. Si fuga et dimissio habitus sit cum animo vivendi permanenter in statu sæculari ad longum tempus vel indeterminatum vel determinatum, v. gr. tres aut quatuor annos, tunc videtur committi vera apostasia; illa enim dimissio moraliter censetur religiosi status mutatio; secus vero si sit ad valde breve tempus, et cum animo resumendi cito habitum sine intentione deserendi religionem amissam. Denique dum quis animo deliberato relinquendi in perpetuum vitam religiosam fugit, et dimittit habitum, hic est vere apostata, et extra monasterii septa positus incurrit excommunicationem reservatam, et inhabilitatem ad suscipiendos sacros ordines, durante apostasia; nec ulla alia propter hanc præcise apostasiam pœna invenitur ipso jure imposita.

Dico 3 : Qui non est, vel nondum est religiosus, v. gr. novitius, recedendo modis supra dictis a religione, non est apostata; contra autem si sit vere religiosus, licet tantum vota simplicia emiserit in religione approbata, supponendo nempe istum recessum criminose fieri sine superiorum licentia. Imo apostata a Societate Jesu, licet habitum non mutet, præter alias juris pœnas, incurrit excommunicationem ipso facto papæ reservatam, vel generali Societatis.

Dico 4 : Fugitivus qui vagatur extra monasterium et extra suorum prælatorum obedientiam sine animo deserendi religionem, si non dimittit habitum, non est excommunicatus ipso jure, nec alias pœnas incurrit, quandiu non est apostata; si autem dimittit, excommunicationem incurrit, non alias pœnas. Pœnæ quæ in tertia constitutione Pauli IV habentur, latæ sunt non contra fugitivos, sed contra veros apostatas. Istos fugitivos prælati religionis possunt capere, cogere, in carcerem conjicere, et corporaliter punire, imo ex officio tenentur juxta ortam, vel ortas occasiones, moralem diligentiam adhibere ad illos revocandos, et non relinquendos in isto pravo apostasiæ statu.

Dico 5 : Bona ab apostatis in statu apostasiæ acquisita injuste, restituenda sunt suis dominis, vel pauperibus si domini sint incerti; juste autem acquisita, etiamsi per turpem actionem, v. gr. per meretricium, danda sunt monasterio seu religioni, quia quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio. Attamen bona *clerici* (an per nomen *clerici* etiam intelligatur *religiosus*, dubitatur) acquisita per illicitam negotiationem vel contra sacros canones, quando condit testamentum sine legitima facultate, aut intestatus decedit, per quintam constitutionem Pii IV attribuuntur cameræ apostolicæ; et per quadragesimam quartam constitutionem Gregorii XIII, omnia apostatæ bona quocunque modo extra claustrum in apostasia acquisita, eidem attribuuntur; adeoque ex vi hujus constitutionis omnia ejusmodi apostatæ bona extra claustrum morientis, videntur cameræ apostolicæ attribuenda. Si vero apostata ante mortem ad claustrum redeat, non habet in illo locum ista constitutio, adeoque illius bona licite acquisita pertinebunt ad monasterium, etc.

CAPUT III.

De culpa, obligatione ac pœna cooperantium alicujus apostasiæ.

Dico 1 : Excitare vel adjuvare religiosum ad exitum aut fugam, hanc approbare, consilium ei dare, post exitum eum domi occultare aut defendere, dum quis ex officio obligatus impedire potest, non impedire, est cooperari illius apostasiæ. Non tamen illi cooperatur, qui tanquam amicum aut consanguineum tantum domi recipit et alit. Jam vero ejusmodi cooperator, quamnam teneatur facere restitutionem, quærunt auctores. Quare hæc sequentia videntur dicenda : 1° Non tenetur ipse religionem ingredi, ut locum alterius suppleat. (Navarra, Sotus, Ledesma, etc.) 2° Nec tenetur alium quærere qui loco apostatæ religionem ingrediatur; imo nec quidquam religioni restituere pro sola carentia istius personæ, si ipsammet non possit restituere. 3° Sed si quis per vim vel fraudem illum religioni eripuerit, tenetur in primis a vi desistere, vel auferre deceptionem, ut religiosus apostata se ipse religioni restituat si velit, omniaque damna quæ ob eam causam passus est apostata, et patitur involuntarie, ei restituere, uti et monasterio temporalia lucra quæ ob carentiam istius religiosi amisit.

Dico 2 : Qui sine vi et fraude induxit religiosum ad apostasiam, nihil tenetur postea restituere apostatæ, quia illa inductio non est respectu apostatæ contra justitiam, sed contra charitatem; et nihil etiam probabiliter tenetur ex justitia restituere religioni, ut sentiunt Sotus, Ledesma, etc., quia pro privatione seu ablatione ipsius personæ nulla debetur restitutio; nec etiam pro privatione utilitatum seu emolumentorum temporalium, quæ posset ista persona ablata afferre suo monasterio, quia religiosus non obligatur ex justitia aliquid lucrari suæ religioni, sed solum potest obligari ex charitate aut obedientia. Hinc colligitur eum qui sine vi ac fraude per solas preces aut alia humana motiva impedit alterum ne religionem ingrediatur, aut jam ingressum ne professionem emittat, nihil teneri restituere sive personæ inductæ sive religioni, quamvis contra utramque peccarit. Si autem per vim aut fraudem eum impedierit, patet inducentem peccasse mortaliter, tenerique ex justitia tollere

illatam vim aut ignorantiam seu errorem; non tamen obligatur ad faciendam ampliorem restitutionem seu personæ inductæ seu religioni. Denique prædicti apostasiæ cooperatores ipso facto incurrunt excommunicationem papæ reservatam.

CAPUT IV.

An religiosus professus juste possit e religione expelli.

Dico 1 : Certum est posse licite religiosum e religione expelli justam ob causam. Probatur : 1° ex jure communi, c. *Cum ad monasterium* De statu monach., ubi de religioso contumaci post præmissam monitionem dicitur : *De monasterio* (sive de tota religione) *expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam.* 2° Ex regula vicesima octava sancti Basilii, et regulis quinquagesima septima ac sexagesima prima, jubentibus expelli incorrigibiles. Item ex regula sancti Benedicti (cap. 28), jubente contumaces et incorrigibiles expelli. Idemque habetur in regula sancti Augustini, etc. 3° Ratione : commune religionis bonum privato præferendum est, rescindendo membrum putridum, ne reliqua inficiat.

Dico 2 : Ut religiosus professus e religione possit expelli, requiruntur duæ conditiones : 1° ut prius grave crimen externum, et de se afferens aliis scandalum, vel religioni infamiam commiserit. 2° Ut de tali peccato correctio et admonitio sine fructu ac emendatione præcesserit; ad expellendum enim religiosum, non solum requiritur ut sit peccator, sed etiam ut sit incorrigibilis. Hinc talis ejectio ac expulsio nec contra justitiam seu commutativam, seu vindicativam, seu legalem, nec contra charitatem est; adeoque quotiescunque juxta regulam approbatam, aut juxta pontificia indulta licitum est in exteriori foro ferre et exsequi expulsionis sententiam, etiam licitum est, per se loquendo, in foro conscientiæ : contra quosdam auctores volentes non licere in foro conscientiæ ob scandalum sæcularium, et periculum damnationis expulsi; sed hunc debere perpetuo carceri mancipari ac ibi puniri.

Dico 3 : Potestas ejiciendi ejusmodi contumaces incorrigibiles exsistit in papa et in tota religione, nisi eam papa sibi soli reservet; imo solet etiam residere in religionum generalibus. Quoad vero inferiores prælatos, v. gr. provinciales, an habeant hanc potestatem, consulenda sunt cujusque religionis specialia jura; uti an qui habet dictam potestatem, possit sine aliorum consultatione, an vero cum consultatione tantummodo illam exercere.

CAPUT V.

An et quomodo professus e religione ejectus teneatur ad eam redire.

Nota : Ejectus non est liber a solemnibus religionis votis, sed tantum ab illius usu et cohabitatione. An autem antiquitus ejecti essent absolute liberi ab illis votis et religiosa professione, incertum est; nunc saltem certum est eos, qui post solemnem professionem ejiciuntur, manere vere religiosos, nec liberos a suis votis religiosis, ut videre est in professis, quos Societas Jesu ejicit, contra vero scholares ejus approbati, qui tantum vota simplicia emiserunt, si ejiciantur, sunt liberi ab omni religionis vinculo.

Dico 1 : Ejectus obligatur ad vitæ emendationem, ut fiat aptus ad religionis reditum, et dignus qui in ea recipiatur; deinde tenetur procurare et petere suum reditum, et in religionem reverti si admittatur. Imo licet sæpius petierit, et non admissus fuerit, tamen semper tenetur denuo ingredi, quoties revocatus fuerit, nisi ad aliam religionem jam transiisset, quia tunc prima obligatio cessavit, aut quasi commutata est : contra Navarram dicentem absolute eum non teneri redire ad religionem, nec ad id compelli posse, si per definitivam et justam sententiam ejectus sit in perpetuum. Sed probatur contrarium, quia ejectus manet semper religiosus; ergo ex vi voti obedientiæ tenetur obedire quando superior eum revocabit, nec per datam ejectionis sententiam exstinguitur voti obligatio; nec per revocationem sententia data mutatur, cum data fuerit ad eum revocandi beneplacitum. Deinde juxta jus commune ejectus emendatus et castigatus debet recipi ut custodiatur, et vagari non sinatur, etc. Sed in hoc consulenda sunt specialia religionis statuta ac jura.

Dico 2 : Dum ejectus ad religionem revertitur, debet recipi ab habente sufficientem potestatem, nec indiget nova professione, sed non videtur reponendus in antiquis professionis præeminentiis.

Dico 3 : Ejectus qui non potest recipi in suam religionem, licet possit transire ad strictiorem aliam aut æqualem, et fortasse interdum laxiorem, non tamen ad hoc tenetur, sed potest emendatus et repulsus libere in sæculo manere. (Sotus, etc.)

CAPUT VI.

Ad quid obligetur religiosus ejectus licite et libere in sæculo permanens.

Dico 1 : Ejectus quoad votum obedientiæ (nam voti castitatis obligationem manere, ut ante, patet), probabilius juxta Navarram, contra Sotum et Molinam, etiamsi religiosus exemptus, debet ex vi sui voti obedientiæ obedire episcopo originis, aut etiam loci monasterii, seque illi præsentare, non tamen videtur teneri ad observationem regulæ, sed tantum ad tria vota servanda. Hinc si ejectus sit clericus, sed non in sacris, non tenetur recitare officium canonicum, nec suæ religionis habitum gestare, imo non potest, quia juste eo privatus est : nec tenetur habitare in loco solitario, nec in eodem semper, at potest et debet eligere habitationem honestam, ubi castitas non periclitetur; nec etiam ex vi regulæ ad actus pœnitentiæ, v. gr. jejunia, corporis flagellationes, etc., ad actus orationis, mi-

sericordiæ, etc., quæ juxta regulam constituta sunt, obligatur. Atque in his omnibus non tenetur obedire episcopo, sed tantum tenetur ei obedire in iis quæ prudenter spectant ad status religiosi decentiam in isto vivendi genere, ad castitatem servandam, et ad usum paupertatis. Quare

Dico 2 : Quoad votum paupertatis, ejectus juste in perpetuum, si sit translatus ad aliquam ecclesiam regularem, vel per aliquod beneficium ad sæcularem, cum ipse sit incapax alicujus dominii, quidquid acquirit, isti ecclesiæ ad quam translatus est, etiamsi per solam habitationem et domicilium translatus sit, acquirit. Si autem ejectus sine ulla ad aliquam ecclesiam translatione vivat, videtur tunc, quidquid acquirit, suæ semper religioni acquirere, uti etiamsi injuste ac temere fuerit ejectus, quia tunc nulli alteri jus ad illud acquiritur.

CAPUT VII.

De licita religiosi vita extra monasterium.

Dico : Certum est posse religiosum ex legitima facultate seu licentia extra monasterium vivere, et hanc facultatem non tantum papa, sed etiam prælatus regularis secundum jus commune, aut specialia religionis privilegia, potest dare; sed si prælatus regularis eam det sine legitima causa, quæ debet esse valde gravis, v. gr. publica Ecclesiæ, populi, aut patroni insignis utilitas, etc., erit et illicita et invalida; si papa det, erit quidem valida sed illicita, eamque sic petens et ea utens peccat. Hæc facultas potest concedi vel ad determinatum vel ad indeterminatum tempus, sed non irrevocabiliter. Qui sic extra monasterium vivit legitima cum causa et licentia, debet servare regulas paupertatis, nihil habendo proprium, sed tantum usum rerum necessariarum ad vitam cum continua dependentia a voluntate superioris : illi tamen concedenda est quædam generalis ac permanens licentia dandi et accipiendi juxta superioris aut regulæ determinationem.

CAPP. VIII, IX.

An liceat professo transire propria auctoritate a sua religione ad aliam.

Dico 1 : Transitus ab una religione ad aliam ex natura rei, per se non est malus, etiam propria auctoritate factus, modo fiat ad religionem strictiorem ac perfectiorem; quia ipsamet professionis traditio, licet fiat religioni, non fit principaliter propter religionem, sed propter religiosum et ejus perfectionem, ideoque semper censetur reservata facultas statum perfectiorem assumendi, seu transeundi ad religionem strictiorem, etiamsi fecisset votum non transeundi ad aliam religionem, sive ante religionis ingressum, sive post professionem : transitus tamen ad laxiorem aut æqualem religionem, propria auctoritate seu absque dispensatione factus est illicitus; hujusmodi enim transitus est contra jus acquisitum tali religioni. Deinde etiam ille, qui est licitus ex natura rei, non est consulendus, nec expedit nec potest fieri licite sine assensu aut judicio prælati, et cum periculo graviter infamandi prius monasterium ; ideoque occulta fuga, etiam hoc titulo inita, videtur vix posse moraliter excusari a peccato mortali.

Dico 2 : Ut judicetur quænam religio sit perfectior ac strictior, non tantum spectanda est vitæ asperitas, sed etiam et maxime excellentia finis, actualis regulæ observantia, securitas, etc. In dubio standum est judicio prælati, sine quo non licet transire ab una ad aliam religionem ; vel exspectanda a sede apostolica dispensatio.

CAPUT X.

Quomodo ex vi juris communis liceat transire ab una religione ad aliam arctiorem.

Dico 1 : Ex vi juris communis potest religiosus transire ad religionem perfectiorem sine quidem dispensatione, sed non sine licentia prælati, saltem petita. Et hoc habet etiam locum in iis qui dicuntur *conversi*, vel *conversæ*, vota religionis emittentes; ac in *oblatis* qui religiosa vota non emiserunt. Quoad decretum Urbani II prohibens, ne canonicus regulariter professus fiat monachus, varias potuit habere rationes ad id tunc prohibendum; et quia monachi ex sua prima institutione erant laici, etc. Contra vero non hinc sequitur posse monachum strictioris observantiæ transire a sua religione ad canonicorum regularium religionem quasi strictiorem aut perfectiorem.

Dico 2 : Ad hunc transitum requiritur sub mortali licentia istius prælati ad quem tale negotium juxta religionis statuta ac mores pertinet, v. gr. abbatis, vel provincialis, vel generalis, licentia, inquam, sincere et humiliter petita; non tamen necessario obtenta, si injuste denegetur. Cæterum ista licentiæ petitio, variis varie opinantibus, non videtur esse de substantia et valore ejusmodi transitus; ideoque si transitus fuerit factus absque licentia petita ad religionem certo et manifeste arctiorem seu perfectiorem, professio in ea emissa erit valida ex vi juris communis, ac professus non potest ad priorem religionem resumendam cogi ; ista enim petita licentia est tantum necessaria, ut actus licite fiat, non vero ut valide.

CAPUT XI.

An ex vi juris communis liceat transire ab una religione ad aliam æqualem, vel minus strictam.

Dico 1 : Certum est non posse transitum ad religionem æqualem fieri a religioso, sine facultate non solum petita, sed etiam obtenta, quia jus canonicum concedit tantum transitum ad arctiorem cum licentia petita, non obtenta. Potestas dandi hanc licentiam videtur esse in generali, provinciali et abbate, sed non possunt eam dare sine legitima causa.

Dico 2 : Certum est etiam jure ecclesiastico communi non esse licitum transire ad laxiorem reli-

gionem sine legitima dispensatione, quæ si detur sine justa causa, vel ab ipso papa, videtur esse invalida, adeoque professio nulla. Hanc licentiam transeundi ad laxiorem religionem datam cum causa a prælatis papa inferioribus, non valere probabilius est (Glossa, Rebuffus, Antoninus, etc., contra Innocentium, Sylvestrem, Navarram, etc.). Ad justam autem licentiæ seu dispensationis causam, ordinarie majus religiosi transeuntis commodum, et spiritualis utilitas sufficit; et si cum illa accedat etiam religionis utilitas, multo magis sufficiet.

CAPUT XII.

An spectato speciali religionum jure seu indultis sit licitus transitus ad aliam religionem.

Dico 1 : In unaquaque religione præter jus commune, habentur specialia ejus privilegia ac jura; multa enim emanarunt apostolica indulta quibus sic transitus prohibitus est vel absolute vel cum aliqua limitatione, v. gr. per bullam ultimam Pauli III, nullus in Societate Jesu professus, vel per tria vota substantialia admissus, potest ad aliam religionem, excepta Carthusia, transire sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda tam a transeuntibus, quam a recipientibus, etc., absque obtenta licentia. Hinc sequitur etiam ad strictiorem religionem transitum sine obtenta licentia ei esse prohibitum; quæ tamen licentia, dum causa transitus judicatur esse legitima, non debet, nec potest denegari; sed si quis sine ejusmodi facultate transiret, censendus sane foret apostata ab ordine. Dum pro illo transitu exsequendo certum aliquod temporis spatium, v. gr. trimestre, vel alia conditio determinatur, quomodo servanda sit et quomodo violetur, ex verbis ipsius privilegii vel ex modo præcipiendi, satis colligitur. In prædicto privilegio additur, ut si translatus nolit vel non possit in isto alio ordine perseverare aut profiteri, teneatur sine mora ad suam religionem reverti; imo si iste translatus post professionem in alio ordine factam, eum deserat vel ut in sæculo maneat, vel ut ad laxiorem ordinem transeat, statuitur ibidem ut subjaceat jurisdictioni suæ primæ religionis.

Dico 2 : Certum est religionum prælatos posse dare suis licentiam, imo et interdum debere, transeundi ad aliam religionem arctiorem seu perfectiorem. Hinc quotiescunque Societatis Jesu prælatus judicarit vel ad bonum suæ religionis, suive religiosi non professi, sed tantum per vota simplicia approbati, expedire, potest dare ei licentiam, ut ad aliam religionem etiam laxiorem transeat, quia Societas habet potestatem dimittendi illum etiam a suis votis liberum. Ex vi tamen prædicti indulti non potest dare licentiam professis quibusvis transeundi ad aliam religionem laxiorem; sed tantum per bullam Gregorii XIII anni 1582, potest generalis eis professis, quos judicaverit esse e Societate ejiciendos, dare licentiam transeundi ad quamlibet aliam religionem, etiam laxiorem.

CAPUT XIII.

An religiosus legitime transiens ad aliam religionem, possit secum aliquod peculium transferre.

Dico 1 : Religiosus valide et licite transiens ad aliam religionem, non potest secum deferre aliquid ex bonis quæ priori religioni quovis titulo comparaverat vel donatione, vel industria, vel alio modo, aut ipse religioni donaverat : quia religiosus nihil sibi acquirit, sed religioni; et rerum, quas acquirit aut habet, tantum purum facti usum habet.

Dico 2 : Quamvis nec libros secum possit deferre, tamen videtur quasi probabiliter posse sua manuscripta juxta morem suæ religionis secum asportare a quibus sua scientia pendet, et quam potest secum deferre, adeoque et manuscripta tanquam accessoria; non potest tamen artis suæ instrumenta.

CAPUT XIV.

An cum religioso transeunte, transeant etiam bona immobilia vel pretiosa mobilia, quæ forte ratione illius pertinebant ad priorem religionem.

Dico 1 : Religiosus transiens ad aliam religionem, non potest tuta conscientia per vim aut fraudem secum transferre bona immobilia aut mobilia pretiosa sine consensu monasterii, ex quo recedit, nec monasterium tenetur ex justitia ea donare quoad proprietatem, usumfructum, aut usum, seclusa exceptione, quæ interdum ob accidentales circumstantias evenire potest. Duobus enim modis ista bona possunt obvenire priori monasterio seu priori religioni : 1° ex vi juris communis, seu ex vi professionis in ea factæ, tunc hæc religio non potest illis privari saltem quoad proprietatem ob transitum personæ; quia jure quasi hæreditario acquisivit absolutum eorum dominium independenter ab actuali exsistentia seu perseverantia istius personæ in tali religione vel monasterio. Idemque dic de bonis quæ post professionem talis religiosi adveniunt monasterio per necessariam successionem, quatenus repræsentat seu induit ejus personam. Atque hæc omnia intellige de bonis non tantum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum, et usum: usus enim et ususfructus ex natura rei pertinet ad eum qui habet proprietatem, nisi aliquod pactum aut jus obstet. 2° Ex liberali voluntate et donatione religiosi distincta a traditione suæ personæ, ante suam professionem, aut in ipsa sua professione facta; tunc si istorum bonorum donatio sit facta sine ulla conditione aut limitatione, monasterium habet eorum dominium, adeoque etiam usumfructum, quomodocunque egrediatur religiosus : hic enim post professionem non habet majorem actionem ad eorum usumfructum, quam si nihil dedisset, aut quam habeat quilibet alius religiosus professus ejusdem monasterii, ut patet in monialibus sic transeuntibus ad aliud monasterium, quarum dotes in priori remanent. Si autem in donatione apposita sit

conditio voto paupertatis non repugnans, v. gr. ut in casu transitus ad aliud monasterium, teneatur primum monasterium dare vel alimenta, vel competentem dotem, tunc conditio implenda esset. Hinc sequitur, si religiosus vel religiosa ex dispensatione papæ, quantumvis justa, ad sæculum revertatur a vinculo professionis et votorum libera, non posse secum deferre bona, quæ religioni absolute donaverat, sine religionis consensu, nisi papa id ipsum in sua dispensatione specialiter concedat.

Dico 2 : Quamvis Societas Jesu, iis qui post emissa vota simplicia e religione egrediuntur, non teneatur ex justitia restituere bona quæ ipsi absolute sine ulla conditione donarunt, ex quadam tamen æquitate, et ad tollendam omnem offensionis occasionem, potest licite vel omnia, vel aliquam eorum partem priori domino reddere, vel eorum pretium; quia hæc non censetur alienatio simpliciter bonorum religionis, sed quædam justa dispensatio necessaria ad conservandam libertatem pro dimittendis personis quæ sibi non conveniunt. Imo ex praxi et consuetudine illius instituto consentanea, videntur hæc bona a principio acceptari cum potestate et libertate illa dimittendi cum persona, si fuerit expediens ad ædificationem et finem religionis, etc.

CAPUT XV.

An cum religioso translato transferantur prærogativæ, quibus in priore religione fruebatur.

Dico 1 : Omnis prærogativa præcise fundata in professione primæ religionis, et in ejus regula, v. gr. prærogativa antiquitatis cum suis consequentibus, etc., non transit cum persona, sed transitu consummato amittitur. Hinc

Dico 2 : Postquam translatus ad aliam religionem ibi professus est, tunc habet omnem prærogativam, facultatem aut capacitatem, quam alii religiosi ejusdem religionis habent ex vi suæ professionis et regulæ, nisi per jus specialiter aliquid prohibeatur, v. gr. per Clementinam primam *De regularibus*, statuitur ut Mendicantes omnes qui ad religiones non Mendicantes transierint, vocem aut locum in capitulo habere nequeant, nec assumi possint ad prioratus, ad administrationes, ad officia, v. gr. œconomi, syndici, etc., ad curam animarum, ad regimen, nec ad ea exercenda loco aliorum. Ac concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 11 *De reform.*) vult ut taliter translatus in claustro maneat perpetuo, sitque incapax quorumvis beneficiorum sæcularium, etiam curatorum. Non hoc tamen impedit, quominus prælatus possit taliter ac legitime translato dare justa ex causa licentiam vivendi extra claustrum, sicut aliis suis subditis, modo ea non detur titulo beneficii sæcularis, quia concilium solum prohibet transitum fieri eo fine ut translatus maneat extra claustrum : factus quidem aliter esset illicitus, sed non invalidus. Deinde concilium loquitur de transitu ad alium distinctum ordinem.

CAPP. XVI, XVII.

Ad quid teneatur religiosus factus episcopus circa votum castitatis, paupertatis et obedientiæ.

Dico 1 : Religiosus cum fit episcopus, non amittit substantialem religiosi statum. (D. Thomas, et alii communiter.) Status enim religiosus quoad substantiam seu quoad observationem trium votorum non repugnat cum episcopali : quia primo obligatio servandæ castitatis, aliquo modo augetur per consecrationem episcopalem, deinde votum paupertatis etiam in eo manet quoad vinculum, et substantialem ejus effectum, id est incapacitatem dominii et proprietatis bonorum, utpote episcopo non necessariæ, nec indecentis. Attamen in episcopo religioso in usu paupertatis sive in usu bonorum temporalium major licentia licita est, quam antea erat. Hinc, 1° secluso dominio, cujus incapax est, potest acquirere bona omnibus modis quibus potest episcopus sæcularis per donationem, per contractum honestum, per testamentum, imo etiam per necessariam et legitimam successionem : horum autem bonorum, quæ acquirit, dominium acquiritur ipsius ecclesiæ, excepto dominio legitimæ successionis, si ante translationem ad episcopatum, jam fuisset acquisitum religioni, sed sine actuali ejus acceptione ac usu. 2° Prædicta bona in episcopatu acquisita potest licite possidere, et apud se tenere seu retinere; quæ autem prius in religione seu in monasterio acquisierat seu habebat, v. gr. peculium, libros, etc., quæ de prælati licentia habebat, non potest amplius retinere, sed debet religioni reddere. Si autem transferatur ab uno episcopatu ad alterum episcopatum, bona in priori episcopatu acquisita ex ejus redditibus ac fructibus, videntur debere illi ea relinqui; sed quæ jure hæreditario, aut alio peculiari ac sæculari titulo acquisivit, verisimile est translata persona ad alium episcopatum, ea simul cum persona transferri. 3° Ipso jure, ut sic dicam, et ex vi tituli episcopatus, potest libere dispensare seu expendere prædicta bona in quemvis usum aliunde sibi non prohibitum sine dependentia a voluntate prælati regularis, sicut episcopus sæcularis; sed non cum tanta amplitudine, magnificentia, pompa ac sicut episcopus sæcularis.

Dico 2 : Quamvis episcopus regularis substantiale obedientiæ votum retineat, ratione tamen illius non tenetur suæ religionis prælatis obedire, sed soli summo pontifici subesse, utpote supremo religionis prælato. Hoc etiam intellige de regulari episcopo tantum titulari non habente proprium episcopatum; et hic si intra alterius episcopi diœcesim habitet, sive sit religiosus de religione exempta, sive non exempta, ex vi voti sui obedientiæ non subjacet, nec tenetur parere isti episcopo, sed ex vi suæ consecrationis soli summo subest pontifici.

Dico 3 : Episcopus regularis non tenetur per se ac directe observare religionis constitutiones, nisi quoad ea quæ sunt alicujus voti materia, vel per legem ecclesiasticam statuta sunt, quia illæ constitutiones non obligant, nisi ut prælatorum aut capitulorum religionis præcepta ; sed talis episcopus non tenetur obedire prælatis, ergo nec hujusmodi legibus, seu præceptis. Hinc nec obligatur ad observationem regulæ, quia regula solum obligat tanquam lex huic communitati seu ejus membris imposita : sed religiosus cum fit episcopus, desiit esse membrum istius communitatis ; ergo illis non obligatur. Si tamen in aliqua religione præter tria substantialia vota, fiant alia specialia quæ cum statu episcopali non repugnant, v. gr. votum abstinendi a carnibus in religione Minimorum, votum obediendi summo pontifici circa missiones obeundas in Societate Jesu, etc., illis adhuc obligatur ut prius. Item obligatur ad deferendum suæ religionis habitum, ex cap. *Clerici* 2 De vita et honest. cleric., ubi dicitur : *Pontifices autem in publico et in ecclesia superindumentis lineis utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem ;* imo juxta quosdam tenetur sub pœna excommunicationis, ex cap. 2 *Ne clerici vel monachi*, in 6. Hinc ulterius sequitur episcopum regularem non obligari in conscientia etiam sub veniali per se loquendo ad observantias suæ regulæ ; adeoque ubi abstinentia a carnibus vel jejunium est solum ex regula, vel ex ejus præcepto, et non ex speciali voto, eum posse licite eo die carnes comedere, non jejunare, quia jam ipse regulari observantia non est astrictus.

CAPUT XVIII.

An episcopus regularis gaudeat suæ religionis gratiis ac privilegiis ; quid de cardinali regulari.

Dico 1 : Gratiæ et indulgentiæ status religiosi quibus potest episcopus frui sine suæ religionis incommodo, et quæ spectant singulas religionis personas, in illo perseverant, perseverat enim esse religiosus ; sed eæ, quarum usus redundaret in onus religionis aut monasterii, et quæ corpus religionis quatenus tale, spectant, non perseverant.

Dico 2 : Omnia, quæ diximus de religioso facto episcopo, eodem modo locum habent in cardinali religioso, etiamsi non sit episcopus, debetque suæ religionis habitum etiam deferre ; sed si fiat papa, hac obligatione liberatur.

CAPUT XIX.

An religiosus professus possit ad beneficium, aut ad dignitatem episcopali inferiorem transire.

Dico 1 : Religiosa professio per se et ex vi sua non reddit personam incapacem beneficii ecclesiastici sive quoad jus spiritualium ministeriorum, sive quoad emolumentum et usum fructuum temporalium ; nec incapacem dignitatis episcopatu inferioris, etiam curam animarum habentis, v. gr. prioratus, etc. Dum quædam jura a beneficiis monachos excludunt, agunt de monachis laicis, quales olim erant. Hinc religiosus secundum jus canonicum est capax beneficii tum sæcularis, tum regularis, imo si hoc beneficium regulare sit pleno jure subjectum monasterio, per solam sui prælati voluntatem, potest ad illud transferri, et juberi ad acceptandum, in quo tenetur servare regulam, quantum extra monasterium et in privata domo servari potest. Unde

Dico 2 : Religiosus habens beneficium, pleno jure suæ religioni subjectum ad nutum prælati auferibile, cujus tamen redditus non sunt uniti seu applicati monasterio aut mensæ abbatiali, fructus acquisitos intuitu istius sui beneficii, acquirit suæ ecclesiæ, non monasterio ; secus, si redditus sint monasterio uniti. Quamvis enim sit subditus regulæ et obedientiæ monasterii, non tamen ob hoc illi acquirit dicta bona, horumque liberam habet administrationem seu independentem a voluntate sui prælati regularis, et prout convenit beneficiario, potest ea expendere, ac dare ; imo si amoveatur, et ad monasterium revocetur, potest secum deferre ad monasterium, cui statim incorporata erunt. Quoad vero alia bona non ex beneficio, sed aliunde acquisita præcise ratione suæ personæ, v. gr. per hæreditariam successionem, vel per donationem, vel recipiendo potius quam agendo, etc., juxta Bartholum contra Navarram illa acquirit non ecclesiæ, sed suo monasterio ; manet enim actu subjectus et unitus suo monasterio.

Dico 3 : Hujusmodi beneficiarius regulæ subditur in iis, quæ cum cura sui beneficii compatiuntur, non autem in iis quæ illi repugnant ; subditur quoque prælato in iis quæ præcipit ad bonum beneficii seu suæ ecclesiæ, si hæc exempta sit ab ordinario ; secus, si sit episcopo subjecta ; et si hoc beneficium sit manuale, seu ad arbitrium prælati auferibile ut est jure ordinario, prælato revocanti se ad monasterium et se amoventi a beneficio tenetur parere.

Dico 4 : Ut religioso possit conferri beneficium regulare, quod non est pleno jure subjectum monasterii aut prælati potestati, requiritur duplex voluntas ac consensus, nempe episcopi cui talis ecclesia subjecta est, et prælati cui iste religiosus subest ; cumque hoc beneficium sit perpetuum, non potest religiosus ab illo amoveri ad arbitrium prælati ; et quidquid tunc acquirit etiam per successionem hæreditariam aut alio speciali modo, non monasterio, sed ecclesiæ suæ acquirit.

Dico 5 : Religiosus non potest transferri ad beneficium sæculare (per quod etiam parochiale, aut habens annexam animarum curam intelligitur) sine papæ dispensatione, etiam de licentia sui abbatis ; sic autem translatus æquiparatur religioso translato ad episcopatum quoad paupertatem, obedientiam, etc., de quo supra.

TRACTATUS NONUS.

DE VARIETATE RELIGIONUM.

LIBER PRIMUS.

De varietate religionum in genere.

CAPP. I, II.

An religionum varietas expediat, et an bene dividatur religio in solitariam et cœnobiticam.

Dico 1: Religionum varietas in Ecclesia valde expedit, multumque conducit ad illius decorem et utilitatem, majusque Dei obsequium: ita Catholici contra hæreticos; quia status religionum proponitur hominibus tanquam via ad perfectionem acquirendam utilissima. Unus autem vivendi modus, seu una tantum et eadem religio, non potest omnibus esse apta ob diversas eorum complexiones et propensiones; ideo utilissimum fuit quasdam esse religiones ad vitam contemplativam ordinatas, alias ad activam, alias ad mistam, ut omnes possent, quod sibi magis expediret, eligere. Licet ergo omnes religiones in substantiali religiosi status ritu conveniant, distinguuntur tamen ex peculiari fine quem unaquæque sibi proponit, et ex mediis seu exercitiis quibus ad eum assequendum utitur.

Dico 2: Vita religiosa olim dividebatur in *solitariam*, quam quædam virgines tunc agebant in domo privata postquam coram episcopo vota emiserant, ac virginitatis velum acceperant, vel ad quam nonnulli religiosi e cœnobio transibant; et in *cœnobiticam*, quæ in religiosa communitate aut societate agitur. Hæc autem divisio nunc vix locum habet, quia licet adhuc sint qui vitam solitariam agunt, et eremitæ dicuntur, tamen vel sunt professi sub obedientia alicujus regulæ religiosæ sub qua vivunt in eremo, sicque sunt vere religiosi et ad cœnobiticam communitatem pertinentes: vel nullam religionis professionem emiserunt, et hi non sunt religiosi, nec censentur, juxta multos doctores, personæ ecclesiasticæ, nec privilegio clericali gaudere. An vero idem sentiendum sit de antiquis eremicolis, Paulo, et similibus, non liquet.

Dico 3: Solitaria vita, quæ cum licentia prælati, mutando contemplativam cœnobii vitam, assumitur, juxta D. Thomam, videtur quidem simpliciter esse perfectior cœnobitica, utpote contemplationis et perfectionis terminus; sed status religiosus in vita communitatis longe est utilior et securior, adeoque præferendus vitæ solitariæ statui.

CAPP. III, IV.

De religiosis militaribus conjugatis.

Dico 1: Recte potest militaris religio institui, non præcise ad bellum justum, sed ad pium et religiosum gerendum pro tuenda religione ac fide, et pro Dei populo ab injuriis infidelium aut hæreticorum vindicando: cum hoc enim vivendi modo possunt stare tria substantialia religionis vota et religiosa traditio, adeoque status religiosus; cumque illi qui in hoc statu vivunt, sint laici, non eis officit irregularitas quæ incurritur in bello per internecionem, utpote nec peccaminosa nec per se intenta.

Dico 2: Religiones militares quæ a sua primæva institutione integræ castitatis, paupertatis et obedientiæ vota continent, quandiu in illo statu ac integritate permanserunt, vere ac proprie religiones fuerunt. Illæ autem quæ vel a principio professæ sunt tantum conjugalem castitatem cum duobus aliis votis, vel per relaxationem a papa concessam ad talem statum defecerunt, quamvis juxta Navarram et alios communiter, sint vere et simpliciter religiones, militesque in eis professi quoad statum sint proprie religiosi, cum ad eum eis sufficiat votum ejusmodi castitatis, id est conjugalis, tamen quoad usum et observantiam reipsa non vivunt simpliciter religiose, sed tantum secundum quid: id est parum habent de exercitio perfectionis et religionis. Id tamen non impedit quominus juxta suam institutionem et religionis substantiam habeantur religiosi; in bullis enim pontificiis dicuntur et habentur personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio canonis et fori, specialiter assumptæ sunt sub protectione summi pontificis tanquam divino cultui dicatæ; in jure veniunt nomine religiosorum, etc. Vide plura apud Suarez, uti et circa caput sequens.

CAPP. V, VI.

An religio bene dividatur in contemplativam et activam; et utra sit perfectior.

Nota: Vita activa est illa quæ principaliter externis actionibus vacat in aliorum salutem; contemplativa, quæ principaliter divinæ cognitioni et amori incumbit: ita ut activa non excludat omnem contemplationem, nec contemplativa omnem actionem externam.

Dico 1: Religio satis apte dividitur in vitam activam, contemplativam et mistam. Contemplativa est quæ per se et ex institutione sua præcipue in Dei laudibus occupatur, quales sunt monasticæ. Activa est quæ ad opera misericordiæ erga proximum exer-

cenda præcipue instituta est, quales sunt religiones, quæ curandis infirmis, redimendis captivis, aut aliis ejusmodi piis operibus incumbunt. Mista est quæ utramque quasi æqualiter complectitur, quales sunt religiones Mendicantes, quæ et contemplationi et proximorum saluti, verbo Dei, doctrinæ, aliisque exterioribus exercitiis incumbunt.

Dico 2: Juxta Henriquez, religio pure contemplativa præferenda est et activæ et mistæ, quia vita pure contemplativa est aptior ad meritum et ad divini amoris augmentum; inminuit magis peccata, frequentiorem habet Dei memoriam, est angelis et beatis similior, etc. Sed quamvis illa ex suo genere sit securior, magisque ab externis erga proximum actionibus, et ab hominum consortio et tumultu sejuncta, tamen, juxta D. Thomam et alios communius, religio ex sua institutione mista præferenda est pure contemplativæ, et pure activæ quoad perfectionem, dignitatem et utilitatem: quia in hac dantur occasiones exercendi cum charitate simul plures et excellentiores virtutes, habetur major commoditas consequendi majorem Dei cognitionem, et ejus charitatem altiori modo exercendi, seque offerunt plures occasiones sustinendi pro illo pios labores, et patiendi mala, etc.

CAPUT VII.

An religio recte dividatur in monachalem et clericalem.

Respondeo affirmative. Monachi enim fuerunt olim laici fere usque ad tempora Gregorii, et clericorum religio ab apostolis cœpta, continuo duravit usque ad tempora Augustini. Generice autem conveniunt in vera religiosi status substantia, et in variis religionis accidentalibus ritibus, v. gr. in vita communi, in vitæ religiosæ observantia, etc. Specifice disconveniunt in suo fine, finis enim religionis clericalis sunt divina ministeria, non autem monachalis; deinde in mediis ad suum quæque finem consequendum accommodatis, in habitu diverso, cum monachalis sit cucullus, non vero clericalis; denique in corporis austeritatibus, quæ sunt magis propriæ monachis quam clericis. Quoad antiquitatem, utraque videtur æqualis, et a tempore apostolorum incepisse; et quoad præstantiam, se habent inter se sicut excedens et excessum.

CAPUT VIII.

An religio etiam recte dividatur in mendicantem et pure monachalem.

Respondeo affirmative: quia utraque in suo fine diversa est. Pure enim monachalis est contemplativa, mendicans autem mista; ex vi sui instituti etiam differunt in paupertatis professione, et ipsæ Mendicantes etiam in hac inter se differunt, de quo supra, etc.

CAPUT IX.

Quot sunt ordines clericorum regularium.

Dico: Status clericorum regularium duplex est: alius simpliciter religiosus in quo tria vota religiosa emittuntur; alius secundum quid tantum religiosus, in quo illa non emittuntur, sed solum in communi vivendi modo ac societate servantur quædam statuta. Deinde status clericorum regularium simpliciter religiosus dividi potest in canonicos regulares et in simplices sacerdotes, quales sunt, v. gr. religiosi Societatis Jesu. Denique canonici regulares distinguuntur in canonicos ecclesiarum cathedralium et non cathedralium.

CAPUT X.

De religionibus monialium.

Dico 1: A principio nascentis Ecclesiæ mos fuit consecrandi Deo feminas tam virgines quam viduas per votum castitatis, easque congregandi vel in monasteriis, vel in domibus separatis; an præter votum castitatis, alia vota religiosa tunc facerent, incertum. Monasteria monialium ordinarie et fere ab initio annexa et subordinata fuerunt monachorum monasteriis, uti dicitur Pachomius virginum monasterium ab ejus sorore erectum, juxta suum habuisse et gubernasse. Unde colligitur, sicut accessorium sequitur naturam principalis, ita religiones monialium sequi institutionem religionum virorum. Quare

Dico 2: In monialium institutis est varietas cum aliqua proportione ad religiones virorum; quædam enim regulam sancti Benedicti, aliæ sancti Bernardi, aliæ aliam profitentur sub habitu proprio, et quædam subjacent virorum religionis, cujus regulam profitentur, superioribus; quædam autem episcopis, sed cum regula approbata a sede apostolica pro viris, quia nulla est approbata pro solis monialibus, vel pro illis principaliter: idcirco si quis vellet erigere monialium monasterium non sub aliqua regula approbata, modus vivendi in tali congregatione deberet specialiter a papa approbari, alioqui posset quidem esse honesta mulierum congregatio, sed non vera aliqua religio, seu religiosa professio.

CAPUT XI.

De monialium novitiatu ac professione cum veli cæremonia.

Dico 1: Quoad harum receptionem, dotem, novitiatum, professionem sunt fere eadem omnia, quæ supra exposuimus agendo de ingressu religionis et professione. In conventu virginum non tantum virgines, sed etiam viduæ et interdum clam corruptæ recipi possunt juxta prudentiæ leges; jura autem statuunt, ut moniales non recipiantur, nisi intra numerum præscriptum.

Dico 2: Quoad earum velum, triplex est: nempe *velum receptionis*, quod novitiis a principio datur, et solet esse album; *velum professionis*, quod est nigrum, daturque quibusvis solemnem professionem emittentibus; *velum consecrationis*, quod cum speciali cæremonia a solis episcopis consecratis, aut a presbyteris ex papæ commissione imponitur solis virginibus, corporali virginitate integris, aut saltem talibus palam reputatis, quamvis occulte corruptis, et quidem ætate provectis, v. gr. septuagenariis, sexagenariis aut quadragenariis juxta varia

decreta: debetque imponi vel in die Epiphaniæ, vel intra hebdomadam Paschæ; vel in Sabbato Paschæ, vel in Natalitiis, aut etiam alio die, si mortis periculum immineat. Hujus veli impositio, seu virginis consecratio non solet reputari inter sacramentalia, adeoque nullum habet specialem effectum ex sua institutione ad augendam gratiam aut ad remittenda venialia, sed tantum illum quem producit opus bonum. Hoc velum consecrationis distinguitur a velo prælationis quod olim abbatissis cum speciali benedictione dabatur: sed istud prælationis velum jam non est in usu; licet enim abbatissæ benedicantur, non tamen eis datur speciale velum. Denique velum ordinationis probabiliter est illud quod forte dabatur quibusdam virginibus, dictis diaconissis, deputatis ad legendum Evangelium in choro.

CAPUT XII

De observantia et obligatione monialium.

Dico: Moniales in religiosa observantia et obligatione, aliquo modo æquiparantur monachis, nisi quod quædam habeant sibi propria: 1° circa *paupertatem:* non possunt vivere mendicato, uti religiosi Mendicantes, adeoque debent aliquos redditus habere; imo ordinarie permittitur ut unaquæque monialis recipiat quotannis aliquem moderatum redditum, quo ad res sibi necessarias uti possit. 2° Circa *castitatem:* habent strictiorem clausuram quam monachi; et videtur esse usu receptum, ut comam non nutriant. 3° Circa *obedientiam:* subjacent vel episcopo, vel alicui regulari virorum superiori, cui parere tenentur. Item tenentur in conscientia obedire abbatissæ aut priorissæ in quantum habet potestatem dominativam administrandi et regendi monasterium, ejusque bona cum personis: nempe obedire in iis quæ præcipiuntur secundum regulam, suntque honesta, et talis obligationis capacia. Abbatissa autem aut priorissa nullam propriam habet jurisdictionem spiritualem, seu potestatem jurisdictionis, adeoque non potest propriam legem condere aut præceptum ferre, per quod constituatur actus in propria specialis virtutis specie, ut communiter sentiunt theologi, hoc enim est proprium potestatis jurisdictionis. Denique ex vi voti obedientiæ tenentur servare suam regulam et constitutiones juxta cujusque monasterii morem et institutum.

LIBER II.

De varietate religionum in specie.

CAPUT PRIMUM.

De religionibus monachorum Orientis, ac maxime sancti Basilii.

Dico: Qualis nunc sit in orientali Ecclesia religio sancti Basilii non satis constat; in occidentali vix jam exstat. Ante autem sanctum Basilium exstitit in Oriente professio monastica, partim solitaria, partim cœnobitica, ut liquet ex Paulo eremita et ex sancto Antonio, aliisque antiquioribus, et utraque ante hos jam aliquo modo exstabat; sed post Antonium vita monastica mirifice cœpit propagari; non tamen de istorum monachorum regula ac varietate satis constat. Deinde Basilius fere quadraginta annis post Antonium constitutiones, regulas et præclara vitæ monasticæ instituta condidit, quorum finis est divinæ contemplationi vacare, et separatam ab omnibus qui communem mandatorum viam sequuntur, habitationem habere. Media autem, quæ ad illum finem assequendum proponit, sunt ea quæ ad status religiosi substantiam pertinent, nempe paupertas, castitas, obedientia sub uno prælato; alia deinde sunt accidentalia, quæ requirit, id est pauper et peculiaris habitus, ordinaria clausura, rarissima cum sæcularibus conversatio, simplex et moderatum alimentum, oratio mentalis et vocalis, non appetere clericatum, etc.

CAPUT II.

De institutione et progressu religionis sancti Benedicti.

Dico: De initio monachatus in Occidente, non satis liquet; sed verisimile est eodem fere tempore incepisse, quo in Oriente. Deinde Benedictus, circa annum 500, suam religionem proprie monachalem instituit sub speciali et propria regula, variaque monasteria in Italia et extra illam, per se et per suos discipulos Placidum et Maurum sub unius religionis et regulæ concordia fundavit, in qua religione innumeri sapientia, scientia et sanctitate viri claruere, et inter hos communiter recensetur Gregorius Magnus utpote qui putatur fuisse ordinis sancti Benedicti religiosus. Cum autem antiqua decreta, quæ aliquas leges sanciunt circa monachos, præcipue ad Benedictinos dirigantur, si verba legis expresse et in particulari ad istius religionis monachos limitentur, tunc ista lex ex vi suæ dispositionis non obligat alios monachos; secus vero si non limitentur.

CAPP. III, IV.

De Cluniacensi, Cisterciensi, Camaldulensi et Carthusiensi ordine.

Dico 1: Sub annum Christi 913 incepit ordo Cluniacensis fundatore vel Odone vel Bernone abbate sub regula sancti Benedicti, adjunctis variis aliis observantiis ac constitutionibus. Deinde sub eadem sancti Benedicti regula institutus ordo Cisterciensis; cum majori tamen distinctione ac diversitate ab ordine sancti Benedicti, quam Cluniacensis, et color habitus est diversus, nempe albus. Ab ordine sancti Benedicti derivatus est etiam ordo Camaldulensis, auctore Joanne Gualberto.

Dico 2 : Ordo Carthusiensis qui inter omnes monachales arctior censetur, cœpit circa annum 1084, auctore Brunone ; differtque a cæteris monachorum institutis in suis propriis constitutionibus et observantiis, quarum prima est perpetua a carnibus abstinentia, etiam in morbo cum periculo vitæ : si tamen certum foret periculum moriendi fame, nisi Carthusianus comederet carnes, tunc hic in tali casu teneretur eas comedere ; altera est perpetua clausura. Hic ordo ipso usu, sanctitatis exemplo, generali Ecclesiæ acceptatione, atque ab ipsa sede apostolica approbatus fuit.

CAPP. V, VI.

De ordine Grandimontensi, Præmonstratensi, sancti Hieronymi et Prædicatorum.

Dico 1 : Ordo Grandimontensis, circa annum 1080, a quodam Stephano Albanensi, viro religioso, inchoatus est sub speciali modo vivendi et propriis statutis, ut apparet, adeoque nec sub Augustini, nec sub Benedicti regula ; contemplationi et psalmodiæ deditus, cum magna solitudine et corporali austeritate, cum multis jejuniis, etiam in pane et aqua.

Dico 2 : Circa annum 1120, cœpit Præmonstratensis ordo monachalis sub regula sancti Augustini. Deinde sub eadem regula circa 1370, ordo eremitarum sancti Hieronymi initium duxit a nonnullis eremicolis simul congregatis; vitæque contemplativæ, longæ psalmodiæ, stricto silentio cum speciali clausura et corporis austeritatibus singulariter vacat.

Dico 3 : Sub annum 1215 circiter cœpit ordo Prædicatorum, fundatore sancto Dominico, approbatus solemni ritu ac diplomate ab Honorio III, anno Domini 1216, perfectus quoad formam vitæ activæ et contemplativæ, seu mistæ, cujus præcipuus finis est sui et proximi salus sub regula sancti Augustini ; et ad eum finem assequendum sanctus Dominicus tum essentialia circa castitatis, paupertatis et obedientiæ observationem, tum accidentalia media constituit, v. gr. perpetuam a carnibus abstinentiam, etc. Noluit tamen ut regula ex vi sua obligaret ad culpam. Deinde præter suum ordinem religiosum, instituit duos alios : unum pro monialibus, alterum pro defensoribus ecclesiasticorum bonorum contra invasores, primo dictis *de Militia Christi*, postea cessante istorum invasorum injuria dictis *de Pœnitentia*, seu de tertia regula : quod vitæ genus licet ad status religiosi essentiam non pertingat, ut patet ex ipsa regula, et ex aliis ejusmodi Tertiariis sancti Augustini et sancti Francisci, tamen a sede apostolica multis privilegiis fuit communitum tanquam pium et laudabile.

CAPUT VII.

De ordine Minorum.

Dico 1 : Hujus ordinis auctor est sanctus Franciscus, qui natus viginti septem annos, egit anno 1209 de nova religione instituenda ac regulam scripsit. Deinde Romam abiens cum duodecim sociis, petiturus ab Innocentio III illius approbationem, primo repulsam tulit ; sed postea papa divinitus monitus eam permisit anno 1212, non aliquo diplomate, sed vivæ vocis oraculo : authentice autem et expresso diplomate, tantum fuit approbata anno Christi 1223, et pontificatus Honorii octavo. Hujus religionis finis præcipuus est perfectionem evangelicam sectari, et illam aliis prædicare ; ac potissimum ad hunc finem assequendum medium, est maxima paupertas, adeoque est maxime una ex Mendicantibus. Præter hanc paupertatem aliasque corporis austeritates et habitus asperitatem, non permittit suis religiosis uti calceis, nisi in necessitate, vultque ut pedites iter faciant nisi necessitas aut infirmitas aliud cogat. A festo Omnium Sanctorum usque ad Christi Nativitatem jejunant, etc. Deinde ex illa summæ paupertatis professione exorta est ejusdem religionis divisio in diversas familias; alia enim familia dicta est *Conventualium*, alia *Observantinorum*, alia *Capucinorum*.

Dico 2 : Hæc religio excludit circa paupertatem non tantum omne bonorum immobilium, sed etiam mobilium dominium; deinde præcipit ut non possint sui religiosi pecuniam per se recipere, licet tamen eam per tertiam personam recipere in eleemosynam, et habere his conditionibus : 1° ut illa intelligatur manere semper sub dominio dantis, quandiu est in manu tertiæ personæ possitque resumi ; 2° ut non liceat religiosis illam petere vel administrare tanquam propriam, aut rationem illius per se exigere ; 3° ut solum pro necessariis usibus accipiatur et expendatur, non religiosorum, sed dantis eleemosynam nomine ; 4° ut non liceat etiam per procuratorem accipere mutuam pecuniam, nec alias res cum obligatione justitiæ ad solvendum, nec aliquid credita pecunia emere, ita ut ipsi obligentur ad pecunia solvendum. Sed hæc tantum serviunt pro Observantinis, non pro Conventualibus.

CAPP. VIII, IX.

De ordine Eremitarum sancti Augustini.

Dico 1 : Probabilius videtur sanctus Augustinus statim a suæ conversionis principio religiosum vivendi modum inivisse, et fortasse cum ipso baptismo; deinde reversus in Africam priusquam presbyter fieret, monachum egit, et in proprio monasterio monachos congregavit, et religionem instituit, regulamque quam Ecclesia sub illius nomine recepit et approbavit, edidit pro suis Eremitis, monachis laicis, non autem pro canonicis regularibus, utpote ipsemet adhuc laicus; hæcque religio laicorum, optima regula munita, et episcopali auctoritate approbata, vivente Augustino, longe lateque per Africam diffusa est.

Dico 2 : In persecutione Vandalorum post mortem Augustini pene omnia Eremitarum monasteria Africana destructa sunt, monachique partim necati, partim dispersi in alias Europæ religiones; sed dum Innocentius IV omnes Eremitas in unum solum ordinem religiosum redegit, non videtur illa om-

nium Eremitarum unio fuisse facta ex solis sancti Augustini Eremitis, sed etiam ex aliis cujusvis religionis seu regulæ, vel nominis. Ante enim Augustinianos multi professi sunt ubique vitam eremiticam et cœnobiticam, confundendo fortasse tunc istas duas voces *eremiticam* et *cœnobiticam*. Dum Innocentius IV et ejus successor Alexander IV, per bullam, omnes eremitas aut aliis nominibus nuncupatos in unam religionem coegit, et Eremitis sancti Augustini aggregavit, non instituit novam religionem, sed in multis rebus immutavit, remanente tamen prioris instituti Augustiniani substantia, novamque ac solemnem approbationem ab Alexandro IV accepit; quamvis enim non fuerit religio de novo instituta, talem tamen mutationem ac formam novam accidentalem recepit, ut sine speciali pontificis approbatione firmitatem habere non potuerit.

CAPUT X.

De Carmelitarum ordine.

Dico 1 : Omissa traditione de hujus ordinis religiosi transmissione ab Elia propheta, certum est Eliam vitam eremiticam coluisse, quam magna cum corporis austeritate, et diuturna divinarum rerum contemplatione conjunxit, quamvis interdum Dei jussu pro augendo ejus honore et procuranda proximorum salute ad prædicandum et docendum reliquerit suam eremum.

Dico 2 : Probabile est Eliam permanentem suæ vitæ eremiticæ habitationem habuisse in monte Carmelo, ibique mansisse usque ad suam translationem, ut ex variis Scripturæ locis colligitur. An ibidem ædificaverit oratorium, prout refertur a Joanne Hierosolymitano, id fortasse vel ex conjectura vel ex traditione assertum est.

TRACTATUS DECIMUS.

DE RELIGIONE SOCIETATIS JESU.

LIBER PRIMUS.

De instituto societatis Jesu.

CAPUT PRIMUM.

An Societas Jesu sit vera religio, et cur eo nomine insignita sit.

Dico 1 : Societatem Jesu veram ac propriam esse religionem ex fide constat, cum habeat omnia quæ sunt religioni essentialia, et ab Ecclesia approbata; estque a reliquis distincta specie morali eo modo quo in religionibus hæc distinctio inveniri potest : sub distincto enim capite seu generali, habet suam propriam monarchiam constitutam, et sub distinctis ac propriis constitutionibus regulisque vivit.

Dico 2 : Sanctus Ignatius hujus Societatis fundator, humilitatis ergo noluit illam de suo nomine appellare, sed ei imponi voluit sine arrogantia nomen Jesus, et dici Societatem Jesu; quia 1° specialiter Jesu seu Salvatori conjungitur pro quærenda animarum salute; 2° quia Jesu vitam particulari et proprio modo imitatur; 3° quia Jesu vicario specialem vovet obedientiam circa missiones obeundas, seu ad agendam vitam apostolicam.

CAPP. II, III.

Quis sit finis hujus religionis, et quæ media adhibeat ad eum assequendum.

Dico 1 : Finis hujus religionis est propria et aliena perfectio; sibi enim acquirere perfectionem et simul eam aliis communicare, sunt illius duo fines principales partiales, ad quos acquirendos propria et convenientissima media constituit. Unde

Dico 2 : Ad procurandam propriam perfectionem, aut ad conservandam, augendam, perficiendam gratiam hæc sunt essentialia media quæ apposuit : singularis omnino cura omnimodæ castitatis, strictissimæ paupertatis observantia (ita ut professi emittant votum non permittendi ullam in materia paupertatis mutationem, nisi forte ad illam restringendam), exactissima obedientia. Deinde alia sunt magis particularia, tum quæ conducunt ad devotionem et animi puritatem obtinendam, v. gr. quotidiana lectio spiritualis, oratio, meditatio, examen conscientiæ, etc.; tum quæ spectant ad sui abnegationem et mortificationem, v. gr. votum non acceptandi dignitates extra religionem, nisi papæ jussu, non ambiendi intra eam, etc. Jam vero ad procurandam proximorum salutem et perfectionem hæc sunt media quæ adhibet : 1° assumptio status et habitus clericalis; 2° omnia sacra ministeria quæ ad purgandos, illuminandos, perficiendos alios apta et utilia sunt; 3° ministerium verbi Dei per conciones, catechismi traditiones, etc.; 4° exercitiorum spiritualium communicatio; 5° congregationes cujuscunque status sub Societatis regimine erectæ, et pontificum indultis munitæ; 6° missiones ad infidelium conversionem, et hæreticorum reductionem stabilitæ; 7° gymnasia ad instruendos alumnos in doctrina et pietate; 8° sacra scientia tum verbis, tum libris communicata. Denique ad rite præstanda hæc, habentur in So-

cietate diversi gradus religiosorum, scholarium, coadjutorum, professorum; hucque etiam refertur exemptio a choro, etc.

CAPP. IV, V.

De institutione et approbatione Societatis Jesu, ejusque qualitate.

Dico 1 : Quamvis hujus Societatis institutor fuerit sanctus Ignatius, præcipuus tamen auctor fuit Spiritus sanctus, qui et mentem et vires illi indidit ad eam erigendam, ut Luthero aliisque hæreticis tunc grassantibus spiritualia arma opponeret. Hinc convenientissime anno 1540 a Paulo III aliisque postea pontificibus approbata ac confirmata fuit, multis insuper privilegiis et laudibus exornata.

Dico 2 : Hæc Societas vere ac proprie dicitur et est clericorum et presbyterorum religio non solum ratione habitus, sed etiam ratione proprii instituti et functionum; per se enim est instituta ad eas functiones, ad quas ordo clericalis necessario requiritur : hinc concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 16) eam vocat *religionem clericorum Societatis Jesu;* et Gregorius XIII, in sua bulla anni 1578, quæ incipit : *Ex sedis apostolicæ*, sic etiam eam appellat his verbis : *Cum instituto clericorum regularium Societatis Jesu*, etc. Ideo sacerdotum habitum retinuit, quia est religio sacerdotum, et habitus debet esse accommodatus muneri et officio quod persona exercet, utque isto habitu facilius agere possit cum hæreticis ad eorum reductionem, utpote qui aversantur particularem habitum monachalem. Et quamvis hæc religio quoad suam peculiarem regulam et institutionem nova esse censeatur, quoad specificam tamen ejus substantiam potest dici antiqua; et illi quam professi sunt apostoli, similis quoad Evangelii prædicationem, fidei propagationem ac defensionem, divinamque contemplationem.

CAPP. VI, VII.

De vita mista et perfectione Societatis Jesu.

Dico 1 : Hæc Societas ex vi sui instituti per se ac principaliter utrumque vitæ activæ et contemplativæ genus complectitur : vita enim activa patet ex ejus functionibus circa salutem proximi, contemplativa ex spiritualibus ejus exercitiis, meditatione, oratione, conscientiæ examine, lectione spirituali, frequenti sacramentorum usu et ex ipsa religiosorum Societatis spiritualitate. Quomodo autem hoc utrumque vitæ genus adeo inter se dissimile possit simul rite conjungi, id provenit ex speciali vocationis gratia; quia Deus unicuique religioni dat specialem gratiam quam communicat omnibus, si non resistant, qui a Spiritu sancto ad illam vocantur, ut ipsius instituti finem consequi valeant. Deinde principales actiones, in quibus activa Societatis vita versatur, ita sunt conjunctæ cum contemplativa, ut veluti ex corpore et anima unum quid ex illis efficiatur. Unde

Dico 2 : Hæc religio ex vi sui instituti constituta est in perfectissimo statuum religiosorum ordine, nempe in vita mista; et in illo non infimum gradum obtinet ob sublimem finem quem sibi proponit, ob apta media ad illum assequendum, ob intensivam et extensivam perfectionem in trium votorum essentialium materia et observantia; ob excellentiam charitatis erga Deum et proximum, ob peculiarem superiorum erga subditos vigilantiam.

CAPUT VIII.

An convenienter in Societate relinquatur usus chori, et cantus ecclesiastici.

Dico : Prudenter in Societate constitutum est, ut in ea non sit chori, cantus ecclesiastici et psalmodiæ usus : quia licet secundum se sit optimus, non juvat tamen ad illius finem, neque est medium proportionatum, adeoque carentia illius non est imperfectio, quandoquidem alio meliori exercitio compensetur; deinde chorus est incompatibilis cum ministeriis Societatis, nec ob hoc est minus perfecta religio.

CAPUT IX.

An Societatis regula sit arcta.

Dico 1 : Quamvis ratio vivendi Societatis in exterioribus communis sit, neque ullas ordinarias pœnitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habeat, tamen ex vi suæ regulæ debet pœnitentiæ operibus et corporis macerationibus vacare, prout quisque judicaverit ad majorem sui spiritus profectum sibi convenire, et prout superior ad eumdem finem censuerit imponendas; in tanta enim personarum et habitudinum varietate certa circa hoc regula præscribi nequibat, adeoque cujusque electioni et prudenti superioris judicio proportionata unicuique mensura remittitur, quia medium rationis non est unum et idem respectu omnium, sed in unoquoque consideratur per proportionem ad intentum finem, spectata personæ qualitate, dispositione, aliisque circumstantiis; sed sicut Societas in hoc vitæ communis genere Christum imitatur, ita etiam in ea vitæ austeritate, quam ipse amplexus est, vestigia sequitur; unde licet nihil determinate sit præscriptum circa has corporis macerationes, usus tamen earum in Societate est frequentissimus, et sæpe major et rigidior quam in aliis religionibus. Quare

Dico 2 : Religio Societatis sub regula valde stricta et rigorosa Deo inservit. Nam regula non dicitur stricta vel laxa præcise propter corporales afflictiones majores vel minores (quamvis hoc etiam multum adjuvet), sed præcipue propter majorem vel minorem rigorem et observantiam in omnibus virtutum et consiliorum operibus; et tanto major erit arctitudo, quanto fuerit major observantia in iis quæ majoris momenti et perfectionis sunt. Hæc autem major arctitudo in Societate reperitur : unde male censeretur esse minus perfecta alia religione, quæ illam in exteriore vitæ austeritate, ex vi regulæ superaret.

LIBER II.

De ingressu et probatione Societatis Jesu.

CAPP. I, II.

De impedimentis substantialiter impedientibus Societatis ingressum.

Dico 1 : Impedimenta Societatem ingrediendi sunt hæc : Primus est apostasia a fide, licet occulta ; vel error circa fidem, propter quem persona damnata fuit per sententiam; vel suspicio hæresis, ita ut de illa suspectus per sententiam publicam declaratus sit; vel infamia ob excommunicationem incursa, spreta Ecclesiæ auctoritate. Secundus, est homicidium illicitum (non vero licitum in judice, in milite, in justa defensione), peccaminosum, etiamsi casuale aut occultum, vel aliena manu perpetratum ; item publica infamia ob enormia crimina; juvenes autem hæreticorum filii inter eos educati non sunt inhabiles ad Societatis ingressum. Tertius, est assumptio habitus alterius religionis fratrum vel clericorum (non autem militum religiosorum), non tantum per professionem, sed etiam per gestationem licet unius solius diei, vel in novitiatu, vel animo illum inchoandi, aut status eremitæ cum vestibus monachalibus : inconstans enim animus non est ad Societatem aptus. Quartus, est matrimonium consummatum (pro quo vide reg. 36 provincialis) ; non vero ratum tantum : sed cum nunc suppono vota simplicia Societatis non dissolvere matrimonium ratum, de quo postea ; ideo nemo debet recipi in Societate post matrimonium ratum sine consensu et debita conversione uxoris, nisi forte ex dispensatione præpositi generalis cum intentione statim admittendi illum ad solemnem professionem post biennium, si probatus fuerit illa dignus, sin minus statim illum dimittendi. Unde si aliter recipiatur in novitiatum, non potest postea admitti ad simplicia vota, quæ post biennium a scholaribus, vel serius a formatis coadjutoribus fiunt, sine eodem consensu et conversione uxoris, quia nemo matrimonii vinculo ligatus potest licite assumere statum repugnantem usui matrimonii, et non dissolventem ejus vinculum : status autem Societatis per sola vota simplicia non dissolvit matrimonii vinculum, et ejus usui repugnat, cum sit status religiosus ; ergo non potest licite talis status assumi, invita uxore. Aliud etiam impedimentum est servitus. Quintus, est rectæ rationis aut judicii obscuritas vel ad illam dispositio.

Dico 2 : Etsi in his prædictis impedimentis nullum sit verbum quo expresse dicatur per illa reddi persona omnino inhabilis ad Societatis ingressum, ita ut tam admissio et professio quam omnis incorporatio in Societate inde subsecuta, irrita sit et nulla, tamen videtur unumquodque illorum reddere eam inhabilem ad dictum ingressum, cum in cap. 2 *Examin.*, § 6, post enumerata ista impedimenta dicatur : *Prædicti casus impedimenta sunt, cum quorum aliquo nemo in Societatem admitti potest.* Nota verbum *potest.* Unde tam prima receptio, quam omnis alia intimior admissio est nulla tam ex impotentia agentis seu recipientis, quam ex incapacitate passi, seu recepti, adeoque nullam inducit obligationem; cum enim prima receptio sit nulla, quidquid in ea fundatur, nullum est.

Dico 3 : Aliud impedimentum est defectus originis, qui est descensus per aliquam lineam ex genere Judæorum aut Saracenorum. Hoc impedimentum ut substantiale et irritans potuit sane Societas apponere receptioni aut professioni : licet enim solemnitas voti quoad effectus legales in quibus ipsa consistit, sit de jure pontificis, et non de particulari alicujus religionis, particulares tamen conditiones ad tale votum emittendum necessariæ, possunt ab unaquaque religione sanciri, et in his aliquid addere quod jure communi requisitum non sit, sed in tali religione requisitum sit ad receptionis vel professionis valorem.

CAPUT III.

Quæ conditiones servandæ sint, ut convenienter aliquis in Societatem recipiatur.

Dico 1 : Ut hæc receptio debite fiat, diligenter attendatur, an persona habeat gratiæ et naturæ dotes huic instituto convenientes juxta gradum tali personæ accommodatum. Idcirco ante hanc receptionem duæ diligentiæ præmittendæ sunt : Prima est examinatio personæ volentis ingredi quæ debet ad interrogata respondere, et seipsam manifestare. Altera est prima probatio ejus qui recipiendus est; hæcque fit in Societate antequam quis ad communem convictum admittatur, quod est juxta jus et antiquas religionum consuetudines. Hujus primæ probationis tempore ingrediens legit ac considerat instituti Societatis apostolica diplomata, constitutiones ac regulas tum ad majorem status quem assumit, cognitionem, tum ad probandum ipsius constantiam; deinde in spiritualibus meditationis ac pœnitentiæ actionibus exercetur, generalemque peccatorum suorum confessionem facit, et Eucharistiæ sacramentum sumit; et si ad gradum scholarium admittatur, probatur in iis quæ ad doctrinæ et ingenii specimen pertinent; si autem ad ministeria temporalia recipiatur, in iis quæ ad corporis vires pertinent, diutius superioris judicio juxta personarum varietatem probari solet.

Dico 2 : Impedimenta secundaria, quæ non omnino excludunt, sed personam minus idoneam ad Societatis ingressum reddunt, sunt hæc : tarditas ingenii, ac defectus memoriæ notabilis, obduratio in proprio sensu, natura ad virtutem difficilis, peccatorum habitus, indiscretæ devotiones, morbus,

debilitas, notabilis deformitas, et defectus integritatis corporis, vel legitimæ ætatis, nempe infra quindecim et supra quinquaginta annorum; æs alienum et civiles obligationes, etc.

CAPUT IV.

An recte et necessario requiratur biennium novitiatus in Societate.

Dico 1 : Biennium novitiatus, quod requirit Societas, non est quid novum, sed ex antiquitate sumptum : nam antiqui in Ægypto monachi solebant novitios per tres annos probare; et Justinianus imperator in authentica *De monachis*, in *Novellis*, tit. 10, biennium ad professionem exigit; ac Basilius in suis Regulis vult novitium tanto tempore esse probandum, quanto judicabitur sufficere. Præsertim autem in Societate visum est requiri biennium novitiatus ob speciales causas : 1° quia cum Societas vitam activam et contemplativam profiteatur, debent novitii in illa sufficienter instrui et fundari; 2° quia novitii statim post novitiatum vel intense studiis, vel externis actionibus occupantur, etc. Denique pontifices et concilium Tridentinum hoc probationis biennium approbarunt.

Dico 2 : Societatis novitiatus inchoatur statim atque quis ingreditur et recipitur in novitium. In Societate, sicut in aliis religionibus, ad faciendam validam professionem necessario requiritur annus integer probationis qui non interrumpitur per plures annos intercedentes inter dictam professionem et novitiatum; de anno requisito ad facienda Societatis vota simplicia, dicetur postea. Istud vero integrum biennium non videtur absolute in Societate necessarium ad valorem professionis, vel cujuscunque alterius incorporationis. Hinc generalis posset in hoc biennio dispensare; non autem provincialis, licet vix aut nunquam dispenset. Tria vota quæ interdum privatim novitii faciunt ex devotione ante expletum biennium, non sunt Societatis vota, quæ verum religiosum constituunt, quia nec publice fiunt, nec a Societate admittuntur; ideoque tam libere potest illos dimittere ac si nihil vovissent : quo casu talia vota cessabunt, nisi fuisset alia expressa voventis intentio, qualis præsertim posset esse quoad castitatem. Itaque non requiritur necessario continuatio biennii in novitiatu ad valorem subsequentis incorporationis, sed sufficit unius anni.

CAPUT V.

De experimentis novitiatus.

Dico 1 : Novitius sexto quoque biennii mense debet legere eam instituti partem quæ necessariam ac sufficientem notitiam ei possit afferre, nempe pontificia diplomata, regulas generales et communes, constitutiones, vel saltem earum compendium, item examinari a magistro novitiorum hac super re, confessionem generalem ab ultima præcedente facere, integramque suæ conscientiæ rationem reddere. Hæc tamen omnia non sunt probationi essentialia.

Dico 2 : Præter hæc, sunt alia sex experimenta : 1° novitius debet in exercitiis spiritualibus per unum mensem, plus minusve versari; 2° per mensem alium servire in uno vel pluribus xenodochiis, prout unicuique fuerit injunctum; 3° per mensem alium peregrinari sine pecunia, ostiatim mendicando pro Christi amore; 4° in variis abjectis et humilibus culinæ, refectorii, ægrorum curæ officiis, aliisque ejusmodi domesticis ministeriis occupari; 5° in tradenda pueris et rudioribus hominibus doctrina Christiana pro singulorum captu, temporumque ac locorum opportunitate exerceri; 6° item in ministeriis prædicandi et confessiones audiendi exerceri : hoc tamen non tam pro novitiis quam pro tertiam probationem facientibus intelligitur.

Dico 3 : Novitii in Societate habent separatam ab aliis religiosis habitationem, et ordinarie domum distinctam, ut possint sic melius educari; nam nec in domibus professis nec in collegiis, quorum exercitia novitiis non quadrant, non possunt satis recte instrui. Qui ficto animo Societatem ingreditur, vere novitius dici nequit. Probabiliter tamen si postea mutet intentionem fictumque animum deponat, præcedens probatio retrotrahi ac ratificari posset ad faciendam validam professionem; quia experimentum assumptum non omnino transit, sed permanet, et illud est quod principaliter per talem probationem intenditur. Tota admittendi et dimittendi novitios potestas est penes generalem, sed quasi ordinario jure ab illo communicata est provincialibus.

LIBER III.

De admissione scholarium in Societatem per vota simplicia, eorumque dimissione.

CAPP. I, II.

An sit licitus et sanctus receptionis modus, quo scholastici in Societatem admittuntur.

Nota 1 : Ad utilitatem et conservationem Societatis necessarium fuit recipere juvenes, qui optimis litteris in ea prius imbuantur quam ad ejus ministeria applicentur, uti olim juxta varia concilia, erant domus in diœcesibus deputatæ ad educandos in virtute et litteris juvenes, ex quibus boni clerici et Ecclesiæ utiles possent assumi.

Nota 2 : Conveniens ac moraliter necessarium fuit tum ex parte religionis, tum ex parte ipsorum scholarium, ut hi per tria substantialia religionis vota substantialiter forent Societati conjuncti et

cum pollicitatione sese amplius cum illa conjungendi aut eam profitendi quando et quomodo juberentur.

Nota 3 : Hæc vota ex parte voventis fiunt cum intentione se obligandi in perpetuum ad vivendum et moriendum in Societate sub ejus obedientia; ex parte vero Societatis seu religionis solum admittit acceptando voventis traditionem et obligationem, non tamen se obligando ad ipsum voventem retinendum semper, sed tantum quantum generalis eum in Societate retinendum censuerit.

Dico : Hoc receptionis genus quo scholares vere uniuntur religioni seu Societati tanquam vera ejus membra, medium statum inter novitiatum et gradum professorum habentia, est licitum et sanctum tam ex parte religiosi quam ex parte religionis, ut patet ex bullis pontificum illud distincte et sigillatim approbantibus. Probatur : 1° *ex parte religiosi* seu voventis, quia ipse nulli facit injuriam, neque peccat in alium; neque in se ipsum, est enim sui juris; neque contra aliquam virtutem operatur. Ergo, etc. 2° *Ex parte religionis*, 1. quia cum religiosus sciens et videns velit sic contrahere, et se donare, et quidem post varia examina, religio non facit illi injuriam, acceptando ejus contractum. Sicut dominus non facit injuriam servo qui se vendidit in perpetuum, dum illum liberum dimittit. 2. Nec peccat contra charitatem, quia charitatis ordo est, ut servata justitia, unusquisque consulat magis suo proprio bono, quam alieno, et maxime si proprium bonum sit commune, quale hic est bonum religionis. 3. Unde spectat ad commune Societatis et Ecclesiæ bonum, ut Societas habeat istam retinendi aut dimittendi facultatem, licet interdum inde sequantur privata ac particularia quædam incommoda.

Objicies 1 : Talis vivendi modus non potest esse stabilis ac perpetuus, quod maxime necessarium est ad vitam religiosam. Respondeo : Nego assumptum. Habet enim moralem firmitatem, sufficientem ad statum humanum; et ad religiosum statum non est necessarium ut causæ omnes sint omnino invariabiles, sed sufficit habere talem stabilitatem, ut sine grandi causa et nisi per potestatem publicam seu in virtute ejus mutari non possit.

Obj. 2 : Cum tali religionem profitendi modo, personæ Deo semel dicatæ interdum ad sæculum revertuntur, matrimonium ineunt, etc. Respondeo : Distinguo assumptum. Ad sæculum redeunt manente statu religioso, nego; sublato, concedo. Cum enim liberæ a votis religionis dimittantur, aufertur quasi forma qua erant res Deo consecratæ; mediante autem ejusmodi mutatione, res Deo semel dicata potest ad profanos usus converti, ut alibi dictum est.

Obj. 3 : Possunt interdum intervenire fictiones aut fraudes ex parte voventium sive ante sive post vota. Respondeo : Nihil hoc facit ad improbandam institutionem, quia hi sunt quidam hominum ab usus qui in rebus etiam sacratissimis admiscentur.

Obj. 4 : Possunt etiam intervenire injustitiæ ex parte prælatorum religionis istos religiosos dimittentium. Respondeo : Si hoc aliquid probaret, sequeretur nunquam hominibus esse committendam potestatem ad regendam rempublicam, quia homines facile abutuntur sua potestate. Neque hoc sane in Societate timendum est, ob maximam in iis dimittendis cautelam, et quia solus generalis potest eos dimittere.

CAPP. III, IV.

An hæc scholarium admissio in Societatem eos constituat veros religiosos.

Dico 1 : Per hanc receptionem et votorum emissionem, persona constituitur in vero ac proprio religioso statu : ista enim assertio ex professo definita est, declarata ac probata a Gregorio XIII, in bulla anni 1582, quæ incipit : *Quanto fructuosius et uberius;* postea in alia bulla anni 1584, quæ incipit : *Ascendente Domino*, contra pontificiæ doctrinæ impugnatores in quibus sæpius docet eos qui in Societate Jesu tria vota substantialia emiserunt, vere ac proprie religiosos esse, etiamsi illa vota sint simplicia, et non solemnia; quia in illa scholarium receptione, est vera traditio ex ipsorum parte per tria substantialia vota perpetua, facta in religione approbata, juxta formam ab Ecclesia confirmatam; et licet ex parte religionis non sit acceptatio absoluta et cum reciproca obligatione illos semper retinendi, tamen illa traditio et acceptatio non irrevocabilis sufficit ad constituendum statum vere religiosum sine ullo respectu ad futuram solemnem professionem, cum pontifex dicat in sua bulla : *Esse vere ac proprie religiosos non secus atque ipsos tum Societatis, tum quorumvis aliorum regularium ordinum professos.* Deinde ista votorum solemnitas est tantum ex institutione Ecclesiæ, sine qua potest stare verus religiosus status. Hinc

Dico 2 : Non tantum a tempore dictarum bullarum, sed etiam jam ante illud scholares Societatis, qui post ejus approbationem emiserunt ab initio dicta vota simplicia, semper fuerunt vere ac proprie religiosi, quia istæ bullæ non sunt juris seu status religiosi constitutivæ, sed declarativæ. Cum autem hæc declaratio sit in materia morum pertinente ad universalem Ecclesiæ doctrinam, pontifex juxta catholicos theologos non potest in ea errare, præcipue cum dicat in sua bulla : *Motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis;* insuper addit pœnam excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ in eos qui quovis colore, directe vel indirecte, id impugnare ausi fuerint. Et per aliam bullam Pauli III, non possunt dicti scholares transire ad alium religiosum ordinem, excepta Carthusia, sine præpositi generalis aut sedis apostolicæ licentia, sine qua irrita foret professio in alia religione facta. Si autem e religione fugiant, non

possunt nisi a Societate aut papa istius apostasiæ obtinere absolutionem, nec episcopi possunt in eorum votis dispensare; sed vota in sæculo facta, per hæc Societatis vota simplicia, si sint incompossibilia, ipso jure suspenduntur.

CAPP. V, VI.

Conditiones ex parte voventis requisitæ, ut hæc scholarium vota valide fiant; et an id dici possit professio.

Dico 1 : Si nomen *professio* sumatur pro unione cum religione approbata per substantialia religionis vota, et traditionem palam admissam, sic scholares Societatis possunt dici professi; secus vero, si sumatur pro traditione indissolubili per vota solemniter emissa, aut pro admissione per vota coadjutorum formatorum. Hinc in jure sub nomine professorum venire debent etiam scholares Societatis quoad favorabilia; sed quoad odiosa, si res de qua jus loquitur respiciat professionis solemnitatem, aut in ea fundetur, tunc sub nomine professionis seu professorum. non comprehenduntur; secus autem, si res illa de qua jus loquitur tantummodo respiciat statum religiosum ut sic, et professionem quatenus illum constituit.

Dico 2 : Conditiones ex parte voventis requisitæ ad valorem votorum simplicium in Societate hæ sunt. 1° Unus integer novitiatus annus; 2° expletus decimus sextus ætatis annus. Istas duas conditiones ad professionis valorem requirit concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 19), dicendo : *Professio autem antea facta, fit nulla;* et sub hoc nomine professionis videtur scholarium incorporatio in Societatem a concilio comprehendi; 3° et 4° ut ea vota non faciat ex metu cadente in constantem virum, aut per deceptionem vel per ignorantiam circa substantialia; 5° ut non sit servus; 6° ut non sit conjugatus; 7° ut non sit in episcopali dignitate constitutus; 8° ut non sit alterius religionis professione ligatus; 9° ut non teneatur subvenire parentibus graviter indigentibus. Hæc tamen conditio non irritam, sed illicitam reddit votorum emissionem; ac Societas licite potest scholarem dimittere a votis liberum ad subveniendum parentibus graviter egentibus, maxime quando istud erga parentes debitum antecessit ipsam incorporationem seu votorum emissionem; adest enim causa justa. 10° Ut non sit debitis oneratus aut rationibus reddendis obligatus. Sed hæc conditio posset interdum non impedire licitam scholaris admissionem, cum post vota simplicia sit adhuc capax adeundæ hæreditatis.

CAPP. VII, VIII.

Conditiones ex parte religionis requisitæ ut scholarium vota valide fiant.

Dico 1 : Hæ conditiones requiruntur : 1° ut religio sit approbata a sede apostolica, talis autem est Societas. 2° Ut hæc vota fiant coram illo qui habet potestatem admittendi in corpus Societatis juxta ipsius Constitutiones, juxta quas eam habet præpositus generalis, et ordinarie eam communicat provincialibus, potestque interdum communicari rectoribus, præpositis, aliisve personis Societatis, vel alicui etiam extra Societatem, v. gr. episcopo aut alteri personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, si alicubi Societatis persona deesset. Hinc patet admissionem in Societate non fieri per capitulum aut conventum provincialem, sed per unam solam personam quæ habet istam potestatem. 3° Ut is qui admittit vota emittentem, nomine religionis, liberum præstet consensum. Deinde in horum emissione servanda est forma a Constitutionibus præscripta.

Dico 2 : Ut prædicta vota fiant valide, debent expressa professione seu expressa incorporatione fieri; nam tacita professio seu incorporatio, per se loquendo et ordinarie, locum in Societate non habet, ut sentit Navarra, ob jus Societatis proprium et institutum diversum ab aliis religionibus; nam in Societate biennale novitiatus tempus potest prolongari juxta superioris arbitrium, qui donec expresse consentiat, non censetur quis incorporatus, maxime cum post Societatis novitiatum sint varii gradus ad quos novitius possit ac debeat determinari ab admittente. Deinde cum vota sexto quoque mense scholares expresse renovent, nullus ad hunc actum admittitur, qui prius expresse non fuerit incorporatus. Posset tamen per accidens contingere ut incorporatio tacita sufficeret, si v. gr. ante expletum decimum sextum annum irrita præcessisset exterior admissio expressa : et tunc in eo casu quoad forum externum videtur habere locum lex a concilio Tridentino statuta, ut intra quinquennium, sed non ultra, audiatur religiosus, qui prætenderit professionem suam fuisse nullam; sub professionis enim nomine ibi intelligi potest aut debet prædicta scholarium Societatis incorporatio.

CAPUT IX.

Quibus modis possint vota scholarium Societatis dissolvi.

Dico 1 : Non potest fieri valide commutatio status scholarium Societatis in quamcunque aliam religionem absque papæ licentia seu dispensatione.

Dico 2 : Ista vota scholarium possunt a papa auferri per dispensationem, potest enim solemnia sic auferre, multo ergo magis simplicia; sed gravior causa requiritur ut papa in his dispenset quam in simplici castitatis voto personæ sæcularis, minus tamen gravis quam ad dispensandum in professione solemni. Hinc nullus prælatus papa inferior in istis simplicibus Societatis votis potest dispensare, imo nec ipse Societatis generalis, quamvis possit illa irritare ut jam dicam; attamen Gregorius XIII, speciali indulto anni 1582, quod incipit : *Cum alias*, illi concessit ut quicunque suo subdito etiam professo posset ex legitima causa dare licentiam transeundi ad quamcunque aliam religionem, etiam laxiorem.

Dico 3 : Extra Societatem nemo præter papam

potest scholarium vota irritare; ipsa autem Societas potest. Quæ potestas primario residet in tota Societate dum est collecta in generali congregatione, et jure ordinario residet in præposito generali, in aliis vero inferioribus præpositis prout ab ipsa fuerit communicata. Imo in Societate non solum est potestas dimittendi inferiora membra, sed etiam solemniter professos; hi tamen non possunt dimitti a votis liberi, ideoque hæc dimissio non continet voti irritationem, sed separationem a Societatis convictu : sicuti possunt etiam aliarum religionum professi dimitti; alii vero in inferioribus gradibus constituti, ac præsertim scholares approbati, liberi a votis et vinculo religionis dimitti possunt. Atque hanc vocamus potestatem irritandi talia vota. Sed Societas non potest pro suo libitu illa irritare, sicuti pater potest filii impuberis vota (quia filii voluntas est inefficax ad se obligandum independenter a patris voluntate); requiritur enim legitima causa sive antecedens sive subsequens admissionem; sine qua irritatio votorum ac religiosi dimissio esset nulla, etiamsi ipsemet dimittendus consentiret, ut colligitur ex ipsis pontificum indultis, et Societatis declaratione; quia pro sola sua voluntate non potest rescindere traditionem Deo factam. Hinc dum dicitur in Const. part. v, c. 4 : *Liberum tamen esse Societati eos dimittere*, et in Exam. c. 7 : *Si Societas eos tenere volet*, intelligitur de libero arbitrio et voluntate qua Societas prudenter et ex justa causa vult aut non vult; non de solo absoluto arbitratu, et independenti a justa causa et a quavis conditione : imo ipsa ratio naturalis id dictat ac postulat.

—

LIBER IV.

De simplicibus castitatis, paupertatis et obedientiæ votis, quæ in Societate Jesu emittuntur.

—

CAPP. I, II.

An votum castitatis scholarium Societatis dirimat subsequens matrimonium, ac præcedens ratum.

Dico 1 : Hoc simplex castitatis votum ante Gregorii XIII constitutionem, quæ incipit : *Ascendente Domino*, impediebat quidem sed non irritabat subsequens matrimonium, quia inhabilitas ad subsequens matrimonium est tantum ex institutione Ecclesiæ, annexa voto castitatis : sed isti voto simplici castitatis nondum erat tunc annexa, non enim videtur hoc votum fuisse comprehensum sub declaratione Bonifacii VIII, in cap. unico *De voto*, in 6; quia ibi nomine *professionis* non includitur hæc traditio et acceptatio, seu incorporatio scholarium in Societate, pontifex siquidem loquitur de professione perfecta, et indissolubili. Jam vero post dictam constitutionem, istud votum quandiu durat, reddit personam inhabilem ad matrimonium contrahendum ob novum jus conditum, quod expresse habetur in illa constitutione. Cum enim pontifex dixisset neminem posse tollere istud votum præter summum pontificem, vel Societatem dimittendo personam, subdit : *Neque ante hujusmodi dimissionem matrimonium contrahere, quinimo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujusmodi nullos et irritos esse prout irritos facimus, et annullamus.* Quod decretum non tantum eos qui postea istud castitatis votum in Societate emissuri erant comprehendit, sed etiam eos qui tunc in Societate exsistentes jam prius illud emiserant. Potuisse autem pontificem hoc novum jus valide statuere ac stabilire nemo est qui dubitet, Ecclesia enim, ut definit concilium Tridentinum (sess. 24), potest matrimonii impedimenta irritantia augere vel minuere.

Dico 2 : Simplex castitatis votum, quod emittunt scholares in Societate juxta veriorem sententiam, non dirimit præcedens matrimonium ratum. (Sanchez, Vasquez, etc.) Probatur : 1° quia ante constitutionem Gregorii XIII : *Ascendente Domino* anni 1584, non dirimebat matrimonium subsequens; ergo tunc non etiam dirimebat præcedens ratum, quamvis jam tunc constitueret statum perfectionis ac vere religiosum; effectus enim dirimendi matrimonium non ex vi voti aut status oritur, sed ex institutione Ecclesiæ. 2° Post dictam constitutionem non videtur etiam illud dirimere, quia per illam nihil innovatum est circa hanc rem, sed tantum decrevit ut dirimeret deinceps matrimonium subsequens, nihil innovando circa præcedens ratum; sicut Ecclesia decrevit ut sacri ordinis votum, dirimeret matrimonium contrahendum, seu subsequens, non tamen ratum prius contractum : et maxime cum hoc votum etiam nunc maneat semper simplex, non solemne; si quis ergo nunc post matrimonium ratum in Societatem admittatur, statim post unum novitiatus annum debet admitti ad solemnem professionem, ut matrimonium ratum dirimat, alioqui non videtur admittendus; quia communi jure Ecclesiæ et consuetudine non potest uxor compelli ad exspectandum nisi per unum annum post religionis ingressum, possetque repetere suum maritum.

CAPUT III.

Quibus mediis juvet Societas subditos ad servandum castitatis votum.

Dico : Hæc sunt præcipua : 1° frequens oratio ac rerum cœlestium meditatio ad obtinendam divinam

gratiam; 2° manifestatio conscientiæ superiori pro vincendis tentationibus, valde usitata et commendata ab antiquis Patribus; 3° corporis maceratio per abstinentiam, per laborem ac occupationem convenientem, et per sensuum externorum moderationem; 4° circumspectio in colloquio cum feminis aut in litteris ad eas mittendis; 5° fuga nimiæ familiaritatis humanæque amicitiæ inter juvenes; 6° frequens usus confessionis et communionis.

CAPUT IV.

An religiosæ paupertatis votum scholarium Societatis reddat eos dominii incapaces.

Dico 1: Scholares Societatis per votum paupertatis quod emittunt, non fiunt inhabiles ad dominium et proprietatem bonorum temporalium vel retinendam vel de novo acquirendam, ut habetur in bulla Gregorii XIII: *Ascendente Domino;* adeoque licite possunt illorum proprietatem ac dominium aliquo tempore retinere, nempe quandiu a superiore illi renuntiare non jubentur; sed dum superior præscribit ac designat tempus ad relinquendum eorum dominium et possessionem, tunc statim obligantur ad abdicanda omnia non solum ex vi constitutionis quæ per se non obligat ad culpam, sed ex vi voti paupertatis quod per se obligat sub culpa mortali. Hinc retentio dominii illarum rerum quæ ante emissum votum possidebantur, est licita quandiu non præcipitur earum abdicatio, quia votum sub eo modo fit, et non aliter. Sed ut novi dominii acquisitio licita sit, oportet ut auctoritate et voluntate superioris acquiratur; si tamen acquiratur novum dominium rerum seu fructuum sine nova ipsius dominii acceptatione per solam novam rei exsistentiam, tunc non est necessaria positiva facultas a superiore concessa, quia ipso jure concessa est. Ista autem dominii capacitas non est quid repugnans statui religioso, quia dominii incapacitas, quæ ex voto solemni provenit, non est de essentia status religiosi. Hinc votum simplex illam non inducit; religiosus dicitur civiliter mortuus magis affectu quam ipsa reali rerum renuntiatione. Unde

Dico 2: Hoc paupertatis explicatæ votum scholarium Societatis est sufficientissimum ad constituendum verum statum religiosum, nihilque in tali statu obstat perfectioni acquirendæ, ut probatur ex bulla Gregorii XIII. Et ratio est quia paupertas non habet determinatam pro omnibus religionibus mensuram, sed proportionatam uniuscujusque religionis fini, et ex antiquorum monachorum exemplo confirmatur: ideo enim paupertas confert ad acquirendam perfectionem, quia rerum humanarum tollit curam, et vitat pericula, quæ ex hac cura oriri solent, minuitque affectum: atqui hæc omnia prædictæ scholarium paupertati conveniunt; ergo, etc. Deinde faciendo hoc votum vovent etiam se a se abdicaturos omnem bonorum proprietatem ac dominium, cum primum jussi fuerint.

CAPP. V, VI.

De facienda a scholaribus suorum bonorum distributione juxta regulam et votum.

Dico 1: Regula præscribit scholaribus, ut sua bona non donent consanguineis aut affinibus quatenus tales sunt, ob tres præcipue rationes: 1ª est ut inordinatus erga parentes affectus vitetur; 2ª ut distributio non fiat inordinate; 3ª ut omnis fiducia quæ in parentum opibus collocari possit tollatur et in Deum transferatur. Interdum tamen expedire illa eis donare assero: 1° si ipsi indigeant; 2° si sic vitentur rixæ, inimicitiæ, scandala, lites, etc. Quando autem non est locus ea consanguineis distribuendi, tunc juxta propriam devotionem possunt ea in pia opera dispensare; prius tamen solutis debitis, si quæ sint. Societas autem in hæc bona distribuenda nullum jus habet, sed si vere indigeat, non erit huic constitutioni contrarium suam indigentiam proponere volenti sua bona distribuere.

Dico 2: Hujusmodi scholares ex vi voti tenentur in his rebus non usurpare proprietarium usum; sive tenentur non uti istis rebus juxta propriam suam auctoritatem et voluntatem, sed juxta superioris voluntatem aut regulam. Unde qui res suas distribuunt aut se illis abdicant sine superioris facultate, peccant contra votum paupertatis, maxime dum fit distributio in opera profana, ad quam videtur requiri peculiaris superioris directio; sed si fiat in opera pia, etiamsi non postuletur peculiaris superioris directio, cum illius facultate videtur licita, non obstante paupertatis voto. Hinc alienationes aut dispositiones ab iis factæ de propriis bonis sine superioris licentia, licet ipso facto non sint nullæ, sed validæ spectato naturæ jure: sunt enim illorum domini, et voluntarie illa donant, nullumque jus sive commune, sive speciale Societatis ejusmodi donationes irritat; tamen sunt infirmæ et irritabiles per voluntatem superioris, quia religiosus non est sui juris, sed alieni per votum obedientiæ, neque habet voluntatem ad transferendum dominium sufficientem. Idem dic, si quis ejusmodi scholaris conderet testamentum sine facultate superioris.

CAPUT VII.

De variis paupertatis observantiis in Societate juxta regulam.

Dico: Hæ observantiæ paupertatis juxta regulam, aliæ sunt circa usum negativum, aliæ circa positivum. Circa usum negativum: 1ª est nihil privatim habere in cubiculis de rebus ad cibum et potum spectantibus; 2ª dum quid hujusmodi alicui in particulari mittitur, convertendum esse in usum communem; 3ª præterea quæ ad actualem corporis usum requiruntur, nihil habere in cubiculis, spectans ad vestitum; 4ª non habere librorum congeriem alio secum exportandam; 5ª nihil habere a privatis, clavi obseratum; 6ª pro ministeriis spiritualibus nullum posse stipendium accipere; 7ª nihil quamvis mini-

mum dare vel accipere mutuo inter domesticos aut externos. Jam vero circa paupertatis positivum usum, variæ sunt constitutiones, in quibus speciales circumstantiæ et actus ad paupertatis perfectionem pertinentes commendantur, v. gr. amplecti viliora, rerum necessariarum defectum experiri, mendicare, etc.

CAPUT VIII.

Ad quem paupertatis usum obligentur iidem religiosi ex vi voti.

Dico : Omnis usus rei ut propriæ prohibetur; quando autem res accipitur tantum ad brevem usum, quo ista res non consumitur, tunc licet ipsa res sit pretiosa, ordinarie tamen culpa est levis, v. gr. commodare librum, manuscripta, etc., quia materia culpæ ibi non est ipsa res, sed ejus usus, qui, ordinarie loquendo, est quid leve. Jam vero circa ea quæ in capite præcedente diximus, sic religiosi ex vi voti obligantur : 1° quoad quatuor primas observantias, nihil eorum quæ ibi recensentur, possunt accipere vel occulte tenere, vel de uno loco ad alium transferre sine superioris licentia tacita vel expressa, cum ea rite obtenta possunt. 2° Circa quintam observantiam de usu clavis, idem dicendum est; id est cum facultate licet, sine ea non licet. 3° Circa sextam, sitne contra votum paupertatis recipere aliquid stipendii præcise pro ministeriis, adeoque peccatum mortale ubi est materia gravis; valde agitatum est ac discussum in utramque partem in secunda congregatione generali, ac tandem statutum ut ista constitutio gravissima de non accipiendo stipendio pro ministeriis, etc., diligenter observaretur, ita ut in quinta congregatione generali (decr. 1) prohibeatur ipsimet præposito generali in ea dispensare. 4° Circa septimam nil occurrit addendum quoad obligationem in conscientia, præter generales regulas datas de voto paupertatis. Quæ vero adduntur circa positivum paupertatis usum, ordinarie magis ad perfectionem, quam ad rigorosam obligationem pertinent.

CAPP. IX, X.

De paupertate domuum professarum Societatis propria.

Dico 1 : Domus professæ Societatis sunt incapaces omnis dominii bonorum immobilium, etiam in communi, ex prima bulla Pauli III. Possunt tamen habere dominium in communi rerum mobilium, quas ad actualem usum possident, uti et rei immobilis quæ solum ad habitationem, vel ad alium ejusmodi usum, v. gr. ad recreationem religiosis necessariam, inserviunt, non vero ad reditus et proventus ex quibus religiosi sustententur; adeoque non possunt habere certos et stabiles reditus ad quascunque expensas, sive ædificiorum domus, sive fabricæ templi, sive sacristiæ, sive sustentationis tam professorum, quam omnium aliorum, qui eos adjuvant vel in spiritualibus vel in temporalibus, quemcunque Societatis gradum teneant, etiam novitii et famuli. Unde

Dico 2 : Domus professæ nullos possunt habere census aut reditus annuos, nec ullum proprium jus sive civile sive naturale ad illos, aut ad aliquas pensiones temporales, v. gr. sex, aut quinque annorum, acquirere; nec ullas possessiones, domos, vineas, agros, hortos, etc., habere exceptis hisce quas possunt habere : 1° domum ordinariam in qua habitent religiosi, cum ecclesia ad sacra mysteria celebranda, et cum horto contiguo ad quotidianum religiosorum usum. 2° Aliam domum separatam cum horto ad extraordinarium religiosorum usum, id est ad aliquod corporis et spiritus levamen; fructus aut olera ex hujusmodi locis provenientia possunt in usum domus converti, sed non in alium; omnis enim alia utilitas ex illis prohibita est in p. VI Const., cap. 20. Item non possunt habere possessionum usumfructum, etiamsi foret absque illorum dominio aut proprietate, vel jus utendi : purum tamen jus facti, sive nudus facti usus non est prohibitus nec istarum domuum paupertati repugnat. Denique si domui professæ legatum non habens conditionem adjunctam paupertati ejus repugnantem aut iniquam, cum conditione vel sine conditione ut in Societatis utilitatem convertatur eo modo quo licite poterit, relinquatur, validum est legatum, et a Societate acceptari potest ad usum suæ paupertati convenientem, illud nempe si sit bonum immobile, vendendo, etc.

Dico 3 : Hic perfectæ paupertatis modus valde convenit Societati, utpote vitam contemplativam et activam profitenti; quia, juxta D. Thomam, perfectius est ut religio, quæ ad contemplandum et ad contemplata aliis tradendum instituta est, paupertatem in communi profiteatur; maximam enim sollicitudinem in spiritualibus profitetur, ideoque assumere debet eum vivendi modum, qui minimam sollicitudinem in temporalibus contineat : in administratione siquidem bonorum immobilium, quæ necessaria est ad eorum conservationem, defensionem, fructificationem, fructuum perceptionem, venditionem, commutationem, longe major sollicitudo reperitur, quam in procuratione eleemosynarum ad vivendum necessariarum, uti id probatur Christi et apostolorum exemplo. Nec huic vivendi modo clericalis habitus Societatis adversatur, nec ob id minuitur libertas ac efficacia prædicandi verbum Dei. Cæterum juxta Constitutiones Societatis, hæ domus professæ debent esse parvo numero, nec possunt collegiorum aut domuum probationis bonis uti, nisi in his tribus casibus : 1° in rebus minimis : nam hæ pro nihilo habentur. 2° Professi, qui senio confecti aut infirmitate gravati in vinea Domini laborare non valent, habitare in collegiis et eorum reditibus ali possunt. 3° Item si collegiis sint necessarii vel ad litterarum officia, vel ad eorum regimen.

CAPUT XI.

De paupertate collegiorum et domuum probationis Societatis.

Dico 1 : Collegia et domus probationis Societatis non profitentur paupertatem in communi tum quoad bona mobilia tum quoad immobilia aut reditus, eorumque sunt capacia ; imo sine his sufficientibus ad moderatam religiosorum sustentationem in eo numero qui pro cujusque collegii aut domus probationis qualitate, ministeriis ac disciplina, juxta concilium Tridentinum (sess. 25, cap 3), requiruntur, admitti aut fundari non debent, ut habetur ex bullis pontificiis et ex Societatis Constitutionibus : cum enim ista collegia instituta sint ut essent quædam Societatis professæ seminaria ad amplectenda litterarum studia simul cum pietate, ideo merito provisum est ut sufficienter reditus ad vitæ necessaria haberent, ne earum rerum sollicitudo quietem ad studium et pietatem necessariam impediret.

Dico 2 : Collegia et domus probationis Societatis tenentur servare specialem paupertatis modum in suorum bonorum administratione, hæc enim non est in ipsis collegiis ac domibus probationis primo et principaliter, sed est penes Societatem professam et generalem, cujus nomine ista bona administrantur.

Dico 3 : Eadem collegia et domus sunt capaces hæreditatis, ita ut ipso jure succedant religiosis qui vota Societatis in eis emiserunt, prout aliæ religiones habentes bona in communi, solent succedere, ut supra dictum est ; nec possunt reditus aut eleemosynas admittere intuitu spiritualium operum, aut sub speciali obligatione ea præstandi, v. gr. missas, sepulcralia, stipendia, etc. Imo et commendatur moderatio in eleemosynis quibusdam accipiendis.

CAPUT XII.

An ex voto obedientiæ possint obligari religiosi Societatis in quacunque materia honesta.

Dico 1 : Prælati Societatis, sicuti aliarum religionum prælati, possunt præcipere suis religiosis sub culpa etiam gravi pro materiæ qualitate per duplicem potestatem ; nempe potestatem dominativam ex vi voti obedientiæ religiosæ, et per potestatem spiritualis jurisdictionis ex vi subjectionis religiosæ. Ex potestate dominativa oritur obligatio religionis vi voti ; ex potestate jurisdictionis oritur obligatio obedientiæ vel alterius virtutis, in qua actus præceptus ponitur per suam materiam, vi subjectionis. Non agimus hic de potestate jurisdictionis et ejus actu ac obligatione, sed de potestate dominativa ex vi voti obligante. Quare

Dico 2 : Materia hujus voti in Societate est amplissima : sic enim sanctus Ignatius (parte IX *Constit.*, c. 3, § 20) explicat præpositi generalis potestatem : *Generatim loquendo in omnibus rebus quæ ad propositum Societati finem perfectionis, ad auxilium proximorum et ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in virtute obedientiæ possit.* Quidquid igitur honestum et simul aptum est ad istum Societatis finem, sub obligatione voti potest præcipere ; non vero omne aliud quod ad istum finem non pertinet : non enim videtur data esse superioribus major potestas, tam ex intentione voventium, quam ex intentione instituentium et approbantium Societatis institutum. An autem ii qui quartum professorum votum non emiserunt, possint ex rigore præcepti obedientiæ obligari ad obeundas difficiles missiones, quales sunt inter Indos et alios infideles, quidquid sit de aliis religiosis, existimo omnes veros Societatis religiosos posse in virtute sanctæ obedientiæ ad has missiones, per se loquendo, et seclusis accidentalibus circumstantiis et casibus particularibus, obligari ; quia videtur hoc satis expressum in Constitutionibus Societatis (part. IX, capp. 3, 5, 9) ; et quia hæ missiones sunt valde congruæ et necessariæ ad finem Societatis. Non tamen hinc infero posse etiam præcipi omnes alias actiones et peregrinationes, quamvis minus difficiles ; non enim illæ ad finem et institutum Societatis semper possunt conducere.

CAPP. XIII, XIV, XV.

De perfectionibus obedientiæ in Societate ad consilium, non ad necessitatem præcepti, pertinentibus.

Nota : In obedientia tria concurrunt : exsecutio rei jussæ, voluntas eam exsequendi, et judicium intellectus imperantis istam exsecutionem et voluntatem. Quare de his tribus dicamus.

Dico 1 : Exsecutio quidem rei jussæ, est quidem obligatoria et de præcepto obedientiæ, sed modus exsequendi est de consilio ; et hujus perfectiones sunt exsequi rem vel ad solum superioris nutum sine expresso præcepto, sine præmissa excusatione, sine mora, diligenter, accurate, integre.

Dico 2 : Voluntas exsequendi quidem præcise quod præceptum est, sufficit ad non violandum obediendi præceptum ; sed ut sit specificus obedientiæ actus debet velle exsequi, quia præceptum est, seu ex formali obediendi motivo : atque hæc voluntas est de substantia obedientiæ. Nunc de ejus perfectione, quæ ad consilium pertinet ; atque hæc est : 1° pura et formalis intentio obediendi ob præcepti obligationem, et ob implendam superioris voluntatem, vel potius Dei in illa inclusam ; 2° libenter et sine ulla affectione contraria præceptum exsequi ; 3° affici erga rem præceptam ; 4° bene etiam affici erga prælatum præcipientem.

Dico 3 : Obedientiæ perfectio ex parte intellectus, est ut obediatur superiori, non ut homini, sed ut Deo, et ut sit cæca ; quod utrumque est conforme Scripturæ et Patrum dictis. Cum autem voluntas in agendo seu in obediendo dependeat ab intellectu illuminante, dirigente et objectum proponente ; hinc quo major erit intellectus attentio, plenior

alienæ aut contrariæ cogitationis carentia, altior consideratio, eo perfectior erit voluntatis obedientis actio, seu obedientia perfectior ex parte intellectus; idcirco consideratio Dei in superiore præcipiente tanquam ejus præceptum a Deo egrederetur, non est falsa apprehensio, sed vera mentis elevatio ad supremum motivum ob quod homini obeditur, sive ob divinam voluntatem et auctoritatem; nec religiosus sic obediendo judicat superiorem falli non posse vel ignorantia vel ex pravo affectu, sed in eo quod credit non esse malum nec inutile ad finem intentum, se sinit dirigi ac regi auctoritate superioris, conformando suum judicium illius judicio, ex fide quidem humana, sed fundata in spe divinæ Providentiæ erga superiorem præcipientem. In dubio autem an id quod præcipitur, sit licitum, necne, ordinarie, juxta doctores, standum est superioris judicio, deponendo dubium sive negativum sive positivum, modo istius obedientiæ materia non judicetur intrinsece mala. Hinc patet quomodo sit exhibenda superiori obedientia cæca, non inquirendo curiose rationes et causas præcepti, nec nitendo propriæ prudentiæ; sed per prudentiam spiritualem et supernaturalem sinendo se regi judicio superioris. Atque hic modus obediendi non tantum rectus et sanctus est, sed etiam ita placet Deo, ut interdum etiam in materia seu actione de se illicita ob sanctam obedientis simplicitatem, per miracula illum approbarit.

CAPP. XVI, XVII.

De promissione ingrediendi Societatem quam scholares approbati faciunt simul cum tribus votis substantialibus.

Nota: Postquam scholaris Societatis tria vota religionis emisit, subdit: *Et promitto eamdem Societatem me ingressurum ut vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones.*

Dico 1: Ista promissio est verum ac proprium votum a tribus primis distinctum, uti declaravit congregatio quinta generalis (can. 2). Fit enim ista promissio Deo, ejusque materia est omnino distincta a tribus primis votis; ergo, etc. Deinde hoc votum est eorum statui conveniens, ut patet ex bullis pontificum; est enim de meliori bono, et de majori perfectione in eodem statu religionis; et est utile, quia cum nondum exsistant in termino religiosi status, sintque adhuc in via ad illum, si id votum non facerent, volentes permanere in assumpto gradu, non possent ad ulterius progrediendum, et ad alium assumendum cogi.

Dico 2: Scholares Societatis ex vi hujus voti seu promissionis non tenentur quidem procurare prædictum Societatis ingressum sive ulteriorem, quamvis simpliciter id facere non prohibeantur, et interdum possint debito modo illum postulare, aut ejus exsecutionem in memoriam revocare, sed tenentur gradum a superiore præscriptum ac determinatum acceptare, sive sit professorum, sive sit coadjutorum formatorum, uti declaratum est in septima congregatione generali (can. 15). Si vero scholari approbato assignaretur temporalium coadjutorum gradus, quamvis ad majorem perfectionem, ex vi regulæ in Exam. (cap. 1, § 11) dicentis: *Omnes qui recipiuntur in Societate, debere, quantum ex parte sua est, ingredi indifferentes, ut in quocunque gradu ejus, arbitrio superioris, constituantur*, teneretur eum acceptare; præcise tamen ex vi sui voti seu promissionis, an sub obligatione teneretur illum acceptare, non satis res certa apparet, nisi a principio fuisset sub ista specifica conditione in dubio admissus. Quod coadjutorem spiritualem formatum attinet, hic adhuc potest, volente generali, transire ad gradum professorum. Denique scholaris si per modum gratiæ tantum ad ulteriorem gradum, v. gr. professorum invitetur, potest eum recusare sine suæ promissionis violatione, quia cum offeratur ut gratia ac favor, non datur invito; secus autem quando istum ulteriorem ei acceptandum injungit gradum ex ipsius voti obligatione: quod tunc fit, quandocunque superior ex definita voluntate et quasi decreto illum injungit, etiamsi obedientiæ præceptum non imponat; tunc enim votum seu promissio ingredi Societatem statim obligat, quia conditio in ea inclusa impletur, id est superior qui habet potestatem istum ingressum postulat; ita tamen statim obligat, ut semper detur locus semel atque iterum recurrendi ad eumdem superiorem, et proponendi si quid occurrerit, uti expresse habetur in septima congregatione supra citata.

—

LIBER V

De scholasticis ac studiis Societatis Jesu tam domesticis quam externis.

—

CAPUT PRIMUM.

An rite in Societate designetur aliquis religiosorum gradus ad litteras perdiscendas.

Dico 1: Certum est, et videtur de fide, studia litterarum saltem sacrarum statui religioso maxime congruere: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII, 66). *Quia tu scientiam repulisti, repellam te* (*Osee* IV, 6). Idque confirmatur ex Hieronymo, Cassiano, Eusebio, etc. Ratio est quia litterarum studium, præsertim sacrarum, est

necessarium ad perfectionem vitæ tam activæ quam passivæ. Hinc

Dico 2 : In statu religioso, cujus finis est non solum contemplari, sed etiam contemplata aliis tradere, necessaria est non vulgaris scientia ; ad hoc enim perfecta rerum omnium quæ ad fidem et mores pertinent notitia requiritur ; adeoque opus est ut ejusmodi religiosi isti notitiæ ac scientiæ perfecte acquirendæ in suo statu incumbant, maxime dum adhuc juvenes sunt, quia illa ætas magis studiis est apta. Ideo

Dico 3 : Convenientissime in Societate institutus est prior aliquis religionis gradus, in quo religiosi juvenes præcipue litteris simul cum pietate vacent : sic enim litteræ sunt instrumenta virtutis et actionum ad salutem animarum relatarum ; nec a Dei contemplatione mentem avocant, tempusque quod illis impenditur nihil religionis perfectioni officit, imo ipsi antiqui monachi etiam litterarum studium plurimum colebant.

CAPP. II, III.

An litterarum humaniorum et linguarum philosophiæque studia religiosis Societatis conveniant, et rite instituta sint.

Dico 1 : Humaniorum litterarum, linguarum et liberalium artium eruditio maxime utilis ac necessaria est Evangelii operariis, ut videre est in sancto Paulo, Augustino, Hieronymo, Athanasio, Basilio, etc. ; nec statui religioso repugnat, nam Augustinus, Hieronymus aliique doctores istis litteris instructissimi, ipsi fuerunt religiosi. Hinc juniores Societatis religiosos, priusquam theologiæ scholasticæ studiis aut sacræ Scripturæ interpretationi ac intelligentiæ incumbant, decet istis inferioribus litteris, rhetorica, dialectica, philosophia, linguæ Latinæ, Græcæ ac Hebraicæ præcipue studiis ad confutandos hæreticos diligenter ac plene instrui.

Dico 2 : Ad prædictæ doctrinæ addiscendæ progressum institutus est optimus ordo incipiendo a studio linguæ Latinæ ac philosophiæ antequam sacræ doctrinæ vacetur ; commendatur iis sancta diligentia, et scopus sublimis proponitur : id est, non curiositas, quæstus, vanitas, aut inanis gloria, sed propria et aliena salus. Ac deinde apta ad faciendum in doctrina progressum subsidia, sive corporalia, v. gr. collegiorum reditus pro sustentatione, bibliotheca, papyrus, etc ; sive spiritualia, v. gr. recta intentio, pietatis exercitia, eruditi professores, vigilantes superiores, etc., constituta sunt.

CAPP. IV, V.

De publicis Societatis scholis, et suscepta puerorum instructione.

Dico 1 : Omisso errore Licinii imperatoris, Juliani apostatæ, Wicleffi, Lutheri, qui scholas publicas tanquam perniciosas damnarunt, non tantum contra fidem et universalem Ecclesiæ consensun ac traditionem, sed etiam contra naturalem rationem et experientiam, certum est illas esse reipublicæ Christianæ utilissimas ac necessarias ; deinde certum est etiam munus docendi in istis scholis publicis ac universitatibus posse optime convenire statui religioso, et hoc munus in magnam Ecclesiæ utilitatem fuisse a Societate assumptum : cum olim fuisse ejusmodi doctrinam a viris religiosis frequentius traditam publice constet, ut etiam nunc testantur eorum scripta ac historiæ. Unde infertur potuisse optime institui religionem quæ inter suas alias actiones munus docendi publice in Ecclesia quascunque doctrinas statui religioso accommodatas susciperet, imo et proprias universitates sub suo magisterio ac regimine ad defendendam Ecclesiam haberet ex pontificia commissione. Sed quamvis Societas proprias possit habere universitates et collegia in quibus tam suos quam externos discipulos istas scientias publice doceat, non tamen prohibetur ex vi sui instituti, quominus in universitatibus generalibus idem ministerium possit admittere, si servata paupertate quam profitetur et exclusis omnis ambitionis et negotiationis sæcularis occasionibus, ei offeratur. Imo nostri professores possunt in illis gradum litterarium et locum accipere, modo non fiant sumptus qui pauperes non deceant.

Dico 2 : Non est novum nec alienum a religioso statu docere pueros quascunque inferiores disciplinas, quæ sint quasi principia vel fundamenta perfectioris doctrinæ, ut constat ex Patribus et antiquis historiis puerorum instructionem tanquam piam et Ecclesiæ valde utilem fuisse a viris religiosis susceptam ; hocque officium non indecorum tempore opportuno a Societate peculiari cura assumptum est tanquam suæ institutioni ac fini consentaneum.

CAPUT VI.

De convenientibus subsidiis quibus Societas utitur ad externorum scholarium institutionem.

Nota : Duo sunt quæ in scholarium institutione requiruntur : profectus in doctrina et virtute. Ad hæc duo consequenda Societas adhibet apta subsidia, quæ sunt hæc sequentia.

Dico 1 : Subsidia quæ ad virtutem acquirendam adhibet Societas in suis gymnasiis, hæc sunt : menstrua peccatorum confessio, quotidiana missæ auditio, Christianæ doctrinæ traditio, piæ exhortationes, oratio in scholæ initio, librorum prælegendorum, qui nihil bonis moribus noxium contineant, delectus, etc.

Dico 2 : Subsidia ad doctrinæ progressum hæc sunt : magistrorum eruditio, vigilantia et diligentia, ordo ac methodus tum in doctrina tradenda, tum in disputationibus, compositionibus, publicisque ac privatis exercitationibus scholasticis habendis, punitio ac correctio delinquentium, præmium proficientium ac diligentiorum, etc.

LIBER VI.

De professione quæ in Societate Jesu fit, ac de iis quæ illam antecedunt et consequuntur.

CAPUT PRIMUM.

An professio in Societate convenienter per longum tempus differatur.

Dico : Justissimis de causis tempus solemnis professionis in Societatis instituto non est certa lege definitum ob varias causas et conditiones ad eam requisitas; ad professionem enim quatuor votorum requiritur jure ordinario sacerdotium, ætas ad minimum viginti quinque annorum, non mediocris in litteris eruditio, et in virtute ac moribus conspicuis magna probatio. Hoc autem tempus dicitur in Examine (cap. 1, 4) debere esse ad minimum ultra biennium, quod ad multos annos ordinarie prolongatur, licet interdum statim post biennium possit quis ob causas valde speciales admitti ad professionem quatuor votorum ; sed ad solemnem trium votorum professionem requiruntur septem anni religionis ad minimum, in p. v Const., cap. 7, nempe de lege ordinaria. Quot vero anni ultra biennium novitiatus debeant intercedere ante solemnem professionem, nil Societas determinavit ; sed tantum declaravit eos qui ad professionem admittendi sunt debere esse in vita ac moribus diu probatos : ordinarie post biennium requiritur saltem totum studiorum tempus. Sic Societas potest melius et certius cognoscere suorum religiosorum promovendorum doctrinam, mores, vitam, etc. ; ipsique religiosi toto isto diuturnæ probationis tempore cautius vivunt, exactius regulam observant, vigilantius se continent ; adeoque ista probationis diuturnitas et religioni et religiosis valde utilis est, ac convenit ; atque apostolica approbatione munita est. Nec est quid novum, cum Cassianus (lib. IV *De inst. renunt.*, cap. 3, 7, 8) indicet probationem juniorum ad monachatum per multa experimenta consuevisse fieri, nulla temporis determinatione adhibita, etc.

CAPP. II, III.

De tertio probationis anno ante professionem, et de voto obedientiæ circa puerorum instructionem.

Dico 1 : Scholares in Societate studiis absolutis, antequam vel professi vel coadjutores spirituales formati fiant, debent tertium probationis annum agere, qui tamen non est de substantia vel omnino necessarius ad valorem professionis, quia nec in Constitutionibus Societatis, nec in bulla pontificis ulla necessitas indicatur ; nec biennium probationis, ut supra diximus, est de substantia professionis, sed ad hujus valorem solummodo unus integer annus, juxta concilium Tridentinum, requiritur. Iste igitur tertius annus tantum ex vi regulæ requiritur, adeoque in hoc potest generalis dispensare. Hic annus transigendus est in variis devotionis et humilitatis exercitiis et spiritualibus instructionibus, etc., ad acquirendam summam virtutum perfectionem ante professionis emissionem.

Dico 2 : In forma professionis solemnis sive quatuor sive trium votorum additur specialis quædam voti obedientiæ determinatio circa puerorum eruditionem his verbis : *Et secundum eam* (nempe obedientiam quæ vovetur) *peculiarem curam circa puerorum eruditionem*, etc. ; seu vovetur suscipere curam erudiendi pueros ac rudes quando a superiore jubebitur : hoc enim ministerium specialiter in forma voti obedientiæ exprimitur tanquam unum ex præcipuis ministeriis majori cum cura ac diligentia exercendis, etiamsi id fiat non tam propter novam obligationem contrahendam, quam propter ministerium commendandum ; uti dicitur sic (part. v Constit., cap. 3) : *Promissio docendorum puerorum ac rudium hominum juxta litteras apostolicas et Constitutiones non inducit aliam obligationem quam reliqua spiritualia exercitia quæ ad auxilium proximorum adhibentur, cujusmodi sunt confessiones*, etc.

CAPUT IV.

De voto obedientiæ erga summum pontificem quod professi Societatis emittunt circa missiones.

Nota : Dum professi Societatis emittunt sua tria vota solemnia, addunt hoc quartum : *Insuper promitto specialem obedientiam summo pontifici circa missiones, prout in iisdem litteris apostolicis et Constitutionibus continetur.* Materia autem hujus voti in Exam. (cap. 1, § 5) sic exprimitur : *Professa Societas præter tria vota, votum facit expressum summo pontifici*, etc., *ad proficiscendum sine excusatione non petito viatico, quocunque gentium ejus Sanctitas jusserit, inter fideles et infideles, ad res quæ ad divinum cultum et religionis Christianæ bonum spectant.* Unde sub hoc votum cadunt hæc sequentia : proficisci quocunque jusserit pontifex, etiam ad Indias pro rebus quæ ad divinum cultum et Christianæ religionis pertinent bonum, non exspectato aut petito viatico, id est non detrectando missionem ob viatici carentiam ; sine tergiversatione aut excusatione, nempe sine excusatione voluntatis, quæ includit absolutum decretum non eundi : non vero sine excusatione rationis, quæ in sola rationabilis impedimenti expositione consistit ; et manere ubi jusserit, ibique diligenter ac strenue functiones ob quas mittitur peragere, id est spiritualia ministeria Societatis propria exercere ; ac redire ab eo loco, si jussus a papa fuerit. Hinc

Dico 1 : Ejusmodi votum est pium et sanctum ; est enim de re optima, et ob optimum finem, quia per illud unice intenditur commune Ecclesiæ bonum, proximorum salus, fidei defensio ac propagatio : estque distinctum a voto obedientiæ puræ monachorum, qui non videntur ex vi obedientiæ, sicut professi Societatis ex vi sui voti quarti, obligari ad eundum in Indias, vel in Turciam, quoties a pontifice jussi fuerint. An autem religiosi aliarum

religionum Mendicantium ad id obligarentur ex vi sui voti obedientiæ, si a papa juberentur, posset esse dubium.

Dico 2 : Probabile est hoc votum non tantum fieri ad majorem humilitatem, mortificationem, et propriæ voluntatis abnegationem, sed etiam addere majorem obligationem quasi intensivam ob specialem promissionem talis materiæ specificatæ, et tali quidem personæ, id est papæ factam; etiamsi forte non addat extensivam, id est non addat obligationem diversæ rationis ac virtutis, aut ad novos actus non extendatur. Quinimo probabiliter defendi potest addere novam aliquam obligationem ex parte materiæ, ita ut in aliquibus casibus possit hoc votum obligare professos ad aliquid, in quibus alii ex vi generalis voti obedientiæ præcise non obligarentur, v. gr. proficisci ad missiones Indicas, sine petito viatico, sine excusatione, etc. Unde professi sub gravi obligatione tenentur semper esse parati ad obediendum circa missiones, ad actualem vero obligationem videtur requiri præceptum, sicut in aliis rebus ad generale obedientiæ votum spectantibus.

Dico 3 : Solemnitatem hujus voti probabile est consistere in traditione ex utraque parte irrevocabili adjuncta promissioni quam facit de seipso profitens, quoad hunc missionum effectum.

CAPUT V.

De modo emittendi professionem in Societate.

Dico 1 : Substantialis forma professionis ex parte profitentis, est emissio votorum dicendo : *Ego N. professionem facio, et promitto omnipotenti Deo*, etc., *perpetuam castitatem, paupertatem, obedientiam, et secundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem*, etc. *Insuper promitto specialem obedientiam summo pontifici circa missiones*, etc. Ex parte autem acceptantis, est potestas quæ jure ordinario residet in solo generali; nec eam debet delegare generatim provincialibus, nisi forte pro Indiis, sed eam delegat pro singulis personis.

Dico 2 : Quoad accidentalem professionis normam, hæc sunt : 1° prærequiritur defensio thesium philosophiæ ac theologiæ quatuor argumentantibus, cum doctrinæ sufficientia; triduo ostiatim mendicare, spiritualia exercitia facere. 2° Professio facienda est coram domesticis et externis qui missæ sacrificio interfuerint; et præmittitur missæ sacrificium publice ab eo qui professionem admissurus est : finitoque sacrificio habens in manibus venerabile Sacramentum, vertit se ad illum qui professionem emissurus est, et sic illius professionem audit. 3° Is qui professionem emissurus est, dicta confessione generali, voce alta prædictam professionis formam ex scripto legit, qua finita, SS. Eucharistiæ sacramentum sumit de manibus ejus qui professionem admittit, et scriptam accipit professionem e professi manu, in signum acceptationis, quamvis ista scriptæ professionis acceptio non sit de necessitate, sed de consuetudine.

CAPUT VI.

De voto simplici non relaxandi paupertatem quæ in Societate vovetur.

Nota : Peracta prædicta professione, professus separatim in sacristia vel in alio simili loco coram eodem superiore vel alio sacerdote qui professionem acceptavit, et aliquibus domesticis, et interdum nonnullis externis, alia quinque vota simplicia emittit, de quibus sigillatim dicemus. Nunc de primo non assentiendi paupertatis relaxationi, quo professus promittit Deo se nunquam acturum quacunque ratione vel consensurum ut quæ ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur, nisi quando ex justa causa rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis. Circa quod

Dico 1 : Finis hujus voti est ut firmus religionis murus, quem naturæ humanæ hostis semper nititur labefactare, integer servetur, id est paupertas; ejus materia, est nec procurare, nec consentire ut in ipso paupertatis jure, quod Societas sancivit, relaxatio fiat. Ejus obligatio est negatio qua duæ actiones sunt vetitæ : 1° Si contingeret in congregatione generali agi de hoc puncto, ferre suffragium ut paupertas relaxetur; 2° quocunque modo procurare ut talis relaxatio fiat; adeoque hoc votum est pure negativum, obligatque tantum ad non agendum. Si autem in aliquo eventu dubitaret an expediret ejusmodi relaxationem facere, non videtur fore contra hoc votum rem ipsam discutere, rationes in utramque partem et quid probabilius appareret, proponere, totamque dubitationem et ejus rationes summo pontifici exponere, ut ipse statueret quod toti religioni magis congruere judicaret. Attamen si papa motu proprio ejusmodi paupertatis relaxationem concederet, probabilius arbitror professos non teneri istam concessionem non acceptare, quia nihil procurant, nec sunt causa istius mutationis.

Dico 2 : Hujus voti obligatio non tantum extenditur ad non relaxandam professorum et domuum professarum paupertatem, sed etiam ad non relaxanda ea quæ pertinent ad paupertatem scholarium, collegiorum et probationis domuum, ut patet ex voti formula.

CAPP. VII, VIII.

De voto non ambiendi dignitates, quod Societatis professi emittunt.

Nota : Hujus voti forma est hæc : *Præterea promitto nunquam me acturum vel prætensurum, ne indirecte quidem, ut in aliquam prælationem vel dignitatem in Societate eligar aut promovear. Promitto præterea nunquam me curaturum prætensurumve extra Societatem prælationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia ejus qui mihi præcipere potest sub pœna peccati.*

Dico 1 : Si juxta quosdam doctores, illicitum sit appetere aut procurare episcopalem aliamve præla-

tionem, utpote quid ad ambitionem vel præsumptionem pertinens, tunc clarum est votum non ambiendi nec procurandi istam rem illicitam esse optimum; sed licet supponamus ambire aut procurare aliquam prælationem esse rem indifferentem, tamen illam non procurare ob justum ac sanctum finem, quo honestetur, est laudabile ac bonum, imo et melius; adeoque votum de eo est optimum. Hoc vero votum non violatur, dum quis solo affectu et appetitu interno desiderat prælationem, quamvis posset in hoc aliunde peccare, quia desiderare præcise non est *prætendere*, *procurare*, aut *agere* aliquid ad illam obtinendam; adeoque in voto non continetur. Imo facere aliquid ex hoc desiderio quod solum ordinatur ad majorem ipsius desiderantis capacitatem aut dignitatem, v. gr. diligentius studiis vacare, etc., nondum videtur esse etiam indirecta prætensio, modo absit exterior negotiatio aut inductio ad prælationem obtinendam.

Dico 2 : Nomine *prælationis* aut *dignitatis* in hoc voto intelligitur quæcunque dignitas ecclesiastica, aut munus ratione sui habens propriam et spiritualem jurisdictionem in subditos, v. gr. extra Societatem episcopatus, cardinalatus, etc., et intra Societatem munus generalis, provincialis, præpositi et rectoris collegii aut domus probationis, item vicarii generalis, commissarii seu visitatoris; non tamen officium ministri, magistri novitiorum, nec officium concionandi, docendi, gradus magisterii aut doctoratus, etc., sed probabiliter sub hoc voto comprehenditur etiam munus electoris in congregatione generali ad eligendum generalem. De electione in procuratorem pro congregatione procuratorum, forte non videtur idem dicendum. Quoad pœnam hujus voti transgressoribus impositam, hæc est pro iis qui intra Societatem directe vel indirecte prælationem procurant : incapacitas et inhabilitas ad quamvis prælationem intra eamdem Societatem, nempe post sententiam criminis declaratoriam ; pro iis qui dignitatem extra Societatem ambiverint, nulla pœna designata habetur.

Dico 3 : Votum etiam quod professi Societatis faciunt non acceptandi dignitatem extra Societatem, nisi coacti obedientia ejus qui eis præcipere potest sub pœna peccati, non tantum, juxta D. Thomam, ex objecto est laudabile, quia episcopalis aut alius ejusmodi status, licet perfectus, est periculosus, ideoque multi sancti eum recusaverunt ac fugerunt, sed etiam Societati est maxime congruum, ut non privetur præstantioribus subditis; et licet in rebus ordinariis perfectius ac melius sit ad nutum sine expresso præcepto obedire, non tamen in gravioribus, in quibus vel animæ periculum, vel proprii honoris ac commodi affectus timeri potest; ideoque melius est non acceptare sine expresso præcepto.

CAPUT IX.

De voto quod professi Societatis emittunt, audiendi consilia generalis, si fiant episcopi.

Dico 1 : Licet religiosus professus ad episcopatum assumptus ab obedientia prælati cujusvis regularis sit liber, solique papæ subjiciatur, tamen semper eget consiliis et rectis admonitionibus, maxime in animarum regimine, ideoque vovet se nunquam detrectaturum generalis consilium, seque illud secuturum, si melius et gratius Deo esse judicaverit; adeoque tenetur ex vi hujus voti audire consilium quod vel præpositus generalis per se, vel alius ab eo substitutus dare dignabitur in iis quæ vel ad propriæ animæ salutem, vel ad debitam episcopalis muneris administrationem pertinent; non vero in aliis, v. gr. in studiis, bonis temporalibus, etc., secundum se spectatis, paratusque esse ad illud sequendum, si judicaverit esse melius, quam quod sibi in mentem venerit. Non tenetur tamen generalis speciali obligatione illud dare, nisi ex ordinaria charitatis lege.

Dico 2 : Professus Societatis jam factus episcopus, aut cardinalis, liber est a voti obligatione non procurandi dignitatem vel prælationem, aut non eam acceptandi sine præcepto, per subtractionem materiæ : quia hujus voti materia non est ambitio vel procuratio dignitatis absolute sumpta, sed respective ; id est respectu ejus qui adhuc permanet in puro religioso Societatis statu, ita ut sensus hujus voti sit, non procurandi vel acceptandi transitum e religione ad talem dignitatem; facto autem semel transitu, evacuata est voti materia, quia omnis alius transitus jam non est ejusdem rationis. Hinc episcopus aut cardinalis Societatis non peccat contra hoc votum procurando aliam majorem dignitatem, vel acceptando illam sine præcepto, quia jam non est hujus voti materia ; imo si simplex religiosus professus immediate ad papatum deligeretur, aut sui electionem procuraret, videtur probabilius non facturus contra istud votum , quia intentio istius voti solum videtur dirigi ad prælationes particulares, et a tota religione condistinctas, non vero ad illam universalissimam dignitatem supra omnem religionem, ipsamque etiam Societatem. Unde si contingeret ejusmodi professum fieri papam, non teneretur amplius voto audiendi consilia generalis Societatis, et illis parendi, si meliora judicaret ; quia pontificalis dignitas, ut dixi, sub hoc voto non comprehenditur. Denique nullus e Societate, ut habetur part. III Const., cap. 3, § 13, potest admittere dignitatem extra Societatem (nempe prima vice, et excepto papatu), sine facultate generalis, nec generalis potest illam dare, nisi sedis apostolicæ obedientia illum compellat, nec ipsemet generalis potest ejusmodi dignitatem acceptare sine consensu Societatis, uti habetur part. IX Const., cap. 4, 5. Ac Societas non debet dare consensum, sed exspectare pontificis præceptum, quod sub peccato obliget. (*Ibid.*)

CAPUT X.

De alio voto quod professi Societatis emittunt manifestandi procurantes dignitatem.

Nota : Forma hujus voti hæc est : *Tum si quem*

sciam aliquid prædictorum duorum curare vel prætendere (nempe prælationem aut dignitatem intra vel extra Societatem), *promitto illum remque totam me manifestaturum Societati vel præposito ejus.* Hinc

Dico 1 : Hoc votum et sanctum et utile est Societati, approbatum est enim per bullas pontificum. Et ratio est, quia deferre peccatum subditi ad superiorem, maxime quando in commune detrimentum vergit, per se et ex objecto bonum est, dummodo debito fine et circumstantiis vestiatur. Materia hujus voti remota est peccatum mortale ambitionis in procuranda dignitate intra vel extra Societatem; proxima est simplex istius peccati manifestatio. Sed debet haberi de illo notitia certa certitudine morali. Non est tamen opus rem fuisse visam aut proprio experimento cognitam; sed si certa fides humana per testimonia fide digna habeatur, sufficiet. Si vero delictum sit præteritum, nec sit nunc amplius morale periculum in illud recidendi, tunc videtur cessare obligatio illud manifestandi.

Dico 2 : Non tantum est obligatio ex vi voti manifestandi prædictum delictum, quando est publicum, sed etiam quando aliquis sub communi naturali secreto illud novit per solam relationem seu narrationem delinquentis vel alterius, aut quando ipse solus id novit per certam scientiam seu visionem, aut quando præter ipsum unus alius solus novit : quia bonum commune privato præferendum est, et aliquale privatæ personæ nocumentum contemnendum est ad majus communitatis damnum vitandum. Quando tamen per solam secretam consultationem, in ordine ad delinquentis animæ remedium et salutare consilium petendum, id cognoscit, tunc votum non obligare ad manifestandum, nec licitam esse ejusmodi secreti revelationem existimo.

Dico 3 : Ante prædictæ ambitionis denuntiationem, per se non est contra votum præmittere secretam admonitionem : si enim perfecta emendatio obtineatur sine relapsus periculo, jam manifestatio non erit necessaria; nec est contra votum exspectare materiæ mutationem, qua facta, cesset ejus obligatio. Attamen non est obligatio admonitionem præmittere, sicut ordo fraternæ correctionis solet exigere, quia hic non est correctio fraterna; et in voto nihil de hoc ordine servando agitur, sed de communi bono et ejus remedio.

Dico 4 : Professus Societatis ex vi sui voti videtur obligari tantum ad denuntiandum delinquentes eos religiosos qui fecerunt istud votum non procurandi dignitatem aut prælationem; non vero illos qui id non fecerunt, v. gr. scholares approbatos Societatis, qui istud votum nondum emiserunt, ut colligitur ex ipsis voti verbis. Sicut ergo scholares approbati non tenentur ex speciali voto denuntiare professum in hoc delinquentem, sed solum ex communi regula et lege charitatis, ita nec professi tenentur ex suo voto denuntiare scholares in hoc delinquentes, sed solum ex eadem regula et lege charitatis.

CAPUT XI.

Cur hæc supradicta vota simplicia sint et non solemnia.

Dico : Esse simplicia, quia 1° tam ex voventis quam ex Societatis intentione fiunt tanquam simplicia, qualia a Societate censentur in Constitutionibus et a Gregorio XIII vocantur in sua bulla *Ascendente;* ideoque non mutant votorum simplicium naturam, licet coram prælato et in præsentia multorum fiant. 2° Hæc vota sunt omnino de futuro, nec participant traditionem de præsenti; nec per se ac proxime ad illam confirmandam, sicut tria vota substantialia, ordinantur. 3° Hæc vota non fiunt tanquam essentialiter necessaria ad professionem et ad finem instituti Societatis, sed tanquam secundario conducentia ad hujus instituti conservationem. Unde illorum materia non continet media per se ordinata ac simpliciter necessaria ad finem Societatis, sed ad aliqua impedimenta removenda, idque ipse modus illa emittendi declarat.

—

LIBER VII.

De professis trium votorum, et coadjutoribus formatis Societatis.

—

CAPUT PRIMUM.

De professis trium votorum.

Dico 1 : Juxta Societatis institutum magnopere decuit aliquos sacerdotes per tria tantum vota incorporari religioni, ut in eo gradu ac statu perpetuo maneant, uti patet ex bullis pontificum et Societatis Constitutionibus; quia in professis quatuor votorum multa dona non tantum virtutum sed etiam doctrinæ eximiæ requiruntur, quæ in aliis omnibus nequeunt reperiri : ideoque pro tot Societatis ministeriis, quibus soli professi non possunt sufficere, constituendi fuerunt sacerdotes in inferiori religionis gradu, ut illa simul obirent, v. gr. ut sacramenta administrarent, officia rectoris collegiorum, domuum probationis, procuratoris, etc., exercerent. Præterea ex his etiam sacerdotibus, qui quartum professorum votum non emittunt, expediens fuit aliquos ad solemnem trium votorum professionem admittere tum ob speciales causas non parvi momenti, tum quia omnes dotes quæ ad emittendum quartum votum requiruntur, in eis non reperiuntur prout in bullis pontificum approbatum est. Quamvis hic gradus non sit quasi diversus a gradu coadjutorum spiritualium, sitque tantum quædam

specialis in eo exceptio, multa tamen particularia ad eum requiruntur; nempe ut admittendus per septennium vixerit in Societate, eximium vitæ specimen præbuerit, specialia talenta aut merita habeat, etc.

Dico 2 : Hi professi trium votorum jure ordinario non possunt esse provinciales, nec præpositi domuum professarum : possunt tamen esse rectores collegiorum, et domuum probationis. Multo minus possunt esse generales; imo ad generalis electionem activum suffragium non habent, nec in generalis assistentes creantur, neque vocantur ad congregationem provincialem, nec in procuratores pro tota provincia Romam ad triennalem congregationem mittendos eliguntur.

CAPUT II.

De coadjutoribus spiritualibus Societatis.

Dico 1 : Hi spirituales coadjutores per tria tantum vota simplicia ultimate Societati incorporantur, specialemque gradum in ea constituunt, ut habetur in Constitutionibus, et qui approbatur in bullis pontificum. Hæc vota dicuntur et sunt simplicia, quia cum voti solemnitas ex institutione Ecclesiæ pendeat, hæc ut simplicia tantum, non ut solemnia Ecclesia approbavit; emittunturque tam ex voventium quam ex Societatis intentione ut simplicia : non fiunt enim ut perpetua absolute ex utraque parte. Ex parte quidem voventium fiunt perpetua absolute, sed ex parte Societatis habent subintellectam conditionem, ut durent tantum quandiu Societas eos judicaverit retinendos, reservando sibi libertatem illos a votis liberos dimittendi, in aliquo raro casu, et ob causas gravissimas. Vota autem solemnia sunt utrinque absoluta et immutabilia; dirimuntque præcedens matrimonium ratum, quem effectum non habent prædicta vota simplicia; atque hæc gradus religiosorum diversitas magnam affert Societati utilitatem, et nulli spirituale detrimentum.

Dico 2 · Hæc vota coadjutorum spiritualium quoad varios effectus morales differunt a votis scholarium : nam 1° scholares per sua vota constituuntur in via; coadjutores spirituales per sua constituuntur in termino. 2° Coadjutores spirituales fiunt incapaces dominii et inhabiles ad hæreditates; secus vero scholares. 3° Coadjutores spirituales longe strictiori modo uniti sunt quam scholares; et longe graviores causæ requiruntur ad illos, quam ad hos dimittendos. 4° Vota coadjutorum spiritualium publice in ecclesia vel sacello coram domesticis et externis, et in manibus alicujus qui illa admittit, fiunt, non vero vota scholarium : pro illis etiam requiritur diuturnior probatio quam pro his, major eruditio, sacerdotium, etc. Et quoad hæc, conveniunt etiam vota professorum trium tantum votorum cum votis coadjutorum spiritualium; differunt autem in hoc quod vota professorum trium votorum sint solemnia, et ad illa emittenda prærequiratur septennium in Societate; coadjutorum vero spiritualium sint simplicia; et ad illa emittenda nullum sit præscriptum tempus. Deinde coadjutores spirituales non emittunt alia quinque vota simplicia, quæ professi quatuor votorum emittunt, illa vero emittunt professi trium votorum.

CAPP. III, IV

De coadjutoribus temporalibus Societatis, et variis Societatis gradibus.

Dico 1 : Ultimus in Societate personarum gradus est coadjutorum temporalium, qui cum alii Societatis operarii vel in ministeriis spiritualibus vel in studiis occupentur, eos in rebus quæ ad victum, vestitum, habitationem, aliosque manuum labores pertinent, sublevant; ideoque solummodo tot, quot sunt ad hæc munia exercenda necessarii, recipiendi sunt; et qui habeant aptas ad hunc Societatis finem tum corporis tum animi dotes, eligendi. Quam sit perfectus hic coadjutorum gradus, collige : 1° Ex parte votorum, quæ non differunt a votis scholarium approbatorum, vel coadjutorum spiritualium formatorum, post biennium enim novitiatus faciunt eadem vota quæ scholares; et post decennium ordinarie aut aliud tempus a superiore determinatum, rursus emittunt eadem vota quæ coadjutores spirituales emittunt. 2° Ex parte finis et actionum ad quas eorum status ordinatur; participant enim præcipuam vitæ contemplativæ partem, vacando quotidie piis orationis mentalis et vocalis exercitiis, frequentando sæpe sacramenta, labores manuum exercendo, qui animum a cogitatione Dei non multum distrahant; ista graduum diversitas non erat in antiquis monachis, quia omnes fere erant laici, et in corporalibus laboribus versabantur.

Dico 2 : Ex dictis colligitur tres tantum personarum ordines esse in Societate, quorum diversitas si ex votis desumatur, sunt scholares approbati, coadjutores formati, professi; si ex ministeriis, sunt scholares, operarii spirituales, coadjutores temporales; atque ita sunt etiam tres classes ingredientium seu novitiorum, imo et quatuor, si addatur classis *indifferentium*, id est eorum qui recipiuntur indefinite ad eum gradum quem superior, expleto novitiatus biennio, determinabit.

LIBER VIII.

De mediis, quibus Societas ad propriam perfectionem acquirendam utitur.

CAPP. I, II

De oratione mentali et vocali in Societate.

Dico 1 : Mentalia exercitia, quæ sunt examen conscientiæ, lectio spiritualis, oratio mentalis, in Societate non sunt sub præcepto rigoroso, sed sub regula non obligante sub peccato. Ex regula igitur

tenentur religiosi Societatis bis quotidie per horæ quadrantem examinare conscientiam, quotidie lectionem spiritualem facere, singulis diebus per horam et singulis annis per octo aut decem dies mentali orationi vacare.

Dico 2: Singuli Societatis religiosi non tantum ad nullam orationem vocalem ex rigoroso ejus præcepto obligantur præter missam et officium canonicum, ad quod sacris initiati aliunde obligantur; sed nec etiam ex regula specialiter. Quamvis enim ex antiqua Societatis consuetudine soleant quotidie recitari litaniæ a tota communitate, id tamen nulla constitutione aut regula est præscriptum; nec ista pia consuetudo inducit obligationem, nec potest præscribere contra Societatis institutum. Insuper qui litaniis communitatis sive cum causa sive absque causa non adest, non tenetur eas privatim postea recitare, quia occasio jam transacta est, et istius recitationis materia præteriit.

Dico 3: Dum injunguntur dicendæ orationes pro defunctis, vel pro fundatoribus, vel pro aliis causis aut necessitatibus fortuito occurrentibus, illarum obligatio non transcendit obligationem simplicis regulæ vel obedientiæ. Idem probabilius dic de orationibus (uti et de missis) quæ pro fundatoribus collegiorum fieri præcipiuntur in part. IV Constit. cap. 1, aut domuum professarum in can. 18 congregationis tertiæ, quia acceptatur solum fundatio juxta Constitutiones et sub ea tantum obligatione quæ ab eis imponitur. Idem a fortiori dicendum est de aliis suffragiis quæ pro benefactoribus vel pro Societate, aliisve rebus fieri præcipiuntur. Qui autem præscripto tempore, v. gr. hebdomada vel mense talem orationem vel suffragium voluntarie omisit, videtur adhuc idem obligationis regulæ vel obedientiæ genus habere, donec illud impleverit, nisi in casu particulari finis præcepti omnino cessaverit.

Dico 4: Religiosus Societatis etiam professus, si sacris non sit initiatus, non tenetur ex vi suæ professionis divinum officium recitare, ut colligitur ex bullis pontificiis; clarum autem est eum teneri ex vi sacerdotii vel sacræ ordinationis, si sacris sit initiatus. Pro anteponendis aut postponendis horis canonicis in earum recitatione plura sunt concessa a pontificibus privilegia.

APP. III, IV.

De missæ sacrificio, communione et confessione.

Dico 1: Societas suis commendat quotidianam missæ celebrationem, modique interni devotionem et externi decentiam. Missarum dicendarum obligatio est tantum ex regula; nisi accepta esset aliqua ecclesia, quæ Societati unita fuisset cum onere quarumdam missarum celebrandarum; tunc enim hæ dicendæ forent ex obligatione justitiæ. Privilegia concessa anteponendi celebrationem missæ recitationi Matutini, et celebrandi privatim ante auroram vel post meridiem, nil pene aliud magis quam jus commune concedunt. Religiosi autem Societatis, qui sacerdotes non sunt, debent quotidie missæ decenter interesse, et ad minimum octavo quoque die communicare.

Dico 2: Omnes qui sacerdotes non sunt debent ex vi regulæ octavo quoque die confiteri, uti et sacerdotes ad minimum octavo quoque die; imo his consulitur ut sæpius in hebdomada confiteantur. In ingressu autem Societatis debet fieri generalis totius vitæ confessio, et postea usque ad ultimorum votorum emissionem sexto quoque mense, ab ultima generali inchoando. Post hanc votorum emissionem quotannis generalis annua, incipiendo ab ultima annua generali. Similia statuta circa confessiones generales in ordine Carthusiæ et sancti Hieronymi reperiuntur.

CAPUT V.

De peccatorum reservatione quæ in Societate datur.

Dico: Propria et specialis peccatorum reservatio est consentanea regulæ et Constitutionibus Societatis, maxime ut sit quoddam frenum quo se vigilantius contineant in officio religiosi in tantis periculis sæpius expositi; nec est nimia ejus materia, cum juxta formam a Clemente VIII præscriptam electa sit, imo apud Carthusianos omne peccatum certo mortale est superiori reservatum: sed ut nimia pœnitentis difficultas vitetur, potest superior et interdum debet dare facultatem alteri absolvendi eum a reservatis. Deinde superior nullo modo illa pœnitentis notitia per confessionem peccatorum habita, sive ad illius sive ad aliorum regimen, uti potest. Præterea in Societate nulla datur regula quæ jubeat subditos confiteri superiori, præter peccata reservata; nec tantum Societas id servat, sed etiam nulli nunc licet alteri religioni cogere subditos ad confitendum superiori præter reservata post decretum Clementis VIII, de casibus reservatis religiosorum, in quo sic dicit: *Non liceat regularibus superioribus confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserunt, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint.*

CAPP. VI, VII, VIII.

De perfectione divinæ charitatis, et fraterna charitate in Societate.

Dico 1: Hoc præcipuum in Societate commendatur, ut omnia ad majorem Dei gloriam fiant, quod summopere sancto Ignatio fuit familiare, utque omnes in perfecta fraternæ charitatis unione vivant; atque ad hanc fraternam charitatem et concordiam conservandam, multa sunt media tum negativa tum positiva, aut subsidia constituta. Quare

Dico 2: Media negativa pro fraternæ charitatis conservatione in regulis dantur hæc: non seminare discordias, non sentire sinistre de aliis nationibus, nihil privata auctoritate aliis imperare, alios

charitative quidem monere, sed non arguere, cum alio non contendere; aut opinionum diversitas, quantum fieri potest, non permittenda sive in speculatione, sive in praxi; non habere privatas affectiones, et nimias familiaritates cum aliorum fastidio et fuga.

Dico 3: Media positiva pro eadem charitate fraterna hæc sunt: alia interna, ut sunt unio inter se in Christo, oratio, consideratio donorum cœlestium in aliis; alia externa, ut sunt uniformitas in victu, vestitu, omnique vivendi modo, mutua charitas et singularis ægrotorum ac infirmorum cura, amica hospitalitas erga quosvis Societatis religiosos hospites cum liberalitate bene ordinata, quotidianum stata hora inter religiosos colloquium ad fovendam charitatem et ad conservandam sanitatem idoneum, mutua communicatio inter absentes per litteras, communis cura alterius profectus.

CAPUT IX.

De mediis quibus Societas utitur ad acquirendas virtutes solidas.

Dico: Ad veras et solidas virtutes, quas tantopere sanctus Ignatius commendat, acquirendas, hæc præcipue media seu subsidia adhibet; exactam trium votorum observationem, frequentem orationem, aliosque religionis actus, charitatis exercitia erga proximum, fugam dignitatum et honorificorum officiorum, æqualem vivendi modum, nullum acquirendo jus antecessionis aut præeminentiæ ex antiquitate aut ex muniis, sive in victu aut vestitu, sive in privilegiis aut exemptionibus, interna et externa humilitatis exercitia non solum novitiatus studiorum, tertiæ probationis tempore, sed etiam reliquo totius vitæ spatio; denique omnium sensuum externorum mortificationem singularibus monitis commendatissimam.

—

LIBER IX.

De ministeriis seu mediis quibus in proximorum salutem utitur Societas.

—

CAPUT PRIMUM.

De ministerio prædicandi verbum Dei.

Dico 1: Religiosi Societatis licite possunt prædicare verbum Dei ex bulla Pauli III *Cum inter cunctas*, anni 1545, aliisque pontificiis concessionibus; ad hoc enim ministerium in Ecclesia licite exsequendum, opus est debita facultate, ita ut in cap. *Excommunicamus*, § *Quia vero* de hæreticis, excommunicentur omnes qui præter auctoritatem ab apostolica sede vel catholico episcopo loci concessam publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumunt; nemo enim licite prædicare potest, nisi mittatur. Dum hoc prædicandi verbum Dei privilegium Societati concedit pontifex, intelligitur semper si non abnuerint episcopi aut parochi respective, maxime cum Gregorius XIII, in particulari privilegio quod anno 1575 concessit ejusdem Societatis religiosis, ut semel approbati ab aliquo ordinario, et a suis superioribus deputati, possint iter agentes libere ubique prædicare, addiderit has duas restrictiones: *Dummodo id non faciant in ipsis oppidis aut locis in quibus ordinarii exsistunt; nisi eorum licentia desuper obtenta, non repugnantibus tamen curatis parochialium ecclesiarum.* Verumtamen ad prædicandum in templis nostris, juxta concilium Tridentinum (sess. 5, cap. 2), sufficit sola præsentatio coram episcopo non contradicente; sed in aliis templis, juxta idem concilium Tridentinum (*Ibid.*), necessaria est licentia obtenta, *sine qua*, inquit, *in ipsis ecclesiis non suorum ordinum, nullo modo prædicare possunt.*

Dico 2: Facultas pontificis Societati concessa ad prædicandum verbum Dei, a Paulo III intelligitur de omnibus Societatis religiosis clericis, etiam de iis qui nondum sunt sacris initiati, modo habeant primam tonsuram: sic enim Gregorius XIII in posteriori bulla dicit: *Vobis insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout huc usque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo prædicare.* Hinc mere laici, primam non habentes tonsuram, non videntur posse prædicare publice in ecclesia, vel in alio loco, in quo fit convocatio fidelium ad verbum Dei pro concione audiendum; catechesim tamen tradere, et doctrinæ Christianæ instructionem, aut aliquid ejusmodi, non est prohibitum laicis, neque est per se indecens, præsertim religiosis. Atque hoc privilegium etiam ad Societatis novitios extenditur, quia in favorabilibus veniunt sub nomine *religiosi.*

Dico 3: Munus hoc prædicandi postulat idoneitatem, id est doctrinam sufficientem et probitatem in prædicante; facultas autem prædicandi habetur a superiore, nempe vel a generali, vel jure ordinario a provinciali, qui potest suam potestatem delegare rectori, saltem in casibus particularibus. Deinde prædicta bulla anni 1545, dat facultatem *in quibusvis ecclesiis et locis ac plateis communibus seu publicis, ubique locorum clero et populo verbum Dei prædicandi*, etc. Nec hoc est novum aut indecens in plateis ac in locis profanis concionari, id enim prophetæ, Christus, apostoli, multique recentiores sancti, Antonius Paduanus, Vincentius Ferrerius cum magno fructu præstitere; idque insuper approbatur pontificia auctoritate. Quoad vero concionandi tempus, Benedictus XI, in extrav. *Inter cunctas*, dans Minoribus concionandi facultatem dicit quidem: *Hora illa duntaxat excepta, in qua locorum prælati præ-*

dicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari, in qua prædicare cessabunt. Sed ex vi hujus juris non videtur limitata facultas postea Societati concessa a Paulo III, quia ipsa naturalis ratio et debitus ordo postulat ut in eo casu inferior non utatur tali privilegio, quo nec licet uti si episcopus quovis modo contradicat; nam concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 4) dicit : *Nullus autem sæcularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat.*

Dico 4 : Paulus III, in prædicta bulla, dat facultatem prædicandi verbum Dei clero et populo, sive toti Ecclesiæ publice et ex officio, ita ut Societatis religiosus possit exercere istud munus tanquam publicus totius Ecclesiæ doctor : suisque verbis insinuat ejusmodi prædicationis finem, nempe proximi ædificationem, et ad bene beateque vivendum exhortationem, simulque media suggerit quibus iste finis obtineatur, nimirum dicere utiliter et apposite ad auditorem, ac vitia prudenter increpare.

CAPUT II.

De administratione sacramenti pœnitentiæ.

Dico 1 : Per bullas anni 1545 et 1549 Pauli III datur facultas audiendi confessiones presbyteris Societatis, nempe nunc prævia episcopi approbatione ex jussu concilii Tridentini id postea statuentis pro sæcularium confessionibus, et mediante superiorum licentia, per quos jurisdictio ad hoc ministerium necessaria a pontifice concessa illis communicatur, nempe per præpositum generalem vel immediate vel mediantibus provincialibus aut aliis superioribus, quibus sive jure ordinario, sive delegato hæc potestas creandi confessarios conceditur; ordinarie autem mediantibus provincialibus id fit, ut patet ex secunda eorum regula. Et isti quidem possunt limitate tantum communicare istam potestatem, v. gr. audiendi tantum virorum confessiones, non mulierum, vel tantum in tali loco, etc., vel reservando sibi aliqua subditorum suorum peccata. Cum vero superior alicui prohibet ne confessiones audiat, an eum privet jurisdictione illas audiendi; an autem tantum vetet actum audiendi, ita ut transgressor violet solummodo obedientiam ac valide eas audiat, istud pendet ex superioris intentione.

Dico 2 : Per eamdem Pauli III bullam anni 1545 possunt Societatis confessarii audire confessiones quorumcunque fidelium undecunque ad se accedentium, etiam ex aliis episcopatibus, etiamsi ab eorum episcopis nec licentiam nec approbationem habeant, modo hanc habeant ab episcopo loci in quo eas audiant; *audire*, inquam, sive in suis ecclesiis, sive in aliis, sive alibi, non tamen religiosorum confessiones sine ipsorum superiorum licentia. Præterea ex speciali privilegio Gregorii XIII, in bulla *Ad perpetuam rei memoriam*, anni 1575, illis in uno episcopatu semel approbatis conceditur, ut dum iter per alios agunt, possint ibi et ubique confessiones audire, modo parochi non repugnent, nec sit locus in quo degat episcopus, nam tunc hujus licentia est necessaria.

Dico 3 : Per eamdem bullam iidem possunt absolvere a quibuscunque culpis, etiam sedi apostolicæ reservatis. Hinc infert Pater Suarez, cum possint absolvere a reservatis Papæ, etiam eos posse absolvere a reservatis episcopo; sed hoc dixit ante varia pontificum decreta quæ postea id vetuerunt ac damnarunt. Deinde ista Pauli III bulla excipit casus in bulla *Cœnæ* contentos; sed an Societas non habeat potestatem absolvendi ab illis per alias pontificum concessiones, controvertitur. Præterea eadem bulla dat facultatem absolvendi a quibusvis ex prædictis culpis resultantibus sententiis, nempe sive a jure, sive ab homine generaliter, sive etiam ab homine specialiter latis; sed quomodo et cum quibus conditionibus possit dari absolutio ab his sententiis specialiter per hominem latis, dictum est superius. Insuper dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris, quæ absolutio non tantum in sacramento pœnitentiæ, sed etiam extra illud videtur posse dari, non obstantibus his bullæ verbis : *Eorum confessionibus diligenter auditis;* illa tamen non servit pro foro externo, in quo judex ecclesiasticus potest adhuc et judicium seu sententiam ferre, et pœnam imponere, etiamsi illi constet de præcedentis absolutionis validitate. Denique bulla addit : *Et pœnis ecclesiasticis*, nempe dando potestatem absolvendi ab illis. Per *pœnas autem ecclesiasticas*, non intelligitur, ut quidam volunt, irregularitas ex delicto, sed omnis pœna ecclesiastica seu spiritualis, quæ sine dispensatione per propriam absolutionem vel a legis auctore, vel a judice qui illam imposuit non in perpetuum nec ut medicinam, sed ut punitionem pro libitu tollendam, auferri potest.

CAPUT III.

De administratione sacramenti Eucharistiæ.

Dico : Cum nemo possit licite ministrare fidelibus Eucharistiam, nisi ad hoc habeat jurisdictionem ordinariam vel delegatam seu licentiam alicujus pastoris ordinarii; hinc Paulus III, per suas bullas anni 1545 et 1549, concessit Societati facultatem, etiam *licentia parochialium ecclesiarum rectorum minime requisita*, illam omnibus Christifidelibus ministrandi; hinc Societatis religiosi non tantum in propriis ecclesiis, sed etiam in alienis sine petita earum rectorum seu parochi licentia possunt Eucharistiam ministrare. Pontifex tamen in altera suarum bullarum addit : *Sine alicujus præjudicio*, id est, si parochus aut prælatus justas ob causas prohiberet illos ministrare Eucharistiam in suis ecclesiis, tunc non liceret ministrare, quia præjudicaretur illorum juri, fieretque cum præjudicio. In altera autem posuit : *Præterquam in festo Paschalis resurrectionis Dominicæ, et mortis articulo, nisi necessitas urgeret.* Per *festum Paschalis*, quis aut qui dies intelligantur, alibi dicitur. Qui jam satisfecerunt communioni paschali in sua parochia, possunt in Societatis eccle-

sis intra quindecim dies paschales iterum communicare. Imo et in necessitate urgente, posset quis facere in dicta ecclesia communionem paschalem : peregrini autem videntur debere eam facere in parochia in qua exsistit illorum hospitium. In mortis autem articulo non possunt prædicti religiosi dare Eucharistiam seu viaticum ; vetat enim prædicta bulla. Possunt tamen infirmo dare communionem devotionis. Ergo, et non per modum viatici, sive domi sive alibi, sed non deferre publice per vias et plateas Eucharistiam, hoc enim foret in tertii præjudicium. Denique quoties Eucharistia non est danda per modum viatici ad præceptum divinum implendum, possunt illam dare sive ægroto, sive alii versanti in aliquo mortis periculo ; quinetiam per modum viatici in gravi necessitate, id est si parochus absit aut non possit aut nolit illam dare, et alter in probabili mortis periculo exsistat.

CAPUT IV.

De administratione aliorum sacramentorum.

Dico 1 : Licet Paulus III dederit Societatis religiosis in sua bulla facultatem *Christifidelibus Eucharistiam et alia sacramenta ecclesiastica sine alicujus præjudicio administrandi*, non tamen illis licet extra casum necessitatis solemniter conferre baptismum ; fieret enim alicujus præjudicio. Sed cum aliqui populi illis commissi sint, v. gr. in Indiis, tunc licet illis ex officio. Item infideles qui volunt fidem amplecti nec sunt incolæ eorum locorum, quæ habeant proprios episcopos aut parochos, ex vi istius privilegii possunt solemniter baptizare, utpote nullius adhuc jurisdictioni ecclesiasticæ subjacentes. Si autem sint incolæ locorum habentium episcopum proprium, videntur ab hoc baptizandi, utpote habente jurisdictionem quasi voluntariam in illos, et curam pastoralem.

Dico 2 : Neque iidem possunt extra casum necessitatis conferre sacramentum extremæ unctionis. Ex vi tamen ejusdem Pauli III bullæ, quæ sic habet : *Iis vero qui in ipsorum præpositorum et sociorum morantur obsequio, cuncta libere possint ministrare ecclesiastica sacramenta, et ipsos cum decedunt, in eorum cœmeteriis sepelire*, possunt illud conferre familiaribus suis ac domesticis famulis, id est iis qui intra septa ac domos religionis habitant, atque actualiter serviunt, viventes sub religionis obedientia. Imo, in rigore privilegiorum sufficit ut vel sint in obsequio religionis, licet extra septa ejus habitent ; vel intra septa religionis infirmentur, licet non sint in obsequio religionis, id enim alia privilegia indicant. Hisce igitur familiaribus aut sæcularibus in Societatis domo commorantibus potest conferri Eucharistia et extrema unctio a quovis Societatis sacerdote, sive sit ab episcopo approbatus, sive non, sed pro audienda eorum confessione requiritur episcopi approbatio, sunt enim sæculares, non regulares.

Dico 3 : Cum concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 1) ad valorem matrimonii requirat præsentiam parochi vel alicujus sacerdotis de ejus licentia, Societatis religiosi non possunt licite sine parochi licentia id præstare, neque solemnem nuptiarum benedictionem facere, quod sub gravi censura prohibetur religiosis in Clem. *Religiosi* De privilegiis. Quando tamen habent curam animarum tanquam parochi, v. gr. in Indiis, tunc utrumque possunt præstare : Paulus enim III supra concedit iis facultatem ministrandi omnia sacramenta sine præjudicio tertii, etc.

CAPUT V.

De quidditate et doctrina exercitiorum spiritualium, quibus Societas utitur ad juvandos proximos.

Dico 1 : Exercitia spiritualia sunt quidam modus vacandi lectioni spirituali, meditationi, orationi, conscientiæ examini. Sanctus enim Ignatius peculiarem librum, quem *Exercitia spiritualia* appellavit, edidit ad animarum profectum utilissimum, de quo ipse sic loquitur : « Nomine spiritualium exercitiorum intelligitur quidam modus examinandi propriam conscientiam, item meditandi, contemplandi, orandi secundum mentem et vocem, ac postremo alias quascunque spirituales operationes tractandi. » Hic liber post exactum examen a Paulo III approbatus ac collaudatus fuit.

Dico 2 : Istorum exercitiorum doctrina magis ad praxim quam ad speculationem tendit, ubique tamen sana ; utque hujus rei veritas magis constet, nonnulla eorum loca, in quibus posset aliquis scrupulum movere, hic apponam, dando sanum ac verum illorum sensum. Sanctus igitur Ignatius in illis dicit : 1° magis esse necessariam reverentiam erga Deum quando cum illo per voluntatis operationem seu per affectum et colloquium ex eo ortum agimus, quam cum per usum intellectus circa intelligentiam solummodo versamur ; quod sane verissimum est. 2° Dæmon solet magis oppugnare sub specie boni eos qui in via spiritus tam progrediuntur, quam qui inchoant. 3° Verba aliorum in bonam partem interpretanda sunt ; et si errent, quærendæ viæ opportunæ, quibus ab errore sanentur. 4° Quoad effectus dispositionem, unusquisque debet esse indifferens ad sanitatem vel morbum, ad bona vel mala temporalia. 5° Quando in suborta peccati mortalis cogitatione negligentia in ea retundenda committitur, si illa non transeat in consensum nec directum, nec interpretativum, est tantum peccatum veniale. 6° Pontificia diplomata contemnere, et ex contemptu illa transgredi est grave peccatum. 7° Dum in primo exercitio primæ hebdomadæ dicitur Verbum Dei fieri creatura, intelligitur fieri homo. 8° In exercitiis contemplantibus vitam Christi, dicitur licere pie meditari B. Virginem venisse Bethlehem ex oppido Nazareth insidentem asinæ et cum bove (quod certe sentiunt multi Scripturæ interpretes), et cum ancillula, quod etiam non caret probabilitate. Deinde dicitur Christus post ultimam cœnam iens in montem Oliveti reliquisse octo discipulos in valle Josaphat, id est ad clivum vallis Josaphat, in introitu prædii

Gethsemani, in quo erat hortus. 9° Illi tres gradus humilitatis qui ante electionem faciendam ponuntur, ad veram humilitatem pertinent juxta modum loquendi et exempla sanctorum; similisque trimembris virtutum divisio frequens est apud philosophos et theologos. 10° Similiter tres gradus perfectionis, nempe paupertas, abjectio sui et humilitas, qui divitiis, honori, superbiæ directe opponuntur, sunt media quibus homo paulatim disponi debet ad spiritualem affectum, et ad faciendam electionem status, in quo melius et suæ saluti consulat, et Deo inserviat. 11° Quædam locutiones et verba ad mysticam theologiam spectantia, quæ in hoc libro habentur, v. gr. divinæ illustrationes, illuminationes, sentire varios spiritus, agitari variis spiritibus consolationis et desolationis, discernere interni motus auctorem, etc., sunt omnia optime in vera doctrina scholastica fundata; ibique sanctus Ignatius rite explicat quomodo isti motus interni boni et mali possint discerni tum ex parte objecti seu illorum materiæ, tum ex parte finis et effectuum, tum ex parte modi illorum sive sensibilis sive mere spiritualis 12° Denique in variis animæ motibus semper studet conciliare gratiam cum naturæ viribus, recedendo ab hæreticorum tunc grassantium erroribus.

CAPP. VI, VII

De arte et prudenti methodo dictorum exercitiorum.

Dico 1 : Hæc spiritualium exercitiorum methodus fuit prudentissima et excellentissima, ut patet ex effectu, et conformis Patrum aliorumque sanctorum exemplis, v. gr. Dionysii, qui scripsit de theologia mystica; Augustini, Prosperi, Bernardi, Bonaventuræ, Basilii, etc., qui spirituales orandi ac meditandi modos tradiderunt : homo enim tam in externis quam internis actionibus suis indiget instructione, ut eas recte ac utiliter peragat.

Dico 2 : Methodus ad finem quem sanctus Ignatius sibi proposuit assequendum, id est ad spiritualem animarum profectum, est aptissima; totam enim horum exercitiorum seriem distribuit in quatuor partes quas appellavit hebdomadas. Prima hebdomada viam purgativam continet, ideo proponitur gravitas divinæ offensionis ad agendam de peccatis pœnitentiam; adjungitur duplex conscientiæ examen, matutinum et vespertinum ad confessionem faciendam utilissimum, et insuper particulare examen ad exstirpandum aliquod vitium speciale. Secunda continet viam illuminativam; ideoque proponuntur meditationes de Incarnatione et vita Christi, optimaque documenta ad faciendam rectam electionem. Tertia continet illius vitæ illuminativæ augmentum per considerationes passionis et mortis Christi. Quarta continet viam unitivam proponendo resurrectionis mysteria, et gloriam Christi ac Dei amorem. In his omnibus non tantum materia accommodatissima, sed maxime forma ac directionis modus elucet; hinc per hanc exercitiorum methodum omnibus viæ spiritualis gradibus, incipientium, proficientium ac perfectorum abunde prospicit et satisfacit.

Dico 3 : Per hæc exercitia prudentia auctoris elucet in traditis regulis pro modo orandi et meditandi, pro temperantia, pro eleemosynis, pro scrupulis, pro facienda recta electione, etc. Horum exercitiorum usus duplex est in Societate : unus pro ipsismet Societatis religiosis, tum in novitiatus ingressu, tum postea quotannis toto reliquo vitæ tempore, et singulis diebus per meditationem et conscientiæ examina; alter pro externis, quibus per Societatis sacerdotes hæc exercitia traduntur ad vitæ emendationem, vel ad virtutis profectum.

CAPUT VIII.

De familiari conversatione, qua utuntur Societatis religiosi cum proximo ad eum juvandum.

Dico 1 Familiaris consuetudo cum suo proximo ex suo genere non est quid alienum a statu perfectionis, ut patet Christi et apostolorum, aliorumque sanctorum exemplo; cumque Societatis finis sit non solum propriæ, sed etiam proximorum saluti maxime incumbere, ideo ejusmodi familiaris consuetudo ad hunc finem assequendum est medium valde accommodatum et moraliter necessarium. Sed

Dico 2 : Ad hanc familiarem cum proximo conversationem rite instituendam duo requiruntur : 1° Recta intentio, qua illa instituatur ob solam vel charitatis vel misericordiæ necessitatem. 2° Pia utilitas quæ proximo per illam quæritur. Magna tamen moderatio in illa servanda est, et cavenda indecentia.

CAPUT IX.

De cura peculiari quam adhibet Societas adjuvandis graviter infirmis et moribundis.

Dico : Societas præter generalem quam habet sollicitudinem de omnium proximorum salute, specialem ægrotantes ac moribundos adjuvandi non tam corporaliter quam spiritualiter curam gerit, etiamsi pro corporali auxilio non sint etiam prætermittenda convenientia charitatis officia, juxta ea quæ habentur in part. IV Const., cap. 8, et part. VII Const., cap. 4 : hoc enim charitatis opus religioso statui maxime convenit. Unde regula monet sacerdotes ut cum vocantur ad adjuvandos eos qui morti vicini sunt, tandiu illis assistant, quandiu necessitas postulaverit; et cum opus est ad condenda testamenta eos hortari, hortentur, sed iis conficiendis non assistant ut omnis sinistræ suspicionis vitetur occasio. Præterea, dum pro reis ad mortem condemnatis intercedunt, licet istud officium sit de se sanctum et religiosum, nihil tamen debent postulare quod sit in reipublicæ aut tertiæ personæ præjudicium, aut quod ab ipso judice licite præstari non possit; et sic occurritur ista pia charitatis officia male suggillantibus.

LIBER X.

De Societatis regimine et ejus prælatis.

CAPUT PRIMUM.

De monarchico Societatis regimine.

Dico 1 : Societas hoc habet commune cum aliis fere omnibus religionibus, quod ordinarium ejus regimen sit monarchicum, cum aliqua aristocratiæ admistione; reducitur enim ad unum generalem præpositum, immediate summo pontifici subjectum, sub quo tota religio militat. Sub hoc autem generali immediate constituuntur provinciales, et sub provincialibus singulorum locorum superiores, cum isto autem regimine monarchico in hoc miscetur aristocratia, quod Societas habeat in nonnullis occasionibus congregationes generales, quæ supremam in totam religionem habent potestatem, etiam supra ipsum generalem, et in quibus singuli congregati habent suffragium decisivum. Deinde quod habeat congregationes procuratorum, qui singuli ex singulis provinciis electi earum nomine, ad illas Romam eunt, et in illis congregati habent suffragium decisivum, an congregatio generalis sit convocanda; in reliquis vero negotiis suffragium tantum consultivum. Præterea quod habeat congregationes provinciales quæ in singulis provinciis quolibet triennio fieri debent, et quorum finis est eligere personam quæ nomine totius provinciæ præpositum generalem adeat, et in congregatione procuratorum suffragium ferat; atque ad hanc electionem congregati habent suffragium decisivum. Denique quod generalis habeat quinque assistentes, provinciales autem ac superiores locales, quatuor consultores, quorum consilio ac prudentia in negotiis tractandis ac determinandis securius uti possint.

Dico 2 : Sanctus Ignatius hunc regiminis modum exemplo sanctorum Patrum Benedicti, Basilii, Augustini elegit ut unusquisque superior pro ratione et mensura sui muneris plenam teneret potestatem, tantumque consiliarios et non conjudices sibi adjunctos haberet; quia sic melius subordinatio et ordo servatur, uti et videre est in ipso summo pontifice, qui in rebus gravioribus, consilio quidem cardinalium utitur, sed ut eas decernat, non pendet ab eorum suffragiis tanquam decisivis.

CAPP. II, III.

An expediat generalis officium esse perpetuum; et an reliqui superiores in Societate rite constituantur.

Dico 1 : Expedire hoc munus generalis esse perpetuum seu ad vitam demonstrat auctoritas ipsius institutoris sancti Ignatii, magna prudentia et virtute præditi, confirmatio totius Societatis in prima generali congregatione data, summorum pontificum approbatio, antiquarum religionum exemplum, et ipsamet naturalis ratio; quia generalis utpote habens plenam in omnes Societatis personas potestatem, indiget magna illarum notitia ad eas bene regendas, quæ brevi tempore acquiri non potest; deinde valde difficile est crebras fieri congregationes generales ad eligendum generalem, quæ cum raro fiant, sic minuitur ambitionis occasio. Præterea ista muneris perpetuitas multam generali conciliat auctoritatem, tum apud internos, tum apud externos; adeoque ex illa longe plura emanant commoda quam incommoda, maxime cum ipse generalis subjiciatur Societati seu congregationi generali, quæ et illum deponere, et si opus foret, a Societate removere potest, ut habetur in part. IX Constit. cap. 4, 5.

Dico 2 : Prælati omnes generali inferiores, v. gr. provinciales, rectores, etc., non fiunt per electionem aut subditorum suffragia, sed per ipsum præpositum generalem, ut habetur part. IX Constit., cap. 3; potestque generalis non tantum per seipsum constituere inferiores præpositos ac rectores, v. gr. committendo provincialibus illorum electionem seu creationem, sed etiam interdum provinciales, v. gr. communicando suam potestatem alicui visitatori, quod tamen vix fit. Quod autem summopere conveniat creari ac constitui hosce superiores per unius generalis voluntatem suis assistentibus adjuti, multæ afferuntur rationes, præcipue ab incommodis, si aliter fieret, petitæ, quas videre est apud P. Suarez. Quamvis horum superiorum duratio non sit absolute in Constitutionibus præscripta; tamen in decret. 51 quintæ congregationis generalis injunctum est ut omnes superiores locales (exceptis domorum probationis et seminariorum rectoribus) durent tantum triennio, quo finito saltem per annum vacent a munere prælationis, nisi opus foret aliquem ad munus provincialis promoveri; item ut provinciales finito suo triennio etiam subditi sint saltem per annum, quo nec inferiorem aliquam prælationem habere possint. Sed hæc triennalis determinatio in ista quinta congregatione pro superioribus localibus facta ex summi pontificis significatione, postea ab eadem sede apostolica ad commune Societatis Constitutionum jus fuit restituta.

CAPUT IV.

De suprema jurisdictionis potestate in Societate.

Dico 1 : In Societate exsistit jurisdictio ecclesiastica tam quoad forum internum quam quoad externum seu contentiosum respectu suorum subditorum, et causarum ad eos spectantium, etiamsi criminales sint, vel cujuscunque alterius generis, ut constat ex communi religionum exemptarum jure, et ex specialibus pontificum bullis. Atque hæc jurisdictio summa ad gubernandum extraordinaria, residet in generali totius Societatis congregatione, dum actualiter tenetur, et ordinaria simpliciter in præposito generali : congregatio enim generalis potest

generalem eligere cui totam jurisdictionem, quam ipsa habet, communicat; et postquam electus est, eadem manet illi superior, adeoque non tantum potest illum suis legibus ac præceptis obligare, sed etiam punire, et interdum deponere, si causæ legitimæ interveniant. Item potest statuere in Societate jus perpetuum, illudque mutare; alienare, vel dissolvere collegia aut domos semel erectas et acceptatas: eligit illius generalis assistentes et admonitorem. Ordinariam autem supremam potestatem habet ipse generalis, ordinarius enim influxus, quo tota regitur Societas, vel immediate ab illo, vel dependenter ab illa manat: unde potest personas admittere in Societatem, et ab ea dimittere, eas mittere in varia loca, et ab eis revocare, distribuere ministeria, provinciales, rectores collegiorum ac domuum probationis, præpositos domuum professarum, aliosque quosvis officiales constituere; dispensare, facultatum omnium a sede apostolica concessarum usum communicare, corrigere et punire, cum opus fuerit; acceptare collegia, vel domus; vocare ad congregationem generalem, dum, ipso vivente, convocari oportet; vicarium generalem sibi post mortem substituere, qui congregationem generalem convocet ad eligendum generalem, et totam Societatem regat, donec generalis sit electus; denique omnia, quæ ad universale regimen pertinent, præstare.

Dico 2: Hæc præpositi generalis jurisdictio, simpliciter loquendo, videtur pendere a Societate ut legitime congregata in unum corpus; quia generalis habet suam jurisdictionem juxta Societatis Constitutiones, Constitutiones autem hanc jurisdictionem dant congregationi generali, ut patet ex part. VIII et IX, cap. 4: est enim superior generali, nec potest ejus jurisdictio minui a generali, adeoque parum refert si dicamus hanc jurisdictionem seu potestatem dari immediate ipsi generali a summo pontifice, sed dependenter a congregatione generali, aut potius si dicamus eam immediate communicatam esse Societati a summo pontifice, et per Societatem in congregatione generali exsistentem transferri in præpositum generalem. Hinc congregatio generalis potest jurisdictionem ac potestatem generalis restringere, omnesque actus jurisdictionis quos generalis exercere potest, per se ipsam immediate, quandiu durat, efficere.

CAPUT V.

De potestate ac jurisdictione prælatorum Societatis sub generali constitutorum.

Dico: Prælati generali inferiores participant jurisdictionem et potestatem majorem vel minorem pro ratione sui muneris, et juxta communicationem a præposito generali manantem, in part. VIII Constit., cap. 1, et in part. IX, cap. 3. Quamvis igitur provincialis et superiores locales ex vi sui muneris necessario habeant jurisdictionem ordinariam, sunt enim ordinarii pastores ac veri prælati, generalis tamen ex causa potest illam restringere vel ampliare. Hæc potestas et jurisdictio ad quosvis Societatis religiosos sive professos quatuor aut trium votorum, sive ad coadjutores formatos, et scholares approbatos, et aliquo modo ad novitios extenditur, simulque ad omnes actus seu materias, ad quas religiosa jurisdictio tum communi tum particulari jure per privilegia a sede apostolica concessa se extendit. Quas autem in particulari facultates habeant prædicti superiores, poterunt scire ex suis regulis et ex compendio privilegiorum Societatis.

CAPUT VI.

De reddenda conscientiæ ratione.

Dico 1: Juxta regulam Societatis, unusquisque statim ab initio sui ingressus debet suam conscientiam omnino aperire superiori; ac deinceps in vitæ decursu per certa et designata tempora idem præstare. Atque hoc est conforme antiquarum religionum Basilii, Benedicti, priscorumque Ægypti monachorum consuetudini ac perfectionis acquirendæ professioni consentaneum. Unde in Societate declaratum est istam conscientiæ reddendam rationem esse de instituti substantia.

Dico 2: Si superior rationem conscientiæ sumat in confessione, tunc tenetur sigillum confessionis servare, nec illa notitia potest uti extra confessionem, nisi de consensu pœnitentis, etiamsi quædam non forent peccata, sed tantum circumstantiæ utiles vel necessariæ ad explicanda melius peccata. Si autem illam sumat extra confessionem, tunc stricte tenetur sub secreto naturali res cognitas non patefacere cum tanta obligatione, quanta ex secreta consultatione oriri solet, atque ita non tam rigorose quam sub sigillo confessionis: potest enim postea cum subdito loqui de rebus sibi patefactis in redditione conscientiæ, illum secreto admonendo, excitando, corripiendo, item uti illa notitia ad regimen illius conscientiæ, et ad majus ejus bonum; imo et in ordine ad commune totius religionis bonum, quia naturale secretum non obligat cum boni communis dispendio. Unde usus et utilitas illius reddendæ rationis conscientiæ tum pro particulari religiosi, tum pro universali religionis bono patet. Quamvis autem ista conscientiæ apertio extra confessionem videatur difficilis, tamen iis qui volunt et profitentur spiritualiter vivere, evadit facilis; adeoque superiores summopere debent cavere, ne ratione hujus notitiæ, quidquam faciant quod jure merito possit subditum offendere, et inde occasionem sumere sese occultandi, et fortasse in majora vitia aut incommoda cadendi.

CAPP. VII, VIII, IX, X.

De evangelica seu paterna denuntiatione, quæ fit in Societate.

Nota 1: Societatis regula sic habet: *Ad majorem in spiritu profectum, et præcipue ad majorem submissionem et humilitatem propriam, contentus quisquis esse debet ut omnes errores et defectus ipsius, et res quæcunque quæ in eo notatæ et observatæ fuerint, superioribus, per quemvis, qui extra confessionem eos acceperit, manifestentur.*

Nota 2 Hæc regula non adversatur verbis Christi Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum*, etc. (per quæ verba Christus vel solum agit de peccato quod est corripienti fratri injuriosum, vel solum distinctius inculcat et explicat morale charitatis fraternæ præceptum); neque naturali famæ juri, quia omnes qui ingrediuntur Societatem, expresse renuntiant isti naturali famæ juri, et de quo Christus agit in dictis Evangelii verbis; hac autem juris, quod quis habet ne se invito apud alios infametur, renuntiatione facta, cessat præcepti materia, adeoque et obligatio.

Nota 3 : Circa istam regulam sancita sunt in congregatione sexta et septima hæc sequentia : 1° Licitum est quidem juxta regulam aliorum defectus superiori, etiam non interroganti, manifestare, sed non est hac de re obligatio, nisi in delictis quæ vergerent in detrimentum boni communis, aut damnum imminens tertiæ personæ. 2° Severe puniri jubentur qui ex inanibus suspicionibus, aut ex alia causa minus probata falsum alteri crimen imponunt, ideoque superiores non debent facile præbere aures ejusmodi delatoribus. 3° Non licet ea quæ alter sibi secreto et consilii petendi gratia ut dirigatur ac juvetur communicavit, deferre superiori.

Nota 4 : Duplex est denuntiatio : alia est evangelica, quæ etiam fraterna aut paterna dicitur; alia judicialis. Judicialis fit superiori tanquam judici, ut delictum sive emendatum, sive non emendatum puniatur; evangelica autem fit superiori tanquam patri ut delictum nondum emendatum emendetur, aut nondum commissum caveatur, et de hac evangelica hic agitur; de judiciali dicetur postea. Quare

Dico 1 : In Societate leves aliorum defectus qui non sunt peccatum mortale, nec ejus suspicionem generant, sine præmissa privata admonitione possunt statim superiori manifestari : si enim in publicis reprehensionibus soleant palam sic a superioribus manifestari, et impositis quidem pœnitentiis, multo magis licet clam soli superiori illos manifestare; et ratio est, quia nulla alicujus momenti infamia inde creatur delinquenti, præterquam quod hic cedendo juri suo, admiserit ejusmodi manifestationem; volenti autem ac consentienti nulla fit injuria. Deinde ista praxis est conformis doctrinæ sancti Thomæ (2-2, quæst. 33, art. 7 ad 4), dicentis proclamationes quæ in religiosorum capitulis fiunt, versari circa levia quæ famæ non derogant, ideoque posse sancte fieri sine præmissa admonitione. Idem fere habet Abulensis et Sotus.

Dico 2 : In Societate etiam licitum est sine prævia privata admonitione statim superiori manifestare graves aliorum defectus fraternæ emendationis ergo. Expresse habetur in sexta congregatione (can. 10). Et certe id non tantum est possibile fieri licite in quovis religioso statu, sed etiam licite factum fuit, et fit in variis religionibus, ut probatur ex earum regulis et ex theologorum doctrina, D. Thomæ, Richardi, Bonaventuræ, Silvæ, etc. Ratio est : 1° quia religiosus ex vi sui status religiosi, perfectionis viam, adeoque et morum emendationem per meliora et convenientiora remedia consequendum profitetur; cum autem religiosus fere in omnibus rebus ac in suis functionibus dependeat a superiore, securior ac firmior emendatio ab illo quam a particulari admonitore obtinebitur. 2° Infamia quæ inde religioso creatur est valde exigua; ideoque non solum propter necessarium remedium, sed etiam propter majus spirituale emolumentum pro nihilo reputanda est; præsertim quia gravis religiosi lapsus fere solet in aliorum vel saltem in alicujus spirituale damnum vel scandalum vergere ob magnam inter religiosos societatem, familiaritatem, unionem, cujus damni vitatio sine prælati auxilio vix obtineri aut sperari potest. Quodlibet ergo grave religiosi peccatum est commune religionis detrimentum, ideoque ad prælatum spectat huic malo communi subvenire; non potest autem illi subvenire sine ejus notitia. Atque hæc omnia, quæ omni statui religioso communia sunt, maxime locum habent in Societate ob varia ejus ministeria circa proximum, in quibus a superioribus collocantur religiosi, et ob maximam ab illis dependentiam in omnibus subditorum actionibus tum internis tum externis. Si autem lapsus sit occultus, nec ullum aliis offendiculum præbuerit nec timeatur in futuro, ac prudenter omnibus perpensis judicetur superioris notitiam ad delinquentis emendationem religionisque securitatem non esse necessariam nec fore utilem, tunc a tali denuntiatione abstinendum est.

Deinde Societatis religiosi in religionis ingressu consentiunt ut sui lapsus, quantumvis graves et occulti, manifestentur superiori non tantum ob necessitatem, sed etiam ob majorem ipsorum spiritualem profectum. Ordo autem correctionis fraternæ quem Christus præscribit supra Matth. XVIII, 15, 16, continet tantum naturalem legis charitatem, quæ servanda est prout fraterna charitas postulat; et juxta D. Thomam, ibi agit Christus de denuntiatione judiciali quæ fit superiori seu Ecclesiæ ut judici, non ut patri. Jura vero quæ prærequirunt privatam monitionem, probabiliter agunt de denuntiatione judiciali, uti et Basilius ac Augustinus, dum eam interdum requirunt. Deinde si superioris notitia non sit necessaria ad aliquem delinquentis spiritualem profectum, tunc non erit licita denuntiatio, sed ordinarie est necessaria. Denique superior noscens lapsum debet delinquentem secreto monere, qui si emendationem promittat, non est progrediendum ad publicam punitionem et infamiam : hæc enim monitio, quam facit ex deferentis denuntiatione, est adhuc secreta et Evangelio conformis. Si autem delinquens sic monitus nolit delictum agnoscere, potest adhibitis duobus aut tribus testibus ad majorem illius confusionem graviter eum reprehendere, et religiosam pœnitentiam injungere. Denique si persistat in sua pertinacia, et peccatum sit occultum,

nec probari possit in judicio, nec vergat in damnum communitatis, tunc superior nihil amplius habet quod agat, sed oret pro illo, vigilet, scandali occasiones auferat, etc.

CAPP. XI, XII.

De triplici modo procedendi in externo judicio contra subditorum delicta.

Nota : Triplex est modus quo prælati et judices possunt in exteriori judicio procedere ad cognoscenda vel punienda subditorum delicta, nimirum vel per viam inquisitionis sive generalis sive particularis, vel per viam denuntiationis, vel per viam accusationis; et ex jure quidem positivo tum ecclesiastico tum civili requiritur quædam præscripta forma a judicibus servanda, sed judici religioso sufficit forma ex jure naturali requisita, qua sufficienter possit sine strepitu cognoscere facti veritatem ad ferendum judicium. Itaque de his tribus singulis procedendi modis nunc agendum, ac primum de modo procedendi per viam inquisitionis generalis.

Dico 1 : Inquisitio generalis fit in visitationibus religionum, quæ per se est justa et necessaria ad bonum religionis regimen, imo et obligatoria pro iis quibus hæc cura demandata est, v. gr. in Societate visitatoribus, provincialibus, etc. Tribus autem modis potest fieri hæc inquisitio : 1° In generali, tam ex parte delictorum quam personarum, dum prælatus visitans interrogat an serventur leges, an aliqua delicta committantur, an aliquem commisisse crimen audiatur, etc. 2° Per particularem interrogationem ex parte delicti, et per generalem ex parte personarum, v. gr. interrogando an aliquis noctu e domo exierit. 3° Per particularem interrogationem ex parte personæ et delicti, vel per generalem ex parte solius delicti, v. gr. interrogando an Petrus sit furatus, vel patraverit aliquod delictum grave; sed hæc inquisitio continetur sub inquisitione particulari, de qua jam dicetur; et illa non est licita, nisi de tali persona præcesserit infamia delicto proportionata. Unde in ejusmodi visitationibus non tenetur subditus interrogatus etiam sub juramento, manifestare eum quem deliquisse novit, quando ita occulta est persona, ut nulla infamia laboret; quia judex non potest de eo juridice interrogare, ergo nec alter respondere; dumque sic interrogatur, subintelligitur semper an sciatur de aliquo delictum qui de eo sic infamatur; et hoc etiam habet locum in Societate, quia pro manifestatione defectuum renuntiatur quidem proprio juri quoad denuntiationem paternam, sed non quoad judicialem, de qua nunc agitur. Quare

Dico 2 : Non potest prælatus etiam regularis per viam inquisitionis particularis inquirere de persona determinata, an commiserit tale vel tale crimen, nisi de ea præcesserit infamia. (D. Thomas, Cajetanus, Sylvester, Navarra, etc.) Excipiuntur tamen crimina quæ vergunt in commune reipublicæ aut religionis damnum; crimina notoria seu publica, et quando habentur de persona delinquentis indicia publica ac manifesta. Ac quando fit inquisitio non ad punitionem delinquentis, sed ad alios justos fines, ad quos requiritur notitia personæ et qualitatum ejus, v. gr. si inquiratur de impedimento matrimonii inter Petrum et Cajam, vel de aliqua irregularitate, etc. Dum autem præcessit infamia de delicto et de persona, prælatus potest, imo et debet inquirere in particulari, interrogando de ista persona, et obligando subditos etiam sub juramento ad dicendam veritatem. Sed infamia de persona debet esse circa id crimen de quo inquiritur, non circa quodvis aliud, et talis quidem, ut publicam et probabilem suspicionem, ac, sicut jura loquuntur, clamorosam insinuationem generet. Deinde testes sunt audiendi, etc.

Dico 3 : Dum in regulari judicio proceditur per viam denuntiationis judicialis, non prærequiritur infamia personæ denuntiatæ; et si denuntiatio judicialis ordinetur solum ad emendationem delicti, non autem ad vitandum damnum commune aut tertii, tunc præmittenda est secreta correctio fraterna, si sit emendationis spes; nec procedendum ad denuntiationem judicialem, si ista correctio suum effectum consequatur. Sin minus, procedetur ad denuntiationem judicialem; et prout denuntiatus fatebitur aut negabit factum, aget judex, etc. Si autem denuntiatio principalius ordinetur ad vitandum commune damnum aut tertii, tunc moraliter loquendo, non est necessaria prævia monitio secreta, quia ordinarie non potest sperari hanc sufficiens remedium allaturam; bonumque commune vel innocentis præferendum est nocentis commodis et famæ. Si delictum non vergat in ejusmodi damnum, is qui illud prælato ut patri denuntiat, non potest cogi ad denuntiandum ei ut judici, ac maxime si denuntians fuerit complex delicti; secus vero, si vergat.

Dico 4 : Dum proceditur per viam accusationis, non prærequiritur infamia nec privata monitio; et interdum potest fieri ejusmodi accusatio sine læsione charitatis, quinimo ex obligatione, si aliter subveniri malo non possit. Raro tamen in religione hac via proceditur, quamvis si legitime fiat, debeat superior eam accusationem per notarium scriptam recipere.

CAPUT XIII.

Quæ forma judicii in Societate servetur.

Dico 1 : Denuntiatio judicialis, inquisitio judicialis et accusatio jure communi præscriptæ non habent locum in Societate; imo neque ad paternam correctionem gravium defectuum (secus levium) licitum est prælato inquirere in particulari de aliquo, absque aliqua præcedente infamia.

Dico 2 : Quando professi e Societate ejiciendi sunt ob delictorum pœnam vel ob incorrigibilitatem, tunc debent convinci de delictis, judicialiter procedendo contra eos sufficienti aliquo modo ad servandum jus naturale, et quasi idem dic de co-

adjutoribus formatis. Dum autem scholaris sive non in pœnam seu incorrigibilitatem, sed ob defectus aut alia religionis incommoda, sive in pœnam e Societate ejici meruerit (maxime si ipse consentiat, vel quando Societati ad suam indemnitatem necessarium fuerit illum dimittere), attentis pacto et conditione sub quibus in Societatem admissus est, potest ejici, juxta Constitutiones; tunc nullus judicialis ordo requiritur, sed sufficit notitia moraliter certa et sufficientibus rationibus nixa. Cumque hujusmodi ejectio sit res gravissima, ideo ultima resolutio præposito generali reservata est, ut majori cum consilio ac difficultate talis pœna vel tale remedium apponatur.

CAPUT XIV.

De regulis et regimine Societatis.

Dico 1 : Societas nullam ex prioribus religionibus antiquam regulam accepit, sed ejus fundator composuit Constitutiones a sede apostolica approbatas per modum propriæ regulæ, etiamsi fere omnia quæ in eis habentur sint ex antiquorum Patrum aliarumque religionum usu; atque istæ Constitutiones, quæ possunt dici propria Societatis regula et vivendi norma, hæc capita continent : 1. Finem Societatis esse propriæ perfectioni et proximorum saluti incumbere. 2. In Societate varios personarum gradus debere esse, ut quisque possit juxta gratiam a Spiritu sancto sibi concessam ad prædictum finem cooperari. 3. Debere esse unum præpositum generalem, ad quem pertineat hos omnes gradus, officia ac ministeria distribuere, universamque Societatem regere. 4. Totam hanc religionem proprio ac speciali modo sub obedientia summi pontificis militare, ideoque particulari obedientiæ voto illi astringi. 5. Societatis professos solemnia paupertatis, castitatis et obedientiæ vota emittere. 6. Illis nominatim commendatam esse puerorum ac rudium in Christiana doctrina instructionem. 7. Societatem professam non tantum in particulari, sed etiam in communi paupertatem profiteri ac servare. 8. Societatem habere posse collegia quæ proprios habeant reditus ad alendos Societatis scholares, quorum collegiorum et studentium gubernatio, uti et bonorum administratio ad Societatem professam pertinet, ita tamen ut dictorum collegiorum bona in suum emolumentum convertere non possit. 9. Societatis scholares post sufficientem probationem admitti in Societatem per tria substantialia religionis vota, juxta ejusdem Societatis Constitutiones emissa, id est non solemnia; ita ut possit Societas sic admissos dimittere votis liberos, si expediens fuerit. 10. Societatem posse coadjutores spirituales et temporales admittere per vota etiam simplicia juxta Societatis Constitutiones emittenda. 11. In Societate fieri congregationes generales, ad quas pertinet perpetua statuta condere, constitutiones declarare ac mutare, et res graviores transigere. 12. Præpositum generalem per electionem generalis congregationis creari, quoad reliqua vero omnia, et omnium prælatorum inferiorum provisionem, potestatem esse penes ipsum generalem. 13. Socios etiam professos non teneri communiter vel in choro officium canonicum cantare aut recitare, sed tantum privatim, si sacris initiati sint. 14. In exteriori vivendi modo, nempe in vestitu, victu, etc., honestorum ac pauperum sacerdotum consuetudinem servare. 15. Ad solemnem professionem religiosos non recipi, nisi post diuturnas ac diligentissimas probationes, per quas vita ac doctrina admittendorum explorata fuerit. Atque hæc est compendiaria totius instituti ratio ac summa, aut propria Societatis regula, quæ in bullis pontificum proposita, et ab eis confirmata ac approbata fuit. Præter hanc autem regulam in dictis bullis pontificum declaratam et approbatam, sanctus Ignatius summo consilio nec sine speciali Dei lumine scripsit Constitutionum librum, a Societate universa approbatum, qui in rigore loquendo nil est aliud quam illa Societatis regula fusius exposita, quam prædicti pontifices summatim sub nomine Constitutionum approbarunt et confirmarunt.

Dico 2 : Ex isto Constitutionum libro extractum est breve summarium, nomine *regularum generalium* appellatum, in quo statim proponitur necessitas regulæ et finis Societatis; deinde exterior vivendi modus in communi clericorum habitu, in moderamine austeritatum corporalium, et religiosæ clausuræ, non exeundo domo nisi cum fructu ac cum superioris licentia, et absque morali periculo; usus sacramentorum in Societatis ingressu et professu servando : egregia consilia ad solidarum virtutum acquisitionem et perfectionem consequendam, exacta trium votorum observantia, conscientiæ ratio superiori reddenda, et alia omnia quæ ad singulos religiosos pertinent; nam totus Constitutionum liber magis pertinet ad eos tantum, quibus regimen committitur.

Dico 3 : Præter hæc omnia, dantur aliæ regulæ, quæ *communes* appellantur : distinguuntur a dicto summario in hoc quod summarium versetur circa generalia perfectionis principia et consilia quæ internæ perfectionis substantiam attingunt; communes vero regulæ statuunt in particulari ea quæ exterius observanda sunt et ad communis vitæ ordinem et convenientem dispositionem pertinent, v. gr. ad spiritualium exercitiorum et divini cultus observantiam, ad exteriorem decentiam, ad temperantiam, paupertatem, obedientiam, animorum unionem, ad conversationem, ad ministeria erga proximum, etc.

Dico 4 : Præter istas regulas generales et communes dantur insuper propriæ et peculiares pro officiis et ministeriis singulorum, v. gr. provincialium, rectorum, ministri, procuratoris, magistri novitiorum, etc. Ultra has omnes regulas habentur congregationum generalium decreta seu canones :

sola enim generalis congregatio habet potestatem condendi decreta, sanciendi leges perpetuas, declarandi constitutiones aut etiam mutandi, si necesse sit. Generales possunt quidem ordinationes condere, quæ non exspirant per ejus mortem, et durant usque ad revocationem; sed ab ejus successore possunt revocari.

Dico 5 : Ex hisce prædictis omnibus liquido constat Societatem sufficientibus optimisque regulis munitam esse, nihilque amplius ad convenientem ejus gubernationem et perfectam religiosorum institutionem posse desiderari. Quapropter tam bene instituta regula inviolate retinenda, servanda, nec unquam in ulla parte immutanda est.

—

LIBER XI.

De professorum Societatis dimissione.

—

CAPUT PRIMUM.

An professus Societatis possit ab ea expelli, et quas ob causas.

Nota : Non agitur hic de dimissione seu ejectione eorum qui solemnem professionem non emiserunt, quique a votis et statu religioso liberi dimittuntur; de his enim satis actum est antea; sed de dimissione eorum qui solemnia quatuor vota in Societate fecerunt; et quoad hos :

Dico : In quibusdam casibus professus quatuor votorum, juxta Constitutiones, juxta quas solemnis ejus professio solum admittitur a Societate, potest ab ea expelli non solum ob nimiam contumaciam et incorrigibilitatem, quod est commune aliis omnibus religionibus; sed etiam ob grave crimen quod in Societatis scandalum vel infamiam verteretur, ut sumitur ex II part. Constit. cap. 2, ubi præter incorrigibilitatem ponuntur aliæ causæ ob quas dimitti possunt generaliter Societatis religiosi; et ad duo genera reducuntur : 1. Est impedimentum antecedens primum Societatis ingressum, per injustam taciturnitatem aut per mendacium in examine et in probationibus occultatum. Si hoc sit substantiale, professio ejus fuit nulla, ideoque dimittitur tanquam non religiosus et sine votis nunquam factis; sed de hac dimissione non est quæstio. Si autem sit accidentale, cum professio fuerit valida, tunc perpendendum est quid majoris momenti sit, an scandalum aut rumor oriturus ex tali dimissione, an vero detrimentum ac damnum Societatis in tali persona retinenda. 2. Est grave peccatum scandalosum post Societatis ingressum aut professionem commissum. Denique Gregorius XIII, in sua bulla anni 1582, quæ incipit : *Cum alias*, concedit facultatem præposito generali ut possit justas ob causas quemlibet professum e Societate dimittere.

CAPUT II.

An possit professus Societatis ad aliam transmitti religionem, et quomodo.

Dico 1 : Probabilius videtur posse præpositus generalis dare licentiam professo Societatis ex justa causa transeundi non solum ad aliam religionem strictiorem aut æque strictam, quod ex jure communi aliarum religionum prælatis quoque competit; sed etiam ad laxiorem, ut habetur ex dicta Gregorii XIII bulla, in qua dat facultatem præposito generali concedendi professis licentiam transeundi ad religionem, etiam laxiorem, his verbis : *Paris, laxioris, aut strictioris observantiæ ordinem, per ipsum præpositum illis præscribendum;* etiamsi iste transitus ob propriam transeuntis culpam aut incorrigibilitatem non fiat; alioqui nullius fere utilitatis foret dictum privilegium. Dum enim professus ob culpam invitus ejicitur, non potest cogi a Societate ut aliam religionem amplectatur; potestque manere in sæculo, sed non potest ob nullam culpam dimitti ut maneat in sæculo etiam volens, et si nolit transire ad aliam religionem non potest etiam cogi. Generalis ergo potest tantum dare licentiam volenti transire, et ex justa quidem causa (licet nulla sit culpa), quæ vix potest esse alia quam inhabilitas ad quævis Societatis ministeria, exsequendo transitum ex utriusque partis consensu.

Dico 2 : Hæc facultas ejiciendi vel transmittendi professum ad aliam religionem, residet non in congregatione generali, sed in ipso præposito generali; potestque delata ad se causa in casu particulari eam alteri inferiori præposito delegare. Mortuo autem generali vicarius generalis illam non habet.

CAPUT III.

Ad quid obligetur professus e Societate ejectus, aut ab illa translatus.

Nota non agi de scholaribus aut coadjutoribus formatis, qui liberi a votis dimittuntur; sed de professis, qui dimittuntur remanente votorum vinculo.

Dico 1 : Professus Societatis dimissus cum onere ingrediendi aliam religionem, tenetur illam ingredi; et si ingressus in ea profiteatur, cessat omnis prior obligatio, etiam ipsum quartum votum professorum Societatis, et quinque simplicia eorum vota, quia legitime facta est commutatio. Si autem non ingrediatur, aut si ingressus, in ea non profiteatur, tenetur ad Societatem redire; alioquin apostata ac fugitivus censendus erit, omnibusque suæ religionis obligationibus ac apostatarum pœnis ac censuris obstrictus.

Dico 2 : Si professus absolute dimittatur sine spe

receptionis, et sine ulla speciali obligatione, præter eam quæ ex solemni professione naturaliter nascitur, tenetur, ut aliarum religionum ejecti, servare tria substantialia religionis vota, sicuti supra dictum est; sed quartum ejus votum solemne, aliaque quinque simplicia videntur cessare, quia illa emisit juxta regulam ac Constitutiones; jam vero ejectus non tenetur servare regulam ac Constitutiones; ergo nec vota illa secundum regulam facta. Deinde intentio voventis non videtur voluisse comprehendere istam tantum status mutationem, ita ut in ea maneret adhuc istiusmodi votis obligatus. Sed ista vota reviviscunt, si ejectus denuo in Societatem recipiatur. Idem dic de professis translatis ad episcopatum, cardinalatum, etc., uti superius ostensum est.

Dico 3: Nulli e Societate, etiam professo licet transire ab ea ad aliam religionem sine obtenta præpositi generalis licentia; cum ea autem licet, etiam ad laxiorem, justis tamen de causis, ut habetur ex bulla Gregorii XIII *Cum alias*.

TOMUS DECIMUS QUARTUS.

DE INCARNATIONE.

PARS PRIMA.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS SECUNDUM SE SPECTATO.

DISPUTATIO PRIMA.

Demonstratur contra Judæos Messiam jam venisse ex variis Scripturæ testimoniis.

SECT. I. — *Primum testimonium.*

Genesis, XLIX, 10, sic habet: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* In Hebræo autem dicitur: *Non recedet sceptrum de Juda, et legislator de medio pedum ejus, donec veniat Siloh*, id est Messias. Ideoque Chaldaica paraphrasis ponit *donec veniat Messias*. Omissis variis Hebræorum aliorumque interpretationibus, hic textus sic videtur explicandus: Non auferetur de tribu Juda, quæ post egressum Ægypti primum semper locum in populo Israelitico tenuit, potestas regendi aut judicandi populum vel primaria vel regia, donec veniat Christus. Quod sane evenit; nam illa tribus usque ad regem David cæteris semper prælata fuit; et a Davide usque ad mortem Sedeciæ in captivitate Babylonica semper regium sceptrum tenuit; et ab hac captivitate usque ad Machabæos tribus Juda matrimonio juncta cum tribu Levi principatum simul et sacerdotium semper retinuit; et huic principatui successerunt Machabæi ex tribu Juda usque ad Christi adventum; quo tempore cessavit tribus Juda sceptrum tenere, nam Herodes, qui regnum tunc occupabat, non erat ex tribu Judæ, nec Judæus, sed Idumæus. Ac deinde post mortem Christi totum regnum Judaicum eversum est a Romanis, et omnes Judæi partim interfecti, partim ubique dispersi sunt sine regni prærogativa; adeoque ista prophetia vere in Christi adventu adimpleta est. Hinc quidam ridicule finxerunt ipsum Herodem, aut Vespasianum Solymæ eversorem, fuisse Messiam.

SECT. II. — *Secundum testimonium.*

Angelus Gabriel sic Danielem alloquitur: *Animadverte sermonem, et intellige visionem: septuaginta hebdomadæ* (nempe hebdomadæ continuæ septem annorum vel lunares vel solares, sive quadringenti et nonaginta anni) *abbreviatæ sunt* (id est intra breve tempus finientur), *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum* (nempe Christus). *Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem* (id est, juxta probabiliorem sententiam, a septimo aut vicesimo anno regni Artaxerxis Longimani qui misit Jerusalem Esdram verisimiliter ad reædificandam civitatem ac templum [*I Esdr.* VI, VII]), *usque ad Christum ducem hebdomadæ septem, et hebdomadæ sexaginta duæ erunt* (id est, sexaginta novem usque ad Christi baptisma quando incepit prædicare); *et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum: et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus* (id est post duas et sexaginta hebdomadas cum septem aliis quas prius numerarat, adeoque post sexaginta novem hebdomadas, in proxime sequenti septuagesima hebdomada occidetur Christus). *Et non erit ejus populus qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit cum duce venturo* (non intra prædictas septuaginta hebdomadas venturo, sed quadraginta annis post, scilicet Tito et Vespasiano); *et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una* (id est, Novum Testamentum miraculis, doctrina, morte sua, in ultima septuagesima hebdomada); *et in dimidio hebdomadæ* (sive in fine poste-

r'oris dimidii hujus hebdomadæ, id est, in fine septuagesimæ hebdomadæ) *deficiet hostia et sacrificium* (per Christi mortem), *et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (*Dan.* IX, 23-27). Liquido constat istarum hebdomadarum tempus effluxisse, et omnia quæ ibi prædicta sunt, evenisse, adeoque Christum jam venisse.

SECT. III. — *Tertium testimonium.*

Hæc dixit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est (sive intra breve tempus), *et ego commovebo cœlum et terram et mare et aridam* (nempe per prodigia in Christi adventu et ortu facta, ac per bella illum præcedentia), *et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria*, etc. (*Aggæi* II, 7, 8 seqq.), nempe dum Christus in templo præsentatus est, illam gloria implevit, tunc prophetiam implendo.

SECT. IV. — *Alia testimonia ex aliis Scripturæ locis.*

Dum Christus a discipulis Joannis interrogabatur, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* sive esne tu Messias, an-non? Respondit : *Cæci vident, claudi ambulant*, etc. (*Matth.* XI, 3 seqq.), volendo dicere, impleri tunc in se quæ a prophetis prædicta erant de Messia. Prædicta autem erant Messiam nasciturum ex Virgine (*Isa.* VII, 14); in oppido Bethlehem (*Mich.* V, 2); universo mundo pace fruente (*Isa.* II, 2 seqq.); prædicaturum pauperibus et captivis, et magna miracula facturum (*Isa.* XXXV, 1 seqq.; LXI, 1 seqq.); ingressurum Jerusalem tanquam regem sedendo super asinam (*Zach.* IX, 9); fore pauperem, multa tormenta ac mortem passurum (*Isa.* LIII; *Thren.* passim; *Psal.* XXI, et alibi passim); descensurum ad inferos (*Zach.* IX); resurrecturum (*Psal.* III, 6; XV, 10, 11); ascensurum in cœlos (*Psal.* LXVII, 19; *Mich.* II, 13); missurum Spiritum sanctum (*Isa.* XLIX, LXVI); habiturum præcursorem (*Malach.* III, 1 seqq.; *Isa.* XL, 2 seqq.). Aliaque multa de venturo Messia prædicta fuerunt : atqui omnia ista in Christo completa sunt; ergo Christus est verus Messias qui venit. Id etiam probat miseranda Judæorum dispersio per totum orbem prænuntiata a Daniele et aliis prophetis. Olim Judæi ob idololatriam, aliaque publica scelera puniti sunt a Deo captivitate, sed nulla longiori quam septuaginta annorum; jam vero patiuntur captivitatem, exsilium, dispersionem per mille et tot annos; ergo ob majus peccatum quam ob idololatriam, nempe ob Deicidium in Christo commissum. Errarunt igitur Judæi et errant exspectantes Messiam tanquam regem temporalem et potentissimum, multasque divitias sibi allaturum, varia Scripturæ loca materialiter intelligentes quæ spiritualiter et allegorice intelligenda sunt, item non distinguentes duos Messiæ adventus : unum ad solvendum, alterum ad judicandum; illum in humilitate, hunc in gloria et majestate.

DISPUTATIO SECUNDA.

Per quatuor sectiones.

Demonstratur contra hæreticos et Judæos Christum esse verum hominem ac verum Deum.

Ostenditur 1 : Contra Manichæos et alios hæreticos Christum esse verum hominem, qualis Messias promissus fuit ex semine Abrahæ, ex femore Jacob, filius David, etc, hisce Scripturæ locis : *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum* (*Joan.* VIII, 40). *Vere hic homo Filius Dei erat* (*Marc.* XV, 39). *Expedit ut unus moriatur homo*, etc. (*Joan.* XI, 50). *Sicut per unum hominem mors*, etc., *multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi* (*Rom.* V, 12-15). Unde patet Christum fuisse tam verum hominem, quam Adam.

Ostenditur 2 : Christum esse Deum verum : 1° Contra hæreticos sic, quod in uno Scripturæ loco dicitur de Deo vero, id sæpe in alio loco exponitur de Christo, v. gr. dicitur de Deo : *Ascendisti in altum* (*Psal.* LXVII, 19), et idem dicitur de Christo (*Ephes.* IV, 8). Dicitur de Deo : *Vidi Dominum sedentem*, etc. (*Isa.* VI, 1), et idem dicitur de Christo (*Joan.* XII, 13 seqq.). Dicitur de Deo : *Mihi curvabitur omne genu* (*Isa.* XLV, 24), et de Christo idem dicitur (*Rom.* XIV, 11). Deinde Christus de se ipso, et alii de illo loquentes significant esse Deum. *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus* (*Rom.* IX, 5). *Qui est, et qui erat, et qui venturus est* (*Apoc.* IV, 8). *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), etc. 2° Contra Judæos sic : Paulus ad Hebr. 5, 8, 10, 11, 13, ex variis Psalmorum locis probat Christum esse Deum, v. gr. : *Filius meus es tu; ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi.* (*Psal.* XLIV, 7). *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI, 26). *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (*Psal.* CIX, 1). Deinde idem probatur ex hisce Isaiæ locis : *Parvulus natus est nobis*, etc.; *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus*, etc. (*Isa.* IX, 6). *Deus ipse veniet, et salvabit nos* (*Isa.* XXXV, 4). *In te est Deus, et non est Deus absque te, vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator* (*Isa.* XLV, 14, 15), nempe Jesus. *Ego ipse qui loquebar* (nimirum per prophetas) *ecce adsum.* (*Isa.* LII, 6). Rursus idem probatur ex aliis prophetis : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster* (*Jerem.* XXIII, 6), et ibi *Dominus* exprimitur per *Jehova*, quod est proprium Dei nomen. *Hic est Deus noster*, etc., *post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus* (*Baruch* III, 36-38). *Lætare, filia Sion, quia ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus* (*Zachar.* II, 10). *Et aspicient ad me quem confixerunt* (*Zachar.* XII, 10). *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me* (*Zachar.* XIII, 6). *Ex te* (Bethlehem) *egredietur*

mihi dux qui sit dominator in Israel; egressus ejus ab initio a diebus æternitatis (*Mich.* v, 2). Itaque dum Moyses dicit : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus* (*Deut.* XVIII, 15). intelligit quidem Messiam fore prophetam et legislatorem, sicut ipse erat, sed non negat fore simul Deum.

DISPUTATIO TERTIA.

De exsistentia incarnationis, ejusque convenientia.

SECT. I. — *An possit ratione probari incarnationem esse probabilem.*

Nota : Pater Suarez in hac tertia Theologiæ parte, suis disputationibus semper præmittit textum D. Thomæ, eique brevem explicationem aut commentarium adjungit. Cum autem in suis disputationibus eamdem doctrinam fusius discutiat ac sequatur, judicavi supervacaneum fore in hoc brevi Compendio istum textum ejusque commentarium ponere, ne prolixius sine necessitate evadat; ac simul quæstionum D. Thomæ numerum, quem Pater Suarez in fronte sui libri semper indicat omittam, contentus successivum ipsius disputationum numerum præponere. Quod idem in omnibus sequentibus disputationibus ac materiis observabo.

Dico 1 : Cum fides doceat incarnationem esse possibilem, quod nunc suppono, non potest ratione ulla demonstrari illam esse impossibilem, sive impossibile esse creatam naturam propria privari subsistentia, et aliena terminari; licet enim ratio humana hoc non assequatur, non ideo est impossibile; mysteria fidei sunt supra, non contra rationem. Hinc

Dico 2 : Non potest humana vel angelica cognitione naturali demonstrari incarnationem esse possibilem (D. Thomas, Durandus, Scotus, etc.). Probatur ex Scriptura et Patribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, etc. *Investigabiles divitias Christi et sacramentum absconditum a sæculis in Deo* (*Ephes.* III, 8). Et ratio est, quia intellectus creatus non potest per demonstrationem evidenter cognoscere quidquid Deo est possibile; deinde hoc mysterium est omnino supernaturale secundum se, nec ullo modo continetur in principiis, causis et effectibus, adeoque intellectus creatus non potest habere propriam illius speciem ; ac proinde nullum est medium quo naturaliter possit demonstrari illud esse possibile. Sed

Dico 3 : Supposita fide, potest naturalis ratio hujus fidei lumine adjuta, adhibere varia argumenta et exempla ad reddendum verisimile hoc mysterium et ad ejus veritatem confirmandam, sine quo lumine illa non sufficerent ad ferendum probabile judicium circa illius possibilitatem ; v. gr. sicut anima spiritualis cum corpore materiali potest uniri, et arbor alteri arbori inseri, tres personæ divinæ in una natura exsistere, ita mens cum fidei ope potest ratiocinari esse possibile naturam increatam uniri naturæ creatæ in unitate personæ.

SECT. II. — *An possit efficaciter ostendi contra infideles incarnationem esse factam.*

Nota : Ut probetur hæreticis incarnationem esse factam, sufficit Evangelii historiam afferre, maxime hos textus : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Et : *Non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Sed.

Dico : Infideles non possunt ratione convinci factam esse incarnationem ; ast variis suasionibus ad hoc mysterium credendum trahendi sunt. Nam si Sibyllæ aliquid cognoverint de incarnatione, id vel ex libris propheticis vel ex divina revelatione hauserunt; neque miracula quæ Christus fecit erant sufficientia signa ad factæ incarnationis evidentem cognitionem ; imo neque dæmon potuit evidenter cognoscere istius mysterii realitatem.

SECT. III. — *An incarnatio fuerit ex se conveniens.*

Dico 1 : Opus incarnationis fuit per se ipsi Deo conveniens, id est maxime consentaneum divinæ bonitati et perfectioni, etiamsi nullam illi utilitatem aut perfectionem attulerit. Quia dicitur unum conveniens alicui rei quod ei competit secundum propriam naturam, v. gr. homini, ratiocinari; sed ipsa Dei natura est essentialis bonitas; ergo quidquid pertinet ad rationem boni, est Deo conveniens ; pertinet autem ad rationem summi boni de summo bono creaturæ communicare, quod fit per incarnationem. Ergo, etc.

Dico 2 : Quamvis incarnatio sit supra debitum et conditionem naturæ humanæ, fuit tamen illi valde conveniens, id est magnum bonum et perfectionem illi attulit. Per hoc enim mysterium unus homo verus, fit verus Deus, adeoque superior angelis et capax multarum perfectionum, quarum nulla pura creatura potest esse capax, v. gr. infiniti meriti, etc. Deinde universa etiam natura humana ex hoc mysterio percepit ingentem utilitatem et perfectionem : *Christus enim factus est nobis sapientia, justitia et sanctificatio* (*I Cor.* I, 30). Et homines in genere gratiæ habent caput homogeneum, id est Christum, qui « cum esset Deus, » ait Augustinus, « factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus nos palmites esse possemus. » Imo

Dico 3 : Etiam ad perfectionem et quasi complementum universi mundi convenientissimum fuit incarnationis mysterium. Cum enim in omnibus substantiis creatis una natura integra exsistat in una persona, et in divina substantia una natura exsistat in pluribus personis, conveniens fuit ut omnes rerum differentiæ haberentur invenire modum, quo plures naturæ exsisterent in una persona, daretur-que in mundo novus ordo Theandricus. Deinde ex hoc mysterio quædam peculiaris dignitas ad omnes creaturas redundavit, quia in natura hominis omnes res creatæ quodam modo continentur; ideoque Deus assumendo hominis naturam, omnes naturas quodam modo specialiter sibi copulavit.

DISPUTATIO QUARTA.

De convenientia et necessitate incarnationis ad hominis lapsi reparationem.

SECT. I. — *An necessarium vel conveniens fuerit Deo hominem lapsum reparare.*

Dico 1 : Hominis lapsi redemptio non fuit opus ex necessitate a Deo factum, sed omnino libere ; adeoque potuit sine ulla imperfectione aut indecentia lapsum hominem sine remedio relinquere. Deus enim in suis operibus est liber, et ut libere homines creavit, ita et redemit : *Sic Deus dilexit mundum*, etc. (*Joan.* III, 16). *Majorem hac charitatem nemo habet*, etc. (*Joan.* XV, 13). Si intervenisset necessitas, non esset beneficium. Hinc dum dicunt Athanasius et Anselmus, indecorum Deo fore, si hominem non redemisset, intelligunt non ita divinæ bonitati consentaneum futurum fuisse.

Dico 2 : Fuit Deo valde conveniens ut lapsam naturam humanam, non autem angelicam repararet : 1° quia minor pars angelorum peccaverat ; tota autem natura humana ceciderat. 2° Quia angelus sua sponte quasi sine occasione peccavit ; homo autem peccavit a muliere inductus, quæ prius a serpente decepta fuerat. 3° Singuli angeli propria voluntate peccarunt ; homines unius voluntate prolapsi sunt. 4° Homo habet voluntatem facile mutabilem, et longum viæ tempus, in quo possit illum pœnitere ; angeli autem voluntas est quodam modo inflexibilis, et natura sua requirit viam brevissimam, ut ad terminum perveniat. 5° Si Deus utramque naturam lapsam angelicam et humanam sine remedio reliquisset, videretur aut peccati malo vinci et misericordia ejus superari, aut non posse tanto malo remedium adhibere. Unde 6° hominem redemit, ne gloriaretur dæmon se impedivisse ne homo assequeretur gloriam, quam ipse perdiderat. 7° Quo magis imbecilla est humana natura, quam angelica, eo magis fortiter divinam provocabat misericordiam.

SECT. II. — *An ad reparandum genus humanum, necessarium vel conveniens fuerit Deum fieri hominem.*

Dico 1 : Non fuit simpliciter necessarium, hominem liberari a culpæ et pœnæ malo, per condignam satisfactionem servato justitiæ rigore ; fuit tamen convenientissimum. Probatur, quia cum Deus sit supremus legislator et judex ac Dominus, potuit in sua lege contra peccatum lata dispensare, illud gratis condonare, cedendo juri suo, nulli enim fecisset injuriam ; vel potuit ab unoquoque homine aliqualem satisfactionem seu pœnitentiam exigere, illaque esse contentus ; vel alicui homini puro committere munus pro aliis satisfaciendi, etiamsi is homo nonnisi imperfecte istud præstare posset ; non enim tenetur Deus summum justitiæ rigorem semper servare. Attamen modus satisfaciendi per condignam satisfactionem, Deo fuit convenientissimus, quia omnes viæ Domini misericordia et veritas, et quo magis hæ relucent in opere nostræ redemptionis, eo altiori et convenientiori modo fit, nec Deus minuit misericordiam, dum justitiæ illam conjungit in hoc opere. Unde :

Dico 2 : Incarnationis mysterium non fuit simpliciter necessarium ad hominis lapsi reparationem. Ita theologi et Patres, quia non fuit simpliciter necessarium reparari hominem per justitiam perfectam, adeoque Christi mors non fuit simpliciter necessaria, sed solum ex divina ordinatione ; adeoque nec Christi mors simpliciter necessaria, unica enim Christi actio poterat ad satisfactionem sufficere, vel ex se vel ex divina acceptatione. Dum igitur quidam dicunt necesse fuisse per Dei incarnationem mundum reparari, id intelligunt vel de necessitate ex supposita Dei ordinatione, vel de necessitate ad melius esse.

Dico 3 : Ad redimendum ex perfecta justitia hominem, necessaria simpliciter fuit unio hypostatica, sive cum humana sive cum angelica natura (D. Thomas, Leo, Ambrosius, Chrysostomus, Athanasius, etc.), quia tota perfectæ justitiæ ratio quæ in Christi redemptione invenitur, ita oritur ex divinæ personæ dignitate, ut nullo modo possit creatæ personæ communicari aut convenire, ut in sequenti sectione dicetur. Attamen medium ad humanam redemptionem absolute convenientissimum fuit, ut Deus assumeret nostram naturam, per quam pro nobis satisfaceret, quia hoc pertinebat ad majorem hominum honorem ac gloriam, ad majorem dæmonis confusionem, ut in eadem natura, quam vicerat, vinceretur ; ad majorem divini amoris erga homines exhibitionem ; denique nullum est medium aptius aut melius, quo Deus posset uti. Hoc igitur opus fuit et summæ misericordiæ, cum Christus innocens sponte susceperit onus satisfaciendi pro nocentibus ; et summæ justitiæ, cum factus fidejussor debuerit satisfacere ex justitia ad æqualitatem ; et hoc bonum infinitum ac vita Christi non tantum ad bonum hominis finitum, sed maxime ad infinitam Dei gloriam ordinabatur.

SECT. III. — *An Christi opera fuerint sufficientis valoris ad condigne satisfaciendum pro peccatis hominum.*

Nota : Hac in re errarunt : 1° Judæi qui non credunt Messiam esse redemptorem animarum sed corporum ; nec auctorem bonorum spiritualium, sed temporalium ; cum tamen dicatur Dan. IX, 24, Messias venturus, ut *finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna*, sitque venturus non solum pro Judæis solvendis, sed etiam pro gentilibus. 2° Pelagiani qui negantes peccatum originale et gratiæ necessitatem, negarunt pariter Christum pro nobis satisfecisse, sed solum venisse, ut eos doctrina et exemplo doceret. Horum error sat alibi refutatus est : *Sicut per unum hominem*, etc. (*Rom.* V, 12). *Quem proposuit Deus propitiationem propter remissionem præcedentium delictorum* (*Rom.* III, 25), etc. 3° Abailardus qui negavit

Christum nos liberasse a dæmonis jugo, aut pro nobis satisfecisse.

Dico 1 : Christus Dominus per sua opera sufficienter satisfecit tam pro originali humani generis lapsu, quam pro universis hominum peccatis, quæ quovis tempore commissa sunt, aut committuntur. De fide in concilio Tridentino (sess. 6, cap. 1). *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate* (*Tit.* II, 14). *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi* (*I Joan.* II, 2). *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo* (*Apoc.* V, 9). Nec solum sufficienter satisfecit pro peccatis hominum quoad culpam, sed etiam pro pœnis quæ illis debitæ erant. De fide ut ante. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Hinc sua morte aperuit hominibus januam cœlestis regni. Sed quamvis Christi opera ordinata fuerint a Deo, et ab ipso Christo ad satisfaciendum pro nobis, non tamen ita ordinata sunt, ut in nobis haberent effectum sine nostra cooperatione vel actione; v. gr. sine baptismo, sine fide, sine charitate, etc.

Dico 2: Christi satisfactio non solum æqualis fuit, sed etiam superabundans; neque tantum ex divina acceptatione, sed ex proprio ipsorum operum Christi valore, quem habebant ex personæ operantis dignitate: ita communiter theologi D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Anselmus, etc., contra Scotum, Durandum, etc., negantes opera Christi de se habuisse valorem et condignitatem ad hujusmodi satisfactionem, sed solum ex Dei acceptatione; quia nempe Deus voluit illa sibi offerri, et promisit fore illis contentum, ac propter illa se remissurum hominibus peccata. Sed

Probatur. Ex Scriptura et Patribus : *Sicut per unum hominem*, etc. (*Rom.* V, 12 seqq.), id est, si Adæ peccatum de se sufficiens fuit ad damnationem, multo magis Christi opera de se habuerunt valorem ad condignam eorum satisfactionem; quia, *Non sicut delictum, ita et donum* (*Ibid.*, 15). *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Ibid.*, 20). Vide etiam ad Hebr. VII, VIII, IX, X, ubi dicitur, una Christi solutione et satisfactione consummata nostra redemptio. Ratio est, quia sicut gravitas offensionis crescit ex dignitate personæ offensæ, ita satisfactionis valor et dignitas sumitur maxime ex dignitate personæ satisfacientis; atqui Christus, qui pro peccatis hominum satisfecit, erat persona infinitæ dignitatis; ergo et valor ejus satisfactionis. *Et quidem cum esset Filius Dei, exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V, 7, 8), quia valor operis desumitur maxime ex persona operante, ut jam dicetur. Itaque

SECT. IV. — *An opera Christi fuerint infiniti valoris et efficaciæ ad satisfaciendum.*

Dico: Opera Christi habuerunt valorem simpliciter infinitum ad satisfaciendum et merendum apud Deum. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Cajetanus, Sotus, etc., communiter, contra Scotum, Durandum, etc.) Hic conjungo meritum cum satisfactione, quia licet distinguantur (meritum enim dicit ordinem ad mercedem et respicit commodum ejus qui meretur; satisfactio autem dicit ordinem ad injuriam compensandam et respicit honorem cui offertur), tamen in hoc casu sunt ejusdem rationis, et habent easdem difficultates. Itaque probatur, ut supra, ex variis Scripturæ et Patrum locis, et præcipue hac fundamentali ratione : satisfactio crescit in valore ex dignitate personæ satisfacientis. Atqui persona satisfaciens in Christo est infinitæ dignitatis. Ergo ejus satisfactio seu ejus opera sunt infiniti valoris ad satisfaciendum; ideoque Patres dicunt actiones Christi ex dignitate personæ operantis fuisse deificatas. Hic autem infinitus valor actionum Christi non provenit, ut quidam volunt, ex eo quod a persona divina non solum per voluntatem humanam, sed etiam per divinam proficiscebantur, ita ut ex actu divinæ et ex actu humanæ voluntatis componeretur unus actus moralis, quia cum isti duo actus sint realiter distincti, non possunt in unum coalescere; deinde ex unitate personæ male infertur unitas actionis: hæc siquidem, ut Patres et concilia docent, consequitur naturam; neque etiam provenit ex eo quod immediate ac physice procedant a divina Verbi personalitate, non tantum ut terminante ac sustentante naturam humanam, sed etiam ut per se influente in ipsum humanæ Christi voluntatis actum : quia subsistentia, qualis est Verbi personalitas, juxta philosophos, non est proximum operandi principium, sed tantum quidam naturæ terminus constituens suppositum, quod est per se principium operationum. Denique neque provenit ex eo quod humanitatis Christi actus habeant ad Verbum divinum unionem, quia cum illorum unio sit tantum mediata, mediante nempe natura, non infert infinitum illorum valorem. Sed horum actuum voluntatis Christi infinitus valor potest provenire ex triplici capite : 1° Ex parte personæ, prout præcise est operans et eliciens illos actus per humanitatem sibi conjunctam; ex vi enim hujus respectus, sunt isti actus aliquo modo divini, et divinæ personæ specialiter proprii. 2° Ex parte personæ cui intrinsece immanent; intrinsece enim postulant ut maneant in eadem persona a qua fiunt mediante natura per quam fiunt. 3° Ex parte materiæ circa quam versantur, v. gr. ex parte sanguinis Christi pro hominibus effusi, cujus effusio prout a libera voluntate Christi procedit, habet infinitum valorem ob ea quæ jam dixi. Veniamus nunc ad objectiones.

Objicies 1 : Opus profectum a persona digniori coram Deo, v. gr. ab una persona habente quatuor gradus gratiæ, et ab alia habente tantum duos, non fit majoris valoris, cæteris paribus, ad satisfaciendum; ergo opera Christi non accipiunt majorem valorem ad satisfaciendum ab infinita ipsius personæ dignitate. Respondeo : Distinguo antecedens. Si personæ operantis dignitas sit accidentaria et quasi extrinseca, concedo antecedens ; si sit substantialis et

intrinseca, nego antecedens. Dignitas ergo personæ Christi operantis erat substantialis et intrinseca, ideoque conferebat et in suo genere influebat ad valorem operis, quia actiones sunt suppositorum et personarum. Si autem dignitas sit accidentaria, potest se habere tantum concomitanter ad opus, nec in illud influere. Cæterum agendo de majori dignitate gratiæ habitualis, negatur antecedens. Opus enim factum a sanctiori persona est majoris valoris moralis coram Deo, quam a minus sancta, ut dicitur in tractatu *De gratia*.

Obj. 2 : Visio objecti infinitæ perfectionis, uti et offensa personæ infinite perfectæ, est tantum infinita secundum quid et non simpliciter; ergo etiam opus factum a persona infinitæ dignitatis est tantum infiniti valoris secundum quid, et non simpliciter. Respondeo : Nego consequens. Persona operans longe aliter influit in suam propriam operationem quam persona extrinseca concurrendo per modum objecti ad operationem alterius, v. gr. Deus infinitus concurrendo per modum objecti visibilis ad beatificam angeli visionem. Objectum enim solum terminat actus habitudinem ad ipsum actum, quæ habitudo finita est, licet objectum sit infinitum, ideoque tota bonitas actus inde profluens. est simpliciter finita ; persona autem operans quodammodo per se ipsam informat moraliter suam operationem. Unde fit ut valor operis Christi sit infinitus simpliciter, quia persona Christi est infinita simpliciter.

Obj. 3 : Quantitas meriti vel satisfactionis non oritur ex sola dignitate operantis; ergo. Respondeo: Probabiliter neg. antecedens. Sola enim gratiæ dignitas in persona operante sufficit ad valorem meriti vel satisfactionis, modo sit capacitas in actu ; id est modo sit liber et bonus ; et omnes aliæ conditiones non sufficiunt sine illa dignitate, quæ cum in Christo sit infinita simpliciter, dat sui actus tanquam forma intrinseca et ultima valorem infinitum simpliciter.

Obj. 4 : Persona Verbi solum finito modo erat unita humanitati; ergo etiam solum finito modo auget valorem operis, utpote eum solum augens media unione cum humanitate. Respondeo : Verbum per se ipsum adeoque secundum totam suam infinitatem est unitum humanitati ; et licet unio, quatenus est modus humanitatis, sit quid finitum simpliciter, id tamen quod per illam humanitati communicatur, est simpliciter infinitum, si non in ratione entis, saltem in ratione moralis valoris seu meriti et satisfactionis. Quamvis enim actio Christi physice in ratione entis sit finita, v. gr. quoad intentionem, moraliter tamen in genere satisfactionis est simpliciter infinita ; quia hæc moralis dignitas ex conjunctione humanitatis cum divina persona provenit, actiones siquidem, uti et earum moralis valor, sunt suppositorum ; et iste valor in ordine ad meritum et satisfactionem est quid distinctum a physica ac reali actus bonitate.

Obj. 5 : Si Christi satisfactio sit infinita ; ergo unicum ejus opus est tanti valoris, quanti simul omnia ejus opera, cum non detur infinito majus ; ergo totum non erit majus sua parte. Respondeo : Opera Christi in bonitate reali quoad objectum, intensionem, durationem, etc., fuerunt finita et inæqualia, hæc enim bonitas realis, physica, essentialis est finita, daturque major et minor ; tamen unum quodcunque eorum ex parte personæ operantis fuit infiniti valoris, nec fuit minor valor in uno, quam in alio, quia dignitas personæ in omni perfectionis genere infinitæ, continens omnia alia bona, erat quasi forma quæ æqualiter cuivis illorum operum in reali bonitate diversorum, seu inæqualium, conferebat infinitum valorem. Unde fit ut plura Christi opera sint quidem extensive plura merita, sed non sit intensive plus valoris in multis quam in uno, quia eadem est valoris forma in uno ac in multis. Si tamen opera Christi spectentur prout erant sub divina ordinatione, et Christi operantis relatione, sic Christus plus meruit ac satisfecit per omnia totius vitæ suæ opera, quam per singula ; atque aliquid per unum obtinuit et non per aliud. Sic redemptio nostra Christi passioni ac morti tribuitur, etiamsi non solum per illam, sed etiam per omnia totius vitæ suæ opera nobis meruerit, et pro nobis satisfecerit; quia ex divina ordinatione per ipsius passionem et mortem tanquam per præcipuum opus consummata fuit nostra redemptio.

Obj. 6 : Ex hac infinita Christi satisfactione vel merito, sequitur plus potuisse Christum mereri, quam Deus potuerit eum remunerare ; infinitum enim meritum non potest habere æquale præmium, nisi sit etiam infinitum. Hoc autem Deus non potest conferre ; non potest enim conferre gratiam, aut infinitam sui visionem. Respondeo : Meritum Christi fuit sufficiens ad omne pretium possibile cum perfecta æqualitate obtinendum, sive pure creatum, sive increatum, v. gr. communicationem personæ divinæ per unionem hypostaticam, atque ita bonum infinitum ; imo non tantum ad obtinendum omne præmium possibile divisive sumptum, sed etiam probabilius collective, ita ut in quolibet ejus actu ob infinitam personæ operantis dignitatem sit sufficiens valor ad quæcunque præmia cum æqualitate obtinenda, etiamsi sint singula perfectissima et in quocunque numero augeantur. Unde in unico Christi quolibet actu tantus est valor quantus in pluribus, utpote semper infinitus. Itaque si meritum Christi spectetur tantum secundum se, sic nullum est præmium creabile quod possit illi adæquari, aut quod omnino tam intensive quam extensive possit exhaurire ejus valorem, sive quod ejus valori adæquate correspondeat ; quia cum sit infinitus non potest dari præmium creatum categorematice infinitum quod illi adæquetur, sed tantum syncategorematice. Si autem spectetur sub ratione operantis, cum sic referatur ad præmium finitum, tunc habet definitum seu finitum præmium adæquatum ad quod

ex conventione ac promissione Dei jus acquisitum est, etiamsi de se foret dignum longe majoris præmii, utpote infiniti valoris. At de facto Christus sua merita et satisfactiones obtulit tantum pro hominibus numeri finiti : quinimo non secundum omnem ipsorum vim, sed juxta mensuram ex divina sapientia et ordinatione præfixam. Quod autem exsistente tam copiosa redemptione, tam pauci salventur, id ad inscrutabile prædestinationis mysterium spectat. Deinde an tot homines per Christum nunc salventur, quot in statu innocentiæ salvi fuissent, id incertum est.

Sect. V. — *An in Christi satisfactione intercesserit vera ac propria justitia.*

Dico 1 : In Christi satisfactione absolute videtur servata esse propria et vera justitia tam ipsius Christi ad Deum, quam Dei ad Christum. Justitia quidem juxta Aristotelem (nempe humana) est ad alterum, sive respicit alteram personam, quia ipse non cognovit duas naturas liberas posse in una et eadem persona consistere; sed supposito hoc mysterio, sufficit ut idem Christus in quantum homo, sibi in quantum Deo satisfaciat ex propria justitia : ibi enim licet non sit respectus ad alteram personam, est tamen sufficiens ratio ad alterum, quia per diversas voluntates satisfactio offertur et acceptatur; si quidem Christus ut homo, potest esse mediator inter Deum et hominem, et Deo obedire, ergo et ei satisfacere. Jam vero videndum est quomodo hæc satisfactio fuerit verus justitiæ actus. Quare

Dico 2 : Ista satisfactio fuit propriæ ac veræ justitiæ actus Christi ad Deum ; quamvis enim Christus nec habuerit, nec habere potuerit pro peccatis propriis obligationem justitiæ ad Deum, tamen prout constitutus fuit caput hominum, et suscepit onus satisfaciendi pro hominibus, dici potest subiisse hanc obligationem ex pacto inter ipsum et Deum, et quia ob personæ suæ dignitatem potuit ad æqualitatem satisfacere, ideo nihil in illo defuit ad veram justitiæ rationem ; vera enim justitia est divinum dominium ac jus servare illæsum, et læsum reparare ; quod Christus mirabiliter præstitit, sub illo motivo, affectu, et intentione condignam satisfactionem exhibendi.

Dico 3 : Prædicta satisfactio fuit etiam propriæ ac veræ justitiæ actus Dei ad Christum, sive Deus in acceptanda Christi satisfactione exercuit verum justitiæ actum ; ad quem actum, omissis variis aliorum opinionibus, non tantum fuit necessaria actualis acceptatio Dei, sed etiam obligatio seu necessitas acceptandi istam a Christo oblatam satisfactionem. Hæc autem in Deo obligatio acceptandi dictam satisfactionem, orta est ex ipsius pacto cum Christo, seu ex ipsius promissione sub conditione talis operis, quo posito obligabatur ex justitia distributiva servare suum promissum, seu Christi opus positum obligabatur acceptare pro peccatorum mundi satisfactione, ut ex Scriptura colligitur : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, etc. (*Isa.* LIII, 10 seqq.). *Iniquitates eorum ipse portabit et ideo dispertiam ei plurimos* (*Ibid.* 11). *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, etc. (*Psal.* II, 8). Posita igitur ista promissione debuit Deus ex vera ac propria justitia distributiva acceptare Christi satisfactionem. Cum enim juxta Scripturam detur in Deo justitia erga aliorum hominum merita, multo magis erga Christi merita et satisfactiones : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi ; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ , quam reddet mihi in illa die justus judex* (*II Tim.* IV, 7, 8). *Voca operarios, et redde illis mercedem* (*Matth.* XX, 8). Et justitia quidem non tantum ut generalis virtus, sed ut speciale ipsius attributum, non minus quam misericordia, charitas, etc. : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi ; justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV, 11). Ratio est, quia Deum operari ex vera et formali justitia, et ex debito ejusdem justitiæ quod ex libera sua promissione ac conventione provenit, non est imperfectio ; operatur enim non ut homini, sed ut sibi ipsi debitor, quatenus ipsi debitum est ut sua divina ordinatio ac promissio impleatur. Et sic non agit ex obligatione extrinseca, seu ex debito extrinseco, sed ex naturali suæ justitiæ rectitudine, quod Deo maxime convenit : *Unusquisque mercedem accepit secundum suum laborem* (*I Cor.* III, 8). Hæc igitur in Deo obligatio, necessitas aut debitum justitiæ est tantum ex suppositione promissionis non cujuscunque, sed ejus quæ est sub conditione operis æquivalentis seu sufficientem ad mercedem aut præmium proportionem habentis; atque ita hæc justitia non minuit divinum dominium, quia ista necessitas non proprie (nisi objective) ex jure creaturæ oritur, sed formaliter ex divinæ voluntatis rectitudine, supposita ejusdem voluntatis libera promissione.

Sect. VI. — *An in Christi satisfactione servatæ fuerint omnes perfectæ justitiæ conditiones.*

Nota : Præter essentiales justitiæ conditiones de quibus jam diximus, aliæ sunt accidentales et præsertim hæ tres quæ ad satisfactionem spectant : 1° Ut satisfactio fiat ex propriis bonis debitoris, non creditoris ; 2° ut satisfactio, seu debiti solutio fiat ex iis quæ non sunt debita eidem creditori alio justitiæ titulo; 3° ut non fundetur in gratia a creditore facta, seu in ejus liberalitate. Aliæ quædam a nonnullis adduntur , sed videntur rejiciendæ. Quare :

Dico 1 : In Christi satisfactione servata est prædicta tertia justitiæ conditio : quia gratia unionis ex qua satisfactio processit, non est primo et per se facta a Deo humanæ Christi naturæ ad satisfaciendum pro peccato, sed ad suam bonitatem communicandam. Deinde Christus non formaliter satisfecit per ipsam unionis gratiam, utpote satisfactioni antecedentem, sed per subsequentes labores et horum fructus. Præterea gratia unionis non est

facta huic homini Christo, qui satisfecit; sed ejus humanitati, quæ non satisfecit; quia actiones sunt suppositorum. Et licet ad istos actus requiratur supernaturalis Dei concursus, tamen ipse Christus proximum habet etiam suum proprium concursum, ratione cujus illi actus sunt ipsi proprii et sufficientes ad condignam satisfactionem.

Dico 2 : In Christi satisfactione etiam servata est prædicta prima justitiæ conditio; quia licet valor satisfactionis proveniret ex divina persona, non tamen quatenus subsistente in propria natura, sed quatenus sustentante alienam seu humanam illamque cum suis operibus nobilitante; et ut sic, non habet creditoris, aut personæ cui satisfit, rationem, sed debitoris, seu satisfactoris. Et ad satisfaciendum non est necesse ut opera quibus satisfit, non sint sub dominio divino seu creditoris, sed sufficit ut satisfactor seu Christus operans sit suorum operum dominus; id est, libere illa ponat, et per illa læsum honorem condigne reparet.

Dico 3 : Etiam secunda justitiæ conditio supradicta in Christi satisfactione servata est : quamvis enim Christus ex obedientia, vel gratitudine erga Deum, possit illi debere suas actiones vel passiones, non tamen ex strictæ justitiæ debito; et sic solvit Deo debitum ex iis operibus quæ non erant ei debita ex justitiæ titulo.

Sect. VII. — *An purus homo potuerit esse sufficiens ad redimendos alios homines ex perfecta justitia.*

Dico 1 : De potentia Dei absoluta fieri potuit ut unus homo purus innocens et sanctus satisfaceret ex aliqua justitia, et aliquo modo de condigno pro aliorum, etiam totius generis humani peccatis; potuit enim Deus constituere purum hominem justum, qui in ordine gratiæ esset omnium hominum caput, gratiamque in alios aliquo modo transfunderet : sicut in arbitrio et voluntate Adami potuerunt omnium posterorum voluntates moraliter constitui, ita ut illo peccante, omnes censerentur in illo peccare, ejusque posteri peccatum contraherent; ita potuit Deus constituere in ordine gratiæ aliquem hominem aliorum caput, eorumque voluntates ita in eo ponere, ut illo merente et satisfaciente, omnes in illo et per illum censerentur satisfacere, et sic istius hominis opera futura fuissent sufficientia ex aliqua justitia, utpote proportionata ad merendum et satisfaciendum pro aliis. Attamen

Dico 2 : Ejusmodi puri hominis satisfactio non posset cum Christi satisfactione in valore, qui est infinitus, æquiparari; nec æqualis esset Dei offensæ, adeoque nec ex perfecta justitia : puri enim hominis opera non habent valorem qui ad satisfactionem omnino æqualem sufficiat, quia peccatum ex parte Dei, seu personæ offensæ, est malitiæ infinitæ, si non simpliciter, saltem secundum quid, et objective; hæcque infinita secundum quid peccati malitia seu gravitas non potest proportionate et adæquate compensari per satisfactionem a persona finita exhibitam. Ratio est quia injuria crescit ex personæ offensæ, et satisfactio ex personæ satisfacientis dignitate. Unde ut satisfactio habeat æqualitatis proportionem cum injuria, necesse est personæ satisfacientis dignitatem habere eamdem cum personæ offensæ dignitate proportionem; hanc vero persona creata quantumvis sancta et grata, habere non potest, sive non potest habere moralem æqualitatem in ordine ad satisfaciendum Deo pro injuria illi facta.

Sect. VIII. — *An homo purus possit ita Deo satisfacere pro sua culpa mortali, ut per actum perfectæ contritionis seu dilectionis Dei super omnia, seipsum sanctificet, et formaliter a se peccatum expellat sine alia Dei acceptatione et remissione.*

Dico 1 : Homo per supernaturalem perfectæ contritionis actum, et includentem absolutam Dei dilectionem super omnia, se ad obtinendam peccati sui mortalis remissionem proxime disponit. Habetur ex concilio Tridentino (sess. 6, cap, 6, 7). Ratio est quia datur aliqua dispositio perfecta, per quam homo ita possit præparari ad peccati remissionem, ut illa posita statim fiat remissio, etiam sine reali sacramenti susceptione; sed hæc non est alia nisi dictus contritionis actus; ergo, etc. Hæc alibi, in tractatibus *De gratia* ac *De pœnitentia*, vide fusius probata, et hic apud P. Suarez. Hinc

Dico 2 : Remissio peccati est Dei opus et gratiæ beneficium a prædicto perfectæ contritionis actu distinctum : contritio enim disponit seu præparat ad remissionem aut illam impetrat; nec vi sua illam formaliter confert, sed a Deo obtinet. Ergo remissio est beneficium distinctum a sua dispositione. Ideo Scriptura sæpe promittit contritioni peccati remissionem tanquam novam gratiam, et distinctum suæ misericordiæ ac benignitatis beneficium; non tantum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. idcirco

Dico 3 : Peccator non ita Deo pro suo peccato mortali satisfacit, ut per supernaturalem contritionis suæ quantumvis perfectæ actum seipsum sanctificet ac peccatum formaliter a se expellat sine alia Dei acceptatione et remissione; peccator enim per ipsam contritionem meretur peccati sui remissionem, et peccati remissio est nova gratia a contritione distincta, cadensque sub promissionem distinctam; ergo contritio per se ipsam, vel per suam quasi physicam ac connaturalem informationem, non expellit peccatum, est enim ultima tantum dispositio ad illius expulsionem; adeoque non est formalis illius expulsio, alioqui idem actus esset et dispositio ad effectum formalem, et suus effectus formalis. Deinde iste contritionis actus non est æquivalens injuriæ illatæ, nec ex se sufficiens ad illam reparandam ob vilem personæ satisfacientis conditionem. Non tamen hinc sequitur peccatorem justificari per favorem extrinsecum, sed dispositive

et meritorie de congruo justificatur per dictum contritionis actum; formaliter autem per gratiam sanctificantem intrinsece animæ inhærentem cum extrinseca Dei condonatione, atque ita per novam gratiam a contritione distinctam, et per novum Dei beneficium, quod est partim physicum et intrinsecum, nempe gratia sanctificans, excludens physicam privationem oppositam, partim morale et extrinsecum, nempe offensæ remissio et condonatio. Sed hæc et alia vide specialius in dictis tractatibus *De gratia* et *De pœnitentia*.

Sect. IX, X. — *An homo purus possit ad æqualitatem Deo satisfacere pro suo peccato mortali; aut saltem imperfecte.*

Dico 1 : Homo non potest Deo satisfacere ad æqualitatem pro suo peccato mortali per actum contritionis formatum, seu ut procedentem a gratia sanctificante; quia contritio gratia sanctificante informata, sicut jam supponit gratiam sanctificantem gratis infusam', ita etiam supponit peccatum gratis remissum; ergo non habet jam locum satisfactio pro isto peccato: satisfacere enim est solvere debitum; sed debitum seu peccatum jam est gratis remissum; ergo illud non solvit, sive non satisfacit per istum actum gratia et remissione posteriorem.

Dico 2 : Peccator cum a peccato mortali resurgit, non satisfacit nec potest satisfacere Deo de condigno seu ad æqualitatem per actum contritionis seu dilectionis, quatenus est dispositio ad remissionem peccati, et natura prior illa, alioqui peccati remissio in se ac formaliter non gratis fieret, sed ex operibus et ex justitia; quia debitum quod per condignam solutionem solvitur, non remittitur gratis, cum tamen in Scriptura et Patribus peccati remissio gratia vocetur, eo quod gratis fit ex Dei benignitate et misericordia. Deinde contritio ut est dispositio ad primam gratiam et peccati remissionem, procedit ab homine, ut nondum grato, nec libero a peccato; ergo quatenus talis non potest habere valorem ad Deo satisfaciendum secundum æqualitatem : ita D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus, Capreolus, etc., etiamsi in hujus sententiæ probationibus varii varia afferant, contra Cajetanum, Scotum, etc., asserentes posse hominem peccatorem ex gratia Dei satisfacere de condigno et ad æqualitatem pro sua culpa mortali; et per hanc satisfactionem, sive ex ejus vi et efficacia, ob Dei promissionem, ab eo obtinere istius peccati remissionem.

Dico 3 : Homo per actum contritionis, licet non perfecte et secundum æqualitatem, potest tamen imperfecte Deo satisfacere pro sua culpa mortali : quia qui non potest illatæ injuriæ perfecte satisfacere, si illam compenset eo modo quo potest, et quo creditor exigit et contentus est, satisfacit imperfecte; atqui peccator per actum contritionis aut dilectionis ita se gerit erga Deum; ergo illi saltem imperfecte satisfacit, utpote per actum proportionatum : alioqui nulla erit possibilis satisfactio imperfecta, et certe hanc imperfectam satisfactionem inter homines sæpe videre est. Ista autem imperfecta satisfactio, cum non inducat obligationem aliquam aut debitum justitiæ, non impedit quominus remissio peccati absolute et simpliciter gratis detur; uti meritum de congruo latius sumptum, qualis est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, non impedit quominus gratia sanctificans gratis detur, non obstante illo prævio merito de congruo, quia nullam obligationem nec proprium justitiæ debitum inducit. Denique perfecta Christi satisfactio non excludit nostram imperfectam, ubi major dari nequit; alioqui pene coincideremus cum hæreticis excludentibus nostras satisfactiones a Christi satisfactionibus.

Sect. XI. — *An purus homo possit pro veniali suo peccato perfecte Deo satisfacere.*

Dico 1 : Homo justificatus potest simpliciter satisfacere de condigno pro veniali peccato; adeoque ex justitia et non mere gratis illius remissionem obtinere (D. Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus, etc.), quia contritio vel amor Dei ex se est maxime proportionatus ad hujusmodi satisfactionem condignam vel remissionem; attingit enim Deum ut finem ultimum, et perfecto modo hominem ad illum convertit. Deinde operans est persona justa et amica Dei, adeoque digna; nec deest Dei promissio sub conditione talis actus. Gravitas quidem offensæ sumitur ex persona offensa, quæ est Deus infinitus, et magnitudo satisfactionis ex persona satisfaciente, quæ est homo finitus, sicque videtur non servari proportio et æqualitas. Sed advertendum est peccatum veniale non esse offensam Dei simpliciter, sed tantum secundum quid; nec proprie esse contra Deum ut ultimum finem, sed præter Deum : ideoque ad condignam ejus satisfactionem et ex quadam justitia non necessario omnimodam proportionem et æqualitatem requiri, sed sufficere actum ex gratia et sanctitate procedentem cum aliis conditionibus. Idcirco

Dico 2 : Hæc puræ creaturæ satisfactio pro peccato veniali non est tam exacta et perfecta, quam pro eodem Christi satisfactio, sistendo etiam intra rationem justitiæ, ejusque perfectionem; in solo enim Christo reperitur illa exacta et perfectissima æqualitas, qua persona satisfaciens est tam digna quam persona offensa. Deinde soli Christo, proprie loquendo, nulla facta est gratia, sed ejus humanitati; et solus ipse habuit infinitum valorem in suis operibus ad vincendum omne debitum, etiam rigorosum, quem non potest pura creatura habere. Unde Deus volendo uti toto suæ justitiæ rigore, posset non acceptare puri hominis satisfactionem pro suo peccato veniali, et ob hoc solum juste illum excludere ab æterna beatitudine, seclusa nempe promissione, et agendo ut supremus dominus, non ut judex, qui si remittat culpam, remittit et pœnam æternam ex suæ justitiæ rectitudine.

Sect. XII. — *An purus homo possit ut membrum Christi satisfacere Deo ex justitia pro suo peccato.*

Nota : Homo dicitur satisfacere ut membrum Christi, non quia Christi extrinseca satisfactio illi imputatur, sed quia per gratiam ob Christum acceptam, quam Christus tanquam caput in membra diffundit, ipse satisfacit; ejusque satisfactio fundatur in Christi meritis et satisfactione, id est in gratia actuali et habituali ob Christum data ad satisfaciendum, et acceptatur ob Christi justitiam ex divina promissione, et quod illi deest valoris, suppletur ex conjunctione cum Christi satisfactione.

Dico : Homo potest recte dici *passive* justificari, ei peccatum remitti, ejus dispositiones vel satisfactiones acceptari ex perfecta et rigorosa justitia, quia Christus ex perfecta justitia illa omnia nobis promeruit, et ita perfecte pro nobis satisfecit, ut ex perfecta justitia, non nobis, sed ipsi debita, peccata nostra remittantur; non potest autem proprie dici *active* satisfacere ex perfecta justitia, præsertim pro peccatis mortalibus, quia pro his non satisfacit ut vivum Christi membrum, adeoque non condigne, nedum de rigore justitiæ. Si autem jam justificatus ut vivum Christi membrum satisfaciat pro venialibus, non potest etiam tunc dici satisfacere de rigore justitiæ condigne, quia Christus ut caput non communicat suo membro ut possit satisfacere eo modo perfectissimo, quo ipse satisfecit, sed relinquit ejus operi dignitatem inferiorem, quam habet prout est a proximo operante : unde non est eadem dignitas actionum capitis ac membrorum.

DISPUTATIO QUINTA.

De primaria incarnationis causa.

Sect. I. — *De prioritate et posterioritate rationis in actibus divinis.*

Dico 1 : Quamvis in actibus divinis intellectus et voluntatis, nullus insit realiter ac formaliter ordo prioris et posterioris, datur tamen virtualiter, quatenus in iis datur fundamentum, quo possumus unum esse alio priorem secundum rationem concipere. Deus quidem unico ac simplici actu omnia scit ac vult : sed quia inter scientiam et voluntatem, et inter res cognitas aut amatas datur quædam connexio ac dependentia, ideo ad eam explicandam concipimus in divino intellectu vel voluntate unum ut prius vel posterius alio; sicque in istis priora et posteriora non secundum rem, sed secundum rationem, si qua distinguuntur.

Dico 2 : Hic ordo prioris et posterioris in divino intellectu respectu voluntatis petitur ex naturali connexione, quæ est inter intellectum et voluntatem, et inter utriusque actus; intellectus enim movet voluntatem proponendo objectum, et ideo concipimus aliquem divini intellectus actum præire voluntatis actui, quia voluntas non fertur nisi in rem cognitam; voluntas autem est a qua procedunt omnes Dei actiones liberæ, ideoque est principium omnium rerum creatarum et operum Dei in ordine naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ. Hinc scientia istarum rerum quatenus exsistentium vel futurarum in aliqua temporis differentia, concipitur esse in Deo posterior actu liberæ voluntatis : et ita in Deo distinguitur duplex scientia, simplicis intelligentiæ et visionis; illa dicitur antecedere voluntatem, hæc subsequi. Deinde intentio finis semper præsupponit aliquam mediorum scientiam, non quamcunque, sed sibi proportionatam. Jam vero quoad res quæ sub divinam scientiam vel voluntatem cadunt, hic ordo prioris et posterioris non fundatur in ipsa scientia et voluntate secundum se (quia ista in se est omnino una et simplicissima), sed in ipsis rebus quæ scientiæ vel voluntati objiciuntur, prout inter se habent aliquam dependentiam vel connexionem. Sic supposita in Deo electione prædestinati, intelligimus Deum prius voluisse eum vocare, quam justificare, et prius justificare quam glorificare.

Dico 3 : Sæpe voluntas Dei ordinans res ad fines extrinsecos, ad quos ut media ex natura sua non tendunt, nihil in eis immutat aut imprimit : sic Deus ordinavit incarnationem vel passionem Christi ad nostram redemptionem, qui finis omnino extrinsecus erat incarnationi, et hæc in se eadem omnino fuit, quæ esse potuisset sine ordinatione ad talem finem. Similiter cum Deus permittit peccatum in prædestinato, ut sit illi majoris boni occasio, ista permissio est medium ad salutem prædestinati, ad quem finem a solo Deo ordinatur; et tamen eadem omnino permissio sine ordinatione ad talem finem esse posset. Res igitur a Deo volita ob finem extrinsecum, denominatur ordinata ad istum finem, non semper ab aliquo illi rei intrinsece addito; sed ab actu divinæ voluntatis, qui ad illam ob talem finem terminatur sine ulla in Deo mutatione.

Dico 4 : Dicitur in Deo aliquid esse prius ordine intentionis quam ordine exsecutionis; quia Deus non immediate per suam voluntatem exsequitur id quod vult; sed per suam omnipotentiam quam ad opus applicat tanquam immediatam operandi principium. Deinde in Deo non est imperfectio intendere finem independenter a mediis, ob motivum propter quod finis intenditur, et ob modum quo intenditur.

Sect. II. — *An voluntas incarnationis in Deo præcesserit originalis peccati præscientiam; an vero subsecuta fuerit.*

Nota : Multi auctores, et maxime Thomistæ, qui putant esse D. Thomæ sententiam, sentiunt quod peccati originalis præscientia præcesserit in Deo incarnationis voluntatem : quia, inquiunt, hujus primum motivum fuit remedium humanæ naturæ lapsæ, juxta Scripturam et Patres, etc. Attamen

Dico 1 : Deus primaria intentione et prima voluntate, qua decrevit se ad extra creaturis commu-

nicare, voluit incarnationis mysterium, voluitque ut Christus simul Deus et homo, esset caput ac finis omnium suorum operum ad extra : atque ita ante peccati originalis præscientiam Christus fuit electus seu prædestinatus ; adeoque voluntas incarnationis præcessit voluntatem permittendi peccatum. (Alensis, Scotus, Albertus, Rupertus, etc.) Probatur 1° ex Scriptura et Patribus. *Dominus possedit me in initio viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22) ; juxta LXX Interpretes : *Dominus creavit me initium viarum suarum ;* quæ verba omnes fere antiqui Patres, Clemens, Basilius, Athanasius, Gregorius, etc., exponunt de sapientia incarnata : *Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret* (*Ibid.* 23). *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, etc. ; *et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant, et ipse est caput corporis Ecclesiæ*, etc., *ut sit ipse in omnibus primatum tenens* (*Col.* I, 15-18). Hunc locum concilium Sardicense, Chrysostomus, Anselmus, aliique de Christo ut homine intelligunt. 2° Ratione : quia talis prædestinandi modus sapientissimæ Dei providentiæ conveniebat. Deinde electio et prædestinatio aliorum hominum intelligitur præcedere peccati permissionem, et ad eam voluntatem, qua Deus voluit seipsum hominibus communicare, per se pertinere. Ergo multo magis Christi electio et prædestinatio, qui est causa exemplaris et finalis illorum electionis et prædestinationis, ad eamdem voluntatem pertinebit, et in ea primum locum tenebit.

Dico 2 : In primo signo et in primo voluntatis decreto, quo Deus intendit unionem hypostaticam, illam voluit determinate in tali persona et in tali natura, sive in persona Verbi, et in natura humana, contra quosdam dicentes Deum in primo signo isto tantum voluisse unionem hypostaticam indeterminate ; abstrahendo ab unione hypostatica in persona Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti, et in natura vel angelica vel humana ; in posteriori autem signo ex occasione peccati determinasse unionem hypostaticam in persona Verbi et in natura humana ad hanc reparandam. Probatur : quia omnia Scripturæ et Patrum testimonia loquuntur non de unione hypostatica in confuso, sed de hac in particulari, sive de Verbi unione cum hac natura humana. Deinde Deus non potest habere prius confusi quam determinati objecti voluntatem ; adeoque non possumus ei etiam per mentem attribuere quod in re non est. Præterea non omnes rationes, ob quas incarnatio facta est in persona Verbi, ortæ et sumptæ sunt ex hominis peccato.

Dico 3 : Licet Christus fuerit prædestinatus seu dilectus in primo signo et in primo divinæ voluntatis libero decreto, non tamen solus, sed simul cum illo fuerunt præordinatæ aliæ creaturæ, quæ ad essentialem et consummatam totius mundi perfectionem pertinent tam in naturæ quam gratiæ ordine, cum quibus aliquam Christus habet connexionem. Probatur : quia supradicta Scripturæ et Patrum testimonia proponunt Christum ut principem et caput omnium, utque salutis et gloriæ prædestinatorum auctorem ; ergo non fuit solitarie prædestinatus et electus, sed cum respectu et connexione ad alias res ; hicque modus prædestinationis est magis conformis divinæ sapientiæ et bonitati, magisque in Christi gloriam cedit. Et dum dicitur Christus prædestinatus seu præordinatus ante omnem creaturam, id est, nullus ante illum est præordinatus ; sed Deus in eodem signo voluit tres modos se communicandi per naturam, gratiam et unionem hypostaticam, quia omnes illi sunt per se amabiles ac proxime ordinabiles ad divinæ gloriæ manifestationem ; Christus tamen fuit primo prædestinatus prioritate finis, in illa cum aliis rebus connexione. Hinc patet voluntatem incarnationis fuisse priorem voluntate permittendi peccatum, et absoluta istius peccati originalis præscientia, non autem conditionata.

Sect. III. — *An in primo signo rationis, in quo Christus prædestinatus est homo Deus, sit etiam prædestinatus redemptor hominum per passionem et mortem suam.*

Dico 1 : Deus non prius voluit ut Christus veniret passibilis et mortalis, quam voluit permittere peccatum, et hoc absoluta visionis scientia prævidit ; passio enim Christi et mors, juxta omnes, non fuit præfinita antequam originale peccatum et permitteretur et prævideretur, quia incongruum videretur, si Deus voluisset ut Christus veniret passibilis et mortalis, et postea ob hoc voluisset permittere peccatum, ut passio et mors Christi locum haberet. Hinc

Dico 2 : Ante permissionem et absolutam peccati prævisionem Christus non fuit prædestinatus ut redemptor hominum, sed ut justificator et glorificator, adeoque salvator, quia potest esse salvator, licet peccatum non interveniat ; tantum ergo post permissum et prævisum peccatum, fuit prædestinatus hominum redemptor, licet ante illud posset dici redemptor quoad potestatem et sufficientiam, quia præordinatus est tantæ dignitatis, ut opera ejus possent esse, si necesse foret, sufficientissima ad remedium peccati.

Sect. IV. — *Quamnam primam rationem seu motivum habuerit Deus incarnationis prædefiniendæ.*

Dico 1 : Ratio seu motivum sufficiens et adæquatum volendi incarnationem, non fuit unum tantum, sed plura totalia, et per se sufficientia, tum intrinseca, v. gr. istius operis excellentia et aptitudo ad manifestanda divina attributa, etc., tum extrinseca, v. gr. hominum redemptio, et sanctificatio, omnium mundi rerum exaltatio, etc. Scriptura non declaravit specialiter ista motiva intrinseca, quia ex re ipsa satis innotescunt ; sed extrinseca, quia cognoscuntur tantum ex intentione et fine operantis. Patet autem singula ex istis motivis per se esse sufficientia ad movendam Dei voluntatem pro definienda incarnatione ; in singulis enim elucent aliquarum virtutum exercitium, et Dei attributorum manifestatio,

seu Dei gloria. Hinc dicitur : *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo* (*Ephes.* I, 3-6). In his verbis altissima ratio et causa prædestinationis Christi et nostræ in illo continetur, abstrahens a redemptione, de qua postea additur : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, etc. (*Ibid.* 7.) Quare

Dico 2 : Prima ratio quæ Dei voluntatem movit ad volendam incarnationem, fuit excellentia istius mysterii, aliaque bona, quæ illud sine occasione vel remedio peccati, per se consequuntur. In primo enim illo signo rationis, in quo Deus aliquod extra se voluit in particulari, Christum prædestinavit Deum hominem, nondum prævisa peccati occasione ut absolute futura, nec pro illo signo rationis volendo in Christo eas corporis conditiones, quæ solum peccati occasione præordinatæ sunt, ut sunt dolores, passiones, etc. Ratio igitur quam Deus in illo primo signo rationis habuit ad volendum incarnationem, fuit tantum ipsius mysterii excellentia et quidquid bonum in illo est, vel ex illo per se sequi potest. Idcirco

Dico 3 : Ratio movens et inclinans Dei voluntatem ad volendum incarnationem pro remedio peccati seu pro nostra redemptione, fuit in secundo tantum ordine rationis, sive in secundo tantum signo rationis ; ratio, inquam, non solum adjuvans, sed etiam vere movens et inclinans Dei voluntatem ad efficiendum istud opus, tam quoad modum et circumstantias, quam quoad ipsam substantiam ; atque ita eadem Dei voluntas secundum diversa rationis signa ex diversis motivis totalibus voluit incarnationem per actus ratione distinctos juxta nostrum modum concipiendi. Quodnam vero ex istis motivis fuerit præcipuum, videtur dicendum illa per diversum respectum habere se ut excedens et excessum. Denique

Dico 4 : Prima, unica et adæquata ratio ob quam Deus voluit incarnationem Christi fieri in carne passibili, fuit nostra redemptio et remedium peccati : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit ; unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et repropitiaret delicta populi* (*Hebr.* II, 16, 17). Hinc patet Christum carnem mortalem assumpsisse in peccati remedium.

Sect. V. — *An ex primaria Christi prædestinatione futura esset Verbi incarnatio, etiamsi homo non peccasset.*

Nota : D. Thomas, Bonaventura, Richardus, etc., negant, peccato non exsistente, incarnandum fuisse Deum, quia censent primum motivum ob quod Deus voluit carnem sumere, fuisse remedium peccati, quod ex hoc desumunt : *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (*I Tim.* I, 15). Scotus autem, Alensis, Valentia, etc., absolute affirmant, etiamsi non peccasset, Deum ex vi illius voluntatis qua nunc de facto voluit incarnationem, futurum fuisse hominem, quia illa voluntas secundum se spectata, fuit anterior et permissione et præscientia peccati, atque insuper ex motivo independente ab isto hominis peccato. Sed

Dico 1 : Etiamsi homo suæ libertati cum divinis auxiliis relictus, non fuisset peccaturus, Dei tamen propositum de efficienda incarnatione potuisset subsistere et habere suum effectum ; quia cum juxta nos propositum seu decretum Dei de exsequenda incarnatione fuerat prius permissione peccati futuri, nullam cum eo connexionem, aut ab eo dependentiam habet ; deinde licet concederemus in primo signo rationis, in quo Christus fuit prædestinatus Deus homo fuisse etiam prædestinatum redemptorem in carne passibili, non tamen inde sequitur non permansurum Dei decretum ex alio concomitante motivo totali efficiendi incarnationem : cessante enim redemptionis seu remedii motivo, potuit subsistere aliud motivum totale et sufficiens se communicandi naturæ humanæ ad ostendendam suam bonitatem, sapientiam, etc., quia dum voluntas in eodem instanti, et in eodem signo rationis vult aliquid propter duo motiva totalia, cessante uno motivo potest non cessare a volendo exsequi idem objectum ob alterum motivum subsistens.

Dico 2 : Supposita præscientia conditionata, quam Deus habuit de futuro hominis lapsu si eum permitteret, videtur non potuisse habere istud incarnationis decretum, prout nunc habuit, quin etiam habuerit voluntatem permittendi peccatum, ut illa via ac modo suæ intentioni accommodato perfectissime mysterium exsequeretur : posita enim ejusmodi præscientia, est necessaria connexio inter istud decretum et permissionem peccati non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam incarnationis.

Sect. VI. — *An Christus principalius venerit ad redimendos homines ab originali peccato, ita ut illo deficiente non fuisset venturus redemptor.*

Dico 1 : Constat Christum venisse ut nos ab omni peccato, originali, actuali, mortali, veniali redimeret ; venit enim *ut nos ab omni iniquitate mundaret, et faceret sibi populum acceptabilem, et non habiturum maculam, neque rugam*, ut dicitur Tit. II, 14, et Ephes. V, 27. Principaliter tamen ac per se venit ad tollendum originale et actuale ; sed principalius ad tollendum originale, ut docet D. Thomas. Et probatur ex Rom. V, 12-18, et I Cor. XV, 27, ubi Adæ totius naturæ corruptori opponitur Christus reparator : *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum*, etc., *sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Et ratio est quia cum peccatum originale sit radix naturæ corruptæ et fons omnium actualium, Christus tanquam peritus medicus voluit primario ægritudinis

radici remedium adhibere; adeoque etiamsi postea nullum actuale peccatum fuisset committendum aut permittendum in mundo, tamen vi istius decreti quo Deus prædestinavit incarnationem ad tollendum originale, Christus venisset: quia ista prædestinatio secundum rationem antecessit aliorum peccatorum permissionem.

Dico 2: Si non fuisset peccatum originale, sed alia peccata actualia futura fuissent, an Christus venturus fuisset redemptor in carne sive passibili sive impassibili, nihil certi circa hoc nobis definiri potest. Christus quidem ita singulos homines dilexit, ut paratus esset pro singulis mori, si unus tantum isto remedio indigeret, sed cum subjectione et subordinatione ad Dei voluntatem; Deus autem non habiturus fuisset talem voluntatem, nec tale quid ordinaturus ex vi prædicti decreti efficiendæ incarnationis.

DISPUTATIO SEXTA.

De tempore quo facta est incarnatio, ejusque convenientia.

Sect. I. — *Quo tempore facta est incarnatio.*

Dico: Cum computatio annorum ab initio mundi usque ad Christum sit satis incerta (alii enim numerant 5000 et amplius annos, alii 4200, alii 4100, alii 4000, etc.), ideo illos recensebo juxta singulas mundi ætates, attribuendo singulis numerum annorum prout ex variis computis attribuuntur.

Itaque primæ mundi ætati ab Adamo usque ad diluvium juxta Vulgatam bibliorum editionem tribuuntur anni 1656: juxta LXX Interpretes, 2256. — Secundæ ætati a diluvio usque ad Abrahamum tribuuntur juxta Vulgatam 292, et iis addendo triginta annos quibus Cainan prætermissus vixit antequam generaret filios, fiunt 322: sed juxta LXX Interpretes, addendo fere singulis generationibus uti supra ante diluvium, centum annos, sunt 1122 circiter anni. — In tertia ætate, ab Abrahamo usque ad regem David, numerantur 941: nam juxta communem sententiam, ab ortu Abrahæ usque ad legem datam effluxerunt 505, et a lege data usque ad initium regni David, 436. Ergo collectim sunt 941.—In quarta a Davide usque ad captivitatem Babylonicam, numerantur juxta Vulgatam 470 anni circiter. — In quinta, a captivitate usque ad Christi ortum, recensentur, sed non satis certo, 600 anni circiter, nempe usque ad annum 42 inchoatum imperii Augusti. Itaque ab Adami primo anno usque ad Christi nativitatem numerabuntur vel 3989, vel 5389 anni. — Sexta denique mundi ætas incipit a Christi ortu, usque ad finem duratura.

Sect. II. — *An convenienti tempore facta sit incarnatio.*

Dico 1: Non oportuit hoc mysterium statim in initio mundi fieri, sed convenienter tot sæculis dilatum est. Fuit enim conveniens multis temporibus prius prædici et præfigurari, ut facilius crederetur, et majori veneratione et utilitate susciperetur, ardentiorique affectu homines suæ miseriæ conscii illud desiderarent.

Dico 2: Non fuit conveniens differri hoc mysterium usque ad finem mundi: sicut enim pertinuit ad dignitatem mysterii ut aliquandiu exspectaretur et prædiceretur; ita etiam non debuit tandiu differri, ut jam mores hominum omnino essent corrupti, fidesque illius mysterii amissa, et spes quasi deplorata esset. Dum dicitur in novissimis diebus venturus Messias, id est in ultimis temporibus; totum autem Novi Testamenti tempus est novissimum, ut ait Joannes: *Filioli, jam novissima hora est* (*I Joan.* II, 18), estque ultima mundi ætas, in qua lex gratiæ data est, et completæ sunt prophetiæ. Unde

Dico 3: Convenienti tempore mysterium incarnationis factum est; conveniens enim fuit Christum venire quasi in medio durationis mundi, ut, quoad fieri posset, ab omnibus minus distaret ad commodius omnibus subveniendum. Hinc dicitur: *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies* (*Habac.* III, 2); id est, Christus veniet eo tempore quo minus distabit ab extremis quantum commode fieri poterit, suppositis aliis circumstantiis vel conditionibus necessariis. Denique Christus venit eo tempore quo magis mundus indigebat ejus adventu; jam tunc enim non tantum lex naturæ, sed etiam lex scripta pene exstincta et abolita erat.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De termino incarnationis, qui per illam producitur seu resultat.

Sect. I. — *An terminus resultans seu productus per incarnationem sit aliqua substantia.*

Dico 1: Terminus adæquatus incarnationis est Deus homo, seu Verbum ut in humanitate subsistens, vel hic homo Christus ut est unum quid ex persona divina et natura humana constans (D. Thomas, Cajetanus, etc.); quia in omni unione terminus adæquatus ex ea resultans est ipsum compositum, vel quasi compositum ex rebus unitis. Ergo in hac unione terminus est id unum quod ex rebus unitis resultat, id est Christus Deus homo: hic enim homo Christus, ut subsistit in duabus naturis, est vere unum quid. Hinc

Dico 2: Primus et adæquatus terminus incarnationis est quædam individua substantia, quia hic homo Christus, qui quatenus homo Deus, hujus unionis est terminus adæquatus, vere est individua substantia: licet enim humanitas ut unita Verbo possit dici quasi formalis terminus, sed non totalis et integer, quia substantialis actio unitiva per se primo tendit ad totum ipsum quod ex unione extremorum resultat, non vero ad extrema tantum.

Sect. II. — *An hujus unionis terminus fuerit aliqua substantialis natura.*

Nota: Varii circa hoc fuerunt errores: 1° eorum qui negarunt veram unionem fuisse inter utramque naturam, divinam et humanam, tribuentes Christo vel solam divinam, ut Manichæi; vel solam

humanam, ut Paulus Samosatenus et alii. 2° Eorum qui in Christo posuerunt unam naturam, ex duarum divinæ et humanæ unione conflatam seu resultantem, vel per confusionem, mistionem et transmutationem duarum naturarum in unam tertiam, ut Jacobitæ, Acephali, et probabiliter Eutyches; vel per conversionem humanitatis in divinitatem, ut Eutyches, probabilius ratus duas naturas unione facta non permansisse, sed in tertiam mutatas. 3° Eorum qui in Christo posuerunt unam naturam per conversionem alicujus particulæ divinitatis in humanitatem, ut Apollinaris, etc.

Dico 1: In Christo post incarnationem permanserunt duæ naturæ integræ et inconfusæ, nempe divina et humana: de fide, in concilio Ephesino primo, et Chalcedonensi, etc. Christus enim post incarnationem permansit verus Deus et verus homo subsistens in integra natura et divina et humana. Unde

Dico 2: Hujus unionis terminus non fuit aliqua substantialis natura ex divinitate et humanitate conflata seu constituta: de fide. Si enim utraque, vel alterutra natura esset in aliam commutata, Christus aut non esset verus Deus, aut non verus homo, aut neuter, ac passus mortuusque esset in illa unica natura, et sic non minus in divinitate quam in humanitate. Deinde non minus Pater et Spiritus sanctus quam Filius, fuissent incarnati; quia illa mistio vel confusio facta fuisset in natura tribus personis communi. Dicitur igitur *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), non quia in carnem conversum est, sed quia carnem sibi in unitatem personæ conjunxit; dum dicitur: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus;* id est, sicut anima et corpus licet diversæ naturæ sint, in una tamen persona conveniunt, ita divina et humana natura, licet distinctæ sint, in una tamen persona copulantur; sed cum hac differentia, quod anima et corpus sint naturæ incompletæ, partesque essentiales, et ideo non tantum unam personam, sed etiam unam totalem naturam componunt: natura autem divina et humana in Christo, sunt integræ et completæ, quæ non possunt inter se immediate conjungi ad componendam unam naturam. Cum Cyrillus videtur interdum negare duas naturas, intelligit personaliter disjunctas; cumque ait unam naturam Verbi Dei incarnatam, id est, propriam et essentialem Verbi naturam esse unam, et post unionem Verbi cum humanitate, fuisse illam carni unitam.

Sect. III, IV. *An hujus unionis terminus sit aliqua persona, ita ut incarnatio facta sit in persona; et an hæc persona sit simplex, vel composita.*

Dico 1: In Christo vero Deo et homine tantum est una persona ex duabus et in duabus naturis subsistens: de fide, in conciliis Ephesino et Chalcedonensi, etc.; contra Nestorium qui duas in Christo personas vel hypostases constituit, dicens hanc unionem non esse substantialem nec terminatam ad personam Verbi, sed ad aliquam accidentalem Dei unionem cum persona Christi, factamque esse per singularem affectum et excellentissimæ gratiæ dona, ob quæ Christus singulari modo vocatur Filius Dei et Deus, non per essentiam et substantiam, sed per singularem participationem. Probatur ex Symbolo Athanasii: *Perfectus Deus, perfectus homo*, etc., et ex variis Scripturæ locis, in quibus unus et idem a parte rei exsistens, dicitur verus Deus et homo, quod non potest esse verum nisi ratione unius personæ ex duabus et in duabus naturis subsistentis. Hinc

Dico 2: In Christo est una tantum hypostasis seu suppositum unum, contra eumdem Nestorium, qui ut occultaret suum errorem, videtur postea admisisse in Christo unam tantum personam, duo tamen supposita vel hypostases; et de hoc nomine *hypostasis*, an naturam vel suppositum significaret, inter Latinos olim dubitatum est, postea vero liquide potuit significare suppositum: suppositum autem idem est ac persona, addens duntaxat esse in natura rationali. Unde si in Christo essent duo supposita seu hypostases, cum utraque exsisteret in natura rationali, essent duæ personæ: in Christo enim persona et suppositum est unum et idem. Quare

Dico 3: Hujus unionis terminus est persona: cum enim iste terminus sit substantia, ut diximus, et cum non sit natura, ergo est persona. Jam vero an hæc persona sit simplex vel composita, controvertunt auctores; sed constat hujus unionis hypostaticæ terminum, id est illum qui per unionem resultat, non esse mere simplicem, sicut Verbi persona secundum se sumpta: mere enim simplex Verbi persona præsupponitur ante istam unionem; ergo ipsa non potest esse terminus per illam resultans; adeoque iste terminus, qui est hic homo Christus, debet constare ex multis, quia hic homo Christus includit humanitatem et Verbi subsistentiam, utramque intrinsece, et aliquo modo se constituentem, id est, subsistentiam dantem esse personæ, et humanitatem dantem esse hominis. Quare

Dico 4: Terminus qui per istam unionem resultat, simpliciter dicendus est persona composita. (D. Thomas, etc.) Quinta enim synodus dicit esse *unionem per compositionem*, et esse *unam subsistentiam compositam;* item in sexta synodo (act. 11) expresse habetur personam Christi ex duabus naturis esse compositam. Ita etiam Patres loquuntur (Chrysostomus, Athanasius, etc.) Dionysius, lib. II *De divinis nom.* cap. 1, « Ex qua » inquit, (nempe humanitate) « ineffabiliter est compositus et simplex Jesus. » Ratio est quia dicitur compositum, quod ex diversis constat; sed Christus quatenus est terminus per istam unionem resultans, est vere unus constans ex multis rebus; ergo est vere compositus: deinde ille unionis terminus est quid unum non simplex, quia hoc repugnat unioni; ergo compositum: non per accidens, ut constat ex quinta synodo (act. 8, can. 1); ergo substantiale; non in esse naturæ, ergo in esse personæ. Idcirco

Dico 5: Hæc compositio proxime intercedit inter subsistentiam Verbi et humanitatem, adeoque est compositio duarum naturarum in una persona. Inter humanam naturam et subsistentiam Verbi, compositio est immediata, sed inter humanam et divinam naturam est tantum mediata, mediante nempe Verbi subsistentia quæ includit naturam divinam, ideoque eo ipso quod Christus proxime componitur ex Verbi subsistentia et natura humana, fit etiam compositus ex duabus naturis, divina et humana, unitis in eadem subsistentia; cujus compositionis extrema sunt duæ naturæ distinctæ et inconfusæ quarum vinculum est ipsa subsistentia. Tres personæ divinæ non proprie uniuntur in natura, sed sunt idem cum sua natura. Unde ista compositio non est tantum unius cum alio, sed etiam unius ex multis, intrinsece includens naturam humanam tanquam unum ex suis extremis, et Verbum, tanquam alterum extremum; et sic Christus quatenus est hujus compositionis terminus ac formaliter sumptus, distinguitur aliquo modo a Verbo, quia plus includit formaliter quam Verbum, nempe humanitatem; sicque extensive includit formaliter aliquam perfectionem, nempe humanitatem, quam non includit formaliter solum Verbum secundum se sumptum, sed eam includit eminenter, utpote infinitum. Unde hoc compositum non est simpliciter seu intensive perfectius altero suorum componentium, id est Verbo, quia est infinitum in omni genere perfectionis, eminenter continens quidquid perfectionis habet humanitas, eam ex pura gratia perficiens per dictam unionem. Jam vero ista persona, quæ per unionem hypostaticam resultat, et quam absolute diximus esse compositam ex duabus naturis, non est alia persona a persona Verbi, nec ipsa Verbi persona secundum se ut simplex, sed eadem persona subsistens in alia natura; adeoque nova non simpliciter, sed secundum quid, quatenus persona, quæ prius erat simplex, per unionem substantialem facta est composita, quod ante non erat.

Sect. V. — *An terminus prædictæ unionis sit aliquid creatum; an vero increatum.*

Dico 1: Terminus qui per hanc unionem resultat, non est secundum se totum ex nihilo factus seu creatus, est enim quoddam compositum ex Verbo increato, et humanitate creata; ergo, etc. Sed

Dico 2: Iste terminus per unionem productus, est quid factum in tempore per unam realem actionem, adeoque in hoc sensu creatum, est enim quoddam compositum ex Verbo et humanitate; sed hoc compositum nunc est, et antea non fuit, ergo est quid factum, sive in sensu dicto creatum. Licet autem unum componentium sit increatum, et alterum creatum, totum tamen compositum, potius creatum quam increatum dicendum est, quia increatum includit negationem omnis efficientiæ aut dependentiæ quam creatum affirmat: sicut homo quamvis corpore et spiritu constet, simpliciter tamen corporeus dicitur, quia spiritus includit negationem omnis materiæ. Sed Christus sub nominibus quæ significant personam divinam secundum se, quale est Verbum Dei, Filius Dei, etc., debet dici persona increata, quia tunc persona non significatur ut *terminus* per unionem resultans, sed ut terminus qui unioni præsupponitur et ad quem fit unio.

DISPUTATIO OCTAVA.

Quid sit incarnatio.

Sect. I. — *An incarnatio sit actio uniens tantum humanitatem cum Verbo; an vero sit etiam producens ipsam humanitatem in rerum natura.*

Nota: Incarnatio est actio realis, qua duæ substantiæ, scilicet Verbum et natura humana, conjunguntur, ex quibus componitur hic homo Christus; sive est unio naturæ humanæ cum Verbo.

Dico 1: Actio qua Christi anima creatur, est realiter distincta ab actione qua Verbo unitur. Probatur, quia effectio animæ Christi, est vera creatio ex nihilo; effectio autem unionis non est creatio, quia non est actio ex nihilo, sed ex præsupposito, scilicet humanitate, quæ non ex unita fit per illam actionem unita Verbo. Unde prior effectio ad naturalem, posterior autem natura ad summe supernaturalem ordinem pertinet. Deinde effectio naturæ est realiter distincta ab effectione propriæ subsistentiæ juxta communem philosophorum sententiam; ergo multo magis effectio animæ Christi seu naturæ humanæ, quæ unitur, erit realiter distincta ab effectione unionis hypostaticæ. Insuper quod sint vere ac proprie duæ actiones et specifice distinctæ, patet: quia sicut creatio animæ et ejus unio cum suo corpore, sunt duæ actiones specifice distinctæ, ita multo magis creatio humanitatis Christi, et ejus unio cum Verbo; major enim est diversitas inter has actiones earumque terminos, quam inter illas, minorque inter eas ex natura rei connexio. Unde

Dico 2: Incarnatio proprie et in rigore est actio unitiva, nec productiva alicujus extremi eorum quæ per eam uniuntur, sed solum productiva unionis eorum inter se seu totius compositi, ut tale est: contra quosdam modernos Thomistas dicentes incarnationem non esse actionem mere unitivam, sed etiam productivam humanitatis, non in se, sed in Verbo. Probatur, quia ex hac contraria sententia sequeretur animam Christi non vere creari: creatio enim est actio ad ordinem naturæ pertinens, et ex nihilo per efficaciam agentis sine alterius adminiculo; fieret siquidem per actionem alterius ordinis, et cum adminiculo alterius. Deinde si a Verbo relinqueretur, non posset conservari, nisi per novam actionem ex se creativam, et naturaliter conservativam, etc. Prius itaque natura exstitit anima Christi quam Verbo unita sit et ab eo assumpta; et formaliter exsistit non per exsistentiam increatam, sed per suam entitatem creatam; ejusque subsistentiæ propriæ defectum mediante unione supplet subsistentia Verbi, a quo si dimitteretur,

posset per actionem suam creativam et conservativam remanere rerum in natura, et inciperet subsistere in propria persona humanitas. Sanctus Leo et Fulgentius dum dicunt non fuisse animam Christi prius creatam quam Verbo unitam, intelligunt non de prioritate naturæ, sed temporis.

SECT. II. — *An incarnatio sit ex natura humana et ex persona Verbi unio substantialis.*

Dico 1 : Incarnatio est et simpliciter appellanda est unio substantialis; concilia enim et Patres dicunt hanc unionem esse factam *substantialiter, secundum substantiam, secundum subsistentiam*, etc. Et ratio est quia unio substantialis nihil est aliud quam conjunctio duarum rerum substantialium, per quam resultat una substantia vere ac proprie una. Atqui talis est unio incarnationis. Ergo, etc. Unde non est dicendum humanitatem accidentaliter advenire Verbo, aut Verbum humanitati, loquendo physice, sed substantialiter, quia illi advenit mediante unione quæ est substantialis; logice autem loquendo, illi advenit accidentaliter, quia humanitas non est de essentia Verbi. Hæc unio hypostatica comparatur variis aliis unionibus accidentalibus, non ad explicandam ejus essentiam, sed ad ostendendas aliquas ejus perfectiones : v. gr. comparatur ferro candenti, arbori insitæ, templo in quo Verbum singulariter inhabitat, etc.

Dico 2 : Hæc unio substantialis est per modum compositionis ex natura et subsistentia seu supposito; ideoque dicitur hypostatica, quia natura humana in Christo non habuit propriam subsistentiam seu personam creatam, sed assumpta est ad divini Verbi subsistentiam; et ex hac subsistentia ac natura humana composita est una persona. Sed hæc compositio longe diversa est a compositione naturæ et suppositi, quæ connaturalis est rebus creatis, quia hæc naturalis est, et debita unicuique naturæ, illa vero omnino supernaturalis est, et supra omne debitum naturæ creatæ, ac subsistentia divina perficit naturam humanam, sine ulla dependentia aut sui mutatione illam terminando. Hæc unio interdum vocatur naturalis, aut essentialis, id est, physica, realis, substantialis, habens veram suam naturam et essentiam.

SECT. III. — *Quid per hanc uniendi actionem fiat in humanitate aut in Verbo.*

Nota : Per hanc actionem nihil fieri in humanitate, sed solum fieri hoc compositum seu hunc hominem dicit Gregorius et alii. Gabriel autem sentit fieri in humanitate qualitatem supernaturalem, quæ gratia unionis dicitur, habens ex natura sua vim uniendi humanitatem Verbo; sed hoc ut omnino falsum rejicitur. Scotus vero, Ockam, Durandus, etc., censent nihil in humanitate fieri nisi relationem unionis. Relictis ergo hisce sententiis,

Dico 1 : Per istam actionem fit aliquid in humanitate realiter ab illa distinctum, et quidem substantiale, quod in illa desineret esse, si a Verbo separaretur, ut superius ostensum est; illudque est quidam substantialis ipsius humanitatis modus, quo intelligitur exsistere in Verbo; non enim fit materia, nec forma, nec humanitas ex his duabus composita, neque aliquod accidens humanitati super additum : ergo fit modus substantialis, qui licet sit res creata, est tamen ipsamet quasi formalis conjunctio humanitatis cum Verbo, unde habet intrinsecam et essentialem habitudinem transcendentalem ad Verbi personam; nec potest conservari in rerum natura, quin actu afficiat rem cujus est modus, illique sit conjunctus.

Dico 2 : Hujus actionis vel incarnationis terminus *quod*, seu *qui fit*, est compositum ex Verbo et humanitate, ut superius jam diximus. Terminus autem *quo*, seu *formalis*, videtur esse ille unionis modus, qui fit in humanitate ut Verbo copuletur. Terminus vero *a quo* positivus est subsistentia propria naturæ humanæ, quæ futura fuisset, si non assumpta fuisset a Verbo; privativus seu negativus est carentia termini *ad quem*, seu carentia unionis hypostaticæ, ordine naturæ vel rationis antecedens. Deinde fundamentum relationis prædicamentalis (quamvis probabiliter nulla ejusmodi detur, sed tantum transcendentalis), qua humanitas refertur ad Verbum, et denominatur illi unita, supponendo eam dari, est ipse unionis modus; hæcque relatio qua humanitas denominatur et unita Verbo, et ab eo sustentata seu terminata, non est duplex, sed una et eadem diversimode concepta.

SECT. IV. — *Solvuntur variæ difficultates circa hoc incarnationis mysterium.*

Dico 1 : Exsistentia naturæ ut natura est, distinguitur a subsistentia tanquam a modo; licet enim naturæ exsistentia sit substantialis, non tamen in suo essentiali conceptu illum modum, quo actualiter per se exsistit, includit, sed solum constituit naturam aptam ad exsistendum per se, ita ut, si miraculose non impediatur, statim ab illa manet, vel illi sit conjunctus iste per se exsistendi modus, id est subsistentia, adeoque naturæ exsistentia dicitur substantialis. In incarnatione autem subsistentia Verbi impedit miraculose subsistentiam naturæ humanæ sibi unitæ, exsistentis sine sua subsistentia seu personalitate actuali. Hæc subsistentia, sive hic modus substantialis pertinet tantum ad complementum hominis, quatenus persona est, non vero quatenus præcise homo est, sive quatenus habet naturam humanam aut humanitatem : per hanc enim formaliter et essentialiter constituitur in esse hominis, adeoque Christo nihil deest, ut sit perfectus homo, qui licet non subsistat per propriam humanitatis seu naturæ humanæ subsistentiam, subsistit tamen nobiliori Verbi subsistentia, a qua tanquam termino substantiali ejus humanitas immediate pendet, non a subsistentia Patris et Spiritus sancti; pendet tamen et exsistit a divina totius Trinitatis natura seu voluntate tanquam a causa efficiente.

Dico 2 : Si humanitas separaretur a Verbo, cum

natura non possit carere omni modo subsistendi vel in se vel in alio, probabilius statim active propria naturæ humanæ subsistentia resultaret ab ipsa natura, seu humanitate, sine alia extrinseca primæ causæ effectione : quia iste subsistentiæ modus habet intrinsecam connexionem cum ipsa natura, ita ut posita natura statim naturaliter ab illa resultet, multo magis quam proprietas emanat ab essentia. Quamvis autem humanitas Christi sit sine propria subsistentia, non sequitur tamen eam esse violenter in Verbo, quia eminentiori modo perfectionem propriæ subsistentiæ seu personalitatis in Verbo habet; et licet habeat naturalem capacitatem ad habendam propriam personalitatem, non tamen habet elicitum illius appetitum, quia nobiliori termino et actu omnino contenta est.

Dico 3 : Verbum in incarnatione nullam omnino accepit mutationem, nihil enim novi in seipso accepit quasi inhærenter, sed tota mutatio circa humanitatem facta est, quæ veluti est insita Verbo manenti quidem unito, ast immutato, terminando tantum humanitatem et in illa subsistendo : humanitas enim nullam in Verbum exercet causalitatem, nec illud informat, nec Verbum dando subsistere humanitati, illam informat aut fit ejus subjectum, sed est tantum purus unionis terminus ; quia tota unio est in humanitate, et in ea fit per ipsius mutationem, terminata ad Verbum sine Verbi mutatione. Posset etiam fortasse Deus unire sic humanitatem angelo sine angeli mutatione, quæ tamen unio videtur potius impossibilis. Deinde angelus cum sit finitæ perfectionis, est capax mutationis, et acquirendi novum essendi modum.

Dico 4 : Est quidem infinita distantia in ratione entis inter Verbum et humanitatem, sed non est repugnans improportio in ratione naturæ ad componendum unum ex utraque natura cum sola Verbi subsistentia; licet quidam modi rei non possint suppleri per aliam entitatem distinctam, tamen hic modus subsistentiæ humanitatis potest suppleri per subsistentiam Verbi quæ est infinite perfecta, impediendo per suam unionem alterum subsistentiæ creatæ modum.

DISPUTATIO NONA.

De excellentia ac perfectione unionis hypostaticæ.

Sect. I, II. — *An hæc unio sit omnium maxima, tam in ratione unionis quam in genere entis, seu doni divini.*

Dico 1 : Hæc unio est formaliter in ratione unionis, qua res realiter distinctæ uniuntur, omnium maxima. Probatur quia compositum, quod ex hac unione resultat est magis unum quam omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis, v. gr. compositum ex substantia et accidente, compositum ex partibus integralibus, compositum ex materia et forma substantiali : compositum enim ex materia et forma est minus unum et simplex quam compositum ex natura et subsistentia, qualis est hæc unio hypostatica; nec quod materia et forma non possint separari salva utriusque consistentia, provenit ex majori unione, sed ex mutua dependentia; et licet materia et forma habeant majorem proportionem naturalem ad unionem naturalem, tamen humanitas habet proportionem majorem obedientialem ad unionem supernaturalem cum Verbo, longe altioris ordinis, quod sufficit ut unio possit esse major.

Dico 2 : Hæc unio est supremum et perfectissimum gratiæ opus per quod Deus communicat creaturæ aliquid excellentius quam omne id quod per aliam quamvis actionem communicat (D. Thomas, Albertus, Bonaventura, etc.); quia si spectemus omnia quæ in hac unione interveniunt, non solum confertur humanitati donum creatum, sed ipsamet Filii Dei persona increata quæ est infinitum bonum, nec huic dono æquiparari potest donum gratiæ, per quam justis datur ipsa persona Spiritus sancti, aut beatis ipsa essentia divina : quia in istis unionibus accidentalibus non datur, sicuti per unionem hypostaticam, ipse Deus ut per seipsum quasi formaliter perficiat, actuet, terminet ipsum esse creaturæ, et cum illa vere unum ens substantiale componat; sed tantum speciali modo fit præsens aut per modum objecti, aut per modum principii supernaturalis, efficientis et perficientis animam, aut juxta quamdam præsentiam vel unionem ex amicitia profectam. Deinde ipse unionis hypostaticæ modus, etiamsi creatus, longe excedit omnia alia entia creata utpote in altiori rerum ordine quam reliqua omnia positus, efficiens ut ille qui est verus homo sit etiam verus Deus, non per participationem, sed per essentiam et personaliter; adeoque multo magis est supernaturalis quam gratia aut visio beatifica. Unde per hanc unionem longe excellentiori modo sanctificatur et deificatur anima, quam per quodvis aliud donum creatum : imo non solum anima, sed etiam ipsum corpus deificatur, nec cum Eucharistia potest comparari, quia in Eucharistia non datur Christus secundum unionem personalem, sed solum secundum quamdam realem præsentiam et unionem accidentalem, ad gratiæ creatæ et accidentalis effectus ordinatam.

DISPUTATIO DECIMA.

De incarnationis causis, præsertim de meritoria.

Sect. I.—*Quænam sit causa efficiens hujus mysterii.*

Dico 1 : Deus et tota Trinitas est causa principalis efficiens hoc mysterium; de fide, in concilio Lateranensi, etc. : quia omnia Trinitatis opera ad extra sunt indivisa; procedunt enim a tribus personis, ut sunt unum in natura et voluntate, adeoque in actione et operatione. Hoc autem mysterium prout effective procedit a Deo, est unum ex operibus ad extra. Ergo, etc.

Dico 2 : Deus solus est hujus mysterii causa principalis proxima, nec ulla creatura potuit ad illud concurrere per modum causæ principalis proximæ, id est per propriam virtutem intrinsecam, quia hæc unio facta est ad personam divinam. Nulla autem creatura potest habere virtutem propriam et princi-

palem, qua faciat Deum subsistere in natura aliena; nam hoc esset quasi subjicere Deum virtuti creaturæ. Videtur tamen potuisse Deus sumere creaturam ut causam instrumentalem ad hanc unionem, sicut ad alios effectus supernaturales, v. gr. ad transsubstantiationem, vel justificationem; quia neque ex parte modi, neque ex parte termini actionis est repugnantia, cum obedientialis et supernaturalis potentia causæ instrumentalis sit pene infinita. An autem B. Virgo sic attigerit effective ut causa instrumentalis unionem hypostaticam, potest quidem videri probabile, quia id ad majorem illius dignitatem pertinet; et Ambrosius (epist. 82) : « Per hominem, » inquit, « et mulierem caro ejecta est de paradiso, per Virginem juncta est Deo. » Attamen quia creatio animæ Christi, adeoque ejus unio cum Verbo prius natura fuisse videtur quam informatio circa quam versatur concursus maternus, sic per hunc B. Virgo ad illam effective non concurrit; ideoque verisimilius est loquendo de prima hujus mysterii effectione, eam a solo Deo fuisse peractam, nulla mediante creatura instrumentaliter concurrente; solamque B. Virginem concurrisse ad naturalem animæ et corporis unionem, atque ita vere esse matrem Dei et hominis, ut suo loco dicetur. Loquendo autem de secunda effectione, an Christi humanitas per suam actionem nutritivam effective attigerit partium materiæ unionem cum Verbi subsistentia, incertum est. Item an verba consecrationis effective attingant unionem hypostaticam, dicetur suo loco in tractatu *De Eucharistia*.

Sect. II. — *An fuerit aliqua hujus unionis causa in genere causæ dispositivæ.*

Nota : Quidam dicunt fuisse necessariam aliquam dispositionem ultimam in humanitate ut Verbo uniretur, quod videtur sentire Gabriel, sed hoc prorsus improbabile. Alii dicunt non fuisse necessariam, ut ex illa necessario sequeretur unio, sed debuisse ei necessario præsupponi, quod videtur Alensis asserere. Denique, nempe Bonaventura, Paludanus, Marsico, etc., existimant solum ex decentia aliquam dispositionem tanquam congruum humanitatis cum Verbo uniendæ ornamentum fuisse prærequisitam, quæ proprie non attigit physice ipsam unionem, eamque dicunt fuisse gratiam habitualem perfectissimam. Sed

Dico 1 : Unio hypostatica non est facta mediante aliqua dispositione proprie dicta, quæ illius causa fuerit (D. Thomas, Scotus, Richardus, etc.). Probatur, quia hæc dispositio debuit præcedere vel in corpore, vel in anima : neutrum dici potest; ergo. Probatur 1° de anima : quia anima Christi prius natura subsistit in Verbo quam accidentaliter perficiatur per aliquem habitum infusum, omnis enim anima rationalis prius anima subsistit quam accidentaliter perficiatur, quia subsistentia est modus magis intrinsecus formæ substantiali, quam alia accidentia; ergo iste habitus non potest esse dispositio ad unionem hypostaticam, utpote posterior : data est ergo v. gr. gratia habitualis, ob unionem, tanquam proprietas eam consequens. 2° De corpore : omnis dispositio quæ potuit antecedere in corpore Christi, est inferior et mere naturalis; ergo non potuit esse proxima ad unionem dispositio. Unde omnis ornatus accidentalis qui decuit animam Christi, fuit ordine naturæ subsequens unionem tanquam fontem totius boni in humanitatem manantis. Imo

Dico 2 : Non potest fieri etiam de potentia absoluta, ut gratia habitualis, vel ex se vel ex aliqua elevatione extraordinaria sit dispositio physica et quasi naturalis ad unionem hypostaticam : quia dispositio physica si sit ultima, qualis est gratia de qua agimus, ita intrinsecam, realem et naturalem connexionem habet cum forma introducenda, ut sine illa, nullo modo, servata rei natura, introduci possit; et illa posita non possit non introduci, utpote subjecto debita ex vi istius dispositionis ob dictam connexionem. Constat autem gratiam habitualem ex se non habere talem connexionem cum gratia unionis, quæ nullam physicam dispositionem in subjecto requirit, nec ullo modo pendet a gratia habituali; nec hæc ex se ordinatur ad gratiam unionis, sed ad visionem beatam. Nec tantum non potest esse physica dispositio, sed etiam nec moralis prævie præparans humanitatem ad unionem hypostaticam : ex eo enim quod Deus videat humanitatem tali gratia affectam, non potest moveri ac determinari ad conferendam illi unionem, quia necesse est prius illam efficere subsistentem in se vel in alio, ut eam ista gratia afficiat; adeoque ut hæc gratia exsistat et moveat ad agendum, debet prius exsistere subjectum, in quo inhæreat, id est, humanitas Verbo unita seu in Verbo subsistens; et hic modus ex parte subjecti necessario præsupponitur ante unionem cum aliqua qualitate accidentali. Neque extrinseca Dei ordinatio, non conferendo rei subsistentiam, potest eum mutare, quia ille ordo naturæ est ipsi rei intrinsecus. Hinc Deus non ordinavit sanctificantem Christi gratiam tanquam dispositionem præparantem ad formam, vel tanquam ad finem qui acquiritur; sed tanquam ad finem ad quem illa inserviret, sicuti proprietates ordinantur ad essentiam a qua emanant tanquam ad finem ipsius operationum. Cæterum absolute non repugnaret Deum uti gratia habituali tanquam instrumento physico ad efficiendam unionem hypostaticam, dummodo gratia habitualis et gratia unionis non conferantur simul eidem naturæ.

Sect. III. — *An humanitas Christi potuerit suam unionem ad Verbum mereri.*

Dico 1 : Christi anima vel humanitas nec meruit nec mereri potuit suam prædestinationem seu electionem ad unionem hypostaticam : quia nulla persona sive angelica sive humana potest mereri totam suam prædestinationem ad gloriam; ergo multo minus hæc anima mereri prædestinationem ad unionem hypostaticam longe altioris ordinis quam glo-

ria. Et ratio est, quia meritum cum sit causa præmii, debet istud præcedere; meritum autem temporale in anima Christi non potuit secundum durationem realem præcedere electionem suam, utpote æternam, nec secundum Dei præscientiam, quia Dei voluntas dandi gratiam qua anima Christi producat meritum, est prior absoluta istius meriti præscientia. Conditionata quidem præscientia est prior ista voluntate, sed illa sufficit tantum ad rationem causæ finalis, non ad causam meritoriam, quia causa finalis movet secundum esse cognitum ut possibile aut ut conditionate futurum; causa autem meritoria movet secundum actualem exsistentiam, saltem in præscientia præmiantis. Hinc prædestinatio humanitatis Christi ad gloriam præsupponit sive subsequitur ejus prædestinationem ad unionem personalem.

Dico 2 : Christi anima seu humanitas non meruit suam unionem cum Verbo, quia priusquam haberet aliquam subsistentiam, nempe in Verbo, non potuit, etiam ordine naturæ, operari, ut dictum est in præcedenti sectione, adeoque nec mereri ante unionem. Hinc Scriptura hoc incarnationis beneficium soli divinæ misericordiæ et charitati tribuit : *Per viscera misericordiæ Dei*, etc. (*Luc.* I, 78). *Propter nimiam charitatem*, etc. (*Ephes.* II, 4). Ideo Augustinus (*De prædestin. sanct.*, cap. 15) dicit : « Sicut in nobis confertur prima gratia sine ullis nostris meritis præcedentibus, ita et gratia unionis in Christo. » Imo :

Dico 3 : Etiam de potentia absoluta non potuit fieri ut humanitas mereretur suam unionem cum Verbo juxta modum quo nunc agimus : quia, ut suppono, humanitas separata ab omni supposito et proprio et alieno, non potest exsistere in rerum natura; adeoque nec in illa qua tali, haberi potest ullum meritum. Deinde cum subsistentia ex natura rei sit prior quam operatio, hic ordo utpote rei intrinsecus et quasi essentialis, nullo modo potest immutari. Ergo nulla operatio, adeoque nullum meritum potest præcedere subsistentiam in Verbo, aut unionem cum illo, ut possit hæc tanquam præmium conferri; ut enim possit conferri præmium, debet præcedere meritum.

Sect. IV. — *An Christus potuerit mereri suam incarnationem.*

Dico 1 : De potentia Dei absoluta, probabiliter Christus potuit mereri suam incarnationem hoc modo : potuit velle Deus conferre Christi humanitati gratiam unionis, non absolute ut gratiam gratis donatam, sed quasi sub conditione operum et meritorum prævisorum, quæ facturus esset Christus, illamque in præmium eorum conferre, ita ut licet unio tempore vel natura antecedat, non tamen hæc unio conferatur per modum gratiæ gratis donatæ, sed per modum anticipatæ solutionis et mercedis, sicuti si rex tribuat militi arma in præmium laborum iisdem armis sustinendorum. Et sic gratia unionis quatenus ab æterno prædestinata tantum esset principium meriti; quatenus tamen in tempore exsecutioni mandata, illa esset præmium meriti prævisi et exsistentis in mente præmiantis. Unde idem sub una ratione esset principium meriti, et sub alia esset meritum. Ideoque principium meriti non caderet sub meritum, quia diversimode sumitur eadem res. Attamen quia hic modus agendi non videtur sat perfectus, idcirco :

Dico 2 : Christus de facto non meruit suam incarnationem : ita communiter theologi; et colligitur ex Scriptura et Patribus puræ Dei gratiæ et pietati hoc mysterium attribuentibus : decuit enim ut summum Dei opus, quod est fundamentum omnis meriti, non esset in merito, sed in sola liberalitate fundatum, quandoquidem gratia unionis in Christo sit omnium prima et radix omnis meriti. Unde nec Christus meruit circumstantias suæ incarnationis antecedentes, quatenus tales, v. gr. consensum B. Virginis, nec concomitantes, v. gr. in tali loco, tempore, etc. Meruit tamen subsequentes, v. gr. manifestationem suæ divinitatis : *Dignus est Agnus qui occisus est accipere divinitatem* (*Apoc.* V, 12). Dum dicitur : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus*, etc. (*Psal.* XLIV, 8), id intelligitur vel de unctione gratiæ gratum facientis, vel de unctione exaltationis in resurrectione et glorificatione, vel de unctione gratiæ unionis hypostaticæ, sumendo particulam *propter* pro finali, non pro causa meritoria. Denique videtur probabilius Christus meruisse continuationem ac perpetuitatem suæ unionis hypostaticæ, utpote quid ad hanc consequens, aut quasi ejus extensionem ad omnes partes materiæ, quas paulatim per nutritionem acquirebat.

Sect. V, VI. — *An homines justi, qui Christum præcesserunt, potuerint mereri de condigno, aut saltem de congruo ejus incarnationem, vel ipsius accelerationem.*

Dico 1 : Nullus hominum meruit de condigno incarnationem Filii Dei, quia opera meritoria hominis ex se solum ordinantur ad beatitudinem ut præmium adæquatum, unio autem hypostatica est bonum altioris ordinis; nec ullus homo meruit de condigno totius generis humani reparationem, adeoque nec incarnationem per quam reparatum est; deinde si aliquis homo meruisset incarnationem, aliquid majus et altius quam Christus meruisset. Imo etiamsi intercessisset Dei promissio, nulla pura creatura potuit de condigno proprie et perfecte mereri incarnationem : quia ad perfectum meritum de condigno non sufficit Dei promissio sub conditione cujusvis boni operis, sed etiam requiritur ut istud bonum opus habeat sufficientem et moraliter condignum valorem respectu præmii. Jam vero meritum puræ creaturæ quantumvis in se perfectum et factum sub incarnationis promissione, est semper inæqualis valoris respectu istius præmii, est enim finiti valoris intensive, præmium autem infiniti simpliciter; adeoque illius promissio sub tali condi-

tione non inducit veram et propriam justitiam ob inæqualitatem meriti et præmii.

Dico 2 : Antiqui Patres non potuerunt mereri de congruo incarnationis prædestinationem, quia hæc est prior omni gratia et bono antiquorum Patrum motu, cujus est radix; ergo, etc. Deinde omne illorum meritum fundabatur in fide Christi venturi, ergo et jam prædestinati. Cum enim Deus statuerit ut omnia hominum merita fundarentur in gratia ex Christi meritis profecta, posito hoc rerum ordine, fieri non potest, etiam de potentia absoluta, ut præordinatio seu prædestinatio Christi non antecedat prævisionem meritorum istorum Patrum; adeoque non ex illorum meritis, sed omnino gratis fieret. Attamen si Deus voluisset res aliter disponere, et dare illis gratiam sine ordine ad Christi merita, tunc prævisis eorum meritis ex hac gratia profectis, potuisset moveri ad prædestinandam incarnationem, sicque illi Patres eam promereri; quia ista gratia, per quam opera meritoria fecissent, fuisset prior incarnationis prædestinatione, nec ex illa profluxisset. Præterea isti Patres non potuerunt etiam mereri de congruo incarnationis prædestinationem quoad ejus circumstantias, v. gr. loci, temporis, parentum, etc., quia Deus ante quævis hominum merita prædestinavit totam incarnationem cum suis circumstantiis : quis enim dicat B. Virginem meruisse de congruo ut eligeretur in matrem Dei; Joannem Baptistam, ut esset ejus præcursor; Davidem vel Abrahamum, ut fierent ejus progenitores, etc., quia illi speciali gratia fuerunt vocati ante omne meritum, et hæc gratia ipsis data est intuitu futuræ incarnationis. Ergo ante istam gratiam jam erat prædefinita incarnatio quoad istas circumstantias. Sed

Dico 3 : Antiqui Patres potuerunt mereri de congruo incarnationis exsecutionem quoad ipsam ejus substantiam : quia quod est a Deo præordinatum sine ullo merito, potest mandari exsecutioni ob meritum, ut patet in gloria prædestinatorum; et licet gratia, cum qua isti Patres fecerunt opera meritoria, esset inferioris ordinis quam unionis hypostaticæ gratia, nec ad eam ex se ordinaretur, tamen supposita istius unionis præordinatione potuit habere aliqualem proportionem sufficientem ad impetrandum de congruo ejus exsecutionem, etiamsi ista gratia fuerit ipsis data ex prævisis Christi jam prædestinati meritis. Unde a fortiori dicendi sunt de congruo meruisse etiam aliquas incarnationis circumstantias quoad earum exsecutionem : v. gr. B. Virginem, ut fieret mater Dei; Simeonem, ut videret Christum, etc. Imo dici possunt meruisse aliquo modo ejus accelerationem; non quod potuerint mereri ut Deus mutaret decretum suum quod in prima prædefinitione habuit, sed quod in sua prædefinitione ita disposuerit hujus mysterii exsecutionem ut voluerit homines disponi ad illud beneficium suscipiendum, et per istam suam dispositionem mereri de congruo ne illud diutius differretur : uti videtur Daniel suis precibus ac desideriis obtinuisse ut tempus redemptionis a captivitate ultra septuaginta hebdomadas annorum non differretur. Hinc patet principium meriti non cadere sub meritum, quia gratia per quam Patres meruerunt, ipsis data est ob merita Christi, non in exsecutione incarnationis, sed in ejus prædefinitione seu prædestinatione prævisa; atque ita gratia et merita Patrum fuerunt post incarnationis prædestinationem tanquam illius effectus, et ante ejus exsecutionem tanquam causa dispositiva seu meritum de congruo; id est, quidam modus convenientis dispositionis ac præparationis. Unde incarnatio ut prædestinata, est illius gratiæ et meritorum principium; et incarnatio ut exsecutioni mandata, est quasi effectus ac meritorum præmium. Et sic non est idem principium meriti et meritum : prædestinata incarnatio est principium meriti, exsecutioni mandata non est principium meriti sed quasi meritum. Ex his omnibus possunt quasi conciliari varii aliorum circa istam rem dicendi modi. Unde Patres meruerunt aliquid de congruo quod Christus non meruit, quia eorum meritum antecessit incarnationem; Christi autem meritum non antecessit. Insuper meruerunt de congruo exsecutionem causæ nostræ redemptionis et merita Christi cum in radice, merendo incarnationem quæ fuit istorum meritorum radix, tum in seipsis petendo et orando ut Christus suis meritis et satisfactionibus naturam humanam sanaret; non tamen omnes eorum effectus particulares potuerunt de congruo mereri, utpote ipsorum meritis priores, vel eos non intendebant nec petebant, etc.

Sect. VII, VIII. — *An B. Virgo de condigno aut saltem de congruo meruerit esse matrem Dei.*

Dico 1 : B. Virgo fuit condigne disposita ut esset mater Dei, hancque condignam dispositionem consecuta est, partim ex divina gratia eam præveniente, v. gr. ex gratia habituali et eximia sanctitate, ac donis infusis, quibus præventa fuit a primo suæ conceptionis instanti; partim per opera sua et merita de condigno, quibus gratiam ac virtutes continue usque ad Filii sui conceptionem auxit. Hinc dicitur *gratia plena* (*Luc.* I, 28), quæ sola digna fuit portare Regem cœlorum et Dominum, etc. Augustinus (serm. 20, *De Nativ.*) dicit : « Talis eligitur Virgo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei Filium in se susciperet. » Attamen non meruit de condigno ipsam Dei maternitatis dignitatem, quia gratia et opera ex ea manantia natura sua solum tendunt ad ipsius gratiæ consummationem usque ad gloriæ æternæ adeptionem, quam ut præmium condignum et proportionatum respiciunt, ideoque dicuntur de condigno illud promereri; atque ita merita B. Virginis secundum legem ordinariam ordinantur de condigno solummodo ad istud præmium, non autem ad Dei maternitatem, præmium alterius ordinis, cum nulla sit facta a Deo promissio de tali præmio, seu de maternitatis dignitate; secus

vero posset dici, si Deus hanc matris dignitatem in præmium operum promisisset, quia tunc opera B. Virginis habere possent sufficientem valorem et condignitatem tali præmio, utpote non infinito, proportionatam, et ob illam promissionem interveniret in eo merito vera ratio justitiæ, adeoque meritum de condigno; quia non est essentiale huic merito ut opus in quo fundatur ex natura sua tendat in præmium, sed sufficit proportio et condignitas in æstimatione morali.

Dico 2 : B. Virgo non meruit etiam de congruo ut prædestinaretur seu eligeretur mater Dei : id est, non meruit de congruo ipsam maternæ dignitatis prædestinationem aut electionem, sed meruit de congruo ejus exsecutionem et adeptionem, sive meruit ut fieret mater Dei, et sublimem istam dignitatem adipisceretur, quia B. Virgo per suos actus dignissime se disposuit ut Filium Dei in suo utero susciperet; ergo per eos saltem de congruo meruit illius conceptionem. Hinc Hieronymus (epist. 22, *De custod. virg.*), sic ait : « Propone tibi Mariam, quæ tantæ exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur. » Et Augustinus (*De nat. et gr.*, cap. 36) : « Concipere meruit et parere, » etc.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De divina exsistentia et subsistentia.

SECT. I, II. — *An in Deo sit unum absolutum esse exsistentiæ, et an sit triplex relativum.*

Nota : Cum ea quæ in hac disputatione inquiruntur sint satis discussa in tomo *De Deo uno et trino*, ideo summatim tantum apponam ejus assertiones cum sua brevi probatione. Itaque

Dico 1 : In Deo est unum absolutum et essentiale *esse* exsistentiæ, tribus personis commune, ut patet ex hoc Dei nomine : *Qui est;* vel : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14) : hoc enim nomen *Qui est*, est essentiale, utpote significans tres personas ut sunt unus Deus; ergo significat proprietatem absolutam tribus personis communem : *esse* autem est exsistere, sive essentia est exsistentia; ergo exsistentia est proprietas absoluta communis tribus personis, maximeque essentialis. Hinc

Dico 2 : Natura divina tantum exsistit per suum *esse* absolutum, nec potest dici exsistere per exsistentiam relativam, sed per suam absolutam et essentialem; unaquæque autem relatio divina exsistit per propriam relativam, ratione tantum distinctam ab absoluta. Unde fit ut in tribus personis sint tres exsistentiæ relativæ realiter inter se distinctæ; unaquæque enim relatio habet propriam actualem entitatem relativam ratione ab essentia et realiter a relatione opposita distinctam. Attamen simpliciter dicendum est tres personas exsistere eodem *esse;* et solum cum addito *relative*, dicendum est exsistere relative per distincta *esse* relativa. Sic simpliciter dicendum est : unum est *esse* in Deo, triplex autem, cum addito *relative*. Divinis enim personis quædam conveniunt præcise ratione essentiæ, v. gr. esse Deum, esse increatum, etc. Alia præcise ratione relationis, v. gr. esse personam, esse incommunicabilem, etc. Alia simpliciter ratione essentiæ, sed juxta quemdam modum ratione relationis, v. gr. *esse*, seu habere realitatem, aut entitatem, etc.

SECT. III. — *An in Deo sit subsistentia absoluta et essentialis.*

Nota : Subsistentia in concreto significat id quod per se exsistit; in abstracto autem formalem modum a quo res habet ut per se subsistat, seu rationem per se exsistendi. Deinde generaliter ac simpliciter significat id quod per se subsistit; specialiter autem id quod per se subsistit incommunicabiliter, et quasi ultimate; adeoque incommunicabilitas non est de intrinseca subsistentiæ ratione aut quasi proprius ejus effectus formalis, etiamsi in creaturis ex hoc exsistendi modo sequatur semper incommunicabilitas ob eorum limitationem; sed subsistentia præcise sumpta, tantum dicit rationem per se essendi, et complere substantiam in suo essendi modo. Quare

Dico 1 : Exsistentia divina absoluta et essentialis præcise sumpta, ex vi suæ perfectionis absolutæ, non est tantum ratio exsistendi, sed etiam exsistendi per se et in se, ita ut Divinitas quatenus per illam modo perfectissimo exsistit, intelligatur per se exsistere, nec indigere aliquo sustentante, neque alio modo realiter aut ratione distincto, ut per se et in se exsistat. In hoc ergo sensu ipsum esse divinum absolutum et essentiale, præcise ex vi suæ perfectionis absolutæ, est esse per se et essentialiter subsistens, nec solum est quo aliquid exsistit, sed etiam quod exsistit : Scotus, Durandus, Richardus, Gabriel, etc., contra Alensem, Bonaventuram, Henriquez, negantes esse in Deo subsistentiam absolutam seu essentialem. Hinc

Dico 2 : Exsistentia absoluta et essentialis in Deo, quatenus est ratio per se exsistendi, potest convenienter dici subsistentia : et Deitas quatenus per se exsistens, potest dici subsistens, uti inquit D. Thomas (I part., quæst. 19, art. 2) : « Res dicitur subsistere ex eo quod per se exsistit; » et quæst. 9 *De potent.*, art. 5) dicit « divinam essentiam esse secundum se subsistentem. »

SECT. IV. *An sint in Deo tres subsistentiæ relativæ.*

Nota : Multi theologi negant in Deo esse subsistentias relativas, sed dicunt esse unam tantum absolutam, quia volunt personas divinas habere quod subsistant ab essentia, non a relationibus per quas constituuntur in esse personæ; et habent incommunicabilitatem. Sed

Dico 1 : In Deo tres sunt subsistentiæ realiter inter se distinctæ, prout subsistentia per modum concreti significat id quod subsistit; in Deo enim sunt tres personæ realiter distinctæ, quod est de fide, uti dicitur in concilio Ephesino (can. 4) : *In tribus subsistentiis, sive in tribus personis.* Ergo, etc.

Dico 2 : Sumendo subsistentiam in abstracto, in

Deo sunt tres subsistentiæ relativæ, id est, tres rationes subsistendi ; quia tres divinæ personæ sunt tres subsistentes non tantum adjective, sed etiam substantive, ad quod denotandum dicuntur tres subsistentiæ. Non multiplicantur autem in Trinitate concreta seu constituta substantive sumpta, nisi multiplicatis formis quibus constituuntur ; ideoque sunt tres personæ, quia sunt tres personalitates ; et tantum unus Deus, quia una tantum Deitas. Deinde si in Deo esset tantum una subsistentia, et non triplex, esset tantum unum habens Deitatem, et non triplex ; quia subsistentia constituit id quod dicitur habere naturam. Jam vero subsistentia ista Dei relativa perseitatem et incommunicabilitatem non dat naturæ divinæ et Deo ut sic, sed ut per ipsam constituto, id est divinæ personæ ; itaque terminat divinam exsistentiam essentialem, non dando illi ut per se exsistat, hoc enim ex seipso habet, sed determinando illam ad hanc vel istam personam, et quasi illi etiam adjungendo quoddam esse per se et subsistens quo formaliter talis persona in esse personæ constituitur, ita ut ipsa persona in toto suo *esse* includat *esse* per se exsistens ac subsistens tam secundum Dei absolutum *esse*, quam secundum Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti relativum *esse*, unde ista subsistentia relativa dat simul naturæ divinæ et perseitatem essendi et incommunicabilitatem.

Sect. V. — *An abstractis per intellectum relativis substantiis, intelligatur relinqui tantum hæc Deitas; an vero etiam hic Deus.*

Dico : Hic Deus ex vi sui conceptus non dicit subsistentiam communem et absolutam, sed solam naturam quasi connotando tantum subsistentiam ; unde ad suam unitatem non requirit unitatem seu singularitatem istius subsistentiæ. Abstractis autem per intellectum subsistentiis relativis, non tantum secundum distinctos earum conceptus, sed etiam secundum communem et confusam personalitatis rationem, adhuc intelligeretur hic Deus realiter exsistens et subsistens; maneret enim adhuc Deitas exsistens et subsistens. Hic autem Deus nil est aliud quam subsistens in hac Deitate, seu habens substantive hanc Deitatem.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De persona assumente et unita humanitati per factam incarnationem.

Sect. I. — *An sola persona Filii fuerit incarnata, et humanitatem assumpserit.*

Dico 1 : Ex divinis personis sola Filii persona incarnata est, et humanitatem assumpsit. De fide, contra Patripassianos hæreticos dicentes totam Trinitatem incarnatam fuisse ; et contra Sabellianos negantes personarum distinctionem. Id definitum est in quinta synodo (collat. 8, can. 4, 10), atque in aliis conciliis. Specialiter enim in Scriptura dicitur Filius Dei incarnatus, nunquam autem Pater aut Spiritus sanctus ; dicitur datus a Patre in mortem, minor Patre, etc. Et certe ob varias congruentias decuit Filium potius incarnari quam aliam personam, v. gr. ut Filius Dei fieret Filius hominis, filios Dei adoptivos faceret sibi similes, Patris injuriam vindicaret, medius inter Patrem et Spiritum sanctum fieret mediator hominum et Patrem oraret, etc. Quamvis autem una persona divina non possit efficere incarnationem sine alia, una tamen sola potest eam terminare per relationem, et non alia ; uti postea dicetur. Sicut enim unaquæque relatio divina terminat divinam naturam terminatione distincta ab aliis relationibus, personamque distinctam ab aliis constituit, ita etiam quælibet persona potest per se terminare naturam humanam terminatione distincta ab aliis, adeoque et sola sine aliis terminare.

Dico 2 : Per incarnationem prout facta est, divina natura fuit vere et realiter unita naturæ humanæ in persona Verbi, uti dicitur : *In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II, 9). Natura enim divina essentialiter includitur in personali proprietate Filii Dei ; ergo non potuit hæc proprietas uniri naturæ humanæ, quin ipsa etiam divinitas, seu natura divina maneret illi conjuncta. Quamvis autem Pater et Spiritus sanctus ratione divinitatis, in qua non distinguuntur a Filio, non fuerint humanæ naturæ uniti, sive incarnati, tamen, ob istam hypostaticam Filii unionem, singulari et altiori modo quam in omnibus creaturis insunt in illa Christi humanitate : primo, quia inter personas divinas est necessaria connexio quoad realem præsentiam ob naturæ unitatem ; secundo, quia singulari modo in Christi humanitate tota Trinitas operatur, eamque sanctificat ac efficit templum suum excellentiori modo quam per gratiam habitualem.

Sect. II. — *An Verbum terminaverit hanc unionem ratione proprietatis absolutæ, vel relativæ.*

Dico 1 : Formalis ratio, per quam Verbum primo ac per se terminat humanitatem, est ejus proprietas relativa. D. Thomas, Alensis, Bonaventura, Richardus, etc., contra Durandum dicentem esse subsistentiam absolutam et essentialem. Si enim unio primo ac per se terminata esset ad subsistentiam essentialem, qui primo factus est homo, esset hic Deus prout abstrahit a personis, et est quid commune illis ; ergo ex vi hujus unionis tam Pater quam Spiritus sanctus esset homo. Deinde hæc unio facta est per modum compositionis ex natura humana, et personalitate divina ; ergo quod ex parte Verbi formaliter terminavit dependentiam humanæ naturæ, eique conjunctum est, fuit personalitas Verbi, per quam impedita est in humanitate propria personalitas.

Dico 2 : Hæc unio primo ac per se in nullo absoluto, sed tantum in relativo facta est ; in absoluto autem facta est solum, quatenus includitur in relativo : contra Ockam et Gabrielem negantes rationem terminandi esse proprietatem sive absolutam sive relativam, sed esse totam Verbi entitatem secundum se totam, quæ utramque rationem includit. Probatur, quia si subsistentia absoluta secundum se

sit propria ratio terminandi unionem, ergo illa erit communis Patri et Spiritui ; et juxta hanc Pater et Spiritus sanctus erit homo. Deinde, licet absolutum et relativum in Deo realiter non distinguantur, tamen absolutum est ratio creandi, et non relativum ; contra, relativum constituit personam, non vero absolutum : sic in hoc mysterio potuit fieri unio in relativo, et non æque primo in absoluto, sed solum prout in relativo includitur.

Objicies 1 : Quamvis ratio terminandi unionem sit in Filio essentia ; ut tamen unio non sit communis, requiritur etiam cum illa Verbi proprietas relativa. Respondeo : Juxta concilium Toletanum, et alia, Verbi proprietas relativa, non est conditio ad unionem, sed est id quo formaliter facta est unio, adeoque dicitur facta in hypostasi Verbi. Sic enim habet concilium Toletanum VI et XI : *Solus Filius assumpsit humanitatem in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.* Deinde quia generatio divina est actus notionalis, ideo non hic Deus prout abstractus a personis generat, sed solum ut est Pater ; sic etiam, non hic Deus prout abstractus a personis, per se unitur humanitati, sed solum ut est Filius.

Obj. 2 : Relatio divina ut sic non dicit perfectionem ; ergo non potest esse terminus hujus unionis, supplendo vicem personalitatis creatæ. Respondeo : Nego antecedens. In proprio enim conceptu includit subsistentiam relativam, quæ per se dicit infinitam perfectionem etiam relativam.

Obj. 3 : Si humanitas Christi terminetur per relationem, Christus ut homo per hanc relationem referetur ad Patrem ; et sic Christus erit analogice homo respectu aliorum hominum. Respondeo : Nego illatum. Christus enim ut homo sive ejus humanitas non refertur ad Patrem, sed ejus persona tantum ad illum refertur, quia Christus prout est quoddam naturæ humanæ individuum, est quid absolutum, non relativum. Hinc in ratione suæ humanitatis est homo univoce cum aliis hominibus : tantum inter ejus personam, quæ est relativa, infinita, increata, et inter personas aliorum hominum, quæ sunt absolutæ, finitæ, creatæ, reperitur analogia.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA.

De termino assumptionis ex parte personæ assumentis, in quavis possibili incarnatione.

SECT. I. — *An hic Deus, prout abstrahit a personis divinis, possit creatam naturam assumere.*

Nota : Quæritur an hic Deus, prout nunc est quiddam commune tribus personis, possit naturam creatam terminare per proprietatem absolutam seu subsistentiam absolutam et essentialem, ita ut primo et per se fiat unio ad hunc Deum, non ad proprietates relativas, nisi tantum ratione absolutæ subsistentiæ.

Dico 1 : Natura divina abstracta a relationibus, si præcise spectetur ut natura nullam propriam et singularem habens subsistentiam, non potest ut sic assumere naturam creatam, quia nihil potest ex hoc resultare, nisi natura ; cum nec persona nec aliquid subsistens inde sequatur, nec natura divina ut sic, possit quidpiam naturæ creatæ communicare. Sed

Dico 2 : Natura divina prout abstracta a tribus personis et prout hic Deus propria et singulari subsistentia absoluta et essentiali subsistens, potest immediate assumere naturam creatam, terminando illam præcise per dictam subsistentiam essentialem (Scotus, Durandus, Gabriel, etc.) ; quia ista subsistentia absoluta potest esse sufficiens assumptionis terminus, non minus quam relativa. Non repugnat enim tres personas communicare naturæ assumptæ suam subsistentiam absolutam, non communicando relativas ut sic : sicuti non repugnat Patrem communicare Filio suum esse absolutum, non communicando proprium relativum. Ista quidem subsistentia absoluta est communicabilis tribus personis ; sed sicut non repugnat hunc Deum existere per subsistentiam communicabilem tribus personis incommunicabiliter subsistentibus, ita nec repugnat hunc hominem per eamdem subsistere, ita ut quælibet persona divina fieret subsistens per illam subsistentiam in duplici natura ; hæcque divina increata subsistentia terminans humanitatem impediret seu excluderet propriam illius creatam subsistentiam.

SECT. II, III. — *An plures personæ divinæ possint simul assumere eamdem naturam terminando illam immediate per subsistentias relativas ; et contra, an una persona possit assumere plures naturas.*

Dico 1 : Plures personæ divinæ possunt assumere eamdem naturam et illam terminare proxime et immediate propriis subsistentiis relativis. (D. Thomas, Alensis, Gabriel, etc., contra Scotum, Richardum, etc.) Probatur, quia tres personalitates divinæ possunt terminare eamdem naturam divinam ; ergo et humanam quæ per obedientialem potentiam potest esse terminata a quavis personalitate divina infinitæ virtutis, et per diversas uniones dependeret a singulis personalitatibus tanquam a terminis acquisitis, non tanquam a causis sibi communicantibus propriam entitatem. In eo autem casu tres personæ divinæ non essent tres homines, sed tantum unus homo : ita D. Thomas, Bonaventura, etc.; quia esset tantum una natura humana, ergo unus homo tantum ; homo enim formaliter significat naturam humanam prout est in habente illam.

Dico 2 : Una persona divina potest assumere plures naturas ; nulla enim est repugnantia tam ex parte assumentis personæ, quam ex parte naturarum assumptarum. Pater quidem æternus non potest generare nisi unam personam, quia ejus potentia est veluti expleta actu adæquato, cui respondet etiam adæquatus terminus ; non sic vero in persona divina assumente naturam creatam. An vero tunc persona subsistens in pluribus humanitatibus dicenda foret unus vel plures homines, probabilius juxta D. Thomam, qui antea senserat dicendam esse plures ho-

mines ob pluralitatem naturarum, postea se retractantem, videtur dicenda unus tantum homo (Gabriel, Cajetanus, etc.) : quia esset tantum unum suppositum, ergo unus homo tantum. Suppositum enim seu persona non multiplicatur, licet habeat plures formas, vel naturas; v. gr. Christi persona non est duo homines ob duas naturas, divinam et humanam ; Petri persona non est duo aut tres patres ob duas aut tres paternitates.

Sect. IV. — *An persona creata possit hypostatice uniri alteri naturæ creatæ.*

Nota : Videntur in diversa suppositione quidam id affirmare, alii negare ; nam Cajetanus, Durandus, Henriquez, etc., negant fieri posse ut persona creata hypostatice sustentet alienam naturam, seu terminet; Ockam autem, Major, Almainus, etc., asserunt posse fieri. Sed

Dico : Supposito quod personalitas sit tantum naturæ modus, realiter ab ea indistinctus, fieri non potest ut illa aliam naturam hypostatice terminet; modus enim realiter indistinctus a re, non potest modificare seu afficere nisi ipsam rem, cujus est modus, non vero aliam distinctam ; v. gr. sessio quæ est in me, non potest alium afficere : non potest enim alius sedere per sessionem quæ est in me, nec virga esse recta per rectitudinem alterius; ergo nec natura creata terminari per personalitatem alterius, quæ est ipsi modus identificatus, eam tantum afficiens cum implicatione alteram afficiendi. Unde angeli apparentes in corpore humano, non fuerunt hypostatice illi uniti. Si autem supponatur personalitatem creatam esse entitatem realiter a natura distinctam tanquam rem a re, tunc facile per potentiam obedientialem posset affigi et conjungi diversis naturis, etiamsi illæ loco distantes forent; si nempe eadem entitas in diversis locis tota in toto et tota in qualibet parte constituatur.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA.

Quid potuerit a Deo assumi per quamcunque possibilem unionem hypostaticam.

Sect. I. — *An natura exsistens in propria persona potuerit assumi.*

Dico 1 : Certum est personam creatam formaliter quatenus personam, non posse assumi, est enim clara contradictionis implicatio ; quia vel persona in suo conceptu formaliter includit negationem exsistendi in alio tanquam supposito seu persona, vel modum exsistendi per se incommunicabiliter, ex quo exsistendi modo immediate oritur ista negatio. Certum est etiam naturam præexsistentem in sua propria persona, posse assumi, si per assumptionem et unionem cum alia persona, privetur propria personalitate; quia si Deus assumendo naturam humanam, potuit impedire propriam illius personalitatem, ergo et expellere si præexstitisset. Insuper certum est naturaliter sequi ex naturæ humanæ assumptione, ut ipsa privetur propria personalitate. Tantum ergo dubitatur an natura terminata propria personalitate, assumi possit conservando suam propriam personalitatem, ita ut sola natura assumatur, non autem personalitas, quæ tamen permaneat concomitanter terminando ut prius eamdem naturam. Quare :

Dico 2 : Juxta communem theologorum sententiam videtur impossibile naturam in propria personalitate exsistentem posse assumi ; quia omissis aliorum, nempe Cajetani, Durandi, Capreoli, etc., variis rationibus, propria et creata subsistentia seu personalitas est solum quidam modus exsistendi per se. Hic autem modus exsistendi per se habet formalem et immediatam repugnantiam cum alio exsistendi modo quem habet natura assumpta in alieno supposito ; quia esse per se et in alio, sunt modi inter se ita repugnantes, ut unus immediate includat negationem alterius ; sicut fieri non potest ut eadem virga sit simul recta et curva, quia rectitudo et curvitas sunt modi positivi, qui immediate includunt alterius negationem. Ideo in Christi humanitate est tantum unica persona increata, ipsaque sola in humanitate Christi : quia ille unionis humanitatis cum Verbo modus repugnat cum persona creata, illamque formaliter excludit. Atque hinc patet cur eadem natura possit simul esse in duabus personis extrinsecis aut alienis, non vero in propria et in aliena : quia modus exsistendi per se sive in propria persona, includit negationem exsistendi in alio ; duo autem modi exsistendi in aliena natura non se invicem excludunt : ideoque tres personalitates divinæ possunt exsistere in eadem natura divina, quia non dicunt unionem cum extrinseca seu aliena persona, sed tantum unionem, seu identitatem cum eadem natura.

Sect. II. — *An alia natura substantialis, quam humana, possit assumi a persona divina.*

Dico 1 : Deus potuit assumere sibique hypostatice unire naturam angelicam, uti supponit sanctus Paulus dicens : *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit* (*Hebr.* II, 16). Ita D. Thomas, Cajetanus, Ferrarius, etc., communiter contra Albertum. Anima enim Christi separata mansit unita Verbo hypostatice ; ergo etiam natura angeli potest uniri, manendo privata propria sua personalitate, quæ supponitur distincta à natura angeli.

Dico 2 : Simpliciter loquendo, non implicat naturam irrationalem vel insensibilem uniri Deo hypostatice (D. Thomas, Scotus, Durandus, etc., contra Henriquez, Carthusianum), etc. Probatur : Verbum immediate fuit unitum corpori humano ac materiæ secundum se, etiamsi in ordine ad animam, et illi mansit unitum hypostatice in triduo mortis, dum anima ab eo erat separata ; item sanguis et alii humores fuerunt uniti Verbo hypostatice, cum tamen juxta probabiliorem sententiam non informentur anima ; ergo eodem modo poterat assumi quælibet alia substantialis natura inanimata. Et ratio est quia unio hypostatica proxime ac per se terminatur ad subsistentiam. Sed quælibet natura sub-

stantialis est capax subsistentiæ; ergo est capax hujus unionis.

Objicies 1 : Natura irrationalis non est apta ad constituendam personam; ergo non potest subsistere in divina persona. Respondeo : Nego consequens; quia licet non esset apta ad constituendam personam, esset tamen apta ad constituendum suppositum : suppositum enim abstrahit a natura rationali et irrationali ; ut ergo natura aliqua sit capax unionis hypostaticæ, sufficit ut sit capax subsistentiæ : tunc Verbum in ipso casu uniretur tali naturæ, per suam personalitatem, sicut uniebatur Christi cadaveri in triduo mortis ; sed compositum ex illa unione resultans, licet esset suppositum talis naturæ, ut sic tamen non denominaretur, quia illa natura non esset rationalis, quamvis istud idem suppositum, ut subsistens in natura divina foret persona.

Obj. 2 : Natura irrationalis non est capax alicujus operationis divinæ ; ergo nec divini esse quod per hanc unionem communicatur; cum enim *esse* sit propter operari, juxta Aristotelem, id quod est incapax operationis divinæ, est etiam incapax divini *esse* seu subsistentiæ talis naturæ. Respondeo : Nego consequens. Per unionem hypostaticam proxime et intrinsece communicatur solum esse subsistentiæ ad subsistendum, vi cujus unionis debetur quidem perfectus operandi modus, sed juxta naturæ assumptæ capacitatem, v. gr. visio beata et gratia, si natura sit harum capax; et quia hæ perfectiones sunt extrinsecæ et accidentales isti unioni, ideo si natura non sit earum capax, non debentur. Dum autem dicitur dari *esse* propter operari, intelligendum est de *esse* naturæ seu essentiali, cujus proprium est operari, non de *esse* subsistentiæ, cujus proprium est subsistere; et tantum remote et extrinsece potest ordinari ad operandum juxta naturæ capacitatem. Unde licet hæc natura non foret capax sanctificationis, seu gratiæ habitualis et actionis liberæ ac meritoriæ, esset tamen capax deificationis, id est vi unionis esset deificata et honore digna.

Obj. 3 : Videtur indecens ac repugnans divinæ personæ uniri naturis inferioribus et imperfectis. Respondeo : Nego assumptum. Si enim Deus id faceret, contra nullam virtutem ageret, nec illi deesset modus ac ratio ob quam decenter et sapienter id faceret.

Obj. 4 : Forma naturæ irrationalis non est forma subsistens, cum in suo esse pendeat a materia tanquam a sustentante; ergo illa non est capax hujus unionis quæ tantum est ad subsistendum, adeoque unio potest solum fieri in materia ratione cujus istæ res materiales subsistunt. Respondeo : Nego consequens. Probabilius namque est naturam irrationalem ita esse a Verbo assumptibilem, ut per unionem Verbum immediate uniatur, et toti naturæ constanti ex materia et forma, et ipsi materiæ et formæ quasi partialiter utramque proxime afficiendo, quamvis formæ non uniatur secundum se, sed solum ut componit totam naturam.

Sect. III, IV. — *An partes substantiales et accidentales possint hypostatice uniri divinæ personæ.*

Dico 1 : Materia prima per se assumptibilis est sine forma, adeoque sine natura integra et completa : vel exsistendo in rerum natura sine forma, cum sit actus entitativus qui posset sine forma a Deo conservari ; vel exsistendo in toto composito et actualiter informato per formam, ita ut licet materia sit actualiter pars alicujus naturæ, Deus tamen soli materiæ et non immediate ipsi formæ nec toti naturæ uniatur.

Dico 2 : Forma substantialis separata a materia, potest hypostatice uniri Verbo, uti anima Christi remansit unita in triduo separationis a corpore, sicque posset uniri Verbo forma materialis, si Deus eam conservaret extra materiam; unita autem materiæ et actu informans, cum non sit per se subsistens, sed sustentetur a materia, non videtur posse per se assumi ad subsistendum, sed tantum ratione totius naturæ. Aliud est de anima rationali, quæ cum sit forma subsistens, etiam in actuali corporis informatione, potest hypostatice uniri Verbo, etiamsi sit suo corpori unita.

Dico 3 : Pars integralis, v. gr. cor, caput, etc., actualiter unita, potest assumi sine aliis partibus; si autem sit divisa, jam non est pars, sed aliqua natura completa ; unde non est dubium quin etiam possit assumi.

Dico 4 : Forma accidentalis sive separata a subjecto sive illi inhærens, probabilius non videtur posse immediate per se uniri Verbo hypostatice : ita Paludanus et Bassolius, contra Majorem, Gabrielem, etc., quia accidens seu entitas accidentalis non est capax modi substantialis. Unio autem hypostatica est intrinsece et essentialiter modus subsistendi substantialis ; ergo accidens seu forma accidentalis non est capax talis subsistentiæ.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA.

Quid Verbum assumpserit per incarnationem prout facta est.

Sect. I, II, III, IV. — *An Verbum assumpserit veram hominis naturam, veram animam rationalem, verum corpus humanum, animam et corpus inter se unita.*

Dico 1 : Verbum divinum veram et essentialiter perfectam naturam humanam assumpsit; in Christo enim sunt duæ naturæ : vera scilicet divinitas et vera humanitas, ex quibus et in quibus subsistit, adeoque est verus Deus et verus homo. De fide. Hæc autem humanitas a Verbo assumpta, est unica, individua et singularis. De fide enim certum est Christum esse quemdam singularem hominem numerice ab aliis distinctum, ratione et personæ et naturæ humanæ.

Dico 2 : Christus assumpsit veram animam rationalem ejusdem speciei cum animabus aliorum homi-

num. De fide contra Arianos negantes in Christo fuisse veram animam, et asserentes Verbum illi fuisse loco animæ; et contra Apollinarem dicentem in Christo fuisse quidem animam sentientem, sed non mentem, seu non animam rationalem, vel potentiam intellectivam. Probatur, quia sine vera anima rationali, non potest esse vera humanitas, nec verus homo; nec potest Deus fieri forma corporis. Hæc veritas definita est in variis conciliis, Ephesino, Chalcedonensi, Romano, etc. Et patet ex Scriptura: *Tristis est anima mea* (*Matth.* XXVI, 38). *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII, 42). *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam* (*Joan.* X, 17). Deinde in homine anima sensitiva non est distincta a rationali, ergo nec in Christo, qui est verus homo.

Dico 3 : Verbum divinum assumpsit verum corpus. De fide contra Marcionitas et Manichæos dicentes solum corpus phantasticum et apparens assumpsisse. Si enim non habuisset verum corpus, non fuisset vere incarnatus, nec vere mortuus, nec vere resurrexisset. Item assumpsit corpus humanum ejusdem materiæ et rationis cum nostro. De fide contra Apellem dicentem corpus Christi formatum fuisse ex elementis; et contra Valentinum dicentem fuisse corpus cœleste; et contra alios dicentes corpus fuisse divinitati consubstantiale, vel certe ex ea formatum. Probatur, quia Christus est verus homo, conceptus ex muliere : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). *Semen Abrahæ apprehendit* (*Hebr.* II, 16). *Qui factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). *Pueri communicaverunt carni et sanguini, et Filius Dei participavit eisdem* (*Hebr.* II, 14). Ergo corpus Christi quod immediate Verbi subsistentiæ unitur, est ejusdem speciei cum nostris; hocque definitum est in variis conciliis. Unde dum dicitur *in similitudinem hominum factus* (*Philip.* II, 7), id est, hominum peccatorum, non præcise hominum; deinde vox *similitudinem* non excludit veritatem. Sic etiam : *Et si cognovimus Christum secundum carnem* (nempe passibilem), *jam non novimus* (nempe passibilem) post ipsius resurrectionem (*II Cor.* V, 16). Similiter dicitur Christus *homo cœlestis* (*II Cor.* XV, 47) ob vitam cœlestem, ob impeccabilitatem, ob gloriam quam habuit a principio, ob divinum suppositum, ob ineffabilem conceptionis modum.

Dico 4 : Christus assumpsit corpus et animam inter se unita ad componendam humanitatem. De fide, ut habetur ex conciliis Ephesino, Chalcedonensi, etc. : quia unio animæ et corporis est de essentia humanitatis et hominis; Verbum autem et veram humanitatem assumpsit, et vere factus est homo. Deinde nisi corpus et anima fuissent unita, non potuissent per mortem separari, adeoque nec Christus vere mortuus fuisset, nec a principio ex matre genitus. Hinc potest dici Christus compositus ex tribus naturis, divinitate, anima et corpore; ordinario tamen modo dicitur compositus ex duabus naturis, scilicet divinitate et humanitate.

Sect. V, VI, VII, VIII. — *An Christus assumpserit omnes humani corporis partes integrales; an assumpserit immediate et secundum hypostasim sanguinem, aliosque humores ac partes ad subsistendum in sua persona.*

Nota : Assumi secundum hypostasim dicitur, quando Verbum per se immediate terminat naturæ assumptæ exsistentiam; assumi autem in hypostasi dicitur, quando Verbum mediante tantum natura, quæ cum illo immediatam habet unionem, aliam attingit, quia inest in natura ista immediate assumpta.

Dico 1 : Verbum divinum immediate et secundum hypostasim assumpsit corpus humanum integrum, omnesque ejus partes, saltem eas quæ anima rationali informantur, totam enim immediate assumpsit humanitatem, quæ substantialiter et quasi essentialiter ex his partibus anima rationali informatis, componitur.

Dico 2 : Sanguinem Christi immediate fuisse unitum Verbo Dei, nunc ita certum est, ut videatur contrarium non posse sine errore sustineri. (D. Thomas, Scotus, Albanus, etc.) *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato* (*I Joan.* I, 7). *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur* (*Luc.* XXII, 20). Hinc concilia dicunt eum assumpsisse carnem et sanguinem. In concilio Chalcedonensi (act. 2) approbatur hæc explicatio : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), id est, *carnem et sanguinem sumpsit;* et in sexta synodo (act. 8) dicitur : *Factus est in assumptione carnis et sanguinis; mansit tamen quod erat.* Idemque Patres sentiunt. Adeoque rejicienda est quorumdam theologorum, nempe Durandi, Gabrielis, etc., sententia negans sanguinem Christi fuisse immediate unitum hypostatice Verbo. Deinde frustra quidem et sine vero fundamento distinguunt duplicem sanguinem, nimirum nutrimentalem et inservientem nutritioni, qui non informatur anima, nec adhuc est plene decoctus; et alium perfectum pleneque decoctum, qui anima informatur ad humani corporis integritatem pertinens : quia in sanguine nulla est varietas substantialis, sed tantum accidentalis, in eo quod magis vel minus sit purus. Unde totus sanguis qui fuit in Christi corpore, quique ab illo pro nobis effusus est, immediate fuit unitus Verbo hypostatice. Scriptura enim, concilia et Patres indefinite de sanguine loquuntur; ergo de toto loquuntur, totusque sanguis a Christo effusus, est ejusdem infiniti valoris. Unde

Dico 3 : Verbum assumpsit sanguinem non solum ob extrinsecam rationem, ut esset condignum nostræ redemptionis pretium, sicut potuisset assumere aliud, si voluisset (v. gr. lacrymas), sed etiam ob intrinsecam rationem spectantem ad integram totius humanitatis assumptionem : sive enim sanguis sit anima informatus, sive non, quod parum refert; vere saltem ac proprie pertinet ad veritatem et integritatem naturæ humanæ, uti docet D. Thomas, (quæst. 54, art. 1). Verbum igitur factum est homo

quoad naturam ejusdem perfectionis, veritatis et integritatis qua nos sumus; ideo ex vi hujus integræ assumptionis naturæ humanæ, assumpsit sanguinem.

Objicies 1 : Juxta D. Thomam et priscos Patres, Verbum non assumpsit corpus nisi mediante anima ; ergo non fuit immediate unitum sanguini. Respondeo : Distinguo antecedens. Assumpsit corpus mediante anima, id est ratione animæ seu propter animam, ut infra dicetur, concedo antecedens ; mediante anima, id est tanquam medio seu vinculo uniente corpus ad Verbum, nego antecedens. Et ita dic de sanguine qui est propter animam et sine quo anima non potest in corpore conservari.

Obj. 2 : Verbum assumpsit tantum unam naturam ; sanguinis autem natura distinguitur a natura animata. Respondeo assumpsisse unam tantum naturam completam, ad quam sanguis tanquam pars ordinatur.

Obj. 3 : In aliis hominibus subsistentia humanitatis tantum terminat eas partes corporis quæ informantur anima rationali ; ergo sic etiam subsistentia Verbi in corpore Christi. Respondeo : Nego antecedens. Ut subsistentia creata, ex multis partibus composita, terminat omnes corporis partes, ita simplex Verbi subsistentia supplet omnes istius subsistentiæ creatæ partes, adeoque sanguinis subsistentiam tanquam illius partem.

Obj. 4 : Partes quæ non informantur anima, non sunt de integritate humanitatis ; ergo nec sunt immediate a Verbo assumptæ. Respondeo : Nego antecedens. Sive enim sanguis sit anima informatus, sive non, pertinet ad corporis integritatem.

Obj. 5 : In Christi resurrectione sanguis non fuit corpori reunitus ; dicitur enim adhuc manere a Verbo separatus. Respondeo : Nego assumptum. Et nunc est adhuc illi unitus in gloria ; sed quia sanguis quem Christus habuit toto vitæ tempore, potuit excedere quantitatem necessariam ad conservationem et veritatem corporis humani, ideo fieri potuit ut non omnem sanguinem quem in vita habuit et effudit, iterum assumpserit in resurrectione, ut dicetur postea in tract. *De resurrectione*.

Dico 4 : Probabilius etiam videtur Verbum immediate secundum hypostasim assumpsisse tres alios humores ; uti sentiunt Cajetanus, Sylvester, Sotus, etc. Imo et ungues, dentes, capillos, quia ista omnia sunt de integritate corporis humani, et necessaria ad nonnullas actiones humanas, etiamsi de capillis sit res magis dubia. Quæ quidem per se semel assumpta sunt, nunquam dimissa sunt, nimirum anima et corpus ; sed partes materiales quæ in continua corporis nutritione resolvuntur, potuerunt dimitti, maxime quoad illam materiam quæ in resurgentis Christi corpore non erat futura necessaria.

Dico 5 : Verbum non assumpsit immediate secundum hypostasim accidentia seu formas accidentales ; sed tantum eas assumpsit in hypostasi mediante natura humana. Accidens enim, præsertim actu inhærens, non est immediate assumptibile, ut supra dictum est ; sed mediante natura humana assumpsit illas formas accidentales quæ ad naturalem ejus statum, conservationem, perfectionem pertinent, factus per omnia nobis similis sine labe peccati.

DISPUTATIO DECIMA SEXTA.

De ordine assumptionis secundum realem temporis successionem.

Sect. I, II, III. — *An caro aut anima Christi prius tempore exstiterit quam hypostatice Verbo uniretur.*

Dico 1 : Humanitas Christi non prius tempore exstitit in rerum natura quam fuit unita Verbo ; adeoque hic homo Christus nunquam fuit purus homo, sed a principio suæ conceptionis fuit homo Deus. De fide : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). In concilio Ephesino I, (can. 13) dicitur : *In ipsa conceptione hominis, Deus carni unitus est.* Item in sexta synodo (act. 2) dicitur : *Incarnatur Verbum Deus, non præfactæ carni copulans, nec animæ præexistenti conjunctus, sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum et Deus naturaliter copulatus est* Idem alia concilia et Patres, Leo, Ignatius, Augustinus, etc., asserunt. Et ratio est quia si hæc unio non foret facta in eodem momento quo facta est humanitas in Virginis utero, B. Virgo non concepisset Deum, sed purum hominem, contra illud ad Galat. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Unde

Dico 2 : Unio animæ et corporis in Christo non fuit prius tempore facta quam unio totius humanitatis cum Verbo. Quia humanitas est totum quod ex animæ et corporis unione resultat, adeoque incipit esse eodem momento quo istorum unio fit.

Dico 3 : Anima Christi non fuit prius tempore creata, seu exsistens, quam corpori unita, contra errorem Origenis, qui docuit animam Christi (sicut etiam de aliorum animabus dixit) a principio mundi fuisse creatam, eamque ob meritum, quod ante corpus habuit, accepisse unionem cum Verbo, priusque Verbo unitam quam corpori, prout colligitur ex Patribus. Probatur, ex quinta synodo, ubi id expresse definitur, non tantum de quavis humana, sed specialiter de anima Christi. Idemque in sexta synodo (act. 11) docetur. Ratio est quia, cum anima sit forma corporis, ex se postulat ut in ipso corpore, et in ejus informatione incipiat esse. Unde anima Christi non prius tempore fuit unita corpori quam Verbo ; adeoque nec prius tempore exstitit, quam fuit unita Verbo.

Dico 4 : Caro seu humanum corpus Christi non fuit prius tempore conceptum quam Verbo unitum, nec prius Verbo unitum quam animæ. Loquor de corpore humano formaliter sumpto, habente ultimam dispositionem ad animæ unionem ; materia enim ex qua fuit formatum corpus Christi, sine

dubio prius exstitit in rerum natura, unita hypostasi B. Virginis sub forma ipsius sanguinis, quam fuit unita Verbo, vel animæ Christi. Probatur, quia ultima corporis organici dispositio non antecedit tempore introductionem formæ seu animæ, id est corporis formatio ultimo disposita, sive ejus conceptio. Unde Verbum assumendo corpus, simul tempore assumpsit omnes ejus integrales formas statui conceptionis accommodatas; non vero materiales, v. gr. dentes, et similes quas postea successu temporis acquisivit.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA.

De naturæ ordine in hac assumptione servato.

Sect. I, II. — *An anima Christi prius natura fuerit unita Verbo quam corpori; et corpus prius unitum Verbo quam animæ.*

Dico 1 : Ordine intentionis, unio animæ cum corpore est aliquo modo natura prior quam unio ejusdem cum Verbo, quia assumptio totius humanitatis est primario intenta. Sed ordine exsecutionis, anima prius natura unitur Verbo quam corpori, quia animæ unio cum Verbo non pendet ab actuali ejus unione cum corpore; ergo non est posterior etiam ordine naturæ. Deinde anima hominis, juxta philosophos, ex se prius natura subsistit quam uniatur corpori; ergo etiam anima Christi prius etiam natura subsistit subsistentia Verbi, quam uniatur corpori. Quamvis autem inter has uniones non interveniat propria ratio causæ per se, intervenit tamen quædam ratio naturalis ordinis, quatenus unus exsistendi modus ex se præsupponitur alteri, sicut in causa efficienti, subsistentia ordine naturæ præsupponitur operationi. Simili modo

Dico 2 : Ordine intentionis, unio corporis cum anima est natura prior quam ejusdem unio cum Verbo, quia corpus est assumptum propter animam seu propter totam humanitatem quæ resultat ex unione corporis cum anima; ergo hæc unio ordine intentionis intelligitur antecedere. Ordine tamen exsecutionis corpus prius natura unitur Verbo quam animæ. Ordine enim exsecutionis, juxta D. Thomam, prius natura sunt assumptæ partes, quam tota humanitas. Deinde materia prius natura subsistit propria partiali subsistentia, quam uniatur formæ; ergo etiam in Christo materia seu corpus debet intelligi prius natura uniri Verbo, sive subsistere in Verbo, quam uniatur animæ. Sicut enim materia subsistens ordine naturæ et causæ materialis antecedit unionem cum forma, ita unio corporis cum Verbo, per quam impedita seu suppleta fuit propria ejus subsistentia, antecedit ordine naturæ et participationis unionem cum anima.

Sect. III, IV. — *An corpus prius natura sit unitum cum Verbo quam anima, vel contra.*

Dico 1 : Ordine intentionis anima prius natura assumpta est quam corpus, sed ordine exsecutionis utraque pars in suo causæ genere potest dici prius assumpta; corpus in genere causæ materialis, anima in genere causæ formalis. Simpliciter tamen assumptio corporis videtur ordine naturæ antecedere assumptionem animæ.

Dico 2 : Juxta Patres corpus assumptum est per animam seu mediante anima, quod non sic intelligendum est, quasi anima fuerit vinculum uniens corpus Verbo; aut unio hypostatica immediate cum sola anima fuerit facta, et mediate tantum cum corpore, aut unio cum anima fuerit via ad unionem cum corpore, et ex unione cum anima necessario consecuta fuerit unio cum corpore; sed sic debet intelligi, quod corpus non fuerit assumptibile nisi ratione animæ, et in ordine ad animam; non quia anima prius natura quam corpus, ordine exsecutionis assumpta fuerit, vel actualis ejus unio cum Verbo debuerit antecedere corporis unionem cum eodem Verbo, sed quia corpus assumptum est ob habitudinem ad animam, et ratione illius. Simili modo juxta eosdem Patres assumpta est per mentem seu mediante spiritu; id est, anima, prout vivificans corpus vel prout est principium sentiendi, fuit assumpta per gradum intellectualem, quatenus ratione illius tota anima assumptibilis fuit.

Sect. V, VI. — *An tota humanitas prius natura assumpta sit quam ejus partes et accidentia.*

Dico 1 : Ordine intentionis tota humanitas prius natura fuit assumpta quam ejus partes; sed ordine exsecutionis tam anima quam corpus secundum se, sunt prius assumpta quam tota humanitas (D. Thomas, Cajetanus, Richardus, etc., contra Scotum et Paludanum). Probatur, quia anima et corpus prius natura assumpta sunt quam fuerint inter se unita; ergo prius natura sunt assumpta quam sit constituta tota humanitas, quæ constituitur per ipsorum inter se unionem, adeoque prius natura sunt assumpta secundum se quam ipsa humanitas.

Dico 2 : Per hanc unionem sive assumptionem non solum partes secundum se, sed etiam prout inter se unitæ, assumptæ sunt, seu tota humanitas prout ex his partibus inter se unitis constans, assumpta est, ita ut præter partiales ipsarum partium secundum se uniones, intelligatur assumptio terminata esse ad totam humanitatem, quatenus est quædam natura integra et completa, includens partes ut inter se unitas. Unde quamvis anima et corpus secundum se, prius natura fuerint assumpta, tamen quatenus inter se unita fuerunt assumpta media humanitate, quæ per hanc unionem prout completam ac perfectam, fuit per se ac primo unita Verbo, ut patet in resurrectione, in qua anima et corpus secundum se seorsim præexsistebant unita Verbo; sed cum primum inter se reunita sunt ad componendam unam naturam completam, hæc natura tota et completa mansit unita Verbo cum addito novo unionis hypostaticæ modo, qui immediate intelligitur addi toti isti naturæ ut sic; adeoque per illam naturam completam uniuntur Verbo partes quatenus unitæ inter se.

Dico 3: Certum est substantiam esse medium per quod vel potius in quo assumuntur accidentia; quia, ut supra dixi, non immediate assumuntur, sed tantum in hypostasi, ratione naturæ, in qua insunt seu inhærent. Unde prius saltem natura assumitur substantia quam accidentia, et probabilius videtur prius natura uniri Verbo quam in se recipiat aut ei adveniat aliquod accidens, quia prius natura convenit subsistentiæ propria substantia quam accidens. Ergo, ut supra dictum est, prius natura humana Christi substantia unita est subsistentiæ Verbi, quam ejus accidentia.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA.

De gratia sanctificante, seu justitia creata animæ Christi.

Sect. I. — *An anima Christi ad suam sanctificationem et justificationem eguerit gratia creata sanctificante.*

Nota: Certum est Christum ab initio suæ conceptionis fuisse Deo gratum, sanctum, innocentem: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (*Joan.* x, 36). *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17). Quæritur autem an egerit gratia accidentali ut esset Deo gratus et sanctus. Pro quo

Dico 1: Humanitas Christi seu Christus ut homo, formaliter ex vi gratiæ unionis hypostaticæ fuit absolute sanctus et Deo gratus: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (*Luc.* IV, 18). *Unxit eum Spiritu sancto et virtute* (*Act.* X, 38). *Et ungatur Sanctus sanctorum* (*Dan.* IX, 24). Hæc unctio, juxta Patres, qua Christus homo, fuit unctus et dictus Christus, est ipsa divinitas seu Verbum, per cujus præsentiam humanitas sanctificata est. Nicetus (*Thesaur.* lib. III, cap. 3): « Ipse » inquit, « seipsum unxit, divinitas enim humanitatis unctio est. » Ratio est quia hic homo Deus formaliter, per unionem hypostaticam (quatenus est modus in sua humanitate creatus, et simul ipsum Verbum humanitati unitum), constituitur objectum maximæ Dei dilectionis supernaturalis, habetque in se et in sua natura dignitatem et quamdam gratiam, quamvis diversam a gratia habituali, et altioris ordinis, ob quam ipsi debeatur beatitudo æterna. Si autem natura humana uniretur personæ angeli sanctæ, non ideo fieret necessario sancta, quia cum persona angeli non sit per se sancta sed per accidens, non uniretur naturæ humanæ ut sancta, sed solum secundum suam personalitatem quæ non est per se sancta; persona autem Verbi ut sic, per se est ipsa sanctitas. Unde potuit Deus assumere naturam humanam sine gratia habituali, utpote realiter distincta et ab anima et a gratia unionis; per hanc enim gratiam unionis, etiamsi abesset gratia habitualis, fit homo necessario gratus Deo et sanctus atque impeccabilis. Imo per eam non tantum anima Christi, sed etiam ejus caro sanctificata fuit juxta suum modum ac capacitatem; id est, effecta est animæ sanctæ socia, organum illi conjunctum, digna supremo cultu, purissima, incapax omnis inordinationis ac fomitis peccati, specialiter Deo consecrata ac conjuncta, animæ beatæ intime unita, etc. Sed

Dico 2: Gratia unionis præcise ac formaliter per seipsam non confert naturæ humanæ omnem sanctitatis perfectionem accidentalem et extensivam, quæ in homine justo seu sancto necessaria est, ut sit omni ex parte bene affectus et dispositus ad beatitudinem et omnem rectam operationem; quia per se confert solum dignitatem personalem, non autem confert animæ illam pulchritudinem et formam gloriæ proportionatam quam confert gratia habitualis, neque illam propensionem et proximam bene operandi facultatem quam conferunt virtutes. Sanctificat ergo perfecte intensive solum ac substantialiter, non vero accidentaliter, quia perfectio animæ Christi per accidentia extensive consummatur. Non ideo tamen Christus per utramque gratiam simul sumptam, nempe unionis et habitualem, fit sanctior quam per solam unionis gratiam, quia ut dicatur Christus sanctior, non sufficit illa accidentalis extensiva perfectio; nam tota ipsamet intensive, eminenter et radicaliter in una unionis gratia continetur. Itaque

Dico 3: Quamvis Christus homo Deus non indiguerit gratia creata ut esset Deo gratus et sanctus, fuit tamen illi necessaria ad consummatam perfectionem extensivam, seu ad sanctitatis statum; quod ex dictis patet.

Sect. II, III. — *An, quando et quomodo data sit animæ Christi gratia habitualis.*

Dico 1: Christi anima habuit donum gratiæ habitualis. Ita omnes doctores et Patres. « Ipse est, » inquit Athanasius (serm. 2 *Contra Arian.*), « qui dat et accipit Spiritum sanctum; dat ut Verbum, accipit ut homo » Et Augustinus (*De Trinit.* lib. XV, cap. 26) ait: « Dominus ipse Jesus non solum Spiritum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, et propterea est plenus gratia. » Sic Joan. I, 14, dicitur: *Vidimus gloriam ejus, plenum gratiæ et veritatis.* Et Isa. XI, 2: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ*, etc., Hinc Gregorius (*Morat.* lib. XXIX, cap. 30) dicit: « Redemptor noster, Spiritus operationes simul in se et cunctas et manentes habuit. » Quinimo:

Dico 2: Existimo certitudine fidei tenendum hanc gratiam habitualem exsistere in anima Christi, et esse donum creatum illi inhærens, cum in hoc omnes Patres et theologi consentiant. De fide enim est charitatem fuisse animæ Christi infusam, sine qua, juxta Apostolum, cætera nihil valent, definitumque est a concilio Tridentino (sess. 6, cap. 7), justos generatim justificari per infusionem gratiæ et charitatis, sive illis infundi gratiam et charitatem per modum formæ permanentis et inhærentis; ergo Christus homo in hac definitione etiam comprehenditur cum sit justus et caput justorum. Et quamvis hæc gratia non fuerit animæ Christi necessaria ad excludendum peccatum, aut ad primam seu prima-

riam sanctificationem, fuit tamen necessaria ad debitam illius pulchritudinem, dispositionem, connaturalem operandi modum, perfectam divinitatis participationem et consummatam justificationem. Hinc

Dico 3 : Gratia habitualis in Christo et in aliis hominibus est ejusdem speciei et rationis essentialis; charitas enim animæ Christi habet objectum formale et modum tendendi ejusdem rationis cum nostra, etiamsi possit aliquos effectus producere, quos non potest nostra, nempe ob conjunctionem cum Verbo et gratia unionis.

Dico 4 : Hæc gratia habitualis data est animæ Christi simul tempore cum ipsa unionis gratia, et quidem consummata cum omni intensione, quam perpetuo erat habitura absque ullo augmento aut mutatione. Quia data est ratione unionis hypostaticæ, ergo simul tempore. Deinde anima Christi ab instanti suæ creationis fuit beata ; ergo tunc habuit gratiam consummatam. Ordine tamen naturæ est posterior gratia unionis per modum proprietatis connaturalis quasi ab ea resultantis. (D. Thomas, Cajetanus, Augustinus, Basilius, etc.) Cum enim per unionem natura humana sit effecta natura Filii Dei, maxima ei debetur perfectio et donorum Dei participatio, qualia sunt gratia et gloria; item debentur illi optimæ operationes proportionatæ subsistenti divinæ personæ, adeoque et accommodatæ facultates seu principia operandi. Hæc ergo omnia data sunt ratione unionis, et sic ordine naturæ sunt illa posteriora. Attamen

Dico 5 : Hæc gratia habitualis non dimanat a Verbi subsistentia increata, nec ab unione hypostatica per physicam dimanationem aut per aliquam veram efficientiam, sed immediate datur a Deo per suam voluntatem et potentiam. Probatur : 1° *de unione;* quia unio est modus, qui ex se non est activus nec principium alicujus operationis, sed solum formaliter conjungit humanitatem cum Verbo; nec est ejusdem ordinis cum gratia habituali, nec physice ad illam ordinatur. 2° *De Verbi subsistentia;* quia hæc subsistentia, quatenus Verbi propria et relativa, non est activa per aliquam propriam efficientiam ; alioqui Verbum per suam increatam proprietatem haberet aliquam efficientiam ad extra, qua non esset communis cæteris personis. 3° *De utraque gratia;* quia hæ duæ gratiæ sunt diversorum ordinum, nec est unde una ab altera physice profluat : per gratiam enim unionis communicatur divina persona ad subsistendum; per gratiam autem habitualem communicatur natura divina per quamdam participationem, adeoque nulla inter utramque connexio physica. Hæc gratia habitualis dicitur Christo connaturalis per modum proprietatis, unionem hypostaticam consequentis, quia dignitati talis personæ debita est quodam connaturalis proportionis debito, essetque præternaturale ac prodigiosum naturam humanam Verbo conjungi sine istius gratiæ ornatu.

Sect. IV. — *An præter gratiam habitualem aliqua actualis gratia fuerit animæ Christi necessaria.*

Dico 1 : Gratia actualis adjuvans tam fuit animæ Christi quam nobis necessaria ad supernaturales actus efficiendos, quia isti actus in se sunt supernaturales, adeoque respectu animæ Christi ejusque potentiarum, sunt supra naturales illarum vires; ergo ad illos requiritur concursus supernaturalis sive gratia adjuvans. Nec tantum indiget gratia adjuvante, sed etiam excitante, accommodata tamen statui in quo est constituta : si nempe fingamus istam animam assumptam a Verbo constitui in statu viatoris, tunc ea indicat quia totus horum supernaturalium actuum ordo est supra naturalem humanæ naturæ capacitatem ; constituta autem in statu beatitudinis, prout de facto semper fuit, nulla gratia excitante indiget ad opera supernaturalia, præter visionem beatificam in intellectu, et amorem Dei in voluntate. Similiter

Dico 2 : Si fingatur anima Christi posita in statu puri viatoris tendentis ad supernaturalem beatitudinem consequendam, tunc etiam indigeret speciali gratia excitante vel adjuvante ad servanda omnia præcepta et ad operandum semper honeste sine ullo defectu; at cum esset impeccabilis, ista gratia seu auxilium esset quasi ab intrinseco illi debitum ratione unionis hypostaticæ, ita ut non posset etiam de potentia absoluta denegari; quod longe aliter datur puro homini. Certum est autem Christum in statu gloriæ seu beatitudinis, in quo semper fuit secundum animam, nulla unquam speciali gratia indiguisse ad servanda præcepta et vitandum omne malum.

DISPUTATIO DECIMA NONA.

De moralibus animæ Christi virtutibus.

Sect. I, II. — *An omnes virtutes morales et supernaturales fuerint infusæ animæ Christi simul cum gratia.*

Dico 1 : Omnes hæ virtutes fuerunt infusæ animæ Christi a principio suæ creationis et conceptionis, sine imperfectionibus tamen, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis repugnant; cum enim hi virtutum habitus infundantur justis, multo magis Christo. Imo habitus qui in aliis hominibus dicitur pœnitentia, denotans peccatum vel saltem capacitatem peccati, potuit esse in Christo sine illa imperfectione sub alio nomine, ad odio habendum peccatum ob injuriam divinam, etc.

Dico 2 : Christus potuit habere virtutes morales quæ ex suo genere sunt acquisitæ ; sunt enim humanæ naturæ perfectiones quæ divino supposito non repugnant. Imo eas habuit in suo genere perfectissimo, sine ulla imperfectione statui beatitudinis repugnante ; sunt enim magna naturæ humanæ perfectio, bene disponendo et inclinando potentias ad bonum. Ideo hæ virtutes fuerunt etiam infusæ animæ Christi ab instanti suæ creationis, in summo quodam perfectionis gradu. Quia Christus a principio habuit omnem perfectionem unioni de-

bitam, cujus carentia non erat ad nostram redemptionem necessaria; omnes nempe affectus bene dispositos, moderatos, ac rectæ rationi subjectos. Deinde Adæ fuerunt infusæ hæ virtutes a principio creationis multo ergo magis Christo.

DISPUTATIO VICESIMA.

De donis Spiritus sancti animæ Christi collatis.

SECT. I, II. — *An dona Spiritus sancti tum ad intellectum, tum ad voluntatem pertinentia in Christo fuerint.*

Dico 1 : De fide certum est fuisse in Christo dona Spiritus sancti sub his nominibus *sapientiæ, intellectus*, etc. Nam Isa. XI, 2, 3 dicitur de Christo juxta omnes Patres : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus; spiritus consilii et fortitudinis; spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Modus, v. gr. judicandi per modum doni *consilii*, non potuit repugnare Christo, quia requirit tantum absolutum de agendis judicium ex speciali Spiritus sancti instinctu. Idem dic de aliis tribus donis *sapientiæ, intellectus* et *scientiæ*, ad intellectivam potentiam pertinentibus, cum nullam imperfectionem Christo aut beatitudini repugnantem includant.

Dico 2 : Fuerunt etiam eodem modo in Christo alia tria Spiritus sancti dona ad voluntatem pertinentia, scilicet fortitudo, pietas, timor. Probatur, ut supra, quia sunt perfectiones simpliciter, nec imperfectionem includunt unioni hypostaticæ aut beatitudini repugnantem; licet nos, qui per fidem ambulamus, ex speciali Spiritus sancti dono seu instinctu moti non percipiamus distincte et clare a quo, propter quid, aut ad quid moveamur, hæc tamen imperfectio non est de essentia istorum donorum, et sine illa potuerunt esse in Christo. Unde donum timoris, etiam quoad actum, et non solum quoad habitum, est et in Christo et in beatis, de quibus dicitur : *Tremunt potestates*, nempe timor reverentialis, seu quidam affectus reverentiæ erga Deum propter ejus eminentiam; aut timor mali, quod Deus de potentia absoluta potest inferre suæ creaturæ : hic tamen mali timor, si possit esse in beatis, videtur reduci ad spem seu ad amorem concupiscentiæ quo beatus amat Deum et suam propriam beatitudinem.

DISPUTATIO VICESIMA PRIMA.

De gratiis gratis datis animæ Christi.

SECT. I, II. — *An donum prophetiæ, aliæque gratiæ gratis datæ in Christo exstiterint.*

Dico 1 : Christus vere ac proprie fuit propheta, adeoque veram ac perfectissimam habuit prophetiæ gratiam, ut patet ex Scriptura : *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus* (*Deut.* XVIII, 15). *Propheta magnus surrexit in nobis* (*Luc.* VII, 16). *Fuit vir propheta* (*Luc.* XXIV, 19). Sic etiam sentiunt Patres Ambrosius, Cyrillus, Hieronymus, etc. Ratio est quia, licet prophetiæ cognitio interdum possit esse obscura, non est tamen hoc de ejus essentia, cum nec sit fides, nec in ea fundetur. Hæc ergo cognitio prophetica in Christo realiter fuit ipsa cognitio supernaturalis, quam vel per infusam de divinis rebus scientiam, vel per visionem beatificam tanquam viator simul et comprehensor, habuit, hocque prophetiæ donum fuit in Christo permanenter, ita ut ad suæ voluntatis nutum eo uti posset. Item fuit in eo discretio spirituum, quæ est quædam pars prophetiæ ad cognoscendas cordium cogitationes, et ad discernendum inter boni et mali motionem. Per id quod, I Cor. XIII, dicitur prophetia in cœlo evacuanda, sive cessatura (hinc per id Abulensis negat verum in Christo donum prophetiæ fuisse), significatur tunc illa cessatura quoad imperfectionem, qua nunc ordinarie hic in via ex parte et obscure prophetamur, quæ obscuritas non fuit in Christo.

Dico 2 : Christus habuit omnes gratias gratis datas, quæ aliis hominibus communicantur; nempe : 1° sermonem *scientiæ* et *sapientiæ*, id est facilitatem ex speciali Spiritus sancti auxilio datam ad exponendas res fidei : *Quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes* (*Joan.* VI, 69). *Nunquam sic locutus est homo* (*Joan.* VII, 46), et alibi. 2° *Gratiam fidei*, seu fidem miraculorum, clare et indubitate credendo speciale Dei auxilium non defuturum esse suæ humanitati ad omnia miracula facienda, et penetrando manifestissime res fidei. 3° *Donum linguarum*, seu notitiam omnium linguarum, et potestatem illis utendi. 4° *Interpretationem sermonum*, id est, vel intelligentiam variarum linguarum, de qua jam dictum est, vel singulare Spiritus sancti auxilium ad condendam Scripturam sacram, aut ad eam transferendam ex una lingua in aliam, aut ad explicandos reconditos ejus sensus.

Dico 3 : Hæ gratiæ fuerunt in Christo omni cum plenitudine sine ulla imperfectione, permanenter et per modum habitus, ita ut illis pro suo arbitrio uti posset.

DISPUTATIO VICESIMA SECUNDA.

De accidentali perfectione habitualis gratiæ Christi.

SECT. I. — *An habitualis gratia Christi fuerit infinita.*

Dico 1 : Gratia habitualis in Christo est finita in sua entitate et in intensione quam in subjecto habet (D. Thomas, Scotus, etc.); quia creatura actu infinita tam in essentia quam in quantitate vel intensione est impossibilis; non enim potest concipi v. gr. qualitas intensa sine principio et fine, id est, sine primo et ultimo intensionis gradu. Deinde si gratia Christi esset actu infinita, etiam lumen ejus gloriæ et visio beata essent actu infinita, adeoque anima Christi videret Deum quantum visibilis est ex parte objecti, videndo in Deo quidquid ab eo fieri potest, quod falsum est. Si enim non repugnet habitui gratiæ vel lumini gloriæ intensio actu infinita, etiam non repugnabit actui videndi quantum est ex se. Si autem supponeretur non esse impossibilem gratiam actu intense infinitam, licet hæc non esset necessaria ad nostram redemptio-

nem, videtur tamen tunc illa debuisse esse in Christo ob infinitam personæ dignitatem, sive in Christi anima, non tantum ob unionem, sed maxime ob ipsum Verbum sibi personaliter unitum; adeoque futurum etiam fuisset infinitum lumen gloriæ, infinita visio Dei, infinitusque amor Dei.

Dico 2 : Gratia habitualis Christi secundum quamdam rationem et dignitatem gratiæ, potest dici infinita (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, etc.); quia habet quidquid pertinet ad bonum gratiæ usum et operationem, seque extendit ad omnes ejus effectus plures et perfectiores semper in infinitum; sicque est infinita secundum quid. Deinde quia per acceptationem et relationem extrinsecam seu ordinationem ad unionem hypostaticam, ex illa quadam cum divina persona conjunctione habet quemdam valorem et dignitatem infinitam, ratione cujus censetur facere humanitatem Deo gratam et dilectam infinite in suo genere; et sub hac ratione qua infinita est, non potest proprie et intensive augeri, quia infinitum, quatenus infinitum, non potest crescere; posset tamen extensive quodammodo augeri, v. gr. si ordinaretur ad unionem non tantum cum una, sed cum tribus personis, aut ad plures effectus, v. gr. ad salutem malorum angelorum; non tunc tamen ejus dignitas et valor infinitus, quem habet ex ordine ad unionem hypostaticam, intensive augeretur. Idem potest dici de charitate, aliisque Christi virtutibus, quæ habent quamdam in suo genere infinitatem ex conjunctione cum Verbo.

Sect. II. — *An Christi gratia habitualis tam perfecta et intensa fuerit, ut non potuerit esse intensior.*

Dico 1 : Christi gratia, juxta omnes theologos, tam est intensa, ut nec in hominibus nec in angelis aliqua illi æqualis reperiatur nec reperiri possit secundum potentiam ordinariam et legem a Deo statutam. Deinde soli animæ Christi data est plenitudo gratiæ simpliciter, id est non tantum plenitudo gratiæ unionis hypostaticæ, sed etiam plenitudo gratiæ habitualis data ratione istius unionis : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). B. Virgo et aliqui dicuntur fuisse pleni gratia, id est, abundante aut adæquante ipsorum statum, munus, vel dignitatem; sed non fuerunt pleni gratia simpliciter, ut Christus, omnes aliorum gratias eminenter continente, etiamsi in suo esse physico et reali esset finita, de qua nunc quæritur an saltem de potentia Dei absoluta potuerit esse intensior. Quare :

Dico 2 : Quamvis habitualis Christi gratia tam intensa fuerit, ut juxta divinæ sapientiæ ordinem nulla intensior esse potuerit, de potentia tamen Dei absoluta, tam in anima Christi quam in angelo, vel in alia hominis anima potuit fieri intensior : D. Thomas, Gabriel, etc., contra Scotum, Cajetanum, etc., negantes posse fieri intensiorem sive in anima Christi, sive in ulla alia creatura; et contra Bonaventuram, Richardum, etc., dicentes istam gratiam in anima Christi non posse crescere aut majorem fieri, quia ejus animæ capacitas ita est finita, ut non possit nisi tantam gratiam recipere : hinc, inquiunt, in subjecto capaciori, v. gr. in angelo, non repugnaret esse majorem. Probatur, quia licet ista forma accidentalis seu gratia in intensione augeatur semper in infinitum, erit semper finita, nec intensio in infinitum crescens mutabit ejus speciem aut essentiam finitam; et ad hanc in anima est capacitas obedientialis; ergo potuit Deus eam facere intensiorem : sicut visio beata licet finita, potest semper augeri, et esse infinita syncategorematice. Idem dic de donis et virtutibus quæ istam Christi gratiam comitantur. Quanta autem hæc gratiæ Christi intensio sit, et quantum aliorum hominum et angelorum gratias excedat, non constat, sed verisimile est eam unam omnes alias in se complecti, et longe superare.

DISPUTATIO VICESIMA TERTIA.

De dignitate et gratia capitis, quæ est in Christo.

Sect. I. — *An Christus sit totius mundi caput, præsertim hominum et angelorum.*

Nota : Quamvis sub hoc nomine *capitis* contineatur dignitas regis, legislatoris, summi sacerdotis, doctoris, redemptoris, etc., hic tamen tantum agimus de dignitate sanctificatoris seu justificatoris, in ordine ad Christi gratiam explicandam; et quæritur an Christus quatenus homo, sive secundum suam humanitatem specificative, habeat hanc dignitatem, et per illam munus capitis exerceat influendo in omnes qui sunt veluti partes ejusdem corporis mystici aut politici.

Dico 1 : Christus est caput totius Ecclesiæ, quæ ex hominibus constat, sive in cœlo triumphantis, sive in terra militantis, sive in purgatorio patientis. De fide : *Suscitans eum a mortuis*, etc., *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* (*Ephes.* I, 20-22); ibi clare loquitur sanctus Paulus de Christo quatenus homine. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ* (*Col.* I, 18); cum enim Ecclesia sit unum corpus habens diversa membra, quorum diversa sunt munia, oportet ut habeat unum caput, non tantum quasi extrinsecum, quod est Deus, a quo omnes homines sive in patria sive in via recipiunt, vel recipere possunt (v. gr. infantes qui in utero matris moriuntur) illius influxum; uti etiam Adam in statu innocentiæ eum recepit.

Dico 2 : Christus, ut homo, est etiam caput angelorum : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam* (loc. cit.); id est, super Ecclesiam ex angelis et hominibus constantem, ut exponit Hieronymus. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis* (*Col.* II, 10); angeli enim et homines unicam componunt Ecclesiam; ergo et unicum habent caput. Deinde Christus, juxta D. Thomam, judicabit angelos, eos illuminat, etc.; ergo, etc. Imo

Dico 3 : Christus dici potest aliquo modo caput omnium creaturarum, sed non eodem modo quo angelorum et hominum. Hinc dicitur, *primogenitus omnis creaturæ* (*Col.* I, 15), utpote dignitate et propinquitate cum Deo, antecedens omnes creatas res. Harum autem est caput quatenus vel illis dominatur, vel per ejus incarnationem quamdam dignitatem aut nobilitatem receperunt, vel illis uti potest ad bonorum salutem, vel post diem judicii per Christum renovabuntur, et quemdam splendorem et incorruptionem induent; adeoque non eumdem in eas influxum habet quem in creaturas rationales. Dum dicitur : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro* (*I Cor.* XII, 27); id est, membra ad invicem : Christus enim non bene dicitur membrum, quia ista vox sonat imperfectionem; deinde quamvis Christus homo differat specie ab angelis, potest tamen esse eorum caput, quia non est opus ut caput mysticum sit ejusdem naturæ specificæ cum omnibus suis membris, sufficit enim ut cum illis conveniat in gradu generico intellectuali, et attenditur præcipue excellentia personæ.

SECT. II. — *Quænam fuerit in Christo gratia capitis.*

Nota : Quia principium omnis meriti est gratia, ideo gratia Christi, quæ est omnis meriti principium, dicitur gratia capitis. Jam vero quæritur quænam sit illa gratia : gratia unionis, an gratia habitualis. Itaque

Dico : Hæc dignitas capitis potissimum debetur Christo ob unionem hypostaticam, adeoque gratia unionis ob excellentiam quam habet, per se est sufficiens principium alios sanctificandi; gratia autem habitualis, quæ sanctificat animam Christi estque principium operandi, hanc sanctificandi alios virtutem habet ex conjunctione cum unione hypostatica. Unde gratia unionis est quasi principale meriti principium (nam ab eo infinitus operum valor, efficacia et influxus in alios præcipue oritur), gratia vero habitualis est quasi proximum et immediatum ejusdem meriti principium. Hinc utraque potest dici gratia capitis, unaquæque in suo ordine. Gratia unionis constituit ipsum caput in esse capitis, et gratia habitualis dat capiti ut eliciat actiones capitis per quas in alios influat : ex his patet istam capitis gratiam esse Christo ita propriam, ut nulli puræ creaturæ communicari possit, saltem quoad perfectionem et modum influendi gratiam in alios ex perfecta justitia : quia hoc non habetur nisi ratione gratiæ unionis.

DISPUTATIO VICESIMA QUARTA.

De intellectu creato animæ Christi, ejusque actibus.

SECT. I, II. — *An in Christo fuerit intellectus creatus, et actus intelligendi creatus, et ex quo tempore.*

Dico 1 : De fide certum est animam Christi habere intellectum creatum; anima enim rationalis non est sine facultate intelligendi. Cum autem Christi intellectus sit ejusdem speciei cum nostro intellectu; nosterque intellectus sit essentialiter minus perfectus quam angelicus, hinc etiam Christi intellectus in sua naturali perfectione erit inferior intellectu angelico; sed inter intellectus humanos creatos est perfectissimus tum ex dignitate personæ, tum ex fine altiori, ad quem anima Christi creata est.

Dico 2 : De fide etiam certum est Christum ut hominem, per intellectum creatum habuisse actualem cognitionem : *Cognita Jesus nequitia eorum* (*Matth.* XXII, 18). *Scio eum, et sermonem ejus servo* (*Joan.* VIII, 55), nempe ut homo. Unde in intellectu Christi fuit actus intelligendi creatus; nam concilia definiunt in Christo fuisse duas operationes, divinam et humanam, duasque naturas perfectas cum omnibus suis proprietatibus. Insuper

Dico 3 : Anima Christi neque Deum ipsum, neque quidquam aliud formaliter intellexit seu cognovit per increatam divinitatis scientiam (D. Thomas, Cajetanus, et alii communiter); quia actio vitalis immanens qualis est intellectio, necessario postulat fieri a potentia sui subjecti, quod ipsa formaliter constituit agens, v. gr. intellectio constituit actu intelligens. Cum autem intellectus humanus non sit subjectum intellectionis increatæ, non potest per hanc formaliter constitui actu intelligens; potest quidem fieri subsistens per subsistentiam increatam, quia subsistere non consistit in actione vitali, quæ fiat ab intrinseco vitæ principio, sicut intelligere. Ita etiam essentia divina in ratione objecti seu speciei intelligibilis, potest per seipsam uniri intellectui creato, quia in hoc non est actio vitalis et immanens, sed actio causæ efficientis et coefficientis.

Dico 4 : Christus a primo suæ conceptionis instanti habuit illos creatos intelligendi actus, utpote ratione utens : ita Augustinus, Anselmus et theologi communiter. *Mulier circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI, 22), id est Christum in utero plenum sapientiæ, scientiæ, *gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Id enim decebat tantæ personæ dignitatem. Dum dicitur : *Antequam sciat vocare patrem*, etc. (*Isa.* VIII, 4) ; id est, antequam fiat homo, et habeat patrem quem vocare possit. Ita exponit Hieronymus.

SECT. III, IV. — *An omnis actus intelligendi animæ Christi fuerit verus et evidens ; an in ea fuerint habitus intellectuales.*

Nota : In intellectu animæ Christi fuerunt actus tum naturales, tum supernaturales. Naturales, quia in Christo fuit perfecta humana natura cum omnibus suis proprietatibus, ut concilia definiunt ; ergo habuit suos actus naturales. Supernaturales autem, quia de fide est esse in justis et beatis cognitionem supernaturalem.

Dico 1 : Omnis actus supernaturalis, qui fuit in intellectu animæ Christi, est verus, certus et evidens, est enim de essentia actus supernaturalis ut sit verus ; et quia anima Christi non est capax cognitionis obscuræ, ergo clarus et evidens.

Dico 2 : Omnis actus naturalis, qui fuit in intellectu Christi, etiam fuit verus, certus et evidens. Quia cum Christus haberet infallibilem in dicendo auctoritatem, non potuit in iis quæ loquebatur, alios decipere, nec ipse decipi ; adeoque omne judicium naturale animæ Christi erat verum, certum, infallibile, clarum, evidens. Unde in intellectu Christi nullus fuit actus opinionis, aut fidei humanæ de se fallibilis, quia his actibus potest subesse falsum, sed omnis ejus actus fuit quasi scientia ; quia generaliter omnis actus evidens dicitur actus scientiæ.

Objicies 1 : Christus per intellectum creatum multa interrogavit ; ergo potuit in multis errare. Respondeo : Nego antecedens. Christus enim per intellectum creatum omnia scivit quæ illum oportuit scire spectata ipsius personæ dignitate, statu, officio et conditione naturæ. Ejus anima nihil eorum nescivit, quæ in aliqua temporis differentia exsistentiam habitura sunt. Sed de hac ejus scientia infra dicetur.

Obj. 2 : Damascenus (lib. III *De fide*, cap. 21) dicit : « Verbum assumpsisse naturam ignorantem. » Respondeo : Damascenus voluit dicere Christum assumpsisse naturam, quæ ex se ignorans esset, nisi in ipsa assumptione esset impleta sapientia.

Obj. 3 : Ambrosius (lib. II *De fide*) videtur Christo tribuere dubitationem ex ignorantia profectam ob hæc verba Matth. XXVI, 39 : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Respondeo : Ambrosius non dicit Christum dubitasse vel ignorasse ; sed ita se gessisse ac si dubitasset aut ignorasset.

Obj. 4 : *Oportuit Christum per omnia fratribus assimilari* (*Hebr.* II, 17). Et : *Pro similitudine absque peccato*, (*Hebr.* IV, 15). Sed error non est peccatum ; ergo. Respondeo : Oportuit Christum esse hominibus peccatoribus similem in natura mortali et passibili, non vero in culpa aut in aliis defectibus qui ita cum culpa sunt conjuncti, ut ad medendum illi non possint prodesse, et hujusmodi defectus est error ; ideoque nullo modo potuit eum habere, aut decuit assumere. Ideo Paulus tantum dicit (loc. cit.) : *Christum tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

Obj. 5 : Error intellectus sæpe nascitur ex errore in sensu ; atqui in sensibus Christi potuit sæpe esse deceptio : interdum enim potuit eminus apparere res minor quam erat, vel quid simile. Respondeo : Nego minorem. Quia Christus per sapientiam sui intellectus poterat prævenire et corrigere, ne ista res intellectui deceptionem pareret. Deinde sua divina virtute potuit ita confortare sensus, ut semper viderent seu apprehenderent prout res veræ erant, sive vicinæ essent, sive distantes, sive hoc sive illo modo applicarentur.

Obj. 6 : Christus intelligebat omnes rationes probabiles omnium opinionum, et credebat hominibus qui sibi aliqua narrabant ; ergo poterat habere assensus opinionis et fidei humanæ, qui sunt incerti : nam hujusmodi actus sunt homini connaturales, et poterat vitare periculum falsitatis, ita dirigendo hæc judicia per superiorem scientiam, ut nunquam nisi in materia vera versarentur. Respondeo : Christus semper evidenter cognoscebat res omnes quæ vel ab hominibus narrari poterant, vel rationibus probabilibus confirmari ; et sic nunquam utebatur humano testimonio ad assentiendum, sed per suam evidentiam judicabat de uniuscujusque testimonio. Oportebat quidem Christi intellectum habere actus sibi connaturales, sed non illos qui magnam imperfectionem includunt, quales sunt actus obscuri et incerti. Quamvis autem potuisset vitare omnem assensum falsum in præstandis ejusmodi opinionum assensibus, non decuit tamen eos præstare, quia ex vi objecti formalis incerti sunt falsitatique expositi ; ideoque ad intellectus perfectionem non pertinent. An autem de potentia absoluta Verbum potuerit in humanitate assumpta permittere assensum falsum vel erroneum, videtur respondendum negative. Ad prudentem enim sapientis personæ providentiam pertinet non admittere falsitatem et deceptionem in propria natura, quando facile præveniri ac caveri potest. Atqui per unionem facta est humanitas vere ac proprie natura Verbi : et Verbum quod est persona istius naturæ assumptæ, potest ita illam dirigere et regere ut nunquam decipiatur aut erret ; ergo. Deinde Deus non potest admittere in propria natura nisi quod honestum est, vel quod ad honestatem tendit ; ergo, etc.

Dico 3 : In Christi intellectu fuerunt habitus naturales, sicuti in aliis hominibus, v. gr. habitus scientiarum, et aliud ejusmodi quod in intellectu manet per modum actus primi, estque principium recordationis, promptumque reddit intellectum ad naturales scientiæ actus. Est enim hæc proprietas et facultas naturalis animæ rationalis. Item in Christi intellectu fuit habitus infusus supernaturalis, aut qualitas infusa in eo permanens sive per modum luminis, sive per modum speciei : fuerunt enim in Christo actus supernaturalis cognitionis, ergo et habitus ad illos connaturaliter eliciendos.

DISPUTATIO VICESIMA QUINTA.

De triplici animæ Christi scientia.

SECT. I, II, III. — *An sit in anima Christi scientia beata, naturalis, infusa.*

Dico 1 : Anima Christi etiam dum adhuc erat corpori mortali conjuncta, habebat scientiam beatam : *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Joan.* I, 18). *Quod scimus, loquimur ; et quod vidimus, testamur* (*Joan.* III, 11). *Ego quæ vidi apud Patrem, loquor* (*Joan.* VIII, 38) ; debuit enim ut doctor infallibilis a se visa narrare. Imo hanc scientiam a primo suæ creationis instanti habuit, videns tunc Deum ; visio enim beatifica est quasi proprietas ab unione hypostatica manans : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Atque hoc ita censetur certum juxta Patres et doctores, ut contrarium videa-

tur erroneum et hæresi proximum. Quod dicitur : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (*Luc.* XXIV, 26.) *Clarifica me, Pater*, etc. (*Joan.* XVII, 5), id intelligitur de gloria resurrectionis et ascensionis, ac exaltatione nominis Christi.

Dico 2 : Christus habuit etiam scientiam naturalem, sive suæ naturæ humanæ connaturalem et acquisitam, id est, omnes virtutes intellectuales, nempe prudentiam, sapientiam, artem factibilium, scientiam experimentalem, etc. In Christo enim fuit natura humana cum omni proprietate et perfectione illi connaturali, adeoque scientia humana. Deinde in Christi intellectu fuerunt ejus actus naturales, ergo et hujus scientiæ naturalis actus.

Dico 3 : Christi animæ data est scientia per se infusa, distincta a beata et naturali. (D. Thomas, Cajetanus, Paludanus, etc., contra Bonaventuram, Alensem, etc., dicentes eam præter beatam habuisse tantum scientiam naturalem per accidens infusam, sicut Adam in statu innocentiæ.) Probatur, quia Christus non solum erat comprehensor, sed etiam viator ; ergo ut viator debuit habere cognitionem aliquam supernaturalem. Atque hæc scientia data est ab instanti suæ conceptionis : *Ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptasti mihi*, etc. (*Hebr.* X, 5 seqq.). Tota enim hæc scientia ac sapientia data est Christo ratione unionis, quam a principio habuit ; et pertinet tanquam accidentalis perfectio ad statum beatificum animæ Christi, imo et ad statum viatoris.

DISPUTATIO VICESIMA SEXTA.

De perfectione beatæ scientiæ, quam habet anima Christi.

SECT. I. — *Quid sit intellectualis comprehensio alicujus objecti, præsertim divinæ essentiæ.*

Dico 1 : Ad comprehensionem intellectualem stricte sumptam (nam quævis intellectualis perceptio interdum comprehensio vocatur), requiritur ut cognitio sit clara, evidens et certa cum debita proportione ad objectum cognitum : id est, debet esse tanta claritas in cognitione, quanta sufficit ad cognoscendam objecti veritatem prout in se est, vel immediate ex vi extremorum cognitionis, vel mediate ex vi medii quo extrema copulantur. Imo requiritur ut cognitio tam sit clara et intensa, quantum necesse est ad exacte cognoscendas et penetrandas in objecto cognito omnes habitudines et connexiones quas ex se habet et habere potest cum omnibus rebus, tum a quibus ipsum pendet, tum quæ ab ipso pendent et pendere possunt ; est enim de essentia comprehensionis ut res per eam cognoscatur, quantum est cognoscibilis.

Dico 2 : Si cognitio habeat eam claritatem ac perfectionem quæ sufficit ad cognoscendum objectum exacte, integre et perfecte ex ipsius parte, id est, ad cognoscendum quidquid in eo formaliter vel eminenter exsistit, et ad penetrandam distinctissime omnem ejus formalem rationem et omnem habitudinem, ejusmodi cognitio est vera comprehensio ; quia adæquatione extensiva, et sufficienti intensiva sive claritate sufficienti, totum objectum comprehendit ac penetrat.

SECT. II. — *An anima Christi non comprehendat divinam essentiam.*

Nota : Triplex est beatæ scientiæ perfectio : 1° *specifica* seu essentialis ; et hæc in anima Christi est ejusdem speciei cum beata aliorum beatorum visione. 2° *Intensiva* in claritate majori intra eamdem speciem. Certum est hanc Christi beatam scientiam esse longe intensiorem seu clariorem beata omnium tam hominum quam angelorum visione : *Constituens cum super omnes principatus*, etc. (*Ephes.* I, 20, 21). *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei* (*Col.* II, 3). Christus enim est Filius naturalis, adeoque data est major et perfectior hæreditas quam filiis adoptivis. 3° *Extensiva*, de qua nunc agitur. Quare

Dico 1 : De fide est Deum esse incomprehensibilem quacunque creata cognitione tum naturali tum supernaturali, intelligendo de comprehensione proprie sumpta, ita ut sensus sit Deum non posse a creatura comprehendi comprehensione propria et simpliciter perfecta, licet non sit de fide certum in quo consistat hæc comprehensio : *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu* (*Jerem.* XXXII, 19). *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.) Idem docent Patres Latini et Græci, Gregorius, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Epiphanius, Cyrillus, etc. Damascenus (*De fide*, lib. I, cap. 1, 4) vocat Deum omnibus modis incomprehensibilem, et concilium Lateranense (cap. *Firmiter*) : *Credimus*, inquit, *et simpliciter confitemur unum esse Deum, infinitum, incommunicabilem, incomprehensibilem.* Ratio est quia Deus est immensus et infinitus ; ergo non potest a creatura finita comprehendi.

Dico 2 : Eodem modo certum est animam Christi non comprehendere divinam essentiam : animæ enim Christi intellectus et ejus actus, quo Deum videt, creati sunt et finiti ; Deus autem est incomprehensibilis per actum creatum et finitum ; ergo, etc. Sed licet sit de fide Deum esse incomprehensibilem, modus tamen explicandi illam incomprehensibilitatem potest non esse de fide et cadere sub opinionem et probabilitatem.

SECT. III. — *An anima Christi videat in Verbo omnia possibilia, quæ in Deo eminenter continentur.*

Nota : Ut creaturæ dicantur videri in Deo seu in Verbo, non satis est ut eodem actu, quo Deus videtur, concomitanter illæ videantur, sicut angelus per unam speciem universalem cognoscit concomitanter duas naturas hominis et equi ; sed oportet ut Deus seu visio Dei sit ratio cognoscendi creaturas. Deinde dum dicuntur creaturæ videri in Deo, non est sensus eas videri solum secundum esse eminentiale quod habent in Deo, hoc enim *esse*, est ipsum esse divinum seu ipse Deus ; sed secundum esse

proprium quod habent vel habere possunt in seipsis et secundum proprias earum formales perfectiones.

Dico 1 : Anima Christi non videt actu in Verbo omnia quæ in potentia Dei absolute continentur, aut Deus potest facere (D. Thomas, Cajetanus, Bonaventura, Paludanus, et alii communiter contra Hugonem, Albertum, Magistrum, etc.) ; quia si anima Christi omnia possibilia videret in Deo, eum comprehenderet. Sicut enim una quantitas dicitur comprehendi ab alia, quando intra illam tota clauditur et finitur, ita si anima Christi videret omnia possibilia, seu quidquid in Deo est formaliter et eminenter, nihilque quod in Deo est, eam lateret, ac tota Dei cognoscibilitas intra illius cognitionem concluderetur ac finiretur, ipsum Deum omnino comprehenderet. Si autem dicas fore tantum comprehensionem Dei extensivam et secundum quid, non vero intensivam simul, et absolute omni modo perfectam, solumque hanc intensive et extensive perfectam non posse creaturæ communicari, secus vero alteram; ideo si non repugnet eam communicari, debuisse esse Christo communicatam : dumque fides docet Deum esse incomprehensibilem, debere intelligi de comprehensione simpliciter et infinite intensiva ac extensiva simul. Fateor, si foret possibilis ejusmodi comprehensio extensiva tantum, debuisset verisimilius Christi animæ communicari ; sed negatur istam comprehensionem omnium, quæ in Deo sunt formaliter et eminenter, etiam sine infinita intensione et claritate esse creaturæ possibilem, ut constat ex D. Thoma et Patribus, quia creatura finita est, ejusque visio simpliciter finita, cognoscibilitas autem Dei est simpliciter infinita : non potest ergo visio seu repræsentatio finita adæquare et comprehendere, etiamsi extensive tantum, objectum simpliciter infinitum, non potest enim inter finitum et infinitum dari adæquatio. Nec potest etiam dici istam visionem fore infinitam, quia repugnat dari rem creatam infinitam actu sive extensive sive intensive. Unde

Dico 2 : Nec in habitu seu in actu primo anima Christi videt in Deo omnia possibilia : contra Bonaventuram et Marsilium, dicentes animam Christi per lumen gloriæ scire in habitu seu in actu primo omnia quæ sunt in Deo ; non tamen in actu secundo posse simul videre omnia, sed pro suo libitu nunc hæc nunc illa, vel prout Deus voluerit illi revelare. Sed probatur hoc non posse dici, quia de essentia beatæ scientiæ est ut sit semper in actu secundo : est enim immutabilis ac perfectissima. Attamen

Dico 3 : Anima Christi, licet non omnia, aliqua tamen ex possibilibus, quæ nunquam erunt, videt in Verbo (D. Thomas et alii communiter). Probatur, quia Christus revelavit aliquid possibile quod nunquam fuit, Luc. x, 13 : *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes*, etc., supponendo quod hoc revelarit per scientiam beatam, non per infusam. Deinde multa possunt fieri à creatura, quæ nunquam fient ; atqui anima Christi videt in Verbo omnia quæ sunt in potestate creaturæ, utpote illam comprehendens, ergo ; etc.

Ex dictis sequitur hanc beatam Christi scientiam, licet sit perfectissima omnium, quæ de potentia ordinaria haberi possunt, de absoluta tamen potentia posse dari perfectiorem ; imo et in infinitum semper perfectiorem, quia nunquam potest adæquari suo objecto primario.

Sect. IV. — *An anima Christi videat in Verbo omnia quæ Deus videt per scientiam visionis ; adeoque infinita.*

Dico 1 : Anima Christi videt in Verbo simul et in actu secundo omnia quæ Deus videt per scientiam visionis. D. Thomas, Albertus, Magister, Henriquez, aliique communiter, contra Gabrielem, Richardum et Scotum dicentes animam Christi scire hæc omnia in actu primo, non secundo ; et contra Bonaventuram negantem scire omnia simul, concedentem autem scire omnia successivé. Probatur, quia omnis beatus videt in Verbo omnia quæ ad suum statum pertinent ; atqui ad statum et dignitatem animæ Christi pertinent omnia quæ Deus videt per scientiam visionis; ergo. Christus enim est caput et judex omnium angelorum et hominum, illique subjecta sunt omnia, et ob ejus gloriam et honorem suo modo omnia creata sunt. Attamen anima Christi comprehendit istam Dei visionis scientiam tantum quoad objecta creata quæ per illam videntur ; non quoad objectum increatum, quandoquidem non comprehendit Deum nec generationem æternam, etc. Deinde nec comprehendit istam visionem prout est formalis Dei actus, sic enim est perfectio simpliciter infinita ; nec etiam comprehendit ipsam Dei omnipotentiam prout est principium omnium istorum effectuum, nec claritatem et eminentiam visionis, qua Deus illos intuetur. Hinc

Dico 2 : Anima Christi scit in Verbo infinita secundum quid, quia scit omnia quæ sunt in potentia creaturæ, in potentia enim creaturæ sunt infinita ; non scit tamen infinita simpliciter, quia non sunt infinita in actu, etiamsi accipiantur omnia quæcunque sunt in actu secundum quodvis tempus. Unde anima Christi illa infinita cognoscit per modum cujusdam scientiæ intelligentiæ, non visionis : quamvis enim objective sint infinita, non sunt tamen in re categorematice infinita, sed tantum syncategorematice ; quæ non videntur in Verbo, nisi prout habent connexionem cum aliqua causa creata, qua comprehensa, illa omnia comprehenduntur. Causa autem illa est finita, ergo finitum lumen ad illam comprehendendam et ad omnia et singula licet infinita, quæ in illo continentur, comprehendenda sufficit ; unum, inquam, et idem lumen indivisibiliter sumptum tantæ, sed finitæ perfectionis, quia tota ista infinitas comprehenditur sub finitæ perfectionis gradu.

DISPUTATIO VICESIMA SEPTIMA.

De materiali scientiæ per se infusæ animæ Christi objecto.

Sect. I. — *An anima Christi per hanc scientiam infusam cognoscat res ad ordinem naturæ pertinentes.*

Dico 1 : Anima Christi ope scientiæ per se infusæ cognovit omnes res naturales, quas angeli per species inditas cognoscunt, adeoque illæ sub materiali hujus scientiæ objecto continentur. D. Thomas aliique qui hanc scientiam per se infusam in Christo admittunt, contra Scotum et Durandum, qui tantum acquisitam seu infusam per accidens admittunt ad istarum rerum cognitionem. Probatur, quia licet lumen inferioris ordinis terminetur tantum ad res inferiores, nec possit extendi ad superiores, utpote suam perfectionem excedentes, tamen lumen superioris ordinis non solum superiores, sed etiam inferiores res sub suo objecto complecti potest, quia virtus, quo superior, eo universalior, resque inferiores non excedunt virtutem superioris, a quo possunt nobiliori modo attingi, ut patet in intellectu et sensu. Lumen ergo scientiæ infusæ quod superioris ordinis est, non tantum res supernaturales, sed etiam naturales altiori modo attingit, habens pro universali suo objecto res tum superiores tum inferiores. Sicque Christus per hanc infusam, et per naturalem acquisitam scientiam cognoscit res naturales, sed per infusam longe altiori modo quam per acquisitam utpote imperfectam. Unde hæc scientia infusa data est animæ Christi a Deo non ut auctore naturæ, sicut naturalis angelis; sed ut auctore gratiæ, et quodammodo ut auctore unionis hypostaticæ. Idem ergo objectum potest cognosci diverso modo per scientias specie diversas, ut patet in angelo et homine cognoscente eamdem rem.

Dico 2 : Anima Christi per hanc scientiam infusam cognovit quasvis res singulares tam materiales quam immateriales, v. gr. angelos, tamque accidentia quam substantias, intuendo earum exsistentias altiori modo et lumine quam ab angelo aut homine possint cognosci. Angeli enim per scientiam suam inditam ista omnia cognoscunt, multo ergo magis anima Christi per infusam, utpote superius lumen sub se omnia illa complectens ; unica enim species infusa potest repræsentare et totam specificam naturam, et simul omnia ejus individua.

Sect. II, III. — *An anima Christi per scientiam infusam cognoverit actus liberos, futura contingentia et mysteria gratiæ.*

Dico 1 : Anima Christi per scientiam infusam cognovit actus liberos actu exsistentes, sive cordium cogitationes (D. Thomas aliique theologi communiter) ; quia hæc cognitio maxime spectat ad dignitatem Christi, et ad munus supremi judicis de his cogitationibus judicaturi. Constat autem Christum has cogitationes revelasse; ergo eas cognovit ; et quamvis hæc cognitio posset referri ad scientiam beatam, convenienter tamen etiam infusæ attribuitur, quia Christus non tantum ut comprehensor seu beatus, sed etiam ut viator fuit perfectissime dispositus ad docendam et confirmandam fidem, et unum testimonium quo illam confirmavit, fuit revelatio cogitationum cordium.

Dico 2 : Per eamdem scientiam anima Christi etiam cognovit actus liberos futuros seu futura contingentia, vel accipiendo communicatam suo intellectui participationem scientiæ, qua Deus intuitive illa cognoscit ; vel accipiendo a Deo illorum revelationem, per lumen scientiæ infusæ evidenter ac clare manifestatam, ita ut tamen ipse Deus revelans non videatur clare et evidenter. Atque ita ista futurorum contingentium cognitio, non est fides, quia est evidens ; nec est visio beata, quia per illam Deus non videtur clare. (D. Thomas, Scotus, Durandus, etc.) Hujusmodi enim cognitio debita fuit animæ Christi, ac necessaria ad perfectissimam prudentiam et providentiam ; spectatque ad consummatum prophetiæ donum, et ad exercendum perfecte doctoris munus.

Dico 3 : Etiam per eamdem scientiam anima Christi cognovit quidditative et intuitive res creatas tum in substantia, tum in modo supernaturales per proprias earum species, et in proprio genere, v. gr. divinam gratiam creatam sine clara divinæ naturæ cognitione (D. Thomas, etc.) ; quia istæ res sunt finitæ perfectionis. Ergo possunt, prout in se sunt, repræsentari per species creatas ejusdem ordinis, et cognosci clare et quidditative per lumen finitum ejusdem ordinis. Decuit autem animam Christi, ut has non tantum in Verbo, sed etiam in proprio genere perfecte cognosceret, cum Christus sit gratiæ et supernaturalium auctor. Unde probabiliter per hanc scientiam et per cognitionem distinctam a visione Dei cognovit in proprio genere beatificas aliorum visiones, non viso clare ipso Deo ; uti potest videri species intelligibilis, non visa clare ipsa re, quam repræsentat, item potuit cognoscere clare modum unionis hypostaticæ sine clara termini seu Verbi visione.

Sect. IV, V. — *An anima Christi per scientiam infusam cognoscat omnes creaturas possibiles, ac Deum ut unum et trinum.*

Dico 1 : Quamvis non videatur impossibile communicari creaturæ scientiam omnium creaturarum possibilium per aliquod lumen superioris ordinis, ac per species universales et valde perfectas ; cum tamen nil certi hac in re definiri possit, verisimile est cum communiori doctorum sententia, eam non fuisse Christi animæ communicatam, utpote non necessariam, nec aliqua solida ratione comprobatam ; nec æquum est plura scire per scientiam inferiorem seu infusam, quam per superiorem seu beatam.

Dico 2 : Anima Christi per hanc scientiam cognovit Deum, quoad ejus unitatem et omnia ejus

attributa essentialia a posteriori, quatenus cognosci possunt per creaturas. Deus enim per suos effectus cognoscitur tanto perfectius, quanto effectus sunt perfectiores et quanto melius penetrantur; anima autem Christi perfectissimos Dei effectus et supernaturales per dictam scientiam optime cognovit; ergo, etc.

Dico 3 : Verisimilius anima Christi per hanc scientiam cognovit exsistere mysterium Trinitatis magis distincte et expresse quam per fidem cognoscatur. Alioqui cognitio Dei, quam Christus ut viator habuit extra Verbum, fuisset minus perfecta saltem ex parte Dei cogniti, quam nostra fides; nec potuisset ut viator orare Patrem, utpote non cognitum; nec loqui de mysterio Trinitatis, nisi utendo scientia beata. Cum autem hæc Trinitatis cognitio debuerit esse evidens et clara, alioqui si fuisset obscura, cognitio fidei dicenda foret; non tamen intuitiva, utpote non beatifica: dici ergo potest esse evidens in testificante ex vi proprii luminis et revelationis supernaturalis, sicut supra dixi de futuris contingentibus. Ista enim evidentia potest haberi vel per revelationem aliis factam, si v. gr. anima Christi per hanc scientiam intueatur evidenter actum fidei, quo aliquis viator credit hoc mysterium; vel per revelationem propriam, ipsi animæ Christi factam, si per species infusas evidenter intueatur Dei locutionem revelantis hoc mysterium.

DISPUTATIO VICESIMA OCTAVA.

De actibus scientiæ infusæ animæ Christi.

Sect. I, II. — *An anima Christi semper fuerit in actu secundo hujus scientiæ; et an iste actus fuerit per modum simplicis intelligentiæ, an vero per modum discursus.*

Dico 1 : Christus non impeditur per scientiam beatam quominus possit scientiæ infusæ actum exercere circa easdem res; hic enim etiam actus est liber, nec habet repugnantiam cum actu scientiæ beatæ. Imo non tantum potuit esse, sed etiam probabilius fuit semper anima Christi ab initio suæ creationis in actuali hujus scientiæ usu sine sensuum vel corporis corruptibilis impedimento: tunc enim habebat usum rationis, ac erat beata, atque ita dominabatur corpori, ut ab illo in suis actibus spiritualibus non impediretur. Deinde scientia per se infusa est ita a sensibilibus abstracta, ut ab illis non pendeat: hinc Christus potuit uti hac scientia sine conversione ad phantasmata, et sine dependentia ab illis; et quamvis non sit intrinsecum et connaturale huic scientiæ, sicuti beatæ, esse semper in actu secundo, tamen cum sit major perfectio esse in actu secundo quam in primo, videtur in Christo ea exstitisse; adeoque Christus modo per hunc, modo per illum hujus scientiæ actum continuo aliqua cognoscebat pro suo libitu: non videtur tamen potuisse modo sibi connaturali (secus modo miraculoso et de potentia Dei absoluta) simul considerare actualiter omnia materialia hujus scientiæ objecta etiamsi diversis actibus, sed plura per unam speciem repræsentata potuit simul uno actu considerare.

Dico 2 : Hæc scientia infusa ex se non est discursiva, sed ejus actus est per modum simplicis intelligentiæ, cognoscendo prædicatum in subjecto, et conclusionem in principiis, effectum in causa, et causam in effectu. Hujus enim scientiæ lumen est longe perfectius lumine angelico, ejusque species perfectæ repræsentant perfecte res prout in se sunt uno simplici intuitu. Imo anima Christi nunquam usa est ista scientia discurrendo, aut componendo, nec talis cognoscendi modus potest in ea habere locum. Proprius enim et connaturalis cognoscendi modus per hanc scientiam est per simplicem intuitum seu cognitionem, qui ex se repugnat discursui seu compositioni; adeoque anima Christi quæ connaturali modo per illam cognoscebat, non discurrebat. Et quamvis possit uti inadæquate aliqua specie per se infusa, et postea paulatim istum actum perficere, non erit tamen in hoc discursus, sed solum erit cognitio unius rei post aliam.

DISPUTATIO VICESIMA NONA.

De habitu scientiæ infusæ animæ Christi.

Sect. I. — *An species per se infusæ in anima Christi fuerint universaliores angelicis.*

Nota : Ad scientiam intellectualem, quando objectum per se non unitur potentiæ, neque in Verbo cognoscitur, requiruntur species intelligibiles quæ habeant vim illud repræsentandi intellectui.

Dico 1 : Hujus scientiæ species intelligibiles infusæ in anima Christi, sunt plures : ita D. Thomas, etc., contra Marsilium dicentem esse unicam universalissimam ad omnia sua objecta repræsentanda sufficientem; quod est improbabile. Atque hæ species sunt universaliores speciebus humano intellectui connaturalibus : quia juxta Thomistas una ex his speciebus ad minimum repræsentat unam totam naturam specificam simul cum omnibus suis individuis et proprietatibus; sunt enim superioris ordinis quam species humano intellectui connaturales, et infusæ sunt in anima Christi non tantum juxta capacitatem naturalem, sed etiam obedientialem. Hinc

Dico 2 : Hæ Christi species sunt universaliores quam species angelorum (D. Thomas, Scotus, etc.), quia istæ species in sua entitate et substantia sunt altioris ordinis ac perfectiores quam angelicæ; et quamvis Christus per naturales humanitatis suæ vires non possit præstare aliqua, quæ angeli possunt per suas vires naturales, tamen ejus intellectus per altius lumen elevatus, potest illa perfectiori modo quam angelus præstare, v. gr. perfectiori modo quam angelus cognoscere et comprehendere angelum.

Sect. II, III. — *An præter species intelligibiles requiratur in hac scientia habitus infusus seu lumen; et an sit unum tantum.*

Dico 1 : Quamvis intellectus in ordine ad naturales intelligendi actus, habeat de se et ex sua parte totam vim activam ad illos efficiendos necessariam

solumque illi concursus objecti, qui mediante specie tribuitur, desit, tamen in ordine ad supernaturales non tantum concursus objecti, sed etiam partialis activitas, quæ ex parte intellectus necessaria est, illi deest; ideoque intellectus animæ Christi non habet ex se sufficientem vim activam naturalem ad efficiendos scientiæ infusæ actus utpote supernaturales vel in substantia vel in modo; nec ad hos efficiendos elevatur sufficienter per solas species infusas, sed indiget aliqua virtute vel auxilio supernaturali quo elevetur ad dandam illi vim quæ ipsi necessaria est ad efficiendos istos actus : species enim intelligibilis est tantum quasi objecti vicaria, tanquam faciens unum cum illo; adeoque requiritur aliquod lumen, seu medium quod illud objectum manifestet. Unde in Christi humano intellectu præter intelligibiles scientiæ infusæ species, datur habitus seu lumen per se infusum, cum elevans ad istos scientiæ infusæ actus efficiendos : cum enim ipse de se ad hos efficiendos non sit sufficiens, nec per solas species elevetur, ergo ut connaturali modo illos efficiat, debuit elevari per intrinsecam et inhærentem virtutem aut qualitatem, quam vocamus habitum; et licet posito hoc habitu requiratur insuper auxilium, hoc tamen est debitum tanquam primæ causæ concursus in suo ordine necessarius.

Dico 2 : Lumen hujus scientiæ est unus tantum habitus, seu simplex qualitas. (D. Thomas, Richardus, etc.) Unus enim scientiæ habitus potest uti variis et multis speciebus intelligibilibus, cumque hoc lumen seu habitus inclinans et facilitans potentiam ad actum sit altioris ordinis et perfectior quam lumen angelicum, potest se extendere ad diversi generis objecta sive naturalia sive supernaturalia sublimiori modo cognoscenda, quam per angelicum aut humanum lumen cognoscantur.

Sect. IV. — *An lumen hujus scientiæ infusum sit distinctum a lumine gloriæ.*

Dico : Licet videantur supponere omnes theologi hujus scientiæ habitum, seu lumen, esse in se unum et omnino distinctum a lumine gloriæ, posset tamen dici esse ipsummet lumen gloriæ; adeoque scientia infusa quoad habitum solummodo addere intellectui informato gloriæ lumine, species intelligibiles per se infusas, ad quarum usum intellectus isto eodem lumine gloriæ sufficienter elevatur. Quamvis igitur lumen gloriæ respiciat essentiam divinam ut objectum maxime proprium et connaturale, adeoque actu quasi connaturali perpetuo circa eam versetur, posset tamen etiam versari circa alias res per proprias earum species altiori et excellentiori modo, quam omne aliud lumen intellectuale. Juxta autem alios sentientes esse distinctum a lumine gloriæ, debet dici lumen gloriæ habere pro objecto adæquato essentiam increatam, et nunquam directe attingere rem creatam in se ipsa, sed tantum in Verbo : istosque duos modos cognoscendi creaturas in Verbo et in seipsis, ita esse distinctos, ut non possint eidem lumini convenire.

DISPUTATIO TRICESIMA.

De perfectione scientiæ acquisitæ animæ Christi.

Sect. I, II. — *Quid Christus per hanc scientiam cognoverit, et quando eam habere inceperit.*

Dico 1 : Christus in statu viæ per scientiam acquisitam cognovit omnes res naturales tam materiales quam immateriales, tamque substantias quam accidentia, ea perfectione qua ab anima sive conjuncta corpori sive separata naturaliter cognosci possunt, quia ratione unionis hypostaticæ et beatitudinis tota illa perfectio Christi animæ debita erat; et quamvis esset in corpore corruptibili, habuit tamen beatæ animæ conditionem in hoc quod non ita erat subdita corpori suo, ut ab eo dependeret, sed illi omnino dominabatur; ergo dum erat in illo corpore, erat capax omnis prædictæ scientiæ perfectionis quam potest habere anima sive separata, sive conjuncta. Hinc

Dico 2 : Anima Christi in corpore corruptibili potuit habere cognitionem naturalem, sive scientiam intellectivam sine conversione ad phantasmata, quia quamvis informaret corpus corruptibile, non tamen ita illi obligabatur ut non posset sine ejus consortio ac dependentia naturales intellectus et voluntatis actus exercere per infusas naturalis ordinis species, quales infunduntur animæ separatæ juxta naturalem ejus conditionem; et sic poterat se ipsam et alias substantias, præsertim spirituales, prout in se sunt, cognoscere.

Dico 3 : Anima Christi a principio suæ conceptionis habuit omnes scientiarum et virtutum intellectualium perfectos habitus, cum speciebus infusis ad eorum usum necessariis (D. Thomas, Paludanus, Bonaventura, Scotus, etc.) : quia si anima Christi in statu viæ potuit seipsam naturaliter per suam propriam substantiam cognoscere; ergo id potuit a principio suæ creationis seu conceptionis. Deinde si habuerit istos habitus a principio suæ creationis, ergo etiam species infusas substantiarum spiritualium et materialium cum suis proprietatibus et accidentibus. Præterea habuit tunc infusas naturalis ordinis virtutes morales; ergo et intellectuales, maxime prudentiam, quæ est auriga virtutum. Item habuit tunc usum rationis, ergo tunc debuit esse ad hunc usum perfecte disposita per habitus virtutum naturalium, pro quibus exercendis, ut et pro supernaturalibus, habebat istum rationis usum. Sed

Dico 4 : Anima Christi non habuit a principio suæ conceptionis, istam scientiam humanam quæ in experientia rerum consistit, id est scientiam experimentalem, adeoque in ea profecit successu temporis; atque de hac agere censendi sunt D. Thomas et Bonaventura, dum alicubi dicunt animam Christi non habuisse infusam a principio scientiam naturalem, sed successu temporis eam propria cum inventione acquisivisse. Probatur. Quia Christus successu temporis multa vidit, audivit, gustavit, etc., quæ istis sensibus antea non perceperat, et sic vel

jam præexsistens cognitio applicata est simul cum sensu ad exercitium, vel intellectus Christi mediantibus istis sensibus acquisivit novam aliquam experimentalem cognitionem, et species intelligibiles ad illam necessarias quas a principio non habebat. Hæ autem species non possunt infundi, quia pertinent ad memoriam rei præteritæ, seu prius cognitæ : relinquitur enim ex præcedenti cognitione, et in hoc differunt a speciebus infusis, quod species infusæ habeant a principio expeditum usum, et in sua repræsentatione ac cognitione abstrahant a tempore et a præcedente aliqua cognitione; species vero, quæ experientiæ deserviunt, non habent usum usque ad sensibile rerum quæ per illas repræsentantur, experimentum, resque repræsentant cum ordine ad tempus præteritum quatenus tale, et ad intuitivam seu sensibilem cognitionem præteritam. Denique ista specierum acquisitarum scientiæ experimentalis acquisitio pertinet ad naturæ humanæ perfectionem, qua Christus non debuit carere. Ideo dicitur Luc. II, 52 : *Puer autem proficiebat ætate et sapientia*, etc., vel potius sensim eam magis patefaciebat.

DISPUTATIO TRICESIMA PRIMA.

De gratia seu potestate animæ Christi data ad miracula et supernaturalia opera patranda.

SECT. I, II. — *An tota Dei omnipotentia sit humanitati Christi communicata ; an ei data sit virtus ad facienda opera supernaturalia et miraculosa.*

Dico 1 : Omnipotentia Dei simpliciter et secundum totam suam perfectionem nec fuit communicata, nec potuit communicari Christi animæ; adeoque Christus ut homo non fuit omnipotens (D. Thomas, Bonaventura, Gabriel, Durandus, etc.); nam concilia definierunt duas in Christo naturas mansisse inconfusas, suasque proprietates, facultates et operationes duplices post unionem retinuisse ; cum manserit duplex natura, ergo et duplex potentia. Sed potentia naturæ humanæ non est ipsamet potentia divinæ naturæ, est enim creata et finita ; ergo non est Dei potentia, seu omnipotentia quæ est unica et increata. Nec hæc per seipsam potest communicari naturæ humanæ, alioqui fieret confusio naturarum, nec per donum creatum, quia hoc semper erit finitum et omnipotentia minus. Christus ut homo, dum interdum a Patribus vocatur omnipotens, vel sic eum vocant per communicationem idiomatum, vel intelligunt per unionem hypostaticam esse Christi humanitati communicatam specialem vim faciendi supra naturam ea opera quæ Dei sunt propria, saltem ut divinitatis organo et instrumento.

Dico 2 : Humanitas Christi ex vi solius unionis cum Verbo, formaliter ac præcise sumpta, non est facta potentior, quam ex natura sua erat, ad producendos reales et physicos effectus (secus ad effectus morales meriti et satisfactionis, de quibus hic non agitur) ; unio enim præcise non est principium formale reddens humanitatem potentem operandi, quia ipsa natura est principium operandi, non vero subsistentia quæ est tantum conditio requisita ad operandum : natura igitur humana unita Verbo retinuit suam eamdem substantiam, eamdem potentiam, eamdem exsistentiam, licet per unionem acceperit alienam subsistentiam.

Dico 3 : Cum Christus per suam humanitatem vera miracula patrarit, necessario sequitur illi fuisse communicatam virtutem supernaturalem ad miracula ista patranda. De fide. Hanc enim exigebat et personæ dignitas, et doctoris officium : *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet in terra potestatem remittendi peccata, dicit paralytico : Surge*, etc. (*Matth.* IX, 6). *Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 36). *Si mihi non vultis credere, operibus credite* (*Joan.* X, 38). Ista autem esse vera miracula, angeli evidentissime cognoscebant, et ipsi etiam dæmones hominesque qui illa videbant, evidentia saltem morali certi erant ea ex virtute supernaturali et divina fieri ; imo et qui tantum audierunt, certi erant facta esse.

Dico 4 : Hæc virtus miraculorum fuit in Christo homine permanenter per modum habitus, id est semper ac perpetuo habuit paratum Dei concursum vel motionem ad miracula patranda necessariam, quoties volebat, non autem qualitatem permanentem aut habitum intrinsece inhærentem ; qua in re longe superavit alios homines, qui interdum tantum per modum actionis transeuntis istam virtutem receperunt. Ratio est, quia illa gratia data est Christi humanitati quasi proprietas consequens unionem : unio autem est permanens et perpetua ; ergo. Deinde voluntas Christi hominis, licet humana sit, est tamen voluntas personæ divinæ; ergo absolute volendo debuit esse semper efficax. Hæc virtus miraculorum data est humanitati ab instanti suæ creationis, semperque duravit, et durat effectrix semper operum supernaturalium gratiæ et gloriæ.

SECT. III. — *An hæc miraculorum potestas sit physice effectiva gratiæ et supernaturalium operum.*

Dico : Christus homo per actiones suæ humanitatis, non tantum morali modo, uti volunt Alensis, Bonaventura, Richardus, etc., sed etiam reali et physico patravit opera miraculosa ; et animas justificat, gratiam conferendo, et alia ejusmodi. (D. Thomas, Paludanus, Vega, Sotus, etc.) Probatur : 1° quia Scriptura hanc physicam et realem affectionem indicat sic : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (*Luc.* VI, 19). *Ego sensi virtutem de me exisse* (*Luc.* VIII, 46). *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Hinc miracula faciebat tangendo, liniendo, imperando, et per ejusmodi humanitatis actiones. 2° Quia Verbum per humanitatem tanquam instrumentum, suas actiones, maxime miraculosas, efficiebat divinas. 3° Istam physicam efficientiam, suis verbis declarant Patres, Gregorius, Chrysostomus, Athanasius, Ambro-

sius, etc. Itaque non repugnat Christi humanitatem sine nova qualitate addita per potentiam obedientialem elevari ad efficienda physice opera supra naturam suam; nec causalitas moralis aut conditio, ad cujus præsentiam dicatur Deus operari, est vera ac propria efficientia, quam Scriptura et sancti Patres humanitati Christi tribuere videntur. Adversarii enim dicunt hanc faciendi miracula potestatem in hoc solum esse positam, quod ad tactum, verbum, aut voluntatem humanitatis Christi, statim infallibiliter adsit divina virtus ad opus conficiendum quod Christus ut homo fieri vult, et quia hoc pactum est firmum, infallibile ac perpetuum, ideo morali tantum ratione aut morali causalitate dicitur Christus habere permanentem faciendi miracula potestatem. Ita illi. Porro in quibusdam effectibus ad quos non erat necessaria efficientia physica, sed moralis sufficiebat, potuit Christus esse tantum causa moralis; sed in iis ad quos erat physica efficientia necessaria, physicum et realem influxum ac essentiam præbuit : sic potuit non tantum morali causalitate, sed etiam physica actione necessitatem inferre dæmonibus ad eos loco expellendos. Sic ambulando super aquas poterat effective sustinere pondus sui corporis.

Sect. IV. — *An virtus patrandi miracula sit data humanitati ut causæ principali, an vero ut instrumentali.*

Dico 1 : Humanitas Christi non fuit principale principium proximum ad patranda miracula, sed tantum fuit divini Verbi organum seu instrumentum : ita communiter theologi, quia si Christi humanitas concurreret ad has actiones ut causa principalis, deberet concurrere vel per suam propriam virtutem intrinsecam (quod non potest; elevatur enim ad hoc per potentiam obedientialem); vel per qualitatem superadditam sibi inhærentem, seu per formam accidentalem : sed forma accidentalis non potest ex natura sua habere sufficientem virtutem ad facienda hæc opera cum solo Dei concursu sibi connaturali, maxime quia hujusmodi miraculosa actio sæpe est substantialis mutatio. Unde etiam

Dico 2 : Humanitas Christi non habet virtutem producendi gratiam sive justitiam supernaturalem tanquam ejus causa principalis, sed solum tanquam præcipuum instrumentum : ita theologi communiter. Proprium est enim Dei, juxta Scripturam, gratiam et gloriam dare (*Psal.* LXXXIII, 12), et a peccato mundare (*Job* XIV, 4; *Marc.* II, 7) : quod necesse est de quacunque causa principali intelligi, quia gratia et justitia producuntur in anima non juxta naturalem ejus capacitatem, sed obedientialem quæ soli Deo ut principali agenti subditur. Deinde si anima Christi posset ut causa principalis, efficere gratiam in aliis, vel hanc efficeret per gratiam quam in se habet tanquam per formale agendi principium, vel per aliam qualitatem. Non per aliam qualitatem, quia nulla fortasse potest dari perfectior gratia qualitas, per quam melius participetur divina natura; sitque potius effectiva gratiæ, quam ipsa gratia. Nec per gratiam, quia gratia non est qualitas productiva sui similis, sicuti habitus non est productivus alterius habitus; alioqui anima hominis alicujus in gratia constituta posset producere similem gratiam in anima alterius hominis, eumque sanctificare. Denique nulla pura creatura potest esse principalis causa gratiæ, ergo nec Christi humanitas, quia sola unio, ut supra dictum est, per se non dat aut auget ejus virtutem agendi.

Objicies 1 : Dicitur Christus fons et auctor gratiæ : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). *Gratificavit nos in dilecto Filio suo* (*Ephes.* I, 6). Ergo est principalis causa gratiæ. Respondeo : Distinguo antecedens. Christus in genere causæ meritoriæ est fons et auctor gratiæ, concedo antecedens; proprie in ratione efficientis physice, nego antecedens. Quamvis enim Christi humanitas comparata ad alia gratiæ instrumenta, v. gr. ad sacramenta et sacramentorum ministros, posset dici quodammodo agens principale, quia illorum virtus a Christo manet et pendet, suntque tanquam instrumenta separata ad conjunctum; tamen non est proprie causa principalis physica, quia non habet propriam virtutem ad producendam gratiam. Sic dixit D. Thomas potestatem dimittendi peccata esse in natura divina *per auctoritatem*, in humana autem natura Christi *instrumentaliter* et *per ministerium*.

Obj. 2 : Christus per se est gratus per essentiam; alii per participationem : Christus habet a se gratiam, alii a Christo. Ipse est exemplar, cui alii per gratiam efficiuntur similes; atqui hæ sunt proprietates causæ principalis; ergo. Respondeo : Nego minorem. Christus est per se gratus et sanctificatus per gratiam unionis, propter quam dicitur habere etiam a se ipsam gratiam accidentalem; alii una sanctificantur per gratiam ab alio participatam, quæ tamen physice loquendo non est propria participatio gratiæ Christi, sed divinitatis quæ sola est principale ejus principium physice effectivum, adeoque primarium etiam exemplar ex parte causæ efficientis sufficientissimum. Sed in genere causæ meritoriæ, nostra gratia potest dici participatio justitiæ Christi, in quantum illa fuit principium merendi nobis justitiam; eodemque modo, gratia Christi potest dici exemplar nostræ gratiæ ex parte nostra, quia debemus illi in gratia conformari.

Sect. V. — *Quid sit in humanitate Christi hæc virtus, per quam ut instrumentum Verbi miraculose operatur.*

Nota : Paludanus, Ferrarius, etc., dicunt hanc virtutem esse qualitatem permanentem superioris ordinis, per quam ut instrumentum operatur humanitas Christi, sicut calor qui est qualitas data igni, ut sit illi instrumentum ad formam substantialem producendam. Sotus vero et multi Thomistæ

dicunt esse motum artificiosum, quem Deus imprimebat Christi humanitatis actionibus, per quam illas elevabat ad effectus supernaturales. Alii autem volunt hanc virtutem nihil esse aliud, quam Christi humanitatem ita subordinari divinæ voluntati, ut hæc vel per seipsam vel per suam actionem intimet humanitati Dei imperium quo quivis effectus vel res fieri potest. Hisce opinionibus, quæ vel implicantiam continent vel rem non explicant, omissis,

Dico : Hæc virtus instrumentalis in humanitate Christi non est res vel entitas aliqua, vel modus intrinsecus humanitati additus, illique inhærens; sed est potentia obedientialis activa in rebus ipsis exsistens, per quam efficere possunt supernaturalia opera, ut Dei instrumenta, ipso concurrente per auxilium vel concursum proportionatum, et excedentem concursum debitum naturali virtuti creaturæ. Cum enim humanitas Christi sit res creata, et primi entis participatio, illique subordinata; est ergo in potentia obedientiali activa ad agendum omne id ad quod per voluntatem divinam fuerit applicata; illudque elevata per concursum specialem, supernaturalem, et huic potentiæ obedientiæ accommodatum vere ac proprie efficiet. Sic juxta hanc potentiam intellectus noster ac voluntas eliciunt actus supernaturales quoad substantiam, et interdum cum solo Dei auxilio sine habitibus. Hæc autem potentia obedientialis non est aliquid a rebus distinctum; sed in unaquaque re creata ipsa entitas per seipsam est hæc obedientialis potentia seu virtus, ad agendum, ut instrumentum Dei, omne id quod non implicat contradictionem ut fiat tali modo : istius autem potentiæ actio est productio effectus supernaturalis, per quam pendet a tali instrumento. Hæc vero actio est eadem cum actione principalis, quatenus agit per tale instrumentum.

Sect. VI. — *An et quomodo in rebus creatis sit aliqua vis activa obedientialis, ut eleventur in Dei instrumenta.*

Nota : Hanc quæstionem fusissime tractat Pater Suarez contra quosdam modernos auctores, qui rejiciendo obedientialem potentiam activam, ponunt instrumentalem efficientiam physicam in sola creaturæ extrinseca elevatione et subordinatione; non tamen contra eos qui negant Christi humanitatem, sacramenta et alia ejusmodi esse instrumenta physica, sed tantum esse causas morales volunt, qui cum negent efficientiam physicam, etiam non agnoscunt potentiam obedientialem physice activam. Summatim igitur indicabo tantum prolixissimam controversiam quæ sic est : Prædicti auctores dicunt hæc divina instrumenta, quamvis ex vi suæ entitatis nullam habeant vim activam sive naturalem, sive supernaturalem, sive obedientialem, nec etiam eis detur talis vis seu virtus per qualitatem aut rem novam illis inhærentem, fieri tamen activa per solam conjunctionem et actualem subordinationem ad virtutem Dei principalis agentis; quæ conjunctio, juxta illos, antecedit ordine naturæ effectionem seu actionem instrumenti : nihil tamen addit positivum reale entitati instrumenti, nec in eo ponit ullum modum realem, præter materialem motum aut contactum, si forte erga illud fiat, sed solum addit prædictam subordinationem istius rei instrumentalis ad virtutem Dei. Unde tandem concludunt creaturam non constitui in actu primo ad agendum cum Deo instrumentaliter per aliquid novum superadditum, et in ea receptum, sed per divinam virtutem ineffabiliter illi conjunctam, seu per subordinationem creaturæ ad increatam Dei virtutem, et ad practicum ejus imperium. Contra quos

Dico 1 : Iste modus explicandi divinorum instrumentorum activitatem, claram involvit repugnantiam, quia quævis causa etiam instrumentalis, non potest prodire in actum secundum, nisi prius in actu primo fuerit constituta. Hæc autem constitutio non potest haberi per solam denominationem extrinsecam, sed debet haberi necessario vel per intrinsecam entitatem, vel per formam inhærentem, vel per utramque juxta diversos activitatis gradus ac modos; adeoque nec instrumenta divina possunt constitui in actu primo per solam denominationem extrinsecam a virtute divina. Jam vero illa sola subordinatio ad virtutem divinam, est tantum in illis denominatio extrinseca; ergo non possunt per illam solam constitui in actu primo, sed necessario requiritur ex parte illorum aliqua vis activa intrinseca, quæ si non sit addita per formam inhærentem, erit per propriam entitatem; et hanc vocamus virtutem seu potentiam activam obedientialem, quia nec naturalis nec supernaturalis simpliciter dici potest, nec tantum est passiva. Hinc

Dico 2 : Nulla res potest elevari ut sit instrumentum Dei ad aliquam actionem per solam subordinationem ad divinam virtutem seu per extrinsecam elevationem, nisi supponatur in re quæ elevatur aliqua vis activa intrinseca vel per inhærentiam vel per identitatem, quia virtus, quæ in ipso Deo est, illique est essentialis, non conjungitur per seipsam formaliter et intrinsece suo instrumento in ordine ad operationem; ergo hoc instrumentum non potest per illam Dei virtutem constitui in actu primo ad agendum, si in se nullam vim activam habeat; adeoque nec per solam subordinationem, quia per illam virtus Dei subsistens et essentialis non conjungitur intrinsece creaturæ, ut sit veluti forma aut virtus, qua creatura agat. Debet igitur creatura habere aliquam virtutem intrinsecam, ut a Deo elevetur tanquam instrumentum ad agendum physice; omneque Dei imperium practicum vel supponit in creatura potentiam ad obediendum, vel illam dat, non enim potest ferri in impossibile. Calor, prout est instrumentum ignis, habet in se innatam et intrinsecam activitatem.

Dico 3 : Non potest igitur creatura per suam entitatem quatenus substantem divinæ voluntatis imperio et specialissimo ejus concursui, elevari ut

sit verum ac proprium instrumentum physicum, immediate ac realiter influens per se in effectum Dei principalis agentis, nisi in ipsa creaturæ, quæ hoc modo elevanda est, entitate supponatur aliqua activitas, seu fundamentalis inchoata et incompleta potentia in ordine ad talem actionem; atque hanc vocamus potentiam obedientialem, non passivam seu receptivam, sed activam per Dei elevationem, et identificatam ipsi rei aut entitati in qua est. Sicut enim theologi admittunt potentiam obedientialem passivam ipsi rei identificatam ad recipiendas formas supernaturales, v. gr. gratiam, visionem beatificam, unionem hypostaticam, etc., ita etiam admittenda est obedientialis activa ad efficiendum quidpiam supernaturale. An autem hæc potentia sit naturalis vel supernaturalis, diffuso ratiocinio discutit P. Suarez, et censet illam secundum se spectatam præcise, esse ejusdem ordinis cum re cujus est potentia seu activitas, et cui est omnino identificata; spectatam autem juxta usum quatenus a Deo elevatam, tunc non agere ut potentiam naturalem; non tamen proprie dici supernaturalem, quia non est naturæ superaddita aut infusa, cum sit ipsamet natura elevata, agens cum speciali Dei auxilio, ita ut virtus tota agendi non sit Dei solum auxilium speciale, sed etiam instrumenti seu creaturæ elevandæ potentia obedientialis et quasi fundamentalis ad agendum ut instrumentum Dei auctoris gratiæ et effectuum supernaturalium. Unde hæc potentia ex se nec est materialis, nec spiritualis, sed est talis qualis est res quæ in instrumentum assumitur; si sit res spiritualis, potentia erit spiritualis; si materialis, erit materialis. Denique probabilius actio, quæ miraculose instrumentum a Deo fit, est diversa non tantum numero, sed etiam specie ab ea quæ ab ipso Deo solo fit sine instrumento.

Sect. VII, VIII. — *An virtus miraculorum Christi se extendat ad effectus loco aut tempore distantes.*

Dico 1 : Probabilius videtur humanitas Christi posse miraculose operari in loco in quo non est præsens localiter, etiamsi effectum istum miraculosum nec per se nec per ullam virtutem realiter diffusam attingat, eum solummodo attingendo per actionem; ibi enim in loco distanti fit effectus dependenter ab actione humanitatis alibi exsistentis. Contactus enim seu propinquitas localis inter agens et passum, non est conditio essentialis actioni seu virtuti agendi, seu per se et intrinsece ad eam requisita; et quamvis agentia naturalia soleant illam requirere, quia habent finitam virtutem et imperfectum ac determinatum agendi modum, multi tamen graves auctores negant etiam in agentibus naturalibus eam esse absolute necessariam. Dei autem instrumenta neque per naturalem potentiam agunt, ut inde limitentur ad agendum per contactum, neque habent tam imperfectum operandi modum, ut ubi non exsistunt localiter, agere non possint; quia per communicatam participationem infinitæ Dei virtutis ubique exsistentis, cui obediunt, in loco distanti sine physico contactu agere possunt : sufficit igitur ut divinitas Christi, quæ ubique exsistit, et est principale principium horum effectuum humanitatis Christi, illos per se indistanter attingat.

Dico 2 : Christi humanitas non fuit instrumentum physicum ad efficiendum aliquod opus, priusquam ipsa exsisteret, et esset Verbo unita : causa enim efficiens physice, requirit realem exsistentiam ut physice aliquid possit efficere, seu dare reale *esse* per veram actionem et realem influxum. Effectus ergo gratiæ, qui humanitatis Christi exsistentiam tempore antecesserunt, manarunt ab illa ut a causa meritoria, non ut a causa efficiente instrumentali, ut volunt Sotus et Capreolus. Sicut enim antequam exsisteret, nec gratiam prophetiæ, nec gratiam linguarum, nec aliam gratis datam aut gratum facientem habuit : ita nec habuit gratiam sanitatum aut operationum seu miraculorum, quia implicat habere ante exsistere.

Dico 3 : Christus per quamlibet actionem vel passionem eo tempore quo hanc vel illam exercebat, potuit gratiam aut alios supernaturales effectus producere tanquam per physicum Dei instrumentum : sicut enim per contactum carnis suæ, dum actualiter fiebat, vel per vocem suam, dum illam emittebat, patrabat miracula, ita etiam per quamlibet suam passionem aut actionem actualiter exsistentem poterat idem præstare. Sed ejus passio vel actio omnino præterita, nec prorsus in aliqua re remanens, non potest nunc esse instrumentum physicum vere ac proprie efficiens supernaturalem effectum qui jam fit : quia res quæ non exsistit non potest esse instrumentum physicum ad aliquid efficiendum; et ad hoc nihil facit quod res prius exstiterit, nisi aliquo modo vere remaneat. Hinc dum D. Thomas docet Christum per suam passionem vel resurrectionem, efficere in nobis justitiam, vel resurrectionem, non intelligit de passione et resurrectione quatenus est actio quæ omnino præterita est ac pertransiit, sed quatenus aliquo modo passio et resurrectio remanent in ipsa humanitate, in qua facta sunt.

Sect. IX. — *An humanitas Christi possit sine prævia actione miracula patrare, adeoque esse instrumentum creationis et annihilationis.*

Dico 1 : Humanitas Christi sine prævia actione potest immediate attingere effectum miraculosum principalis agentis tanquam ejus instrumentum, non ex vi naturalis virtutis, sed ex speciali Dei auxilio et influxu; cum nec ipsis instrumentis naturalibus sit semper necessaria aliqua actio prævia ut possint immediate attingere effectum principalis agentis : adeoque una et eadem erat actio, qua immediate fiebat effectus miraculosus ab humanitate ut instrumento et a divinitate ut causa principali; nec opus est ante istam communem actionem necessario intelligere aliam particularem ipsius instrumenti propriam : etiamsi Christus semper operatus sit miracula per aliquam propriam humanitatis actionem,

v. gr. per contactum, sed non absolute necessariam; Deus enim sine ulla prævia suæ creaturæ actione, potest simpliciter illa ut instrumento uti ad quoscunque effectus per potentiam obedientialem producendos, qui non implicant contradictionem. Hinc

Dico 2 : Humanitas Christi, uti etiam alia creatura, potest assumi a Deo ut sit instrumentum creationis : cum enim divinum instrumentum non postulet necessario propriam actionem præviam, potest per potentiam obedientialem ex non præsupposito subjecto sive ex nihilo, producere effectum, id est creare, quia nec ex subjecto, nec in subjecto operaretur, quod est creare; sicut creatura potest in transsubstantiationis instrumentum assumi. Imo potest etiam assumi in instrumentum annihilationis, quia cum annihilatio fiat per subtractionem influxus rem conservantis, si Deus humanitati communicaret potestatem creandi rem aliquam simul et conservandi, posset etiam illi communicare potestatem subtrahendi concursum, quo ipsa rem creatam in suo esse conservabat; hoc ergo subtracto annihilaretur, sive in nihilum redigeretur.

DISPUTATIO TRICESIMA SECUNDA.

De defectibus et perfectionibus corporis Christi.

Sect. I, II. — *An Verbum assumpserit omnes tum defectus tum perfectiones corpori humano connaturales.*

Dico 1 : Verbum assumpsit corpus vere passibile ac mortale, adeoque carens dotibus gloriosis seu perfectionibus gloriæ. De fide, contra Julianum Halicarn. et Cajanum negantes assumpsisse corpus passibile, etiamsi assumpserit verum corpus humanum. Probatur : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (*Luc.* xxiv, 26.) Passus est famem (*Matth.* iv, 2) ; sitim (*Matth.* xxvii, 34; *Joan.* xix, 28) ; corporis defatigationem (*Joan.* iv, 6). *Vere languores nostros ipse tulit* (*Isa.* liii, 4). *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum* (*I Petr.* ii, 21). Hinc confutantur etiam Manichæi, qui solum specie et apparentia Christum passum esse dicebant.

Dico 2 : Verbum assumpsit in suo corpore humanos illos defectus, qui sunt veluti naturales illius proprietates, comitantes corporis mortalis conditionem, v. gr. corporis gravitatem, carentiam agilitatis, subtilitatis, claritatis, etc., contra quosdam negantes Christi corpus fuisse grave. Probatur, quia Verbum assumpsit corpus cum omnibus naturæ humanæ proprietatibus. Transfiguratio et ambulatio super aquas fuerunt actiones transeuntes, non naturales, aut permanentes. Dum dicitur : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv, 10), intelligitur de incorruptione corporis jam mortui, non de ejus morte aut passibilitate.

Dico 3 : Christus assumpsit corpus humanum, perfectum beneque dispositum juxta conditionem et statum ex natura rei isti corpori debitum. Unde non assumpsit defectus huic perfectioni et dispositioni repugnantes; assumpsit ergo perfectam corporis virilis pulchritudinem et optimum temperamentum. Non tamen assumpsit omnes naturales perfectiones corpori humano commodas quæ in aliqua actuali dispositione consistunt, sed potius assumpsit defectus contrarios, quales sunt fames, sitis, defatigatio corporis, etc. ; item passiones, v. gr. frigus, calorem, flagella, crucem, non tamen morbum aut ullam ægritudinem, quia ægritudo oritur vel ex imperfecta corporis formatione, vel ex immoderato cibo aut potu, aliave simili causa, quæ a Christo aberant. Licet autem non fuisset occisus, potuisset tamen naturali morte tandem decedere sine propria ægritudine, deficiente sensim naturali calore et humido radicali.

Sect. III. — *An prædicti defectus fuerint in Christo voluntarii.*

Dico 1 : Supposita dispositione naturali in qua Christi corpus formatum fuit passibile, et positis etiam aliis naturalibus causis, Christus hos defectus, v. gr. famem, sitim, defatigationem, etc., quadam naturali necessitate patiebatur, nec poterat eos per naturales humanæ voluntatis vires impedire, et in hoc sensu dicuntur Christo necessarii. Attamen

Dico 2 : Hi defectus fuerunt etiam Christo homini voluntarii : 1° Per modum objecti, voluntarie acceptati vel in ipsamet corporis passibilis assumptione, vel in singulis occasionibus, dum se offerebat opportunitas vel necessitas illos sustinendi. 2° Per modum effectus, aliquo modo ab ipsamet Christi voluntate provenientis, vel quia occasiones et causas voluntarie assumebat, v. gr. jejunando, deambulando usque ad defatigationem, etc., vel quia ut instrumentum Verbi nolebat, cum posset, eos impedire; atque ita per illos pro nobis voluntarie satisfaciebat.

Sect. IV. — *An Christus assumpserit localem sui corporis circumscriptionem et mutationem.*

Dico 1 : Christi humanitas nec est nunc, nec unquam fuit ubique, adeoque ejus corpus, sicut alia corpora, loco circumscribitur. De fide, contra Lutherum, Brentanum, Kemnitium, etc., dicentes ex vi unionis hypostaticæ, ubiquitatem seu immensitatem Verbi ab initio incarnationis fuisse Christi humanitati communicatam in actu primo aut in radice, sive fuisse illi debitam; post resurrectionem autem aut ascensionem fuisse illi communicatam in actu secundo, et in se ipsa. Probatur ex Scriptura : *Cum vidisset turba, quod Jesus non esset ibi* (*Joan.* vi, 24). *Ut sciatis, quia non eram ibi* (*Joan.* xi, 15). *Surrexit, non est hic* (*Marc.* xvi, 6). *Assumptus est in cœlum* (*Act.* i, 11). *Relinquo mundum, et vado ad Patrem* (*Joan.* xvi, 28). Ridiculum autem foret dicere ibi agi de visibili tantum corporis exsistentia, non de invisibili omnem alium locum occupante, quia hoc est omnino contra et verborum sensum et Patrum expositionem, et mysterii veritatem. Deinde in sexta synodo (act. 11) expresse dicitur Christus assumpsisse corporis circumscriptionem, et in septima synodo (act. 6) probatur Christum

ante et post resurrectionem fuisse secundum humanitatem loco circumscriptum, et (act. 7) post fidei definitionem feriuntur anathemate qui id negant. Et in concilio Lateranensi (can. 4) dicitur : *Si quis non confitetur Christum circumscriptum corpore, et incircumscriptum divinitate, condemnatus sit.* Idem confirmant Patres Athanasius, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius, etc. ; et ratio est quia unio hypostatica non requirit ut proprietates naturæ divinæ, v. gr. æternitas, omnipotentia, etc., communicentur humanæ : esset enim confundere naturas et incidere in Eutychetis errorem. Quamvis autem de potentia Dei absoluta possit humanitas Christi constitui in omnibus locis creatis, utpote intra finitum spatium terminatis, tamen dicere ita de facto eam exsistere, est hæreticum, quia est contra Scripturam, Patres, concilia, mysteria fidei, maxime Eucharistiæ. Posita enim illa ubiquitate, corpus Christi non esset magis præsens in speciebus panis quam in aliis rebus, neque quoad realem præsentiam magis a nobis sumeretur in Eucharistia, quam in communi cibo. Unde non foret necessaria ad illam efficiendam conversio seu transsubstantiatio, quæ omnia sunt contra fidem. Dicitur autem per communicationem idiomatum, *Christus est ubique*, quia persona Verbi est ubique ; sed sola, non humanitas. Hæc verba Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, et Ephes. IV, 10 : *Ascendit super omnes cœlos ut impleret omnia*, non faciunt ad rem. Hinc

Dico 2 : Christus secundum corpus vere fuit localiter motus. Habetur expressis verbis in sexta synodo (act. 11) ; potuit enim Christus secundum humanitatem substantialiter Verbo unitam mutare locum, nulla in Verbo facta mutatione, quia ubicunque exsistit humanitas, habet semper eamdem unionem, mutando locum, non mutat unionem Verbo, quod unum et idem ubique est.

DISPUTATIO TRICESIMA TERTIA.

De contrariis gratiæ ac virtuti defectibus, a Christo non assumptis.

SECT. I, II. — *An Christus nec de potentia ordinaria nec de absoluta potuit peccatum committere.*

Dico 1 : In Christo nullum exstitit peccatum. De fide, contra quosdam hæreticos hujus temporis dicentes Christum morientem in quosdam impatientiæ et desperationis motus incidisse, dum dixit : *Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46.) Probatur : 1° De originali : quia a primo suæ conceptionis instanti fuit gratia plenus, conceptus de Spiritu sancto, nec ab Adamo descendit per seminalem rationem : *Quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35), etc. 2° De actuali : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII, 46.) *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II, 22). Et definitum est hoc in concilio Ephesino (can. 10). Atque hoc evidenter comprobatur ex dignitate personæ, ex plenitudine gratiæ, ex statu beatitudinis quam in anima habuit ab initio conceptionis ex fine incarnationis et redemptionis.

Dico 2 : Secundum legem ordinariam non potest esse in Christo peccatum ob unionem hypostaticam, et quia plenus erat gratia, et beatus secundum animam. Dum ergo Christus dixit : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* vel locutus est in persona suorum membrorum, recitando psalmum XXI incipientem : *Deus, Deus meus, respice in me*, in quo ista verba sunt ; vel in propria persona loquens, ostendit se privari omni consolatione in parte inferiori animæ. Impia igitur est prædicta hæreticorum explicatio, cum Christus Deo frueretur, certus de sua gloria et resurrectione, et sponte patiebatur. Deinde illa oratio, qua dixit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39), nihil omnino inordinatum continebat, cum solum ostenderet naturalem suum affectum cum omni subjectione et conformitate erga Dei voluntatem, quod sane ordinatissimum est. Imo

Dico 3 : Etiam secundum potentiam absolutam impossibile est Christum Dominum seu Deum per assumptam humanitatem, aut per quamcunque aliam creaturam intellectualem Verbo hypostatice unitam, committere aliquod peccatum : ita omnes fere theologi contra Durandum, etc. Probatur : In sexta synodo (act. 8) dicitur humana Christi voluntas per assumptionem facta esse impeccabilis ; et (act. 17) dicitur ita fuisse deificata per unionem, ut non posset divinæ voluntati repugnare. Idem Gregorius Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Augustinus, Ambrosius, etc., unanimi consensu tenent. Hieronymus (*Epist. ad Ctesiphont.*) dicit proprium esse Christi, esse impeccabilem ; et Hilarius (lib. X *De Trinitate*) dicit ita repugnare Christo peccatum, sicut repugnat Christum non esse Christum. Ratio est quia impossibile est Deum non ita dirigere et custodire speciali auxilio humanam voluntatem sibi hypostatice unitam, ut ad malum declinare non possit ; si enim Christus per humanitatem peccaret, Deus ipse diceretur peccare non tantum per communicationem idiomatum, ut vult Durandus, sed etiam per veram culpam et defectum qui in divinam voluntatem redundaret : quia quando plures naturæ et voluntates eamdem personam componunt, pertinet ad munus superioris voluntatis inferiorem in officio continere, et ad id quod honestum est, dirigere si potest ; alioqui reipsa peccabit. Jam vero natura divina et humana unam personam componunt ; ergo pertinet ad divinam voluntatem quæ superior et suprema, et omnipotens est, ita inferiorem humanam voluntatem dirigere, ut semper sine defectu operetur ; alioqui humanæ voluntatis defectus in divinam redundaret; atqui hoc est impossibile ; ergo. Imo minor unitas quam personalis, inducit in superiori obligationem recte gubernandi inferiora ; nulla quidem legis aut præcepti obligatio cadit in divinam voluntatem, sed per se et natura sua necessario ad bonum determi-

natur; ideo licet Deus possit in alienis voluntatibus permittere peccatum, quia id de se non est malum, tamen illud permittere in voluntate naturæ assumptæ, quæ per unionem hypostaticam jam est voluntas Dei, ex objecto est intrinsece malum, adeoque non potest magis ex fine cohonestari quam mentiri.

Dico 4 : Si Verbum assumeret naturam jam prius vel originali vel actuali peccato infectam, non posset in ejusmodi natura assumpta peccatum istud per modum habitus subsistere. Adveniente enim gratia unionis, omnis culpa ab ista natura expelleretur, quia per illam unionem perfectissime sanctificatur et deificatur, fit digna omni bono et rectitudine, summe diligitur a Deo : iste homo ex vi unionis esset simpliciter naturalis Filius Dei, gratissimus Deo, illique deberetur gratia ac gloria. Ergo non posset simul esse Deo invisus et dignus pœna æterna; adeoque impossibile est ut ista natura, adveniente unionis gratia, maneat adhuc peccato infecta. Posset quidem absolute Verbum ejusmodi naturam assumere, sed in ipso assumptionis instanti istam mundaret ab omni reatu culpæ, et consequenter ab omni reatu pœnæ æternæ, quamvis posset illi relinquere reatum alicujus pœnæ temporalis. Verum non videtur posse illi relinquere habitus vitiorum ante assumptionem contractos, quia divinæ bonitati non convenit ut assumendo naturam vitiosam, eam vitiosam relinquat, cum vitium sit magis fugiendum, aut magis illi repugnet quam error vel falsitas. Ostendimus autem supra Deum non posse assumere errorem vel falsitatem; ergo nec vitium.

DISPUTATIO TRICESIMA QUARTA.

De appetitu sensitivo animæ Christi, ejusque actibus.

Sect. I, II. — *An in Christo fuerit appetitus sensitivus, ejusque actus; et an in eo fuerit fomes peccati.*

Dico 1 : In Christo verus fuit appetitus, id est proxima facultas ad eliciendas affectiones, seu actus sensibiles et animales necessaria, hocque comprehenditur sub generalibus fidei definitionibus. Unde fuerunt etiam in Christo hujus appetitus veri ac proprii actus, quia potentia est propter actus; alioqui esset otiosa, præsertim quando actus sunt immanentes, qui per se ad connaturalem individui perfectionem pertinent; Christique voluntas operabatur modo naturali et accommodato animæ corpus informanti. Deinde isti actus fuerunt accommodatissimi ad finem redemptionis, et ad veritatem naturæ humanæ demonstrandam; sed illi fuerunt semper ex consensu rationis et voluntatis, quam nunquam prævenire potuerunt, ut docent theologi et Patres, quia appetitum inferiorem moveri contra vel præter superioris consensum, est defectus naturæ lapsæ, qui nec in statu innocentiæ fuit, nec erit in statu gloriæ. Ergo in Christo non fuit qui utriusque status perfectionem assumpsit, excepto corpore impassibili, semperque fuit in actuali usu rationis quo prævenire et considerare poterat quidquid suum appetitum excitare posset; et habens per supernaturalem virtutem perfectum dominium suarum potentiarum, actuum et motionum. Unde hos motus seu actus ex positivo consensu et voluntatis motione videtur Christus fere semper exercuisse, quamvis etiam ejus portio superior, præeunte rationis advertentia, potuerit interdum permittere inferiori naturaliter operari ea quæ illius sunt propria. Ex his patet in Christo fuisse passiones sensibiles, quæ nihil aliud sunt quam prædicti actus appetitus sensitivi, quatenus tum corporis motione et alteratione fiunt; sed in illo fuerunt sine imperfectionibus quæ in nobis sunt, et quæ perfecto virtutis statui repugnant : in nobis enim præveniunt rationem, illam sæpe perturbant, et ad peccatum inclinant, quæ omnia in Christo non fuerunt; ideo Hieronymus illas non passiones, sed propassiones vocat.

Dico 2 : In Christo non fuit fomes peccati quoad actum secundum, id est non fuit actualis motio, seu vitalis et sensibilis affectio ipsius appetitus erga objectum sensibile rationi contrarium, et ipsam rationem præveniens atque ad peccatum trahens, quia omnis motus appetitus fuit in Christo voluntarius; si ergo actualis hic motus foret de objecto malo, esset peccatum, quod in Christo non potest esse. Dum dicitur Christus *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV, 15); non intelligitur de hac interna ac indecenti concupiscentiæ tentatione et cum peccato conjuncta, sed de externis injuriis et molestiis, ut esset nobis exemplo. Hinc Christus, ait Cyrillus, « vincebat commotas passiones, » id est, naturales et innoxios affectus, v. gr. tristitiam, timorem mortis, etc.; timor enim mortis est naturalis et innoxius.

Dico 3 : Nec etiam fuit in Christo fomes peccati quoad actum primum, id est, quædam naturalis inclinatio appetitus conjuncta privationi istius rectitudinis et debitæ subjectionis, quam erga rationem superiorem habebat in statu innocentiæ : quia in Christo non fuit origo fomitis, quæ est peccatum originale, et in eo ratio perpetuo vigilabat, ac poterat prævenire objecta omnia quæ appetitum aut excitare aut movere possent, cum perfecto voluntatis dominio super omnes animæ potentias et actus.

Sect. III. —*An omnes actus seu passiones appetitus sensitivi in Christo fuerint.*

Nota : Hæ passiones numerantur undecim a D. Thoma (2-2, quæst. 2, et cap. 23, etc.), scilicet amor, concupiscentia seu desiderium, delectatio, odium, fuga, tristitia, spes, audacia, desperatio, timor, ira.

Dico 1 : Fuit in Christi appetitu amor sensibilis, hic enim actus est maxime connaturalis appetitui, et per se versatur circa bonum, estque fundamentum aliorum actuum, ac nullam per se continet

imperfectionem, unde in statu beatitudinis reperietur; adeoque et odium mali naturæ contrarii etiam fuit in Christo. Item in illo fuit actus desiderii, et sanctæ ac honestæ concupiscentiæ : versatur enim circa bonum absens et tendit ad illud obtinendum. Interdum etiam actus gaudii seu delectationis sensibilis in Christi appetitu esse potuit, naturaliter proveniens ex objectis bonis.

Dico 2 : Actus spei sensibilis habuit etiam locum in Christo ; quia respectu naturalium suæ humanitatis virium, sæpe potuit illi esse ardua consecutio alicujus boni, ad quam spes tendit, prout illa naturalibus viribus commensurata est. Unde etiam potuit in appetitu esse desperatio alicujus boni sensibilis consequendi vel mali vitandi, v. gr. de morte vitanda ; constat similiter actum audaciæ ad aliquid difficile aggrediendum in illo potuisse esse, uti et actum fugæ, ac justæ iræ. In Christo fuisse tristitiam patet ex Scriptura : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38); et timorem sensibilem : *Cœpit pavere et tædere* (*Marc.* XIV, 33).

DISPUTATIO TRICESIMA QUINTA.

De communicatione idiomatum.

SECT. I. — *Quæ et qualis idiomatum communicatio ex hoc incarnationis mysterio consecuta sit.*

Nota : Communicatio idiomatum est proprietatum seu attributorum divinorum et humanorum inter Deum et hominem mutua prædicatio ; cum enim in hoc mysterio natura divina et humana in unam personam convenerint, hinc divina de homine, et humana de Deo prædicantur.

Dico : Ex mysterio incarnationis, vera ac propria communicatio idiomatum inter Deum et hominem consecuta est : de fide. Vere enim ac proprie Deus est factus homo, unusque et idem est Deus et homo. Sed ista idiomatum communicatio non consistit in reali communicatione divinorum attributorum facta humanitati, quia sic incideretur in errorem vel Nestorii vel Eutychetis ; sed in hoc quod ratione unionis hypostaticæ, divina et humana prædicata de eadem persona vere prædicantur, ut constat ex omnium conciliorum, maxime Ephesini, ac Patrum doctrina. Dum ergo Patres dicunt divinitatis majestatem, gloriam, potestatem, etc., esse communicatam humanitati, vel intelligunt humanitatem per unionem fuisse elevatam ad tale consortium divinitatis in eadem persona, ut ratione illius vere dicatur de homine quidquid ad Dei gloriam et majestatem spectat, hæcque est jam dicta idiomatum communicatio ; vel humanitatem ratione unionis dignam esse summa gloria, honore, et divina quadam adoratione ; vel communicatas esse humanitati divinas quasdam perfectiones per eximia dona creata.

SECT. II. — *An hæc communicatio idiomatum fieri possit tantum in concreto, an vero etiam interdum in abstracto.*

Dico 1 : Una natura non potest de alia vere prædicari in abstracto, v. gr. : *Divinitas est humanitas.* De fide. Alioqui sequeretur confusio naturarum, nec manerent duæ distinctæ ; cum enim per terminos abstractos significentur duæ ut distinctæ, non ut unitæ in eadem persona, ideo non potest una prædicari de alia.

Dico 2 : Proprietates, seu attributa Divinitatis sive in abstracto sive in concreto, non possunt de humanitate prædicari ; v. gr. non potest dici : *Humanitas est Dei omnipotentia, est Dei immensitas*, etc., vel : *Est omnipotens, immensa*, etc. De fide, quia proprietates utriusque naturæ manserunt distinctæ, inconfusæ et incommunicabiles alteri naturæ. Dum igitur interdum dicitur anima Christi omnipotens, omnia sciens, etc., intelligitur secundum analogiam per quamdam singularem participationem. Sic etiam dicitur deificata, id est Deitati unita in persona Verbi.

Dico 3 : Proprietates humanitatis neque in abstracto neque in concreto possunt proprie prædicari de Divinitate in abstracto sumpta, v. gr. non potest dici : *Divinitas est risibilis, est mortalis, est passa, est mortua*, etc., quia Divinitas in abstracto non supponit pro persona, sed pro natura ; natura autem utriusque est diversa, ergo et proprietates. Quando igitur dicitur : *Deitas est incarnata*, aut *assumpsit humanitatem*, solum intelligitur Deitatem substantialiter esse conjunctam humanitati non tanquam proprium illius suppositum, sed tanquam ejusdem suppositi naturam. Dumque dicitur : *Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit*, id est, tropice Deus, seu Verbum.

Dico 4 : Divinitas in abstracto non potest proprie et formaliter prædicari de homine, adeoque nec ejus proprietates, etiam in abstracto seu formaliter sumptæ ; licet in sensu identico hæc propositio : *Christus, vel hic homo est Deitas*, admitti possit, quia abstracta ex modo significandi non supponunt pro supposito, neque proprie significant conjunctionem naturarum in eodem supposito. Unde nec possunt humanitas et ejus proprietates in abstracto sumptæ vere prædicari de Deo ; v. gr. non potest dici : *Christus aut Deus est humanitas ; Christus aut Deus est caput, est manus, est anima ;* vel *est anima et caro.* Dum dicitur : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), per synecdochem sumitur pars pro toto. Hæ etiam propositiones in sensu conjuncto admittuntur : *Duæ naturæ in Christo sunt Deus et homo. — Verbum, caro et anima sunt unus Christus. — Utraque substantia, divina scilicet et humana, sunt unicus Dei Filius. — Christus est divinitas et humanitas simul sumptæ.*

SECT. III, IV. — *Quomodo divina attributa de homine Christo, et contra quomodo humanæ proprietates de Deo Christo prædicentur in concreto.*

Dico 1 : Deus et ejus attributa simpliciter prædicantur de Christo et homine prædicatione absoluta, substantiali, vera ac propria, v. gr. : *Hic homo Christus Deus est omnipotens, est æternus*, etc. De fide. Unde quidquid essentialiter dicitur de Deo,

et quidquid essentialiter vel personaliter de Verbo, absolute prædicatur vere de hoc homine Christo. Patet ex præcedenti sectione.

Dico 2 : Divinitas et ejus attributa non possunt prædicari de Christo seu homine denominative seu denominatione proprie accidentali, v. gr. non dicitur denominative : *Christus est homo deifer, deificatus*, etc. Dicitur autem : *Sanctificatus a Patre* essentialiter per generationem æternam, non denominative ; etiamsi in alio sensu Christus ut homo, dicatur sanctificatus vel per unionem, vel per gratiam accidentalem, sive habitualem.

Dico 3 : Licet divina attributa absolute dicantur de Christo homine, non tamen cum reduplicatione humanitatis. Unde hæ propositiones non sunt veræ : *Christus, quatenus homo, est Deus, est æternus, immensus*, etc.

Dico 4. Homo et quidquid essentialiter dicitur de homine, potest absoluta et substantiali prædicatione dici vere ac proprie de Deo et Filio Dei ; idemque est de omnibus prædicatis quæ simplicer dici possunt de hoc homine Christo ratione naturæ humanæ ; v. gr. : *Deus seu Verbum est homo. — Deus redemit Ecclesiam sanguine suo. — Dominus gloriæ crucifixus fuit. — Deus in cœlum ascendit.* Hinc dicitur Christus mortalis et immortalis secundum diversas naturas. Unde licet hæc prædicta absolute dicantur de Deo, non tamen cum reduplicatione Divinitatis, non enim potest dici : *Deus, quatenus Deus, est homo.* Cæterum quædam tribuuntur Christo quatenus Deus est et homo simul, v. gr., mereri, satisfacere, esse mediatorem et redemptorem.

Dico 5 : Prædicata concreta ab humanitate desumpta, non solum absolute dicuntur de Deo, sed etiam denominative ; v. gr. non solum dicitur Deus est homo, sed etiam dicitur Deus est humanatus, incarnatus, etc.

Dico 6 : Quædam sunt prædicata, quæ ita conveniunt homini, ut requirant suppositum creatum, et hæc nec Christo, nec Verbo, nec Deo possunt vere attribui ; v. gr. non potest dici : *Christus est purus homo, est peccabilis, est filius adoptivus*, etc. Denique prædicata quæ simpliciter dicuntur de Christo, ordinarie possunt etiam dici de Verbo, quia subjectum istud stat materialiter pro supposito ; interdum tamen ratione prædicati determinatur, ut stet pro toto composito ut sic ; et tunc prædicatum non communicatur Verbo, quia suppositio et appellatio terminorum variatur, v. gr. Christus potest dici persona composita, nempe ex duabus naturis, non autem Verbum.

DISPUTATIO TRICESIMA SEXTA.

De *Esse* exsistentiæ Christi, ejusque humanitatis.

SECT. I. — *An humanitas Christi formaliter et intrinsece exsistat in rerum natura per exsistentiam increatam ; an vero per creatam et propriam.*

Nota : Exsistentia est id quo unaquæque res formaliter habet ut sit actualis entitas in rerum natura, et extra nihil : v. gr., anima vel humanitas Christi priusquam crearetur, actu nihil erat, sed solum in potentia ; cum primum ergo exit ex illa potentia in actum, et desinit esse nihil, tunc intelligitur actu exsistens, et illius exsistentia est illa actualitas qua intrinsece et formaliter constituitur extra nihil. Hinc fieri non potest ut aliquid sit ens in actu, sive ut concipiatur tanquam actualis entitas, quin in suo conceptu formaliter et intrinsece includat exsistentiam, ita ut nec per præcisivam intellectus abstractionem possit unum ab altero separari manente utriusque vero conceptu : v. gr. non potest concipi Christus constitutus homo, quin in illo conceptu includatur humanitas, quæ est forma constituens hominem, sicut non potest concipi album, quin concipiatur albedo. Hinc

Dico 1 : Impossibile est humanitatem Christi exsistere in rerum natura per increatam Dei seu divini Verbi exsistentiam, adeoque oportet ut per propriam et creatam exsistat. Albertus, Scotus, Durandus, Gabriel, Bonaventura, etc., communiusque theologi, contra Cajetanum, Capreolum, Ferrarium, etc., dicentes eam ita terminari per exsistentiam Verbi, ut per illam formaliter exsistat : quia supponunt exsistentiam realiter distingui ab essentia, ideoque posse humanitatis essentiam conservari sine propria exsistentia. Sed probatur : 1° quia humanitas Christi ut condistincta a Verbo, intelligitur esse quædam actualis entitas, quam ipsa secum affert, et illam a Verbo formaliter non recipit ; ergo intelligitur exsistens per propriam exsistentiam ac creatam, omnino a Verbi exsistentia distinctam : idem est enim esse entitatem exsistentem quod entitatem actualem ; conciliaque ac Patres dicunt hoc mysterium factum esse per compositionem unius personæ ex duabus naturis realibus et actualibus. 2° Humanitas, ut actualis entitas, ordine naturæ præsupponitur assumptioni sive unioni : cum enim actio unitiva, seu mutatio non recipiatur in supposito Verbi tanquam in subjecto, sicut albedo in pariete, sed in ipsa humanitate, oportet ut ipsa humanitas præsupponatur unioni tanquam ejus subjectum ; non potest autem præsupponi tanquam subjectum, nisi præsupponatur in ratione entis jam producti, et exsistentis per propriam exsistentiam. 3° Creatio animæ Christi et ejus unio cum Verbo, sunt actiones distinctæ, quarum prima secundæ præsupponitur ; sed per creationem anima recipit aliquod esse ; ergo exsistentiam creatam. 4° In Christo sunt duæ naturæ habentes distinctas entitates actuales, creatam et increatam ; ergo constituuntur in suis entitatibus per exsistentias distinctas, creatam et increatam. 5° Si humanitas Christi exsisteret per exsistentiam increatam, sequeretur unionem factam esse in aliquo absoluto et essentiali, non relativo ; quia *esse* exsistentiæ increatæ est *esse* absolutum et essentiale, adeoque unio esset facta in natura, quod falsum est. Attamen

Dico 2 : Creata humanitatis Christi exsistentia non est omnino perfecta et completa in genere sub-

stantiæ per se et in se exsistentis, independenter ab alio ; exsistit enim in Verbo a quo pendet. Unde caret ultimo termino, et complemento suo ; ideoque habet potius rationem inexsistentiæ quam exsistentiæ simpliciter.

Objicies 1 : Sophronius in sexta synodo (act. 11) loquens de Christi humanitate, ait : « In ipso (id est Verbo) et non in se, habuit exsistentiam unam cum Verbo. » Respondeo in textu non haberi ista duo verba, *cum Verbo*, quibus sublatis, reliqua verba confirmant potius nostram sententiam.

Obj. 2 : Damascenus (lib. III, cap. 22) dicit humanitatem Christi exsistere per exsistentiam Verbi. Respondeo falso illum citari ; nihil omnino in toto libro quidpiam simile habet.

Obj. 3 : Leo Papa (epist. 11) dicit humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam ; et Fulgentius habet etiam aliquid simile. Respondeo utrumque nil aliud velle quam Christi humanitatem seu animam eodem instanti fuisse creatam et assumptam.

Obj. 4 : Esse exsistentiæ in creaturis distinguitur ex natura rei ab essentia ; ergo potuit Deus separare essentiam ab exsistentia, et illam per suam exsistentiam increatam supplere. Respondeo : Essentia creaturæ prout abstrahit ab actuali exsistentia, tantum significat rem possibilem, sive entitatem non in actu, sed in potentia tantum objectiva ; sicque distinguitur ab actuali exsistentia seu entitate, sicut res in potentia a re in actu. Essentia vero creaturæ, ut jam facta, vel est formaliter ipsamet actualis exsistentia, vel ita illam includit, ut nulla ratione possit ab illa præscindi, vel separari, adeoque non potest essentia creata assumi sine propria exsistentia, quia non assumitur ens in potentia, sed ens in actu.

Obj. 5 : Humanitas Christi est sine propria subsistentia, ergo et sine propria exsistentia. Respondeo : Nego consequens. Subsistentia distinguitur realiter a substantiali naturæ creatæ exsistentia, idcirco potest assumi natura sine propria ejus subsistentia ; sed non potest assumi sine propria ejus exsistentia incompleta, quæ exsistentia incompleta est ipsa humanitatis sine propria subsistentia entitas actualis. Completa exsistentia requirit suppositum vel personam.

Obj. 6 : Si humanitas habeat propriam exsistentiam, ejus unio ad Verbum erit accidentalis. Respondeo : Nego antecedens. Unio enim naturæ cum supposito est substantialis ; et hæc est talis, ut tradunt concilia, quæ nunquam dixerunt hanc unionem esse essentiæ cum exsistentia, sed naturæ realis cum supposito increato, et hæc unio necessario prærequirit creatam ipsius naturæ exsistentiam.

Obj. 7 : Ergo Christus per generationem habuit a matre sua exsistentiam suæ humanitatis, adeoque erit mater humanitatis, et non Dei. Respondeo : Nego secundum consequens. Licet enim Christus habuerit a matre exsistentiam humanitatis, illiusque generationis terminus formalis sit humanitas cum sua exsistentia, ultimus tamen terminus, qui generatur, non est humanitas, sed est hic homo, qui est Deus.

SECT. II. — *An Christus simpliciter dicendus sit habere unum, an vero plura* esse.

Nota : Sicut natura divina et humana in Christo sunt res distinctæ, ita etiam habent exsistentias distinctas, prout hæ ad naturas spectant ; sed quia istæ duæ naturæ distinctæ substantialiter uniuntur in uno supposito, quæritur an Christus dicendus sit habere plura *esse* propter naturas, an vero habere unum propter suppositum.

Dico : Simpliciter dicendum est *esse* in Christo unum tantum *esse* substantiale, completum et perfectum : Christus enim simpliciter est unum ens. Ergo habet unum *esse*, quia omnis substantialis unio sicut terminatur ad unam substantiam, ita et terminatur ad unum ens per se, ergo et ad unum *esse* simpliciter. Attamen hoc *esse* Christi, quatenus Deus et homo est, non est unum per omnimodam simplicitatem, sed per admirabilem compositionem, et substantialem unionem naturæ humanæ cum persona Verbi ; et naturalis exsistentiæ humanitatis cum personali exsistentia seu subsistentia Verbi. Quia duæ naturæ non uniuntur in unam naturam, sed in unam tantum personam, et sic in ratione naturarum manent semper duæ et distinctæ, sicuti anima et corpus in homine. Idem dic de voluntatibus et operationibus utriusque naturæ, sed natura et persona simpliciter uniuntur in uno *esse* composito. Hinc colligitur D. Thomam non esse isti nostræ sententiæ contrarium, ut volunt quidam Thomistæ, quia nunquam ipse docuit humanitatem Christi exsistere per increatam Verbi exsistentiam, sed solum esse in Christo unum *esse* personale, quod juxta positam doctrinam optime potest intelligi.

DISPUTATIO TRICESIMA SEPTIMA.

De humana Christi voluntate ejusque libertate.

SECT. I, II. — *An in Christo fuerit voluntas humana, et libera ad operandum.*

Dico 1 : In Christo fuit humana seu creata voluntas. De fide, contra Monothelitas, et alios antiquos hæreticos. Definitum est in sexta synodo (act. 4, 8, 11, etc.), atque in aliis conciliis, patetque ex Scriptura, in qua Christus suam voluntatem a Patris voluntate distinguit : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI, 39). *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII, 42). *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* V, 30). Ratio est, quia voluntas sequitur naturam, non personam, et voluntas est naturalis proprietas necessario humanam naturam consequens ; omnia autem naturalia in Christo fuerunt perfecte. Deinde sine voluntate creata Christus non potuisset mereri et satisfacere. Unde nec solum fuit hæc voluntas quoad ipsam facultatem seu actum primum, sed etiam fuit expedita ad operandum et ad eliciendos proprios actus secundos, distinctos ab increatæ divinæ voluntatis actu.

Dico 2 : Humana Christi voluntas fuit proprie ac perfecte libera in actibus suis. De fide. *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.* VII, 15). Electio est actus facultatis liberæ. *Oblatus est quia ipse voluit* (*Isa.* LIII, 7). *Ego pono animam meam ; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso* (*Joan.* X, 17, 18). Idem habetur ex conciliis et Patribus. Ratio est, quia libertas est magna homini connaturalis perfectio, maxime necessaria ad meritum et satisfactionem.

Dico 3 : Hæc humanæ voluntatis Christi libertas non tantum opposita est coactioni, sed etiam necessitati ; adeoque includit indifferentiam, sive potestatem operandi et non operandi, nempe in aliquibus actibus, non in omnibus ; nam Christus quatenus beatus, necessario fruebatur Deo, et necessario illum clare visum amabat, nec ad hos actus habebat libertatem, assertio habetur ex Scriptura, conciliis et Patribus. Hac libertate usus, noluit Christus se defendere, sed permisit se capi, ligari, crucifigi : *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (*Hebr.* XII, 2). *Potestatem habeo ponendi animam* (*Joan.* X, 18), nempe animam meam. Deinde indifferentia est de essentia liberi arbitrii ; hinc damnata est hæc propositio Baii : « Quod voluntarie fit, libere fit, quamvis necessario fiat. »

Sect. III. — *Quomodo voluntas Christi ratione unionis exsistens impeccabilis, potuerit esse libera.*

Nota : Quæritur quomodo Christi voluntas sit libera, cum ex vi unionis sit determinata ad unum, nempe ad bonum, utpote impeccabilis. Respondet D. Thomas fuisse determinatam ad bonum in genere, non vero ad hoc vel istud bonum in specie. Sed contra videtur fuisse etiam determinata ad bonum in specie ex accepto præcepto moriendi pro hominibus : nam hoc præceptum non potuit transgredi ob suam impeccabilitatem, siquidem transgrediendo peccasset ; ergo necessario illud observavit, et sic non est mortuus libere, et tamen ad meritum, præcipue mortis Christi, requiritur libertas. Varii varie ad hanc difficultatem respondent. 1° Quidam dicunt in sensu composito, sive supposito præcepto voluntatem Christi non potuisse illud non servare, sed ablato præcepto fuisse simpliciter liberam. 2° Alii dicunt præceptum istud dependisse ab humana Christi voluntate, sponte id a Patre postulantis, et Christum potuisse petere et obtinere illius dispensationem. 3° Alii asserunt hoc præceptum affirmativum fuisse impositum generaliter, non specificando circumstantias temporis, loci, intensionis, motivi ; atque per hoc præceptum voluntatem Christi non fuisse necessario determinatam ad istas circumstantias, quæ redundant in substantiam actus, nec ad hunc numero actum, et ita mansisse simpliciter liberam, et indifferentem. Sed omissis hisce opinionibus, quæ non solvunt difficultatem,

Dico : Quamvis post impositum præceptum voluntas Christi infallibiliter illud exsequatur, nec possit suppositionem talis præcepti simul poni cum omissione actus præcepti, nego tamen inde sequi voluntatem Christi necessario efficere istum actum ex eo quod sit impeccabilis : quia istud præceptum antecedens non prædeterminat efficaciter et physice voluntatem ad istum actum, et nihil ponit quod illi possit necessitatem inferre, sicut prædefinitio antecedens non infert humanæ voluntati necessitatem. Quod autem infallibiliter et libere impositum istud præceptum voluntas Christi exsequatur, provenit ex eo quod Deus præscivit eam libere consensuram divinæ motioni specialissimæ qua excitanda erat ex singulari cura ac regimine, quod divina persona assumpsit, quando illam sibi secundum hypostasim univit. Hinc tamen non sequitur mansisse in Christo potentiam physicam ad transgrediendum illud præceptum, ac proinde ad peccandum, quia licet ejus voluntas esset libera, tamen ob unionem hypostaticam ita protegebatur et regebatur a Deo, ut isto regimine ac protectione carere non posset, et ob istud regimen et protectionem, ratione unionis illi debitam, impossibile erat ut actus præcepto contrarius aut ejus omissio, stante isto regimine ac protectione, poneretur ; adeoque deerat potentia ad peccandum, et simul remanebat intrinseca libertas. Unde ulterius sequitur Christum non ex vi intrinseci ac proprii operandi modi suæ humanæ voluntatis, sed ex conditione personæ, et ex modo quo ejus voluntas regitur, esse impeccabilem ; et quia Christus simpliciter dictus, includit istam personam et regimen, ideo simpliciter dicendus est impeccabilis. Itaque verum est dicere Christum libere illum actum, quo præceptum implebat, fecisse : quia ita illum faciebat, ut per propriam suæ voluntatis facultatem, quæ intrinsece impedita non erat, posset eum non facere ; sed simpliciter falsum est dicere Christum potuisse peccare aut non implere præceptum, quia tunc includitur sensus compositus, et indicatur Christi voluntatem potuisse carere illo regimine et custodia, cum qua non potuit componi peccatum. Denique voluntas Christi præcise secundum se spectata est capax peccati, seu est potentia peccandi : sed non est quatenus est Christi, quia tunc in sensu composito illa conjungitur cum persona divina, a qua ita gubernatur, ut cum isto providentiæ genere non possit simul esse peccatum.

Sect. IV. — *Quomodo voluntas Christi necessario amans Deum, potuerit esse libera in reliquis actibus.*

Dico : Cum Christus esset simul viator et comprehensor, duplicemque haberet scientiam supernaturalem, infusam ut viator, beatam ut comprehensor, potuit ergo etiam duplicem habere Dei amorem, nempe liberum ex scientia infusa, necessarium ex scientia beata seu clara Dei visione : nec hic necessarius Dei amor quatenus talis se extendebat ad alios actus sive amoris sive obedientiæ, sive aliarum virtutum, quas Christus ut viator libere eliciebat ; nec ullum proprium charitatis præceptum ha-

fuit Christus ad amandum Deum, utpote illo præcepto non indigens. Et quamvis Christus clare videret voluntatem Dei prædefinientem omnes actus suos, non ideo tamen videbat se teneri ex præcepto ad eos faciendos; quin potius videbat eadem voluntate prædefinitum esse ut quasdam faceret ex obligatione, quasdam quasi ex consilio; neque in amore beatifico est aliquid quod ad hujusmodi actus eliciendos inferat necessitatem.

SECT. V. — *Quomodo Christus videns semper in Verbo omnes actus suos, eos libere exercere potuerit.*

Dico : Scientia visionis animæ Christi prout terminatur ad actus ab ejus voluntate efficiendos, supponit illos futuros et libere quidem futuros; non enim intelligitur ista scientia visionis libertatem aut ejus usum antecedere, sed supponit liberam animæ determinationem, vel ut actu exsistentem, vel ut futuram, quia sola visio præsupponit voluntatem Christi sese determinaturam libere ad tales actus, et ideo illos intuetur. Unde illa scientia non potest tollere actuum libertatem, quia ut ipsa esse possit, illam supponit in objecto; nam illi actus ideo videntur, quia futuri sunt, et sic ut futuri, nempe libere, antecedunt visionem, adeoque non possunt habere ab illa necessitatem. Hinc ista scientia, ut est quædam intuitio futurorum, nihil omnino influit in voluntatem; multo minus illam determinat, aut ejus operandi modum.

DISPUTATIO TRICESIMA OCTAVA.

De varietate et efficacia actuum voluntatis Christi.

SECT. I, II, III. — *An in Christi humana voluntate fuerint omnes actus honesti, qui solent esse in aliorum hominum voluntatibus.*

Dico 1 : Fere omnia genera actuum rectæ rationi consentaneorum, qui solent esse in aliis hominibus, fuerunt in Christi voluntate : nam fuerunt omnium virtutum beatitudini non repugnantium actus : nempe actus liberi et necessarii; actus naturales et supernaturales; actus simplicis voluntatis, intentionis, electionis, consensus, fruitionis; perfecti affectus in voluntate similes affectibus appetitus sensitivi, v. gr. amor Dei et proximi, odium peccati, spes gloriæ sui corporis et exaltationis sui nominis, desiderium gloriæ, ira seu justa voluntas malum vindicandi, gaudium, etc.

Dico 2 : Christi voluntas non tantum elicuit actus efficaces, quibus absolute aliquid reipsa voluit, v. gr. mortem subire, opera virtutum exercere, etc., sed etiam inefficaces quibus conditionate desiderium tantum aut simplicem affectum ostendit, v. gr. : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). Potuitque hos elicere vel ut natura est, id est ex inclinatione naturali, quam habebat ad proprium suæ naturæ rectæ commodum; vel ut ratio est, sive superior sive inferior, id est, ad alios fines et circa alias res quæ ad proprium suæ naturæ commodum non pertinebant, v. gr. desiderando omnium salutem, licet sciret non omnes salvandos, vitationem mortis, ut Judæi non perirent, etc.

Dico 3 : Non tantum in superiori Christi voluntatis rationalis parte fuit actus timoris : *Replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 3); sed etiam in inferiori ejus parte fuit naturalis timor et sensibilis : *Cœpit pavere et tædere* (*Marc.* XIV, 33). Quia idem objectum quod potest excitare timorem in appetitu sensitivo, potest etiam eum excitare in voluntate. Christus ergo permisit suam voluntatem modo naturali operari. Item in inferiori ejusdem voluntatis parte verus tristitiæ actus exstitit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Hic enim affectus est naturalis et innoxius, habuitque in Christo sufficientes causas ex parte objecti apprehensi; et ex natura rei connexus est cum tristitiæ sensu, nisi impediatur. Imo etiam in superiori voluntatis ejus parte actus tristitiæ habuit locum, ut tenet Scotus, Bonaventura; et quia Christus ut homo tristitiam ob hominum peccata (quæ partialis juxta quosdam causa sudoris sanguinei in horto fuit), et ob perditionem Judæ ac Judæorum habuit. Hæc autem tristitia pertinebat ad superiorem voluntatis rationem; utpote fundata potissimum in Dei offensione, adeoque opus insignis charitatis. Jam vero quomodo in eadem voluntate, et in eadem ejus superiori parte potuerit esse simul tanta tristitia cum perfecto beatitudinis gaudio, cum gaudium et tristitia sint actus contrarii, respondetur istud gaudium et tristitiam in Christo non fuisse actus vere contrarios, quia non versabantur circa unum et idem objectum, sed circum diversa. Gaudebat enim de divina bonitate et de sua beatitudine, tristabatur autem de peccatis hominum et de sua morte, et licet per beatam visionem videret in Verbo suam mortem, non tamen necessario de illa gaudebat; sed poterat de illa tristari libere, quia non est necesse ut beatus, qui necessario gaudet et fruitur Deo, necessario etiam gaudeat de omnibus quæ in Deo videt, illa enim non repræsentantur ut summum bonum, sicuti ipse Deus. Sed quia perfectissimum et intentissimum gaudium circa unum objectum non compatitur secum ullam tristitiam, etiam circa aliud objectum, ideo hæc in Christo tristitia fuit miraculosa, ex speciali divina dispensatione causata ob nostram redemptionem.

SECT. IV, V. — *An humana Christi voluntas semper fuerit conformis divinæ, et impleta.*

Dico 1 : Efficax Christi humanæ voluntatis actus semper fuit omni modo conformis divinæ voluntati, nempe in objecto formali et materiali, quia Christus semper voluit efficaciter quidquid Deus voluit ipsum velle, et prout Deus voluit. Si enim Christi anima aliud efficaciter vellet quam Deus vellet ipsum velle, esset propria inter illas voluntates contrarietas, quæ in Christo non habet locum; siquidem hæc conformitas cum divina voluntate fuit Christo ob unionem hypostaticam connaturalis. De potentia autem Dei absoluta si humanitas caruisset

scientia beata et infusa, tunc Christus per humanam voluntatem potuisset actu efficaci ex parte sua velle aliquod bonum, v. gr. orare, quamvis fortasse absolute definitum foret a Deo ut non fieret: quia supposita istius scientiæ carentia, ille modus operandi esset bonus et honestus, ut in angelis contingit.

Dico 2: Humana Christi voluntas interdum voluit per actum inefficacem, quod absolute Deus nolebat; hujusmodi tamen actus semper erat conformis divinæ voluntati, tanquam principio et regulæ. Adeoque nunquam fuerunt voluntates simpliciter contrariæ, quia licet essent diversæ in objecto materiali, in formali tamen concordabant: illi enim actus inefficaces erant in suo genere honesti et boni, unde divina voluntas volebat ut humana illos efficeret, et ad obsequendum divinæ, eos pariter efficiebat; et sic non erat vera contrarietas inter illas voluntates.

Dico 3: Quidquid Christus sua voluntate humana absolute et efficaciter voluit, effectum est. Adeoque ista Christi voluntas semper fuit impleta, non ut divina per suam absolutam omnipotentiam, sed per singularem ejus participationem. Quidquid autem voluit per voluntatem inefficacem, seu per simplex desiderium, non semper habuit effectum, nec semper fuit impletum, ut patet ex Matth. xxvi, 39: *Transeat a me calix iste.* Quia tunc tantum aliquid conditionate volebat, quod absolute nolebat fieri, sed potius contrarium. Id quod dicitur in sexta synodo (act. 4) intelligitur de voluntate aliquo modo efficaci; nempe quantum Christus poterat ex humanitatis potestate et juribus naturalibus præstare.

DISPUTATIO TRICESIMA NONA.

De merito Christi secundum se et absolute spectato.

Sect. I. — *An in Christo fuerint omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ.*

Dico: Omnes conditiones ad perfectum meritum de condigno in Christo repertæ sunt, adeoque potuit mereri, ac de facto meruit: quia 1° ejus actus fuerunt perfectissime honesti. 2° Ejus opera fuerunt libere facta. 3° Ejus opera fuerunt proportionata præmio, eique æqualem aliquo modo ac condignum valorem habuerunt. 4° Fuerunt facta a persona Deo gratissima tam secundum se, quam ut subsistente in humanitate gratissima, inquam, ob gratiam unionis, et ob gratiam habitualem ab illa manantem. Quamvis autem hæc gratia habitualis non fuerit in Christo absolute necessaria ad merendum, tamen ad eliciendos actus supernaturales modo connaturali juxta legem ordinariam fuit necessaria; non tamen necessaria ad condignum meriti valorem, ad quem sola personalis dignitas sufficiebat, gratia unionis radicaliter et principaliter ordinante et elevante operantem ad finem supernaturalem. Attamen per istam gratiam habitualem acceperunt opera Christi quoddam meriti quasi extensivum, non intensivum, augmentum, id est pluribus modis et rationibus fuerunt condigna et proportionata ad meritum. 5° Christus etiamsi comprehensor, erat simul viator, id est, in statu merendi. 6° Ejus opera ex se seu moraliter spectata prout ab operante fiebant, habebant sufficientem proportionem et condignum valorem respectu præmii ad quod ordinabantur, ut servaretur æqualitas quam justitia postulat; et præterea interveniebat divina cujusmodi præmii promissio sub conditione istorum operum præstandorum, sive Dei pactum. Quinimo Christus non tantum potuit mereri et meruit, sed etiam supposito statu et modo operandi quem habuit, de potentia ordinaria non potuit non mereri; libera enim ejus operatio non potuit non esse honesta et proportionata ad merendum ob personæ dignitatem; et de lege ordinaria datur Dei pactum ac promissio; ergo, etc.

Sect. II. — *Per quos actus Christus meruerit.*

Dico 1: Christus non meruit per actum amoris Dei beatificum ut sic, prout vult Gabriel, Scotus, etc.; sed habuit alium amoris Dei actum liberum, supernaturalem, a charitate elicitum et distinctum ab amore beatifico, istoque actu perfectissime meruit. Cum enim Christus esset simul comprehensor et viator, ut comprehensor habebat actum necessarium amoris erga Deum a charitate elicitum ob scientiam beatam; et ut viator habebat actum liberum amoris erga Deum ab eadem charitate elicitum ob scientiam infusam. Isti duo actus vel differebant specie ob idem objectum diverso modo, nempe clare et obscure propositum, vel tantum numero ob diversam istius objecti applicationem.

Dico 2: Christus non tantum per actum charitatis erga proximum ex scientia infusa, sed etiam ex visione beata profluentem meruit: cum enim anima Christi in Verbo omnia videret, videbat etiam proximum et omnes rationes illum amandi; ergo vi illius cognitionis poterat illum amare ex charitate. Quomodo autem hic actus foret liber, ut meritorius esse posset, varii varie explicant. 1° Quidam dicunt istum amorem proximi fuisse eumdem actum cum beatifico amore Dei, et fuisse liberum ac meritorium prout terminabatur ad proximum; necessarium autem et non meritorium prout terminabatur ad Deum. Sed non videtur unum et eumdem actum indivisibilem posse esse simul necessarium et liberum, etiamsi respectu diversi objecti. 2° Alii censent animam Christi ex vi visionis beatæ qua videbat Verbum, et proximum in Verbo, habuisse duplicem actum, unum quo Deum necessario diligebat, alterum quo proximum libere amabat, et per hunc ex visione beata consequentem meruisse: ita Scotus et Medina. 3° Denique alii dicunt animam Christi ex vi visionis Verbi, et proximi in Verbo, dupliciter posse diligere proximum: 1. Per eumdem actum indivisibilem et necessarium quo diligit Deum tanquam objectum primarium, et proximum tanquam objectum secundarium. 2. Per alium actum liberum et meritorium ex alio consequentem qui habeat pro suo objecto adæquato solum proximum,

etiamsi Deus sit ratio ob quam sic amat proximum.

Dico 3 : Christus non tantum per omnes virtutum infusarum actus, v. gr. obedientiæ, religionis, etc., meruit, sed etiam per omnes liberos suæ voluntatis actus, etiamsi essent naturalis ordinis, v. gr. amor naturalis Dei ; uti et per aliarum virtutum moralium acquisitarum actus, quia omnes illi actus erant honesti, et referebantur a Christo ad finem supernaturalem : et quamvis non referrentur, sola dignitas personæ illos deificantis sufficiebat ut haberent omnem valorem et proportionem ad meritum. Et licet isti actus essent ordinis naturalis, tamen merebantur præmium supernaturale, quia per dignitatem personæ ad illud elevabantur, sicuti nostra opera bona moralia, licet naturalia, per gratiam ad supernaturale gloriæ præmium elevantur et dignificantur. Hinc colligitur donum gratiæ habitualis non fuisse in Christo necessarium ad merendum de condigno, sed solam unionis gratiam suffecisse.

Sect. III. — *Quo tempore Christus meruerit.*

Dico 1 : Christus intrinsece incepit mereri a primo instanti incarnationis suæ, ita ut in illo instanti habuerit perfectum meritum. (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, etc.) Juxta id quod Paulus dicit de Christo mundum ingrediente : *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem adaptasti,* etc. *In capite libri de me scriptum est : Ut facerem, Deus, voluntatem tuam* (*Hebr.* x, 5, 6, 7 ; *Psal.* xxxix, 7, 8, 9). Quia sicut in primo instanti, habuit actum visionis beatæ, ita potuit habere actum scientiæ infusæ : in hujus enim usu non pendebat a phantasmatibus, nec a corpore. Potuit ergo in eodem instanti liberum voluntatis actum elicere circa objecta per istam scientiam repræsentata.

Dico 2 : Christus continue et sine ulla intermissione meruit a primo instanti suæ conceptionis usque ad ultimum mortis instans. (Bonaventura, Cajetanus, etc.) Nunquam enim virtutes ejus fuerunt otiosæ, quamvis non semper in eodem actu libero perseveraret ; sed semper transibat ab uno actu ad alium actum, nunquam autem ab actu ad non actum.

Dico 3 : Christus ab instanti mortis suæ nihil amplius postea meruit (D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Richardus, etc.); quia non fuit amplius viator, nam juxta generalem legem a Deo statutam, quæ etiam Christum, ut sentiunt Patres, comprehendit, tempus merendi cum vita finitur, ut colligitur ex parabola de quinque talentis, et de villico iniquitatis : *Ante obitum operare justitiam* (*Eccli.* xiv, 17). *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox* (id est mors), *quando nemo potest operari* (*Joan.* ix, 4). Quia quodlibet Christi opus licet foret per se sufficiens ad omne præmium obtinendum, tamen ex divino pacto et ordinatione tota vita Christi ordinata erat ad integrum jus perfecti præmii obtinendum, quasi per modum unius meriti in ejus morte consummandi ; adeoque Christus in sua morte obtinuit plenum jus ad omnia præmia, et nihil restabat amplius ad merendum. Hinc usque ad mortem et per mortem suam nos redemit, jam autem non nos redimit, sed applicat nobis suam redemptionem ; et dum nunc orat, non meritum auget, sed exigit quod aliunde titulo justitiæ sibi jam est debitum per merita præcedentia. Nec per vulnus lanceæ corpori inflictum post mortem aliquid novi promeruit, corpus enim exanime erat meriti incapax, nec erat in statu merendi anima separata ; potest tamen intelligi Christum ante mortem illud prævidisse, et libere acceptasse, sanguinemque qui ex illo exivit, obtulisse in nostræ redemptionis pretium, et sic virtutem sacramentorum in isto merito fundari, vel potius per istud vulnus sacramenta adumbrari. Denique Christus desiit mereri in ultimo vitæ termino extrinseco, eodemque instanti quo vita terminatum est meritum.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De iis quæ sibi Christus promeruerit.

Sect. I, II. *An Christus potuerit mereri, ac de facto meruerit animæ suæ gloriam, aliaque gratiæ et scientiæ dona.*

Dico 1 : Christus beatus exsistens a primo suæ incarnationis instanti, potuit per aliquem actum prius natura elicitum meruisse gratiam et gloriam in eodem instanti sibi infundendam, quia non est necesse ut meritum tempore, sed sufficit ut natura antecedat præmium, ut patet in justorum merito tantum prius natura antecedente præmium, id est augmentum gratiæ. Potuit ergo Deus in instanti creationis animæ Christi statim elevare ejus intellectum ad ipsum abstractive cognoscendum per scientiam infusam, et eodem momento præbere auxilium voluntati, ut per actum liberum se disponeret ad gratiæ aliorumque donorum receptionem ad eum modum quo nunc elevat hominis voluntatem in instanti justificationis, ut se disponat ad gratiam. Unde sicut in justificatione dispositio nostra natura antecedit gratiæ infusionem, ita potuit fieri in prima animæ Christi sanctificatione per gratiam habitualem ; vel etiam potuit Deus ob prævisa Christi futura bona opera dare ejus animæ prædictam gratiam et beatitudinem. Attamen

Dico 2 : Juxta communiorem theologorum sententiam Christus ista animæ suæ dona non meruit. (D. Thomas, Magister, Bonaventura, Richardus, Scotus, etc., contra Altissiodorum, Albertum Magnum, etc.) Probatur 1° de gratia creata, aliisque habitibus infusis, quia nec illam, nec hos meruit per opera tempore vel natura subsequentia, id est ab his dependentia : meritum enim debet ex se antecedere præmium, saltem ordine naturæ, cum sit illius causa, et ad illud via ; deinde principium meriti, sive gratia habitualis Christi, non cadit sub meritum istius operis cujus ipsa est principium. Deinde Christus habuit ista dona supernaturalia tanquam proprietates sibi connaturales, ac tanquam

sua absolute independenter ab operibus tempore vel natura subsequentibus; nec etiam illa meruit per actus supernaturales ordine naturæ vel tempore subsequentes, quia actus supernaturalis qui est tempore vel natura prior suo habitu, non elicitur ab illo, alioqui causa efficiens esset effectum sui effectus in genere causæ materialis. Anima autem Christi nunquam exercuit actus supernaturales, etiam in primo instanti, nisi ex habitu, semper enim operabatur perfecto et connaturali modo. Unde ad eliciendum primum scientiæ infusæ actum, intelligitur prius illi inditum esse lumen seu habitum ac species, et ad primum charitatis actum exercendum intelligitur prius etiam infusum esse habitum a quo eliciebatur. Ergo Christus non obtinuit hos habitus per meritum eos antecedens; nec gratiam habitualem, quæ præsupponitur ordine naturæ istis habitibus infusis tanquam forma principalis suis potentiis. Probatur 2° de beatitudine animæ, quia constat Christum non meruisse illam per naturales aut supernaturales actus, visionem beatam subsequentes, neque etiam per actus illam antecedentes : nam primus actus intellectus Christi fuit ipsa visio beata, et lumen gloriæ est quasi prima proprietas consequens consummatam gratiam, quam cum non meruerit, nec ipsum etiam lumen meruit.

Dico 3 : Actus Christi prout erant ab humana illius voluntate, non cadebant sub ejus meritum; quia nemo meretur id quod suum est quatenus suum est; jam vero isti actus ita erant proprii Christo, ut vere ipsorum esset dominus; ergo, etc. Neque quoad valorem infinitum quem ex conjunctione cum Verbo habebant, cadebant proxime sub ejus meritum, sed tantum remote et in radice, si ipsa unio cadat sub Christi meritum. Attamen meruit sibi Christus omnes actus supernaturales, quos post primum meritorium elicuit, quatenus sunt dona Dei, sive quatenus Deus ad illos eliciendos præbuit concursum supernaturalem, adeoque meruit omnes gratias actuales sive excitantes, sive adjuvantes, omnesque supernaturalis providentiæ effectus et beneficia suæ humanitati collata, quia respectu harum gratiarum fuerunt in Christo omnes conditiones ad meritum requisitæ. Imo et meruit tam sibi quam aliis, quidquid sine dispensatione mereri potuit; non meruit autem impeccabilitatem animæ suæ, quia ante omne meritum fuit impeccabilis uti et sanctus per gratiam unionis; neque etiam sibi meruit habitus scientiarum et virtutum moralium acquisitarum, quia illos habuit per accidens infusos a principio simul cum gratia, et in eodem instanti.

Sect. III. — *An Christus meruerit gloriam corporis sui nominisque sui exaltationem.*

Dico 1 : Christus meruit sui corporis gloriam. Ita omnes Thomistæ, contra Calvinum, qui negat cum temeritate Christum sibi aliquid meruisse. Probatur : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (*Luc.* xxiv, 26.) *Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* ii, 9). *Vidimus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum* (*Hebr.* ii, 9) : nomen *coronæ* satis indicat victoriam et præmium. Neque huic merito obstat, quod aliis titulis hæc gloria foret humanitati Christi debita, quia potuit illis adjungi ratio meriti tanquam quid perfectius. Hinc sequitur : 1° quod Christus meruerit animæ suæ impassibilitatem ab instanti non resurrectionis, sed mortis, statim consecutam. 2° Quod meruerit suam resurrectionem, et omnes gloriosi corporis dotes, aliaque omnia ad corporis sui gloriam spectantia, quæ ejus conceptionem subsecuta sunt: *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput* (*Psal.* cix, 7), etc. 3° Quod meruerit ascensionis suæ triumphum : *Quid est quod ascendit, nisi quia et descendit prius?* (*Ephes.* iv, 9)

Dico 2 : Christus meruit sui nominis exaltationem et omnia quæ ad externam gloriam pertinent. (D. Thomas, etc.) *Ego te glorificavi*, etc. *Et nunc clarifica me tu, Pater* (*Joan.* xvii, 4, 5). *Et clarificavi et iterum glorificabo* (*Joan.* xii, 28). *Dignus est Agnus qui occisus est accipere divinitatem*, etc. (*Apoc.* v, 12) ; id est, ut ab omnibus cognoscatur et honoretur tanquam verus Deus. Hinc meruit 1° gloriosa Patris æterni testimonia in baptismo et transfiguratione data, laudes angelorum et manifestationem Magorum in nativitate. 2° Dominium in universum mundum humanitati collatum, ut dicitur (*Matth.* xxviii, 18) : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Et (*Psal.* ii, 8) : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* 3° Potestatem judiciariam : *Dedit illi judicium facere, quia Filius hominis est* (*Joan.* v, 27).

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

De iis quæ Christus hominibus meruit.

Sect. I. — *An Christus nobis meruerit primam gratiam, ac gloriam, ac peccatorum remissionem.*

Dico 1 : Christus meruit omnibus hominibus quoad sufficientiam, quamvis non quoad efficaciam, remissionem peccati tum originalis tum actualis. De fide. Sicut enim Christus sufficienter satisfecit pro peccatis omnium hominum, ita et omnibus remissionem meruit : satisfactio siquidem et meritum, utrumque est infinitum, et utrumque oblatum pro salute et redemptione omnium hominum. Sed licet meritum ac pretium sufficiens obtulerit pro omnium salute, non tamen meruit hanc remissionem omnibus quoad efficaciam, quia non ita applicuit suum meritum, ut omnes infallibiliter istam remissionem consequerentur, sed voluit ut per media ordinata applicaretur, nempe mediante libertate et voluntate humana, per quam talis applicatio interdum impeditur : *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum*, etc., *ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi* (*Rom.* v, 12-19). *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (*I Joan.* ii, 2).

Dico 2 : Simili modo Christus meruit omnibus hominibus primam gratiam, quæ naturam lapsam a peccato liberat : de fide et in multis conciliis definitum. Remissio enim peccati, quam Christus nobis meruit, non confertur nobis nisi per infusionem

gratiæ; adeoque non potuit Christus unum nobis mereri sine alio : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* III, 24). *Gratis*, id est sine merito nostro de condigno justificamur, sed respectu Christi, ex perfecto ipsius merito ac ex justitia nobis datur gratia justificans. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus quæ abundavit in nobis* (*Ephes.* I, 7, 8). Item meruit omnibus hominibus gloriam et vitam æternam. Etiam de fide. Meritum enim gloriæ conjunctum est cum merito gratiæ, quia qui meretur gratiam, meretur et gloriam; et qui habet gratiam ex merito de condigno, debetur ill' gloria ex justitia. Et sic parvulis in gratia decedentibus datur gloria ex meritis Christi; estque debita non ex propria justitia, sed Christi. *Abundantiam gratiæ donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum* (*Rom.* V, 17). *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ* (*Tit.* III, 7). Unde nullum unquam peccatum sive originale, sive actuale fuit remissum, nec prima gratia aut gloria data est ulli, nisi ob Christi merita, vel prævisa futura, vel jam exsistentia; licet enim ex natura rei meritum antecedat præmium, non tamen necesse est ut realiter et actualiter exsistens antecedat, sed sufficit si antecedat in præscientia præmiaturi, quia est tantum causa moralis movens præmiantem ad dandum præmium, quod potest efficere, etiamsi tantum futurum cognoscatur; et sic antiquis patribus et probabiliter ipsi Adamo in statu innocentiæ data est gratia ob merita Christi prævisa, quæ ordine intentionis et divinæ prædefinitionis fuerunt priora gratia, per quam illi fuerunt sanctificati, etiamsi ordine exsecutionis fuerint posteriora, ut supra dictum est. Dando Deus antiquis patribus gratiam, poterat etiam dare tunc gloriam; sed noluit. Denique Christus non tantum pro peccatoribus hominibus redimendis meruit, sed etiam pro se, et probabiliter pro Adamo in statu innocentiæ.

Sect. II. — *An Christus nobis meruerit dispositiones ad gratiam recipiendam, sive suorum meritorum applicationem.*

Dico 1 : Omne gratiæ excitantis et adjuvantis auxilium, quod datur homini ut se disponat ad recipiendam gratiam, a prima vocatione usque ad ultimam dispositionem, est effectus et præmium meritorum Christi, qui hæc omnia dona hominibus meruit. Ita recentiores Thomistæ contra Capreolum, etc. Probatur, quia concilia et Patres, dum dicunt gratiam Dei esse necessariam ad salutem et ad omnia pietatis opera, eam vocant gratiam Christi, quia per Christum datur; ac Ecclesia solet omnino gratiam sive excitantem, sive adjuvantem, sive aliud quodvis auxilium postulare per Jesum Christum, rata ista omnia obtinenda per Christi merita, uti etiam ex ipsa Scriptura constat; *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo* (*Ephes.* I, 3). Ubi, ait Ambrosius : « Omne donum gratiæ Dei, in Christo est. » Et Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, nempe omnia auxilia ad salutem necessaria : quamvis enim Deus elegerit ad gratiam vel ad gloriam hos potius homines quam illos, ex sola sua voluntate, et non ob Christi merita, tamen voluit illis omnibus conferre per Christum auxilia necessaria et infallibilia, quibus gratiam vel gloriam consequerentur. Unde meritum Christi omnem gratiam etiam prævenientem antecessit vel in re ipsa, vel in Dei prævisione. Quare

Dico 2 : Christus meruit omnibus adultis omnes quas recipiunt dispositiones ad gratiam tam remotas quam ultimas, quia hi actus sunt aliquo modo supernaturales, adeoque Dei dona gratuita; ergo dantur per Christi merita. Et si posset homo sine meritis Christi habere ultimam dispositionem cum qua infallibiliter conjungitur justificatio, posset etiam sine eisdem meritis justificari. Unde applicatio omnium auxiliorum aut mediorum per quæ homini infunditur prima gratia, et datur peccati remissio, sive fiat ex opere operantis per contritionem, sive ex opere operato per sacramentum, provenit ex meritis Christi, quia hæc applicatio est maximum Dei donum, et maxime necessarium ad salutem; nobis autem Christus meruit omnia Dei dona et omnia media ad salutem necessaria; ergo, etc. Denique non tantum meruit omnibus hominibus quoad sufficientiam omnia gratiæ dona, sed etiam aliquibus quoad efficaciam dona specialia, seu meruit ut sua merita infallibiliter in illis sortirentur suum effectum; quia quibusdam meruit ut cum effectu illis applicarentur sua merita : *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi*, etc. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 9, 24). Sed quamvis Christus nobis suorum meritorum applicationem meruerit, gratis tamen et ex pura Dei gratia nobis applicantur; quod autem potius huic quam illi applicentur, v. gr. baptismus, meruit quidem ut huic applicentur, sed non meruit ut illi non applicentur. Denique hac in re, non est contrarius D. Thomas, sed male explicatur ab auctoribus oppositæ sententiæ.

Sect. III. — *An Christus nobis meruerit omnia gratiæ dona quæ post primam justificationem conferuntur.*

Dico 1 : Præter habitus infusos, comitantes gratiam justificantem, v. gr. fidem, spem, charitatem, religionem, dona Spiritus sancti, etc.; et præter effectus sacramentorum, v. gr. augmentum gratiæ, remissionem peccatorum venialium, gratias sacramentales, characteres sacramentales, aliaque omnia ex opere operato per sacramentum collata, quæ universa ex meritis Christi proveniunt, etiam omnia gratiæ auxilia quæ hominibus justificatis conferuntur, sunt eorumdem meritorum Christi effectus seu præmium : sicut enim prima gratia provenit ex meritis Christi, ita etiam ea omnia quæ illam con-

servant et augent. Unde donum perseverantiæ semper est effectus meritorum Christi, quia includit specialia auxilia, sive specialem Dei providentiam, per quam fit ut homo infallibiliter in gratia moriatur. Hoc autem maximum donum confertur ob Christi meritum.

Dico 2 : Christus non tantum nobis meruit augmentum gratiæ et gloriæ ; sed etiam omnes actus quibus illam meremur : *Sicut enim palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis ; quia sine me, nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 4, 5); quia omnia Dei dona ad crescendum in gratia, ipsaque gratia ad valorem nostri boni operis requisita, nobis dantur ob Christi merita. Imo probabile est nunc opera justorum, qui sunt membra Christi, referri ob Christum ejusve merita ad majus præmium, quam de se postularent, per solam proportionem quasi connaturalem, quam habent cum præmio, juxta id quod dicitur Joan. x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

Dico 3 : Christus meruit etiam nobis non tantum commutationem pœnæ æternæ in temporalem, quæ fit per sacramentum, sed et remissionem pœnæ temporalis, quæ nobis datur per nostras satisfactiones ; quia ad has requiritur gratia et promissio Dei, quæ utraque datur ob merita Christi. Et idem dic de venialium peccatorum remissione. Hinc dicuntur sancti lavisse stolas suas et eas dealbasse in sanguine Agni (*Apoc.* vii, 14). *Et sanguis ejus emundat nos ab omni peccato* (*I Joan.* i, 7). Ad hoc sic concurrente et merito Christi et nostra operatione. Eodem modo remissio pœnæ in purgatorio, quæ fit per indulgentias et satisfactiones vivorum, est effectus meritorum Christi, non tamen illa quæ fit per condignam satisfactionem, utpote quæ est potius solutio quam remissio pœnæ.

Sect. IV. — *An Christus meruerit hominum prædestinationem et electionem.*

Nota : Creatura, sive in naturalibus sive in moralibus, potest esse causa objectiva vel ratio motiva liberi decreti divinæ voluntatis.

Dico 1 : Quamvis singularis illa benevolentia et dilectio, qua Deus ante prævisa hominum merita prædestinatos præelegit ad gloriam, prout est electio horum præ illis, non sit ex meritis Christi, sed ex pura divinæ voluntatis liberalitate ac libertate, tamen prout est efficax istorum præelectorum seu prædestinatorum dilectio, probabiliter dici potest hanc habere fundamentum ac rationem motivam in meritis Christi ab æterno prævisis et præcognitis, uti ait Paulus ad Ephes. i, 4, 5 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*, etc. ; *secundum propositum voluntatis suæ*. Et paulo infra (*Ibid.* 11) : *In quo* (id est Christo) *etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Et rursus (*Ibid.* 5): *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* ; nempe per particulam *in ipso* denotando Christum ut causam meritoriam et rationem motivam, ac per particulam *in ipsum* denotando Christum ut causam finalem, quia omnes prædestinati ob gloriam Christi eliguntur : itaque omne Dei erga homines beneficium ac benevolentia, cui Christi merita, saltem in æternitate prævisa ut futura possunt præsupponi, fundatur in eisdem meritis ; sive ista merita fuerunt ratio motiva ejusmodi divinæ benevolentiæ ac beneficii. Nec tantum Christi merita fuerunt a Deo volita et ordinata tanquam media, quibus homines gloriam ad quam præordinati supponuntur, obtinerent, sed potius sicut Deus voluit Christum, hominem Deum, per se propter suam gloriam, ita voluit Christi merita et operum ejus valorem propter ipsiusmet Christi perfectionem et excellentiam ; utque esset sufficiens causa moralis, motiva ac meritoria, cujus intuitu posset velle dona supernaturalia conferre iis, quibuscunque vellet aut quomodo vellet, adeoque merita Christi potuerunt prævideri ante electionem prædestinatorum. Quamvis enim in quodam genere exsistentiæ aut subsistentiæ simul omnes prædestinati cum Christo electi fuerunt, tamen in genere causæ finalis, exemplaris et meritoriæ fuit Christus aliis præelectus, quia ita Deus voluit simul Christum et alios, ut tamen voluerit Christum tanquam causam motivam et rationem volendi alios : adeoque prius ratione voluerit merita Christi, habueritque eorum prævisionem, quam aliorum electionem. Hoc autem non habet locum respectu dilectionis ipsiusmet Christi, quia involvit repugnantiam, quæ non involvitur respectu aliorum. Merita igitur Christi in isto signo rationis prævisa fuerunt per actum amoris Dei et proximi, qui non dependet a corpore passibili.

Dico 2 : Christus etiam fuit causa meritoria totius nostræ prædestinationis. Colligitur ex his Pauli verbis : *Prædestinavit nos per Jesum Christum* (*Ephes.* i, 5); id est, tanquam causam meritoriam. Dumque ibidem addit : *Secundum consilium voluntatis Dei*, ostendit se loqui de integra prædestinatione, non vero de uno alterove ejus effectu, quem ipsemet prædestinatus potest sibi mereri. Ratio est, quia Christus meruit efficacem prædestinatorum dilectionem, ex qua tota eorum prædestinatio nascitur. Quamvis non meruerit nobis Christus omnes causas generales nostræ salutis, v. gr. incarnationem, neque omnem supernaturalem gratiæ providentiam ; non tamen inde fit non meruisse totam nostram prædestinationem, quia ad hoc sufficit meruisse prædestinato omnem gratiam quæ illi confertur, et omnia media particularia, per quæ generales causæ vel gratiæ remedia illi applicantur : prædestinatio enim significat specialem divinæ providentiæ rationem, per quam electus infallibiliter perducitur ad vitam æternam. Hinc etiam meruit nobis Christus quædam naturalia dona, quæ ad nostram salutem conducunt, quatenus ex speciali prædestinati ele-

ctione conferuntur, v. gr. nasci hoc tempore, loco, ex his parentibus, etc.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De iis quæ Christus angelis meruit.

SECT. I. — *An Christus meruerit angelis omnia gratiæ et gloriæ dona.*

Dico 1 : Christus meruit gratiam et gloriam, quæ illis data fuit ob prævisa Christi merita. (Cajetanus, Albertus, Valentia, etc., contra Paludanum, Alensem, Durandum, etc.) D. Thomas videtur huic nostræ assertioni consentire ; nam exponens istud Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, dicit : « Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis. » Quamvis autem Scriptura et Patres id positive non asserant, videntur tamen illud magis insinuare, quam negare. Hisce igitur rationibus probatur : 1° quia Deus prævidit prius merita Christi quàm angelorum gratiam et gloriam juxta superius dicta ; ergo illa ordinavit ad dandam etiam angelis gratiam et gloriam. 2° Angeli et homines sunt membra unius corporis Ecclesiæ, cujus caput est Christus ; ergo participant eamdem Christi gratiam. 3° Angeli in statu viæ habuerunt fidem Christi ; ergo per eam Christi fidem vivam ejusque merita, sanctitatem et gloriam obtinuerunt. Unde

Dico 2 : Christus meruit angelis sanctis, proportione servata, omnia gratiæ dona quæ hominibus meruit, exceptis iis donis quæ ad peccati remedium spectant ; adeoque illis meruit electionem, prædestinationem, vocationem, omnia auxilia sufficientia et efficacia, omne meritum, omne gratiæ et gloriæ augmentum.

Objicies 1 : Scriptura sacra nunquam dicit Christum venisse propter angelos, ut eis gratiam et gloriam mereretur ; imo Christus dixit (*Luc.* XV, 4) se reliquisse nonaginta novem oves et venisse ad quærendam unam ovem perditam. Respondeo : Cum Scriptura frequentius loquatur de effectu passionis Christi per modum redemptionis et liberationis a peccato, ideo frequentius de illa loquitur in ordine ad homines ; angeli enim non fuerunt a peccato redempti, cum nullum commiserint, sed dum loquitur de gratificatione seu sanctificatione quæ est per Christum ut universalem gratiæ et salutis fontem, etiam angelos comprehendit ; nec ista parabola de centum ovibus angelos excludit ab illa per Christum sanctificatione, explicat enim tantum cur Christus potius cum pœnitentibus quam cum justis versaretur.

Obj. 2 : Paulus dicit : *Qui sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes*, etc. (*Hebr.* II, 11.) Ergo omnes qui sanctificantur, sunt ex uno Adamo ; angeli autem non sunt ex Adamo. Respondeo explicando hoc de simplici et universali sanctificatione : Omnes tam angeli quam homines sunt ex uno Deo, ex uno conditore, ex uno Patre æterno ; explicando autem illud de sola sanctificatione, a peccato et redemptione : Omnes homines sunt ex uno Adamo, ideoque hi appellantur ibi a sancto Paulo, *pueri et fratres communicantes carni et sanguini* (*Ibid.* 14), sive in eadem cum Christo natura humana ; dumque dicitur (*Ibid.* 16) : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, id est, non induit naturam angelicam, sed humanam, nec angelos redemit, sed illis meruit gratiam et gloriam.

Obj. 3 : De hoc gratiæ et gloriæ merito per Christum angelis communicato nihil dicunt Patres. Respondeo inde nihil probari. Nihil autem dixerunt, vel quia non inciderunt in hanc quæstionem, vel in re dubia noluerunt suam proferre sententiam.

Obj. 4 : Hinc sequitur angelos non debuisse glorificari ante Christum suum ducem, sicut homines non fuerunt ante illum glorificati, supponimus hic Christum et ante prævisum Adæ peccatum, et ante angelos fuisse prædestinatum. Respondeo : Nego illatum. Angeli enim statim ac meruerunt gloriam ex Christi meritis, debuerunt eam sine mora accipere, ut debitum præmium ; hominibus autem dilata est gloria ob peccatum, pro quo debebat satisfieri, priusquam glorificarentur.

SECT. II. — *An Christus angelos redemerit, et pro illis mortuus sit.*

Dico 1 : Christus non redemit malos angelos, nec pro eis mortuus est, sive per sua merita et satisfactionem illos nec liberavit, nec unquam liberabit ab statu illo in quem per sua peccata prolapsi sunt. Hic error attribuitur Origeni, quod docuerit damnatos angelos aliquando revocandos esse ad statum sanctorum angelorum : qui error damnatus est in quinta synodo ; pœnæ enim inferni sunt æternæ et immutabiles.

Dico 2 : Christus proprie loquendo non est mortuus pro bonis angelis, quia mors quatenus mors, non est assumpta propter angelos, sed solum propter homines lapsos : unde gratia non est data angelis ex prævisione meriti fundati in morte Christi, sed fundati absolute in charitate et bonis operibus Christi hominis ; ideoque neque illis data est gratia dependenter a morte Christi, nam si homo non peccasset, Christus non esset mortuus : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (*II Cor.* V, 14). Angeli autem non sunt mortui, ergo nec pro illis Christus mortuus est. Et quamvis meritum mortis extensum fuerit ad angelos, non inde fit mortuum esse pro angelis, quia non fuit mors pro illis ordinata et assumpta.

Dico 3 : Christus non potest proprie dici angelorum redemptor, quia nullus redimitur, ut ait Augustinus (epist. 157), « nisi qui sub peccato servit. » Angeli autem nunquam peccato servierunt, etiamsi ex Christi meritis fuerint præservati ne peccarent ; redemptio enim supponit eum, qui redimitur, esse aliquo modo captivum et venundatum sub peccato. Unde Christus vere potest dici angelorum sanctificator et glorificator, non vero redemptor.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De obedientia Christi, et præceptis quorum est capax.

Sect. I, II. — *An Christus fuerit capax præcepti cui foret subjectus, et quibus legibus fuerit subjectus.*

Nota : Christus non potest dici minor Patre, nisi addendo *quatenus homo.*

Dico 1 : Loquendo de præcepto proprie dicto et obligationem inducente prout a consilio condistinguitur, Christus homo fuit vere capax istiusmodi præcepti quoad ejus vim directivam, et obligationem faciendi quod præcipiebat, et vitandi quod vetabat. (D. Thomas et alii communiter.) *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam ; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* (*Psal.* xxxix, 8,9;*Hebr.*x,7). Ratio est quia humana Christi voluntas habebat superiorem a qua posset gubernari, et recipere regulam suorum actuum, nempe legem seu præceptum. Deinde Christus, ut homo, erat creatura rationalis subjecta Deo suo Creatori; ergo. Vis coactiva aut pœnæ comminatio, cui Christus subdi non poterat, non est de necessitate sive de essentia præcepti, sed sufficit directiva qua actus ad virtutis honestatem ac rectitudinem requisitus dirigitur, cujus Christus erat capax; et licet Christus ratione suppositi foret impeccabilis, tamen humana ejus voluntas ex natura sua non erat impeccabilis, adeoque capax præcepti, poteratque obligari sub reatu culpæ, utpote inferior, etiamsi posset secum dispensare in tali præcepto, uti princeps qui tenetur suis legibus quoad vim directivam et non quoad coactivam, potestque secum dispensare.

Dico 2 : Christus subjectus fuit legi Dei æternæ seu naturali : tenebatur enim amare Deum, non mentiri, vitare quæ sunt intrinsece mala, sed nullis legibus humanis fuit subjectus, quamvis de absoluta Dei potentia non repugnaretillis posse esse subjectum. Quia Christus in sua humanitate habebat per potestatem excellentiæ, jus et dominium superioris ordinis in omnes mundi reges et principes. Imo

Dico 3 : Christus non fuit subjectus divinis legibus positivis, quæ pro universali Ecclesia sive in Novo, sive in Veteri Testamento latæ sunt, quia in Novo Testamento Christus tulit leges in homines viatores et subditos quatenus subditi sunt : sicuti, v. gr., princeps, dum fert legem de solvendis tributis, illa ipse non obligatur. Et in Veteri Testamento lex fuit data populo Judæorum pro se et pro sua posteritate, sub qua comprehenduntur solum posteri, qui via ordinaria et per seminalem rationem a progenitoribus descendunt. Ergo Christus, qui sic non est genitus, sub ista lege non comprehendebatur; etiamsi sine obligatione semper studuerit illam servare et adimplere, uti legem circumcisionis datam Abrahæ, sub qua ob eamdem causam non comprehendebatur, nec illa tenebatur.

Sect. III, IV. — *An Christus acceperit speciale præceptum, et an possit dici simpliciter subjectus Patri.*

Dico 1 : Christus habuit verum et proprium præceptum redimendi genus humanum per suam passionem et mortem. (D. Thomas, contra Paludanum et Dionysium Cisterciensem.) Id enim habetur ex ipsa Scriptura : *Hoc mandatum accepi a Patre* (*Joan.* x, 18). *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* xiv, 31). *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* (*Psal.* xxxix, 8, 9; *Hebr.* x, 7). *Factus obediens usque ad mortem* (*Philip.* ii, 8). Ubi est vera obedientia, ibi est præceptum. Hinc sicut homines per inobedientiam perditi sunt, ita per obedientiam reparati sunt : *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (*Rom.* v, 19). Hoc præceptum divinum positivum naturali mistum, non videtur aliter Christo impositum fuisse, quam ostendendo illi divinam voluntatem ac decretum de iis quæ ad redimendos homines facere oportebat, cum obligatione tamen charitatis ad homines redimendos; sicque intelligendi sunt Chrysostomus, Theophilus et Anselmus, qui videntur negare datum Christo præceptum. Nec Christo impositum est præceptum, ut ipse suam mortem efficeret, sed ut oblatam sustineret et amplecteretur.

Dico 2 : Christus videtur posse simpliciter dici subjectus Patri, non addendo *quatenus homo*, etiamsi præstet illud addere, quia esse subjectum nihil aliud est quam habere voluntatem subjectam alterius voluntati ; et Christus habet simpliciter voluntatem humanam, quæ ex se subjecta est voluntati divinæ.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De Christi servitute.

Sect. I. — *An Christus quatenus homo vere et proprie dici possit et sit servus Dei.*

Dico : Christus quatenus homo vere potest dici et est servus Dei : ita D. Thomas, Cajetanus, etc. Probatur : 1° Ex Veteri Testamento : *Ecce servus meus, suscipiam eum* (*Isa.* xlii, 1). *Adducam servum orientem* (*Zach.* iii, 8). *Suscitabo super eos pastorem unum, servum meum David* (*Ezech.* xxxiv, 23), etc. 2° Ex Novo Testamento : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei* (*I Cor.* iii, 22, 23). *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Dum Christus dicit *Deum meum*, idem est ac si diceret *Dominum meum;* adeoque si Deus est ejus Dominus, ergo ipse est servus. Licet enim in rigore nomen *Dei* et nomen *Domini* sint diversa, tamen respiciuntur a creaturis ut simul conjuncta et æque late patentia. *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (*Philip.* ii, 7); id est, naturam humanam accipiens. 3° Ex Patribus Cyrillo, Athanasio, Nazianzeno, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, etc., nomine *servi* Christum ap-

pellantibus. 4° Ratione : relatio servitutis ad Deum generaliter sumpta, non habet in creatura aliud fundamentum quam essentialem dependentiam et subordinationem erga Deum, ratione cujus est sub ejus potestate et dominio, ita ut possit illa uti, prout sibi placuerit ; nec necessario requirit ut nulla sit servi communicatio, aut participatio bonorum Domini sui : sola enim illa bonorum communicatio videtur impedire rationem servitutis, quæ ponit æqualitatem inter eos qui in bonis communicant, quia servus eo ipso quod servus est, debet esse inferior ; et hinc recte colligunt Patres Verbum divinum non posse esse servum Patris, quia illi æquale est ; tota autem illa bonorum communicatio, quæ est inter Christum ut hominem et inter Deum, non est cum æqualitate, sed cum aliqua inferioritate. Christus enim ut homo non est sanctus per essentiam, ut Deus, nec est æque beatus ac Deus. Denique Deus est vere ac proprie Dominus Christi ut hominis ; ergo etiam Christus ut homo, est vere ac proprie servus Dei.

Objicies 1 : Adrianus papa, in sua epistola cum concilio Francofordiensi, condamnat Elipandum eo quod ausus fuisset Christum appellare adoptivum et servum. Respondeo : 1° dubitari merito de realitate istius epistolæ. 2° Vel Adrianus et concilium ex instituto non tractabant de servitute Christi, sed de adoptione tantum, vel voluit dicere Christum non esse servum servitute pœnali contracta ex peccato, sed naturali tantum servitute quam omnis creatura ex vi suæ creationis habet ad Deum ; vel potius ad eliminandum errorem et improbitatem istius Elipandi, qui indigne vocabat Christum servulum et leprosum, voluit eum non esse simpliciter et absolute a nobis appellandum servum Dei, sed esse addendum : *quatenus homo.*

Obj. 2 : Videntur Patres sentire Christum non esse servum appellandum. Respondeo : Dum Patres videntur aliquid in contrarium dicere, vel agunt de aliquarum actionum inferiorum quæ nunc in cœlis disconveniunt usu et ministerio, non de naturali servi conditione ; vel de servitute peccati, non vero naturalis conditionis ; vel volunt Christum neque esse neque posse appellari servum ratione suæ personæ, sed tantum naturæ assumptæ.

Obj. 3 : Christus ut homo non est filius adoptivus ; ergo multo minus est servus. Respondeo : Nego consequens. Quia adoptio intrinsece requirit personam extraneam quæ in Christo non est ; servitus autem non eam requirit, sed solum necessitatem obediendi ob subiectionem quæ in Christo vere reperitur.

Obj. 4 : Ad conditionem servi non requiritur tantum necessitas obediendi et subjectio, sed etiam necesse est ut servus non habeat jus connaturale et intrinsecum ad hæreditatem domini sui ; atqui Christus ut homo, habet jus naturale et intrinsecum ad hæreditatem Dei ; ergo non potest ut sic, esse servus. Respondeo : Distinguo minorem. Christus ut homo, habet jus naturale et intrinsecum ad hæreditatem Dei secundum æqualitatem cum ipso Deo, nego minorem ; secundum participationem cum subordinatione et dependentia a Domino Deo Patre, etiamsi sit Filius naturalis, concedo minorem. Et hoc repugnat servituti naturali. Adoptivi hominum filii qui paternæ hæreditati succedunt, desinunt esse servi, quia leges humanæ sic statuerunt conditiones et jura tum adoptionis civilis tum servitutis humanæ. Hincque fit ut vinculum matrimonii tollat istam servitutem ob æqualitatem et familiaritatem, quæ debet esse inter virum et uxorem : hæc enim servitus humana est extrinseca et juxta placitum hominum introducta ac ignobilis ; servitus autem ad Deum, est intrinseca, connaturalis, nobilissima ; sicque Christus potest esse simul et Filius Dei naturalis, et servus Dei ob naturalem humanæ naturæ conditionem.

Sect. II. — *An Christus possit tantum dici servus cum addito*, quatenus homo ; *an etiam sine illo addito.*

Dico : Probabilius in rigore sermonis, Christus non est dicendus servus, nisi addendo explicite vel implicite *quatenus homo*, vel *secundum humanitatem ;* quæ additio implicita frequentius invenitur, dum in progressu sermonis ex antecedentibus et consequentibus, satis intelligitur locutionis sensus, quia proprie dicitur servus, qui secundum totum id quod est, sub alterius dominio exsistit ; Christus autem secundum totum id quod est, non est sub alterius dominio: sicut Christus non dicitur etiam creatura simpliciter, quia per creaturam intelligi solet aliquod totum secundum se totum ex nihilo productum, quod Christo non competit, ita nec nomen *servi* Christo competit simpliciter, nisi implicite intelligatur servus secundum totam suam humanitatem, ut sæpe intelligunt Patres, dum simpliciter Christum vocant servum ; secundum hanc autem poterit Christus dici non tantum servus Patris aut Spiritus sancti aut Dei, sed etiam sui ipsius sive Verbi aut Filii Dei ; sed non simpliciter ob rationem dictam.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

De Christi oratione in via et in patria.

Sect. I, II. — *An Christus in statu viæ vere et proprie oraverit, et nunc in statu beatitudinis adhuc oret.*

Dico 1 : Christus in statu viæ non tantum oravit, contemplando, obsecrando, gratias agendo, quod ex Evangelio constat : *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me* (*Joan.* XI, 41). *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25). *Pater, clarifica nomen tuum* (*Joan.* XII, 28), etc. Sed etiam vere ac proprie oravit postulando, et suppliciter petendo aliquid a Patre ; ita ut juxta divinam providentiam ac præordinationem multa Christus homo per suas orationes a Deo impetrarit, quæ si non postulasset, non fuissent data aut im-

petrata : sicut enim non redemisset homines, si pro illis non passus esset, quia ita erat a Deo præscriptum ac præordinatum, ita sine oratione non obtinuisset, quæ nonnisi per orationem obtinenda erant juxta divinam præordinationem : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 8). *In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V, 7). Quamvis igitur simpliciter Christus non indigeret oratione, quia ob dignitatem suæ personæ poterat quidquid vellet sine oratione efficere, tamen supposita divina ordinatione, multa non potuit quatenus homo, sine oratione perficere, ut docet D. Thomas. Damascenus autem non negat Christum vere et ex animo orasse, sed negat istius orationis necessitatem simpliciter.

Dico 2 : Certum est Christum in cœlo exsistentem pro nobis orare oratione saltem interpretativa per sua merita divino conspectui præsentia, exhibendo simul seipsum præsentem ac cicatrices suorum vulnerum pro nobis olim susceptorum, ut patet ex Scriptura : *Introivit*, etc., *in ipsum cœlum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (*Hebr.* IX, 24). *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II, 1, 2). *Qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34). *Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*Hebr.* VII, 25).

Dico 3 : Videtur Christus in cœlo non tacita solum et interpretativa insinuatione, sed etiam aperta et expressa voluntatis suæ manifestatione ac repræsentatione pro nobis orare. (D. Thomas, Bonaventura, etc., contra Rupertum, qui solum admittit interpretativam orationem.) Probatur ex Scripturæ locis jam allatis. *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis* (*Joan.* XIV, 16). Item ex Patribus : « Habemus, » inquit Cyprianus (epist. 8), « advocatorem et deprecatorem Jesum. » Et Augustinus (*in psal.* LXXXV) : « Oratur, » inquit, « in forma Dei; orat in forma servi; orat pro nobis et orat in nobis. » Similia habent Ambrosius, Bernardus, Justinus, etc. Ratio est, quia oratio non dedecet Christum; licet enim sit Deus et beatus, est tamen etiam homo, et beati possunt orare : oratio est cultus religionis, qua Christus Deum colit. Deinde in omni statu Christus semper agit pro nostra salute quidquid potest; potest autem sic orare. Ergo. Deinde potest distingui duplex oratio : una qua quis aliquid denuo impetrat, vel petit, denuo merendo id quod petit; et hæc in cœlo non competit Christo; et fortasse de hac intelligendus est Rupertus. Altera qua quis petit exigendo jus sibi debitum; hac in cœlo utitur Christus. Attamen non est dicendum : *Christe, ora pro nobis*, sed dicendum : *Christe, audi nos; Christe, miserere nostri*, ut vitetur error Arii et Nestorii; et quia oratio dirigitur ad personam quæ est divina, cujus non est petere, sed dare.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

De summo Christi sacerdotio et pontificatu.

SECT. I, II. — *An Christus vere fuerit sacerdos, et an quatenus homo; an vero quatenus Deus.*

Dico 1 : Christus est vere ac proprie sacerdos. De fide. Habetur in Epist. ad Hebræos, a cap. V usque ad X. Christus enim est ex hominibus assumptus, seu electus et constitutus a Deo pro hominibus in iis quæ sunt ad Deum, id est, ad reconciliandos homines cum Deo, et ad eos sanctificandos, seipsum et vitam suam hostiam sanctam pro illis Deo offerendo. Licet enim Christus seipsum non interfecerit, voluntarie tamen mortem suscepit, et illam in sacrificium Deo obtulit ad satisfaciendum pro peccatis nostris, et ad internum suum effectum reverentiæ erga Deum demonstrandum : non sicut martyres, qui tantum subierunt mortem per modum acceptationis, non potentes eam impedire; Christus autem illam subiit per modum oblationis, utpote qui poterat illam impedire : *Nemo tollit eam* (id est, animam) *a me, sed ego pono eam a me ipso* (*Joan.* X, 18). Ideoque oblatio mortis Christi habet rationem sacrificii, non vero aliorum martyrum; *sacrificii*, inquam, proprie dicti : est enim oblatio externa et sacra, facta Deo in recognitionem supremi ejus dominii ad satisfaciendum pro peccatis, et ad ea expianda per rei oblatæ immutationem; non autem improprie dicti, quale est, juxta Augustinum, quævis actio sive externa sive interna in Dei laudem oblata. Et quamvis sacerdos præter sacrificium alias sacras functiones exerceat, omnes tamen illæ aliquo modo ad sacrificium referuntur, ita ut sacerdos dicat habitudinem ad sacrificium tanquam ad actum maxime proprium et quasi adæquatum.

Dico 2 : Juxta veram idiomatum communicationem, ipse Deus Verbum ac Filius, pro nobis factus est quidem sacerdos et pontifex, ac pro nobis obtulit sacrificium; sed Deus seu Verbum, illud sacerdotis ac pontificis munus nonnisi in humanitate, sive ratione humanitatis potuit exercere, et per illam exercuit, quamvis tota istius sacerdotii efficacia et excellentia ex dignitate divinæ personæ manarit : quia Deus prout Deus, non habet superiorem cui sacrificium offerat, aut apud quem intercedat. Ergo quatenus Deus non potest esse sacerdos, neque per naturam aut voluntatem divinam potest orare vel sacrificium offerre; adeoque per naturam ac voluntatem humanam debet id præstare. Hinc non potest dici : Christus quatenus Deus est sacerdos, sed tantum quatenus homo, vel quatenus Deus homo; nec solum Christus est sacerdos, sed etiam ipse est sacrificii victima, sive Deus in humanitate subsistens est victima, non quatenus Deus, sed quatenus homo : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam in odorem suavitatis* (*Ephes.* V, 2).

Sect. III. — *An Christi sacerdotium fuerit ejusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ, veteris et novæ.*

Dico 1 : Christi sacerdotium non fuit ejusdem omnino rationis cum sacerdotio legis novæ ab ipso instituto, sed altioris longe ordinis ac perfectionis; est enim tanquam causa principalis et universalis respectu instrumentalis et particularis. Deinde potestas sacerdotii legis novæ est alligata sacramentis; habetur per impressionem realis characteris ex vi extrinsecæ consecrationis, et tantum ad sacrificium incruentum ordinatur. Christi autem sacerdotium non fuit alligatum sacramentis, nec habitum per impressionem characteris, sed per unionem hypostaticam et ex vi suæ originis; nec ordinatum tantum ad incruentum, sed etiam ad cruentum sacrificium.

Dico 2 : Christi sacerdotium non est etiam ejusdem rationis cum sacerdotio veteris legis; adeoque Christus non fuit sacerdos secundum ordinem Aaron, quia non ex tribu Levi, sed ex tribu Judæ B. Virgo ex qua Christus natus est, descendebat per lineam paternam, uti et Joseph. Et quamvis istæ duæ tribus, regia et sacerdotalis, matrimoniis conjungerentur, successiones tamen earum debuerunt distingui per lineas paternas, alioqui fuissent confusæ, et nullus fuisset de tribu Juda, qui non potuisset esse sacerdos, quod falsum est; nec aliqua Christi cognatio cum tribu Levi sufficiebat ad sacerdotale istius legis munus; nec quod ei datus sit liber Isaiæ ad interpretandum in Synagoga (*Luc.* IV, 17), colligitur eum fuisse Levitam, sed id fecit ut vir in lege doctus, sicuti Paulus qui erat de tribu Benjamin, simile quid fecit (*Act.* XIII). Dumque Matth. XXI, 12, ejecit ementes et vendentes de templo, id fecit non ut sacerdos legalis, sed ut propheta zelum Dei habens, et potestatem excellentiorem. Non ergo Christus origine aut successione fuit sacerdos veteris legis, nec ab hominibus, nec ab ipso Deo ad ejusmodi sacerdotium electus, quod Paulus docet ad Hebr. VII, VIII et IX.

Dico 3 : Christi sacerdotium nec etiam fuit ejusdem omnino rationis cum sacerdotio legis naturæ, sed longe altioris ordinis et perfectionis. In lege enim naturæ tantum juxta hominum arbitrium aut electionem assumebantur aliqui ad offerendum Deo sacrificia, et ad intercedendum pro populo, cum tunc nihil adhuc circa modum consecrandi sacerdotes et sacrificandi esset a Deo præscriptum; et teste Hieronymo, Ruperto et aliis, omnes ex stirpe Noe primogeniti, deputati tunc erant ad fungendum sacerdotis munere. Hinc patet sacerdotium Christi, et potestas, et effectus atque dignitas esse longe sublimioris ordinis. Attamen triplex illud genus sacerdotii legis naturæ, veteris et novæ aliquo modo referuntur ad Christum, et cum ejus sacerdotio aliquam similitudinem habent : nam sacerdotium legis naturæ sine externa unctione collatum simile erat Christi sacerdotio in eo quod primogenitis concedebatur : Christus autem est *primogenitus omnis creaturæ* (*Col.* I, 15). Sacerdotium veteris legis fuit simile Christi sacerdotio, cujus erat figura, in suis sacrificiis cruentis et sanctificationibus, repræsentantibus cruentum Christi sacrificium et sanctificationem perfectam quam suo sanguine nobis erat collaturus. Sacerdotium legis novæ simile est Christi sacerdotio in potestate offerendi eamdem rem quam ipse obtulit, et conferendi veram sanctitatem ac peccatorum remissionem.

Sect. IV. — *An Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

Nota 1 : Juxta Catholicos Melchisedech fuit verus homo, et purus homo, vel Sem primogenitus Noe, vel vir justus et sanctus ex gentilibus Chananæis ortus, rex Jerusalem, contra quosdam hæreticos qui dixerunt eum non fuisse verum hominem, sed fuisse vel virtutem spiritualem, quæ in assumpto corpore apparuit Abrahæ, vel Spiritum sanctum, vel Filium Dei, vel angelum.

Nota 2 : Melchisedech fuit sacerdos eo genere et modo sacerdotii qui tunc in lege naturæ usum habebat, non visibili aliqua cæremonia consecratus, sed probabiliter ex speciali Dei instinctu et inspiratione motus ad offerendum Deo certum sacrificii genus; nam habemus ex Gen. XIV, eum Abrahamo protulisse panem et vinum, non solum in corporalem refectionem eorum, qui ex prælio fatigati redibant, sed juxta omnes fere Patres in religiosum cultum, offerendo Deo sacrificium in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, quo adumbrabat Eucharistiæ et sacramentum et sacrificium. Dicitur namque *proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei Altissimi* (*Gen.* XIV, 18). Ista particula *enim* causalis refertur ad rem sacram et munus sacerdotis. Itaque

Dico : Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. De fide. Juxta psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quem psalmum de se exponit Christus Matth. XXII. *Sacerdos*, inquam, non ejusdem rationis cum Melchisedechi sacerdotio, sed longe altiore sacerdotii æterni genere, cujus typum ac figuram gessit Melchisedech. Sicut enim hic dicitur Melchisedech, id est *rex justitiæ*, rex Salem, id est *rex pacis*; ita et Christus. Item dicitur (*Hebr.* VII, 3), *sine patre et matre* (quia nempe horum mentionem non facit Scriptura); ita Christus, quatenus Deus est sine matre, quatenus homo sine patre. Rursus dicitur sine genealogia (quia nempe ejus mentionem sub nomine *Melchisedechi* non facit Scriptura), *neque initium neque finem vitæ habens* (*Ibid.*), id est, ea non memorat Scriptura, neque ejus sacerdotii successorem. Et ita repræsentatur æternitas Christi sacerdotii perpetui, cui non successit, nec succedet aliud. Sed maxime in oblatione panis et vini per quam et Deo gratias egit et milites e via fessos post partam victoriam recreavit, præfiguravit Melchisedech incruentum Christi sacrificium sub spe-

ciebus panis et vini, quod et Deo offertur, et fidelibus Christi militibus post partam de peccatis victoriam in spirituale alimentum datur. Non dicitur autem Christus sacerdos secundum ordinem Aaron, quia nec erat e stirpe Aaron, nec cæremoniis in ea lege præscriptis erat ordinatus sacerdos; nec ejus sacrificium erat abolendum, sicuti sacrificia Aaronica abolita sunt.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

De excellenti potestate Christi sacerdotii, et de spirituali ejus regno.

SECT. I, II. — *An Christus habuerit potestatem excellentiæ, et ferendi leges.*

Dico 1 : Christus quatenus supremus sacerdos habuit supernaturalem excellentiæ potestatem in universam Ecclesiam : ita omnes theologi. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Potuit enim spiritualem rempublicam, id est, Ecclesiam condere, modum eam regendi statuere, superiores eligere, jurisdictionem illis dare, sacramenta instituere, etc., ut liquet ex Scriptura : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV, 7). *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos* (*Matth.* XXVIII, 19). *Hæc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus* (*Joan.* III, 35). Hinc sequitur Christum simul cum summo sacerdotio habuisse regnum spirituale seu regiam potestatem : *Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur* (*Dan.* VII, 14). *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem Sion sanctum ejus* (*Psal.* II, 6). *Factus est principatus super humerum ejus*, etc. (*Isa.* IX, 6). *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36) ; sive non est terrenum. *Et regnum ejus alteri populo non tradetur* (*Dan.* II, 44). Hæc potestas longe major est regum potentia, se extendens ad omnem terram et cœlum, spiritualis, æterna. Ideoque vocatur potestas *excellentiæ*, quia actus ejus soli Christo competunt : v. gr. condere Ecclesiam, instituere sacramenta, remittere peccata, etc. Imo est incommunicabilis puræ creaturæ in iis, quæ personam divinam operantem requirunt, v. gr. condigne ad perfectam æqualitatem pro peccatoribus satisfacere, etc. Unde

Dico 2 : Christus habuit spiritualis jurisdictionis potestatem ad ferendas leges, quibus homines obligaret. De fide. Definitum in concilio Tridentino (sess. 60, can. 11). *Reges eos in virga ferrea* (*Psal.* II, 9). *Virga directionis* seu æquitatis, *virga regni tui* (*Psal.* XLIV, 7). *Dominus rex noster, Dominus legifer noster* (*Isa.* XXXIII, 22). *Mandatum novum do vobis* (*Joan.* XIII, 34). *Præcepta mea si servaveritis, manebitis in dilectione mea* (*Joan.* XV, 10). *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 20). Spectat enim ad regiam et sacerdotalem Christi dignitatem ferre leges et per eas obligare. Dicitur autem : *Lex per Moysem data est, gratia per Christum* (*Joan.* I, 17), quia lex Moysis, sive per Moysem a Deo data, tantum præcipiebat et non adjuvabat, adeoque retinuit nomen legis ; Christi vero lex præcipit pauca, et multum adjuvat per gratiam, et idcirco vocatur gratia.

Dico 3 : Hæc potestas legislativa fuit in Christo cum singulari excellentia, cum qua nulli creaturæ communicata est. Manabat enim a persona divina, et per eam Christus potuit veterem legem, utpote qui erat ejus finis, juxta Rom. XII, abrogare seu finire : *Quia translato sacerdotio, necesse erat ut legis translatio fieret* (*Hebr.* VII, 12); deinde leges condere, sacramenta instituere, suam jurisdictionem vicario communicare.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

De temporali Christi regno.

SECT. I, II. — *An Christus hæreditario jure temporale Judæorum regnum tenuerit, et directum dominium in universum orbem habuerit.*

Dico 1 : Christus non tantum de facto non fuit temporalis rex Judæorum, ut patet ex Evangelio; sed etiam nullum jus humanum seu hæreditarium ratione carnalis originis ex stirpe David ad temporale illorum regnum habuit. Waldensis, Scotus, Victoria, et alii communiter contra Armachanum. Probatur : 1° quia in Scriptura non promittitur Messiæ regnum futurum esse temporale, sed spirituale, et quidem per universum orbem. 2° Quia temporale regnum David, ex cujus stirpe Christus homo descendebat, jam pridem cessaverat, et successio regni fuerat interrupta, et ad aliam familiam transierat. 3° Non potest satis probari B. Virginem aut Josephum descendisse ex David per omnes primogenitos ejus regni successores.

Dico 2 : Christus quamvis interdum habuerit aliquarum rerum humanum et temporale dominium, nunquam tamen hujusmodi dominium ac potestatem vel in toto mundo vel in aliquo regno sibi assumpsit, quandiu hic vixit. Verum per se ac directe excellens quoddam dominium ac potestatem in omnes res creatas, et in omnes hominum ac angelorum actiones habebat. (D. Thomas, Antoninus, Navarra, etc., contra Abulensem, Victoriam,) etc. Probatur, quia Christus est Filius naturalis et juxta Hebr. I, 2 : *Hæres universorum*. Ergo ratione unionis hypostaticæ hoc illi directum dominium ac potestas convenit ac debita est : et etiam aliquo modo deberi potuit ratione redemptionis et infiniti meriti ; illa enim potestas ad quamdam nominis Christi exaltationem pertinet : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur* (*Philip.* II, 10). Hinc dicitur Christus : *Princeps regum terræ* (*Apoc.* I, 5). *Habet in femore* (id est in humanitate) *scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). *Omnia subjecta sunt ei præter eum qui subjecit ei omnia* (*I Cor.* XV, 27). *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36), id est, regnum meum et dominium meum quoad res non tantum spirituales, sed etiam tempo-

rales, non est sicut dominium regum terræ, quia hoc dominium est quasi medium inter divinum et humanum; fundatur enim in voluntate humana ac libertate creata, sed pendens ab increato seu divino dominio, et sub illo exsistens. Licet igitur Christus in usu et proprietate rerum temporalium egenus fuerit, sese subdiderit, et interdum tributum solverit, habebat tamen altiorem excellentiæ potestatem et opum dominium, liber ab omni subjectione humana et tributo ob unionem hypostaticam, atque hoc probabilius ab initio conceptionis, non autem solummodo post suam resurrectionem, postquam pleniorem ejus manifestationem duntaxat obtinuit. Totam autem hanc suam excellentiæ potestatem non communicavit summo pontifici suo vicario.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA NONA.

De filiatione Christi in ordine ad Deum.

Sect. I. — *An Christus quatenus homo, vere ac proprie possit dici Filius Dei.*

Nota : Quadruplex dividitur Dei filiatio : 1. Naturalis ac personalis, qua constituitur secunda persona Trinitatis. 2. Analogica, fundata in relatione creaturæ ad Deum, uti Deus dicitur pater pluviæ. 3. Spiritualis, fundata in gratia habituali, quæ in puris hominibus dicitur filiatio adoptiva. 4. Theandrica, fundata in gratia unionis. De duabus primis hic non agitur, sed de duabus ultimis. Deinde hic particula *quatenus* non sumitur reduplicative, quia humanitas, ut patet, non est ratio et causa ob quam Christus est Filius Dei, sed specificative, ita ut sensus sit, an Christus in humanitate subsistens habeat in ipsa sua humanitate relationem filii ad Deum. Quare

Dico 1 : Christus quatenus homo est Filius Dei. (D. Thomas, etc.) Probatur : 1° quia in Scriptura unio hypostatica dici solet generatio, et Christus ut homo singulariter dicitur a Deo genitus; ergo ut homo est Filius Dei. 2° Christus quatenus homo sive in sua humanitate est particeps divinæ hæreditatis ; ergo in ipsa humanitate habet jus ad illam hæreditatem, adeoque secundum istam humanitatem est longe excellentior filius quam alii; et certe homines justi vocantur filii Dei et hæredes; ergo multo magis Christus etiam quatenus homo : nam ipse est primarius hæres; alii vero cohæredes (*Rom.* VIII). Et si gratia accidentalis constituit homines filios Dei; multo magis gratia unionis Christum quatenus hominem constituet Filium Dei. Unde

Dico 2 : Fundamentum hujus divinæ filiationis, quæ convenit Christo ut homini, est ipsa gratia unionis : habetur ex D. Thoma, Bonaventura, Magistro, etc. ; quia sicut Christus quatenus homo, est sanctus et summe gratus Deo per gratiam unionis, ita per eamdem habet jus proprium et intrinsecum ad divinam hæreditatem in sua humanitate accipiendam ; ergo ex vi illius est Filius Dei. Unde hæc relatio filiationis fundata in gratia unionis, non est realis, qualis est Dei filiatio naturalis per essentiam seu per generationem æternam, nec adoptiva per gratiam habitualem, sed est rationis et temporalis : immediate enim fundatur in persona Verbi hypostatice unita humanitati, eamque formaliter sanctificante, et consequenter dante illi jus ad divinam beatitudinem, seu jus filii ad hæreditatem Dei. Cum autem sanctificatio per gratiam unionis addat tantum humanitati moralem dignitatem, non autem physicam entitatem præter personam divinam illi unitam, incapacem realis relationis adventitiæ et temporalis; ideo etiam consequens ex illa unione filiatio confert tantum morale jus ad æternam beatitudinem sine ulla addita entitate physice creata; ideoque relatio hujus filiationis est tantum rationis, non realis. Jam vero Christus quatenus homo ratione gratiæ habitualis, non potest proprie dici Filius Dei, sicut alii homines justi, quia filiatio proprie significat relationem resultantem ex actione, qua per se primo producitur is qui filius nominatur, seu ex non filio fit filius, ut patet in filiatione humana; gratia autem habitualis in Christo jam supponit illum esse Filium Dei per gratiam unionis, et sic gratia habitualis non per se primo, sed ratione gratiæ unionis datur, ideoque relatio ex illa resultans, non potest proprie dici filiatio.

Sect. II.— *An Christus quatenus homo, sit Filius Dei naturalis ; an vero adoptivus.*

Dico : Christus quatenus homo non potest dici filius adoptivus, sed filius naturalis Dei. (D. Thomas, Albertus, Magister, Bonaventura, etc., contra Durandum et Bassolium.) Probatur ex Scriptura et Patribus : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* (*Hebr.* I, 4). « Nos, » inquit Ambrosius (lib. I *De fide*, c. 9), « filii per adoptionem, ille per naturam. » Similia habent Irenæus, Augustinus, etc.; sed id probatur efficacius ratione. 1° Persona Christi, inquit D. Thomas, est naturalis Filius Dei : ergo Christus non est Filius adoptivus, quia filiatio convenit personæ, non naturæ; sive filiatio ad Deum, quæ convenit Christo quatenus homini, non convenit humanitati secundum se sumptæ, sed humanitati ut sustentatæ a persona Verbi, sive a Verbo ut subsistenti in humanitate : id est, per se primo convenit huic personæ compositæ ex natura divina et humana. 2° Is qui est filius adoptivus, debet prius saltem natura exsistere, quam sit filius; Christus autem quatenus homo ante gratiam unionis per quam sanctificatur et accipit Dei filiationem, non prius exsistit, etiam prioritate naturæ; ergo, etc. 3° Non potest esse filius adoptivus per gratiam habitualem, quia hæc jam supponit esse filium per gratiam unionis, estque illi connaturalis ; nec per gratiam unionis, quia adoptio non constituit personam quæ adoptatur, sed advenit illi jam genitæ. Gratia autem unionis constituit Christum quatenus hominem ; ergo non potest per illam adoptari. 4° Adoptio non facit in-

ter adoptantem et adoptatum unionem secundum rem, sed secundum affectum tantum : adoptatus enim est persona extranea; jam vero unio hypostatica facit in Christo unionem, non tantum secundum affectum, sed etiam secundum rem, ita ut humanitas conveniat cum divina natura in eadem persona ; adeoque Deus et homo fit unica persona. Unde Christus quatenus homo non est persona extranea respectu æternæ hæreditatis ; ideoque non potest esse adoptivus seu adoptatus. 5° Adoptare est opus Dei ad extra adeoque opus totius Trinitatis : Christus autem quatenus homo quamvis sit opus totius Trinitatis ut causæ efficientis, non bene tamen dicitur Filius Spiritus sancti, Filius Verbi seu sui ipsius, Filius Trinitatis, multo minus filius adoptivus ; non enim effectus omnis causæ efficientis dicitur filius, nec omnis causa efficiens dicitur pater, quia debet esse efficientia per modum generationis.

Objicies 1 : Filius naturalis est qui accipit a patre naturam per naturalem generationem ; atqui Christus ut homo non sic eam accipit a Deo; ergo non est Filius Dei naturalis. Respondeo : Nego consequens. Quamvis Christus ut homo non accipiat naturam a Patre per generationem naturalem, et non possit isto modo dici filius naturalis, alio tamen modo per quamdam analogiam potest dici filius naturalis in hoc quod participat aut imitatur naturalis filii jus ad paternam hæreditatem : vi enim unionis per quam constituitur hic homo summe sanctus, habet a principio suæ conceptionis jus intrinsecum et connaturale, seu a natura congenitum ad hæreditatem ; quod hominum justorum filiationi non convenit, quia hi per accidentalem tantum gratiam habitualem habent jus ad hæreditatem Dei ; Christus autem per substantialem unionis hypostaticæ gratiam.

Obj. 2 : Hæc filiatio non differt ab adoptione sic, ut possit dici naturalis. Respondeo : Nego assumptum. Quia licet gratia unionis non sit naturalis respectu humanitatis cui gratis conceditur, est tamen naturalis respectu Christi, quia illam in suis principiis intrinsecis quibus constituitur, includit ; et ob istam naturalem unionis gratiam exsurgit Christi ut hominis filiatio naturalis, media inter naturalem per essentiam, seu per generationem æternam, et inter adoptivam aliorum hominum per gratiam habitualem.

Obj. 3 : Hinc sequitur tres esse in Christo filiationes naturales : duas ad Deum et unam ad matrem, quod videtur apud Patres inauditum. Respondeo : Juxta ordinarium Patrum loquendi modum duas tantum esse in Christo filiationes naturales fundatas in propriis nativitatibus et generationibus, unam ad Deum Patrem, alteram ad matrem. Sed illa eadem filiatio quæ ad Patrem est, consideratur sub duplici respectu : sub uno prout constituit personam in natura divina subsistentem per generationem æternam ; sub altero prout formaliter sanctificat naturam humanam per unionem hypostaticam, constituitque hunc hominem hæreditatis divinæ hæredem. Idem dic quoad prædictam naturalem ad Deum filiationem ob gratiam unionis, si persona Patris aut Spiritus sancti incarnaretur.

Sect. III. — *Quomodo certum sit Christum quatenus hominem non esse Filium Dei adoptivum, seu naturalem.*

Nota : Hæc dubitatio oritur ex nationali concilio Francofordiensi trecentorum episcoporum non ita pridem reperto in quo papa Adrianus per suos legatos et instructionem interfuit. In hoc concilio damnatus est Elipandus, qui aiebat Christum « fuisse simul Dei et hominis Filium, adoptivum humanitate, non adoptivum divinitate. » Circa quæ recentiores theologi varii varie disputant tum de auctoritate concilii, tum de sensu erroris Elipandi, tum de re damnata ac definita, alii affirmantes hanc propositionem : *Christus est Filius adoptivus*, *vel Christus quatenus homo est Filius adoptivus*, esse hæreticam ; alii negantes. Hæc omnia fuse explicat Pater Suarez, ac discutit, et postea sic concludit.

Dico 1 : Hæc propositio : *Christus est naturalis Filius Dei*, est simpliciter de fide. Est enim eadem ac : *Christus est verus Deus, Verbum Dei*, etc. Hæc autem : *Christus quatenus homo, est Filius Dei naturalis ;* si ly *quatenus* sumatur ratione suppositi, sive Christus quatenus suppositum naturæ humanæ, est etiam de fide certa ; natura enim humana non habet aliud suppositum, nisi divinum, sive nisi personam Filii Dei naturalis. Si vero ly *quatenus* sumatur ratione naturæ, sive denotando naturam, potest esse falsa et potest esse vera sub opinione ; erit falsa, si intelligatur naturalis Filius Dei Patris personaliter et proprie sumptus prout ad intra Pater producit Filium per æternam generationem ; erit autem opinative vera, si intelligatur naturalis Filius Dei, prout respicit Deum ad extra operantem, adeoque totam Trinitatem unientem Verbo hanc humanitatem : et per hanc unionem constituendo hunc hominem, et consequenter per se ex vi istius unionis sanctum et divinæ hæreditatis hæredem in ipsamet humanitate ; et in hoc sensu, cum res controvertatur a Catholicis, nihil prædictum concilium definivisse colligitur.

Dico 2 : Hæc propositio : *Christus est Filius Dei adoptivus*, habet duplicem sensum hæreticum, adeoque simpliciter hæretica censenda est : vel enim intelligitur Verbum esse Filium Dei adoptivum, vel non solam humanitatem, sed etiam hunc hominem Christum ut sic, esse tantum servum, creaturam, adoptione filium ; utrumque autem est hæreticum. Ergo, etc. Hæc autem : *Christus quatenus homo est filius adoptivus*, si ly *quatenus* denotet suppositum naturæ humanæ, quod est ipsa Verbi persona, est hæretica ; sumpta vero simpliciter, licet non sit hæretica, est tamen falsa, nec probabilis censenda est, ut patet ex iis quæ supra dicta sunt.

Sect. IV. — *An Christi humanitas possit dici adoptata.*

Dico 1 : Humanitas Christi nec proprie nec vere

potest dici adoptata. (D. Thomas, etc.) Quia adoptio ex vi suæ institutionis ac proprietatis non versatur circa naturam ut natura est, sed circa ipsam personam : persona autem Christi non est adoptata. Deinde humanitas Christi non potest dici adoptata ad gratiam habitualem, quia nec alii homines dicuntur adoptati ad gratiam habitualem : nec ipsa habet jus ad illam ante unionem hypostaticam. Ergo non est adoptata. Nec etiam potest dici adoptata per gratiam habitualem ad gloriam, quia gratia habitualis non est data humanitati per modum adoptionis seu primæ generationis et ex affectu mere gratuito tanquam naturæ omnino extraneæ, sed ex quodam connaturali debito naturæ jam deificatæ per unionem Verbi. Neque etiam potest dici adoptata per gratiam unionis; licet enim realis infusio gratiæ habitualis in aliis hominibus sit adoptio, tamen realis unio naturæ humanæ cum Verbo, non est adoptio, quia adoptio facit tantum unionem accidentalem inter adoptantem et adoptatum ; nec adoptans communicat adoptato, utpote personæ extraneæ, suum proprium naturale *esse* quod in se habet, ut patet in infusione gratiæ habitualis. Gratia vero unionis facit substantialem unionem, et per hanc unionem Deus communicat naturæ assumptæ suum proprium *esse* personale; ideoque non est adoptio, sed naturalis filiatio. Per infusionem gratiæ habitualis communicatur tantum quædam participatio divini *esse*, sed per gratiam unionis communicatur vere ac realiter divina persona. Hinc

Dico 2 : Hæc propositio : *Humanitas Christi est adoptata*, si adoptio sumatur proprie pro unione cum Deo per gratiam accidentalem, excludendo omnem aliam majorem cum Deo unionem, est hæretica; si autem sumatur indefinite sine exclusione cujusvis unionis pro omni gratiæ dono liberaliter communicato, dante jus ad participatam beatitudinem, est quidem falsa, sed non hæretica, quia non videtur data esse definitio circa hoc; quod vero sit falsa, patet ex jam dictis.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA.

De modo loquendi circa prædestinationem Christi.

Sect. I, II — *An simpliciter verum sit, Christum vel Filium Dei ab æterno esse prædestinatum; et an Christus prædestinatus sit ut sit Filius Dei naturalis.*

Nota : Fide certum est substantialem duarum naturarum, nempe divinæ et humanæ, unionem in una persona Filii Dei, fuisse ab æterno prædestinatam; hoc enim maximum gratiæ opus efficaciter ab æterno voluit Deus ut in tempore fieret.

Dico 1 : Christus quatenus homo, est ab æterno prædestinatus, sive a Deo dilectus et ordinatus ad perfectissima gratiæ et gloriæ dona, quæ illi ut homini ab æterno præparata sunt. Imo Christus simpliciter sine ulla posita determinatione in subjecto vel prædicato, vere ac proprie dici potest prædestinatus; Christus enim significat unum quid subsistens in duabus naturis, divina et humana, sed ut Christus subsisteret in istis duabus naturis, ab æterno prædestinatum est; ergo et Christus simpliciter dici potest ab æterno prædestinatus, quia cum ista Christi constitutio sit supernaturalis, proprie cadit sub prædestinationem tanquam ejus terminus. Sed

Dico 2 : Verbum seu Filius Dei non potest simpliciter dici prædestinatus, proprie loquendo. Licet enim Verbum habeat in humanitate aliquid ex divina prædestinatione, non tamen ex illa habet ea quæ pertinent ad *esse* simpliciter, vel pertinent simpliciter ad ipsius Verbi beatitudinem; sed cum relatione ad aliquem terminum, v. gr. ut sit homo, ut uniatur humanitati, etc., potest dici ab æterno prædestinatus, non quia ex vi prædestinationis sit conferenda Verbo aliqua gratia, sed isti homini vel humanitati, quatenus est hujus prædestinationis objectum, conferenda est.

Dico 3 : Quod attinet ad sensum hujus textus sancti Pauli loquentis de Christo homine ad Rom. I, 4 : *Qui prædestinatus est Filius Dei ;* omissis variis variorum Patrum ac doctorum expositionibus, hic videtur verus ac proprius esse illius sensus : Christus prout est hic homo, prædestinatus est ut sit Filius Dei naturalis. Istius prædestinationis objectum est hic homo ut sic, sive hic homo qua homo, in cujus proprio conceptu suppositum Filii Dei non includitur, sed solum id quod in hac humanitate subsistit. Terminus autem hujus prædestinationis est *esse* Filii Dei, quia suppositum Filii Dei non includitur in prædicto objecto seu conceptu hujus hominis : prius enim ratione concipitur hic homo ut sic, quam concipiatur esse Filium Dei; et hic homo ut sic, per divinam prædestinationem ab æterno ordinatur ut sit ipsemet Filius Dei naturalis. Hinc colligitur Verbum divinum seu Filium Dei non posse simpliciter dici prædestinatum Filium Dei naturalem, nec posse Christum simpliciter dici prædestinatum ad esse Filii Dei, sed solum cum addito, *quatenus homo*. Sed adverte in textu Græco loco *prædestinatus est Filius Dei*, haberi *declaratus est Filius Dei;* et sic, juxta Patres Græcos, facilis est explicatio istius textus, cum non de Christi prædestinatione, sed de ejus manifestatione optime intelligatur.

Sect. III, IV. — *De aliis modis loquendi circa Christi et ejus humanitatis prædestinationem.*

Dico 1 : Christus potest dici prædestinatus ad hæc omnia : primario ad divinam filiationem per unionem hypostaticam, quæ est ejus suprema dignitas; deinde ad alia gratiæ et gloriæ dona tanquam proprietates consequentes, et ad consummatam ejus perfectionem pertinentes : ad exaltationem sui nominis, ad gloriam corporis, et ad alias ejusmodi secundarias dignitates, quæ ex primaria consequuntur.

Dico 2 : Christi humanitas potest recte dici prædestinata ad unionem hypostaticam, juxta graves theologos. Unio enim convenit naturæ, non perso-

næ; et ista unio est prædestinata a Deo ab æterno, istiusque unionis gratia humanitati in tempore confertur. Non potest tamen bene dici humanitas prædestinata ad beatitudinem, quia hæc prædestinatio non tribuitur proprie naturæ, sed supposito; beatitudo enim in operatione consistit; et operari, proprie loquendo, est suppositi, etiamsi posset dici *comprædestinata*, nempe prædestinata simul cum supposito.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De adoratione Christo ut Deo debita.

SECT. I, II. — *Quid sit adoratio, et an in sola exteriori ac corporali actione consistat.*

Dico 1 : Adoratio est actus quo unus alteri se submittit, vel eum honorat in ejus excellentiæ recognitionem : unde minus late patet quam honor, laus, veneratio, cultus, gloria, etc. Adoratio igitur est actus virtutis quæ ad alterum tendit; actusque voluntatis qui præsupponit actum intellectus habentis bonam existimationem de personæ adorandæ excellentia. Hic actus voluntatis potest dici componi ex actu a voluntate elicito quo quis vult alterum adorare, et ex imperato, quo alterum adorat, tanquam ex interno et externo. Unus est quasi effectus adorationis, alter est quasi affectus, seu ipsa adoratio. Adorationis autem objectum *quod*, seu materia immediata circa quam versatur, est cultus alteri exhibendus; objectum *cui*, est persona cui cultus sive adoratio exhibetur. Hinc virtus religionis qua Deum adoramus, non est virtus theologica, quia non versatur circa Deum ut objectum immediatum *quod*, seu ut materiam immediatam, sed solum ut objectum cui cultum exhibet.

Dico 2 : Adoratio Dei non tantum potest externis corporis actibus exhiberi, quod est certum de fide; sed etiam in actu mere interno et spirituali potest reperiri vera et propriissima Dei adoratio, non minus quam reperitur oratio : ita communiter theologi, Magister, Albertus, Alensis, Bellarminus, etc. Hæc autem interna adoratio exercetur actibus intellectus et voluntatis, præsertim fidei, spei, charitatis; licet enim hi actus ut sunt eliciti a suis virtutibus, habeant suas proprias et specificas honestates, tamen prout assumuntur tanquam apti et accommodati ad exhibendum Deo ut supremo Domino honorem, indicant essentialem rationem adorationis; sicque sunt actus a religione imperati, et objectum immediatum circa quod versatur voluntas Deum adorandi. Probatur igitur assertio : 1° Ex Scriptura. *Et adorent eum omnes angeli ejus* (*Psal.* XCVI, 7; *Hebr.* I, 6). *Exercitus cœli te adorat* (*II Esdr.* IX, 6). Angeli enim vere adorant actibus internis et spiritualibus Deum, non corporalibus, uti et eum laudant. Item : *In nomine Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II, 10). Spiritus flectunt genu, id est adorant ac reverentiam exhibent : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV, 24). Ita etiam docent Patres. 2° Ratione. Sicut virtus religionis in voluntate exsistens utitur corporis membris ad adorandum Deum per eorum motum, ita potest uti animæ potentiis ad eumdem adorandum per earum actus internos, et sicut actus exterior induit rationem adorationis quatenus est signum submissionis et honoris, ita et actus interior, v. gr. fidei, spei, charitatis, orationis, quatenus assumitur ut nota submissionis et honoris, induit rationem internæ adorationis, si intellectus per ejusmodi actus cogitet et agnoscat summam Dei excellentiam et creaturæ debitam erga Deum submissionem, ac voluntas cum timore reverentiali se Deo ut supremo Domino subdat, et in hac sua subjectione et supremo Dei dominio complaceat. Denique datur oratio pure mentalis; ergo etiam datur adoratio mentalis. Sicut enim nostrum desiderium petendo, sic etiam nos Deo subjiciendo possumus affectum manifestare : alioquin si non possemus nisi per motum corporis eum adorare, qui non posset exteriora corporis membra movere, non posset Deum colere seu adorare. Itaque sicut actus exterior corporis, si aptus et accommodatus sit, potest esse externa adoratio sive sensibilis suæ submissionis et honoris nota, ita interior animi actus, et cujusvis virtutis, si sit proportionatus et accommodatus, potest esse interna adoratio, id est, spirituale suæ submissionis et honoris signum; uti et contra potest dari interior malitia adorationi Deo debitæ contraria.

SECT. III. — *Quotuplex sit adoratio.*

Dico 1 : Dividitur adoratio in internam et externam : externa est cultus qui fit per externa et sensibilia signa, quatenus subest voluntati adorandi procedenti ex tali judicio et existimatione rei, qualis per adorationem indicatur. Adoratio interna est cultus qui per interiores intellectus et voluntatis actus exhibetur; et hæc interna quatenus est ipsemet cultus per istos interiores actus exhibitus, potest etiam dici externa : interna autem erit actus voluntatis volentis exhibere dictum cultum interiorem.

Dico 2 : Adoratio dividitur : in *latriam*, quæ est cultus exhibitus propter increatam excellentiam, soli Deo debitus; in *duliam*, quæ est cultus exhibitus propter creatam excellentiam, maxime sanctitatis seu gratiæ divinæ et gloriæ; et in *hyperduliam*, quæ est cultus exhibitus ob singulariter sublimem excellentiam creatam. Hæcque divisio, si sumatur adoratio generatim pro actu humano ordinato ad honestum et rationabilem alterius cultum, dicenda est probabilius univoca, sicut divisio fidei in divinam et humanam.

Dico 3 : Rursus dividitur adoratio in *absolutam*, qua res colitur propter intrinsecam, quam ipsa habet, excellentiam, et hoc modo tantum res intellectualis est adorabilis; et in *respectivam*, qua res colitur propter excellentiam, quæ est in aliqua persona, ad quam ista res habet respectum aut cum illa conjunctionem : ita ut honor exhibitus non sistat in illa re, sed in personam, propter quam ejusmodi res colitur, redundat.

Sect. IV. — *Quomodo Christus ut Deus sit adorandus.*

Dico 1 : Cum de fide certum sit Christum esse Deum, eadem ergo ei debetur adoratio quæ Deo ; Deo autem singularis debetur adoratio, quæ nulli creaturæ communicabilis est : *Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* iv, 10). Dei enim excellentia prout in ipso est, nulli creaturæ communicabilis est ; ergo nec ejus adoratio. Virtus autem religionis quæ adorat Deum ob diversos titulos, v. gr. creatoris, salvatoris, glorificatoris, summi boni, etc., est una et eadem, sive una et eadem *latria*, quæ interdum vocatur etiam *dulia ;* quia omnes isti tituli vel attributa conveniunt in ratione primi principii et summi dominii, ex quo habetur suprema Dei excellentia, quæ est formale istius cultus objectum. Imo non tantum est idem habitus, sed etiam actus quibus Deus sub diversis titulis aut attributis adoratur, non videntur specie differre, cum omnes semper fundentur in increata et infinita ejus excellentia ; et licet in materia vel in actu exteriori differre possint, tamen in formali cultus ratione semper conveniunt.

Dico 2 : Quidam interni cultus actus, v. gr. fidei, spei, charitatis, etc., ita ex se sunt tales, ut ad solius Dei cultum referri possint ; externi autem non sunt ita ex se determinati ad Dei cultum. Quinetiam possint interdum adhiberi ad colendam creaturam ; nam horum determinatio sive in nominibus sive in actionibus externis, non ex ipsa rei natura, sed ex publica impositione et institutione per sufficientem auctoritatem facta provenit : v. gr. nomen *Deus*, *Creator*, etc., ad significandum verum Deum, et actio sacrificii ad colendum verum Deum, non hoc habent a natura, sed ab institutione ; nam occisio vituli de se non significat Deum esse auctorem vitæ et necis. Postquam autem sic instituta sunt, solum ad Dei cultum usurpari possunt, et tunc si ad cultum creaturæ adhibeantur, erit idololatria. Idem dic de sacerdotibus, templis, aris, utpote quæ ad sacrificium referuntur.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De adoratione sanctis hominibus vel angelis exhibenda.

Sect. I. — *An beati homines et angeli sint adorandi.*

Dico : Sancti homines et angeli digni sunt honore, adeoque a nobis colendi et adorandi sunt. De fide, in concilio Romano, sub Felice I, in septima synodo, in concilio Tridentino (sess. 25), contra Calvinum, Lutherum, aliosque antiquos hæreticos. Et patet ex Scriptura : *Cecidit Josue pronus in terram, et adoravit* (*Josue* v, 15) ; nempe angelum. *Pronus in terram adoravit angelum* (*Num.* xxii, 31). Saul adoravit Samuelem post mortem apparentem (*I Reg.* xxix, 14) ; filii prophetarum adoraverunt Elisæum prophetam (*IV Reg.* ii, 15). Idque docent Patres Cyrillus, Irenæus, Augustinus, Nazianzenus, etc. Ratio est, quia honor virtuti debetur. Sanctis ergo, qui virtute excelluerunt, in cœlo regnantibus honor a nobis debetur ; et licet corporali absint præsentia, spiritu tamen quodam modo præsentes sunt, quatenus omnia quæ ad ipsorum statum spectant, cognoscunt ; et nostrarum rerum curam gerunt, pro nobis orando et intercedendo apud Deum.

Quod autem Mardochæus noluerit adorare Aman (*Esther* iii, 2), non fuit quod non liceret externum honorem ei exhibere, cum Abraham adorarit filios Heth (*Gen.* xxiii, 12), et Natham Davidem (*III Reg.* i, 23), sed quia vel noluit eum adorare cultu latriæ, juxta D. Thomam, vel probabilius quia noluit utrumque genu ei flectere, eo quod soli Deo ejusmodi honorem Judæi præstabant. Angelus (*Apoc.* xix, xxii) non permisit Joanni ut se adoraret, dicendo, *Deum adora ;* uti nec Petrus Cornelio (*Act.* x), non quia non esset licita ista adoratio, sed ex modestia et urbanitate eam recusabant. Nam sæpius in Scriptura dicuntur homines adorasse alios homines et adhuc vivos, aut angelos, ut constat ex citatis locis. Item Gen. xxxiii et xxxiv ; I Reg. xx et xxv, etc. Unde adoratio est nomen commune latriæ et duliæ.

Sect. II, III. — *Quænam adoratio sanctis tribuenda sit ; et an illa ad religionem pertineat.*

Dico 1 : Certum est sanctos tam interiori quam exteriori cultu honorari posse : sunt enim spiritus, qui in ipso Deo vident ea quæ ad ipsos pertinent, ideoque spiritualibus animi actibus coli possunt, uti et orari ac invocari ; sed quia nos corporales sumus, ideo etiam externis corporis actibus possumus nostrum internum affectum indicare eosque adorare non cultu *latriæ* qui soli Deo debetur, sed inferiori seu *duliæ ;* et quidem non tantum respective ad increatam Dei excellentiam in illis tanquam in suis templis singulariter relucentem, sed etiam absolute et immediate ob creatam, intrinsecam, supernaturalem ac propriam ipsorum excellentiam, ut docent D. Thomas, Bonaventura, et alii communiter. Quia illorum gratia et gloria est quid creatum, ipsis intrinsece inhærens, eosque in excellenti perfectionis gradu constituens ; ergo ob hanc excellentiam digni sunt propria et absoluta adoratione, licet mediate hæc referatur ad divinæ naturæ excellentiam, cujus est quædam participatio sanctorum excellentia.

Dico 2 : Hæc adoratio sanctis exhibita ob supernaturalem ipsorum excellentiam, est longe perfectior adoratione seu cultu civili qui hominibus ob humanam dignitatem aut potestatem exhiberi solet, et specifice ab eo distincta ob diversum objectum formale. Imo iste sanctorum cultus divino cultui valde conjunctus est, utpote qui rebus sacris et ad Dei cultum pertinentibus perficitur, v. gr. institutione dierum festorum ad eorum honorem, erectione templorum in eorum memoriam, et ad eorum reliquias honorifice servandas, in jejuniis, vigiliis, peregrinationibus, etc., quæ omnia licet primario in Dei cultum referantur, tamen secundario in sanctorum honorem redundant. Hinc

Dico 3 : Iste sanctorum cultus dicitur sacer et religiosus : 1° quia in religiosis actionibus et ad

pietatem pertinentibus situs est; 2° quia ita est divino conjunctus, ut ab illo oriatur et imperetur; 3° quia valde conducit ad spirituale animæ bonum; 4° quia in perfecta et consummata sanctitate fundatur, adeoque sublimior illo qui hominibus justis in hac vita adhuc degentibus tribuitur solum intuitu eorum sanctitatis et supernaturalium donorum: quia licet hic, cum ex vera fide et religione proficiscatur, possit etiam aliquo modo dici religiosus cultus, alter tamen longe perfectioribus actibus ac rebus perficitur, ideoque excellentior. Cæterum habitus *duliæ* sanctorum videtur esse distinctus ab habitu *latriæ* seu religionis ob maximam diversitatem inter Dei et creaturæ excellentiam. Hinc sanctorum cultus non dicitur religiosus, quasi a virtute religionis sit elicitus; sed ob alias rationes jam recensitas.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

De adoratione debita Christo et ejus humanitati.

SECT. I, II. — *An Christus Deus homo adorandus sit perfecta latriæ adoratione; an etiam quatenus homo.*

Dico 1 : Hic homo Christus in divina et humana natura subsistens, adorandus est perfectissima illa latriæ adoratione, qua tota Trinitas, et singulæ personæ divinæ adorantur. De fide. Definitur in concilio Ephesino, in quinta et septima synodo, et constat ex Scriptura et Patribus : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Joan.* v, 23). *Dominus meus, et Deus meus* (*Joan.* xx, 28). *Et adorent eum omnes angeli ejus* (*Hebr.* i, 6). Adeoque una et eadem latriæ adoratione, qua Deus adoratur, ille etiam adoratur.

Dico 2 : Eadem adoratione suprema, qua Verbum incarnatum adoratur, hic homo Christus etiam ita adoratur, ut simul ejus humanitas coadoretur; sicque Christus quatenus homo specificative, illa adoratione adoratur, prout ait D. Thomas : « Utramque naturam ex parte personæ una adoratione coli. » Sicut enim eadem duliæ adoratione, qua homo sanctus ob animæ inhærentem sanctitatem adoratur, ejus corpus resuscitatum per se coadoratur; ita persona Christi quæ est una tantum constans ex duabus naturis, una adoratione per se primo tendente in ipsam personam, per se autem secundario et concomitanter in naturam humanam divinæ personæ unitam adoratur, quia de essentia latriæ solum est, ut persona adorata sit verus Deus, non autem opus est, ut quidquid coadoratur sit etiam Deus, sufficit si Dei personæ conjunctum sit; ista enim summa adoratio non æque principaliter tendit in naturam assumptam ac in personam divinam. Hinc

Dico 3 : Si Christus quatenus homo præcise adoretur ob dignitatem et excellentiam, quam ejus humanitas ex vi unionis habet, ista adoratio non erit perfecta latria, sed inferior, quia gratiæ unionis in ipsa humanitate excellentia, ob quam Christus adoratione dignus exsistit, minor est quam excellentia Divinitatis secundum se, differtque a superiori adoratione, qua humanitas simul cum Verbo coadoratur, 1° quia istius superioris formale motivum est dignitas Verbi secundum se; hujus inferioris motivum est dignitas quam habet humanitas ex unione cum Verbo. 2° In illa objectum per se primo adoratum, est persona secundum suam divinitatem, et humanitas tantum concomitanter; in hac autem objectum per se primo adoratum, est hic homo prout est compositum ex humanitate, et in ea habens excellentiam supra omnes homines. 3° In illa adoratur Christus ut æqualis Patri; in hac ut minor Patre. Utraque tamen ab eadem religionis virtute elicitur. Hinc si Christus homo precise quatenus redemptor adoretur, ista adoratio referetur ad eam quæ illi ob gratiam unionis debita est.

Dico 4 : Christus quatenus homo adorari potest ob excellentem gratiam et sanctitatem creatam suæ humanitati inhærentem; hæc tamen adoratio inferior est, et proprie hyperdulia dicitur, non enim fundatur in excellentia increata (D. Thomas, etc.); quia si sancti ob gratiam et gloriam creatam sint adorabiles, multo magis Christus ob gratiam longe excellentiorem. Itaque quando concilia definiunt Christum una tantum adoratione esse adorandum, intelligunt in Christo non ita esse dividendas adorationes, ut una ad Christum, altera ad Verbum pertinere credatur, quia hoc errorem Nestorii continet; non autem docent Christum sub quacunque ratione spectatum una tantum cultus specie esse adorabilem. Cæterum quamvis hæ Christi adorationes speculative ex diversis adorandi rationibus, recte distinguantur; practice tamen ac moraliter Christus semper colendus est perfectissima latriæ adoratione, quia unusquisque debet simpliciter coli et adorari perfectissimo honore ob suam supremam excellentiam sibi debito.

SECT. III. — *An Christi humanitas a Verbo præcisa possit adorari, et qua adoratione.*

Dico 1 : Humanitas Christi in abstracto concepta et a Verbo præcisa, abstractione præcisiva, juxta communiorem sententiam potest adorari, quamvis non perfecta latria. (D. Thomas, Cajetanus, Durandus, etc.) Potest enim per conceptum sic præscindi a persona Verbi sine errore (abstrahentium quippe non est mendacium), et adorari adoratione incompleta et respectiva tendente non in personam, sed in naturam tantum, seu in partem totius compositi. Hujusmodi autem adoratio ex se non est mala; nulle enim jure prohibetur. Non divino positivo, ut patet; nec humano aut ecclesiastico, quia concilia non loquuntur de tali adoratione; neque etiam naturali, cum in tali actu nulla possit concipi intrinseca malitia; imo sub tali præcisione melius est ejusmodi adorationem exhibere, quam prætermittere. Istiusmodi autem adoratio non potest dici suprema ac perfectissima latria. Ideo

Dico 2 : Si in humanitate Christi sola creata gratiæ dona spectentur, et præcise propter illa adoretur, ista adoratio essentialiter est dulia; quia ta-

men in illo genere est perfectissima ob dona intensive seu individualiter excellentiora, vocatur hyperdulia; sed si humanitas Christi abstracte concepta ut natura est, adoretur (sicuti adorari potest) ob unionis dignitatem, tunc adoranda est latriæ adoratione, non primaria et suprema sed secundaria et minus perfecta et diversa a prædicata hyperdulia, quamvis interdum hyperdulia vocetur. Licet enim humanitas per unionem hæreat in persona divina, non tamen transit in naturam divinam, nec est tantæ excellentiæ quantæ est natura divina; ideoque non potest adorari suprema latria, quæ soli supremæ excellentiæ competit. Dicitur tamen adorari secundaria latria, seu latria secundum quid, quia ista humanitatis adoratio fundatur in persona divina, ut termino unionis, vel potius immediate in ipsa unione ac deificatione humanitatis. Et hinc iste adorationis actus procedit ab ipso religionis seu latriæ habitu, adeoque est latria secundum quid. Verum quamvis humanitas sic adorari possit, non videtur tamen sic posse orari, quia oratio dirigitur ad personam, quæ possit dare id quod oratur; humanitas autem sine Verbi operatione dare non potest. Ex dictis facile solvuntur objectiones a conciliis et Patribus desumptæ; non enim de hujus humanitatis abstracte sumptæ, sed de ordinaria Christi adoratione agunt.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

De usu et adoratione imaginum.

SECT. I. — *An liceat et expediat Ecclesiæ uti Christi et sanctorum hominum imaginibus.*

Nota : Multi damnarunt usum imaginum ab Ecclesia adhibitum, Judæi, Saraceni, imperatores Leo Isaurius, et ejus filius Constantinus Copronymus, Wiclefus, Calvinus, Lutherus : contra quos

Dico 1 : Usus imaginum ex se est licitus et honestus, ideoque in Ecclesia catholica merito adhibetur : nam 1° ut refertur, Christus suam imaginem misit Abagaro regi Edessæ, Nicodemus Christi crucifixi, et Lucas B. Virginis imagines pinxerunt; sanctus Sylvester habebat apud se imagines Petri et Pauli, quas imperatori Constantino exhibuit, et uterque in variis templis tunc erectis multas imagines collocarunt; horum exemplum sequentes pontifices secuti sunt : unde ejusmodi usus semper viguit in Ecclesia, ut habetur ex Dionysio, Athanasio, Basilio, Chrysostomo, etc. 2° Usus imaginum nec intrinsece malus, nec ulla lege prohibitus est, nec scandalum aut idololatriæ periculum inducit. Unde

Dico 2 : Hic imaginum usus ob varios fines honestos in Ecclesia introductus est : quia 1° per illas facilius plebs indocta instruitur. 2° Profitemur credere mysteria, quæ per illas repræsentantur; excitamur ad memoriam beneficiorum Dei et ad gratiarum actionem, ad imitationem sanctorum, ad petenda eorum subsidia. 3° Per illas honor sanctis præstatur; unde sunt honesta templorum ornamenta.

Objicies 1 : Deus (*Exod.* xx; *Deut.* iv, v) prohibet usum imaginum. Respondeo : Distinguo assumptum. Quarumcunque, nego; aliquarum, ut in capite sequenti dicetur, concedo. Nam (*Exod.* xxv, 18) jubet imaginem cherubini poni super arcam fœderis, et (*Num.* xxi, 8) jubet fieri serpentem æneum; deinde (*III Reg.* vi, 23 seq.; *I Paral.* iii, 10), positæ sunt effigies duorum cherubinorum juxta propitiatorium, et in parietibus templi ad ejus ornatum fuerunt depictæ aliæ imagines, ut ex citatis locis notavit septima synodus (act. 4) in principio.

Obj. 2 : Concilium Constantinopolitanum v damnavit usum imaginum, et sexta synodus (can. 100), et concilium Eliberitanum (can. 36) prohibent picturas. Respondeo : Concilium istud Constantinopolitanum non fuit legitimum, nec universale, et ejus acta in septima synodo universali (act. 6) damnata sunt. Sexta autem synodus damnat tantum picturas lascivas. Concilium autem Eliberitanum, quod fuit provinciale et paucorum episcoporum, vetuit tantum in parietibus ecclesiarum depingi imagines, quæ lex potuit eo tempore expedire; postea tamen non tantum usu, sed etiam a septima synodo permittente depingi in parietibus imagines, abrogata est.

Obj. 3 : Epiphanius, in *Epistola ad Joannem Hierosolymitanum*, narrat se alicujus templi imaginem scidisse, etc. Respondeo : Extrema istius epistolæ pars in qua contra imagines invehitur, non est Epiphanii, sed ab aliquo hæretico supposita. Deinde non explicatur cujus fuerit ista imago; sanctine an hominis profani.

Obj. 4 : Hujusmodi imagines in templo possunt rudes decipere. Respondeo : nego assumptum. Quia omnes fideles satis norunt non ideo proponi, ut per se adorentur quasi in se aliquid divinum aut viventem spiritum haberent, sed solum in memoriam et venerationem sanctorum quos repræsentant.

SECT. II. — *An liceat uti Dei et angelorum imaginibus.*

Dico 1 : Absolute non est reprehendendus usus imaginum Dei et angelorum, imo retinendus, et expedit, si prudenter adhibeatur : ita communiter theologi contra Durandum, Abulensem, Ayalam, dicentes non expedire, quia, inquiunt, Deus aut Trinitas figura carent qua pingi possint. Sed probatur, quia jussu Dei in templo Jerosolymitano depicti sunt cherubini, et septima synodus (act. 5) approbat Spiritus sancti imaginem sub specie columbæ; item sexta synodus (can. 82) approbat Christi imaginem sub figura agni. Attamen

Dico 2 : Non possunt pingi imagines quæ proprie ac formaliter Deum repræsentant, Deus enim corporea caret figura, sed possunt pingi metaphorice et per quamdam analogiam, v. gr. Deus Pater sub figura senis, Spiritus sanctus sub forma columbæ, sub qua sensibiliter apparuit. Hæ enim imagines sunt honestæ et valde utiles ad fidei notitiam, ad devotionem, ad populi instructionem;

debent tamen tantum adhiberi juxta modum in Ecclesia receptum. Dum igitur dicitur (*Exod.* xx, 4) : *Non facies tibi sculptilia*, id intelligitur de idolis, quibus relicto vero Deo, idololatriæ cultus exhibetur, non autem de quibusvis imaginibus ; nec Lactantius contra imagines ad repræsentandum Deum verum factas loquitur, sed contra idola.

Sect. III. — *An imagines Christi et sanctorum sint adorandæ.*

Nota : Quidam antiqui hæretici admittebant quidem imaginum usum pro prototyporum recordatione ac repræsentatione, sed non pro veneratione et adoratione eis tribuenda, ut patet ex septima synodo. Sic etiam nunc nonnulli Lutherani illas in suis templis admittunt ad ornatum, sed non ad cultum. Calvinistæ autem nolunt eas in templis admittere, ut omnem cultus occasionem aut speciem tollant. Contra quos

Dico 1 : Simpliciter confitendum est imagines esse honorifice tractandas et adorandas. De fide. Habetur definita hæc veritas ex sexta synodo (can. 82), ex septima synodo (act. 7), ex octava synodo (can. 3), ex concilio Florentino (sess. 5), ex concilio Tridentino (sess. 25), et ex Patribus ac Ecclesiæ traditione. Colligitur etiam ex Scriptura quæ dicit : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.* xcviii, 5) ; id est, juxta communem et litteralem interpretationem, arcam fœderis vel propitiatorium : si ergo arca, licet inanimis, quia Deo sacrata est adoratur cultu respectivo, ergo etiam imagines quæ repræsentant personas sacras et sanctas, cultu respectivo adorandæ sunt; ex relatione enim quam habent ad personas sanctas quas repræsentant, aliquo modo sanctæ sunt, adeoque venerandæ. Imo Deus variis miraculis per imagines factis, earum cultum sibi placere testatus est. Hinc collige istam imaginum adorationem non esse absolutam, cum enim sint inanimatæ, non possunt habere in se excellentiam ob quam adorentur ; sed esse respectivam, quia solum adorantur ob excellentiam et sanctitatem eorum quos repræsentant ; ideoque iste cultus est religiosus in sanctitate fundatus, et proportionatus sanctitati personarum quas repræsentant imagines.

Dico 2 : Imagines non improprie, sed vere ac proprie adorandæ sunt, quamvis respective. Medina, Gabriel, Paludanus, etc., contra Durandum, Holcotium, et Picum Mirand., dicentes eas adorari tantum improprie et abusive, quia, ut aiunt, fit tantum ad earum præsentiam rememoratio prototyporum qui in præsentia earum adorantur quasi realiter præsentes essent ; ideoque dicuntur adorari. Sed horum sententia tanquam periculosa prorsus rejicitur a theologis. Probatur ergo assertio, quia septima synodus (act. 7) simpliciter definit sub anathemate imagines esse adorandas. Unde non solum externa adorationis actio erga imagines est exercenda, sed etiam interior adorationis et cultus et intentio ad illas dirigenda est : sola enim exterior actio sine intentione colendi, non est adoratio : nam in eadem synodo (act. 4) dicitur : *In omni adoratione intentionem ipsam requiri.* Deinde objectum seu materia ad quam dirigitur adoratio, etiamsi propter aliud, est imago ; ergo illa proprie adoratur. Nec obstat quod sit res inanimata et irrationabilis ; res enim inanimata est capax adorationis respectivæ : *Adorate scabellum pedum ejus* (*Psal.* xcviii, 5). Quod attinet ad concilium Francofordiense, vix aliquid certi ex historiographis an aut quomodo in illo actum fuerit de imaginibus ; verisimile est Adrianum papam simul cum suis legatis misisse ad illud Acta concilii II Nicæni, quod tunc temporis fuerat absolutum, ut illius definitio circa usum imaginum toti Occidenti innotesceret. Sicque in illo concilio nihil denuo de imaginibus actum aut scriptum fuisse præter acceptationem Actorum concilii Nicæni, et mutuam cum illo consensionem in condemnanda pseudosynodo Constantinopolitano sub imperatore Copronymo iconomacho facta, quam forte quidam historici aut malitiose aut ignoranter ac falso appellarunt septimam synodum.

Sect. IV. — *An imagines eadem adoratione, qua prototypi, adorari possint.*

Dico : Optime potest uno actu interiori ac exteriori simul adorari et prototypon in imagine, et imago propter prototypon. (D. Thomas, Bonaventura, Cajetanus, etc., contra Gabrielem, Cordubensem, etc.) Quamvis enim imago in se non contineat prototypum secundum proprium illius *esse* reale, illud tamen continet secundum *esse* repræsentativum, ita ut homo visa imagine, statim ac veluti conjunctim cum illa ipsum prototypum apprehendat tanquam si revera in illa adesset, et utrumque per modum unius simul concipiat. Ista igitur posita apprehensione animus adorantis uno adorationis motu interno et externo, primario in prototypum, concomitanter in imaginem fertur tanquam prototypi repræsentativam. Probatur ex septima synodo (act. 4), ubi dicitur : *Qui adorat imaginem, in ea ipsum regem adorat ;* et Origenes (*Hom. in Gen.* I) : « Qui videt imaginem alicujus, videt eum, cujus est imago. » Similiter Athanasius, Basilius, etc. Unde in hoc adorationis genere : 1° per prædictum actum directe ac primario adoratur persona in imagine repræsentata ob propriam excellentiam quam in se habet, et ipsa imago tantum concomitanter et secundario. 2° Per hanc adorationem imago non solum actu externo, sed etiam interno motu et adorantis intentione vere ac proprie adoratur ; solus enim externus actus ad veram adorationem non sufficit. Ideo in definitione septimæ synodi (act. 7) dicitur : *Qui adorat imaginem, in ea quoque* (nempe simul) *adorat descriptum argumentum.* 3° Tota hujus adorationis ratio est excellentia prototypi, quæ et ipsum et ipsius imaginem adoratione dignam reddit, nempe prototypum per se et propter se ; imaginem vero propter prototypum. 4° Hinc adoratio

imaginis Christi, proprie est latria ex habitudine ad objectum primarium seu ad personam Christi, quæ per se primo adoratur ; et quia ille actus unus et indivisibilis terminatur simul ad imaginem cum prototypo, ideo vere dicitur ista imago adorari latriæ adoratione : sicut humanitas Christi vere dicitur adorari eadem latria qua Christus adoratur, quamvis illa adoratio non habeat ex humanitate quod sit latria, sed ex ipsius Christi persona, ut clarius patebit ex objectionum solutionibus. Itaque

Objicies 1 : In variis locis septimæ synodi dicitur Christi imaginem non adorari latria, sicut adoratur ipse Christus, sed quadam minori adoratione. Respondeo : Septima synodus in istis locis non loquitur de adoratione qua imagines quatenus imagines sunt, coadorantur cum prototypo, sed qua ipsæ solæ adorantur, ut res quædam sacræ sunt ; ista enim adoratio inferior est, ut in sequenti sectione dicetur. Deinde quamvis imago uno eodemque actu quo prototypon adoratur, adoretur, tamen ille idem actus prout terminatur ad prototypon, est quidem latria perfecta, sed prout terminatur ad imaginem, non est perfecta latria, sed habet vim et rationem inferioris latriæ : sicut eadem actio prout procedit a Deo, est concursus causæ primæ, prout autem procedit a creatura, est efficientia causæ secundæ. Unde dum dicitur solus Deus latria adorari, excluditur solum alia persona ad quam possit per se primo illa adoratio dirigi ; non autem concomitantia excluduntur, sicut cum dicitur solus rex adorari honore regio, non excluditur ejus purpura et alia quæ solent coadorari.

Obj. 2 : Imago est res distincta a prototypo, nec tantæ excellentiæ quantæ prototypon. Ergo non potest eodem cultu adorari. Respondeo : Distinguo antecedens. Imago per se solam non potest adorari eo cultu qui prototypo secundum se debetur, concedo antecedens ; imago spectata conjunctim cum prototypo, non potest coadorari simul cum prototypo eodem cultu quo prototypon adoratur, nego antecedens.

Obj. 3 : Cum adoratur Christus in imagine, vel solus Christus est totum istius adorationis objectum, vel Christus et imago simul ; si hoc posterius, ergo creata res saltem partialiter est objectum adorationis latriæ. Respondeo : distinguo consequens. Res creata est partiale objectum per se primo adoratum, nego consequens ; simul coadoratum, ut quid cum Christo conjunctum, concedo consequens. Sic servata proportione humanitas Christi adoratur latria, quia conjuncta est Verbo. Non hinc tamen sequitur posse offerri sacrificium concomitanter imagini Christi, quia sacrificium respicit solam personam.

Sect. V. — *An imago possit adorari, non adorato directe prototypo.*

Dico : Quamvis imagines non possint adorari nisi ob excellentiam prototypi, nam in eis nihil est propter quod ipsæ sint adoratione dignæ (quod significavit concilium Tridentinum, cum agendo de imaginibus, dixit : *Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendæ*), tamen possunt in se proprie adorari non adorato directe et ut *quod*, ipso prototypo. (Catharinus, Gabriel, Bellarminus, Paludanus, etc.) Probatur : Cum supra ostensum sit imagines vere ac proprie adorari, non autem improprie et abusive, ut voluit Durandus, etc. Hinc sequitur aliquam earum adorationem, quæ ipsum prototypum tanquam objectum per se primo adoratum non comprehendat, esse possibilem et licitam : 1° quod sit possibilis sic ostenditur : intentio adorandi potest versari circa imaginem ut objectum *quod*, sive ut rem adoratam ob prototypon quod est objectum *quo*, seu ratio adorandi, non intendendo directe adorare istum prototypum tanquam rem directe adoratam ; sicut potest quis assentiri actui scientiæ sive conclusioni quæ nititur præmissis, ut rationi assentiendi, non assentiendo directe ipsis præmissis ; uti et potest quis amare proximum propter Deum, non amando directe Deum. Potest enim intellectus considerare et proponere imaginem ut honorabilem et adorabilem ratione prototypi ad quem dicit respectum, non considerando prototypon ut per se directe adorabile : quia prior consideratio non pendet intrinsece ex hac posteriori, etiam si virtualiter eam supponat aut includat, sed non formaliter. 2° Quod autem ista adoratio sit licita, probatur, quia licite potest adorari imago propria et in se simul cum prototypo, directe adorato ; ergo etiam ipsa sine prototypo directe adorato, potest adorari propter prototypon : utraque enim adoratio sive conjuncta sive disjuncta nititur in excellentia prototypi, propter quem adoratur imago ; ideoque est licita. Nec obstat quod sit res irrationalis et inanimata, res enim inanimatæ, v. gr. calix consecratus, vestes sacræ, liber Evangelii, etc., etiam veneratione dignæ sunt. Cum igitur imago, a prototypo præcisa adoratur, eadem qua res aliæ sacræ inanimes adorantur, adoratione colitur, uti frequenter dicitur in septima synodo deberi imaginibus veneraria adoratio, qualis debetur rebus sacris, non tamen latria : ex cujus synodi doctrina patet adorationem imaginis, prout ad ipsam terminatur, esse inferiorem adoratione prototypi ; illa autem inferior imaginis adoratio non potest esse alia quam mere respectiva quæ nititur in prototypi excellentia tanquam ratione adorandi, et versatur circa imaginem ut rem ob prototypum adoratam. Hinc sequitur istum actum quo adoratur imago a prototypo præcisa, distinctum esse et probabiliter specie diversum ab illo actu quo per se primo et directe prototypon adoratur ; imago vero secundario et concomitanter coadoratur, etiamsi ad eumdem virtutis habitum uterque pertineat : quia uterque fundatur in una et eadem prototypi excellentia.

Objicies 1 : Dum concilia docent aut definiunt imagines esse adorandas, totam hujus adorationis

rationem ponunt in eo quod in illis adoretur prototypon. Respondeo : Id quod concilia intendunt per has locutiones : *Dum adoratur imago, in ea et per eam adoratur prototypon ; adorantur imagines propter prototypon ; adoratio imaginum refertur ad prototypon*, etc., est imagines vere ac proprie esse honorandas et adorandas ratione prototyporum : hoc enim statuunt in suis definitionibus, non autem modum particularem quo ista adoratio fieri possit aut debeat. Unde ad veritatem istarum locutionum non est necesse ut res quæ in alia adorari dicitur, sit formale et proprium objectum proxime adoratum ut *quod*, sed sufficit ut sit proxima et tota ratio illam adorandi. Sic etiam explicanda sunt varia sanctorum Patrum testimonia ; solum enim intendunt imaginem non coli propter numen quod in ea sit, sed propter excellentiam prototypi, quod repræsentat.

Obj. 2 : Imago est res inanimata, adeoque incapax honoris ; ergo non est adorabilis sola sine prototypo. Respondeo : Distinguo assumptum. Imago ut est pure res quædam, v. gr. argentum, rara pictura, etc., non est adorabilis propter se ipsam, concedo assumptum ; ut est imago aut ut exercet munus imaginis, faciendo præsentem personam repræsentatam sive explicite sive implicite, et ducendo in illam tanquam in objectum *quod*, aut etiam ut est res sacra, nego assumptum. Imo ut est res sacra, potest una aliam excedere, si pluribus titulis et modis sacra censeatur. Hinc Ecclesiæ usus obtinuit, ut uni ejusdem personæ imagini, v. gr. imagini B. Virginis a D. Luca depictæ, vel imagini Christi ab ipsomet ad Abagarum missæ, major deferatur honor quam alteri ; et interdum non tantum quia est imago sacra, sed etiam quia ut reliquia habetur.

Obj. 3 : Oportet ut sit unus et idem motus adorationis imaginis et prototypi ; atqui non potest esse unus et idem ; ergo. Respondeo : Nego minorem. Idem enim intellectus et voluntatis motus tendit et in imaginem ut *quod*, et in prototypon ut *quo*, cum semper adoretur imago propter prototypon.

Obj. 4 : Adoratio est actus religionis ; religio autem non potest actus suos exercere circa res mere irrationales ; ergo adoratio non potest suum actum exercere circa imaginem inanimatam, nisi eum principaliter dirigat in rationale prototypon per imaginem repræsentatum. Respondeo : Nego debere religionem omnem suum actum expresse ac formaliter dirigere ad rem intellectualem ut ad objectum *quod*, sed sufficit ut ratione illius rem irrationalem reverenter tractet, in quo virtualiter exhibetur rei intellectuali debitus cultus quamvis in formali et expressa intentione hoc non habeatur.

Obj. 5 : Imago irrationalis non potest percipere istum honorem ; ergo non potest quis se illi submittere adoratione. Respondeo : Honor respectivus qui exhibetur imagini irrationali tanquam cultus materiæ, non exigit ut ipsa cultum percipiat, sed sufficit ut persona ob quam exhibetur, possit illum percipere ; et sic non se submittit rei irrationali ob ipsam, sed ob personam in ipsa et per ipsam repræsentatam, quamvis adorantis intentio tendat etiam in ipsam imaginem, sed ob prototypon indirecte ; alioqui vere non adoraretur, quod est contra conciliorum definitiones ; sufficit autem ut iste adorationis actus virtualiter et indirecte tendat in rem intellectualem.

Sect. VI. — *An hæc adoratio imaginum locum habeat in Dei imaginibus.*

Dico 1 : Dei aut Trinitatis imagines, etiamsi metaphorice tantum repræsentent, postquam sufficienti aut publica auctoritate institutæ sunt ad repræsentandum, cum sint sacræ, eodem duplici modo quo aliæ imagines supra explicatæ, adorari possunt, et ob eamdem rationem. Imo juxta D. Thomam, adorare hominem ut est imago Dei, vel potius Deum in illo cultu latriæ, non est intrinsece malum ; non tamen expedit ; at est periculosum, quia cum homo de se sit dignus aliquo honore, posset intervenire aliqua idololatriæ species. Idem dic de Christi imagine sub specie agni, ac de Dei imagine.

Dico 2 : Sacra Dei nomina, ac maxime nomen Jesus, etiam proprie et in se adorandum est propter eum quem significat, respectiva tamen et veneraria adoratione superius explicata, quia vix persona potest ita in illo concipi, ut cum ea conjunctim eadem adoratione coadoretur.

Sect. VII, VIII. — *An adoratio sit de præcepto, et quomodo differat ab idolorum cultu.*

Dico 1 : Quamvis absolute nullum sit præceptum sive naturale sive divinum (quod patet) utendi imaginibus, adeoque nec illas adorandi, tamen ex consuetudine Ecclesiæ, sacer illarum usus est instar præcepti : templa enim et altaria non possunt sine scandalo et irreverentia non iis ornari, et si quis ex industria rejiceret earum usum, vel hæreticus vel superstitiosus haberetur. Quo supposito duplex ex natura rei præceptum erga illas oritur : negativum de non committendo erga illas irreverentiam ; et affirmativum de deferendo illis debitum cultum, v. gr. ad confitendam fidem ; adeoque est naturale et divinum præceptum servandi debitum modum circa prædictam imaginum adorationem, ad vitandum omnem cultum superstitiosum.

Dico 2 : Cultus imaginum a cultu idolorum in hoc differt : 1° quia idolorum cultores dabant supremum latriæ cultum hominibus mortuis tanquam diis, imo etiam interdum vivis. 2° Quia putabant idola esse velut receptacula quædam superiorum virtutum illis conjunctarum, quæ eis responsa dabant, et quibus exteriores effectus ac beneficia referebant accepta, v. gr. animæ mundi, aut aliquibus mundi partium potestatibus ; quinetiam eo devenerunt, ut ipsasmet statuas sensibiles, deos pu-

tarent. 3° Quia credebant illos quos ut deos colebant, esse corporeos, et in propria similitudine per imagines repræsentari, iisque divinos honores et sacrificia offerebant. Ecclesia autem colit tantum eas imagines, quæ personas cultu dignas repræsentant, et cultu quidem accommodato cujusque personæ dignitati ac excellentiæ; omnemque cultum in unius Dei supremum honorem referendo. Deinde colit imagines non propter ipsas, sed propter prototypi excellentiam, nullamque in eis virtutem aut aliquid divinum inesse credit; et si quis cadit in hoc forte errore, erit quid per accidens, et particulari ejus ruditati ac negligentiæ attribuendum. Denique imago rem veram significat, idolum rem falsam; id est, repræsentat vel quod non est, vel quale non est, nempe ut sanctum quod sanctum non est.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

De cultu et veneratione reliquiarum.

Sect. I. — *An reliquiæ sanctorum in veneratione et honore habendæ sint.*

Dico : Sanctorum reliquiæ sancte a fidelibus conservantur, et magna cum reverentia ac veneratione merito tractantur. De fide, contra antiquos hæreticos Eunomium, Vigilantium, Wicleffum ac recentiores Lutherum, Calvinum, etc., nam ejusmodi venerationem hominibus pene dictat lumen naturale; et probatur 1° ex Scriptura : Ossa Jacob et Joseph magno cum honore conservata sunt (*Gen.* L; *Exod.* XIII). Dein ex Deuter. XXXIV creduntur angeli sepelivisse corpus Moysis. 2° Ex universali Ecclesiæ traditione et consensu : nam corpora sanctorum Petri et Pauli honorifice conservata et honorata sunt, ut habetur ex epist. 1 Cornelii papæ; et Hieronymus refert contra Vigilantium summos pontifices solitos fuisse super reliquias sanctorum apostolorum Deo sacrificare; et coram eis semper accensa fuisse luminaria constat ex Gregorio (dialog. 1, c. 24). Item Constantinopolim summo cum honore translatæ sunt reliquiæ sanctorum Andreæ, Lucæ, Timothei et Chrysostomi. Similiter Antiochiæ corpus sancti Ignatii in magna veneratione habitum, ut et caput sancti Joannis Baptistæ Alexandriæ, ac reliquiæ sancti Jacobi in Hispania, atque Mediolani tempore sancti Ambrosii inventa et honorata corpora sanctorum Protasii et Gervasii, Nazarii et Celsi. Item Gallicana Ecclesia simili semper cultu venerata est corpora sanctorum Dionysii, Martini, Hilarii, etc. Idem passim docent Patres in suis scriptis : « Eorum qui Deo vivunt, nec reliquiæ sine honore manent. » Clem., lib. *Constit.* VI, cap. 30, etc. 3° Ex miraculis per reliquias tanquam per Dei organa effectis, quibus earum venerationem Deus approbavit. Nam ossa Elisæi suscitarunt mortuum (*IV Reg.* XIII, 21). Sudaria vel semicinctia Pauli curabant infirmos et pellebant dæmones ex Act. XIX. Alia multa miracula circa hæc referuntur in septima synodo, et Augustinus (lib. XXII *De civ.*, cap. 8) refert miracula per reliquias sancti Stephani facta. 4° Ratione, quia sanctorum corpora fuerunt templa sanctarum animarum, et futura sunt consortia æternæ beatitudinis, ubi perpetuo cum honore vivent. Deinde reliquiarum conservatio, est signum amoris, et exhibitio devotionis erga sanctos, et reliquiæ majorem quam imagines habent cum sanctis conjunctionem ac relationem. 5° Denique hæc veritas catholica definita est in concilio Romano sub Felice primo, in septima synodo (act. 1), in concilio Tridentino (sess. 25), et alibi.

Objicies 1 : Christus dicebat Judæis : *Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum* (*Luc.* XI, 47). Ergo similia verba dici possent de adorantibus reliquias. Respondeo : Nego consequens. Christus per ista verba non damnabat Judæos eo quod ædificatis sepulcris honorarent prophetarum reliquias, sed quod ficto animo et ex hypocrisi ista facerent, cum ipsum prophetarum Dominum persequerentur, sicuti patres eorum persecuti fuerant prophetas.

Obj. 2 : Concilium Eliberitanum (can. 34) vetat ad sepulcra martyrum cereos accendi. Respondeo : Vetuisse cereos ad sepulcra mortuorum accendi, quia fortasse tunc temporis aliquid de errore gentilium irrepserat, et per istos cereos accensos animæ sanctorum superstitiosis ritibus invocabantur. Alioqui ista cæremonia, cessante superstitionis vel erroris periculo, est honesta et ad divinum honorem ordinatur.

Obj. 3 : In sanctorum reliquiis non manet nisi materia prima, maxime in cadaveribus, vel ad summum eadem quantitas, cum aliquibus accidentibus; sed hoc non sufficit ut possint adorari, alioqui si convertantur in terram aut in vermes, etiam possent adorari, quia manet eadem quantitas. Respondeo : Adorantur tantum reliquiæ quandiu aliquam retinent habitudinem ad personam cujus reliquiæ sunt, quam si perdiderint, jam non censentur reliquiæ, id est, quandiu conservantur sub tali forma, figura, aliisque accidentibus, ita ut humano modo existimetur esse eadem res quæ ad talem sanctum pertinuit, aut qua illis usus est.

Sect. II. — *Quænam adoratio reliquiis sanctorum tribuenda sit.*

Dico 1 : Reliquiæ eadem adoratione qua persona adoratur, possunt interdum coadorari; licet enim sint separatæ a persona cujus sunt reliquiæ, mente tamen possunt tanquam conjunctæ apprehendi, et sic unica actione adorari. Sed quando reliquiæ seorsum et per se adorantur, tunc illa adoratio est respectiva et inferior; adeoque est diversus actus ab illo, quo persona propter se adoratur, quamvis ad eumdem habitum pertineat, ut patet ex dictis superius. Unde iste reliquiarum cultus est religiosus et ad pietatem pertinens, ut supra explicatum est de imaginibus.

Dico 2 : Ut aliquæ reliquiæ publice ac publico ritu ab universali Ecclesia colantur, necesse est de sanctitate personæ vel per universalem Ecclesiæ consensum seu traditionem, vel per summi pontifi-

cis canonizationem constare. Deinde oportet ut publica auctoritate tanquam tales et ad talem personam pertinentes proponantur, nempe auctoritate papæ et episcopi, et tunc absolute et sine conditione possunt adorari ac sine periculo formalis erroris. Si autem interdum aliquis error interveniret, erit in accidente aut conditione, non in substantia rei : v. gr. putatur totum esse corpus, et est tantum illius pars, vel putatur esse talis sancti reliquias, et sunt alterius sancti ejusdem nominis. Ut autem reliquiæ privatim coli possint, sufficit privatum testimonium fide dignorum, vel alia ratio aut conjectura ita probabilis, ut sufficiat ad ferendum prudens judicium. Denique sanctorum reliquias privatim possessas licitum ac pium est devotionis causa secum portare : ita D. Thomas, Navarra, etc. Nec de hac re agit cap. *De consecr.*, d. 1, ubi præcipitur ut reliquiæ de loco in locum non transferantur sine episcopi licentia.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEXTA.

De usu et adoratione crucis, per tres sectiones.

Nota : Tripliciter sumitur crux : 1° pro cruce in qua Christus pependit; 2° pro cruce quæ ex permanenti materia conficitur, tenente locum imaginis; 3° pro cruce quæ successivo manus motu transeunter efformatur. Nunc de singulis :

Dico 1 : Signum crucis in qua Christus pependit, adorandum est, et idem dic de clavis, spinis, aliisque Christi reliquiis. De fide, juxta supra dicta de reliquiis. Nam 1° cruce illa victus est dæmon; et nostra salus comparata : *Pacificans per sanguinem crucis ejus quæ in cœlo, et quæ in terra sunt* (*Col.* I, 20). *Exspolians principatus*, etc. *Affigens illud cruci* (*Col.* II, 14, 15), etc. 2° Hæc crux fuit velut sacrum altare in quo Christus cruentum sacrificium obtulit (*Hebr.* VII); et via per quam Christus incedens pervenit ad suam exaltationem. Unde Cyrillus Jerosolymitanus (cateches. 10, 13), dicit totum mundum repletum fuisse istius crucis particulis devotionis. Ergo. Idque confirmant miracula per crucem facta, maxime in ejus inventione et exaltatione. Adoratur ergo ista crux, quia a Christo sanctificata est, eique gloriam attulit, et speciali illius contactu et usu consecrata. Jam vero quod attinet ad qualitatem et speciem istius adorationis, si lignum crucis adoretur ut apprehensione et cogitatione conjunctum ipsi Christo, tunc adorandum est perfecto latriæ cultu, per se primo ad Christum, concomitanter autem ad lignum terminatæ, sed si seorsim adoratur ut tota adorationis materia, hæc adoratio erit quidem respectiva ob Christi excellentiam, sed minus perfecta quam sit illa quæ Christo propter se debetur, etiamsi ab eodem habitu procedat; et fortasse ob id illam vocavit *hyperduliam* D. Thomas.

Dico 2 : Usus crucis per modum imaginis et figuræ Christi crucifixi, quam catholica Ecclesia semper tenuit, honestus et religiosus est. De fide. In sexta, septima, et octava synodo id definitum est. Hinc dum alicubi Evangelium de novo prædicatur, primum introductæ fidei et expulsæ idololatriæ signum, est crucis erectio, et constat ante mille et trecentos annos jam fuisse consuetudinem deferendi in publicis supplicationibus crucem argenteam inter cereos accensos, ut referunt Sozomenus (lib. XVIII, cap. 18), et Socrates (lib. VI, cap. 8). Dein in die judicii apparebit signum Filii hominis (*Matth.* XXIV, 30) : id est, juxta Chrysostomum, crux tanquam Christi vexillum ab omnibus adorandum. Potest ergo hæc crux, utpote res sacra et ad divinum cultum spectans, adorari adoratione respectiva, sicut supra de sacris imaginibus dictum est. Deinde si in cruce imago Christi sit affixa, aut depicta, potest coadorari simul cum Christo eadem adoratione latriæ; imo etiam si sit sola crux sine alia Christi figura, eadem adoratione aut respectiva potest adorari, quia etiam ex se sola repræsentat non tantum aliam crucem, sed et Christum per modum crucis extensum; quod ex se non repræsentant quivis clavi, lancea, etc., nisi depingerentur ad Christi passionem repræsentandam, quia tunc etiam venerationi haberentur.

Dico 3 : Signum crucis per modum sacræ cæremoniæ motu successivo efformatum, ejusque usus est religiosus ac utilis : 1° quia est quædam fidei Christianæ professio; hoc enim signo profitemur Christi crucem amplecti, ejus virtute sanctificari, muniri et defendi. 2° Hinc in omnium sacramentorum administratione crucis signum adhibetur (Dionysius, *De eccles. hier.*, cap. 4, 5, 6). 3° Habet vim fugandi dæmones, ut docent Chrysostomus, Hieronymus, et Lactantius. 4° Conducit ad aliquid a Deo impetrandum, uti Moyses victoriam (*Exod.* XVII), tollendo in cœlum manus in formam crucis, ut interpretatur Nazianzenus (orat. 6). 5° Hinc fideles pia universali consuetudine signum crucis suis actionibus præmittunt, ut referunt et docent Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, Tertullianus, Origenes, etc. 6° In hoc signo reperiuntur omnes imaginum utilitates : per illud enim homo fidelis conservat Christi passionis memoriam, concipit fiduciam, præbet grati animi significationem, etc.

—

QUÆSTIONIS VICESIMÆ SEXTÆ D. THOMÆ

COMMENTARIUS BREVIS,

DE CHRISTO MEDIATORE.

Dico 1 : Juxta D. Thomam, solus Christus est mediator perfectus, seu perfective inter Deum et homines, reconcilians homines Deo, satisfaciens pro eorum peccatis sive illos redimens; et nunc in cœlo pro illis intercedens. Alii autem possunt tantum dici imperfecti et dispositive mediatores per quamdam participationem, nempe angeli qui nos custodiunt, a malo avertunt, ad bonum incitant, pro nobis orant, et nostras orationes Deo offerunt; sic et sancti homines cum Christo regnantes possunt

dici mediatores imperfecti, quia pro nobis intercedunt, nostrasque orationes Deo repræsentant : sed ipsi accedunt tantum ad Deum per Christum, ejus meritis freti, et in nomine ejus deprecantur, Christus autem per seipsum, et non per alium. Denique sacerdotes, Christi vicarii, possunt etiam dici aliquo modo mediatores dispositive, quia intercedunt inter Deum et populum, eum disponunt, et illi applicant Christi redemptionem tanquam fideles mysteriorum divinorum dispensatores, pro Christo legatione fungentes.

Dico 2 : Is, qui est mediator perfectus, operaque mediatoris seu redemptoris exercuit, fuit Christus Deus homo, ita ut principium *quod* istorum operum sit Deus seu sit hic homo Deus : formale autem *quo* exercuit opera mediatoris, sit humanitas, quia mediator est munus personæ, et est tantum una in Christo persona divina; quæ est Deus et homo simul; et Christus per divinitatem non potest se submittere, ac satisfacere; ergo per humanitatem. Hinc non potest dici divinitas neque humanitas in abstracto mediator seu mediatrix, neque Verbum quatenus Deus, est mediator, absolute tamen per communicationem idiomatum potest et debet dici Deus, aut Verbum est mediator Dei hominum. Denique uno verbo: Christus ut homo sive ut hic homo, includendo hoc suppositum in humanitate subsistens, est mediator perfectus Dei et hominum.

TOMUS DECIMUS QUINTUS.

DE INCARNATIONE.

PARS SECUNDA.

DE MYSTERIIS VITÆ CHRISTI, ET UTROQUE EJUS ADVENTU.

DISPUTATIO PRIMA.

De Matris Dei dignitate in communi.

SECT. I. — *An B. Virgo vere ac proprie fuerit mater Dei et hominis.*

Dico : Beata Virgo vere ac proprie fuit mater Dei. De fide, contra Nestorium, qui licet confiteretur Christum esse Deum et hominem, negabat tamen B. Virginem fuisse Dei matrem, vel quia veram ac substantialem naturæ humanæ cum Verbo unionem negavit, vel quia eam in utero B. Virginis non fuisse factam censuit. Hæc autem veritas contra illum definita est in conciliis Ephesino et Chalcedonensi, et in sexta synodo (act. 4 et 11). Probatur : Quia eodem temporis instanti, quo Christi anima unita est corpori per maternum B. Virginis concursum (sive hic fuerit activus sive passivus tantum, parum refert), statim ista anima et istud corpus unitum fuit Verbo. Imo non solum eodem temporis instanti, sed etiam prius natura, ista Christi anima et corpus fuerunt unita Verbo, quam unita inter se; adeoque ex vi materni B. Virginis concursus aut actionis fuerunt inter se unita non solum ad componendam humanitatem, seu jungenda inter se ista duo hominis extrema, sed etiam ad constituendum hunc hominem qui est Deus : sicet in aliorum hominum generationibus, prius natura creatur anima subsistens, et statim per actionem generantis unitur corpori subsistenti. Et inde non proprie hæc humanitas, sed hic homo generatur, quia generari uti et generare, est proprium suppositorum : ita B. Virgo est mater hujus hominis; ergo et Dei, quia concipiendo hunc hominem, in ipsa conceptione hic homo erat Deus; ergo concepit hominem Deum, eumdemque genuit, adeoque est vera Dei genitrix. Hinc dicitur Filius Dei *factus ex muliere* (*Galat.* IV, 4), *factus ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Et Christus sæpe se vocabat *Filium hominis*. Ideo B. Virgo in Liturgiis Jacobi, Basilii, et Chrysostomi vocatur *incontaminata Mater Dei nostri*. Et Nazianzenus (orat. 51) : « Si quis, » inquit, « sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est. » Sic etiam dicitur : *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* (*Luc.* I, 43). *Erat mater Jesu ibi* (*Joan.* II, 1). *Accipe puerum et matrem ejus* (*Matth.* II, 13). Et licet interdum vocetur Joseph pater Christi; alibi tamen id sic explicatur : *Ut putabatur filius Joseph* (*Luc.* III, 23). Nempe pater erat putatitius ac nutritius; Virgo autem non sic. Imo Christus moriens se satis professus est ejus filium, dicendo : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26, 27). Non dixit *Mater*, ne nimium ejus viscera commoverentur, etc. Sic alias etiam non est usus nomine matris ob varias causas.

SECT. II, III. — *Quanta sit hæc Matris Dei dignitas, et quomodo B. Virgo ad eam fuerit prædestinata.*

Dico 1 : Hæc *matris* dignitas physice sumpta habet, quod B. Virgo vere ac proprie concurrerit ad fabricandum Deo corpus, et aliqua virginei corporis substantia, ex qua Christi corpus in principio constitutum, postea auctum ac deinde lacte nutritum est, Dei Verbo hypostatice unita fuerit, adeoque credi potest istam carnis substantiam quam Christus ex Virgine assumpsit, nunquam fuisse omnino demissam, aut continua caloris naturalis actione

resolutam, sed eamdem semper fuisse conservatam Verbo unitam. Hinc vera realis ad Christum hominem Deum resultat matris relatio, ex qua singulare habet jus ad bona Dei Filii sui, et supremum quemdam ac excellentem dignitatis gradum obtinet ob singularem cum Deo propinquitatem et conjunctionem. Atque hæc est matris dignitas moraliter sumpta, quæ comparata gratiæ sanctificanti, qua homo fit filius Dei adoptivus, sitne illa major, necne, sic videtur respondendum.

Dico 2 : Matris dignitas moraliter sumpta si spectetur quatenus B. Virgo est mater Christi præcise ut homo est, præscindendo in Christo personæ increatæ dignitatem, tunc non est tanta, ut patet, quanta est dignitas gratiæ sanctificantis; quia B. Virgo ut sic, non spectatur ut mater Dei, sed hominis tantum. Hoc modo Augustinus (*De B. Virg.*, cap. 3) dixit : « Beatior fuit Maria concipiendo mente quam ventre; » et Christus dicenti : *Beatus venter qui te portavit*, respondit : *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (*Luc.* XI, 27, 28). Si autem spectetur quatenus B. Virgo habet singularem cum Deo conjunctionem, seu juxta D. Thomam, affinitatem, tunc sola matris dignitas separata a gratia sanctificante seu filiatione divina ac seorsim considerata sine futura filiatione adoptiva, erit minor quam filiationis adoptivæ, seu gratiæ sanctificantis dignitas; multo enim melius et eligibilius foret esse Dei Filium, quam matrem. Sed si spectetur matris dignitas prout includit illa omnia quæ quodammodo ex natura rei et secundum divinæ sapientiæ ordinem, illi debentur, tunc longe altior est, longeque altioris ordinis quam filii adoptivi dignitas, et quasi suprema in suo genere ; quia est suprema cum persona infinita conjunctio, et cui debetur excellentior adoratio, quam aliorum sanctorum dignitati; sicut enim ratione unionis debetur humanitati Christi summa gratia et gloria, ita ratione divinæ maternitatis debetur B. Virgini ingens quædam gratiæ et donorum cœlestium plenitudo juxta divinæ sapientiæ ordinem, quia Deus juxta muneris a se collati, v. gr. præcursoris, apostoli, etc., proportionem, dat diversa gratiæ privilegia ; ergo munus matris longe excellentiora gratiæ dona, quam quævis filiatio adoptiva exigebat, adeoque matris dignitas longe altior quam filii adoptivi.

Dico 3 : Beata Virgo ab æterno ante omnia ipsius prævisa merita, fuit electa et prædestinata tum ad gratiam et gloriam, tum ad Matris Dei dignitatem : imo juxta nostrum modum intelligendi, fuit prius prædestinata et electa ad esse Matrem Dei, quam ad tantam gratiam et gloriam. Hinc tam ad maternitatem, quam ad gloriam per se et absolute electa est ante prævisum peccatum originale, cum ante illius prævisionem non solum Christus prædestinatus sit, ut esset Filius Dei, sed etiam alii homines prædestinati sint ad gratiam et gloriam. Ideo Bernardinus Senensis (serm. 51 *De B. Virgine*, c. 4) : « Tu, » inquit, « ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, ut Deum ipsum hominem procreares. » Et Prov. VIII, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio.* Si enim angeli ante prævisionem omnis peccati fuerunt prædestinati, multo magis Virgo, cujus singularis dignitas id exigebat. Quidam Patres qui in hoc videntur contrarii, loquuntur de ordine exsecutionis, non de ordine intentionis et primæ electionis. Unde ex vi hujus primæ electionis, etiamsi homo non peccasset, futura fuisset mater Dei, nec obstitisset, si tunc Deus gloriosum corpus voluisset assumere.

DISPUTATIO SECUNDA.

De naturali B. Virginis perfectione et origine.

SECT. I, II, III. — *De naturali B. Virginis conceptione, ac perfectione ; et de ejus parentibus.*

Dico 1 : B. Virgo, ut alii homines, modo ordinario per copulam maritalem procreata est ex parentibus Joachimo et Anna, qui erant nobilis honestæque conditionis ac status, sed ejus conceptio non sine miraculo et virtute supernaturali peracta est : nam Nicephorus, Epiphanius, Damascenus, etc., referunt Annam fuisse sterilem, et vitam usque ad senectutem sine prole produxisse, orationibusque conceptionem Virginis impetrasse ; ac verisimile est, ut habetur ex Epiphanio, Nysseno, etc., hanc conceptionem fuisse parentibus divinitus prænuntiatam ; imo et ipsum ejus nomen Mariæ, prout refertur in libro *De ortu B. Virginis* sub nomine Hieronymi, quod Syriace aut Hebraice interpretatur *Stella maris*, seu *Domina*, et juxta Ambrosium, *Deus ex genere meo*.

Dico 2 : Corpus B. Virginis fuit in sua specie et sexu maxime perfectum : ita docent omnes Patres. Unde multi colligunt B. Virginem ob optimam corporis complexionem magna cum animi moderatione conjunctam, nunquam in verum ac proprium morbum incidisse, honestissimaque corporis pulchritudine præditam fuisse ; adduntque D. Thomas, Alensis, Bonaventura, etc., talem fuisse ejus pulchritudinem, ut ipsam intuentes non nisi ad castitatem excitaret, motusque concupiscentiæ exstingueret. Ex his etiam patet B. Virginem sortitam fuisse animam perfectissimam ; cum hujus perfectio sit longe magis necessaria et nobilior quam corporis.

Dico 3 : B. Virgo duxit ab Abraham et Jacob et ex tribu Juda originem per familiam David. De fide. Scriptura enim ait Christum fuisse Abrahamo et Jacobo promissum, eumque fuisse de tribu Juda (*Gen.* XXIX ; *Hebr.* VII), ac filium David (*Matth.* I ; *Rom.* I). Hæc autem non possunt Christo convenire nisi ratione matris , cum secundum carnem patrem non habuerit. Matthæus autem deduxit genealogiam Christi usque ad Joseph, non usque ad Mariam, quia mos erat Judæis deducere genealogias per lineam paternam, non maternam ; cumque B. Virgo esset ex eadem tribu et familia ex qua erat Joseph ejus sponsus, essetque unigenita et hæres, satis fuit ostendisse Josephum descendisse ex tribu Juda et ex familia

David, ut sciretur ex eadem tribu et familia ortam etiam fuisse B. Virginem ejus sponsam. Quare B. Virgo descendit ex Juda et David per lineam masculinam seu paternam, et non tantum maternam: Paulus enim, ad Hebr. VII, affirmat Christum esse de tribu Juda, et negat esse de tribu Levi: ergo et B. Virgo ejus mater fuit de tribu Juda, non Levi, simpliciter loquendo. Tribus enim denominatio sumitur ex paterno genere; et licet istæ duæ tribus Juda et Levi matrimoniis jungerentur, tamen distinctio tribus fiebat per lineam masculinam, et in paterna linea conservabatur. Unde B. Virgo per lineam paternam descendebat ex David per Nathan, uterinum Salomonis fratrem, ut probabilius videtur, et per ejus filios. Idque probatur ex Luc. III, 23, ubi dicitur: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, etc.: prosequendo usque ad Natham filium David, et a Nathan usque ad Adam, lineam, non Josephi, sed probabilius ipsius Christi; nam istud relativum *qui* juxta multos graves auctores non refertur ad Joseph, sed ad Jesum, ita ut sensus sit, *Jesus, qui fuit Heli*, id est nepos Heli, alio nomine *Joachim* aut *Eliacim* dicti. Ista autem verba, *ut putabatur filius Joseph*, convenienter textui Græco includuntur in parenthesi. Deinde cum Salathiel et Zorobabel in utraque genealogia, nempe a Matthæo per Salomonem, et a Luca per Natham deducta ponantur, probabile est fuisse diversas personas ejusdem nominis, ut sæpe contingit. Matthæus enim deducendo genealogiam Josephi, ostendit illum esse ex tribu Juda, ex qua etiam erat B. Virgo, et Josepho consanguinea. Unde verisimile est B. Virginem etiam descendisse ex Salomone aliisque regibus per aliam lineæ maternæ viam; et aliqua ex parte duxisse etiam originem ex tribu Levitica, seu sacerdotali, nam dicitur fuisse cognata Elisabethæ, quæ erat ex filiabus Aaron, et juxta Nicephorum, Anna mater B. Virginis, fuit filia Nathan sacerdotis; atque ita Christus, qui futurus erat rex et sacerdos, convenienter descendit ex utraque tribu, regia et sacerdotali.

DISPUTATIO TERTIA.

De tempore quo primum B. Virgo sanctificata fuit.

SECT. I, II. — *An B. Virgo in utero matris fuerit sanctificata, et an in Adam peccaverit.*

Dico 1: Certum est B. Virginem, priusquam ex utero matris nasceretur, fuisse sanctificatam; si enim id concessum fuit Jeremiæ, ut multi censent, et certo Joanni Baptistæ, ut habet Scriptura, *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ* (*Luc.* I, 15): quanto magis B. Virgini.

Dico 2: B. Virgo a Christo fuit redempta; Christus enim fuit totius generis humani redemptor, et pro omnibus hominibus mortuus est; adeoque in pacto quod Deus cum Adamo ut capite physico et morali totius generis humani iniit, B. Virgo fuit comprehensa, uti et ejus voluntas in voluntate Adami; et sic peccante Adamo, peccavit in eo, prout dicit Paulus ad Rom. III et V, omnes peccasse in Adam, ideoque redemptione indiguisse. Unde dicitur: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (*II Cor.* V, 14). *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV, 22). Sicut ergo Christus mortuus est pro B. Virgine, per suam mortem illam redimendo, ita mortua fuit in Adamo, et vitam habuit in Christo. Hinc

Dico 3: B. Virgo ex vi suæ conceptionis habuit debitum contrahendi peccatum originale, nisi divina gratia fuisset impeditum, ut postea dicemus: quia via ordinaria ex Adamo, in cujus peccantis voluntate comprehensa fuit, tanquam ex radice vitiata descendit, et si non habuisset hoc debitum, non fuisset magis redempta quam angeli. Juxta autem sapientissimam Dei providentiam B. Virgo simul cum tota natura humana in Adami voluntate constituta est ut universalis redemptoris dignitas, et efficacia ejus gratiæ redderetur illustrior, et in illius matre perfectius eluceret, ut infra patebit.

SECT. III, IV. — *An B. Virgo potuerit ante animationem, an vero tantum in ipso conceptionis momento sanctificari.*

Dico 1: Impossibile est B. Virginem ante animationem prioritate temporis formaliter sanctificari, cum tunc nondum exsistat persona seu anima rationalis sanctitatis subjectum; imo nec radicaliter in fetu inanimata, aut semine, quia in illo nulla est ad hoc qualitas, licet possit Deus statuere, ut proles talium parentum sine peccato originali concipiatur: sed sola hæc prædestinatio non sanctificat ante animationem, sanctificat autem tantum cum exsecutioni mandatur in ipso animationis prolis seu conceptionis momento, nullum in parentibus effectum causando, adeoque non sanctificatur proprie in radice proles.

Dico 2: Certum est absolute et nulla facta suppositione, posse Deum sanctificare animam rationalem eodem instanti quo illam creat, corporique infundit, uti Adamum sanctificavit; adeoque potuit etiam B. Virginem in primo suæ conceptionis instanti sanctificare, et a peccato originali præservare. Quia licet Dei voluntas absoluta ac lex fuerit, ut peccante Adamo omnes ejus posteri essent peccato obnoxii, et perderent jus ad gratiam, potuit tamen per legem particularem alteri non repugnantem velle, ut B. Virgo, non obstante amisso jure ad gratiam ob peccatum Adæ, in quo comprehensa fuit, non incideret in peccatum, præveniendo istud per gratiam illi infusam in primo suæ conceptionis instanti; atque ita sive ante sive post prævisum peccatum originale, in omni signo rationis potuit esse præordinata ad perpetuam sanctitatem ac innocentiam. Quamvis enim si Adam non peccasset, nemo posset concipi cum peccato ob Dei promissum, quia Deus non potest esse auctor culpæ, peccante tamen Adamo, potest B. Virgo concipi sine peccato,

quia Deus est auctor gratiæ. Quare B. Virgo potuit esse peccato originali obnoxia vel solum in radice seu parentibus, id est, in formatione fetus ac semine, toto generationis tempore usque ad animationem exclusive, in cujus primo instanti potuit præveniri gratia peccatum impediente ; vel potius in propria persona sic : cum sit prioritate naturæ prius exsistere quam peccatum contrahere, aut gratiam recipere, B. Virgo in primo instanti quo incepit habere animam rationalem, potuit recipere gratiam, quæ statim eam sanctificavit et impediit influxum peccati originalis, quod necessario secuturum fuisset ex naturæ corruptæ massa, sub qua comprehendebatur, si ejusmodi gratia non fuisset præventa; atque hæc gratia fuit gratia redemptionis, qua accepta non amplius mansit obnoxia peccato originali, uti nec quivis alius postquam est semel justificatus.

Sect. V. — *An B. Virgo fuerit ab originali peccato præservata, et in primo suæ conceptionis instanti sanctificata.*

Dico : B. Virgo in ipso primo suæ conceptionis instanti fuit sanctificata, et a peccato originali præservata (Scotus, Aureolus, Gabriel, Alensis, Navarra, etc.), contra quosdam antiquos theologos.

Probatur primo, ex Scriptura, quæ huic veritati non tantum non repugnat, sed etiam favet in multis locis, v. gr. dum dicitur : *B. Virgo, gratia plena, benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I, 28). *Quia fecit mihi magna, qui potens est* (*Ibid.* 49). *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea*, etc. (*Cant.* II, 2). *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, etc. (nempe B. Virginem juxta Patres) : *ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* III, 15), intelligendo per *caput* vel peccatum originale, vel dæmonis potestatem.

Probatur secundo, ex auctoritate Ecclesiæ. De singulari enim hoc B. Virginis privilegio nunc stat communis Ecclesiæ consensus, ita ut multæ Academiæ se juramento obstringant ad illud tuendum; ipsaque Ecclesia jubet celebrari ejus Conceptionis festum, quam Sixtus IV, in extrav. *Grave*, vocat *puram et immaculatam*, et plures pontifices approbarunt religionem institutam in honorem immaculatæ B. Virginis Conceptionis, atque ejus regulam, in cujus cap. 3 dicitur, *Anima Virginis a primo instanti creationis fuisse sancta* . Adeoque Ecclesiæ mens est celebrare B. Virginis conceptionem in primo creationis ejus instanti immaculatam, et concilium Tridentinum (sess. 5), agens de peccato originali, vocat B. Virginem immaculatam.

Probatur tertio, ex Patribus. Sanctus Damascenus (orat. 1, *De Nativ. B. Virg.*) sic loquitur de ejus conceptione : « Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper exspectavit, dum gratia fructum suum produxisset. » Sanctus Laurentius Justinianus (*De grad. perfect.*, cap. 1) : « Ab originali delicto nullus excipitur, præter illam quæ genuit mundi Salvatorem. » Sanctus Cyrillus Alexandrinus (*In Joan.* XV, lib. VI) : « Excepto solo Christo, et beatissima ejus matre etiam excepta, omnes in peccato nascimur. » Sanctus Augustinus (*De natura et gratia*, cap. 30), ait : « Dum de peccatis agitur, nullam de Virgine se velle habere quæstionem, etc.; quod plus gratiæ ei allatum est ad vincendum omni ex parte peccatum. » Similia habent Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, etc. In septima synodo (act. 3) vocatur *immaculata, et omni sensibili et intellectuali natura purior*, nempe etiam angelis. Unde dum quidam Patres solum Christum excipiunt ab originali peccato, intelligunt eum solum ex vi suæ conceptionis fuisse sanctum a se et per se ; non autem excludunt Virginis privilegium, beata enim Virgo non a se et per se, sed ex privilegio fuit immunis a peccato.

Probatur quarto, ratione. 1° Quia decuit Deum sanctitatis amatorem sibi talem efficere matrem, ut omnino esset sancta et ab omni peccati labe immunis. 2° Hoc privilegium redundat in gloriam Christi quatenus redemptor est : gloriosius enim est Redemptori impedire Virginem jamjam lapsuram ne cadat, quam lapsam erigere. 3° Amor et honor matris id privilegium a Christo exigebant. 4° Adam et Eva in gratia creati sunt : multo magis debuit Virgo in illa creari. 5° Christus dispensavit cum matre in aliis legibus, v. gr. in his : *In dolore paries filios; in pulverem reverteris*, etc. (*Gen.* III, 16, 19). Ergo etiam in lege peccati originalis. Majus enim est malum incursio peccati originalis, quam corruptio corporis ; et permissio lapsus in peccatum originale, in nullum bonum poterat cedere. 6° Deus sanctificavit Joannem Baptistam in matris utero ob munus præcursoris ; debuit ergo a fortiori sanctificare B. Virginem in primo suæ conceptionis instanti ob munus matris, ut dæmon non posset gloriari illam aliquando sibi fuisse subjectam. 7° Tam singulares alias gratias ac privilegia Deus concessit beatæ Virgini ; ergo et hoc quod est longe majoris momenti. 8° Ecclesia dat licentiam sic sentiendi de immaculata B. Virginis conceptione, imo indulgentiis invitat. Potestne aliquis aliter sentire?

Objicies 1 : Si B. Virgo non habuit peccatum originale, ergo non fuit a Christo redempta. Respondeo : Nego consequens. Nobilius enim fuit a Christo redempta per præservationem a peccato, quam alii per liberationem.

Obj. 2 : Omnes in Adam moriuntur, ergo et B. Virgo. Respondeo : Distinguo consequens. B. Virgo mortua est in Adam, id est in alio, concedo, in se, nego. Fuit quidem comprehensa in peccato Adami, et habuit debitum illud contrahendi ; sed ex privilegio singulari illud non contraxit. Meritum enim Christi fuit efficacius ad præservandam a peccato matrem, quam radix infecta ad illud transfundendum.

Obj. 3 : Est singulare Christi privilegium nasci sanctum, juxta hoc : *Quod ex te nascetur Sanctum*. Ergo B. Virgo illud non habuit. Respondeo : Singulare Christi privilegium est esse sanctum ex vi suæ

conceptionis, et hoc non habuit B. Virgo, sed quamdam ejus participationem.

Obj. 4 : Si B. Virgo mortua fuisset ante Christum, ergo statim vidisset Deum in gloria, quia non habuerat originale impedimentum, et sic Christus per mortem suam non patefecisset B. Virgini januam regni cœlestis. Respondeo probabilius esse quod exspectare debuisset in limbo filii sui adventum ad intrandum cum eo in cœlum (D. Thomas, et alii). Adam enim peccando, sibi et toti generi humano cœlestis regni januam occlusit : ideoque donec satisfactum esset pro tota natura, nulli omnino patere debuit.

Sect. VI. — *Qua certitudine tenendum sit B. Virginem fuisse sine peccato conceptam.*

Dico 1 : Hæc veritas : B. Virgo est concepta sine peccato originali, potest definiri ab Ecclesia, quando id expedire judicaverit, ut supponunt Sixtus IV et Pius V in suis decretis : ex implicita enim ac tacita Dei revelatione absque nova expressa, potest Ecclesia habere sufficientia motiva ad hanc veritatem supernaturalem definiendam tum ex Scriptura tum ex traditione, maxime communi Ecclesiæ consensu accrescente. Sed

Dico 2 : Hactenus in hac controversia, nihil est ab Ecclesia definitum, adeoque nostra sententia non est de fide, ut patet ex dictis pontificum decretis; neque ex ejus festi celebritate potest inferri tanta certitudo, quanta in alicujus sancti canonizatione esse solet, quia ipsemet pontifex approbans hoc festum, declarat se solum probare hanc sententiam ut piam, quod sufficit ut pie et sine erroris periculo festum celebrari possit, quia primario fundatur in sanctitate Virginis, et consequenter respicit temporis circumstantiam ut pie creditam. Hinc

Dico 3 : Sententia asserens B. Virginem fuisse ab originali culpa immunem, non solum est rationi magis consentanea, sed etiam Patrum doctrinæ et Ecclesiæ auctoritati conformior; prohibitum tamen est sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis alterutram istarum opinionum damnet ut in fide errorem. Sed nunc recentius per decretum Alexandri VII, anno 1662 editum, habetur esse gravissime prohibitum *quovis excogitabili modo* agere contra dictam piam sententiam, aut contra cultum ac festum juxta illam institutum, sive publice sive privatim, atque olim fuisse celebratum, ac etiam nunc celebrari festum Immaculatæ Conceptionis, sive sanctificationis animæ B. Virginis in primo instanti suæ creationis, atque infusionis in corpus, non vero in secundo tantum : sic enim istud decretum loquitur : *Sane vetus fidelium erga B. V. Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis præservatam, atque in hoc sensu Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium*, etc.

DISPUTATIO QUARTA.

De perfectione primæ sanctificationis B. Virginis.

Sect. I. — *An B. Virgo in prima sanctificatione acceperit gratiam consummatam, aut in quo perfectionis gradu.*

Dico 1 : B. Virginis gratia in prima sanctificatione non fuit consummata; a principio enim B. Virgo non fuit in statu comprehensoris, in quo dicitur gratia consummata, sed viatoris : sola siquidem anima Christi ob unionem hypostaticam fuit in isto comprehensoris statu; et statum viatoris non propter se, sed propter nos habuit : Virgo autem propter se et per se fuit viatrix, ut gloriam quam connaturalem non habebat, sibi promereretur. Hinc

Dico 2 : B. Virgo in prima sanctificatione non accepit gratiam tam intensam, quam postea habitura erat, utpote gratiam viatoris, de cujus ratione est posse augeri : *Justorum enim semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*Prov.* IV, 18). Accepit tamen intensiorem, quam ulli hominum aut angelorum in prima sua sanctificatione data sit, ob futuram Dei Matris dignitatem. Imo verisimile est eam fuisse intensiorem illa suprema gratia, in qua consummantur homines et angeli : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1); nempe fundamenta sanctitatis B. Virginis ibi posita fuerunt, ubi alii sancti consummantur. *Et erit præparatus mons in vertice montium* (*Isa.* II, 2); quia gratia quæ in aliis fuit terminus, exstitit in Virgine initium. Et ratio est quia B. Virgo fuit cum Verbo conjunctissima, et amabatur a Deo supra omnes homines et angelos.

Sect. II, III. — *An B. Virgo in prima sanctificatione acceperit omnes virtutum et donorum habitus, ac gratiæ perseverantiam.*

Dico 1 : Omnes virtutes per se infusæ et omnia Spiritus sancti dona simul cum gratia, B. Virgini data sunt, quia hæc omnia veluti ex natura rei gratiam consequuntur : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* (*Prov.* IX, 1); id est, juxta Bernardum, septem Spiritus sancti dona Virgini data. Adeoque et virtus pœnitentiæ quoad habitum ei est infusa; imo probabiliter etiam omnes virtutes morales ex suo genere acquisitæ, fuerunt illi infusæ, cum ipsi Adamo et Evæ eæ fuerint in prima sanctificatione infusæ.

Dico 2 : B. Virgo nunquam amisit gratiam quam in prima sanctificatione accepit, adeoque fuit in illa tunc confirmata, et infallibile perseverandi donum accepit : sic enim Ecclesiæ consensus et traditio intelligit ejus gratiæ plenitudinem; et certe si alii sancti, v. gr. Jeremias, Joannes Baptista, etc., fuerunt in gratia confirmati, multo magis B. Virgo. Unde in annuntiatione dum ipsa interrogavit : *Quomodo fiet istud* (*Luc.* I, 34)? non dubitavit de mysterio, sed prudenter de modo interrogavit ob suum virginitatis votum. Nam dicitur : *Beata quæ credidisti* (*Ibid.* 45), et sic de modi dubitatione ac prudenti interrogatione intelligendus est Chryso-

stomus. Item nullam incurrit culpam dum filium duodennem in templo amisit, nec in ejus morte de ipsius divinitate dubitavit. Deinde illi Patres, qui dicuntur explicuisse hæc verba : *Et tuam ipsius animam gladius pertransibit* (*Luc.* II, 35), de gladio ejus dubitationis aut infidelitatis, vel male aut falso citantur, vel intelligendi sunt de B. Virginis admiratione et stupore, non de dubitatione. Ibi enim per nomen *gladii* intelligitur mors Christi quæ tanto eam dolore affecit, ut nisi specialis Dei gratia eam corroborasset, viribus defecisset. Non autem in spasmum aut animi deliquium incidit, sed stabat fortiter juxta crucem, offerens Patri æterno Filium pro hominum redemptione.

Sect. IV. — *An B. Virgo in prima sanctificatione ita fuerit in bono confirmata, ut ne venialiter quidem peccare potuerit.*

Dico 1 : B. Virginem nunquam peccasse venialiter de fide est, et fertur definitum fuisse in concilio Claromontano sub Urbano II, idque supponit concilium Tridentinum (sess. 6, can. 22). Unde B. Virgo in prima sanctificatione ita singulare Dei donum accepit, ut ne levissimam quidem culpam unquam committeret. « Absit, » inquit Bernardus (serm. 2 *De Assumpt.*), « ut proprii quidquam inquinamenti hæc aliquando habuisse dicatur. »

Dico 2 : Quamvis certum sit B. Virginem in hac vita nunquam fuisse ab intrinseco impeccabilem ad modum beatorum, utpote viatricem, tamen a prima sanctificatione habuit talia gratiæ dona et auxilia, ut infallibiliter nunquam peccaret non ex vi solorum habituum infusorum, aut solius alicujus qualitatis inhærentis, sed etiam ex singulari Dei providentia ac protectione per actualia et specialia auxilia. Unde in prima sanctificatione fuit confirmata in bono, ut nunquam peccaret, tuncque perfectionem gratiæ habitualis et virtutum omnium, huic insigni effectui confirmationis in bono proportionatam, accepit. Quare formaliter loquendo, non fuit magis impeccabilis in secunda sanctificatione, id est in filii conceptione, quam in prima : in utraque enim ex vi intrinsecæ dispositionis habuit potentiam peccandi in sensu diviso : *Potuit transgredi et non est transgressa* (*Eccli.* XXXI, 10) ; etiamsi in sensu composito, id est cum tali gratiæ dono et privilegio in nullo tempore aut statu potuerit peccare, seu peccatum habere. Cæterum aliquo modo posset dici magis impeccabilis in conceptione filii quam ante, quia tunc actuali matris dignitati, veluti ex natura rei, debita erat hæc confirmationis in bono gratia.

Objicies 1 : Sæpe Scriptura dicit neminem esse qui non peccet ; ideoque omnes posse vere dicere et orare : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12), uti definit concilium Milevitanum (can. 6, 8). Respondeo istas generales locutiones non excludere speciale B. Virginis privilegium, ut concilium Tridentinum declaravit ; attamen B. Virgo potuit ista verba : *Dimitte nobis debita nostra*, proferre pro aliis, seu pro tota Ecclesia.

Obj. 2 : Videtur B. Virgo humana ambitione peccasse postulando a filio miraculum in Cana Galilææ ; ideoque ab ipso reprehensa. Respondeo : Nego assumptum. Quando enim B. Virgo dixit filio in nuptiis Canæ : *Vinum non habent* (*Joan.* II, 3), non ambitionis, sed eximiæ fidei et charitatis specimen præbuit ; nec fuit a Christo dicente, *Quid mihi et tibi est, mulier* (*Ibid.* 4) ? reprehensa, sed sic respondit Christus, ne istud miraculum ex naturæ affectu profectum putarent, sed ut ex divina voluntate ac potestate manasse scirent, vel ut ministris injungeret quæ erant facienda, ostendendo nec ad se nec ad illam hoc pertinere ; et forte ne stantes existimarent B. Virginem id ex vana gloria postulasse, sicuti possunt intelligi quidam Patres, hac de re agentes. Denique B. Virgo nec reprehensionem nec repulsam, sed instructionem tulit, et quod petiit, obtinuit.

Obj. 3 : Videtur B. Virgo Christum publice prædicantem, ex humana quadam ambitione interpellasse (*Matth.* XII, 46 seq.), ideoque a Christo reprehensa his verbis : *Quæ est mater mea ?* Respondeo : Nulla ibi fuit matris reprehensio, cum Christus ista non ad matrem, sed ad circumstantes dixerit, ut ostenderet propter carnaliter propinquos non esse opus Dei intermittendum ; nec fuit B. Virgo quæ Christum concionantem interpellavit, sed quidam ex turba ; ipsa autem ex justa causa, non ex vanitate, ad eum veniebat.

Sect. V, VI. — *An B. Virgo in prima sanctificatione fomitem peccati originalis exstinctum habuerit, et justitiam originalem acceperit.*

Dico 1 : B. Virgo nunquam habuit actum fomitis seu fomitem in actu secundo, id est motum vel in appetitu vel in voluntate indeliberatum, qui rationem et liberum voluntatis consensum prævenerit. (D. Thomas, Cajetanus, etc.) « In reliquis sanctis magnificum fuit quod a vitiis non sunt expugnati ; in Virgine autem quod nec impugnata fuit. » (Richard. a S. Vict. lib. I *De Emman.*, c. 32.) Ratio est quia hic est effectus peccati originalis, magnam indecentiam et magnam cum culpa habens affinitatem. Deinde decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi. Sanctitas autem perfecta excludit omnem motum divinæ legi contrarium, etiam indeliberatum.

Dico 2 : In B. Virgine a prima sanctificatione fomes peccati exstinctus, et non tantum ligatus fuit ; quia B. Virgo a principio habuit gratiam et virtutes omnes tum per se tum per accidens infusas, quibus conjuncta fuerunt talia Dei auxilia excitantia, prævenientia, adjuvantia, et talis protectio, ut in sensu composito, id est suppositis istis gratiis et donis, nullum inordinatum appetitus motum habere potuerit. Hic tamen effectus in secunda sanctificatione, sive in filii conceptione auctus aut omnino perfectus fuit, cum juxta D. Thomam tum fuerit majori mentis illuminatione donata, et majori totius animæ ad Deum collectione.

Dico 3 : B. Virgo habuit donum originalis justitiæ quoad præcipuos et quasi formales ejus effectus, non tamen quoad omnes, qui ad innocentiæ seu justitiæ originalis statum pertinebant : habuit enim superiorem rationem Deo perfectissime obsequentem, et appetitum seu inferiorem rationem superiori absque ulla discordia subjectam. Non tamen habuit corpus immortale, nulli defatigationi aut dolori obnoxium, uti Adam, fuitque capax tristitiæ, timoris, et ejusmodi affectionum, quæ in statu justitiæ originalis non erant.

Sect. VII, VIII. — *An B. Virgo habuerit usum rationis ab initio suæ conceptionis, et sanctificata fuerit per propriam dispositionem.*

Dico 1 : B. Virgo in primo suæ conceptionis et sanctificationis instanti habuit actualem usum rationis. (Bernardinus Senensis, Cajetanus, etc.) Si enim iste usus rationis concessus sit Joanni Baptistæ in sua sanctificatione, ut patet ex Luc. I, 44 : *Exsultavit in gaudio infans in utero meo ;* et ex Ambrosio (lib. I *in Luc.*) : « Habebat intelligendi sensum, qui exsultandi habebat affectum : » multo ergo magis concessus est B. Virgini.

Dico 2 : Hæc rationalis cognitio, quam B. Virgo in eo momento habuit, præcipue circa Deum et Christum versata est, cum alia tunc non foret necessaria : adeoque fuit supernaturalis per perfectum fidei actum, et probabiliter ista tunc data utendi ratione facultas, fuit permanens, et semper duravit, sicuti, juxta Patres, duravit in Joanne Baptista. Maxime cum multi asserant B. Virginem triennem a parentibus in templo oblatam, intelligendi usum habuisse, suæque oblationi consensisse. Deinde dona Dei sunt sine pœnitentia, et non auferuntur sine culpa, præsertim dum data sunt in perfectiorem suscipientis sanctificationem. Hinc

Dico 3 : B. Virgo per propriam dispositionem (uti angeli et Adam), nempe per actum fidei, spei, et amoris Dei, super omnia se præparando ad recipiendam gratiam habitualem, sanctificata fuit : per actum, inquam, fidei, etc., non ex habitu, sed ex actuali Dei auxilio procedentem ; sanctificari enim per proprium actum est modus perfectior, quam sine illo, quia sine illo tantum fere infantes ratione carentes sanctificantur. Atque ita B. Virgo per illam ultimam suam dispositionem ad gratiam, meruit de condigno gloriam, non gratiam, quia gratia est, principium meriti non cadens sub meritum ; gloriam autem meruit, quia ista ultima dispositio est illius meritoria, ut dicitur in tractatu *De gratia.*

DISPUTATIO QUINTA.

De corporali Deiparæ virginitate.

Sect. I. II. — *An B. Virgo Christum concipiendo aut pariendo virginitatem seu corporis integritatem amiserit.*

Dico 1 : B. Virgo non ex viri semine, sed sola Spiritus sancti virtute et operatione Christum concepit. De fide : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, etc. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 18, 20). *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). *Ecce Virgo concipiet*, etc. (*Isa.* VII, 14). *Ascendet Dominus super nubem levem* (*Isa.* XIX, 1) ; id est, inquiunt Cyrillus et Hieronymus, « Nullo humano semine prægravatam. » *Novum creavit super terram Dominus* (nempe extraordinarium) : *Femina circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI, 22). *Lapis abscissus est de monte sine manibus* (*Dan.* II, 45) ; id est, de Virgine sine hominis opera. Deinde omnia concilia, quæ de incarnatione agunt, id supponunt ac definiunt, v. gr. concilium Ephesinum, Chalcedonense, etc. Figuræ hujus mysterii fuerunt : Adam ex terra virginea, solius Dei opera formatus, Melchisedech sine patre, virga Aaron quæ floruit, vellus Gedeonis, rubus ardens incombustus, etc. Ratio autem hujus mysterii maxime petenda est ex Dei voluntate et omnipotentia, cui non est impossibile omne verbum ; sicque decebat fieri, ne Christi humanitas ex vi conceptionis esset culpæ originali obnoxia, atque ut sicut mulier ex solo viro facta est, ita aliquis vir ex sola muliere procrearetur. Ista igitur conceptio fuit omnino supra naturam, seu supernaturalis. Unde

Dico 2 : B. Virgo concipiendo filium non amisit suam virginitatem, nec ullam sensit libidinis voluptatem. De fide ; et habetur ex Scripturis, Symbolo, Patribus. Bernardus, in serm. : *Signum magnum*, ait, « solam illam tædium non sensisse, quæ sola sine voluptate concepit. »

Dum ergo dicitur : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (*Galat.* IV, 4) ; id est, conceptum ex muliere, ut notat Tertullianus. Et istud nomen *mulier* juxta Origenem, significat feminam jam ad matrimonium habilem, adeoque virgo potest vocari *mulier :* sic Martha quæ erat virgo, Luc. X, 38, vocatur *mulier quædam Martha nomine*, etc. Deinde Joseph in Scriptura appellatur Christi pater, non quod eum genuerit, et B. Virgo ex illo Christum conceperit suam virginitatem amittendo ut voluerunt Ebion, Cerinthus, Carpocratus, aliique hæretici, sed quia sic palam existimabatur ad conservandam virginis famam ; ideoque Luc. III, 23, de Christo dicitur : *Ut putabatur filius Joseph.*

Dico 3 : B. Virgo pariendo filium, virginitatem non perdidit, sed integerrima prorsusque incontaminata permansit. De fide, contra Jovinianum admittentem B. Virginem in filii conceptione virginem permansisse, non in partu. Probatur ut supra de conceptione, ex iisdem Scripturæ locis, Patribus, conciliis, et maxime ex Isa. VII, 14 : *Dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est nobiscum Deus.* Et licet nomen *virgo* Hebraice *alma* sine aspiratione significet tantum virginem nubilem, tamen positum cum aspiratione *haalma*, ut hic in Hebræo habetur, significat virginem permanendo virginem. Deinde si intelligeretur tantum quod puella virgo esset paritura, perdendo in partu

suam virginitatem, quale foret hoc prodigium seu signum quod Deus promiserat? Unde referunt Basilius, Nyssenus, Origenes, etc., B. Virginem post partum accedere solitam ad templi locum, in quo virgines separatim orare solebant; multique Patres apud Lactantium, utuntur Sibyllarum prædictionibus, quæ Christum ex Virgine nasciturum prædixerant. Denique præcipua hujus mysterii ratio est divina voluntas et potentia, cui hoc fuit possibile et decens: non decebat enim Dei Verbum, ut multi Patres ratiocinantur, privare matrem corporis integritate, quam facile conservare, perficere, et consecrare poterat. Dum quidam dicunt Christum nascendo vulvam matris aperuisse, id significat fecunditatem illi dedisse; *claudere* enim *vulvam* in Scriptura significat reddere infecundam mulierem.

Dico 4 : Christus exivit ex utero matris sine ulla virginei corporis immutatione, læsione, difficultate, ac injuria, ad eum modum quo exivit de sepulcro, vel ingressus est ad discipulos januis clausis, non transiliendo nec dilatando nec immutando, sed simpliciter penetrando interjacentia corpora, simulque cum illis in eodem loco exsistendo, ideoque omnes Patres hoc partus miraculum valde exaggerant.

Sect. III, IV. — *An B. Virgo post partum semper virginitatem servaverit; et quomodo Christus dicitur habuisse fratres.*

Dico 1 : B. Virgo perpetuam virginitatem coluit, neque unquam virum cognovit. De fide, contra Helvidium antiquum hæreticum, quosdamque recentiores hæreticos, fingentes B. Virginem post partum Christi, alios filios ex Joseph concepisse. Probatur : *Porta hæc clausa erit, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam* (*Ezech.* XLIV, 2) ; id litteraliter intelligi de B. Virgine testantur Hieronymus aliique Patres. Dum Christus dixit : *Ecce filius tuus, ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 26, 27), sat ostendit matrem suam non habuisse præter se alios filios. Deinde in quinta synodo (can. 6), et in sexta synodo (act. 11), dicitur : *Mariæ virginitas ante partum, in partu, et post partum intemerabilis.* Sicque in Symbolo apostolorum dicitur : *Natus est ex Maria Virgine.* Et certe decebat, ut sicut Christus est unigenitus Patris, ita esset et matris, ut Spiritus sancti sacrarium humano semine non fœdaretur, ut ipsa Virgo divinitus conservatam virginitatem non prodigeret, utque non tantum a Christo, sed etiam ab ejus matre virginitatis exemplum daretur imitandum; deinde Joseph, vir justus et mysteriorum conscius, non ausus fuit Virginis castitati adversari. Itaque dum dicitur Matth. I, 18-25 : *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, etc., *non cognoscebat eam, donec peperit filium :* ista verba *antequam convenirent*, significant tantum non convenisse, non autem postea convenisse : sicut v. gr. *antequam missam audirem, discessi*, non significatur per hoc missam postea fuisse auditam. Sic Matth. VI, 8 : *Scit Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis.* Simili modo particula *donec*, tantum significat id non fuisse factum usque ad illud tempus, uti dicitur psal. CIX : *Donec ponam inimicos tuos*, etc. Etiamsi quidam alii ista verba : *Antequam convenirent*, exponant de cohabitatione domus, non tori, et hæc : *Non cognovit eam*, non ad carnis, sed ad mentis cognitionem referant. Talis tamen expositio non sat congruere videtur.

Dico 2 : Illos, qui in Scriptura dicuntur fratres Domini seu Christi, non fuisse filios B. Virginis, non solum certa fide et traditione habetur, sed etiam ex ipsis Evangeliis colligi potest. Nam Jacobus et Joseph qui dicuntur fratres Domini, non erant filii B. Virginis Mariæ, sed alterius Mariæ, quæ erat uxor Cleophæ, ut habetur ex Matth. XXVII, 56, ubi numerantur, *Maria Magdalena, Maria Jacobi et Josephi mater.* Hæc ergo Maria mater Jacobi et Joseph non erat B. Virgo Maria, non enim legitur ivisse cum Magdalena ad Christi sepulcrum. Unde

Dico 3 : Ii, qui in Evangelio dicuntur fratres Domini, non fuerunt ex Joseph Virginis sponso geniti, antequam duceret B. Virginem : contra multos antiquos Patres Græcos et Latinos, qui putarunt Josephum priusquam Mariam virginem duceret, habuisse unam aut forte plures successive uxores, ex quibus genuerat Jacobum fratrem Domini, et fratres ejus. Probatur, quia sanctus Joseph sponsus Virginis, juxta Hieronymum, Augustinum, Rupertum, D. Thomam, etc., fuit semper virgo, et iste Jacobus frater Domini in Evangelio dicitur filius Alphæi seu Jacobus Alphæi. Unde isti fratres Domini solum ita appellati sunt ob aliquam consanguinitatem veram vel existimatam, quam cum Christo secundum carnem habuerunt : ita Hieronymus, Augustinus, Beda, etc. Sic Lot et Abraham dicuntur fratres Gen. XVIII, cum tamen Lot esset nepos Abrahæ; item Jacob et Laban dicuntur fratres, Gen. XXVIII; imo omnes Israelitæ dicuntur fratres, Gen. XIII, nempe natione; et Christus vocat suos apostolos, fratres, nempe affectu. Incertum igitur est ob quem gradum consanguinitatis vel propinquitatis hi fuerint dicti fratres Christi; imo neque constat, an vere consanguinei fuerint, an autem putati consobrini Christi ex parte Josephi qui existimabatur ejus pater. Nam Maria mater Jacobi et Joseph erat uxor Alphæi, qui probabiliter alio nomine dicebatur Cleophas; hic autem Cleophas erat frater Josephi sponsi B. Virginis juxta Eusebium, ideoque ista Maria mater Jacobi et Joseph, vocabatur soror B. Virginis : vel potest dici hæc Maria prius nupsisse Alphæo, et ex illo genuisse Jacobum et Joseph, postea vero mortuo Alphæo, rursus nupsisse Cleophæ fratri sponsi B. Virginis, et ex illo genuisse Simonem et Judam seu Thaddæum, et sic isti quatuor fuerunt dicti fratres Domini, nempe quasi affines. Deinde valde controvertitur quis fuerit iste Jacobus frater Domini, primus Jerosolymitanus

episcopus; apostolusne, an tantum unus ex septuaginta Christi discipulis.

DISPUTATIO SEXTA.

De virginitate Mariæ, quoad animi virtutem.

SECT. I, II. — *An B. Virgo habuerit semper servandæ virginitatis votum, et an illud voto firmaverit, ac quonam tempore.*

Dico 1 : B. Virgo a principio usus rationis habuit absolutum et firmum propositum servandi perpetuam virginitatem, (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, Magister, Gabriel, etc.) Mota enim semper a Spiritu sancto fuit ad amandum et agendum id quod melius et gratius Deo foret; et hoc etiam tempore legis scriptæ erat melius et gratius Deo, nullum siquidem in illa lege erat præceptum, quod omnes ac singulos obligaret ad procreandos liberos, aut quod cælibatum prohiberet : nam Deus virginibus et servantibus castitatem et sua præcepta custodientibus promittit nomen æternum et locum insignem in domo sua (*Isa.* LVI, 5). Unde multi viri sanctissimi in illa lege virginitatem ut meliorem, coluerunt, v. gr. Jeremias, Elias, Daniel, tres pueri, Joannes Baptista, Esseni, etc. : cum igitur populus Dei jam satis esset propagatus, nullus in particulari ad matrimonium obligabatur.

Dico 2 : B. Virgo ante filii sui conceptionem emisit absolutum et perfectum castitatis votum, ut ex verbis Luc. I, 34, colligitur : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Id est, mihi non licet virum cognoscere, nec jam est positum in voluntate mea (D. Thomas, Augustinus, Bonaventura, Scotus, etc.). Licet enim fortasse jam sciret ex his verbis Isa. VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet*, etc., Messiam ex virgine nasciturum, poterat tamen nescire modum et circumstantias, ac sic interrogare. Unde

Dico 3 : B. Virgo hoc votum emisit ante contractum cum Josepho matrimonium : Bonaventura, Richardus, Scotus et alii theologi communiter, contra Sotum dicentem illud tantum emisisse post contractum matrimonium, et quasi contra D. Thomam, Capreolum, Paludanum, etc., sentientes B. Virginem ante contractum matrimonium emisisse virginitatis votum tantum conditionatum, sive sub conditione : *Nisi Deus aliud de me statuerit;* absolutum autem post desponsationem cum Josepho. Sed si illi intelligant hanc voti conditionem sic : *Ego voveo et me obligo ad servandam virginitatem, quandiu mihi Deus non revelaverit aliud sibi placere;* tunc est conditio generalis quæ in omni voto implicite continetur, et in re est absolutum votum aut parum ab eo differt. Hoc autem votum B. Virginem ante matrimonium emisisse colligitur ex eo quod semper summo affectu amaverit castitatem, et isto modo servata, fuerit perfectior et Deo gratior; nec matrimonio contrahendo, quod ex fidelitate et justitia obligat ad reddendum petenti conjugi debitum, repugnabat, quia, ut aiunt Gregorius Nyssenus, Bonaventura aliique Patres, habuerat revelationem, qua sibi constabat Josephum nunquam istud debitum petiturum.

SECT. III. — *An B. Virgo prima fuerit in vovenda virginitate.*

Dico 1 : Quamvis multi ante B. Virginem servaverint castitatem, nemo tamen illorum eam vovisse ante B. Virginem videtur : ita Bernardus, etc. « Votum virginitatis prima vovisti, » ait Rupertus (lib. III *in Cant.*). « Prima feminarum tantæ se virtuti mancipare curavit (BEDA *in Luc.* I). » Sic etiam Ambrosius, Abulensis, etc. Unde Elias, Daniel, aliique servaverintne ex voto castitatem, Scriptura non memorat; quoad Mariam Moysis sororem, incertum an virgo permanserit; de filia Jephte nullibi legitur vovisse castitatem. Esseni referuntur quidem castitatem servasse, sed non vovisse; neque eam ut perpetuam et immobilem custodierunt.

Dico 2 : B. Virgo in virginitatis servatæ perfectione aut statu, quoad charitatem, immobilitatem, intentionem, exemptionem ab omni motu aut re contraria, sine ulla dubitatione primatum inter omnes puras creaturas tenuit. Nec voti extrinseca solemnitas, quæ aliis convenit ad firmandum eorum animos in via perfectionis, fuit illi necessaria ad virginitatis perfectionem, quia fuit semper et immobiliter in statu perfectionis.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De B. Virginis matrimonio cum sponso suo Joseph.

SECT. I. — *An inter B. Virginem et Josephum verum intercesserit matrimonium.*

Nota : B. Virgo tertio ætatis suæ anno a parentibus præsentata est in templo, ubi erat locus separatus puellarum habitationi et educationi accommodatus, ibique mansit usque ad annos nubiles, soli Deo vacans, et probabiliter sæpius ab angelis visitata et nutrita, ardentissimis votis Filii Dei incarnationem sollicitans. Postquam ibi mansisset annis undecim, juxta aliarum virginum morem destinabatur ad matrimonium; sed ipsa huic reluctans, causata se Deo a parentibus et a seipsa dicatam, divina inspiratione aut revelatione, tradita est a sacerdotibus nomine desponsationis Josepho ex eadem familia et tribu, viro ad custodiendam ejus virginitatem idoneo. Ita fere Nyssenus, Damascenus, Nicephorus, etc.

Dico 1 : B. Virgo verum ac proprium matrimonium ratum contraxit cum Josepho. Id de fide esse docent omnes Thomistæ. Probatur : 1° ex Scriptura : *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph* (*Matth.* I, 18). *Ascendit Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore* (*Luc.* II, 4, 5). Ista vox enim *desponsata* matrimonium ratum significat. Deinde dicitur : *Joseph autem vir ejus* (*Matth.* I, 19), et in Evangelio vocatur pater Christi (*Luc.* II, 33, 48), quia B. Virgo mater Christi, erat ejus uxor. 2° Ex traditione Patrum, qui indicant hoc matrimonium fuisse necessarium

ad vitandam Virginis infamiam. 3° Ratione, quia hoc matrimonium sic perfici, salva virginitate, potuit, illudque B. Virgo iniit ex divina revelatione, aut speciali instinctu, ut in externo statu et vitæ genere suæ genti se accommodaret. Quamvis enim per matrimonium detur potestas et dominium in corpus conjugis, potest tamen esse sine usu; ut patet in matrimonio rato, quod est vere matrimonium. Patres igitur nomine *sponsalium*, intelligunt matrimonium ratum. Hinc

Dico 2: B. Virgo ex divina revelatione, ut censent antiqui Patres, matrimonium contraxit; certa suum sponsum libenter in perpetuam virginitatem consensurum, nec unquam debitum conjugale petiturum.

Sect. II, III. — *Quo tempore et in qua ætate Maria et Joseph inierint inter se matrimonium.*

Dico 1: Matrimonium inter Mariam et Josephum quoad essentiam et contractum, ante Filii Dei incarnationem, initum est: dicitur enim Luc. I, 26, 27: *Missus est angelus Gabriel a Deo ad Virginem desponsatam viro.* Per desponsationem intelligunt Patres matrimonium ratum. Imo probabilius est eos tempore conceptionis divini Verbi jam simul cohabitasse in eadem domo, uti expresse sensit Chrysostomus; videtur enim B. Virgo recedendo a templi domicilio, post expletam omnem matrimonii accidentalem solemnitatem et sacerdotalem benedictionem, si forte tunc dabatur, statim ab ipsis sacerdotibus tradita fuisse Josepho viro suo ad simul cohabitandum. Unde dum postea dicitur: *Noli timere accipere Mariam conjugem* (*Matth.* I, 20), id est, eam conjugem quam in animo statueras dimittere, domi retine, simulque cohabita, expulsa omni adulterii suspicione; dictum enim erat prius de Josepho vidente B. Virginem gravidam: *Joseph autem vir ejus cum esset justus et nollet eam traducere* (id est, infamare, non vero in domum suam transferre), *voluit occulte dimittere eam* (*Ibid.* 19); id est, vel ob adulterii suspicionem noluit eam accusatione infamare, sed occulte voluit ab ea recedere, ne videretur ejus peccato consentire, vel B. Virginis innocentia et sanctitate convictus, mysterii notitiam judicii suspensione exspectans, voluit ab ea clam separari.

Dico 2: Probabilius, juxta Nicephorum, Gregorium Nyssenum, Damascenum, etc., B. Virgo undecim fere annis in templo expletis, agens annum decimum quartum inchoatum, nupta fuit cum Josepho, et post quatuor menses accepit angelicum nuntium; adeoque agens decimum quintum ætatis annum peperit filium. Joseph vero, quando duxit B. Virginem, non octogenarius aut valde senex, ut quidam putarunt, sed videtur potius fuisse vir maturæ et intermediæ ætatis, plenus prudentia ac virtute, aptus ad juvandam Virginem in suis laboribus et paupertate, et ad custodiendam illius virginitatem.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Josepho B. Virginis sponso.

Sect. I. — *De sancti Josephi dignitate.*

Nota: Probabilius est sanctum Josephum fuisse fabrum lignarium quam ferrarium.

Dico 1: Prima sancti Josephi dignitas est, vere ac proprie fuisse Virginis sponsum, omniaque veri sponsi jura ac munera, excepto debiti conjugalis usu, habuisse, dignitas omni laudis sermone excelsior. Hinc adeptus est patris Christi nomen et existimationem: *Ut putabatur filius Joseph* (*Luc.* III, 23). *Nonne hic est filius Joseph?* (*Joan.* VI, 42.) Imo non tantum vulgus eum isto nomine appellabat, sed etiam evangelista, et B. Virgo: *Erant pater et mater ejus mirantes super his quæ dicebantur de illo* (*Luc.* II, 33). *Pater tuus et ego, dolentes quærebamus te* (*Ibid.* 48). Nec tantum patris Christi nomen habuit, sed etiam rem quæ huic nomini subest, participavit, quantum potest ab homine, excepta carnali generatione, participari. Quare habuit paternum affectum ac sollicitudinem, et quasi patris auctoritatem: per verum enim matrimonium Joseph habuit aliquod dominium in Virginem, adeoque et in Christum ut hominem ejus fructum; ideoque aliquo modo fuit caput et superior Virginis ac Christi ut hominis: *Caput mulieris, vir* (*I Cor.* XI, 3). Et sic B. Virgo in rebus externis ac domesticis dependebat a Josepho; ideoque illi ut domus capiti facta est revelatio de fuga in Ægyptum, de reditu ex Ægypto, de impositione nominis Jesu. Ipsemet etiam Christus ei obediebat: *Et erat subditus illis* (*Luc.* II, 51). Unde inter Mariam et Josephum, atque inter Jesum et Josephum singulare mutui amoris perfectissimæque amicitiæ vinculum, intrinsece ex dignitate et statu ortum, intercedebat.

Dico 2: Dignitas Josephi comparata cum dignitate præcursoris, apostoli, aut evangelistæ, cum sit diversi ordinis, potest dici habere se ut excedens et excessum. Apostolicum enim munus est supremum in Ecclesia omnium munerum prout a Christo instituta sunt, sive quoad dona specialia, sive quoad gratias gratis datas. Ministerium tamen sancti Josephi prout attingit ordinem unionis hypostaticæ, videtur ex suo genere nobilius ac præstantius.

Sect. II. — *Ecquam sanctitatis perfectionem assecutus sit sanctus Joseph.*

Dico 1: Joseph fuit perfectissimus et eximiæ sanctitatis vir. Deus enim unicuique proportionatam officio in quo illum constituit, gratiam ac sanctitatem confert; unde ante matrimonium cum B. Virgine initum, dicitur de illo: *Cum esset justus* (*Matth.* I, 19). Datus est B. Virgini in sponsum ob ejus virtutem, et virginitatem quam colebat, sed ex B. Virgine et Christi consortio longe adhuc magis in sanctitate profecisse, longeque majores gratias a Christo mediatrice B. Virgine, accepisse dubitari non potest. Ipsius singularis sanctitatis indicia non obscura sunt, tot revelationes illi factæ, v. gr. revelatio mysterii incarnationis, quando advertit B. Virginem

concepisse, revelatio furoris Herodis ut fugeret in Ægyptum, revelatio ejus mortis ut rediret ex Ægypto, etc., in quibus occasionibus ejus prudentia, fides, obedientia enituit.

Dico 2 : Quanta fuerit sancti Josephi sanctitas comparata cum apostolis aut angelis, nihil certi potest statui ; non tamen videtur improbabile, aut temerarium fore, si quis fortasse opinaretur hunc sanctum reliquis omnibus in gratia et beatitudine antecellere ob conjunctionem quam cum Christo habuit respectu unionis hypostaticæ. Sed non arbitror asserendum, ut quidam existimarunt, fuisse in utero matris sanctificatum, caruisse fomite peccati, et omni peccato actuali, etc. Cæterum satis probabile est hunc sanctum fuisse unum ex istis qui tempore mortis aut resurrectionis Christi resurrexerunt, quos multi censent ad immortalem animæ et corporis vitam transiisse, adeoque eum jam nunc anima et corpore glorioso cum Christo regnare.

DISPUTATIO NONA.

De modo et circumstantiis annuntiationis angelicæ.

Sect. I, II, III. — *De Gabriele angelo, de visibili ejus specie, et de B. Virginis perturbatione.*

Dico 1 : Verisimilius, Gabriel erat caput seu princeps secundi chori tertiæ hierarchiæ, id est, princeps archangelorum ; veniebat enim nuntiare rem maximam, ad salutem omnium hominum pertinentem ; et fortasse idem fuit qui Danieli, Zachariæ et Josepho apparuit ; quia omne illud erat veluti unum ministerium ad eumdem proximum incarnationis finem ordinatum.

Dico 2 : Gabriel in specie humana exteriusque sensibili apparuit B. Virgini. Dicitur enim : *Ingressus angelus ad eam*, et concludit : *Discessit angelus ab ea* (*Luc.* I, 28, 38) ; quia iste ingressus et discessus corporalem motum indicat, eratque sensibilis collocutio. Dein probabiliter credi potest angelum non tantum in externa specie, sed etiam in sua spirituali substantia visum esse a B. Virgine ; potuit illi a Deo tribui intuitiva et clara ipsius angeli cognitio ; et tunc maxime elevatam fuisse ad istam intuitionem probabile est, quia ejusmodi intuitio non tantum per sensum, sed etiam per intellectum est longe perfectior. Verum videtur hanc angelicæ substantiæ intuitionem tunc tantum incepisse habere a Deo infusam, quando angelus dixit : *Ne timeas, Maria* (*Ibid.* 30). Licet autem intuitive loquentem angelum cognosceret, non tamen ideo intuitive cognoscebat incarnationis mysterium, saltem antequam foret peractum, sed ejus mens per specialem fidei cognitionem illud penetravit.

Dico 3 : Cum audiisset B. Virgo salutationem angeli, turbata est non ex aliqua indeliberata corporis aut appetitus sensitivi motione, sed ex rationabili affectu vel virginei pudoris ac timoris videndo angelum in splendenti juvenis specie, et suavem inusitatamque salutationem audiendo ; vel admirationis, audiendo suas laudes ab angelo prolatas.

Sect. IV, V. — *De tempore et loco Christi conceptionis.*

Dico 1 : Certum est juxta omnes, B. Virginem concepisse divinum Verbum antequam angelus ab ea discederet ; et etiam certum videtur illud concepisse statim atque præbuit suum consensum his verbis : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Et quamvis antequam B. Virgo proferret hæc verba, jam habuisset interiorem consensum, debuit tamen illum exterius et sensibiliter exprimere, ut angelo, quocum illa more humano loquebatur, innotesceret, et tunc Verbum conciperet ; quo concepto et negotio peracto, mox discessit ab ea angelus.

Dico 2 : Ecclesiastica traditione habetur Verbum fuisse incarnatum vicesima quinta die Martii, et verisimiliter feria sexta ac eadam hora, qua post novem menses expletos natum est sub medium noctis diei vicesimæ quintæ Decembris : solebat enim sæpe Virgo pernoctare in orationibus. Domus in qua Christus conceptus est, creditur fuisse domicilium sanctæ Annæ, et in qua B. Virgo nata fuerat ; postea ministerio angelorum translata est in Illyricum, deinde in Italiam, in qua hodieque perseverat sub nomine *ecclesiæ Lauretanæ*. Illa domus erat sita in civitate Nazareth. Unde dictus Christus Nazarenus.

DISPUTATIO DECIMA.

De causa efficiente, ac ministrante materiam conceptionis Christi.

Sect. I, II. — *Quomodo B. Virgo materiam, ex qua conceptus fuit Christus, ministraverit ; et quæ ejus causa efficiens.*

Dico 1 : De fide certum est Christum ex Virginis substantia conceptum fuisse, uti in multis conciliis definitum est. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (*Galat.* IV, 4). *Qui factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Unde infertur Christum ex purissimis B. Virginis sanguinibus conceptum fuisse, ipsa suum sanguinem ministrante eo modo, quo veram humanam generationem ex parte matris fieri necesse est.

Dico 2 : Quamvis per appropriationem Christi conceptio tribuatur Spiritui sancto ut causæ efficienti, tamen istud opus est commune toti Trinitati, utpote opus ad extra. Jam vero an etiam B. Virgo ad illam conceptionem concurrerit active, an autem passive tantum, controvertunt auctores. Probabiliter, juxta D. Thomam, Cajetanum, Paludanum, etc., contra Bonaventuram, Scotum, etc., B. Virgo passive tantum ministrando materiam concurrit ad Christi conceptionem, et sine ulla seminis activitate perfectissimum Christi corpus concepit ac genuit.

Sect. III. — *An de potentia Dei absoluta, potuerit B. Virgo concipere viri opera Christum Deum-Hominem.*

Respondeo affirmative : quia potest Deus assumere in unitatem personæ naturam hominis ab

alio homine geniti, ablata ejus propria subsistentia: ergo etiam potest in unitatem personæ assumere illam naturam in primo instanti, in quo perficitur generatio, præveniendo ac impediendo ne fluat propria subsistentia: quamvis enim generatio activa mediate terminetur ad personam in natura subsistentem tanquam ad ultimum terminum, tamen immediate versatur circa naturam uniendo inter se partes substantiales, ex quibus unitis resultat suppositum seu persona: in instanti autem generationis istarum partium inter se unitarum, ordine naturæ priusquam resultet persona creata, potest Deus suam increatam personam illis seu isti naturæ humanæ unire, quæ quidem ex vi suæ conceptionis si in propria persona relinqueretur subsistere, esset peccato originali obnoxia; sed dum privata propria subsistentia assumeretur a divina persona, vi hujus assumptionis seu unionis, ab illo immunis fieret.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De instanti quo Christi conceptio ex Virgine perfecta est.

Sect. I, II. — *An conceptio Christi potuerit fieri in instanti; et an revera sic facta sit.*

Nota: Hic duo quæruntur: 1° an sanguinis congregatio, quæ corporis formationem antecedit, potuerit fieri in instanti; 2° an etiam ipsa corporis formatio seu organisatio habens diversam membrorum figuram, raritatem, densitatem, etc., potuerit in instanti confici.

Dico 1: Non implicat contradictionem, totum sanguinem ad formandum Christi corpus necessarium, in unico instanti constitui in loco conceptioni destinato. Quia Deus de potentia absoluta potuit sine motu locali successivo per indivisibilem mutationem transferre in instanti sanguinem de loco in alium locum, non pertranseundo medium; sed ad ejusmodi effectum non potuit B. Virgo active concurrere nisi tanquam Dei instrumentum per potentiam obedientialem. Simili modo ipsa corporis formatio seu organisatio in unico instanti fieri potest, si Deus efficiat, ut totus sanguis, qui toto tempore organisationem præcedente occupavit dispersum locum, habens hanc in hoc, illam in illo loco partem, etc., subito in instanti conceptionis, juxta suas partes aliter se habuerit ad totum organisationis locum.

Dico 2: Juxta D. Thomam, congregatio sanguinis, quæ corporis Christi formationem antecessit, videtur reipsa non in instanti sed in tempore per verum motum localem successivum seu continuum facta, etiamsi de potentia Dei absoluta potuerit in instanti fieri, quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate; et ad hoc asserendum nullum habetur ex Scriptura fundamentum, et nulla est ejusmodi miraculi necessitas, cum congregatio sanguinis ad conceptionem necessarii, toto tempore quo unionem hypostaticam antecessit, potuerit successive per naturalem facultatem fieri. Attamen ipsa corporis formatio cum iis omnibus quæ ad ejus substantiam pertinent, in instanti a Deo facta est, ut habetur ex Ecclesiæ et Patrum testimonio. Unde Ecclesia celebrat festum Incarnationis eodem die quo annuntiatio angelica facta est, sentiens isto die Deum factum esse hominem, quia B. Virgo absque ullo incommodo potuit in instanti ministrare illam sanguinis copiam quæ erat necessaria ad efformandum Christi corpusculum, quod in minima quantitate naturali formatum per nutritionem novem mensium naturaliter pervenit ad maximam suæ complexioni accommodatam et nativitati debitam quantitatem. Cum autem hæc corporis formatio et conceptio includat organorum distinctionem, variam condensationem et raritatem, figurarum varietatem, etc., adeoque non possint hæc omnia naturaliter in instanti fieri, cum habeant localem mutationem sibi adjunctam multiplicem; ideo dicendum est totam illam conceptionem et organisationem miraculose et supernaturali Dei virtute in instanti esse factam, ita ut tota illa materia sive secundum se totam, sive secundum aliquas partes in instanti occuparet diversum locum ab eo quem immediate ante occupabat illo modo, quo posse fieri supra diximus; maxime cum Chrysostomus (hom. 13) dicat formationem corporis Adæ hoc momentaneo modo fuisse factam. Et sic B. Virgo ministravit tantum istam materiam, et suo calore eam calefecit, etc., non concurrendo ad illam instantaneam loci mutationem.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De relationibus ex Christi nativitate consequentibus inter eum et B. Virginem.

Sect. I. — *An in B. Virgine sit relatio realis matris ad filium.*

Dico: In B. Virgine est vera et realis relatio matris ad Christum filium: in interna enim ac substantiali filii conceptione et generatione eumdem concursum ac aliæ matres habuit; realis autem matris relatio ex isto concursu ac generatione resultat. Hinc relatio matris in B. Virgine fuit ejusdem speciei cum relationibus aliarum matrum: quia istius relationis fundamentum, seu ratio eam fundandi, est nativitas et generatio; atqui B. Virgo vere genuit Christum verum hominem, Christique nativitas temporalis est vera nativitas humana ejusdem rationis cum nativitate aliorum hominum; ergo, etc. Deinde istius relationis terminus est etiam ejusdem rationis: hic enim terminus est idem ac terminus nativitatis, quæ habet terminum ejusdem rationis cum nostra, nempe hunc hominem genitum, quia licet suppositum Christi et nostrum secundum se sint diversa, quia tamen natura humana isti Christi supposito conjuncta, et maternus B. Virginis concursus sunt ejusdem rationis cum aliis hominibus, ideo relatio inde resultans est etiam ejusdem rationis cum aliis matrum relationibus. Unde terminus hujus relationis non est persona Christi secundum se, sed persona Christi qua-

tenus cum humanitate componit hunc hominem; et relatio respiciendo immediate ac formaliter hunc terminum, simul mediate ac quasi materialiter respicit etiam istius termini suppositum, atque ita B. Virgo vere dicitur Mater Dei seu Verbi, non proprie miraculosa, nec supernaturalis, sed naturalis.

Sect. II. — *An in Christo sit relatio realis et creata filii ad matrem.*

Dico 1 : Christus non denominatur filius B. Virginis per increatam filiationis relationem : ita communiter theologi contra Henriquez. Nam 1° Christus solum dicitur filius Virginis ob humanam generationem, ergo et per creatam filiationis relationem ex illa resultantem. 2° Generatio æterna et temporalis sunt diversæ rationis, ergo et relationes filiationis ex illis resultantes. 3° Filiatio increata convenit Christo, non ut homo est, sed ut Deus est. Dicitur autem filius Virginis ut homo est, non ut Deus. Ergo filiatio increata non illi convenit ut est filius Virginis, sed creata.

Dico 2 : Probabilius videtur esse in Christo realis relatio filiationis temporalis ad matrem ejusdem speciei cum aliis humanis filiationibus; contra D. Thomam, Bonaventuram, etc., dicentes solum esse relationem rationis. Probatur : 1° in Christi humanitate potest inhærere realis relatio respiciens Virginem ut terminum seu causam, nempe relatio geniti ad genitricem tanquam effectus ad causam : atqui hæc relatio licet inhæreat humanitati, non denominat humanitatem, sed suppositum seu hunc hominem : ergo est vere et realis filiationis relatio, quia causalitas matris non versatur per se circa subsistentiam efficiendam, sed circa unionem formæ cum materia mediantibus dispositionibus, ex qua unione resultat subsistentia, non causata proprie a matre. Hæc autem causalitas tam est integra ac perfecta in B. Virgine, quam in aliis matribus, nihilque refert quod subsistentia increata seu suppositum Christi ab ipsa non proveniat, cum nec aliæ matres efficiant subsistentiam creatam, in materia et forma jam divisim præsuppositam, et facta illarum unione collectim resultantem sine matris causalitate. Ergo in B. Virgine relatio matris est tam realis et perfecta quam in aliis matribus, et ejusdem rationis : ergo etiam in Christo quatenus homine, seu quatenus producto a B. Virgine, est etiam tam realis et perfecta relatio filii, quam in aliis filiis, quamvis ejus subsistentia a B. Virgine non provenerit. Unde 2° in B. Virgine relatio matris per quam refertur ad Christum ut a se causatum est realis; ergo etiam in Christo relatio filii per quam refertur ad B. Virginem ut sui causam est realis.

Dico 3 : Quamvis in Christo sit duplex realis relatio filiationis, nempe increata et creata, non tamen est duo filii, sed unus tantum; quia ad multiplicationem istius concreti sive adjective sive substantive sumpti, non sufficit multiplicatio formæ sine multiplicatione suppositorum, sicut licet in Christo sint multæ scientiæ, multæ operationes, multæ nativitates, est tamen tantum unus sciens, unus operans, unus natus.

Sect. III. — *An perseverent nunc in Christo et Virgine relationes filii et matris.*

Nota : Post Christi mortem non mansit hic homo ut sic, neque filius Virginis ut sic, adeoque neque filiationis relatio, quia uno extremo ablato tollitur relatio in alio. Jam vero an Christo resurgente redierint istæ relationes filii et matris, quæritur. Et quæri potest de quibusvis aliis filiis et matribus Quare :

Dico : Cum totum harum relationum filiationis et maternitatis fundamentum sit quod Christus homo semel fuerit genitus ex Virgine, etiamsi illud esse hominis fuerit per mortem interruptum, et per resurrectionem instauratum, tamen videtur istud fundamentum sufficere, ut postea semper resultent dictæ relationes; semper enim verum est dicere Christum ut hominem, genitum fuisse ex Virgine. Et ex hoc intrinsece sequuntur illæ relationes seu resultant, etiamsi novum *esse* hominis, per Christi resurrectionem non fuerit ex Virgine, quia semper verum est, et erit illum habuisse *esse* hominis ex Virgine seu ex illa fuisse genitum, quod sufficit ad relationem filii et matris; atque ita filii titulus in Christo, et matris dignitas in B. Virgine semper sine interruptione, etiam in triduo mortis Christi, perseveravit, et perseverabit in æternum.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA.

De temporali Christi nativitate.

Sect. I, II. — *An vere Christus natus fuerit ex B. Virgine, et sine matris dolore, ac puerperii immunditia.*

Dico 1 : B. Virgo vere ac proprie peperit Christum, ipseque vere ac proprie natus est ex Virgine. De fide : *Completi sunt dies ut pareret et peperit filium suum primogenitum* (*Luc.* II, 6,7). Idque definitum est in concilio Lateranensi, sub Martino I (consult. 5, can. 3), ubi definitur B. Virginem vere ac proprie fuisse Dei genitricem, quia *veraciter ipsum Deum concepit, et incorruptibiliter genuit.* Idem habetur in quinta synodo (act. 8, can. 3), et in sexta synodo (act. 11), etc. Unde sequitur Christum exusse e matris utero, ut ait Damascenus, naturali et ordinaria via, et sine violentia, per Virginis efficientiam.

Dico 2 : B. Virgo peperit absque ullo dolore, ut docent Nyssenus, Damascenus, Augustinus, etc.; et Ecclesia canit : *Nesciens Virgo virum peperit sine dolore Salvatorem sæculorum*; et sine ulla puerperii immunditia ac secundinis. Probatur ex sexta synodo (act. 11), ubi partus Virginis vocatur incorruptibilis, quia *sine fluxu sanguinis aut simili passione perfectus est.* Et Cyprianus, in *Serm. de Nativitate Christi :* « Maria, » inquit, « genitrix et obstetrix; nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. » Tanti enim filii dignitatem, et tantæ

matris castitatem decebat tantum miraculum; potuit ergo Christi corpusculum sine membranarum ruptione, quibus in utero matris involutum erat, et sine ulla maternæ virginitatis læsione, miraculosa rerum interjectarum penetratione, in lucem prodire et nasci.

Sect. III. — *Quo in loco natus sit Christus.*

Dico 1 : Christus natus est in Bethlehem Judæ. De fide : constat ex Matth. II et Luc. II. Dicitur hæc urbs Bethlehem Judæ, quia sita erat in tribu Juda, distans versus austrum ab urbe Hierosolymitana duabus leucis horariis; et quia alia erat Bethlehem in tribu Zabulon, ut habetur Josue XIX, dicitur etiam alio nomine Ephrata, quia collis super quem ædificata erat, vocabatur Ephrata. Nec hoc utrumque nomen sine mysterio est; Bethlehem enim interpretatur *Domus panis*, et Ephrata, id est *fructifera;* quod Christo optime convenit. Iste Christi nativitatis locus prædictus fuerat a Michæa (V, 2), longe diu post regnum Davidis, sic : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, etc. Nempe dominatione spirituali in populo Christiano ac fideli. Dum autem Matthæus vocat (II, 6) *istam civitatem Bethlehem nequaquam minimam*, sic : *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda :* et Michæas vocat *minimam*, sic : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ;* hic intelligit de loci parvitate quoad civium numerum, et murorum ambitum, ille vero de loci magnitudine quoad dignitatem et nobilitatem ob Christi natalem.

Dico 2 : Sanctus Lucas (II, 7) ait de ortu Christi : *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Sentit Hieronymus hoc diversorium fuisse aliquod hospitium in urbe Bethlehem; alii autem putant istud diversorium esse speluncam extra muros urbis ad orientem sub rupe excavatam, commune receptaculum, in quod noctu peregrini, pastores, pauperes, coloni, advenæ se recipere solebant. Quia autem tunc ingens hominum multitudo in urbem Bethlehem confluebat, ut juxta Cæsaris edictum se et sua in publicas tabulas referret, accidere potuit ut B. Virgo et Joseph non invenientes hospitium intra civitatem, in istam speluncam divertere cogerentur, atque in illa Christus nasceretur : qui prodiens in lucem, statim verisimiliter ab angelis exceptus est, et ab illis in manibus B. Virginis collocatus, deinde a B. Virgine in præsepio positus inter bruta animalia, nempe bovem et asinum, ita ut ad litteram impleretur prophetia Habac. III, 1, 2 sec. LXX : *Consideravi opera tua et expavi ; in medio duorum animalium cognosceris.* Et Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Juxta quod, Ecclesia canit : *In medio duorum animalium jacebat in præsepio et fulgebat in cœlo.* Hoc præsepium videtur ligneum fuisse, non luteum seu lapideum; et asservatur Romæ in templo Mariæ, dictæ *Majoris.*

Sect. IV. — *Quo tempore Christi nativitas acciderit.*

Dico : Christus post novem menses inæquales, id est quorum aliqui triginta et unum dies, alii triginta continent, vel juxta quosdam post novem menses æquales (quorum singuli triginta diebus constant), et sex dies, sive post ducentos et septuaginta sex dies a sua conceptione natus est vicesimo quinto die mensis Decembris, ut habetur ex ecclesiastica traditione, et festi celebritate, quam constat a temporibus apostolorum eo die observatam esse, prout refert Clemens (lib. V *Constit.*, cap. 12), Orosius (lib. VII, cap. 2), et alii Patres, juxta Græcorum computationem anno tertio olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ; juxta Romanorum calculum anno quadragesimo secundo imperii Augusti. Quod attinet ad diem hebdomadæ, licet putent quidam feria sexta, probabilius tamen est, natum fuisse die Dominico, ut affirmat sexta synodus (c. 8), Nicephorus (lib. I *Histor.*, cap. 22), aliique : et certe si Christus conceptus sit feria sexta, sequitur fuisse natum die Dominico. Si enim dies conceptionis vicesimus quintus Martii inciderit in feriam sextam, necesse est, juxta computum, ut vicesimus quintus Decembris sit dies Dominicus. Quoad horam autem dicendum est eum esse natum post duodecimam horam illius noctis, quæ fuit naturalis diei initium, antequam inciperet dies artificialis, sive paulo post mediam noctem diei vicesimi quinti Decembris : quod ex traditione sumitur et ex Evangelio dicente tunc pastores custodisse vigilias noctis. Unde orta est ecclesiastica traditio sacram illam noctem celebrandi, et in ea sacrificium offerendi juxta decretum Telesphori papæ in sua Epistola decretali cap. 2; Cassianus autem et alii referunt, Ægyptios solitos fuisse die quinto Januarii celebrare Christi natalem.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA.

De prodigiis in Christi nativitate factis.

Sect. I. — *Quibus signis et quibus personis Christi nativitas manifestata sit.*

Dico 1 : Multa referuntur prodigia sub tempora Christi ortus tanquam illius manifestativa, accidisse. Refertur enim 1° a Bonaventura, templum Pacis ea nocte qua Christus natus est, Romæ corruisse. Sed videtur tunc nondum fuisse exstructum ibi templum Pacis. 2° Refertur ista eadem die seu nocte fontem olei Romæ sine intermissione fluxisse; sed id viginti septem annis prius accidisse dicit Orosius, qui etiam memorat tres soles in Hispania apparuisse, paulatimque in unum coaluisse. 3° Nicephorus, post alios, refert Augustum in templo Apollonis sacrificantem interrogasse simulacrum cur non daret responsum, sicque respondisse :

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum;
Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris.

Refertur enim tunc dæmonum oracula conticuisse. 4° Tempore nativitatis Christi pax universalis in

toto imperio Romano sub uno principe regnabat, indicans Christum principem pacis.

Dico 2 : Oportuit, juxta D. Thomam, Christi nativitatem, uti et ejus resurrectionem, peculiariter aliquibus personis manifestari. Unde ex Evangelio manifestata est 1° tribus pastoribus ad turrim *Ader* id est *Gregis* vigilantibus, juxta quam Jacob pavit greges suos, distantem quarta parte leucæ horariæ ab urbe Bethlehem. 2° Simeoni, qui *responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* (*Luc.* II, 26); et Annæ viduæ, ut habetur ex Ambrosio, Chrysostomo, etc. 3° Magis tanquam primitiis gentium, Christi adoratoribus. Alii autem erant Judæi.

Sect. II, III.—*De conditione et patria magorum.*

Dico 1 : Hi magi fuere tantum tres numero ; colligitur ex his verbis Leonis in *Serm. de Epiph. Tribus igitur magis*, etc., *tres itaque viri*, etc., *tres magos prævia stella perduxit*, etc. Idem censent alii Patres, et conjicitur ex ipsis muneribus, si singuli singula munera obtulerint, ut sentit Augustinus. Quamvis Anselmus et Abulensis existiment singulos tria munera obtulisse. Beda autem in *Collectaneis* sic de illis loquitur : « Primus dicitur fuisse Melchior, senex et canus, barba prolixa et capillis ; aurum obtulit regi Domino. Secundus nomine Gaspar, juvenis imberbis, rubicundus, thure quasi Deo oblatione digna, Deum honorabat. Tertius fuscus, integre barbatus, Balthasar nomine, per myrrham Filium hominis moriturum professus est. »

Dico 2 : Hi magi non fuerunt malefici, sed sapientes gentiles astrologi. *Gens, quæ spectandorum siderum*, ut ait Leo, *arte pollebat*. In Chaldæa enim philosophi et sapientes, juxta Hieronymum, *magi* appellantur. Deinde verisimile est eos fuisse reges, etiamsi Evangelium eos non hoc nomine appellet : nam Augustinus, Tertullianus, Isidorus, etc., eos vocant reges ; idque confirmat Ecclesia dum in officio festi Epiphaniæ indicat per horum magorum adorationem fuisse completam prophetiam psalmi LXXI, 10 : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent ; reges Arabum et Saba dona adducent*. Et Isaiæ (LX, 3) dicentis : *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui*. Et paulo infra (*Ibid.* 6) : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes*, etc.

Dico 3 : Hi magi, ut ait Evangelium, venerunt ab oriente, nempe vel ab aliquo vicino orientali loco respectu urbis Bethlehem ; vel potius a remotis orientalis plagæ partibus, uti ait Leo papa in serm. 6 *De Epiphan. A remotissima Orientis parte venerunt.* Unde probabilius venerunt non ex Perside aut ex Mesopotamia, seu Chaldæa, ut quidam volunt, sed ex Arabia Felice, sat Persiæ vicina, utpote quæ solo sinu Persico ab ea separetur, et probabiliter e regione Arabiæ, quæ vocatur *Magodia* a qua dicti *magi*. Probatur 1° Ex his Scripturæ locis ab Ecclesia et Patribus in mysterio applicatis : *Reges Arabum et Saba dona adducent*, etc. (*Psal.* LXXI, 10). *Dabitur ei de auro Arabiæ* (*Ibid.* 15). 2° Ex Patribus : « Cum primum natus est, » ait Justinus (*Dial. cum Tryph.* « magi ex Arabia profecti, adorarunt eum. » Idem habent Tertullianus, Cyprianus, etc. 3° Ex qualitate ipsorum donorum ; cum enim Arabia Felix sit ferax auri et aromatum, magi obtulerunt ea, quæ in sua patria majoris pretii erant ; et mystice juxta Patres, divinitus illustrati, in auro regem, in thure Deum, in myrrha hominem esse professi sunt. Deinde, licet Balaam, cujus successores fuisse magos quidam censent, oriundus fuerit ex Mesopotamia, hoc tamen vaticinium : *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV, 17), non in Mesopotamia, sed in Arabia protulit ; illuc enim a rege vocatus fuerat (*Num.* XXIII) ; Moab autem est provincia in Arabia. Denique dum dicitur psal. LXXI, 9, 10) : *Coram illo procident Æthiopes*, etc. *Reges Tharsis et Insulæ munera offerent*, ibi per nomen *Æthiopes* seu *Æthiopia* intelligunt omnes Patres Ecclesiam universalem ex gentibus congregatam ; quia peccatis denigrata per Christum erat consecutura gratiæ candorem, et Israeliticum populum præventura. Nomen autem *Tharsis*, juxta Hieronymum, significat tum Indiæ regionem, tum ipsum mare cum suis insulis, et nomen *Saba*, juxta eumdem, significat Arabiam, vel aliquam ejus plagam.

Sect. IV. — *Quo loco et tempore magi Christum adoraverunt.*

Dico 1 : Omnes quidem conveniunt fuisse Bethlehem, ubi magi Christum adorarunt : *Et mittens eos in Bethlehem dixit : Ite*, etc. (*Matth.* II, 8). Sed in quo loco Bethlehemitico eum adorarint, controvertunt. Epiphanius enim putat locum fuisse domum intra urbem Bethlehem : *Intrantes domum, invenerunt puerum* (*Ibid.* 11). Ipse enim docet Christum fuisse a magis adoratum biennio post ejus nativitatem, quia Herodes jussit occidi infantes *a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis* (*Ibid.* 16). Et quia Virgo post suam purificationem et Joseph redierunt in civitatem Nazareth, ideo dicit eos solitos fuisse ob venerationem nativitatis Christi singulis annis revisere Bethlehem, et contigisse ut ibi invenirentur a magis non in spelunca, sed in aliqua domo. Verior tamen et communior est sententia Christum in eodem loco fuisse adoratum a magis in quo natus fuit : ita Hieronymus, Chrysostomus, Cyprianus, etc. Deinde

Dico 2 : Verisimilius etiam est magos pervenisse Bethlehem die decimo tertio post Christum natum, vectos camelis aut dromedariis velocibus. (Nicephorus, Augustinus, Anselmus, etc.) Stella non apparuit magis biennio ante Christi nativitatem ; sed « eo, » ait Augustinus (serm. 4 *De Epiph.*), « die quo natus est Christus, illi stellam in Oriente viderunt, et quem natum indicabat, agnoverunt et ex illo die ad hunc locum accurrerunt. » Itaque B. Virgo postquam præsentavit filium suum in templo rediit cum Joseph Nazareth, et paulo post infantes innocentes ab Herode (qui tunc non videtur iisse Romam, ut quidam volunt) interfecti sunt ; jussitque omnes in-

terfici a bimatu et infra, non quia putabat stellam ante duos annos magis apparuisse, sed ut certius Christum cum aliis occideret, ratus intra tempus, quo stella magis potuerat apparuisse, Christi nativitatem contigisse. Atque ita si Christus natus sit die Dominica, magorum adoratio accidit die Veneris, nempe decimo tertio die post Christi natalem.

Sect. V, VI. — *De stella quæ apparuit magis.*

Dico 1 : Stella quæ apparuit magis, non fuit una ex cœlestibus, sed speciale corpus lucidum ex materia aerea procreatum, probabiliter non procul a terra distans, in die lucens, et nocte se occultans, ducens magos et monstrans eis viam versus Solymam, ut canit Ecclesia : *Ibant magi, quam viderant, stellam sequentes præviam*, motum ab angelo, in ingressu Jerusalem disparens, in egressu rursus apparens usque Bethlehem.

Dico 2 : Magi ex visa stella non cognoverunt Christi nativitatem per astrologiæ scientiam, sed ex vaticinio Balaam, cujus probabiliter erant successores, vel cujus vaticinium saltem noverant, Num. xxiv, 17, sic relatum : *Orietur stella ex Jacob, et exsurget virga ex Israel.* Sciebant aliquando stellam orituram, quæ nuntiaret cujusdam regis, qui toti orbi dominaretur, in Judæa nativitatem. Hoc igitur externo stellæ signo admoniti, speciale internum Dei lumen, ac illustrationen receperunt, qua cognoverunt ac crediderunt Christum quem quærebant, esse plus quam hominem ac regem temporalem, ideoque eum adorantes obtulerunt illi munera, myrrham, aurum, thus tanquam homini, regi, Deo.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA.

De mysterio circumcisionis.

Sect. I. — *An licuerit vel decuerit Christum circumcidi.*

Nota : Præceptum circumcisionis non poterat obligare infantes, donec ad ætatem adultam pervenissent, sed obligabat parentes ut illud in suis filiolis observarent.

Dico 1 : Quamvis Christus non fuerit subjectus circumcisionis præcepto, seu, quod idem est, parentes ejus non fuerint obligati eum circumcidere, non solum quia Deus erat, sed etiam quia non fuerat communi aliorum modo genitus, tamen sanctum et honestum opus fuit illum circumcidere. De fide. Nam B. Virgo, quæ peccare non poterat, illius circumcisioni consensit, ut et Joseph qui justus erat; imo hic, juxta quosdam, fuit circumcisionis minister, et hoc totum factum est ejusdem Christi voluntate ac æterni Patris : *Qui eum misit factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret* (*Galat.* iv, 5). Deinde circumcisio erat res sacra, a Deo instituta ad ipsius cultum, non tantum ut signaculum Christi venturi, sed etiam in primis ad signandum Dei populum, ejusque cultui destinandum : et verisimile est Christum fuisse circumcisum ex aliqua speciali revelatione B. Virgini et Josepho facta. Deinde præbuissent scandalum, si eum non circumcidissent. Itaque

Dico 2 : Decuit maxime Christum circumcidi ob varias rationes quas Epiphanius et alii afferunt : 1° ut ostenderet se veram carnem assumpsisse, ob Manichæum et alios qui dicturi erant eum tantum in specie hominis apparuisse. 2° Ut non rejiceretur a Judæis tanquam incircumcisus. 3° Ut compleret legem quam ipse tulerat, et bonam esse ostenderet, eique finem imponeret : *Finis enim legis Christus* (*Rom.* x, 4). 4° Ut impleret omnem justitiam obedientia, patientia, humilitate, etc. 5° Ut jam inciperet pro nobis satisfacere, suum sanguinem Patri offerendo. Videtur fuisse circumcisus in ipso nativitatis ejus loco, ejusque præputium pie et diligenter a B. Virgine servatum.

Sect. II. — *De nomine Jesu in circumcisione dato.*

Dico 1 : Apud Judæos juxta morem, aut quasi politicam, non vero strictam legem, post factam circumcisionem, tunc statim imponebatur nomen infanti. Quod Christus etiam voluit servare, ut sicut quatenus verus Deus habebat proprium nomen exprimens suam divinam personam et naturam, v. gr. nomen Verbi, Filii, Sapientiæ, Imaginis, etc., ita quatenus verus homo haberet nomen proprium comprobans suam veram naturam humanam. Hoc nomen per angelum quidem nuntiatum est B. Virgini (*Luc.* i, 31), et Josepho (*Matth.* i, 21); non tamen angelus, sed Deus ipse illud elegit ac assignavit tanquam auctoritatem habens in Christum hominem, et perfecte cognoscens ejus naturam ac dignitatem; atque in signum suæ specialis benevolentiæ et muneris a Christo exercendi. Quare B. Virgo et Joseph, mutuo consensu id nomen Jesu ab angelo acceptum imposuerunt infanti.

Dico 2 : Hoc nomen *Jesus* convenientissime et aptissime Christo fuit inditum : Hebraice enim significat *Salvator*, juxta quod angelus dixit Josepho : *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* i, 21). Et sub hoc nomine *Salvatoris*, a prophetis sæpius designatur. Istud nomen Christi non est metaphoricum, qualia sunt pastor, ostium, vinea, via, etc., nec appellativum, quale est Christus, id est *unctus*, sed est proprium, et ita proprium juxta quosdam, ut nulli alteri antea fuerit impositum. Quamvis enim, inquiunt, aliqui in Veteri Testamento fuerint simili nomine appellati, v. gr. Jesus Nave, seu Josue, Jesus Syrachi, Jesus Josedech, non erat tamen scriptum eisdem litteris Hebraicis. Alii tamen in lingua Hebraica peritissimi dicunt fuisse eisdem omnino litteris scriptum, illosque fuisse typos ac figurativos Christi præcones : ita Justinus, Tertullianus, Augustinus, Ambrosius. Hoc igitur nomen Christo impositum ad significandam ejus naturam et proprietates, seu Redemptoris officium quatenus Deus et homo est, ad demonstrandam ejus dignitatem et gloriam, ad complectenda cætera omnia ejus nomina, ad nos consolandos et ad spem vitæ æternæ stimulandos.

DISPUTATIO DECIMA SEXTA.

De Christi præsentatione, et Virginis purificatione.

Sect. I, II : — *An debuerit B. Virgo Christum in templo præsentare ac redimere, ac pro eo sacrificium offerre, et etiam se purificare.*

Nota : Quoad hoc mysterium, duplex erat lex : una de primogenitis in templo offerendis (non determinando præcise tempus), et de iis redimendis cum quinque siclis argenti (*Exod.* XIII, et *Num.* XVIII) ; altera de offerendo sacrificio pro suscepto quovis filio vel filia (adeoque etiam pro primogenito), determinando tempus, nempe quadraginta dies pro filio, et octoginta pro filia a die nativitatis, sed non præscribendo, afferendusne tunc esset filius vel filia ad templum, annon ; clarum est priorem legem latam esse ratione filii, non matris. An autem posterior lata etiam fuerit ratione matris, jam dicetur.

Dico 1 : Quamvis Christus primogenitus ista præsentationis lege non teneretur, utpote Deus, et quia communi aliorum filiorum more non erat natus : lex enim dicit : *Primogenitum quod aperit vulvam* (*Exod.* XIII, 2), tamen convenientissime in templo fuit Deo præsentatus, illud sua præsentia honorando, pro nostris peccatis oblatus, etc., et pretio redemptus, ut nos suo sanguine redimeret. Quoad sacrificium autem, quod, ut lex præscribit (in Levitico), *pro peccato*, offerebatur, diversimode auctores istud peccatum intelligunt. Quidam illud referunt ad prolem, alii ad matrem : sed viam mediam tenendo, videtur posse ad utrumque referri, si per *sacrificium pro peccato*, intelligatur non sacrificium ad satisfactionem aut remissionem alicujus culpæ, sed quoddam genus sacrificii instituti ad quamvis expiationem. Clarum est B. Virginem et Christum qui se huic legi subjecerunt, ab ea fuisse exemptos. Holocaustum autem quod tunc etiam fiebat in gratiarum actionem proprie potuit a B. Virgine offerri, non aliud juxta legis intentionem, et in hoc holocausto B. Virgo non agnum, ut divites, sed unum columbæ pullum aut turturem, uti pauperes, obtulit, utpote et ipsa pauper et amans humilitatis ; in sacrificio autem pro peccato alterum.

Dico 2 : Quamvis B. Virgo sub lege purificationis quæ dicit : *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum*, etc. (*Levit.* XII, 2), non vero ut quidam Hebraizantes voluerunt, *si prolem genuerit*, omnino non comprehenderetur, cum ipsa sine suscepto semine Christum peperisset ; tamen, sicut decuit filium, etiamsi peccator existimandus esset, circumcisionis legem servare ad præbendum humilitatis et obedientiæ exemplum, atque ad vitandam scandali occasionem, ita ob easdem causas decuit B. Virginem purificationis legem servare. Jam vero in lege nova, ista lex Veteris Testamenti de purificatione, uti aliæ omnes cæremoniales, cessavit ; attamen permissum est ab Ecclesia, ut, si feminæ velint post partum abstinere aliquandiu ab ecclesiæ ingressu, et postea deferre prolem ad fundendas Deo pro ea preces, id possint facere, ut patet ex capite unico *De purificatione post partum* ; sed oportet ut omnis superstitio servandi legem veterem absit, solumque fiat religionis ergo, et ob sacri loci reverentiam.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA.

De reliquis vitæ Christi mysteriis usque ad trigesimum ejus ætatis annum.

Sect. I. — *De fuga Christi in Ægyptum.*

Dico 1 : B. Virgo præsentatione filii sui, et sua purificatione peracta rediit cum filio et Josepho in suam civitatem Nazareth, et paulo post per crebrescentem nati Messiæ rumorem Herode infantium internecionem meditante, cœlesti monito fugit in Ægyptum : contra Cajetanum putantem B. Virginem non rediisse Nazareth, sed statim post purificationem in Ægyptum fugisse. Quamvis Christus poterat sine ista fuga se tutum ab Herodis furore reddere, maluit tamen se gerere more aliorum hominum ; cumque nondum advenisset præordinata mortis hora, illius periculum quod in ipsamet civitate Nazareth etiamsi distante ab urbe Jerusalem, poterat subesse, voluit vitare. Deinde secessit in Ægyptum, *ut adimpleretur quod dictum erat a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Matth.* II, 15 ; *Osee* II, 1). Si non ivisset in Ægyptum, non potuisset indeeum vocare. Ista quidem prophetia in sensu litterali juxta communiorem sententiam dicta est de populo Israel, qui solet in Scriptura vocari filius Dei : *Filius meus primogenitus Israel* (*Exod.* IV, 22). Sed in sensu spirituali, intento ab ipso Spiritu sancto, applicatur Christo : uti et hæc : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem* (id est, B. Virginem, levem sine peccati et fomitis pondere, in cujus ulnis Christus portabatur ; vel Dominus super carnem assumptam juxta Patres), *et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus* (*Isa.* XIX, 1). Et certe Palladius refert, Christo in urbe Hermopoli templum ingresso, omnia illius idola prostrata et comminuta fuisse, memoratque Nicephorus ad hujus urbis ingressum arborem sese reverenter usque ad terram inflexisse, eumque adorasse, erant hæc prænuntia signa conversionis istius gentis per Evangelii prædicationem.

Dico 2 : Christus fugit in Ægyptum, ut illius et omnium gentium conversionem præsignaret, utque nos suo exemplo doceret licere in persecutionibus fugere, et se abscondere.

Sect. II, III. — *De Christi reditu ex Ægypto ; et quid egerit ad tricesimum ætatis annum.*

Dico 1 : Quot annis Christus in Ægypto moratus sit, et quo ætatis anno ab illa discesserit, non satis constat : nam Nicephorus, tertio, Epiphanius, quarto, Jansen sexto, Anselmus septimo, Baronius octavo sive nono inchoato anno, septima die Januarii, juxta omnia Martyrologia, ab Ægypto disces-

sisse existimat. Monitus ergo angelo Josephus redire in terram Israel, verisimiliter voluit quidem ire Jerusalem vel ad habitandum, quia ibi erat templum Domini, vel potius ad sacrificium Deo in templo offerendum in gratiarum actionem; sed veritus ne in templo agnitus Christus Archelao manifestaretur, mutavit consilium, et *in somnis admonitus secessit in partes Galilææ* (*Matth.* II, 22), sive rediit in domum suam Nazareth.

Dico 2 : Christus ab Ægypti reditu habitavit in civitate Nazareth, cum parentibus suis : *Descendit cum eis et venit Nazareth* (*Luc.* II, 51), eis obediens, et in rebus domesticis eos adjuvans : quamvis non essent divites, tamen habebant sufficienter unde parvam familiam alerent. Joseph enim artem fabrilem exercebat, et B. Virgo erat unigenita, et paternorum bonorum hæres. Christus duodecimo ætatis suæ anno in festo Paschæ venit in templum Solymæ cum parentibus, quo singulis annis cum eo ire solebant, consummatisque festivitatis diebus Solymæ remansit insciis parentibus; post triduum autem inventus in templo sedens in medio doctorum, illos audiens et interrogans. Postea, mortuo Josepho, videtur per se solum, artem fabrilem exercuisse : *Nonne hic est faber, filius Mariæ?* (*Marc.* VI, 3). *Et proficiebat ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II, 52). Id est, magis exterius manifestabat suam sapientiam et gratiam per sua opera. Denique toto illo tempore usque ad tricesimum ætatis annum colligitur eum nullum fecisse miraculum ex eo, quod Joan. II, 11, dicitur : *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam.* Cum enim in ista priori ætate nondum doceret, nec discipulos haberet, non opus erat ut ederet miracula.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA.

De perfectione gratiæ et meritorum B. Virginis.

SECT. I, II. — *An B. Virgo toto vitæ suæ tempore potuerit in gratia crescere per propria merita; et an singulis momentis assidue meruerit.*

Dico 1 : B. Virgo non tantum post primam sanctificationem usque ad filii conceptionem, sed etiam post filii conceptionem potuit crescere in gratia, erat enim viatrix et libera; ergo poterat mereri et augere semper suam gratiam, quamvis confirmata in bono, non posset peccare. Unde Rupertus (lib. VI *in Cant.*) ait « eam in sua prima sanctificatione fuisse ut auroram, in filii conceptione ut lunam, in morte ut solem. » Dum ergo D. Thomas dicit B. Virginis gratiam fuisse in conceptione filii consummatam, non intelligit de perfecta consummatione, sed secundum quid, id est, de confirmatione in bono, ita ut amplius peccare non posset; et juxta cujusque temporis opportunitatem ita semper fuit plena gratia, ut magis ac magis semper impleri posset; hoc enim ejus dignitati ac meritis debitum erat. Unde

Dico 2 : B. Virgo per omnes ac singulos actus humanos quos in mortali vita post primam sanctificationem exercuit, meruit charitatis, gratiæ, et gloriæ augmentum. Probatur : Quia nullos habuit actus indeliberatos, neque inter deliberatos habuit ullum malum; ergo omnes ejus actus fuerunt moraliter boni, adeoque meritorii : illos enim, ut possumus credere, frequentissime et assidue ad Deum summe dilectum referebat, et ita per istos singulos actus meruit ut statim gratiæ augmentum quod promerebatur, obtineret, quia juxta mensuram gratiæ vocantis et adjuvantis sibi collatæ, omni quo poterat fervore, intensione, ac diligentia ei cooperabatur; adeoque juxta cujusvis theologi, etiam strictioris opinionem, statim quidquid gratiæ merebatur, obtinebat.

Dico 3 : B. Virgo meruit seu merita acquisivit per actus perfectissimos tam vitæ activæ quam contemplativæ : 1° a prima sanctificatione usque ad filii conceptionem; tres enim annos nata cœpit habitare in templo, contemplationi et piis exercitiis vacans. Sabellicus (lib. VIII *Exempt.*, cap. 4) refert ex antiqua traditione B. Virginem solitam fuisse tota hac ætate a prima luce ad tertiam diei horam, contemplationi ac rebus sacris vacare. Deinde usque ad meridiem operi alicui incumbere; reliquam autem diei partem sacræ lectioni et orationi impendere. 2° A filii conceptione usque ad ejus ascensionem, tunc excellentiora utriusque vitæ opera exercuit, tum quia majori semper gratia et sanctitate pollebat, tum quia majorem perfectius operandi opportunitatem, maxime ex consortio filii, nacta est. 3° A filii ascensione usque ad suum obitum, quo tempore cœlestem quamdam vitam egit, tum in cœlestium rerum meditatione, tum in consolando et instruendo apostolos ac nominatim Lucam evangelistam de fidei mysteriis, mirum in modum sua auxit merita.

Dico 4 : Verisimile est B. Virginem toto vitæ suæ tempore meruisse, non tantum dum vigilabat, quod videtur certum, sed etiam juxta Bernardinum Senensem, etc., dum dormiebat utendo scientia per se infusa sine conversione ad phantasmata, supposito quod eam habuerit : *Ego dormio et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). Unde si hoc meritum fortasse ob somnum interdum fuerit interruptum, illa interruptio seu mora ita fuit brevis totque divinis cogitationibus intercepta, ut morali modo vocari possit meritum continuum.

SECT. III. — *Quot modis B. Virgo gratiæ augmentum ex opere operato obtinuerit, vel per modum operis operati.*

Dico 1 : Sacramentum pro remedio originalis peccati institutum, B. Virgo, etiamsi in primo conceptionis momento sanctificata, suscepit, sibi applicatum cum gratiæ augmento, non proprie ex opere operato, sed per modum ejus. Extraordinaria enim ejus sanctificatio tunc hominibus ignota, non obstabat quominus ei istud ordinarium remedium applicaretur, utpote capaci augmenti gratiæ.

Dico 2 : Duo sacramenta novæ legis certum est

B. Virginem suscepisse, nempe baptismum et Eucharistiam, et in eorum susceptione augmentum gratiæ accepisse; nam licet non haberet peccatum originale, debuit tamen per baptismi susceptionem fieri membrum Ecclesiæ, accipere potestatem utendi sacramentis novæ legis, maxime Eucharistiæ, obedire præcepto generaliter imposito : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. (*Joan.* III, 5), et exemplum aliis præbere. Unde omnes Thomistæ docent eam fuisse baptizatam, et Euthymius (*in Joan.* III) : « Scribunt, » inquit, « quidam apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum et Virginem matrem baptizaverit; Petrus vero reliquos apostolos. » Nec quod frequentissime Eucharistiam susceperit, potest dubitari, cum ejus usus tunc esset vel quotidianus vel frequentissimus. Non tamen suscepit sacramenta ordinis et pœnitentiæ, quia horum suscipiendorum erat incapax ; nec matrimonii, quia prius jam illud contraxerat. Quoad sacramentum extremæ unctionis, Paludanus, Victoria, et Gabriel, negant illud suscepisse, quia nunquam peccarat et peccati erat incapax, nec id decebat. Alii autem affirmant, nempe Albertus Magnus, Antonius, Sylvester, etc., quia fuit capax gratiæ et auxilii spiritualis adversus insidias dæmonis, et quantum est ex sua natura, erat peccandi capax, etiamsi nunquam peccarit. Unde hac in re videtur dicendum, si non sit necesse hominem actualiter peccasse, ut sit capax hujus sacramenti, B. Virginem fuisse illius suscipiendi capacem, si autem capax, verisimilius est illud suscepisse tum propter ejus fructum, tum propter fidei ac fidelium ædificationem, et humilitatis exemplum.

Dico 3 : Sicut apostoli die Pentecostes præter omne suum meritum receperunt quasi ex opere operato, Spiritum sanctum, et perfectissimum sacramenti confirmationis effectum, ideoque postea illud non susceperunt, ita B. Virgo eodem die similem effectum, et donum perfectius ac copiosius accepit; adeoque istud sacramentum quoad signum visibile non recepit, sed tantum ejus gratiam et abundantiam Spiritus sancti accepit.

Dico 4 : B. Virgo in filii conceptione præter omne meritum accepit singularem sanctificationis perfectionem, seu ejus augmentum ob novam et admirabilem divini Verbi præsentiam, juxta hæc angeli verba : *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* I, 35). Deinde probabiliter possumus conjicere aliquod etiam singulare sanctificationis augmentum accepisse in die Christi nativitatis, mortis, et resurrectionis.

SECT. IV. — *Quantam gratiæ perfectionem et intensionem B. Virgo fuerit adepta.*

Dico 1 : Certum est gratiam quam habuit B. Virgo in instanti mortis suæ, fuisse intensiorem ea, quæ est in supremis angelis et sanctis hominibus; unde in fine vitæ pervenit ad summam et quasi immensam gratiæ perfectionem et intensionem; ideo vocatur a Patribus, gratiæ abyssus, mare, omnis sanctitatis thesaurus, cœleste prodigium, etc. Ratio est quia B. Virgo in primo suæ sanctificationis instanti perfectiorem assecuta est gratiam, quam supremus angelus in sua prima sanctificatione; atqui B. Virgo non duobus aut tribus aut saltem paucis, ut angelus, sed pene infinitis actibus perfectis, et ex toto conatu, ac tota gratiæ efficacia elicitis promeruit ejusdem gratiæ augmentum. Ergo fuit quasi immensum : nam operabatur ex tota gratiæ et divinæ motionis virtute. Ergo eliciebat actus æqualis aut majoris intensionis, quam esset habitus seu gratia habitualis; adeoque per singulos hujusmodi actus ita crescebat ista gratia, ut fieret duplo major quam erat ante singulos actus, cumque posteriores actus semper procederent ex habitu seu gratia habituali duplo intensiori, quam priores, erant etiam semper duplo majoris meriti, ac obtinebant duplo majus gratiæ augmentum. Unde in fine suæ vitæ potuit uno actu mereri tot gradus gratiæ, imo et plures, quot in toto superioris vitæ tempore, per omnes actus et sanctificationis modos assecuta fuerat. Nunquid ergo tunc in fine vitæ, gratiæ ejus perfectio et intensio fuit quasi immensa ? Idcirco :

Dico 2 : Probabiliter potest credi B. Virginem consecutam esse plures gratiæ et charitatis gradus quam sint in omnibus sanctis hominibus et angelis collective sumptis, ita ut si ex multitudine gratiarum omnium sanctorum et angelorum concipiamus unam gratiam intensissimam consurgere, hæc B. Virginis gratiæ intensionem nondum adæquaret, ut colligitur ex modo loquendi Patrum, Damasceni, Anselmi, Bernardi, etc., qui videntur illi adhuc majorem prædicta gratiam attribuere. Et ratio est, 1° quia Deus unicuique dat gratiam suo muneri accommodatam ; sed tota hæc gratiæ intensio ac plenitudo optime accommodatur et convenit dignitati Matris Dei, quæ est altioris ordinis et suo modo infinita. 2° Quia Deus plus amat B. Virginem, quam reliquos omnes sanctos, ergo plus gratiæ illi confert ; est enim ejus Mater. 3° Sicut creata Christi gratia utpote capitis, longe alias omnes simul sumptas superat, ita etiam gratia B. Virginis, utpote Matris Verbi, cum proportione debet alias omnes superare. 4° Actus perfectæ charitatis, quos B. Virgo in hac vita elicuit, fuerunt innumerabiles, ita ut potuerint æquare omnium sanctorum numerum ; et per unicum horum actuum plus aut non minus meruit quam supremus angelus per actum quo suum meritum consummavit ; meritum autem supremi angeli non fuit minus perfectum quam totum cujuslibet hominis meritum, ergo, etc.

DISPUTATIO DECIMA NONA.

De scientia et sapientia B. Virginis in statu viæ.

SECT. I, II. — *An B. Virgo habuerit in hac vita perfectam rerum divinarum cognitionem, et quomodo in ea profecerit.*

Dico 1 : B. Virgo a principio suæ sanctificationis habuit perfectam rerum divinarum cognitionem, adeoque perfectam fidem quæ est omnium aliarum

virtutum fundamentum, tum intensivam, tum extensivam, ita ut explicite per eam cognoverit mysterium Trinitatis, et etiam incarnationis quoad ejus substantiam, id est secundam Trinitatis personam incarnandam; non tamen quoad omnes ejus circumstantias, v. gr. loci, temporis, ex qua femina Christus esset nasciturus, etc.: in harum enim circumstantiarum aliarumque rerum divinarum cognitione potuit postea ex lectione Veteris Testamenti, angeli annuntiatione, Christi doctrina, et experimento proficere. Hinc omnes apostolos et theologos fidei cognitione longe superavit, apostolorumque ac evangelistarum magistra exstitit, hæresesque aut errores dissipavit. Unde

Dico 2 : Primus B. Virginis in fide et cognitione magister fuit Spiritus sanctus. Deinde per angelos, maxime, per Gabrielem ante filii conceptionem, juxta Cedrenum et Gregorium Nicomedensem, sæpe fuit instructa, et rursus a Christo edocta post ejus incarnationem; nihil autem quod non jam sciret, videtur fuisse edocta a Simone dicente : *Ecce hic positus est in ruinam*, etc. (*Luc.* II, 34). Insuper B. Virgo in cognitione et sapientia crevit ex assidua sacræ Scripturæ lectione et divinorum mysteriorum meditatione; item ex multorum effectuum experimento et observatione, v. gr. naturali et evidenti cognitione experta est se sine viro concepisse, et sine dolore ac virginitatis detrimento peperisse.

Sect. III, IV. — *An B. Virgo habuerit aliquam divinorum mysteriorum scientiam per se infusam, et quædam per revelationes cognoverit.*

Dico 1 : Verisimilius est B. Virginem ab initio suæ conceptionis habuisse cognitionem supernaturalem per se infusam quoad lumen intellectuale et species intelligibiles, ita ut fidei objecta modo angelico fuerint ei proposita per species altioris ordinis, independenter a phantasmatibus; ex quo facile intelligitur quomodo illa in primo suæ conceptionis instanti fuerit per propriam dispositionem, et ad Deum conversionem sanctificata, totoque infantiæ tempore habuerit usum rationis circa res divinas, et potuerit semper persistere etiam tempore somni, in actuali Dei ac rerum divinarum cogitatione et amore, sicque prævenire in se et cohibere omnem motum inordinatum. Insuper

Dico 2 : Virisimile est B. Virginem non tantum habuisse simplicem fidem infusam, sed etiam theologicam sapientiam, qua distinctius fidei mysteria, et veritates seu conclusiones in eis contentas cognoscebat : v. gr. a principio suæ conceptionis habuit perfectam scientiam theologicam rerum ad mysterium Divinitatis et Trinitatis spectantium, promissionisque Messiæ et incarnationis quoad ejus substantiam, etc. Hic tamen scientiæ infusæ habitus potuit specialiter esse auctus in Christi conceptione, nativitate, morte, in Pentecoste; et ipsa etiam Virgo successu temporis per exercitium et acquisitionem plurium specierum intelligibilium, potuit istam scientiam augere tum intensive, tum forte etiam extensive. Verum non videtur habuisse evidentem et per se infusam supernaturalium mysteriorum scientiam; alioqui fides vel fuisset superflua, vel non potuisset cum illa stare, et ejusmodi scientia non est viatoris statui accommodata, nec necessaria ad sanctitatis et meriti perfectionem.

Dico 3 : Præter supra dictas cognitiones supernaturalium rerum instar habitus permanentes, pie et probabiliter credi potest B. Virginem in hac vita interdum elevatam fuisse ad videndam clare brevi tempore divinam essentiam, ut censent D. Antonius, Gerson, Medina, etc. Id enim poterat facere ad majorem Dei amorem, et cum eo unionem; et licet probabilius negetur istud Paulo et Moysi fuisse concessum, non ideo tamen sequitur ex singulari privilegio B. Virgini non fuisse largitum. Præterea

Dico 4 : B. Virgo in hac vita etiam habuit per cognitionem abstractivam, varias ac multiplices revelationes, v. gr. dum in templo habitabat, frequentes juxta Ambrosium, etc., habuit angelorum visitationes et divinas illustrationes; in filii conceptione, juxta Anselmum, suæ prædestinationis et exaltationis certam revelationem. Christus post resurrectionem, statim illi se et suam gloriam ostendit, et post Ascensionem sæpius juxta Rupertum, et Laurentium Justinianum, fuit a Filio visitata et edocta.

Sect. V, VI. — *An B. Virgo habuerit humanam rerum naturalium scientiam, et an quædam ignoraverit.*

Dico 1 : Probabilius non fuit B. Virgini communicata in hac vita naturalium rerum scientia, naturalem humani intellectus capacitatem superans, sicque non fuit illi data harum rerum scientia per se infusa; et si interdum habuerit propriam spiritualium substantiarum, prout in se sunt, cognitionem per specialem Dei elevationem, illa fuit tantum transiens, non permanens aut per se infusa tanquam habitus. Verisimiliter tamen habuit infusam per accidens cognitionem rerum naturalium aut moralium, quæ ad perfectam Scripturæ intelligentiam, ad theologicæ doctrinæ perfectionem, ad claram mysteriorum fidei explanationem, ad consummatam in rebus agendis prudentiam erat necessaria ac expediens.

Dico 2 : In intellectu B. Virginis nunquam fuit error, nec ignorantia pravæ dispositionis, sive debitæ scientiæ; error enim vel deceptio est pœna per peccatum Adami introducta. Unde si ista Scripturæ verba circa Christum duodennem in templo remanentem : *Existimantes illum esse in comitatu* (*Luc.* II, 44), extendantur ad B. Virginem, ipsa judicabat fieri potuisse ut in comitatu foret, non judicio erroneo, sed suspensivo. Cæterum B. Virgo non semper omnia scivit, v. gr. ante angeli annuntiationem, non sciebat modum incarnationis, nec omnia futura, nec loco dissita, etc. Nunquam tamen habuit propriam ignorantiam privativam, id est carentiam scientiæ suo statui ac conditioni debitæ vel

convenientis. Hinc dum dicitur Luc. II, 50. *Et ipsi non intellexerunt,* si hoc ad B. Virginem referatur, dicendum est illam non satis comprehendisse quænam essent istæ res ad æternum Patrem spectantes, ob quarum occupationem oportebat Christum parentes ad tempus relinquere; notitia enim istius rei tunc illi non erat necessaria, sicque non habebat privativam ignorantiam. Ideoque interdum potuit habere propriam ac veram admirationem.

DISPUTATIO VICESIMA.

De gratiis B. Virgini gratis datis.

Sect. I, II, III. — *An B. Virgo habuerit omnes gratias gratis datas ad cognitionem, sermonem, et operationem pertinentes.*

Dico 1 : B. Virgo habuit gratiam prophetiæ, adeoque fuit vera prophetissa, ut patet ex cantico *Magnificat* (*Luc.* I, 48) ; quod dictante vel dirigente Spiritu sancto, uti scriptores canonici, protulit; estque Scriptura canonica. Sic eam vocat Isaias VIII, 3 : *Accessi ad prophetissam et in utero concepit.* Hinc etiam habuit gratiam interpretationis sermonum, seu sacrarum Scripturarum ; et discretionem spirituum, non cognoscendo quidem internas aliorum cogitationes, sed discernendo a quo spiritu agerentur.

Dico 2 : Habuit etiam gratiam fidei seu speciale donum fidei ad credendum firmiter sive speculative sive practice mysteria fidei, et ad ea aliis exponenda. uti et speciale donum scientiæ ac sapientiæ, tum ad intelligenda, tum ad aliis proponenda et explicanda ista mysteria non pro concione, quod vetatur : *Docere autem mulierem non permitto*(I*Tim.* II, 12), sed in familiari colloquio. Et verisimilius est etiam eam accepisse donum linguarum, sicut apostoli, ut posset fidelibus ex variis nationibus ad eam confluentibus respondere.

Dico 3 : Similiter videtur habuisse gratiam miraculorum et sanitatum : licet enim ante filii conceptionem et post ejus nativitatem usque ad ascensionem non legatur fecisse per se miracula publica (an enim secreta fecerit in Ægypto aut alibi tempore Christi adhuc privatim agentis, incertum est) ; *per se,* inquam, quia potest dici per filium sua intercessione fecisse miracula, v. gr. in nuptiis Canæ Galilææ. Tamen post Christi ascensionem, verisimile est eam multa perpetrasse, v. gr. multis sanitatem restituisse, tum ad fidei confirmationem, tum ad sui et filii manifestationem ; et ut referunt Damascenus, Metaphrastes, etc., corpus B. Virginis, post ejus obitum, multa miracula statim effecit, uti et solum ejus sepulcrum, quia corpus illud aliquo tempore habuit, effectione miraculorum illustre fuisse referunt Damascenus, Andreas Cretensis, Metaphrastes, etc.

DISPUTATIO VICESIMA PRIMA.

De B. Virginis morte et assumptione.

Sect. I, II. — *An B. Virgo obierit, resurrexerit, et in cœlum assumpta fuerit.*

Dico 1 : Quamvis nullum habeatur scriptum ex quo circa B. Virginis obitum aliquid certi definiri possit, tamen certum est eam obiisse. Ita nunc sentit universa Ecclesia ; decuit enim eam in hoc esse suo filio similem. Obiit autem non ex vi alicujus morbi, sed tum ex voluntate Dei, ut videtur obiisse Moyses : *Mortuus est ibi Moyses* etc. *jubente Domino* (*Deut.* XXXIV, 5), tum ex vi ardentissimi in Deum amoris, ætatis suæ anno quinquagesimo nono expleto juxta Evodium, vel sexagesimo tertio juxta Turrianum et Baronium, ac communem vulgi opinionem, vel verisimilius septuagesimo secundo juxta Cedron et Andream Cretensem ; et colligitur ex conversione D. Dionysii facta tantum circa decimum octavum a Christi nece annum, qui, ut ipsemet asserit, adfuit dormitioni B. Virginis cum apostolis sive sine miraculo illuc appulsis, sive miraculose illuc translatis, et cum aliis multis fidelibus. Scribitur etiam Christus magna angelorum turma comitatus adfuisse ejusdem dormitioni.

Dico 2 : Cum primum anima B. Virginis separata fuit a corpore, statim Deum vidit, et in cœlum sublata est : statimque ab actu divini amoris in via elicito immediate transiit ad actus divini amoris in patria absque ulla interruptione, qui fortasse fuit idem continuatus majori cum perfectione. Ejus corpus fuit sepultum in valle Josaphat inter montem Oliveti et Sionis, quod paulo post gloriosum resurrexit, et suæ animæ unitum ad cœlum assumptum est ; atque ita B. Virgo cum glorioso simul corpore et anima in cœlum translata. Hic est universalis Ecclesiæ consensus ex antiqua Patrum traditione, quam omnes posteriores sancti ac doctores amplexi sunt, profectus ; et Juvenalis Hierosolymitanus, apud Nicephorum (lib. II *Hist.*, cap. 23) refert non sine divino consilio accidisse, quod apostolus Thomas B. Virginis morti non interfuisset ; cum autem paulo post Hierosolymam venisset, sacrum tumulum, in quo B. Virginis corpus positum fuerat, reseratum fuisse, ut ab illo et videri et adorari posset, sed non reperto corpore, sola sepulcralia linteamina, commodo loco apte composita fuisse inventa. Hinc ab antiquissimo tempore celebratur festum Assumptionis B. Virginis. Et certe cum corpus Christi sit sumptum ex corpore Virginis, sitque quasi una caro, sicut non decuit corpus Christi corrumpi, ita nec B. Virginis, decuitque esse illic matrem, ubi est filius. Et filius aliquo modo debebat istum honorem suæ matri reddere : si enim, ut multi sentiunt, ii qui cum Christo surrexerunt, in cœlum cum illo ascenderunt corpore et anima gloriosa, quanto magis B. Virgo debuit sic ascendere. Deinde si ejus corpus in terra remansisset, Deus non permisisset tandiu jacere occultum sine honore. Denique foret ingens temeritas de hac B. Virginis cum corpore et anima in cœlum assumptione ambigere.

Dico 3 : Verisimile est B. Virginem, non ipsa suæ mortis die, quæ creditur fuisse decimam quintam Augusti, sed triduo post resurrexisse ad sui filii

imitationem ; nam Nicephorus refert toto triduo post ejus mortem, apostolos audiisse ad illius sepulcrum cantantes angelos, et sub finem hujus tridui adventante Thoma apostolo, tunc ut supra diximus, corpus in sepulcro non inventum est. Unde Patres docent non tantum omnes angelos et sanctos ad gloriosam ejus assumptionem e cœlo descendisse, sed etiam ipsum Christum in occursum matris venisse, et cum ingenti honore ac gaudio illam ad cœlestem thronum deduxisse.

Sect. III, IV. — *Ad quantam tum essentialis tum accidentalis beatitudinis excellentiam B. Virgo evecta sit.*

Dico 1 : B. Virgo in essentialis beatitudinis perfectione exaltata est super omnes hominum et angelorum beatorum choros, et probabiliter non tantum intensive, sed etiam extensive perfectiori visione videt in Verbo quidquid angeli omnes et puri homines vident, v. gr. plures mysteriorum rationes et circumstantias, plures rerum species, plura individua ; ideoque canit Ecclesia : *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum,* et Jacobus in sua liturgia eam vocat « gloriosiorem quam cherubini et seraphini. » Hinc pie colligitur illam videre in Verbo quidquid Deus videt per scientiam visionis, iis solum exceptis, quæ singulariter ad Christum ejusque animæ interiores cogitationes pertinent ; adeoque probabiliter credi potest eam in beatæ visionis perfectione superare non tantum singulos sanctos angelos et puros homines, sed etiam omnes illorum perfectiones in unum collectas.

Dico 2 : Quod attinet ad accidentalem animæ B. Virginis beatitudinem, v. gr. particulares revelationes, gaudia, impetrationes aliquorum effectuum, etc., non est dubium quin longe cumulatius quam alii beati, ejusmodi præmiis abundet : tresque aureolas virginitatis, doctoratus, et etiam martyrii ob intimam ejus personæ cum persona Christi patientis conjunctionem, splendore particulari et altiori ordine possideat ; et hinc colligi potest gloriosi ejus corporis dotes præ aliis corporibus longe splendidius eminere. Denique B. Virgo ita in omnibus alios beatos superat, ut sub Christo ipsa sola specialem sedem, singularemque chorum in beatitudine constituat ob singularem et altioris ordinis matris dignitatem qua ministrorum statum multum excedit.

DISPUTATIO VICESIMA SECUNDA.

De adoratione B. Virginis.

Sect. I, II, III. — *An et cur, et quo cultu B. Virgo sit adoranda.*

Dico 1 : Constat ex dictis supra de adoratione sanctorum, B. Virginem esse adorandam, non latria tamen. Est de fide. Imo addi potest eam ab initio mundi semper fuisse aliquo modo adoratam ; nam si angeli ab initio suæ creationis cognoverint Christum venturum, similiter cognoverunt etiam futuram ejus matrem. Ergo si tunc Christus vel fide creditus, vel clare in Verbo visus, statim fuit ab angelis adoratus : *Et adorent eum omnes angeli ejus* (*Hebr.* I, 6 ; *psal.* XCVI, 7), ita et ejus mater cum primum a sanctis angelis fuit cognita, statim ab illis adorata est tanquam Dei mater, et omnium ipsorum domina. Deinde ante Christi adventum fuit a patriarchis et prophetis præcognita ac prænuntiata venerationique habita ; et post ejus adventum semper magno honore a fidelibus affecta, ut constat ex epistolis Ignatii ad Joannem evangelistam : posteaquam autem in cœlum translata est, singulari cultu ab universa Ecclesia honorata fuit, quod liquet ex totius Ecclesiæ consensu et immemoriali traditione, atque ex festis antiquissimis in honorem ejus purificationis, annuntiationis, nativitatis, assumptionis, etc., institutis, et ex templis etiam antiquissimis in ejusdem honorem consecratis ; atque hinc patefit istum Virginis cultum esse religiosum.

Dico 2 : Hujus cultus seu adorationis B. Virginis triplex ratio assignari potest : 1° est extrinseca, qualis est in cruce et clavis qui tetigerunt Christum, et fuerunt nostræ redemptionis instrumentum, ideoque sunt adorabiles ; ita B. Virgo est adorabilis quatenus Christum tetigit, ita ut tota ratio hujus adorationis sit Christus, sicuti adorantur reliquiæ. Ita sentit D. Thomas. Sed licet hoc speculative sit verum, practice tamen et cultu publico B. Virgo non est sic adoranda. 2° Est intrinseca B. Virginis sanctitas, ut supra dictum est de sanctorum adoratione. 3° Est dignitas matris Dei illi intrinseca, per quam habet quoddam jus et dominium in omnes creaturas : unicuique autem jure dominii debetur ab inferioribus adoratio, maxime cum dignitas matris Dei juxta legem ordinariam non possit separari a dignitate gratiæ.

Dico 3 : De fide certum est B. Virginem non posse adorari, proprio latriæ cultu, hic enim soli debetur Deo ob infinitam excellentiam ; unde longe aliter vocatur : *Spes nostra*, *Mater gratiæ*, etc., quam Deus, uti et dicitur *reparatrix* aut *mediatrix*, non per se et immediate, sed per Christum suum filium. Quare

Dico 4 : Quamvis B. Virgo cultu publico non sit adoranda, ut dixi, ob contactum Christi, sive ob extrinsecam Christi quem tetigit, excellentiam, si quis tamen eam sic adoraret, ista adoratio posset dici secundaria latria, similis adorationi instrumentorum passionis Christi. Dum autem adoratur B. Virgo ob intrinsecam ejus gratiæ et gloriæ sanctitatem, ista adoratio est essentialiter ejusdem rationis cum adoratione aliorum sanctorum quæ vocatur *dulia ;* sed quia dignitas gratiæ in B. Virgine est excellentior, ideo ejus adoratio vocatur *hyperdulia,* id est, *eminens dulia,* quæ in majori B. Virginis æstimatione, et in majori interna appreciatione aut etiam in actibus externis particularibus potest consistere. Quando vero adoratur B. Virgo ob specialem matris Dei dignitatem, tunc est *hyperdulia* diversa a prædicta quæ in sola gratiæ dignitate fundatur : hæc enim fundatur in consangui-

nitate quam habet cum Christo, qui est Deus. Ista autem maternitatis dignitas est altioris ordinis quam dignitas gratiæ habitualis, utpote ad ordinem unionis hypostaticæ spectans; cumque includat etiam gratiam tanquam connaturalem sibi dispositionem, aliaque omnia quæ ad eminentem sanctitatem pertinent, ideo iste modus adorandi B. Virginem, est perfectissimus, et ejus dignitati maxime proprius; possetque fortasse procedere vel ab habitu particulari et proprio, vel ab habitu, ex quo Dei et Christi oritur adoratio.

DISPUTATIO VICESIMA TERTIA.

De B. Virginis intercessione et invocatione.

SECT. I, II, III. — *An B. Virgo in statu viæ, nostræ saluti cooperata sit, et nunc in statu patriæ adhuc cooperetur, adeoque adoranda sit.*

Dico 1 : B. Virgo non fuit per modum causæ efficientis propria ac principalis causa nostræ salutis; solus enim Deus potest gratiam et gloriam conferre. Sed quamvis B. Virgo non nos redemerit, nec aliquid de condigno nobis meruerit, quia mediator Dei et hominum solus est Christus, tamen impetrando, de congruo merendo, et suo modo Christi incarnationi cooperando, nostræ saluti utcunque cooperata est, nam meruit de congruo incarnationem; quandiu fuit viatrix, petendo et orando, meruit nobis de congruo salutem, concepitque ac genuit nostræ salutis auctorem.

Dico 2 : B. Virgo in cœlo pro nobis orat ac intercedit. De fide contra hæreticos antiquos et novos, habeturque ex communi Ecclesiæ sensu ac traditione; et probari potest ex testimoniis et rationibus, quibus probatur generaliter sanctos orare pro nobis. Si enim alii pro nobis intercedunt, multo magis intercedit B. Virgo. Quod autem angeli et sancti homines pro nobis intercedant, patet ex his : *Ego obtuli orationem tuam Domino* (*Tob.* XII, 12); id est, angelus. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram Deo* (*Apoc.* VIII, 4). Sic etiam sanctus Petrus : *Dabo autem operam frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis* (*II Petr.* I, 15). Testimonia vero sanctorum Patrum Augustini, Ephrem, Bernardi, Bonaventuræ, etc., quæ id de B. Virgine asserunt, nimis multa sunt, ut hic apponantur. Et certe ratio ipsa id demonstrat : B. enim Virgo hic in via orabat pro nobis, multo magis nunc in patria, maxime cum intueatur in Verbo nostras necessitates, et ea quæ apud nos geruntur; Deusque gaudeat et cupiat ejus pro nobis intercessionem interponi, præcipue per merita Filii sui et in ejus nomine, non tantum generatim, sed etiam speciatim pro talibus et talibus hominum necessitatibus; atque ejus intercessio longe est efficacior quam aliorum sanctorum. Quare

Dico 3 : B. Virgo ab hominibus invocanda et oranda est. De fide contra eosdem hæreticos, habeturque ex communi totius Ecclesiæ usu ac consensu, perpetuaque sanctorum traditione. Præterea in canone missæ, et in liturgiis Jacobi, Basilii, et Chrysostomi sæpe fit invocatio B. Virginis; orant et orandam docent sæpissime Patres in suis scriptis, Augustinus, Anselmus, Athanasius, Nazianzenus, Nyssenus, etc.; et in sexta synodo (act. 18), imperator Constantinus fidei articulis subscribens ait : « se sperare salutem consequi a multorum munerum datore Deo, intercessionibus sanctæ immaculatæ Deiparæ. » Deinde hic inter homines non solum oramus eum qui rem optatam dare potest, sed etiam eum qui potest apud alium intercedere. Cum igitur B. Virgo possit apud Deum intercedere, cur non possemus eam rogare, non defectu fiduciæ in Deo, sed præ humilitate, timendo accedere immediate ad ipsam Dei majestatem, sæpe volentis non per se solum, sed per merita et preces suæ matris dare quod rogatur? Unde præ omnibus sanctis est oranda, quia ejus intercessio seu oratio est dignior, efficacior, sollicitior, universalior pro omnibus rebus et necessitatibus. Ideo nullus est dies in quo populus Christianus sive in officio canonico, sive in missa, sive ad pulsum campanæ bis terve datum, B. Virginem non deprecetur.

DISPUTATIO VICESIMA QUARTA.

De Joanne Christi præcursore.

SECT. I, II. — *An Joannes Baptista fuerit Messiæ præcursor in lege promissus, et quodnam ejus munus fuerit.*

Dico 1 : Liquet aliquem hominem Messiæ præcursorem fuisse promissum ex hisce duobus Scripturæ locis : *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, etc. (*Isa.* XL, 3). *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam* (*Malach.* III, 1). Constat autem has duas prophetias fuisse in Joanne Baptista impletas, utpote qui fuit vox clamantis Messiam advenisse, prout ipsemet de se ipso dixit a Judæis interrogatus : *Ego vox clamantis in deserto; dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta* (*Joan.* I, 23). Quod etiam ipse Christus testatus est sic : *Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Matth.* XI, 10). Et ejus pater Zacharias spiritu prophetico idem asseruit his verbis : *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc.* I, 76). Nempe hortando omnes ad pœnitentiam et ad Christum excipiendum, illum prædicando, et indigitando. Itaque

Dico 2 : Joannes Baptista præcursoris officium exercuit testando Christum esse Messiam in lege promissum, et ad hoc de Christo excipiendum testimonium, pœnitentia, prædicatione et vitæ suæ exemplo præparavit populum; non ergo novam gratiæ legem aut Novum Testamentum condidit, nec hoc ad ejus munus pertinebat, sed ad Christum : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine* (*Joan.* I, 8). Nec ejus baptismus erat janua novæ legis, sed Christi baptismus. Denique neque immutavit aut abrogavit legem vete-

rem, uti de fide constat; non enim erat hoc ejus munus. Dicitur autem Matth. XI, 13 : *Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt;* id est, prophetæ omnes qui fuerunt ante Joannem, uti et lex suis variis figuris, ac divinis promissionibus prophetaverunt Christum venturum, Joannes autem non venturum, sed præsentem prædicavit, et digito demonstravit. Deinde lex vetus duravit intrinsece usque ad Joannem, et quasi extrinsece cœpit abrogari per Christi et novæ legis prædicationem.

SECT. III. — *Quam sanctitatis perfectionem assecutus fuerit Joannes Baptista.*

Dico 1 : De fide est, absolute loquendo Joannem Baptistam eximiam gratiæ et sanctitatis perfectionem esse assecutum; dicitur enim de illo : *Erit magnus coram Domino* (*Luc.* I, 15). Præter hæc quæ Christus comparative dixit : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). 1° Dicitur *major*, non munere aut præcursoris officio, ut quidam hæretici finxerunt, sed sanctitatis perfectione, ut passim Patres, Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, etc., explicant; 2° dicitur *natos*, non *natas*, ut B. Virgo excipiatur; 3° dicitur *natos*, non *nascendos*, ut id intelligatur de præteritis sanctis, et fortasse de solis prophetis, non de quibusvis aliis loqui. Deinde non dicitur Joannes omnibus illis major, aut sanctior, sed nullus eo major fuisse, seu surrexisse. Verisimiliter tamen superavit omnes antiquos patriarchas et prophetas, suppar apostolis.

Dico 2 : Joannis Baptistæ sanctitas potest etiam colligi ex ejus vitæ progressu. Nam 1° ejus conceptio ab eodem angelo Gabriele, qui fuit Christi incarnationis nuntius, annuntiata est in sacratiori templi parte, dicta *Sancta* apud altare thymiamatis et mensam panum propositionis, non vero in parte dicta *Sancta sanctorum*, quo solus summus pontifex semel in anno intrabat. 2° Post conceptionem, in utero matris repletus est Spiritu sancto; et gratiæ sanctificantis ac prophetiæ donum cum usu liberi arbitrii et perfecta Christi cognitione accepit. 3° Post primam in utero matris sanctificationem usque ad suam nativitatem plurimum in gratia et sanctitate crevit. 4° Post nativitatem statim ab infantia in eremum secessit, et juxta Nicephorum, a matre infans portatus fugiente Herodis furorem, quæ delituit cum filio in spelunca, et ibi obiit, postea autem pueri curam angelus suscepit. 5° In ista eremo admirabilem vitæ rationem instituit, perfectissimumque vitæ tum contemplativæ tum activæ statum amplexus est; austerissimam enim vitam egit cum maxima erga Deum charitate et mentis unione. Deinde divino jussu et inspiratione in vitæ activæ operibus se singulariter exercuit, prædicans baptismum pœnitentiæ, cœli regnum appropinquare admonens, Christum præsentem indigitans : *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29), vitia arguens, et ob veritatis defensionem mortem subiens : *Factum est super eum verbum Domini, et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (*Luc.* III, 2, 3).

SECT. IV. — *An Joannes, culpæ malo, et defectibus qui ex illo manant, fuerit subjectus.*

Dico : Joannes Baptista fuit in peccato originali conceptus, ut alii infantes, et in illo mansit ad sextum a conceptione mensem, quo per visitationem B. Virginis fuit sanctificatus, non sublato tamen fomite peccati, qui intrinsece sequitur ex originali. Unde probabilius, juxta Patres, non caruit omni culpa veniali, saltem illa quæ ex subreptione committitur. Videtur tamen omnino certum nunquam eum peccasse mortaliter, adeoque per primam suam sanctificationem fuisse in gratia confirmatum, ut colligitur ex Luca I, 15 : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, etc. Ita Patres et Ecclesia sentit, quæ ejus natalem tanta veneratione colit. Deinde licet multa ignorarit, et ut homo decipi aut errare potuerit, tamen in rebus ad animæ donum pertinentibus, certum est nihil ignorasse eorum quæ ad sanctitatis perfectionem acquirendam erant necessaria; erat enim propheta missus a Deo, repletus Spiritu sancto, adeoque præditus scientia ad sanctitatem requisita.

Objicies 1 : Joannes, inquit Brentius cum aliis hæreticis, peccavit graviter, dum noluit Christum baptizare, dicendo : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* (*Matth.* III, 14.) Respondeo : Nego assumptum. Non ad recusandum Christo baptismum, ut effutiunt isti hæretici, sed ad ostendendam suam fidem, modestiam et humilitatem, id dixit.

Obj. 2 : Joannes ante Christi baptismum, videtur humanam tantum de eo habuisse opinionem, ut colligitur ex his verbis : *Et ego nesciebam eum* (*Joan.* I, 33). Respondeo : Nego assumptum. Quamvis enim Joannes ab utero matris scivisset Christum esse verum Messiam, et verum Deum, quia tamen in eremo semper vixerat, eum de facie non cognoscebat; et probabilius tantum post Christi baptisma, quo tempore eum de facie cognovit, dixit illum demonstrando : *Ecce agnus Dei* (*Ibid.* 29).

Obj. 3 : Videtur Joannes dubitasse an Jesus esset Messias promissus, quando post ejus baptisma in carcere constitutus, misit ad illum discipulos, qui illum interrogarent : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* (*Matth.* XI, 3.) Respondeo : Nego assumptum. Misit autem discipulos suos non quasi dubitaret an ipse esset verus Messias, sed ut sui discipuli et reliqua plebs, occasione hujus interrogationis, visis Christi miris operibus, et auditis ejus verbis, magis in fide confirmarentur.

SECT. V, VI. — *De gratiis Joanni Baptistæ gratis datis, ac de ejus gloriæ excellentia.*

Dico 1 : Certum est Joannem Baptistam accepisse donum prophetiæ, sive fuisse prophetam. Prophetavit enim Christum post se venturum : *Veniet fortior me, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Luc.* III, 16). *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis*

(*Luc.* I, 76). *Quid existis videre? prophetam? Amen dico vobis, et plus quam prophetam* (*Matth.* XI, 9). Dum ergo ipsemet Joannes interrogatus an esset propheta : *Propheta es tu? Respondit : Non sum* (*Joan.* I, 21), intellexit se vel non esse istum prophetam quem Moyses (*Deut.* XVIII, 15) prædixerat; vel non esse unum ex præteritis prophetis. Deinde probabile est etiam eum accepisse gratiam interpretationis sermonum, seu speciale auxilium ad sacram Scripturam interpretandam, aut ad loquendum tanquam scriptor canonicus. Speciali enim Spiritus sancti instinctu interpretatus est de se ipso hanc Isaiæ prophetiam : *Vox clamantis in deserto*, etc. (*Matth.* III, 3; *Isa.* XL, 3). Item accepisse gratiam discernendi spiritus, sive motus a bono vel a malo spiritu provenientes, uti et gratiam fidei, scientiæ et sapientiæ. Quoad gratiam sanitatum et miraculorum, cum evangelista referat ex aliorum ore, ut videtur, Joannem nullum fecisse miraculum his verbis : *Quia Joannes quidem nullum fecit signum* (*Joan.* X, 41), nec id refutet, aut rejiciat, censetur tacite approbare. Ratio est quia Joannis doctrina et operatio referebantur ad Christum cui reservabantur miracula.

Dico 2: Joannes Baptista summum quemdam essentialis gloriæ gradum ac excellens præmium consecutus est. Hanc tamen essentialem gloriam ejus anima non statim ac separata fuit a suo corpore, consecuta est, quia Christus nondum mortuus erat. An vero Joannes Baptista spectet ad Novum vel Vetus Testamentum, id pendet ex modo loquendi; nam si quis velit tantum pertinere ad Novum Testamentum, qui post Testamentum Christi morte confirmatum vixit, sic non pertinebit ad Novum, sed ad Vetus; si quis autem censeat, ut aliquis dicatur pertinere ad Novum Testamentum, sufficere baptismum et fidem Messiæ jam incarnati, tunc ad Novum pertinebit.

Dico 3 : Joannes Baptista in beatitudine, præter communem gloriam accidentalem, quæ ex essentiali profluit, habet tres aureolos : virginis, quia perpetuam virginitatem servavit, et verisimiliter ex voto; doctoris : *Lucerna enim fuit ardens et lucens* (*Joan.* V, 35); et martyris : nam interfectus fuit ab Herode eo quod illum argueret de adulterio; interfectus, inquam, juxta Nicephorum, anno ætatis suæ tricesimo secundo, cum dimidio.

DISPUTATIO VICESIMA QUINTA.

De baptismo Joannis.

SECT. I, II. — *An baptismus Joannis essentialiter constiterit ex materia et forma; et cujus rei gratia institutus sit.*

Dico 1 : Quasi materia remota baptismi Joannis erat aqua naturalis : *Ego baptizo in aqua* (*Joan.* I, 26). Quasi proxima materia vel potius essentia erat ablutio, probabilius sine ulla verborum forma; etiamsi sentiant D. Thomas, Cajetanus, Bonaventura, etc., eum baptizasse sub hac aut simili forma: *Ego te baptizo in nomine Christi venturi*. Probatur, quia dum baptizabat, Christus non erat venturus, sed jam venerat; et dum baptizabat ipsum Christum, non poterat dicere : *In nomine Christi venturi*. Multo minus baptizavit : *In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti;* nam (*Act.* XIX, 2), baptizati Joannis baptismo negant se audivisse vel ipsum nomen Spiritus sancti. Tota igitur illius baptismi substantia et essentia posita fuit in exteriori aquæ ablutione, quæ ex intentione et speciali deputatione seu impositione, et modo quo fiebat, habebat rationem quamdam sacræ cæremoniæ ac signi, nempe signi subjectionis et humilitatis, quo homines sese peccatores profitebantur et se egere interna peccatorum ablutione : significabat enim iste baptismus tanquam sacra cæremonia perfectiorem Christi futurum baptismum.

Dico 2 : Baptismus Joannis non conferebat gratiam, nec ad hunc finem institutus fuit. De fide. Hinc baptizati a Joanne non recipiebant Spiritus sancti gratiam, ut patet ex eorum verbis : *Neque si Spiritus sanctus est, audivimus* (*Ibid.*). Et ipsemet Joannes in hoc posuit differentiam inter Christi, et suum baptismum, quod Christus esset baptizaturus in Spiritu sancto, id est conferendo gratiam Spiritus sancti, et ipse baptizaret tantum in aqua (*Joan.* I, 26), id est non conferendo gratiam. Ideoque concilium Tridentinum (sess. 7, can. 4) anathemate ferit, qui dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim, quam habuit baptismus Christi. Joannes enim non erat auctor gratiæ, nec potestatem eam conferendi habebat. Quare

Dico 3 : Joannis baptismus solum institutus fuit, ut Christi manifestationi inserviret, et viam ad Christi baptismum sterneret; vocaturque *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (*Marc.* I, 4), id est institutus erat ut excitarentur homines ad pœnitentiam per quam remittuntur peccata vel ex opere operantis, vel postea ex opere operato in futuro Christi baptismo, non vero in Joannis baptismo; atque per hanc excitationem ad pœnitentiam, superabat legalia Judæorum lavacra et baptismata.

SECT. III. — *A quo Joannis baptimus fuit institutus, et quandiu duravit.*

Dico 1 : Certum est baptismum Joannis primam suam originem a Deo duxisse. Patet ex Scriptura : *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ* (*Luc.* III, 2, 3). *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit* (*Joan.* I, 33). Et ex hoc textu colligitur ritum hujus baptismi immediate a Deo esse institutum, et Joanni traditum; adeoque Joannes non accepit potestatem instituendi istum baptismum, sed tantum conferendi propria virtute per modum causæ principalis. Unde

Dico 2 : Proxima causa effectiva istius baptismi fuit sanctus Joannes non tam minister quam principalis causa; quamvis utroque modo denominari possit. Sed hæc conferendi baptismum potestas soli

Joanni data est, ita ut non posset illam suis discipulis communicare, et per illos baptizare. Unde conjecto illo in vincula ac decollato, iste baptismus cessavit; et sicut nullus ei successit in officio præcursoris, ita nec ullus successit in ministerio baptizandi isto baptismo.

Sect. IV. — *An Joannis baptismus fuerit sacramentum.*

Dico 1 : Baptismus Joannis non fuit sacramentum novæ legis. De fide contra quosdam hæreticos. Quia sunt tantum septem novæ legis sacramenta, a Christo instituta, nullum autem est ex illis; nam baptismus Christi longe diversus est a Joannis baptismo, in ritu ex parte formæ, in efficacia gratiæ, in significatione, in origine, in impressione characteris. Unde baptizati Joannis baptismo, post institutum ac præceptum Christi baptismum, tenebantur hunc Christi baptismum suscipere, quod patet ex Act. xix, 2 seqq., ubi baptizati baptismo Joannis jussi sunt iterum baptizari baptismo Christi. Et verisimile est aliquos Christi apostolos, maxime Andream, utpote Joannis discipulum, fuisse ab ipso baptizatum; constat tamen apostolos omnes fuisse baptizatos baptismo Christi, ut videre est in Augustino (epist. 108, *Ad Seleuc.*),quia baptismus Christi omnibus hominibus præceptus est tanquam ad salutem necessarius; secus, baptismus Joannis, qui tantum erat sub consilio, non sub præcepto.

Dico 2 : Baptismus Joannis non fuit etiam sacramentum veteris legis, quia nullibi invenitur in veteri lege, nec per Moysem traditus, nec præceptus, nec observatus est. Imo proprie non fuit sacramentum : ita D. Thomas, Albertus, Sotus, etc., contra Magistrum, Bonaventuram, Durandum, etc., dicentes fuisse verum sacramentum speciale, distinctum et a veteris et a novæ legis sacramentis, simile tamen veteribus sacramentis, utpote egenum elementum, gratiam non conferens. Probatur, quia de ratione sacramenti est ut sit cæremonia stabilis ad sanctificandum hominem aliquo modo instituta, et sanctificantem gratiam practico modo significans : quod sane non convenit baptismo Joannis, qui tantum fiebat ad excitandos homines ut se peccatores agnoscerent, et aliquod humilitatis opus exercerent. Deinde non erat cæremonia stabilis, sed quasi catechismus ad baptismum Christi, et procemium, seu præludium evangelicæ gratiæ.

DISPUTATIO VICESIMA SEXTA.

De tempore et ætate in qua Christus baptizatus est.

Sect. I, II. — *Cur, ubi, quo die et mense, quo ætatis anno Christus baptizatus est.*

Dico 1 : Has baptismi Christi causas affert Pater Suarez in commentario hujus disputationis : 1° ut Christus suo baptismo mundaret ac sanctificaret aquas, vimque regenerandi illis inderet; 2° ut veterem Adam in aquis sepeliret, id est ut nobis mereretur ac proficeret suo actu et exemplo humilitatis; 3° ut prius ipsemet faceret quod faciendum omnibus imperaret; 4° ut baptismum Joannis comprobaret; 5° ut humilitatem et animi purgationem doceret, præsertim antequam concionandi munus ineatur; 6° ut suum baptizatorem ampliori sanctitate ornaret; 7° ut se dæmoni occultaret, existimanti illum accessisse ad baptismum tanquam purgationis indigentem.

Quoad locum Christi baptismi, nihil attinet dicere, cum Scriptura clare dicat in Jordane fuisse baptizatum.

Dico 2 : Circa diem Christi baptismi, cum nihil certi habeatur, videntur dicenda hæc tria : Christi baptismum, magorum adorationem, miraculum nuptiarum in Cana, eodem die sexta Januarii, sed non eodem anno accidisse, cum Ecclesia in officio Epiphaniæ id aliquo modo insinuet, contra varios qui negant Christum fuisse baptizatum sexta die Januarii, aut miraculum nuptiarum eodem die contigisse. Sed probatur ex Bernardo, qui idem nobiscum sentit, et ex aliis qui idem sentire videntur. Unde verisimile est inter Christi baptismum et miraculum nuptiarum unum annum intercessisse, et sic, si Christi baptismus contigit die Dominica, juxta sextam synodum, sequenti anno miraculum nuptiarum non potuit contingere die Dominica, quia dies sexta Januarii non potest duobus annis continuis in eumdem diem incidere.

Dico 3 : Cum Joannis baptismus non duraverit nisi unum annum et paulo amplius, eodem igitur anno quo Joannes incepit baptizare, antequam finiretur iste annus, Christus baptizatus est anno decimo quinto imperii Tiberii, probabilius agens suæ ætatis tricesimum annum inchoatum; ita communiter contra Cajetanum dicentem baptizatum fuisse anno ætatis suæ vicesimo nono nondum expleto, seu quasi expleto. Sed probatur ex Scriptura : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta* (*Luc.* III, 23). Idem sentit Hieronymus, Nazianzenus, Augustinus, etc.; idemque colligitur ex chronologia durationis imperii Augusti. Unde infertur Christum baptizatum esse, dum ageret ætatis suæ annum tricesimum inchoatum et insuper tredecim dies.

DISPUTATIO VICESIMA SEPTIMA.

De iis quæ in baptismo Christi contigerunt.

Sect. I, II, III. — *De cœlorum apertione, columbæ descensu, et audita voce Patris in Christi baptismo.*

Dico 1 : In Christi baptismo aperti sunt cœli, non per solam imaginationem, interius repræsentantem cœlos veluti apertos ac divisos, etiamsi nulla esset realis divisio aut apertio, sed probabilius per veram mutationem in re sensibili factam, et externis sensibus objectam; nec a solo Christo, sed etiam ab omnibus astantibus visam. Hæc autem mutatio facta est in aere, in quo probabiliter efformata est quædam apertionis species, seu hiatus sensibilis. Unde partes aeris ita spectantium oculos immutabant, ut apparerent divisæ et a se distantes.

Dico 2 : Columba quæ exterioribus oculis visa est super Christum in ipsius baptismo descendere, non

fuit vera sed tantum apparens columba; multoque minus unita Spiritui sancto hypostatice, seu in unitate personæ. (Augustinus, Ambrosius, D. Thomas, Cajetanus, etc.) Ideo Scriptura posuit particulam *sicut* aut *tanquam*. Et *descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum* (*Luc.* III, 22). Erat ergo repræsentatio tantum columbæ, non verum animal, sicut multæ aliæ apparitiones, quæ ministerio angelorum fiunt, solent esse. Si enim fuisset verum animal, quid de illo postea factum fuisset? Conservare illud dedecebat, nec Deus, quæ fecit, solet destruere. Ista autem columba, non ante Christi baptismum, ut male opinatus est Cajetanus, sed Christo jam baptizato apparuit, prout habet Luc. cap. III, et expresse Matthæus (III, 16) dicit Christum jam baptizatum ascendisse de aqua, et statim vidisse Spiritum Dei descendentem sicut columbam.

Dico 3 : Vox in Christi baptismo cœlitus delapsa, fuit sonus realis, sensibilis, articulatus, et auditus non solum a Christo et Joanne, sed etiam ab aliis astantibus, qui videntes Spiritum sanctum in specie columbæ super Christum descendisse, intellexerunt ista verba : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Ibid.* 17), dirigi non ad Joannem, sed ad Christum, qui est Filius Dei Patris naturalis. Unde licet ista vox, uti et columba apparens, a tota Trinitate efficeretur, tamen sicut columba erat specialiter ad repræsentandam Spiritus sancti personam, ita illa vox erat ad declarandam Patris ut loquentis, personam; ideo illi singulariter tribuitur, et ejus significatio de sola illius persona, est vera. Nam Christus est Filius solius primæ personæ, non totius Trinitatis. Unde in hoc baptismo manifestatum est Trinitatis mysterium, ut indicaretur Christi baptismum in Trinitatis professione et invocatione postea esse perficiendum, qui tamen tunc nondum erat institutus; adeoque Christus non fuit suo baptismo in nomine Trinitatis, sed solius Joannis baptismo baptizatus.

DISPUTATIO VICESIMA OCTAVA.

De statu vitæ, quem Christus in hoc mundo tenuit.

SECT. I. II. — *Cur Christus vitam eremiticam non duxerit; et an vitæ religiosæ statum coluerit.*

Dico 1 : Convenientius fuit, ut Christus vitam communem inter homines ageret : venit enim in mundum, non solum ut homines redimeret, sed etiam ut exemplo et doctrina eos institueret; imo nec antequam suam prædicationem inchoaret, debuit solitariam vitam agere, ut sciretur eum nihil ab hominibus didicisse, possetque familiarius cum omnibus conversari. Deinde istud vitæ tum activæ, cum contemplativæ genus quod amplexus est, perfectissimum habetur, et fini incarnationis ac Christi muneri accommodatissimum; modo enim in oratione pernoctabat, modo quadraginta diebus in deserto jejunabat, modo vicos et oppida percurrebat docendo, hortando, sanando.

Dico 2 : Quod attinet ad vitæ religiosæ statum, qui per tria vota essentialia constituitur, clarum est Christum hoc sensu vitam religiosam non fuisse professum, iste enim status est via ad perfectionem : Christus autem semper fuit in termino perfectionis. Attamen quidquid est perfectionis in statu religionis, Christus seclusis imperfectionibus, excellentiori modo professus est ac exercuit, nam summam obedientiam, licet nulli hominum ob suæ personæ dignitatem subditus foret, adeoque hujus voti incapax, semper exhibuit. Deinde perpetuam virginitatem servavit, imo sicut præceptum habuit moriendi pro hominibus, et juxta quosdam in primo suæ conceptionis instanti, se voto consecravit Deo ad homines redimendos offerendo omnes suæ vitæ actiones et passiones, ita probabiliter perpetuæ virginitatis votum Deo nuncupavit, tum ob hujus virtutis pulchritudinem et perfectionem, tum ad præbendum imitandi exemplum : *Vota mea Domino reddam* (*Psal.* XXI, 26). Præterea de fide certum est eum etiam paupertatem servasse; tantum igitur controvertitur de modo quo illam servaverit post baptismum ob decreta duorum pontificum in specie inter se dissentientium; nam toto tempore ante baptismum vixit ex bonis parentum, aut fortasse etiam suo labore ac fabricali arte partis. Ut ergo istorum pontificum decreta concilientur, sic dicendum est : Christus postquam discipulos sibi adscivit, aliquarum mobilium rerum dominium habuit saltem in communi una cum discipulis. Hoc patet ex Scriptura. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* (*Joan.* VI, 5.) Judas *habebat loculos, et ea quæ mittebantur, portabat* (*Joan.* XII, 6). Christus igitur vel saltem totum collegium habebat liberam facultatem utendi rebus datis aut comparatis, prout libebat; quod est habere earum dominium. Imo Christus solus jam baptizatus, antequam discipulos adscivisset, aliquo brevi tempore nonnullarum rerum mobilium proprium dominium in particulari habuit; constat tamen, postea nihil proprium in particulari aliquando eum habuisse, sed ad summum in communi : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, 20). An autem aliquando tam in particulari quam in communi, proprietate omnium rerum caruerit, v. gr. dum *mulieres eum sequebantur, ministrantes ei ex facultatibus suis* (*Luc.* VIII, 3), incertum est; et solum in hoc Nicolaus IV et Joannes XXII, prædicti pontifices inter se dissentire videntur. Quinimo probabile est tantam interdum fuisse Christi paupertatem in variis itineribus aut in aliis occasionibus, ut coactus fuerit sibi necessaria ad victum postulare sive mendicare : *Ego autem mendicus sum et pauper* (*Psal.* XXXIX, 18). Nec in veteri Lege prohibitum fuit mendicare per hoc quod Deut. XV, 4, dicitur : *Omnino indigens et mendicus non erit inter vos.* Ibi enim excitatur homo ad dandam stipem; ergo licebat mendicare.

SECT. III. — *An Christus austeram, an vero moderatam vitam agere debuerit.*

Dico 1 : Christus austerum vitæ genus non am-

plexus est, ut facilius omnes lucrifaceret, et melius suo muneri vacaret : victus ergo illi fuit communis, et vestitus vulgaris, nempe, juxta Euthymium, interior tunica seu subucula, aliud vestimentum supra subuculam, et pallium.

Dico 2 : Quamvis Christus non egerit vitam severiorem, egit tamen vitam ita temperatam ut ad severam potius quam ad suavem accederet; quia illa gravem Christi personam decebat, et ipse debebat verbo et exemplo homines in statu naturæ lapsæ viam perfectionis edocere : vitæ enim perfectio non tam in austeritate quam in charitate Dei et proximi consistit, etiam si Christus multas etiam corporis austeritates occulte exercuerit, v. gr. jejunando quadraginta diebus. An autem Christus et apostoli calceati, an vero discalceati incesserint, quidam controvertunt. Videtur probabilius Christus, uti et apostoli, non propriis calceis, sed sandaliis, quæ superiorem pedis partem discoopertam relinquunt, usus fuisse, sicque calceatus, non omnino discalceatus incessit. Dicebat enim Joannes Baptista (*Joan.* I, 27) se non esse dignum solvere corrigiam calceamentorum ejus; et Christus (*Marc.* VI, 9) præcipit discipulis, ut *calceati sandaliis* eant evangelizaturi. Et ubi dicit angelus Petro : *Calcea te caligas tuas* (*Act.* XII, 8); in Græco legitur : *sandalia.* Cum enim in conviviis super stragula veteres accumberent, ne ea calceorum aut sandaliorum sordibus inquinarent, solebant discalceati discumbere.

DISPUTATIO VICESIMA NONA.

De quadragenario Christi jejunio in deserto.

SECT. I, II. — *Cur Christus in desertum secesserit, et quomodo jejunarit quadraginta diebus.*

Dico 1 : Christus a Spiritu sancto ductus est in desertum, non motu externo violento, sed spirituali impulsu ac interno instinctu illuc voluntarie proficiscens, ut cœlestium rerum contemplationi vacaret, et hominibus exemplum præberet, ac cum dæmone pugnaret, eumque vinceret. Ideo dicitur : *Ductus est ut tentaretur a diabolo* (*Matth.* IV, 1); id est secessit in eremum ob virtutis exercitium, præsciens fore ut dæmon ipsum ibi tentaret, volendo istam tentationem permittere ob fructum inde secuturum.

Dico 2 : Christus in isto deserto sine ullo cibo ac potu jejunavit quadraginta diebus, ut jejunii necessitatem præstantiamque commendaret, ac exemplum daret; et post quadraginta jejunii dies cœpit esurire, non autem ante, divina enim ac miraculosa virtute, non naturali, factum est, ut impedita actione naturalis caloris, aliorumque agentium contrariorum, intra illos quadraginta dies non esuriret aut sitiret ad dandum aliquod suæ divinitatis indicium, postea vero cœpit esurire ad ostendendam suæ humanitatis veræ realitatem.

SECT. III, IV. — *De loco et tempore quo Christus jejunavit, et de modo quo a dæmone tentatus est.*

Dico 1 : Videtur Christus statim post expletos quadraginta jejunii dies, sub initium diei quadragesimi primi, tribus tentationibus continenter, intra breve tempus factis, fuisse a dæmone tentatus, et post aliquot hujus diei horas solvisse jejunium, ut colligitur ex Scriptura : *Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei* (*Matth.* IV, 11). Nec videtur Christus intra quadraginta jejunii dies, aliis tentationibus fuisse a dæmone tentatus, contra Bedam, Origenem, Eusebium, etc.

Dico 2 : Quod attinet ad tentationum locum, prima fuit facta in ipso jejunii deserto, secunda in pinnaculo templi Hierosolymitani, tertia in aliquo monte excelso, unde dæmon non imaginaria cognitione, sed digito indicavit omnes orbis partes; vere autem et realiter, non per imaginationem, in templi pinnaculum et montem excelsum Christus a dæmone transportatus est, quo recedente, Christus vel sua propria virtute vel angelorum ministerio statim repositus est in pristino deserti loco, ubi angeli mensam ei paraverunt.

Dico 3 : Terna dæmonis tentatio incitabat exterius Christum ad tria vitia : prima ad gulam : *Dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 3); secunda ad vanam gloriam : *Mitte te deorsum*, etc. (*Ibid.* 6); tertia ad avaritiam : *Hæc omnia tibi dabo*, etc. (*Ibid.* 9). Sed Christus suo exemplo nos docuit modum repellendi et vincendi tentationes; illas enim repulit utendo verbis sacræ Scripturæ, divina præcepta in memoriam revocando; divinis promissionibus inhærendo, dæmonis artes penetrando. Juxta omnes dæmon, in specie visibili, et juxta Carthusianum, sub forma viri sancti Christo apparuit, ut ipsa indicat Scriptura : *Et accedens tentator*, nempe motu corporali; tentavit enim Christum per exteriorem tantum sermonem, utpote qui non poterat Christi affectum aut sensus internos commovere. Sic autem eum tentavit, ut exploraret an esset Deus et Messias promissus.

DISPUTATIO TRICESIMA.

De Christo doctore, ejusque doctrina.

SECT. I, II. — *An Christus ad docendos homines venerit, et an doctoris munus rite impleverit.*

Dico 1 : Christus est missus a Patre in mundum, ut hominum doctor foret. De fide : *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et non faciet ultra avolare doctorem tuum* (*Isa.* XXX, 20). *Dedit vobis doctorem justitiæ* (*Joel.* II, 23). *Vos vocatis me Magister et Dominus, et bene dicitis, sum etenim.* (*Joan.* XIII, 13).

Dico 2 : Potestas docendi per se convenit Christo ob unionem hypostaticam, unde non solum homines, sed etiam angelos docere et illuminare potest, facultas enim aut virtus docendi fuit longe major in Christo, quam in ulla creatura esse possit, quia in eo major est scientia et altiori modo quam in ulla creatura. *Qui de cœlo venit, super omnes est, et quod audivit et quod vidit, hoc testatur* (*Joan.* III, 31, 32). Item major sanctitas et vitæ puritas, major vis et efficacia ad illustrandum intellectum, et ad

penetrandum cor, et excellentior docendi modus ob suæ vitæ probitatem, ob miracula, ob auctoritatem, etc.

Dico 3 : Quamvis Christus præsciret ex sua doctrina ac Judæorum reprehensione, offensionem multorum ac scandalum oriturum, eosque pejores ac deicidas evasuros, non debuit tamen ab illa desistere, quia bonum publicum ac totius mundi redemptio et salus præferenda erat privato aliquorum malo, juxta D. Thomam dicentem salutem multitudinis præferendam privato cujusque personæ bono. Istud enim scandalum erat acceptum, non datum; nec factum, sed permissum. Ordo autem charitatis non obligat ad vitandum hujusmodi scandalum cum aliorum detrimento, multo vero magis cum omnium hominum et totius mundi damno irreparabili.

Sect. III. — *Quanto tempore Christus prædicaverit.*

Dico : Cum Joannes evangelista a miraculo nuptiarum usque ad mortem Christi numeret quatuor paschata, nempe cap. II, unum; cap. V, alterum, quod quia vocat tantum *diem festum*, controvertitur an fuerit Pascha ; cap. VI, aliud ; ac denique cap. XI et XIII, quartum, in quo Christus interfectus est : hinc sequitur inter miraculum nuptiarum, quod diximus factum fuisse die sexta Januarii, et mortem Christi, intercessisse tres annos et aliquot menses ; cumque supra ostenderimus a baptismo Christi facto etiam sexta die Januarii, usque ad istud nuptiarum miraculum intervenisse unum annum ; si sumatur ergo initium Christi prædicationis ab ipsius baptismo, inveniemus illam durasse quatuor annis et tribus circiter mensibus. Si quis autem velit sumere id initium a dicto miraculo, tunc debet unum annum detrahere prædicationi. Nec obstat quod Christus baptizatus fuerit sub *principibus sacerdotum Anna et Caipha*, ut ex Luc. III colligitur, et mortuus sit sub isto eodem Caipha, quia vel Annas et Caiphas alternis annis fuerunt summi pontifices, vel juxta Josephum, inter illos duos alii tres intermedii fuerunt pontifices ; vel Caiphas a baptismo Christi fuit continuatus pontifex usque ad ejus mortem, etc. Itaque juxta probabiliorem sententiam totum prædicationis Christi tempus incipiendo ab ejus baptismate, fuit quatuor annorum et trium mensium.

DISPUTATIO TRICESIMA PRIMA.

De Christi miraculis.

Sect. I, II. — *An Christi miracula fuerint necessaria ad persuadendam ejus doctrinam, et convicerint ad credendum.*

Dico 1 : Certum est opera Christi miraculosa in suæ doctrinæ confirmationem facta, aptissima et convenientissima fuisse media ad eam persuadendam : *Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, illa testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 36). *Scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (*Joan* III, 2.). Attamen

Dico 2 : Ejusmodi miracula non fuerunt absolute necessaria, ut Christi doctrina prudenter credi posset ac deberet, non solum fide humana ac formidolosa, sed etiam infusa ac certa. Si enim testimonium Joannis dicentis Christum esse Messiam, sufficiebat sine miraculis ob sanctam ejus vitam, ad dandam illi fidem, ita ut peccaret is, qui ei non assentiretur, quanto magis testimonium et doctrina Christi! Verumtamen Christi miracula dici possunt aliquo modo fuisse necessaria, ad confirmandam sufficienterque proponendam ipsius doctrinam ; erant enim beneficia Dei, quibus non tantum intellectum illustrabat, sed etiam voluntatem commovebat. Deinde licet non essent necessaria respectu singulorum, erant tamen necessaria respectu multitudinis, et plebis rudis, ac respectu eorum, qui nec viso nec audito Christo, erant credituri in eum. Insuper ex suppositione prophetiarum, quibus prædictum fuerat Messiam facturum magna miracula, erant necessaria, ut se ostenderet esse verum Messiam prænuntiatum. Hinc colligitur quamvis Christus non fecisset ejusmodi miracula, non futuros fuisse Judæos excusatos ab omni peccato ob ignorantiam culpabilem, sed non peccassent tam graviter, maxime peccato infidelitatis ; ideo dicit Christus : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius facit, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 24) ; id est, si ego non tantum miracula, sed etiam tanta virtutis opera non edidissem, possent excusari a peccato, saltem tam gravi.

Dico 3 : Miracula Christi per se sola, et cum nullo alio principio conjuncta, etiamsi vera esse evidenter cognoscerentur, non erant sufficientia ad cognoscendum Christum esse Messiam promissum ac Deum, sed conjuncta cum prophetiis, quæ de Messia erant, evidenter absque alia Christi testificatione suæ divinitatis, ostendebant ipsum esse prædictum Messiam ac Deum ; quia in Veteri Testamento revelatum fuerat, venturum Messiam esse verum Deum, et Christus faciebat illa ipsa miracula quæ prædicta fuerant facienda a vero Messia ; ergo, etc. Unde miracula Christi evidenter cognita, et conjuncta cum ipsius Christi asserentis se esse Messiam et verum Deum, et in hujus rei confirmationem miracula facientis testimonio, poterant evidentia morali in testificante, convincere Christum esse verum Messiam et verum Deum : ita D. Thomas, Cajetanus, Scotus, etc. Cum enim evidenter, ut supponitur, cognoscerentur esse vera miracula, et facta in confirmationem eorum quæ a Christo dicebantur, et miracula non possint fieri nisi virtute divina, ergo evidentia si non mathematica, saltem morali poterat ex iis cognosci Christum esse verum Messiam, et Deum, cum id de se ipso assereret faciendo ista miracula ; alioqui Deus ejusmodi miraculis confirmasset mendacium, quod est impossibile. Deus enim non potest confirmare mendacium per opera supernaturalia in confirmationem falsæ doctrinæ facta, alioqui nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per mi-

racula aut per homines; et quamvis possit Deus permittere aliquem facere miraculum seu opus supernaturale, affirmantem se id facere in confirmationem alicujus rei quæ in se falsa est, si tamen homo omnes attente examinet istius rei circumstantias, non permittet Deus ut ista re decipiatur, et falsitatem non cognoscat.

Sect. III. — *An dæmones cognoverint Christum esse verum Messiam et Deum ex vi ejus miraculorum.*

Nota : Beati angeli semper Christum clare cognoverunt ac in Verbo viderunt; atque ita de illis non agitur.

Dico 1 : Si dæmones speciali Dei providentia impediti non fuerint ut Christum cognoscerent, Christi miraculis et aliis testimoniis convicti sunt ad credendum illum esse verum Messiam a Deo promissum. Evidenter enim cognoscebant miraculorum Christi veritatem, et ea quæ acciderant in Christi nativitate, ac Veteris Testamenti prophetias, de Messia compleri per Christum videbant; audierant Christi testimonium de se loquentis : *Ego sum* (nempe Messias) *qui loquor tecum* (*Joan.* IV, 26). Ideo quidam affirmant eos toto vitæ Christi tempore fuisse a Deo impeditos, quominus vel omnia Christi mysteria intuerentur, vel omnia ejus verba audirent, vel omnes prophetias quæ de illo erant, considerarent et inter se conferrent; adeoque illum esse Messiam indubitanter judicarent. Sed

Dico 2 : Quamvis dæmon fuerit impeditus, quominus Christum tempore infantiæ ac vitæ privatæ certo cognosceret esse Messiam, postquam tamen cœpit prædicare et miracula facere, antequam mortem ejus moliretur, verisimiliter permissum est, ut cognosceret illum esse verum Messiam ac naturalem Dei Filium, etiamsi fortasse cum aliqua de opposito formidine. (D. Thomas, Hieronymus, Ambrosius, Euthymius, etc.) *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti perdere nos; scio qui sis, Sanctus Dei* (*Marc.* I, 24). *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum* (*Luc.* IV, 41). Dæmon enim ex Scripturis sciebat Messiam esse Dei Filium; et audierat Joannis testimonium de Christo, et ab ipso Christo dicente se esse Filium Dei, et unum cum Patre, ac viderat sæpius fieri miracula in istius veritatis confirmationem. Unde post Christi resurrectionem multo evidentius cognovit ejus divinitatem; et si quam fortasse prius habuerat dubitationem, eam deposuit et invitus certo credidit. Quod autem attinet ad hunc Pauli locum : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8), ibi loquitur de principibus Judæorum ac mundi sapientibus; vel si loquatur de dæmonibus, non intelligit eos non cognovisse Christi divinitatem, sed mysterium in Christi passione et morte absconditum : id est, hominum redemptionem ac salutem, sui imperii tyrannici eversionem, ac maximam Dei gloriam ac honorem in ea contineri nescivit, nec præ furore, et Dei seu Christi odio prophetias hac de re factas satis animadvertit, aut certe ignoravit.

Sect. IV. — *An Judæi ex Christi miraculis cognoverint illum esse Messiam in lege promissum, ac verum Deum.*

Nota : Supponimus Judæos, maxime qui Scripturas norant, verba Christi audiverant, miracula viderant, potuisse cognoscere illum esse Messiam, adeoque verum Deum. Quæritur autem an revera cognoverint. In quo aliqui dicunt cognovisse esse Messiam et Deum, et tamen præ odio occidisse. (Origenes, Chrysostomus, Beda, etc.) Alii dicunt cognovisse esse Messiam, sed non verum Deum : ita Euthymius, Lyranus, etc. Alii nec Messiam, nec verum Deum esse, cognovisse. (Abulensis, Cajetanus, etc.)

Dico 1 : Judæi, qui in Christum crediderunt, cognoverunt eum esse Messiam ac verum Deum; v. gr. Petrus dum cœlitus illustratus dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Et Martha : *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei qui in hunc mundum venisti* (*Joan.* XI, 27). Etiamsi hæc probabilius non cognosceret distincte Christum esse Filium Dei naturalem, sed tantum involute. Sic etiam alii in principio ante Christi resurrectionem qui in eum credebant, paucis fortasse exceptis, valde obscuram de illius doctrina ac divinitate habebant notitiam; cum Christus in nocte Cœnæ, ipsismet aliquibus suis apostolis diceret : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me* (*Joan.* XIV, 9). Post ejus autem resurrectionem non tantum perfectam fidem infusam de illius doctrina ac divinitate habuerunt apostoli, sed etiam ad ejus evidentem in testificante cognitionem pervenire potuerunt; et fortasse etiam quidam alii.

Dico 2 : Judæi plebei, qui Christo non adhæserunt, juxta D. Thomam, non agnoverunt Christum esse Messiam, nec Deum, nisi forte aliqui, qui fide humana crediderunt, aut saltem suspicati sunt illum esse Messiam; aut alii qui vel ex timore, vel ex prava voluntate illum sequi noluerunt. Imo juxta eumdem, principes Judæorum ac Pharisæi Christum persequentes, probabilius non cognoverunt eum esse Filium Dei naturalem, non enim sciebant, paucis forte exceptis, Messiam futurum, verum Deum debere esse. An autem cognoverint illum esse Messiam, videntur fuisse valde ancipites vel inconstantes. Quando actuali odii aut invidiæ passione non erant commoti, videntes Christi signa et prophetarum verba revolventes, probabiliter definito assensu humano ex conjecturis judicabant illum esse Messiam, sed postea passione suborta aut timore humano ab ista persuasione recedebant. Unde illorum ignorantia erat gravissime culpabilis. Hæc autem verba in vineæ parabola, Matth. XXI, 38 : *Dixerunt intra se : Hic est hæres; venite, occidamus eum*, non significabant : *Hic est Messias*, sed, *hic est in quem omnes credent*, et ita evadet Dominus ac hæres populi Israel, vel, *hic se facit hæredem ac Dei Filium*. Cæterum omnes, vel fere omnes evidenter

cognoverunt Christum fuisse virum justum et innocentem.

DISPUTATIO TRICESIMA SECUNDA.

De Christi transfiguratione.

Sect. I. — *An transfiguratio facta sit per novam gloriæ claritatem Christi corpori, vel soli faciei inhærentem.*

Dico 1 : Transfiguratio Christi non est facta per solam sensuum apostolorum immutationem, ita ut apostoli per imaginationem solam sibi repræsentarint omnia quæ de illa narrantur, nulla in Christo facta mutatione; neque etiam facta per solam oculorum confortationem, ita ut Christus tantum elevarit et confortarit eorum oculos ad videndum lumen absconditum, quo ejus caro semper in se fulgebat, nullo tunc novo lumine donata ; nec denique per solum extrinsece circumductum splendorem, ita ut nulla claritas nova ipsi corpori aut faciei Christi inhæserit, sed solus aer circa ejus corpus illuminatus fuerit, et ejus corpus exterius tantum apparuerit resplendens. Sed

Dico 2 : Christi transfiguratio facta est per eximiam gloriæ claritatem, ejus corpori intrinsece inhærentem ac de novo inditam, quæ fuit longe altioris ordinis et naturæ quam claritas solis; sed hæc claritas videtur probabilius, juxta D. Thomam, fuisse tantum in externa et faciei et totius corporis superficie, non autem in intimis ejus partibus; alioqui corpus fuisset omnino diaphanum ac transparens. Ex ista totius corporis luce et claritate effectum est ut ejus vestimenta essent splendentia, et alba sicut nix.

Sect. II, III. — *De Elia, Moyse, et aliis transfigurationis circumstantiis.*

Dico 1 : Elias in propria ac vera persona vivens corpore et anima in transfiguratione apparuit, juxta ipsam Scripturæ historiam et omnes Patres, ex loco in quo vivus conservatur, in transfigurationis locum translatus. Item Moyses in suo proprio corpore per temporaneam resurrectionem reassumpto, ut sentiunt Hieronymus, Augustinus, Damascenus et Sotus, non autem in alieno aereo, prout volunt D. Thomas et Lyranus, apparuit ; alioqui non fuisset verus Moyses, testis gloriæ Domini adhibitus. Supponimus autem Moysem esse mortuum, ut dicitur Deut. xxxiv, seu ejus animam fuisse in limbo Patrum a corpore separatam, contra Hilarium, Ambrosium, Catharinum, etc., dicentes illum non obiisse, sed conservari vivum cum Elia usque ad diem judicii. Imo Epiphanius scribit ejus corpus ab angelis sepultum, nempe in loco incognito, ne, inquit Chrysostomus, Hebræi illud adorarent. Deinde videntur corpora Moysis et Eliæ participasse aliquid de claritate corporis Christi, et apparuisse gloriosa claritate resplendentia. Petrus autem illos agnovit vel ex instinctu divino et revelatione, vel ex colloquio Christi, propriis nominibus eos appellantis.

Dico 2 : Videtur hæc transfiguratio fuisse facta tricesimo tertio Christi anno paulo ante suam passionem post mortem Joannis, et diebus sex completis post habitum sermonem cum suis discipulis de cruce ferenda (*Matth.* xvi ; *Luc.* ix) ; ac juxta Scripturæ interpretes in monte Thabor, in quo post resurrectionem Christus se multis discipulis suis ostendit. Series autem historiæ hæc est : Christus cœpit orare, quo orante, obdormiverunt discipuli, eis dormientibus, Christus transfiguratus est, et illi apparuerunt Moyses et Elias, tuncque excitati a somno apostoli viderunt Christum transfiguratum, et colloquentem cum Elia et Moyse. Sub finem colloquii cœpit Petrus dicere : *Bonum est nos hic esse*, etc. (*Matth.* xvii, 4). His dictis statim facta nubes lucida illos omnes complexa est, et audita vox : *Hic est Filius meus dilectus* (*Ibid.* 5) ; qua territi discipuli ceciderunt proni in terram, et a Christo confortati, attollentes oculos *neminem viderunt nisi solum Jesum* (*Ibid.* 8), qui præcepit eis ne quidquam de iis quæ viderant loquerentur ante suam resurrectionem.

DISPUTATIO TRICESIMA TERTIA.

De passione Christi in genere.

Sect. I, II. — *Quænam passionum genera, et quam acerbos dolores Christus passus sit.*

Nota : Calvinus, Brentius, Melanchthonus, etc., blasphemantes dixerunt, Christum ab horti oratione usque ad crucem seu mortem sustinuisse pœnam inferni, id est, sustinuisse quamdam infernalis pœnæ damni participationem, consistentis in interna anxietate et vehementi tristitia, qua sentiebat Deum sibi iratum, seque ab illo ita derelictum, ut summopere timeret ne a morte absorberetur, perpetuoque alienatus a Deo maneret, sicque in desperationis motus prolaberetur. Sed his apertis blasphemiis refutandis non immoror.

Dico 1 : Christus tantum sustinuit eas passiones humanas quas naturali modo ab hominibus pati poterat ; unde non est dæmoni permissum ut pro suo arbitrio et voluntate Christum per seipsum torqueret, sed tantum illi permissum ut per malos homines illum affligeret quantum posset ac vellet : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum* (*Luc.* xxii, 53). Quocirca tantum ea sustinuit passionum genera, quæ malitia et vi humana inferri potuerant; sed in hoc passionum genere, sustinuit quodammodo omnes quas aliquis homo ab industria humana illatas pati potest, nempe in omni exteriori corporis parte, in omnibus sensibus, in animi dolore, in fama, in honore, ab amicis, ab inimicis, a propinquis, ab extraneis, a Judæis, a gentilibus, etc. Hinc

Dico 2 : Dolor de omnibus hominum peccatis fuit in Christo, vehementior et intensior, quam unquam in aliquo fuerit, vel secundum potentiam ordinariam esse potuerit in quovis alio homine, quia Christus doluit de omnibus hominum peccatis simul sumptis et perfecte consideratis : nullus tam clare cognovit illorum malitiam, nullus tanta chari-

tate Deum dilexit, nullus tantam gratiam habuit ad detestandum peccatum, etc.

Dico 3 : Tristitia quam Christus habuit de malis quæ patiebatur, non fuit tam vehemens ex parte objecti, quam tristitia damnatorum de suo statu et æterna perditione : quia horum tristitia est de malo pœnæ altioris ordinis et rationis, nempe amissæ beatitudinis æternæ, Christi autem tristitia erat de malo temporali et humano. Imo videtur damnatorum tristitia esse intensior, quam Christi dicta tristitia. Sed si hæc Christi tristitia comparetur cum omni alia humana tristitia, quæ de humanis et temporalibus malis concipi potest, fuit illa longe intensior et acerbior ; ideo dicebat : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38), nempe repræsentando sibi mortem acerbissimam et omnes cruciatus. Deinde in passionis progressu adhuc aucta est, ac tandem in cruce videtur ad summum gradum pervenisse, ut indicant hæc verba : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46.)

Dico 4 : Dolor sensibilis quem Christus in capite, manibus, pedibus, aut etiam in toto corpore passus est, comparatus cum aliis ejusmodi doloribus, quos quivis homines passi sunt, fuit longe illis intensior, et maximus omnium qui de potentia Dei ordinaria possunt accidere ; læsio enim maxima, et complexio corporis summopere doloris perceptiva fuit, et ipse Christus hujus doloris causas non impediebat. Hic dolor tamen fuit minor infernali sensus pœna, utpote quæ alterius rationis et ordinis est, prout a spiritibus sustinetur ; imo minor etiam pœna sensus purgatorii.

DISPUTATIO TRICESIMA QUARTA.

De iis quæ Christus usque ad comprehensionem passus est.

SECT. I. — *Cur et quo pretio Judas Christum vendiderit.*

Dico 1 : Biduo ante festum Paschæ, quod incidebat isto anno in diem Veneris, Christum Judæis in concilio congregatis Judas vendidit, id est die Mercurii, et cum illis de eo tradendo pactus est ; adeoque Christum non vendidit statim post cœnam in Bethania sexto die ante Pascha factam.

Dico 2 : Causa Christi traditionis, ex parte Dei non fuit nisi permissio ; ex parte Judæorum fuit invidia et odium ; cum enim non auderent eum palam comprehendere, veriti populi tumultum, quærebant opportunitatem eum clam capiendi. Ex parte Judæ fuit avaritia : fur enim erat ; *Quid vultis mihi dare?* (*Matth.* XXVI, 15.) Vendidit autem triginta argenteis, id est, juxta Rupertum, triginta nostris nummis argenteis, quot juxta Exod. XXI, 32, jubebantur solvi pro servo aut ancilla occisis. Hinc Christum emere voluerunt Judæi tanto duntaxat pretio, quanto ab eis servus æstimabatur ; alii autem scriptores istis triginta argenteis varium alium valorem incerte assignant.

SECT. II, III. — *De Christi sudore sanguineo in horto, et de iis quæ in illius comprehensione contigerunt.*

Nota : De itu Christi in hortum Olivarum et de ejus oratione et de angelo confortante dictum est in præcedenti tomo ; adeoque nihil hic superest dicendum. Quamvis Hilarius et Hieronymus referant hæc verba : *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII, 44), non reperiri in omnibus codicibus ; certa tamen fide tenendum est eam partem esse Scripturam sacram et canonicam, uti et eam, quæ dicit confortantem angelum Christo apparuisse.

Dico 1 : Christus verum, proprium, et naturalem sanguinem emisit, dum dicitur in horto sanguinem sudasse, ut expresse habet Lucas, et Patres Justinus, Irenæus, Athanasius, Hieronymus, Hilarius, Augustinus, etc., *sicut guttæ*, id est non habebant perfectam guttæ formam. Deinde in Scriptura particula *sicut* non semper significat similitudinem, sed interdum identitatem.

Dico 2 : Christus sine speciali miraculo ex vi internæ afflictionis et agoniæ, quam in oratione passus est, sanguinem sudavit ; interior enim angor ac pavor conjunctus cum actu fortitudinis et audaciæ ad crucis mortem sustinendam, potuit istum sanguinem naturaliter emittere et expellere.

Dico 3 : Judas osculi signo Christum tradidit, ne Judæi, qui eum non noscebant, errarent in nocte de persona, maxime quia Jacobus dictus frater Domini, erat Christo simillimus, et quia nondum accepta proditionis pecunia valde erat sollicitus, ne Christus nocte elaberetur. Deinde quia Christus sciebat suos apostolos nondum esse satis in fide firmos, et ad patiendum paratos, ideo effecit ut nullus illorum, ne Petrus quidem qui amputarat Malchi auriculam, comprehenderetur ; et ille adolescens qui a militibus comprehensus aufugit, relicta sindone, juxta Cajetanum, fuit aliquis e servis, qui in villa Gethsemani degebant : non vero Jacobus frater Domini aut Joannes, uti quidam putarunt, qui jam erant ætate provecti, non vero adolescentes.

Dico 4 : Christus antequam comprehenderetur et ligaretur tanquam latro et insignis malefactor, fecit duo miracula : 1° dicendo : *Ego sum*, dejecit retrorsum in terram totam istam satellitum multitudinem, privatam virtute se movendi. 2° Restituit amputatam Malcho auriculam. An autem Petrus eam amputando peccarit, quamvis istud factum secundum se spectatum vix aut ne vix quidem possit a culpa excusari, cum tamen ex ferventi in Christum amore, et ex ardenti defendendi innocentem zelo, non perpendendo omnes circumstantias, id fecerit, magna cum probabilitate potest dici non peccasse.

DISPUTATIO TRICESIMA QUINTA.

De iis quæ Christus usque ad latam mortis sententiam passus est.

Sect. I. — *Quoties et quomodo Petrus Christum negaverit.*

Nota : Quomodo Christus ad Annam, deinde ad Caipham ductus sit, et quanta ibi passus sit, dicere supersedeo, quia clara est evangelistarum historia.

Dico 1 : Petrus ter tantum Christum negavit, non autem pluries, ut quidam fingunt : ita omnes antiqui Patres. Et colligitur ex Christi verbis : *Ter me negabis* (*Matth.* xxvi, 34) ; atque hæ tres negationes videntur fuisse factæ omnes in domo Caiphæ, quia Christus missus ad Annam, probabiliter non substitit in illius domo, sed statim ductus est ad Caipham, in cujus domo prima negatio, uti et aliæ duæ sequentes, contigerunt. Post primam autem negationem gallus primo cantavit, sed Petrus præ timore et turbatione id non animadvertit. Deinde post tertiam negationem, Christus foras eductus in transitu respexit Petrum exterius, et ejus animum pupugit interius, statimque cantante gallo secunda vice sub auroram exivit extra Caiphæ palatium ac suum peccatum amare deflevit, ejusque veniam obtinuit. Hinc

Dico 2 : De fide est Petrum graviter peccasse. Negare enim Christum est peccatum grave ex objecto suo : *Ter me negabis*, et negando commisit mendacium perniciosum et Deo injuriosum : *O homo, non sum; non novi hominem* (*Matth.* xxvi, 72), et juramento confirmatum. Perjurium autem est grave peccatum ; adeoque istud peccatum fuit mortale. *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* xxii, 32) ; Christus his verbis indicavit illius peccatum. Petrus tamen non ita Christum negavit ut fidem amiserit, sed duntaxat charitatem : ita Augustinus, Cyrillus, etc.; non enim negavit, etiam exterius, Christum esse Messiam vel Deum, sed se nosse illum et secutum fuisse, quod est quidem directe contra fidei confessionem, sed non contra fidem. Permisit autem Deus eum cadere, ut bonus pastor sciret aliorum misereri.

Sect. II, III. — *De Christi flagellatione et spinea coronatione.*

Dico 1 : Christus ante latam in eum mortis sententiam, ut expresse habet Joannes, fuit semel flagellatus ; et quamvis solerent Romani post latam capitis sententiam condemnatum ante mortem flagellare, non videtur tamen Christus iterum fuisse flagellatus : prius enim facta flagellatio potuit ad hunc finem sufficere ; et crudelissime quidem fuit flagellatus, quia Pilatus satisfacturus petitioni Judæorum, volebat ut forent ista punitione contenti, nec graviorem postularent. Hinc dicuntur flagella fuisse funiculi contexti, habentes in extrema parte ferreos aculeos, item catenæ ferreæ, et spineæ virgæ ; et quamvis inflictorum verberum numerus multum excesserit quadragenarium, qui erat numerus apud Romanos usitatus, quantus tamen præcise fuerit, non satis scitur : at plus quam quinque millia fuisse, ut referunt quidam pii scriptores recentiores, vix credibile est. Christus autem voluit flagellari, ut Patri pro nobis satisfaceret. *Ego in flagella paratus sum* (*Psal.* xxxvii, 18). *Et castigatio mea in matutinis* (*Psal.* lxxii, 14). *Vulneratus est propter iniquitates nostras* (*Isa.* liii, 5). *Congregata sunt super me flagella* (*Psal.* xxxiv, 15). Item ut impleret prophetias, et præberet suis exemplum ad patiendum.

Dico 2 : Post flagellationem, milites injussu Pilati plectentes coronam integram ac circularem de spinis, nempe juncis marinis, qui habent oblongas spinas duriores terrestribus imposuerunt super Christi caput. Juxta quosdam recensentur fuisse septuaginta et duæ spinæ ; juxta alios, pauciores vel plures, sed incertum. Tunc illum adducunt in prætorium, nempe locum publicum, ut a tota cohorte illuderetur ; et eum exuentes induerunt tanquam fictum regem veste coccinea, dederuntque ei arundinem pro regali sceptro, ac coram ipso flectentes genua spuebant in ejus faciem, alapas dabant, cum arundine caput spinis coronatum percutiebant. Judæi quidem ad illudendum Christi regno ista faciebant, sed Christus ob altissimas consilii divini rationes illa patiebatur.

DISPUTATIO TRICESIMA SEXTA.

De Christi crucifixione.

Sect. I, II. — *De sententia Pilati et crucis gestatione.*

Nota : Judæi blasphemos lapidare, sed homicidas, uti Romani famosos latrones solebant crucifigere. Unde Barabbas homicida et latro merebatur crucifigi, ideo ejus supplicium in Christum transferri petierunt ; sed maxime ex odio et furore id mortis genus Christo inferri postularunt, causati reum esse læsæ Cæsareæ majestatis.

Dico 1 : Pilati sententia fuit injusta defectu jurisdictionis in Christum, ordinis judiciarii, et æquitatis, sciendo eum esse innocentem. Attamen ejus peccatum minus grave fuit, quam Judæorum, etiamsi nullo modo possit excusari quin magnopere grave fuerit, quia ille ex timore humano, et quasi coactus, illi ex odio, primi iniquitatis auctores, peccarunt, et majorem quam Pilatus habebant de Christo cognitionem.

Dico 2 : Christo e prætorio exeunti imposita est crux gestanda, quam ad minimum gestavit usque ad locum in quo Simoni Cyrenensi occurrit. Tunc enim Simon usque ad Calvariæ locum vel simul cum Christo eam portavit, ipse in posteriori, Christus in anteriori parte ; vel probabilius solus ipse illam portavit, pone Christum anteeuntem. Quoad crucis formam, nihil de ea antiqui scriptores dicunt ; referunt recentiores fuisse longam quindecim palmorum, cum crassitudine sufficienti ad sustinendum corpus hominis ; non fuisse efformatam instar litteræ T, sed ex longo ligno superante su-

perne transversum, cum tabula in qua titulus crucis erat scriptus. Deinde pie creditur B. Virginem Christo crucem portanti in via occurrisse, monitam a Joanne vel aliis de ejus statu et condemnatione.

Sect. III, IV. — *An Christus vere crucifixus fuerit omnino nudus et spinis coronatus.*

Dico 1 : Christus vere crucis supplicio affectus est. De fide contra hæreticum Basilidem dicentem Simonem Cyrenensem Christi loco fuisse cruci affixum. Probatur ex Novo Testamento et ex prophetiis Veteris : *Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt*, etc. *Ubi crucifixerunt eum* (*Joan.* XIX, 16, 18). *Prædicamus Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* I, 23). *Erit vita tua pendens ante te* (*Deut.* XXVIII, 66). *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit* a ligno (*Psal.* XCV, 10). Dicitur quidem Deut. XXI, 23 : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, nempe qui propter sua scelera suspenditur in ligno ; sed non id de Christo innocente sic intelligitur, quippe qui ut nos redimeret de maledicto legis, factus est pro nobis maledictum (*Galat.* III, 13).

Dico 2 : Christus fuit in cruce affixus clavis, non funibus. De fide. Dicit enim Petrus : *Quem vos crucifixistis* (*Act.* II, 36). *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam* (*Joan.* XX, 25). *Aspicient ad me quem confixerunt* (*Zachar.* XII, 10). *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me* (*Zachar.* XIII, 6). Affixio enim cum clavis erat usitata apud Romanos, uti etiam apud Judæos, prout patet (*II Reg.* XXI, 9). An autem fuerint quatuor clavi, vel tantum tres quibus affixus est, incertum ; deinde an fuerit cruci affixus in terra, antequam illa a terra erigeretur, et in scrobem demitteretur, an vero prius erecta fuerit, et postea Christus ei affixus fuerit in aere, etiam incertum, variis varie opinantibus.

Dico 3 : Communius dicunt Patres Christum omnino nudum cruci affixum fuisse. (Ambrosius, Athanasius, Bonaventura, etc.) Et quidem, ut probabilior fert sententia, cum spinea corona. Quoad locum, civitatem, et latronum societatem, sic D. Thomas, in hac quæstione triplex potest locus assignari : communissimus, civitas Jerusalem, communis extra portam civitatis, proprius, mons Calvariæ, ordinarius morte afficiendorum locus, qui juxta communem Patrum traditionem *Calvaria* dicitur, eò quod credatur Adamum fuisse ibi sepultum.

Dico 4 : Quæ pertinent ad latrones, qui cum Christo una crucifixi sunt, hæc habentur : 1° dum dicuntur latrones blasphemando improperasse Christo, vel in initio uterque blasphemavit, et postea alterum pœnituit et confessus est Christum ; vel prout solet sæpe Scriptura, ponitur pluralis numerus pro singulari. 2° Isti duo latrones fuerunt ut Christus, cruci affixi cum clavis : ideo dum inventæ sunt tres cruces, difficile fuit discernere quænam foret Christi. 3° Bonus latro licet præcipue per internam Spiritus sancti illuminationem ac motionem, tam subito, juxta Patres, fuerit ad fidem conversus, credibile est tamen eum tot Christi miraculis, quæ vel viderat vel audierat, et singularibus ejus virtutibus charitatis, patientiæ, modestiæ fuisse etiam ad hoc incitatum ; et cum tunc necessitas baptismi nondum urgeret, per contritionem perfectam aut Dei amorem potuit justificari ; cumque Christus illi dixerit : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43), non in terrestri aut cœlesti corporeo, sed in visione beatifica, videtur ita plenam et culpæ ac pœnæ remissionem obtinuisse, ut non indiguerit per aliquot horas in purgatorio detineri.

DISPUTATIO TRICESIMA SEPTIMA.

De iis quæ Christus in cruce pendens ante mortem passus et operatus sit.

Sect. I, II. — *De Christi vestimentorum divisione et sortitione a militibus facta, ac de crucis tituli impositione.*

Dico 1 : Juxta psalmi XXI, 19, de Christo prophetiam : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*, milites vel propter utilitatem temporalem, vel ad irridendum Christum, ejus vestes non singulas integras, sed probabilius scissas in quatuor partes, jacta sorte sibi diviserunt ; ac præterea tunicam inconsutilem, sive interiorem subuculam, quæ, juxta Euthymium, fuerat a B. Virgine contexta, integram absque ulla scissione unus militum etiam sorte tulit.

Dico 2 : Quia erat mos inscribendi causam supplicii, cum primum Christus cruci affixus est sive super terram, sive in aere, statim ibi impositus est crucis titulus juxta Joannem (XIX, 19, 20) his verbis, Hebraice, Græce, et Latine in triplici serie scriptis : *Jesus Nazarenus rex Judæorum*. Hicque titulus sic scriptus etiam nunc conservatur Romæ in templo Sanctæ Crucis. Alii tres evangelistæ non singula hæc verba, sed eorum sensum tantum retulerunt. Pilatus per *regem Judæorum*, non videtur intellexisse Christum esse verum regem cœli et terræ, nedum Judæorum, sed fortasse censuit confuse eum habere regiam inter Judæos dignitatem alterius rationis a regno temporali, spectantem ad ritum Judaicum ; vel sic ex timore humano eum inscripsit, ut publico testimonio satisfaceret tum Cæsari, tutando ejus regnum, tum Judæis, qui eum accusarant de regni affectatione. Chrysostomus et Euthymius probant ex inventione tituli crucis Christi ab Helena reperti, duobus latronibus non fuisse titulos superpositos, sed hoc ab auctoritate negata non satis convincit.

Sect. III. — *De vino et aceto felli immisto, quo Christus potatus est.*

Dico 1 : Certum est Christo ad montem Calvariæ appulso, paulo antequam cruci affigeretur, ex more probabiliter recepto, propinatum fuisse vinum, quod cum gustasset, noluit bibere, seu in stomachum trajicere : vel quia non indigebat nec sitiebat,

vel quia noluit sitim tunc exstinguere, ut majorem pateretur in cruce, et melius impleretur prophetia de ipsius siti. Hoc autem vinum vocatur *myrrhatum*, et *felle permistum*, quia probabiliter erat in eo aliquid myrrhæ et fellis admistum; ideoque amarum, ut eo efficacius confortaretur ad mortem damnatus.

Dico 2 : Christo jam crucifixo et de cruce pendenti, post dicta hæc verba : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46) et simul post hoc subsequens : *Sitio* (*Joan.* XIX, 28), spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ad naturalem ejus sitim exstinguendam; id est, in summitate arundinis ex herba hyssopi fecerunt parvum receptaculum instar canistri, in quo immissam spongiam aceto plenam obtulerunt Christi ori. Ista enim, ut quidam aiunt, ad locum supplicii afferri solebant. Hinc impleta est prophetia : *Dederunt in escam meam fel* (nempe in vino myrrhato admistum), *et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22).

SECT. IV. — *An Christus verbis, quæ in cruce protulit, testamentum condiderit.*

Nota : Testamentum est instrumentum quo ultima hominis voluntas de sua hæreditate disponentis declaratur, et morte confirmatur; id est, per mortem testatoris fit stabile et irrevocabile. Cum autem Deus voluerit homines fieri participes suæ hæreditatis, seu beatitudinis, ideo sacræ Scripturæ, in quibus hæc Dei voluntas ac promissa continentur, vocantur Testamentum Vetus et Novum, et etiam pactum aut fœdus, quia hæc Dei voluntas hominibus manifesta est per modum promissionis conditionatæ. Christus non vetus et temporale, sed novum et spirituale testamentum condidit : *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus* (*Hebr.* VII, 22); id est, Deus per Christum hoc condidit et sua bona promisit, quæ Christus suo sanguine nobis promeruit, ideo dicitur : *Sanguis Novi Testamenti æterni* (*Marc.* XIV, 24; *Luc.* XXII, 20; *Hebr.* XIII, 20).

Dico 1 : Christus ut persona publica, id est ut caput et pontifex Ecclesiæ ac legislator in cruce pendens nullo modo Novum Testamentum condidit; quia omnia ejus verba, quæ tunc protulit, nempe : *Pater, dimitte illis, non sciunt enim quod faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). *Hodie mecum eris in paradiso* (*Ibid.* 43). *Mulier, ecce filius tuus; Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46.) *Sitio* (*Joan.* XIX, 28). *Consummatum est* (*Ibid.* 30). *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46), minime ad hoc testamentum instituendum spectant, ut satis patet. Sed

Dico 2 : Christus ut caput et princeps Ecclesiæ ac legislator Novum Testamentum quoad id quod præcipuum est, in ultima cœna condidit : tunc enim reliquit Ecclesiæ suum corpus et sanguinem ac se totum, in quo omnes ejus divitiæ ac bona continentur; ejus ministros instituit, præcipua præcepta tradidit; Novi Testamenti, quod tunc suo sanguine incruente immolato sancivit, ac postea cruente immolato confirmavit, expressam facit mentionem. Reliqua vero quæ ad hujus testamenti integritatem pertinent, v. gr. diversa præcepta, sacramenta, novus Deum colendi ritus, promissiones gratiæ, remissionis peccatorum, regni cœlorum, etc., hæc omnia aliis temporibus instituit; omnibusque rebus suis antequam in cœlum ascenderet, ultimam manum imposuit.

Dico 3 : Christus ut privata persona, proprie testamentum non condidit, nulla enim bona temporalia habebat de quibus disponeret, sed moriens pepercit omnibus suis inimicis, matrem suam coram astantibus Joanni commendavit, dixit consummatas esse Veteris Testamenti prophetias ac figuras, animam suam Deo commendavit, quæ omnia veri testamenti institutionem non continent

DISPUTATIO TRICESIMA OCTAVA.

De morte Christi quoad ejus substantiam et causas.

SECT. I. — *An Christus vere ac naturaliter mortuus fuerit.*

Dico 1 : De fide certum est Christum vere esse mortuum, ut ex Evangelio constat. Quæritur autem qualis fuerit ista mors. Respondetur illam in se non fuisse miraculosam, sed naturalem. Ex vi enim actionis causarum naturalium juxta naturalem ac necessarium ordinem naturæ, evenit, nempe ex vi tormentorum. Unum tantum in ea miraculum intervenit, quod morti proximus, corpore debilitato, per virtutem divinam voce magna clamarit, qua emissa reliquit suum corpus pristinæ naturali debilitati ac fatiscentibus naturaliter viribus; sic autem clamavit, ut ostenderet se esse Dominum mortis et vitæ, nec necessitate absoluta, sed sponte mortem subire. Unde non voluit ut anima sua prius desereret corpus, quam in illo fuisset sufficiens mortis causa, id est talis dispositio, cum qua non posset naturaliter illud, ut antea, informare; adeoque ad istud deserendum non prævenit miraculose ultimum fatiscentis naturæ terminum. Imo quidam existimant non præcise tunc illud deseruisse, quando ita fuit debilitatum ac dispositum, ut naturaliter non posset amplius ab ea informari, sed aliquantisper miraculose in illo remansisse. Attamen non videtur anima Christi præternaturali modo unquam suum corpus informasse, sed semper habuit in eo connaturales ac sufficientes ad vitæ conservationem dispositiones, nec ejusmodi miraculum fuit necessarium.

Dico 2 : Quamvis mors Christi fuerit violenta, causata per applicationem causæ extrinsecæ corrumpentis naturales et intrinsecas corporis dispositiones, non tamen fuit coacta, sed voluntaria et libera quatenus supernaturali virtute illam impedire potuit et noluit : *Ego pono animam meam, et nemo tollit eam a me* (*Joan.* X, 17, 18). Sed cum non teneretur uti miraculo ad retinendam vitam, ex charitate et obedientia permisit naturalem causis extrinsecis cursum, quibus illa sibi auferretur.

Sect. II, III. — *Quænam in Christi morte substantialis unio dissoluta sit; et an nova generatio vel hypostatica unio intervenerit.*

Dico 1 : In Christi morte, vera animæ a corpore separatio facta est; dicitur enim : *Emisit spiritum* (*Matth.* XXVII, 50), id est animam. Unde Christi desiit humanitas, quia essentia humanitatis consistit in unione corporis et animæ, adeoque per desitionem humanitatis, etiam desiit ejus unio cum Verbo, quia unio requirit exsistentiam utriusque extremi. Quamvis ergo remaneant partiales cum Verbo uniones animæ et corporis, ex quibus partialiter in re constabat unio humanitatis, tamen hæc unio, quatenus totalis addit istis unionibus partialibus aliquem modum distinctum (sicut totalitas humanitatis addit animæ et corpori aliquem etiam modum distinctum), formaliter ac integre non manet. Hinc Verbum in triduo mortis Christi non fuit homo, quia homo constituitur humanitate, sive anima ut forma, et corpore ut materia, partibus essentialibus actu unam completam naturam componentibus; in triduo autem mortis anima et corpus manserunt, non ut partes actu componentes unam naturam, sed solum ut subsistentes eadem Verbi subsistentia, et sic destructa humanitate tunc Verbum non mansit homo.

Dico 2 : In Christi morte, ejus corpus et anima non fuerunt separata a divinitate, et sic non propriis, sed divina Verbi subsistentia substiterunt : ita theologi et Patres et Ecclesiæ traditio. Quia sicut Deus neminem privat gratia adoptionis sine culpa, ita nec amittitur gratia unionis sine culpa; et quamvis per mortem destructa fuerit humanitas, quia tamen unio ita facta est cum humanitate, ut etiam immediate et per se facta fuerit cum corpore et anima, ideo destructa humanitate, subjectum, id est anima et corpus, cum quibus unio facta est, non fuit destructum; ac proinde non fuit privatum gratia unionis sibi concessa. Deinde corpus et anima Christi ita fuerunt Verbo hypostatice unita, ut eorum unio cum Verbo non habuerit essentialem et physicam dependentiam a sua inter se unione; ergo dissoluta sua inter se unione, non amiserunt suam unionem cum Verbo. Deinde anima prius natura fuit unita Verbo, quam fuit unita suo corpori; ergo separata a corpore retinet suam eamdem unionem cum Verbo. Idem dic de unione corporis cum Verbo; et si quid contra hanc veritatem videantur dicere Hilarius et Ambrosius, intelligendi sunt non de separatione divinitatis seu divinæ hypostasis a corpore et anima, sed de separatione consolationis in morte. Et licet corpus esset unitum Verbo seu vitæ divinæ, erat tamen mortuum seu vita humana privatum, quia Verbum non erat illi unitum per modum formæ vivificantis, sed per modum solius subsistentiæ. Hinc :

Dico 3 : Quamvis in mortuum Christi corpus introducta fuerit, non forma corporeitatis, quæ in re non distinguitur ab anima, sed nova forma cadaveris, sicut fit in reliquorum hominum morte; mansit tamen idem numero cum vivo quoad materiam, quantitatem, et omnia alia accidentia sensibilia, a quibus corporis ratio vel denominatio præcipue desumitur. An autem ista cadaveris forma nova, adeoque natura integra constans ex hac forma et materia, fuerit a Verbo assumpta, vix quidquam certi responderi potest. Posset fortasse dici nullam esse factam novam Verbi unionem cum ista forma, aut natura cadaveris, et ex vi solius unionis Verbi antea factæ cum corpore, mansisse totum istud cadaver in Verbo subsistens eo modo quo potest subsistere, vel positum esse impedimentum, ne forma cadaveris adveniente resultaret aliqua totius subsistentia, et suppositum creatum; vel denique posset dici, juxta communem opinionem magis receptam, totam illam substantialem cadaveris naturam speciali unionis modo sibi adæquato fuisse immediate Verbo unitam, nullum enim inconveniens est Verbum assumpsisse aliquid quod postea dimiserit, quando illud non est per se et ex prima intentione assumptum, sed quasi in transitu et propter aliud : ista enim nova unio, est tantum antiquam concomitans.

DISPUTATIO TRICESIMA NONA.

De prodigiis quæ in morte Christi contigerunt.

Sect. I. — *De tenebris in Christi morte factis.*

Dico : Antequam Christus in cruce pendens exspiraret, factæ sunt tenebræ super universam terram, ut habent evangelistæ : id est, solis defectio fui universalis in toto orbe, juxta communem sententiam, contra Origenem et Erasmum dicentes fuisse tantum tenebras super universam Judææ terram. Probatur ex Patribus, Chrysostomo, Hieronymo, Athanasio, etc., ita sentientibus. Dionysius scribit se eam solis defectionem vidisse in Ægypto; et Tertullianus indicat visam Romæ. Quoad hujus eclipsis modum et causam, existimant Hieronymus, Beda, Cajetanus, etc., factam fuisse per concursum Dei, miraculose substractum soli ad illuminandam terram; Dionysius autem sentit fuisse factam per prodigiosam ac subitam lunæ inter solem et terram interpositionem, ita ut luna quæ tunc in plenilunio erat, soli opposita, divinitus ab oriente versus occidentem transportata sit derepente ante globum solarem, impediens per tres horas ne terram illuminaret, quibus elapsis rursus maxima celeritate reposita est in pristino naturali situ.

Sect. II. — *De aliis prodigiis quæ in Christi morte contigerunt.*

Dico : Hæc quatuor ab evangelistis recensentur : 1° mortuo Christo, statim velum templi scissum est a summo usque deorsum, quo significabatur Judaicam legem esse antiquatam. Cum autem essent duo vela, unum interius ante partem templi quæ dicitur *Sancta sanctorum*, dividens eam partem ab alia quæ dicebatur *Sancta;* et aliud exterius dividens istam templi partem dictam *Sancta* ab alia externa, in quam populus intrabat, communiter censent Cy-

rillus, Euthymius, Leo papa, etc., fuisse interius quod scissum est, contra Origenem et Hieronymum, dicentes fuisse exterius; et ita res incerta. 2° Fuit terræ motus ad indicandam Dei iram et futurum Judæorum supplicium; et hic terræ motus non in sola Judæa, sed etiam, juxta historias, in aliis regionibus videtur fuisse. 3° Petrarum discissio ad convincendam Judæorum perfidiam ac pertinaciam; et juxta Hieronymum, superluminare templi per medium fuit diffractum. 4° Sepulcrorum apertio; sed non videntur corpora mortuorum surrexisse usque ad Christi resurrectionem. Præter hæc Hieronymus et Chrysostomus narrant auditas in templo voces clamantium : *Migremus ex hoc loco.* Sed Josephus (*De bello Jud.*, cap. 13) refert id accidisse paulo ante excidium Hierosolymitanum, die Pentecostes, etc.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De tempore passionis et mortis Christi.

SECT. I, II. — *Quo ætatis suæ anno Christus mortuus sit; et de Pascha Judæorum.*

Dico 1 : In ætate, qua Christus mortuus est, valde variant auctores. Irenæus prope quinquaginta ætatis annos illi attribuit, sed hæc sententia ab omnibus Patribus rejecta est. Valentinus autem, Clemens Alexandrinus, etc., dicunt Christum obiisse ætatis anno tricesimo expleto; et juxta Severum Sulpicium, Paulum Orosium, etc., tricesimo primo expleto, et tricesimo secundo inchoato; juxta Brietum, Canum, etc., tricesimo secundo expleto, et tricesimo tertio inchoato; sed probabilius juxta Baronium, Genebrardum, Bedam, etc., tricesimo tertio expleto, et tricesimo quarto inchoato per tres menses; videturque hic esse communis Ecclesiæ sensus. Creditur enim Christus natus esse quadragesimo secundo anno imperii Augusti computati a morte Julii Cæsaris, regnavit autem quinquaginta sex annis, adeoque Christus vixit sub Augusto quatuordecim annis; deinde sub immediato ejus successore Tiberio scribitur vixisse decem et novem annis, sive obiisse imperii Tiberii decimo nono anno inchoato; ergo addendo decem et novem annos prioribus quatuordecim, fient pro tota Christi vita tres et triginta, quibus addendi sunt tres circiter menses ab ejus nativitatis die vicesima quinta Decembris.

Dico 2 : Judæi decima quarta die mensis lunaris currentis post æquinoctium vernum sub vesperam celebrabant duas solemnitates : alteram Azymorum, alteram Paschæ. Solemnitas Azymorum incipiebat a vespera diei decimæ quartæ et durabat per septem sequentes dies integros usque ad vicesimam primam diem ejusdem mensis, quo toto tempore, sive quis esset Hierosolymæ, sive alibi, v. gr. in alia urbe, pago, regione, non licebat comedere panem fermentatum, posito quod pane tunc vellet vesci; non enim eo vesci tenebatur. Prima et septima dies Azymorum erant solemnissimi, et omne opus servile in istis duabus diebus erat prohibitum. Præterea si isto septem dierum tempore versabantur Hierosolymæ, tenebantur offerre in templo, non alibi, varia sacrificia. Solemne festum autem Paschæ decebat celebrari in urbe Hierosolyma, non alibi, et durabat tantum per dimidium diem; continebatque duo præcepta : nempe immolationem agni anniculi et sine macula, et esum ejusdem agni ad vesperam, cum quibusdam circumstantiis, v. gr. cum lactucis agrestibus, cum baculo in manu, festinanter, sine ossium confractione, etc. Immolatio agni non in templo, sed in sola urbe Hierosolymitana (non alibi) fiebat per singulas domos a patrefamilias, qui istum agnum immolabat, et per se Deo offerebat, ac reliqui per illum, a sole ad occasum vergente, sive ab hora circiter tertia post meridiem usque ad solis occasum. Post solis autem occasum usque ad mediam noctem erat tempus in quo fiebat esus agni; atque ita Pascha proprie sumptum non durabat una die integra; sed festum Azymorum præter istam Paschæ vesperam, durabat per septem dies integras sequentes.

Dico 3 : Festum Azymorum jussum fuit celebrari in memoriam accepti beneficii, quando Judæi nocte illa qua ex Ægypto egressi sunt, ita ab Ægyptiis fuerunt ad præcipitem exitum compulsi, ut non habuerint tempus fermentandi panem, sed tantum azymos, seu non fermentatos secum deferre potuerint. Solemnitas autem Paschæ jussa est celebrari in memoriam alterius beneficii, quod Judæi in eadem egressionis Ægyptiacæ nocte, a Deo acceperunt, quando angelus exterminator pertransiens seu relinquens intactas ipsorum domos, quarum uterque postis et superliminare erant sanguine aspersa, interfecit omnes Ægyptiorum primogenitos, non nocendo Judæorum primogenitis : ideoque vocata est *Pascha* seu *Phase*, id est Hebraice *transitus*. Attamen istud nomen *Pascha* non tantum hanc Paschæ diem, sed etiam festum Azymorum, et agnum paschalem, aliasque victimas, quæ illis diebus offerri solebant, in Scriptura significat.

SECT. III. — *An Christus præscripta decima quarta die mensis lunaris ultimam cœnam celebrarit, et agnum comederit.*

Nota : Constat ex ipso Evangelio contra quosdam hæreticos Christum ante suam passionem, legalem cœnam cum discipulis celebrasse, agnumque paschalem ritu Judaico immolasse et comedisse. Quod autem præscribitur Exod. XII, ut die decima mensis adduceretur agnus, et aleretur usque ad decimam quartam diem, juxta Abulensem, id tantum fuit præscriptum pro ea nocte qua Judæi ex Ægypto egressi sunt, non pro futuro tempore; vel etiam cum Claudio potest dici consuevisse cives Hierosolymitanos die decima mensis adducere agnos anniculos in domos suas, ut innumeris hospitibus ad celebrandum die quarta decima in suis domibus aut cubiculis conductis Pascha, agnum præparatum tunc venderent.

Dico : Christus decima quarta die mensis lunaris

ad vesperam celebravit Phase juxta præscriptum ritum, adeoque die decima quinta passus est mortem, contra Græcos dicentes illum celebrasse die decima tertia et mortuum die decima quarta. Probatur ex Matth. XXVI, 17-20, ubi dicitur : *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* etc. *Vespere autem facto discumbebat cum discipulis.* Sed prima dies Azymorum non erat decima tertia, sed decima quarta dies sub vesperam ; atque hoc clare significatur Marc. XIV, 12, his verbis : *Prima die Azymorum quando pascha immolabant ;* et ita docent omnes Patres, Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, Anselmus, Ambrosius, Cyprianus, etc. Christus enim in omnibus Judaicam legem servabat ; hæc autem præscribebat Pascha celebrandum esse die decima quarta. Dum ergo, Joan. XIII, 1, 2, dicitur : *Ante diem festum Paschæ*, etc. *Et cœna facta*, id intelligitur eo modo quo nunc dicimus, ante festum fieri id, quod in primis festi vesperis, aut post illas fit. Licet enim ecclesiasticum festi officium jam tunc incipiat, nondum tamen incipit festus dies, in quo a servilibus operibus vacandum est, sed tantum incipit a media nocte. Dico ergo : Pascha, in quo agnus immolabatur et comedebatur, non erat proprie festus dies, quia in eo licebat servilibus operibus vacare, sed sequens dies ; seu prima dies Azymorum erat festivissima, et a media nocte omnia opera servilia prohibebantur. Deinde immolatio agni paschalis, non tantum cruenti, sed etiam incruenti Christi sacrificii figura fuit, ut docent omnes Patres.

SECT. IV. — *An Judæi celebrarent Pascha die a lege præscripta quando Christus celebravit.*

Nota : Cum prima dies primi mensis lunaris, id est incipientis post æquinoctium vernum, incidebat in feriam sextam, tunc, juxta quosdam, Judæi transferebant istam primam diem in Sabbatum, ut prima dies Azymorum festivissima, nempe decima quinta incideret etiam in Sabbatum ; alioquin sine ista translatione incidisset in feriam sextam, et sic fuissent coacti celebrare duos festos dies continuos, nempe primum diem Azymorum, et Sabbatum immediate sequens, in quibus neque cibos præparare, neque mortuos sepelire, neque quidquam operis servilis facere licuisset ; et dicunt hoc fuisse sancitum in secunda templi instauratione. Alii vero dicunt non fuisse translatam primam mensis diem, dum in feriam sextam incidebat ; sed decimam quintam seu primam diem Azymorum, ad evitandum jam memoratum incommodum, transferri solitum fuisse in sequens Sabbatum ; qua tamen non obstante translatione diei decimæ quintæ, celebrabant Judæi Pascha septima quarta die, seu feria quinta ad vesperam more solito ; sic autem Christus non fuisset occisus in die festo, seu prima die Azymorum. Sed

Dico 1 : Juxta communem theologorum sententiam, Judæi eadem, qua Christus, nocte seu vespera, agnum paschalem immolarunt et comederunt, et post illius esum, Christi mortem a Pilato extorserunt. Probatur ex Marc. XIV, 12, ubi dicitur : *Primo die Azymorum quando pascha immolabant Judæi, dixerunt ei discipuli*, etc. Deinde Luc. XXII, 7 : *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Christus ergo comedit agnum prima die Azymorum, quando immolabant illum Judæi, id est decima quarta die lunæ ad vesperam. Deinde ista festi translatio conficta esse creditur a quibusdam recentioribus rabbinis, cum antiqui historici Judæi nullibi de ea mentionem faciant, et Patres dicant Christum celebrando Pascha decima quarta die lunæ, fecisse juxta legis ritum et morem Judaicum ; et si ista festi translatio fuisset tunc justa lege sancita, eam Christus certo observasset. Denique constat ex Patribus et historia ecclesiastica Judæos indifferenter solitos fuisse celebrare Pascha die decima quarta lunæ, in quamlibet feriam incidente ; ideoque quidam hæretici dicti sunt *Quatuordecimani*, qui volebant juxta morem Judæorum celebrandum esse Pascha Christianorum decima quarta die lunæ in quamlibet feriam incidente. Hinc

Dico 2 : Christus occisus est in die festo ac solemni Paschæ, quando Judæi primum diem Azymorum celebrabant ; constat enim ex Evangelio occisum fuisse die proxime sequenti post noctem, in qua tam ipse quam omnes Judæi Pascha immolabant, uti ait Joannes (XIII, 1) : *Ante diem festum Paschæ*, id est primum diem Azymorum. Deinde illo die quo Christus occisus est, dimissus est Barabbas ; Barabbas autem dimissus est in die festo ; nam dicitur : *Per diem autem festum solebat dimittere eis unum ex vinctis.* (*Marc.* XV, 6) ; quod attinet ad hæc verba Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt prætorium ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ibi per verbum *pascha* quidam intelligunt azymos panes, seu paschalem cibum, quia per septem dies azymi panes comedebantur ; sed ad hos edendos non reperitur in Scriptura necessariam fuisse munditiam legalem, ideo per verbum *pascha* ibi melius intelliguntur variæ victimæ, quæ illis diebus sacrificari solebant, maxime primo et ultimo die Azymorum. Deinde Christus dicitur occisus die Parasceves Paschæ (*Joan.* XIX, 31), non Parasceves seu præparationis ad Pascha, sed Parasceves paschalis, in qua præparabantur necessaria ad sequens Sabbatum, ut habet expresse Marc. (XV, 42) : *Erat Parasceve quod est ante Sabbatum.* Item Luc. (XXIII, 54) : *Erat Parasceve, et Sabbatum illucescebat.* Et juxta Joan. (XIX, 31) : *Magnus erat dies ille Sabbati*, non quod esset primus Azymorum, sed quia in paschales Azymorum dies incidebat. Præterea quædam facere licebat in festis, v. gr. cibos coquere, longius iter agere, corporalia charitatis opera exercere, quæ in Sabbato non licebat : ideo in die festo potuerunt emi necessaria ad sepeliendum corpus Christi.

SECT. V, VI. — *Qua die hebdomadæ ac mensis, et qua hora Christus mortuus sit.*

Dico 1 : Cum Christus fuerit crucifixus et sepultus in die Parasceves quod est ante Sabbatum, ut jam dictum est, et Lucas (XXIII, 54), loquens de ejus sepultura, dicat : *Erat Parasceve, et Sabbatum illucescebat*, id est, instabat occasus solis, in cujus crepusculo festivitas Sabbati incipiebat, liquido sequitur eum mortuum fuisse feria sexta, seu die Veneris, quo autem mensis solaris die, valde incertum est. Aliqui dixerunt mortuum in Aprili die secundo, die tertio, die decimo sexto; aliqui in Martio die septimo, die decimo octavo, die vicesimo secundo, die vicesimo tertio, die vicesimo quarto, die vicesimo sexto, die tricesimo ; communius die vicesimo quinto. Ob memoriam autem diei in quo Christus mortuus est, ab initio Ecclesiæ mos fuit ut fideles feria sexta a carnibus abstinerent, prout constat ex Clemente, Ignatio, Clemente Alexandrino, Epiphanio, Origene, Tertulliano, qui addunt feria etiam quarta solitum esse servari jejunium, eo quod isto die coactum fuerit Judæorum concilium, in quo mors Christi decreta est.

Dico 2 : Quoad horam Christi comprehensionis, crucifixionis et mortis, satis ex ipsa Evangelii historia desumitur. Inde enim colligitur Christum fuisse in horto Oliveti comprehensum sub mediam noctem, aut una alterave hora ante mediam noctem, ac circa meridiem sequentem cruci affixum, prout ait Joannes (XIX, 14), hora *quasi sexta ;* non sexta ab ortu solis, sed erat quasi initium partis diei quæ vocatur sexta. Judæi enim dividebant diem uti et noctem, in quatuor partes : prima pars diei dicebatur *prima*, et continebat tres horas ab ortu solis ; secunda pars dicebatur *tertia*, et continebat tres alias horas subsequentes, ac finiebatur in meridie, in qua incipiebat pars alia dicta *sexta*, continens etiam tres horas sequentes, post quas incipiebat ultima pars dicta *nona*, quæ durabat per tres alias horas usque ad occasum solis. Et sic dum dicit Marcus (XV, 25) : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*, et Joannes dicit : *Erat hora quasi sexta*, idem dicunt : quia tertia vergebat ad finem seu ad meridiem, et in meridie incipiebat sexta. Non intelligitur ergo illa tertia hora de acclamatione Judæorum, quando dixerunt : *Crucifige, crucifige eum* (*Luc.* XXIII, 21) ; nec de tempore quo Christus cœpit a militibus pati, sed de ipsamet crucifixione. Hoc autem non obstabat quin Judæi ad metiendas varias quotidianas suas actiones, totum diurnum tempus dividerent etiam in singulas duodecim diei horas, uti patet ex Scripturæ loquendi modo. Denique ex prædicta partium diei divisione conciliantur etiam hæc duo Evangelistarum loca : Joannes (XIX, 13, 14) dicit Pilatum sedisse pro tribunali ad ferendam Christi mortis sententiam, hora *quasi sexta ;* et Lucas ait (XXIII, 44) tenebras esse factas, hora *fere sexta*. Joannes enim intelligit de initio horæ sextæ quod nondum advenerat, quia durabat adhuc tertia ; Lucas autem intelligit de tenebris inchoatis paulo post initium sextæ, quæ durarunt usque ad nonam inchoatam ; et circa horam nonam, nempe paulo post ejus initium, Christus exspiravit, ut referunt evangelistæ, id est, nostro modo horas numerando, circa horam tertiam pomeridianam, et sic per tres et amplius horas vivus in cruce pependit.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

De iis quæ post mortem Christi circa ejus corpus facta sunt.

SECT. I. — *De apertione lateris Christi post mortem.*

Dico 1 : Corpus Christi post mortem e cruce pendens lancea transfossum fuit, ejusque latus apertum. De fide, ut patet ex Evangelio. Idque definivit Clemens V, in concilio Viennensi contra quemdam hæreticum Petrum Joannem, qui dixerat corpus Christi ante mortem fuisse lancea transfossum. Miles quidem probabiliter istud vulnus inflixit ut exploraret an Christus jam esset mortuus, sin minus, illum interimeret; sed Deus id permisit in testimonium veræ suæ mortis, et futuræ veræ resurrectionis, et ob alia mysteria, de quibus jam dicam. Quodnam autem latus, dextrumne, an lævum apertum sit, non notarunt Patres, qui solum dicunt tunc impletum esse quod in Adamo et Eva præfiguratum fuerat, quando Eva de Adæ dormientis latere formata fuit ad præfigurandam Ecclesiam, quæ de latere Christi in cruce dormientis formanda erat ; cumque conjectetur Evam a lævo Adæ latere, ubi cor residet, esse formatam ob mutuum viri et uxoris amorem, ideo pie conjici potest lævum Christi latus fuisse apertum ob ejus in sponsam Ecclesiam amorem.

Dico 2 : Verus sanguis et vera aqua, non pituita aut quidam humor phlegmaticus, e latere Christi aperto effusus est : id de fide definitum est ab Innocentio in cap. *In quadam*, De celebr. Missarum. Effluxerunt, inquam, non naturaliter, sed miraculose ; nec utraque permista, sed separatim distincta ; vel simul tempore, vel prius sanguis postea aqua. *Et qui vidit testimonium perhibuit* (*Joan.* XIX, 35), id est, Joannes, qui vidit, testimonium dedit, non vero miles aut centurio qui putatur fuisse Longinus martyr (vicesima quinta die Martii). Hoc autem miraculum factum est, ut veritas humanæ naturæ assumptæ patefieret, et significaretur Ecclesia fundata et abluenda per baptismum qui in aqua confertur, et ex Christi sanguine totam suam habet efficaciam. Quare licet istud lanceæ vulnus non esset necessarium ad meritum et satisfactionem, fuit tamen utilissimum ad mysterium et ad veritatis confirmationem, imo et ad totalem sanguinis effusionem.

SECT. II, III. — *Depositio corporis Christi e cruce, et sepultura.*

Dico 1 : Corpus Christi e cruce depositum est a Josepho, populi senatore, et Nicodemo, propriis probabiliter manibus sub vesperam, ita ut corpus

Christi post mortem manserit in cruce pendens duabus circiter horis. An autem manente cruce erecta, an vero humi reclinata depositum sit, ignoratur. Præterea Nicodemus attulit aromata, quibus juxta morem Judæorum, externa corporis superficies illita est ad aliqualem corruptionis præservationem, et decentiam; deinde corpus munda sindone involutum est ac linteis ligatum, sudariumque super caput ejus impositum. Quamvis autem dolor B. Virginis depositum e cruce corpus in ulnas excipientis fuerit intensissimus, nihil tamen contra decentiam aut modestiam exhibuit, multo minus exanimis in animi deliquium lapsa est, utpote quæ erat certa de futura brevi illius resurrectione et gloria.

Dico 2 : Decuit Christi corpus sepulturæ dari tum ad comprobandam resurrectionis veritatem, tum ad exercendam discipulorum pietatem; imo Metaphrastes dicit in Vita B. Virginis, Josephum jam memoratum adhuc occultum discipulum et timore detentum, Virginis hortatu excitatum fuisse ad petendum a Pilato corpus Christi et sepeliendum.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De loco ac statu animarum sanctarum ante Christi mortem.

SECT. I. — *An animæ sanctæ ante Christi mortem fuerint gloriosæ.*

Dico 1 : Certa fide tenendum est ante Christi mortem, nullam animam quantumvis sanctam et puram, accepisse essentialem beatitudinem, D. Thomas, Alensis, Scotus, etc. Probatur : 1° ex Scriptura. Sanctus Paulus ad Hebr. IX, 8, dicit non fuisse *propalatam sanctorum viam,* antequam Christus summus sacerdos seipsum pro peccato in sacrificium obtulisset; et cap. XI, 13, sic ait : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes.* Ideoque, juxta D. Thomam, vocatur Christus *via* et *ostium* (*Joan.* XIV, 6; X, 9), nempe cœli. Deinde : *Ascendit in altum, captivam ducens captivitatem* (*Ephes.* IV, 8), id est duxit sanctos Patres qui in lymbo erant detenti. *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua* (*Zachar.* IX, 11), quod Hieronymus et alii de istis Patribus interpretantur. 2° Initium evangelicæ prædicationis sumptum est ab annuntiatione regni cœlorum, quod in Veteri Testamento sub isto expresso nomine non fuerat annuntiatum, quia tunc longe distabat, et in illo statu adiri nondum poterat : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2), et alia alibi similia sunt. 3° Adam peccando, sibi et omnibus suis posteris regnum cœlorum clauserat.

Dico 2 : Istæ sanctorum animæ a suis corporibus separatæ non tantum charitatem, sed etiam fidem et spem earumque exercitium retinuerunt; et ita in gratia fuerunt confirmatæ ut peccare non possent; quia mors hominis sicut est vitæ terminus, ita et viæ a Deo præfixæ, ut in ea possit bene vel male operari, statim autem post mortem vel obstinatur in malo vel confirmatur in bono. Hæc in bono firmitas non ex intrinseca et inhærente aliqua virtute, nec ex sola natura, sed ex Dei gratia istas animas protegente provenit; non poterant tamen amplius mereri, quia divina lex solum hujus vitæ tempus ad merendum destinavit, uti et terminum viæ in morte præscripsit; sed poterant orare, et pie creditur ardentissima oratione frequentissime eas postulasse Messiæ adventum, suamque redemptionem : sicuti animæ beatæ dicuntur in Apocalypsi sua corpora eorumque beatitudinem postulare. Unde non tantum pro seipsis, sed etiam pro aliis, saltem in communi orare poterant, v. gr. pro humano genere, pro Ecclesia seu Synagoga, pro amicis, pro filiis, pro iis quos in hac vita cognoverant; sic Judas (*II Mach.* XV, 12-16), vidit Oniam et Jeremiam jam defunctos orare pro populo Israel. Cum autem non viderent Deum, nec noscerent ea quæ in hoc mundo gerebantur, ideo non facile poterant orare pro aliquibus in particulari, nec directe orari. Denique illæ animæ non tantum carebant omni pœna sensus ignis, sed etiam magna consolatione afficiebantur tam ob statum gratiæ, quam ob certam futuræ gloriæ spem. Habuerunt tamen temporalem damni pœnam usque ad Christi adventum.

Objicies 1 : Dicitur : *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas* (*Eccle.* XI, 28). Ergo retributio divina semper data est unicuique in die obitus, nempe beatitudo. Respondeo : Distinguo consequens. In die obitus retributio divina semper data est accommodata tempori et hominis statui, uti data est Lazaro in sinu Abrahæ, concedo consequens; semper data est gloria cœlestis ac beatitudo, nego consequens. Tunc ergo in die obitus non dabatur justis ultima retributio in seipsa propter naturæ impedimentum; dabatur tamen in spe certa et infallibili.

Obj. 2 : Paulus dicit : *Per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones* (*Hebr.* XI, 33). Ergo adepti sunt gloriam et beatitudinem. Respondeo : Distinguo consequens. Adepti erant quando ista dicebat Paulus, concedo consequens; ante Christi mortem, nego consequens.

Obj. 3 : Ergo nec remissio peccati, nec gratia danda fuit alicui ante Christi mortem, quia sicut respectu dandæ gloriæ, ita etiam respectu horum effectuum nondum erat pretium solutum. Respondeo : Nego assumptum. Quia gratia et remissio peccati erat simpliciter necessaria ad salutem; gloria vero poterat sine incommodo æternæ damnationis, aliquo tempore differri.

SECT. II. — *In quo loco fuerint animæ sanctorum ante Christi mortem.*

Dico 1 : Locus in quo usque ad Christi adventum animæ sanctæ detinebantur, qui a Scriptura Luc. XVI, 22, vocatur *sinus Abrahæ;* aut quem vulgo appellamus *limbum sanctorum Patrum,* fuit in inferioribus terræ partibus. Nam Jacob (*Gen.* XXXVII, 35)

dicebat : *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Non potest ibi *infernus* sumi pro sepulcro, quia loquitur de anima sua, non de corpore, quod non poterat sepeliri cum filio suo. Sic Job (XIV, 13) eumdem locum optabat : *Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me?* Item (*I Reg.* XXVIII, 13, 14) anima Samuelis visa est de terra ascendere, tanquam prius in inferiori loco exsistens : probabilius enim creditur fuisse vere illius animam, non phantasma ; unde dicit : *Cras tu et filii tui mecum eritis* (*Ibid.* 19) ; nempe sub terram. Deinde de isto loco sanctorum Patrum ita sentit universa Ecclesia et antiqui Patres. Et ratio est, quia animæ illæ a corporibus separatæ debebant esse in aliquo loco corporeo, et cum essent jam extra viam, non expediebat eas super faciem terræ aut in terrestri paradiso qui pro hominibus viatoribus creatus est, manere ; cumque non possent in cœlum empyreum ascendere, ergo sub terram decuit eas detineri. Hinc

Dico 2 : Hic locus seu sinus Abrahæ est pars quædam infernorum locorum cæteris omnibus superior. Juxta quatuor status animarum aliquo modo pœnales, qui fuerunt ante Christi mortem, quatuor distinguuntur a theologis in 4, d. 45, loca subterranea, quæ circa terræ centrum esse censentur, nempe gehenna æterna, purgatorium, limbus infantium cum peccato originali defunctorum, et limbus sanctorum Patrum, seu sinus Abrahæ. Quo autem situ et ordine hæc loca exsistant ; an contigua, aut quantum inter se distent, quibus terminis claudantur ; an corpora solida, quibus secernantur, inter ea sint interjecta, non satis scitur. Certe sicut gehenna debuit esse in loco infimo et maxime distante a loco beatitudinis ob statum istarum animarum, ita contra sinus Abrahæ debuit esse in loco supremo honoratiori, et minus distante a loco beatitudinis ob statum gratiæ illarum animarum : hinc (*Luc.* XVI, 26) dicitur inter gehennam et sinum Abrahæ, magnum chaos intercedere. Dein videtur purgatorium, utpote ignitum, magis esse vicinum gehennæ, quam limbus puerorum cum originali defunctorum. Denique ille Patrum limbus non videtur fuisse lucidus : *Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum* (*Job* XVII, 13). *Ut diceres his : qui in tenebris sunt Exite* (*Isa.* XLIX, 9).

DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De statu quem Christi anima a corpore separata habuit.

SECT. I. — *An anima Christi per separationem facta sit omnino impassibilis.*

Nota : Calvinus, Brentius, etc., finxerunt animam Christi post mortem, non solum fuisse passibilem, sed etiam pœnam inferni, non sensus, quam vel in aliis spiritibus negant, sed internam et spiritualem afflictionem sustinuisse ortam ex apprehensione qua Deum tanquam sibi iratum et infestum repræsentabat : ideoque de sua salute timuisse, quia debuit sustinere omnes pœnas, quas nostra peccata merebantur, ut pro eis satisfaceret : *Disciplina pacis nostræ super eum* (*Isa.* LIII, 5). Sed

Dico 1 : Anima Christi neque juncta corpori, neque ab eo separata sustinuit illos internos cruciatus et afflictiones quas damnati patiuntur ex cogitatione qua Deum sibi iratum apprehendunt et de sua salute desperant. De fide. Ejus enim anima sive in corpore, sive separata a corpore semper vidit Deum, adeoque non poterat esse incerta de sua salute et beatitudine ; ut patet ex verbis quæ Christus dixit Caiphæ : *A modo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXVI, 64) ; et ex his quæ dixit latroni : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43).

Dico 2 : Anima Christi separata a corpore non sustinuit pœnam sensus seu ignis inferni aut purgatorii. Est etiam, ut arbitror, de fide. Probatur : Christus ait Luc. XXIV, 26 : *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam ?* Ibi post passionem dicit secutam gloriam, non pœnam ; et patet etiam ex his verbis : *Hodie mecum eris in paradiso* (loc. cit.). Dicendo enim in cruce, *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30), significavit et passiones suas et nostram redemptionem in morte esse consummatas. Hinc Patres dicunt eum ad inferna descendisse non ut pœnæ obnoxium, sed ut triumphatorem, cui omne genu, ut ait Paulus, flectatur. Deinde de fide est animas sanctas descendentes sine ullo reatu culpæ et pœnæ, non experiri pœnas purgatorii, nedum inferni ; multo ergo magis idem et eadem certitudine dicendum de anima Christi. Unde

Dico 3 : Anima Christi ab instanti, in quo separata est a suo corpore fuit omnino impassibilis : ita theologi. Probatur, quia anima a corpore separata, utpote spiritualis, naturaliter ex se est impassibilis passione extrinsecus illata, quæ ad corruptionem tendat : non potest enim a corporibus pati, aut corrumpi ; posset solum pati a spiritibus naturæ superioris, v. gr. per vim alicubi detineri. Certum est autem animam Christi, ob unionem hypostaticam, a nullo hanc vim potuisse pati ; imo nec supernaturaliter quidem de potentia proxima.

Dico 4 : Anima Christi in triduo caruit aliquibus gloriæ accidentalis perfectionibus ; caruit enim corpore, et omnibus gaudiis quæ mediante corpore percipiuntur, et operationibus quæ per illud fiunt ; caruit etiam loco cœlesti. Nullam tamen inde proprie sustinuit pœnam, quia sic ex divina providentia expediebat fieri ob nullam tamen culpam. Imo etiamnum caret aliquo præmio accidentali et integra sui nominis exaltatione, quia a multis adhuc mortalibus contemnitur et blasphematur, ac multorum prædestinatorum caret consortio. Ea quibus hæretici nituntur cum quibusdam Scripturæ locis sic solvuntur : Falsum est Christi redemptione factum esse ut nostræ dispositiones et satisfactiones non sint necessariæ ; falsum etiam debuisse Christum nos redimere per easdem pœnas, quibus peccatum in altera vita punitur, alioqui debuisset in inferno æterna pœna puniri. Hic locus (*Act.* II, 24) :

Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, significat solvisse dolores, quos aliquo modo Patres in limbo patiebantur, vel quos ipse Christus in morte passus fuerat. Dicitur in psal. XVII, 6 : *Dolores inferni circumdederunt me*, id est, gravissimi dolores et mortem inferendi capaces, Christum in sua passione circumdederunt ; sic etiam intellige : *Posuerunt me in lacu inferiori* (*Psal.* LXXXVII, 7), id est Judæi acerbissime Christum tractarunt.

SECT. II. — *An anima Christi in triduo vere ac proprie ad inferos descenderit.*

Nota : Calvinus, Brentius, etc., negant Christum secundum animam ad aliquem locum subterraneum qui nomine *inferni* significetur, descendisse, rati non dari ejusmodi locum, dicuntque animam Christi descendisse ad inferos, id est, sensisse dolores inferni ; alii putant descendere ad inferos, nihil aliud esse quam mori. Sed

Dico 1 : Christum Dominum secundum animam descendisse ad infernum, intelligendo nomine *inferni* aliquem locum subterraneum : est de fide. Idque definitum est in concilio Lateranensi, ut habetur in cap. *Firmiter*, et in concilio Toletano ; habeturque in Symbolo apostolorum et Athanasii. Atque idem evidenter tradunt Patres, Ignatius, Athanasius, Nazianzenus, Basilius, etc. Deinde id etiam patet ex Scriptura ; nam Act. II, 27, Petrus ad probandam Christi resurrectionem affert verba psalmi XV, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno*, etc. Ergo erat in inferno, unde rediit ad resumendum corpus ne videret corruptionem. Item Ephes. IV, 9, dicitur : *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ*, nempe in locum subterraneum, seu infernum. *Eduxisti ab inferno animam meam* (*Psal.* XXIX, 4). *Attollite portas* (nempe inferni), *principes, vestras, et elevamini, portæ æternales* (*Psal.* XXIII, 7).

Dico 2 : Anima Christi descendit ad inferos secundum suam substantiam et realem præsentiam. Ita omnes doctores, excepto uno Durando dicente Christum non secundum substantiam, sed tantum secundum virtutem et efficaciam suam descendisse, quod est omnino contra catholicam veritatem et sensum, ac contra hæc verba : *Non derelinques animam meam in inferno* (*Psal.* XV, 10). Deinde hæc veritas definita est, ut jam dixi, adeoque in sensu proprio, et non metaphorico. Præterea certum est animas separatas posse esse, et reipsa esse substantialiter præsentes in loco corporeo. Hinc falsum est animam seu rem spiritualem non posse moveri secundum propriam substantiam et realem præsentiam ; nec posse esse alicubi nisi per operationem vel virtutis applicationem ad corpus. Denique quod attinet ad fundamentum hæreticorum circa nomen *inferni*, respondemus istud nomen in Scriptura proprie et simpliciter significare locum subterraneum, et tantum tropice aut analogice significare sepulcrum aut mortem, et hæreticum esse dicere nunquam significare locum subterraneum suppliciis animarum deputatum, contra evidentissima Scripturæ loca, et omnium Patrum sententiam ac expositionem.

Dico 3 : Quamvis quidam antiqui Patres in Symbolo apostolorum omiserint hunc articulum : *Descendit ad inferos*, alii tamen eum ponunt, quorum auctoritas affirmans prævalet aliorum negativæ ; et verius est fuisse illum ab apostolis in Symbolo positum, et quidem, juxta Augustinum, ab apostolo Thoma ; juxta Eusebium, a Thaddæo. Saltem quatenus est fidei veritas specialem habens difficultatem, est unus fidei articulus ab aliis distinctus, etiamsi non videatur esse veritas quam distincte et explicite teneantur scire et credere singuli fideles ; ideoque fortasse iste articulus in Symbolo Nicæno omissus est, et a quibusdam Patribus in Symboli expositionibus.

SECT. III. — *Quid Christus operatus sit in inferis.*

Dico 1 : Christus descendendo ad inferos, animabus sanctis, quæ erant in sinu Abrahæ, essentialem beatitudinem cum donis illam consequentibus contulit. Certum esse de fide arbitror. De fide enim certum est Christum per suam mortem aperuisse hominibus januam regni cœlestis, et per ejus descensum ad inferos ob ipsius merita istas animas statim accepisse visionem beatificam, quam anima Christi, si non per efficientiam physicam, saltem per moralem et meritoriam, in eodem instanti quo decessit, illuc perveniens sine transitu per medium, sua actuali præsentia contulit : *Ero mors tua, o mors ! morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XIII, 14). *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua* (*Zach.* IX, 11). *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, etc. ; *quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit primum in inferiores terræ partes ?* (*Ephes.* IV, 8, 9 ; *Psal.* LXVII, 19.)

Dico 2 : Anima Christi descendendo ad inferos non eduxit de inferni locis, animas ad æterna supplicia damnatas, neque beatitudinem illis contulit. Idem intellige de infantibus cum originali peccato defunctis. Et hæc quidem assertio sumpta secundum legem Dei ordinariam et universalem de omnibus damnatis (non comprehendendo speciale privilegium quod Deus de potentia sua absoluta posset alicui damnato conferre), est de fide. Probatur, quia damnatorum pœnæ sive ante Christum, sive post Christum, juxta Scripturam, sunt æternæ : *Et ibunt hi in supplicium æternum* (*Matth.* XXV, 46). *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* (*Eccle.* XI, 3). Quare historiæ de anima Platonis, Trajani, etc., ab inferis liberata, apocryphæ censendæ sunt. Hic autem locus I Petr. III, 19, 20 : *In quo* (id est in spiritu seu anima) *et his qui in carcere erant spiritibus* (vel, juxta aliam lectionem, *spiritu*, id est secundum animam) *veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe*, sic potest aut debet explicari : Christus secundum

animam spiritibus seu animabus in sinu Abrahæ exsistentibus, aut iis etiam qui in diebus Noe nolebant credere, at postea viso diluvio pœnitentiam agentes salvæ factæ sunt, annuntiavit præsens ipsarum redemptionem; non vero, ut explicat Augustinus, dicens Deum spiritu seu spirituali modo per internam inspirationem animabus hominum, tempore Noemi in carcere, id est, in corpore mortali viventibus, prædicavit Evangelii gratiam. Unde, juxta D. Thomam, Christus se tantum damnatis manifestavit secundum animam, ut se adorarent, et eorum malitiam reprehenderet.

Dico 3 : Quod attinet ad animas purgatorii, certum est ex Christi descensu aliquem illuminationis, gaudii et consolationis fructum percepisse. An autem statim per Christum fuerint liberatæ a pœna, et in sinum Abrahæ beatitudinemque translatæ, incertum. Hinc aliqui omnes animas, alii nullas, quæ non jam ex integro satisfecissent, asserunt fuisse liberatas; posset tamen fortasse aliquis dicere Christum aucta pœnæ gravitate minuisse temporis debiti diuturnitatem, et sic data sufficienti pœnæ solutione omnes liberasse; sed hic dicendi modus præter novitatem nullo nititur fundamento. Probabilius igitur sentit D. Thomas, et nonnulli Thomistæ non omnes quidem, sed aliquas ex speciali gratia ac liberalitate Christum liberasse.

Sect. IV. — *Ad quæ inferni loca Christus descenderit, et quandiu ibi moratus sit.*

Dico 1 : Certum est Christum descendisse ad limbum Patrum; communiter vero sentiunt theologi non descendisse ad locum gehennæ, contra Bellarminum, qui opinatur contrarium ob hæc verba Eccli. xxiv, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ; inspiciam omnes dormientes;* quod D. Thomas interpretatur de penetratione per aliquem effectum, non per realem præsentiam. Non videtur ergo illuc realiter descendisse. Idem dic de loco puerorum cum originali defunctorum. Imo probabilius non videtur descendisse ad purgatorium; si enim aliquas extraxit e purgatorio, potuit eas sine præsentia reali extrahere, et extractas in sinu tantum Abrahæ beatas reddere.

Dico 2 : Anima Christi toto illo triduo mansit in inferno seu in limbo Patrum usque ad illam horam qua reunita corpori resurrexit. Hoc tam certum videtur quam quod Christus ad inferos descenderit. Attamen Nicephorus (lib. ii *Hist.*, c. 31), opinatur Christum eadem die et hora qua descendit ad inferos, statim sanctorum animas secum ad paradisi terrestris tabernacula immensa luce relucentia transtulisse. Sed contra probatur : *Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* xii, 40). Christus autem dicens latroni : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxiii, 43); non de paradiso terrestri, sed de essentiali beatitudine id intellexit. Mansit autem Christi anima in limbo non in pœnam, sed ad exspectandam sui corporis resurrectionem, quam oportebat aliquo tempore differri, ut ejus veritas evidentius probaretur.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De resurrectione secundum se.

Sect. I, II. — *Quid resurrectio; quæ necessaria sint ad resurrectionem; an id quod resurgit habeat eamdem numero animam et materiam.*

Dico 1 : Resurrectio est propria et substantialis ex præsupposito subjecto transmutatio. Unde tantum habet locum in rebus corruptibilibus et ex materia ac forma compositis; ideo reproductio accidentis non dicitur resurrectio, nec proprie in rebus quarum forma substantialis desiit, quia ad propriam resurrectionem requiritur ut eadem res in individuo resurgat, quod non solet in illis accidere. Solum ergo habet locum in hominibus; et ut homo dicatur resurrexisse, debet esse idem numero, qui antea esse desierat, alioqui non esset resurrectio, sed nova generatio, et multiplicatio humanæ speciei.

Dico 2 : Clarum est in resurrectione eamdem numero animam rationalem, adeoque et sensitivam et vegetativam, utpote quæ una et eadem est, resurgere; sed quæritur an corpus quod resurgit, sit etiam idem numero quod fuit antea, sive an sit eadem ejus materia. Respondent Thomistæ communiter de essentia resurrectionis esse ut corpus resurgens constet ex eadem numero materia ex qua prius constiterat (D. Thomas, Scotus, Paludanus, etc.), quia sicuti materia est de essentia hominis, ita identitas materiæ est de essentia ejusmodi hominis. De perfectæ ergo resurrectionis essentia est omnimoda formæ et materiæ identitas contra Durandum, qui solam formæ, non materiæ identitatem requirit. Probatur ergo ex Scriptura : *Seminatur corpus animale, surget spirituale; seminatur in corruptione; surget in incorruptione*, etc. (*I Cor.* xv, 44). *In novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum* (*Job* xix, 25, 26). Fiet igitur in resurrectione reparatio ejusdem omnino corporis. Etiamsi autem quis toto vitæ suæ tempore humanas carnes manducaret, non potest tamen naturaliter fieri ut duo homines eamdem omnino materiam tam in generatione quam in nutritione et accretione participaverint; et in resurrectione restituetur saltem illa pars materiæ quæ fuit tantum unius propria et non alterius : quæ autem successive fuerit utriusque propria, tunc Deus pro sua providentia, vel illam utrique dividet, vel totam uni dabit juxta merita vel demerita, et addet id quod deerit ad perficiendam integram corporis materiam, uti addet infantis corpori, ut in magnitudine perfecta ac naturali resurgat. Hinc ad veram resurrectionem sufficit ut ex priori materia restituatur corpus humanum habens suas easdem partes substantiales, v. gr. carnem, ossa, sanguinem, caput, etc. Nec videtur necessarium ut horum singulorum membrorum materia sit omnino et integre eadem quæ prius fuerat; attamen

probabiliter erit omnino et integre eadem in illa perfectissima resurrectione quam speramus tanquam specialissimum divinæ omnipotentiæ opus : imo non tantum eamdem materiam et formam in resurrectione Deus restituet, sed etiam probabilius eamdem numero unionem quæ antea inter illas fuerat, mirabiliter reparabit.

Sect. III. — *An ad resurrectionem requirantur eadem accidentia, idemque sexus.*

Dico 1 : Ad veram resurrectionem requiruntur non tantum quædam accidentia in specie similia, v. gr. partes necessario requisitæ ad unionem animæ cum corpore, sed etiam quædam numero eadem cum iis quæ post mortem hominis remanent, v. gr. intellectus et voluntas in anima separata, et quantitas in materia prima : alia vero quæ post compositi dissolutionem vel statim pereunt, ut sensus, vel paulatim corrumpuntur, ut calor, aliæque qualitates, non est absolute necessarium ut sint numero eadem cum prioribus ; virisimilius tamen in generali ac perfectissima hominum resurrectione restituentur numero eadem, præsertim illa quæ sunt aliquo modo naturæ intrinseca, v. gr. facultates sensuum, et similes. *Quem oculi mei conspecturi sunt* (*Job* XIX, 27).

Dico 2 : In generali hominum resurrectione servabitur sexuum diversitas, ita ut unusquisque resurgat in eo sexu, in quo conceptus fuit : ita Patres et theologi. Dum dicit Paulus ad Ephes. IV, 13 : *Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, non agit de sexu, sed de perfectione ætatis et judicii ; et ibi sub nomine *viri*, comprehenduntur etiam feminæ, sicut in psal. CXI, 1 : *Beatus vir qui timet Dominum*. Manebit autem sexuum distinctio, non propter nuptias, quæ jam impleto electorum numero non erunt necessariæ, sed ob speciei humanæ decorem, ad laudem divinæ sapientiæ, clementiæ, etc., ad majorem resurgentium identitatem, et connaturalem statum.

Sect. IV, V, VI. — *An resurrectio sit mutatio instantanea et supernaturalis.*

Dico 1 : Substantialis quidem mutatio potest fieri et probabilius fit in instanti, id est, unio animæ cum corpore ; sed accidentalis, id est, perfecta corporis organisatio, quæ congregationem materiæ aut cinerum in locum resurrectioni aptum allatorum, partium condensationem et rarefactionem, qualitatum temperamentum et alia ejusmodi, requirit aliquam moram, quamvis divina virtute possit etiam fieri in instanti, probabiliter tamen non fiet in generali resurrectione, sed successive brevissimo tempore, quia non est opus multiplicare miracula sine necessitate. Et sic intelligendum est quod dicitur I Cor. XV, 52 : *In momento, in ictu oculi*, id est celerrimo ac brevissimo tempore.

Dico 2 : Actio qua fit resurrectio est naturalis quoad substantiam, quia facta sufficienti corporis dispositione et organisatione, Deus infundendo illi animam agit secundum naturalem materiæ capacitatem ; ibi enim materia concurrit per naturalem potentiam passivam, qua est animæ recipiendæ capax. Ergo tunc Deus quoad actionem quam producit, agit ut principium naturæ, sed quoad modum, ultra debitum naturæ ; sicque quoad modum est supernaturalis. Hinc ista actio essentialiter sumpta non est diversa a prima hominis naturali productione, sed tantum differt accidentaliter in modo organisandi et disponendi corpus. Unde

Dico 3 : Hominis resurrectio non tantum divina virtute potest fieri, quod est de fide, sed etiam sola fit ac potest fieri modo supernaturali quem jam dixi : ita communiter omnes theologi. Resurgit enim corpus immortale et gloriosum, et dispositionis modus non potest a pura creatura poni. Quinimo etiamsi præcise spectetur resurrectio ut est reparatio ejusdem numero hominis, qui antea fuerat, non potest virtute alicujus agentis naturalis naturaliter ac principaliter operantis fieri, sed a solo Deo. Probatur, quia fieri non potest, ut eadem numero materia ex qua corpus hominis fuerat antea formatum, iterum ita applicetur, ut per causas naturales possit ex ea idem homo produci : materia enim per continuam transmutationem et resolutionem facile dissipatur, dividitur et commiscetur, ideoque nunquam esset omnino eadem illa, quæ ad iteratam generationem assumeretur ; deinde agens naturale sua naturali virtute nunquam reproducit eumdem numero effectum. Quare

Dico 4 : Quamvis agens naturale non possit eumdem numero effectum seu individuum reproducere, Deus tamen sua omnipotenti virtute non tantum hominis, sed etiam cujusvis alterius rei individuum potest reparare : ita communiter theologi, contra Durandum cum quibusdam aliis dicentem præter hominis resurrectionem, nulla virtute divina posse dari in aliis rebus corruptibilibus reditum ejusdem individui corrupti. Probatur, quia divina potentia non minuitur dum aliquam rem creat ; ergo si illa desierit, potest adhuc illam producere. Idem enim numero effectus per plures actiones seu dependentias potest pendere ab eodem agente ; cum enim actio sit via ad terminum, potest diversis viis ad eumdem terminum agens tendere.

Sect. VII, VIII. — *An hominis resurrectio sit naturæ debita ; et an possit naturali ratione ostendi esse possibilem.*

Dico 1 : Hominis resurrectio quacunque ratione spectetur, non est naturæ debita sola providentia naturali, adeoque simpliciter dicenda est supernaturalis, non vero naturalis nisi secundum quid. (D. Thomas, Sotus, etc.) Cum enim solo Dei imperio absque aliis naturalibus transmutationibus nec per causas secundas fiat, patet esse supernaturalem. Hinc habetur differentia inter primam animæ unionem et resurrectionem : in prima unione agentia naturalia præparant materiam dispositione ex natura sua talem formam postulante, ideoque pertinet

ad naturalem providentiam et concursum debitum, ut Deus illam infundat. In ordine autem ad iteratam unionem quæ fit in resurrectione, nihil possunt causæ naturales efficere, nec materiam ita præparare, ut per se postulet animæ unionem. Unde non potest resurrectio dici simpliciter naturalis, et licet in illa materia remaneat capacitas ejusdem formæ, est tamen tantum valde remota seu obedientialis, non proxima; Deus autem ut naturæ gubernator, non tenetur istam remotam materiæ capacitatem explere, uti nec naturalem appetitum animæ ad corpus. Sed solum ut auctor naturæ proximam capacitatem per agentia naturalia ultimo dispositam explere debet. Denique resurrectio nullo modo est homini debita ex providentia naturali; ergo est supernaturalis. Illeque appetitus animæ separatæ ad corpus, tendit ad corpus gloriosum futurum, non ad præteritum, corruptibile, passionibus ac miseriis obnoxium.

Dico 2 : Naturali ratione potest ostendi resurrectionem esse possibilem. Quamvis enim mysteria quæ sunt in sua substantia et essentia supernaturalia, qualis est, v. gr. incarnatio, non possint naturali ratione cognosci ut possibilia, possunt tamen ea quæ sunt tantum supernaturalia quoad modum, qualis est resurrectio quæ ex modo quo fit, est propria Dei et requirit infinitam ejus virtutem, etiamsi quoad esse, sit res naturalis. Sic lumine naturali cognoscimus Deum posse creare, cæco visum restituere, etc. Sicut ergo lumine naturali cognoscimus Deum posse aliquid ex nihilo facere, ita et posse aliquid corruptum reparare; nam, ut ait Gregorius (hom. 26) : « Longe minus est Deo reparare quod fuit quam creasse quod non fuit. » Nec obstat quod resurrectio fide credatur; multa enim credimus fide, quæ naturali ratione demonstrantur, v. gr. Deum esse creatorem, animam esse immortalem, et alia ejusmodi.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

De Christi resurrectione et ejus causis.

Sect. I. — *An Christus vere resurrexerit.*

Dico 1 : De fide est contra varios antiquos errores Christum vere ac proprie a mortuis resurrexisse; et id inter fidei articulos ponitur in omnibus symbolis, ac in Nicæno additur : *Resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Juxta hoc (*I Cor.* xv, 4) : *Resurrexit in tertio die secundum Scripturas*, in quibus nempe Christi resurrectio prænuntiata fuerat, ut firmius illa crederetur, ubi facta fuisset : *Quoniam*, inquit Christus, *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis et psalmis de me* (*Luc.* xxiv, 44). Hæc enim scripta erant de futura ejus resurrectione, nam in libris Moysis dicitur : *Catulus leonis Juda, requiescens accubuisti ut leo; quis suscitavit eum?* (*Gen.* xlix, 9.) *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum*, etc. (*Deut.* xviii, 18). Item in prophetis : *Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles* (*Isa* lv, 3). *Præcipitavit mortem in sempiternum* (*Isa.* xxv, 8). *O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne* (*Osee* xiii, 14). *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum* (*Sophon.* iii, 8). Similiter in Psalmis : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv, 10). *Ego hodie genui te* (*Psal.* ii, 7). *Exsurge, gloria mea*, etc. (*Psal.* lvi, 9). Deinde evidentia sunt Novi Testamenti loca Christi resurrectionem clare demonstrantia; ubi Christus *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis* (id est, signis sensibilibus), *per dies quadraginta apparens eis* (*Act.* i, 3). Hinc:

Dico 2 : Christus resurrexit in vero corpore humano, seu constante ex rerum generabilium et corruptibilium materia disposita et organisata eo modo quo forma ac natura humana requirit; ideo Christus dicebat apostolis : *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* xxiv, 39), et in eodem quidem corpore, quod mortuum in cruce reliquerat. Hoc enim ad perfectiorem resurrectionis modum pertinebat, ut idem corpus constans ex eadem omnino materia, ex qua mortis tempore constabat, resurgeret tum ad veritatem resurrectionis demonstrandam, tum ad dandum gloriæ et æternæ vitæ consortium eidem quod in cruce fuerat particeps doloris et ignominiæ; si quid tamen alterius materiæ, v. gr. illius quæ ex eodem Christi corpore in vitæ decursu per nutritionem et accretionem resoluta fuerat, fortasse necessarium fuerit, ad perfectam corporis compositionem, potuit addi sine identitatis detrimento.

Sect. II. — *De causis resurrectionis Christi.*

Nota : Non agitur hic de causa materiali et formali, cum sat dictum sit idem corpus, multoque magis eamdem animam ad hanc resurrectionem concurrisse, sed de aliis. Quare

Dico 1 : Quoad causam finalem Christus primario resurrexit propter se et propter suam gloriam; hic enim status debitus illi erat ratione unionis hypostaticæ, et secundum divinæ prædestinationis per se primo intentus. Secundario autem propter nostram utilitatem, sive propter sanctificationem et resurrectionem. Causa meritoria hujus resurrectionis fuit ipse Christus totius suæ vitæ meritum in morte consummans; efficiens vero fuit ipse Deus, *quem Deus suscitavit a mortuis* (*Act.* iii, 15). Quod attinet ad instrumentalem causam physicam, videtur anima Christi ut Verbi instrumentum, effective suum corpus disposuisse, organisasse et aptasse ad illi se reuniendum; ipsamque unionis actionem (si juxta communem sententiam fuerit necessaria), tam ipsa quam corpus, ceu Verbi instrumentum, effecisse; si autem facta corporis organisatione juxta Henriquez et alios, non requiratur nova extrinseci agentis actio, sed si tunc anima naturaliter seipsam statim corpori uniat : hoc modo non fuit necessaria instrumentalis actio

corporis aut animæ ut inter se unirentur, sed facta miraculose organisatione corporis, applicata secundum realem præsentiam anima statim naturali quadam vi se illi univit.

Dico 2 : Quoad causam ministerialem, quamvis theologi communiter sentiant in generali hominum resurrectione, Deum usurum angelorum ministerio ad colligendos dispersos defunctorum cineres, et ad eos congregandos in locum resurrectioni accommodatum, non videtur tamen in Christi resurrectione illorum ministerium fuisse adhibitum; non enim erat necessarium, quia sicut anima Christi erat sufficiens principium ad disponendum corpus, ita etiam ad colligendas partes dispersas, et ad addendum, si quid materiæ fortasse deerat, per suam virtutem instrumentalem; nec tantum sufficiens, sed etiam magis proportionatum isti rei principium. Denique maxime decebat ut solus Christus suæ esset resurrectionis auctor, ne alterius ope indiguisse ad hoc videretur.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

De tempore Christi resurrectionis.

Sect. I. — *An Christus tertia post mortem die, eaque Dominica surrexerit.*

Dico 1 : Christus non resurrexit ante diem Dominicam, contra errorem Armenorum dicentium Christum resurrexisse die Sabbati. Probatur, quia Christus (*Matth.* xx, 19) prædixit se tertia die resurrecturum; et evangelistæ expresse asserunt eum prædixisse se post tres dies resurrecturum, et habetur in Symbolo : *Resurrexit tertia die.*

Dico 2 : Christus resurrexit die Dominica, nec ulterius suam resurrectionem distulit, contra Alcuinum et eos qui dicunt Christum jacuisse in sepulcro septuaginta duabus horis. Probatur, quia dies qua Christus resurrexit, vocatur *prima* Sabbati, id est prima dies hebdomadæ, vel prima dies post Sabbatum. Hinc a tempore apostolorum ob Christi resurrectionem vocatus est iste dies Dominicus : *Fui in spiritu in Dominica die* (*Apoc.* I, 10). Et Augustinus (serm. 251 *De temp.*) ait hanc diem solemniter celebrari, quia isto die Christus resurrexit, item quia ista die angeli, prima lux, et mundi elementa creata sunt, manna in deserto datum fuit, ac Spiritus sanctus in apostolos descendit. Tres ergo dies in monumento suffecerunt ad declarandam mortis veritatem. Christus dixerat : *Post tres dies resurgam* (*Matth.* XXVII, 63), id est inchoatos; hinc Judæi petierunt a Pilato ut juberet *custodiri sepulcrum usque ad diem tertium* (*Ibid.* 64). Jam vero quia Judæi secunda die Azymorum seu decima sexta die primi mensis debebant juxta legem offerre manipulum novarum spicarum, et ab ista die numerare quinquaginta dies usque ad festum Pentecostes, quæritur quomodo potuerint intercedere quinquaginta dies inter diem Dominicam resurrectionis qui erat tertia Azymorum, et adventum Spiritus sancti in die Dominica seu festum Pentecostes? Facilis est solutio, si dicantur isti quinquaginta dies numerari vel exclusive a secunda die Azymorum, vel exclusive a festo Pentecostes, ita ut post expletos quinquaginta dies, die proxime sequenti festum Pentecostes celebraretur; et sic intellige hæc verba Act. II, 1 : *Cum complerentur dies Pentecostes*, id est, Sabbato fuerant completi quinquaginta dies, et die immediate sequenti, id est Dominica, descendit Spiritus sanctus. Posset etiam dici die secunda Azymorum, qui isto anno in Sabbatum incidebat, manipulus novarum spicarum ob Sabbati diem festum non fuisse oblatus, sed tantum die tertia, seu die Dominica.

Sect. II. — *Qua hora Christus resurrexerit.*

Dico : Probabilius Christus non surrexit ante auroram diei Dominicæ, sed in ipsa aurora, paulo post initium lucis diei Dominicæ. D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus, etc., contra Athanasium, Cyrillum Alexandrinum, Hieronymum, etc., sentientes surrexisse prima hora post mediam noctem. Probatur 1° ex Patribus Ignatio, Ambrosio, Augustino, etc., et ex hoc hymno Ecclesiæ : *Aurora cœlum purpurat*, etc. 2° Ex Scriptura : *Surgens autem Jesus mane prima Sabbati, apparuit primo* (nempe post auroram) *Mariæ Magdalenæ* (*Marc.* XVI, 9). Deinde ista vox *mane* significat tempus auroræ seu matutinum. 3° Cum debuerit Christus resurgere tertio die, debuit id intelligi de tertio die artificiali incipiente ab aurora. Quod attinet ad hunc locum Matth. XXVIII, 1 : *Vespere autem Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena*, etc., significat Magdalenam sub finem noctis Sabbati (vespere seu sero) cum jam dies Dominica lucescere inciperet, seu sub auroram venisse ad monumentum.

Sect. III. — *Quot horæ a morte Christi usque ad ejus resurrectionem intercesserint.*

Dico 1 : A morte Christi usque ad resurrectionem intercesserunt fere quadraginta horæ, quibus anima fuit in limbo, et fere triginta sex quibus corpus jacuit in sepulcro. Dixi fere quadraginta, quia prima et ultima non fuerunt integræ. Mortuus enim est circa horam tertiam pomeridianam diei Veneris, et surrexit in aurora diei Dominicæ; atque ita sunt fere quadraginta horæ quibus anima separata fuit a corpore, quod quatuor circiter horis elapsis ab ejus separatione, in sepulcro collocatum est.

Dico 2 : Juxta hanc Christi prædictionem : *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 40), certum est de fide Christum fuisse in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, quæ sic possunt numerari : primus dies et prima nox mortis et sepulturæ Christi duravit ab hora circiter tertia pomeridiana feriæ sextæ usque ad mediam noctem; secundus dies et nox duravit a media nocte feriæ sextæ usque ad mediam noctem Sabbati; tertius dies et nox a media nocte Sabbati usque ad auroram diei Do-

minici. Non ergo numerandi sunt isti tres dies et noctes incipiendo a nocte cœnæ, ut facit Gregorius Nyssenus, aut a Christi comprehensione, vel bis numerando noctem quæ est inter Sabbatum et Dominicam, seu accipiendo illam pro duabus noctibus.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

De naturali perfectione et integritate corporis Christi resurgentis.

Sect. I, II. — *An in glorioso Christi corpore fuerint omnes solidæ humani corporis partes, et quomodo cicatrices, salva ejus integritate.*

Nota : In quæst. 53 D. Thomæ, art. 3, ad hæc verba : *Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium* (*I Cor.* xv, 20), sic ait Pater Suarez : quamvis certissimum sit neminem ante Christi passionem aut mortem resurrexisse ad immortalem vitam, imo nec ullum hominem ad illam ante Christum resurrexisse, tamen probabile est aliquos simul tempore cum Christo resurrexisse ad dictam vitam; ut enim dici possit Christus *primitiæ dormientium*, sufficit eum ordine naturæ et causalitatis tantum prius, quam cæteri, resurrexisse. Unde ista sanctorum corpora, quorum monumenta aperta sunt in Christi morte, manseruntque aperta usque ad ejus resurrectionem, illo resurgente tunc statim etiam resurrexerunt non ante Christum, sed simul cum Christo, et exeuntia de monumentis *venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* (*Matth.* xxvii, 52). Illi ergo sancti probabilius resurrexerunt, non in corpore mortali et ad breve tempus, iterumque morituri eo modo quo Lazarus resurrexit, prout sentit Augustinus, Theophilus, etc., sed ex speciali Dei favore ac liberalitate in immortali et glorioso corpore, quocum ad immortalem cœli vitam ante generalem resurrectionem in Christi ascensione ascenderunt nunquam amplius morituri : ita Origenes, Epiphanius, Clemens Alexandrinus, Anselmus, Sophronius, etc., cum multis recentioribus scriptoribus.

Dico 1 : Corpus Christi resurrexit integrum ac perfectum quoad omnes suas partes solidas, v. gr. carnem, ossa, caput, manus, pedes, etc., item capillos, barbam, dentes, ungues, etc.; hæc enim omnia ad corporis humani integritatem pertinent. Idem de præputio sentiunt Theophylactus, Bonaventura, Gabriel, etc., sed cum dicatur juxta Romanam traditionem illud in Ecclesia Lateranensi reservari, potest dici corpus Christi resurgens habuisse præputium formatum ex aliqua parte illius materiæ, quæ aliquando fuerat in ejus corpore, et per continuam nutritionem resoluta fuerat; ipsam autem particulam, quæ in Christi circumcisione abscissa fuerat, relictam esse in terris ad fidelium devotionem, sicque salvatur perfecta corporis Christi resurgentis integritas. Et fides humana adhibetur traditioni asserenti ejus præputium manere in terris; nam particula illa præputii non pertinet formaliter ad corporis integritatem, sed tantum materialiter. Non est autem necessarium ad veram resurrectionem, juxta D. Thomam, et supra dicta, ut omnes partes materiales corporis ex eisdem numero partibus materiæ constent, ex quibus prius constabant; adeoque parva aliqua pars materialis, quæ ex alia materia suppletur, non obstat resurrectionis veritati et perfectioni.

Dico 2 : De fide certum est servatas esse in Christi resurgentis corpore quinque vulnerum cicatrices, ut patet ex his : *Dicit Thomæ : Infer digitum huc, et vide manus, et affer manum tuam, et mitte in latus meum* (*Joan.* xx, 27). *Videte manus et pedes, quia ego ipse sum* (*Luc.* xxiv, 39). Hæ cicatrices non fuerunt aut apparentes tantum, aut pro illo tempore tantum, quo Christus se discipulis ostendebat, effictæ, sed ab instanti resurrectionis vere in Christi corpore remanserunt ac perpetuo remanebunt : ita Ignatius, Hilarius, Dionysius, Augustinus aliique Patres. Cum enim fuerint a Christo ostensæ in veræ resurrectionis testimonium, et resumpserit corpus immortale et impassibile, debuerunt esse tum veræ tum perpetuo duraturæ. Dein Augustinus cum aliis asserit Christum veniendo ad judicium, allaturum hæc stigmata, et ea ostensurum inimicis ad confusionem juxta Zachariæ prophetiam : *Aspicient ad me quem crucifixerunt* (*Zach.* xii, 10). Hæc autem stigmata non sunt tantum aliqua vulnerum signa ac vestigia, ut videtur exponere Augustinus, etc., sed juxta communem sententiam remanserunt priora vera foramina (Abulensis, Cajetanus, Nazianzenus, Petrus Chrysologus, etc.). Et sic speciali miraculo factum est, ut illa foramina non impediant quominus nervi, arteriæ, venæ continuæ sint, optimeque dispositæ, tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes vitæ actiones ac motus; et quamvis ibi desit aliquid carnis, ita tamen sunt partes illæ dispositæ, ut nullam deformitatem, sed potius decorem singularem habeant.

Dico 3 : Causæ ob quas Christus retinuit in suo corpore dicta vulnera, hæ recensentur : 1° ut essent æternum suæ victoriæ ac triumphi monumentum; 2° ut veritatem resurrectionis comprobarent ac fidem firmarent; 3° ut pro nobis apud Patrem æternum interpellent; 4° ut spem ac fiduciam nobis inspirent, et ad gratiarum actiones nos excitent; 5° ad confundendos Christi hostes in die judicii.

Sect. III. — *An in Christi corpore post resurrectionem sint sanguis aliique humores.*

Dico 1 : Certum est in glorioso Christi corpore fuisse sanguinem in ea quantitate quam corpus humanum optime dispositum requirit, sanguis enim est de veritate et integritate corporis humani; et etiam certum est tres alios humores, atram et flavam bilem atque pituitam, quatenus etiam ad humanæ naturæ constitutionem, humanasque operationes et affectiones, ad convenientem corporis dispositionem ac temperamentum requiruntur, in eo fuisse. Hinc probabile est Christum in resurre-

ctione resumpsisse totum sanguinem quem a tempore, quo in horto oravit, usque ad vulnus lanceæ effudit : quia corpus Christi ante passionem in nocte cœnæ erat optime dispositum, ac temperatum ; ergo sanguinem in proportionata et debita quantitate habuit; quia autem in corpore passibili sunt quædam fæces, quas non oportet esse in impassibili ac glorioso, ideo si ille sanguis non fuit in sufficienti quantitate ad replenda loca, quæ prius imperfectis istis humoribus repleta erant, nec ad optimum corporis humani temperamentum ac dispositionem sufficiebat, facile potuit suppleri ex alia materia, maxime ex ea quæ aliquando sub forma sanguinis Christi fuerat, et per nutritionem resoluta fuerat, amissa unione Verbi. Frustra hic distinguit adhuc Cajetanus inter sanguinem vitalem et nutrimentalem, dicendo vitalem reassumptum, non nutrimentalem, supra enim diximus unum et eumdem esse sanguinem.

Dico 2 : Sanguis in passione Christi effusus, qui in sua substantia perstitit, remansit unitus Verbo (D. Thomas, etc.) : quia ille sanguis assumptus est, ut perpetuo maneret unitus Verbo. Nec obstat quod sanguis ille amiserit suam formam quasi vitalem, sive hæc sit anima rationalis sive alia, quia hoc non obstante, mansit incorruptus et unitus Verbo sub forma sibi accommodata; divinitus enim illius corruptio impediri potuit ac debuit ob unionem hypostaticam. Jam vero cum dicatur aliquis Christi sanguis in passione effusus asservari in basilica Lateranensi; Joannes Evangelista sanguinem e Christi latere manantem religiose in vasculo excepisse; Magdalena juxta crucem ex terra, quam Christus suo sanguine rigabat, vitream phiolam complevisse, etc. Ideo si quid sanguinis Christi in terra maneat (si tamen sit sanguis, cum forte sit tantum color ex sanguine relictus, non sanguis quoad substantiam), dicendum est illum jam non esse hypostatice unitum, quia jam nec est, nec postea futura est humanitatis Christi pars, adeoque manet sine ullo ad illius unionem in posterum ordine. Sicuti partes materiæ, quæ per continuam nutritionem resolvebantur e corpore Christi, nunquam amplius illi conjungendæ, dimittebantur a Verbo; ita iste sanguis. Hoc autem axioma : *Quod semel assumpsit* (nempe Verbum) *nunquam dimisit*, intelligendum est de natura per se primo assumpta, et de iis quæ pertinent ad ejus veritatem ac integritatem; non autem de singulis materialibus partibus. Attamen iste sanguis ob præcedentem unionem et veluti contactum ad Verbum, ac propter contactum etiam ad carnem Christi, adorari potest.

Sect. IV. — *An Christi corpus resurrexerit cum perfecta magnitudine ac pulchritudine.*

Dico 1 : Certum est Christum resurrexisse in juvenili ætate in qua mortuus est, adeoque habuisse corpus ad minimum ejusdem magnitudinis, cujus ante mortem fuit : ita Augustinus, l. XXII *De civ. Dei*, cap. 15. Item resurrexisse in ea quantitate totius corporis et singulorum membrorum, quam naturali suæ animæ et nutritivæ facultatis virtute in toto vitæ tempore potuit acquirere. Unde Augustinus ibidem asserit unumquemque beatum habiturum eam quantitatis mensuram, quam in juventute habuit, aut habiturus esset, si diutius vixisset.

Dico 2 : Corpus Christi in resurrectione habuit eamdem magnitudinem, formam, figuram, quam habuerat in vita mortali, adeoque et eamdem pulchritudinem.

Sect. V, VI. — *An in corpore Christi resurgentis fuerint omnes facultates animæ vegetantis et sentientis, earumque actiones.*

Dico 1 : De fide certum est in corpore Christi resurgentis fuisse omnes partes organicas, ad vitæ vegetantis actiones a natura destinatas, utpote substantiales et ad corporis integritatem pertinentes; harumque singulæ habuerunt illam dispositionem ac temperamentum quod ex natura sua exigebant. Item in eo fuerunt omnes naturales animæ vegetantis facultates seu potentiæ, etiamsi earum actio cessasset; quia hæ non serviunt tantum ad operationem, sed etiam ad complementum ac perfectionem corporis, et ad ostensionem divinæ potentiæ ac sapientiæ in ejus fabricatione aut reparatione; nec repugnant corporis impassibilitati. Sic in corpore Christi mortali fuit facultas ridendi, licet fortasse nunquam riserit. Harum ergo facultatum actiones nunquam fuerunt in glorioso Christi corpore, quia supponunt corpus alimento indigens, adeoque alterabile. Quia autem dicitur Christus post resurrectionem (*Luc.* XXIV, *Joan.* XXI, *Act.* I) comedisse cum discipulis, quæritur quomodo id fieri potuerit, nam ejus corpus gloriosum non erat amplius capax alterationis aut nutritionis ad convertendum alimentum in suam substantiam, ut male opinatur Durandus. Dicendum est ergo non esse de essentia veræ comestionis, ut cibus digeratur et convertatur in substantiam comedentis, sed sufficit ut per vitalem actionem et vitæ organa, ore sumptus in stomachum trajiciatur; ut patet in eo qui trajectum cibum statim integrum et immutatum rejicit. Hinc Christus in corpore glorioso potuit vere comedere, et per dotem subtilitatis efficere ut cibus in stomacho non detineretur, sed in alium locum pro sua voluntate transiret, aut in præexsistentem materiam resolveretur. Angeli autem in suis apparitionibus non vere comedunt, quia ista cibi sumptio, ut est a corpore assumpta, non est actio vitæ, neque ex virtute propriæ formæ istius corporis. Deinde comestio non est proprie actio animæ vegetantis, sed sentientis et loco motivæ.

Dico 2 : In glorioso Christi corpore fuerunt omnes potentiæ sensitivæ cum omnibus suis organis ad ejus integritatem ac perfectionem requisitis; atque ita Christus potuit exercere aliquos actus animæ sentientis tum sensus interni vel appetitus sensitivi : v. gr. actus gaudii, amoris, aliosque ejusmodi non repugnantes statui beatifico, qui sine ulla

corporis alteratione fiunt; tum potentiæ loco motivæ eundo de loco ad locum; tum facultatis loquendi colloquendo cum suis discipulis : vera enim et corporalis vox ac Dei laus erit in corporibus beatorum. Denique in glorioso Christi corpore, uti et in omnibus beatorum corporibus, habent locum actus omnium sensuum externorum : 1° possunt videre, quia in oculis beatorum possunt ab objectis distantibus produci species visibiles, sive virtute naturali, sive divina, et ipsa beatorum corpora possunt sine impedimento cujusvis distantiæ imprimere divinitus sui speciem visibilem; ideoque quidam existimant visivam Christi potentiam, ad quodlibet objectum quantumvis distans se extendere. 2° Idem dic de auditu; possunt enim soni species, etiam sine medio, deferri ad aures beatorum, aut beati imprimere speciem suæ vocis immediate in auditum distantem, nihil operando circa medium. 3° Possunt etiam actum odoratus exercere, utpote qui sine materiali corporis sentientis alteratione pene fit, objecto nullibi deficiente, maxime in cœlo. 4° Denique tactus et gustus etiam corpori glorioso conveniunt; clarum est de tactu. Et quoad gustum, non est Deo difficile, ut aliquis sapidus humor resideat intra organum gustus beatorum, qui illum sensum intentionaliter afficiat, horum siquidem sensuum honestæ delectationes non dedecent corpus gloriosum. Christum autem in corpore glorioso ante suam ascensionem hos actus exercuisse, liquet ex his : *Palpate et videte*, etc. (*Luc.* XXIV, 39). *Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent* (*Act.* I, 4).

DISPUTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

De supernaturali corporis Christi perfectione post resurrectionem.

SECT. I. — *An corpus Christi post resurrectionem habuerit perfectionem supernaturalem.*

Nota : Origenes et Eutyches negarunt corpus humanum post resurrectionem fore carneum; et Cerinthus nullam illi aliam tribuit perfectionem quam materialem et naturalem. Sed his omissis,

Dico : Corpus Christi in sua resurrectione fuit ornatum variis donis et qualitatibus supernaturalibus, præsertim his quatuor : claritate, impassibilitate, agilitate, subtilitate. 1° *Claritas* ex his colligitur : *Reformabit corpus humilitatis configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III, 21). *Seminatur* (corpus) *in ignobilitate, surget in gloria* (*I Cor.* XV, 43). *In quo justi fulgebunt sicut sol* (*Matth.* XIII, 43). 2° *Impassibilitas;* hinc habetur : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* (*Rom.* VI, 9). *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione* (*I Cor.* XV, 42). 3° *Agilitas;* hinc probatur : *seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget spirituale* (*I Cor.* XV, 43, 44). Et ex hoc etiam textu colligitur *subtilitas*. Atque de his quatuor dotibus multi pariter tractant Patres, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Anselmus, etc. Et certe ad integram animæ beatitudinem requirebatur hæc corporis perfectio, quinimo præter istas quatuor gloriæ dotes, nulla alia in beatorum corporibus requiritur, quæ ad has non possit facile revocari. Sed anima beati vim, quam habet ad suspendendum corporis operationes, v. gr. ad non audiendum, ad non videndum, etc., non habet ex aliqua corporis dispositione aut perfectione, sed ex sua voluntate ac libertate, ad quam spectat inferiores potentias sibi subjectas regere, excitare, retinere. Denique istæ supernaturales corporis perfectiones non tollunt aut destruunt naturalem ejus substantiam neque accidentia illi connaturalia, sed illam potius ornant, et corrigunt ejus imperfectiones.

SECT. II. — *De claritate corporis gloriosi.*

Dico 1 : Gloriosi corporis claritas, est interna lux ac perfectissima qualitas illi intrinsece inhærens, ut docent Patres, D. Thomas et alii, patetque ex præcedenti sectione. Unde hæc claritas erit in omnibus gloriosi corporis partibus, nec solum in extrema superficie, sed in tota profunditate, in carne, in ossibus, cæterisque membris; alioqui totum corpus non esset oculis pervium, nec transparens, parsque interior utpote densa et opaca, videri non posset. Sic D. Thomas, Sotus, Richardus, etc., contra Bonaventuram, Scotum, Durandum, negantes corpora beatorum fore oculis pervia, sed tantum colore affecta et ob claritatem in ultima superficie receptam fulgentia. Sed probatur, quia decet, ut omnes corporis partes eamdem istius claritatis gloriam, cum sit possibilis, participent.

Objicies 1 : Repugnat in corpore denso lucem et colorem esse simul. Respondeo : Nego assumptum. Nam in extrema superficie illuminantur omnia corpora, deinde vitrum, v. gr. viride, non solum in superficie, sed intime totum perfunditur lumine.

Obj. 2 : Repugnat corpus habens colorem simul esse oculis pervium, quia color requirit perspicuum oculis, terminatum opacitate corporis. Respondeo : Nego assumptum. Non enim repugnat idem corpus esse transparens et simul lucere, hoc non est Deo difficile; et sic oculus glorificatus potest videre corpus gloriosum, ut lucidum, et per illud ut diaphanum videre alia objecta pone ipsum posita, quia corpus gloriosum non tantum elevatur ad respiciendas, sed etiam ad emittendas species visibiles in tali medio.

Obj. 3 : Si corpora gloriosa ita essent omnino transparentia ac lucida, non possent videri ut distincta variis membris ac figuris, sed confuse viderentur omnes partes, sicut sol videtur. Respondeo: Nego assumptum; quia hæc corporis claritas non lædit, nec impedit oculum, quominus possit distincte videre omnia corporis delineamenta, colorem, figuram, totamque ejus symmetriam ac pulchritudinem. Licet enim corpus sit transparens, non tamen amittit membrorum suorum soliditatem ac densitatem, qua tam perfecte potest terminare in se visionem, ac si per ipsum nihil aliud cerneretur; sed probabiliter est in potestate beati, juxta D. Thomam,

occultare vel non occultare aliud corpus pone se positum.

Dico 2 : An lux corporis gloriosi sit ejusdem speciei cum luce solis aut ignis, an vero alterius sublimioris et perfectioris, incertum est, aliis affirmantibus, aliis negantibus ; item an contineatur necne sub naturali visus objecto, ita ut solis naturæ viribus per se videri possit ab humano oculo non glorificato, etiam incertum. D. Thomas et Scotus probabilius affirmant contra Richardum negantem contineri sub naturali visus objecto. Cæterum videtur certum istam lucem, quæcunque sit, in corpore Christi et aliorum beatorum corporibus esse ejusdem speciei, quamvis pro meritorum diversitate sit inæqualis intensionis et perfectionis ; v. gr. longe est intensior in corpore Christi quam in aliis. Immediatum hujus claritatis principium physicum ac causa principalis est ipsemet Deus mediante Christi humanitate tanquam instrumento, in aliis beatis illuminantis vel per suam voluntatem vel per sui corporis claritatem illorum corpora ; in seipso autem mediante sua anima per virtutem instrumentalem, quam habet ad sic immutandum suum et aliorum corpora.

Sect. III. — *De impassibilitate corporis gloriosi.*

Dico : Varii varie explicant hanc impassibilitatem. 1° Quidam, ut refert D. Thomas (I part., quæst. 76, art. 7), dixerunt quamvis corpus gloriosum constet ex hac elementorum materia, cum illa tamen commisceri quamdam quintæ essentiæ naturam, ita temperantem totum corpus, ut illud reddat omnino incorruptibile. Hæc autem quinta essentia vel est substantialis pars materiæ cœlestis, vel tantum aliqua ejus qualitas conferens istam incorruptibilitatis participationem ; sed neutro modo id dici potest. Ergo. 2° Alii asserunt in glorioso corpore resurgente, manere eamdem quidem materiam ac formam quæ prius fuerat, cum omnibus suis elementaribus qualitatibus connaturalibus, sed istud corpus resurgens fieri intrinsece impassibile ex perfecto modo quo anima in eo statu glorioso illud informat : qui informationis modus talis est, ut a nullo agente naturali superari, debilitari, aut destrui possit, etiamsi Deus sua providentia agentia extrinseca non impediat, neque illis suum concursum ordinarium deneget : ita Sotus ; sed hæc opinio non satis probatur, quia animæ informatio est de essentia hominis, et eadem est essentialiter in corpore glorioso et non glorioso ; ergo, etc. 3° Hinc Scotus, Durandus, etc., dicunt corpus beati esse tantum extrinsece impassibile, ex eo, quod Deus statuit non concurrere cum quovis agente sive intrinseco, sive extrinseco ad illud alterandum. 4° Alii sentiunt corpus beati esse impassibile non solum ob extrinsecam Dei protectionem, nec ob qualitatem ipsi inhærentem, sed ob animæ in corpus dominium ; quod dominium non consistit in modo informandi corpus, sed in hoc, quod sicut omnes corporis actiones subduntur animæ voluntati, ita et passiones ; et sicut corpus non agit nisi quando anima vult, ita nec pati possit nisi quando ipsa vult : non potest vero ob suæ voluntatis rectitudinem ac perfectionem, velle aliquid pati. Ergo, etc. Hæc autem animæ tanta efficacia ad conservandam sui corporis dispositionem, debet provenire ex speciali Dei concursu elevantis suam creaturam, ut operetur tanquam ipsius instrumentum. Huic sententiæ favere videtur D. Thomas, uti et sequenti quæ sic est. 5° Denique alii dicunt corpus beati esse impassibile per aliquam altioris ordinis qualitatem illi infusam et inhærentem, ac per intrinsecam dispositionem, ratione cujus fit incapax cujusvis alterationis corruptivæ (Richardus, Capreolus, etc.).

Sect. IV. — *De agilitate corporis gloriosi.*

Nota : Dos agilitatis est quædam facultas ad localem motum expedite ac velociter exercendum.

Dico 1 : Certum est beatum habere facultatem movendi suum corpus motu progressivo, id est, movendo unam partem, mediante altera, adeoque prius unam quam aliam, magna cum velocitate sine labore et defatigatione : *Assument pennas sicut aquilæ; current et non laborabunt : ambulabunt et non deficient* (*Isa.* XL, 31). Beatus autem habebit hanc virtutem se velocissime et facillime movendi ejusmodi motu progressivo, non per ablationem gravitatis corporis, sed vel per additionem alicujus qualitatis, vel per solum majorem Dei concursum utentis anima aut corpore beati tanquam instrumento ad hunc effectum supra vires naturales producendum, cui etiam aliquid confert optima corporis et organorum dispositio.

Dico 2 : Beatus potest se movere motu simplici, quo totum corpus veluti uno impetu æque primo movetur, contra Durandum, ut ex Scriptura colligitur : *Quasi scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III, 7). Cum autem motus localis præter progressivum nullus sit animanti naturalis, ideo facultas se movendi isto motu simplici provenit, non ex interna virtute connaturali, prout Alensis, et alii, videntur sentire, sed vel ex vi supernaturali quam anima habet, ut hoc modo pro sua voluntate et ex ipsius efficacia, maxima cum velocitate moveat suum corpus, per specialem Dei concursum ad hoc paratum, quoties ipsa voluerit ; vel ex aliqua qualitate beato corpori indita, quæ ex natura sua habet vim efficiendi motum ad quamlibet loci positionem, etiamsi illius efficacia pendeat a libera beati voluntate.

Dico 3 : Quamvis beatus per creatam suæ animæ aut corporis virtutem non possit subita et instantanea mutatione transire ab extremo ad extremum sine medio, sive transire ab uno loco ad alium sine transitu per medium ; per divinam tamen ac supernaturalem virtutem, juxta ea quæ dicemus in tractatu *De Eucharistia*, potest sic se movere, et probabiliter de facto, quando vult, sic se movet : nam Patres dicunt posse corpus beati in momento et sine retardatione illuc transire quo impetus spiritus eum direxerit ; et Augustinus, in *Enchir.* (cap. 90, etc.),

dicit posse beatum reali sui corporis præsentia tam cito transire ad locum distantem, quam potest cogitatione. Imo verisimiliter anima beata separata nunc se etiam sic movet. Hujusmodi autem motus fit ab anima vel a corpore beati tanquam divinæ virtutis instrumento, et omnes beati in hac agilitate sunt æquales; cum enim hæc mutatio sit instantanea, non suscipit plus aut minus.

Sect. V. — *De subtilitate corporis gloriosi.*

Nota : Subtilitatis dos est facultas qua corpus beatum potest penetrare aliud quodvis corpus, sive esse cum illo in eodem loco.

Dico 1 : Non implicat contradictionem, ut unum corpus sit simul cum alio quantitative in eodem loco. D. Thomas et omnes theologi contra Durandum, cujus opinio improbabilis occasionem errandi præbet circa mysteria Eucharistiæ, nativitatis, resurrectionis et ascensionis Christi. Probatur, quia licet inter quantitates sit naturalis repugnantia in ordine ad idem spatium, non tamen talis est, ut Deus per suam potentiam nequeat illam superare, duoque corpora et eorum quantitates ac quantitatum partes penetrative in eodem loco contra naturalem illarum exigentiam ponere : sicut enim Deus potest unum corpus ponere in pluribus locis, ita et plura in eodem loco. Successivæ partes non possunt quidem in eodem tempore exsistere, quia in suo essentiali conceptu dicunt prius et posterius; sed permanentes possunt in eodem loco poni, quia non dicunt essentialiter diversum actu locum.

Dico 2 : Hæc proprietas exsistendi penetrative in eodem loco cum alio corpore, non tantum Christo est debita ratione unionis hypostaticæ, sed etiam est communis aliis gloriosis corporibus ratione beatitudinis. Hæc autem virtus penetrandi alia corpora non est qualitas veluti formaliter afficiens corpus beati, ac tollens naturalem repugnantiam quæ est inter duas quantitates respectu ejusdem spatii, neque est aliqua qualitas activa connaturalis, sed est quædam vis intrinseca et instrumentalis animæ vel corporis beati, cui ob beatitudinem datum est, ut possit tanquam Dei instrumentum hoc modo se movere : quia statuit Deus ratione status beatifici, uti animæ voluntate aut motiva corporis facultate ad ejusmodi effectum producendum pro beati arbitrio et voluntate, et sic ista virtus non est omnino extrinseca consistens in solo Dei pacto statuentis movere corpus beati quandocunque voluerit, ut Scotus et alii videntur sentire, sed est vis interna instrumentalis activa, connotans gloriosum corporis statum.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA NONA.

De apparitionibus post resurrectionem.

Sect. I. — *An Christus post resurrectionem primo matri suæ apparuerit.*

Respondeo affirmative : Ita omnes scriptores catholici, perpetuusque Ecclesiæ sensus; idque expresse affirmat Ambrosius (lib. III *De Virgine*) sic : « Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, et prima vidit et credidit, vidit et Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret. » Cur autem evangelistæ hanc apparitionem non retulerint, respondet Anselmus (*De excell. Virg.*, cap. 6), quia visum est superfluum, nec decebat reginam cœli et terræ, cæteris quibus Christus apparuit, coæquare. Dicitur quidem (*Marc.* XVI, 9) : *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ;* sed hoc intelligendum est vel de iis qui futuri erant testes resurrectionis ab evangelistis recensiti, vel de iis quibus Christus apparuit ad eorum fidem confirmandam. Idcirco B. Virgo in hoc numero non comprehenditur, quia nec futura erat testis resurrectionis, ne ob Filii amorem aliquid fingere censeretur, nec de Filii resurrectione unquam fuit dubitans. Apparuit ergo illi quia amor et dignitas matris id exigebat.

Sect. II, III. — *De apparitione facta Magdalenæ et aliis mulieribus.*

Dico 1 : Quot præcise fuerint istæ mulieres quibus Christus apparuit, et quænam singulæ nominatim, non satis constat, maxime de Magdalena; nam quidam ponunt probabiliter duas Magdalenas, unam Mariam Magdalenam sororem Lazari, alteram peccatricem; imo quidam ponunt duas peccatrices, sed improbabiliter. Jam vero illa Maria Magdalena, cui Christus primo apparuit, videtur fuisse soror Lazari, et eadem quæ prius unxerat Christi pedes et caput. Non enim fuerunt duæ Magdalenæ, quibus apparuit Christus, sed una sola persona isto nomine dicta. Quomodo illa soror Lazari potuerit esse Magadelena peccatrix, de qua loquitur Evangelium, vide apud P. Suarez.

Dico 2 : Tota series et ordo istius apparitionis, sic videtur contigisse : omnes illæ mulieres die Dominica summo mane, iverunt simul ad monumentum, dicentes inter eundum : *Quis revolvet nobis lapidem* (*Marc.* XVI, 3) ? Appulsæ senserunt terræ motum, et viderunt lapidem revolutum, seu sublatum ab interiori sepulcri ostio, et in exteriori speluncæ parte quasi in vestibulo positum super quem sedebat angelus qui dixit : *Venite et videte locum ubi positus erat Dominus* (*Matth.* XXVIII, 6). Ingressæ sunt ergo sepulcrum, viderunt viros duos seu angelos in veste fulgenti, quorum unus dixit illis : *Quid quæritis viventem cum mortuis* (*Luc.* XXIV, 5) ? etc. Cum egressæ fuissent, statim Magdalena relictis ad sepulcrum sociabus reversa est Jerusalem, nuntians apostolis quæ viderant et audierant, ac sine mora cum Petro et Joanne accurrentibus, rediit ad socias apud monumentum relictas; nisi forte tamen simul illæ cucurrerint nuntiatum apostolis quæ viderant, et illico simul redierint. Cum autem istæ mulieres visis rursum angelis, de monumento egressæ, domum cogitabundæ ac lento gradu repeterent, sola Magdalena permansit in vestibulo sepulcri plorans, ubi se inclinans ad ostium monumenti, ut interius sepulcrum inspiceret, iterum vidit duos angelos, unum ad caput, alium ad pedes sepulcri; et tunc

Christus pene illam adstitit habitu hortulani, cui cum angeli aliquod reverentiæ signum exhibuissent, statim Magdalena, ut aiunt Athanasius et Chrysostomus, se retro convertit, et paulo post agnito Christo voluit osculari pedes, quod illi Christus non permisit : vel quia nimis familiariter humano more adhuc agebat, vel potius quia voluit ut statim sine mora properaret nuntiare ipsius resurrectionem ; quod confestim exsequens, prægressas socias adhuc in via assecuta est, et tunc omnibus illis simul apparuit Christus, permisitque tam Magdalenæ quam aliis mulieribus comitibus, ut ipsius pedes oscularentur.

Sect. IV. — *Quoties Christus apparuerit ipso suæ resurrectionis die.*

Dico 1 : Ex Evangelio colligitur quinquies apparuisse Christum ipso suæ resurrectionis die, non numerando primam quæ ejus matri facta est, apparitionem. Duæ ergo primæ apparitiones sunt illæ, quæ factæ sunt soli Magdalenæ, et postea omnibus simul mulieribus, sicut in præcedenti sectione relatæ sunt. Tertia autem videtur fuisse facta Petro sic : postquam Petrus cucurrisset cum Joanne ad sepulcrum, et reversus in cœnaculum audiisset a reducibus mulieribus dicentibus se vidisse Christum, majoris inquisitionis causa statuit revisere sepulcrum, quo reviso illi redeunti in via Christus, ut creditur, se videndum præbuit : nam ista die Dominica discipuli dicebant : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* (*Luc.* xxiv, 34).

Dico 2 : Quarta fuit facta duobus discipulis euntibus in castellum Emmaus. Hi postquam mulieres e sepulcro redierant in cœnaculum, et narraverant quæ viderant et audierant, non adhibentes illarum verbis fidem, sub idem fere tempus quo Petrus discedens iterato redibat ad sepulcrum, abierunt in suum oppidum Emmaus distans Jerosolyma duabus circiter leucis, et illis in via Christus se comitem ignotus dedit, ac fractione panis se fecit agnosci ; tunc illi statim Jerosolymam reversi sub vesperam invenerunt undecim apostolos in cœnaculo congregatos, quibus retulerunt prædictam Christi apparitionem narrante etiam Petro reverso ex monumento aliam sibi factam. Post hæc oblata aliqua occasione Thomas e cœnaculo secessit ; et paulo post sub initium noctis, absente Thoma, contigit quinta apparitio facta iisdem congregatis, in qua Christus dedit eis Spiritum sanctum, quoad potestatem remittendi peccata, promissa in diem Pentecostes plenitudine Spiritus sancti infundenda ad majorem propriæ sanctificationis perfectionem et alia dona. Cum autem paulo ante hanc apparitionem adesset ibi Thomas cum aliis, ideo Lucas (xxiv, 33), dicit quod isti duo reduces ex oppido *Emmaus, invenerint congregatos undecim ;* non tamen undecim adfuerunt apparitioni, quia Thomas jam paulo ante abierat, vel per *undecim* intellige per synecdochem collegium apostolicum.

Sect. V. — *Quoties et quo ordine Christus apparuerit post diem resurrectionis usque ad suam ascensionem.*

Dico 1 : Die octava resurrectionis cum adhuc essent congregati undecim apostoli in cœnaculo, rursus eis apparuit Christus januis clausis, in qua reprehendit Thomam de sua incredulitate, ut constat ex Joan. xx, 26 : *Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus ;* contra Rupertum dicentem hanc apparitionem, quæ post quinque in præcedenti sectione relatas, est ordine sexta, factam fuisse in domo B. Virginis in civitate Nazareth, super montem ædificata. Sed ex ipso Evangelio patet id veritati non cohærere.

Dico 2 : Septima apparitio facta est quatuor apostolis, Nathanaeli, et duobus aliis discipulis ad mare Tiberiadis in qua Christus summum pontificatum Petro contulit. Deinde additur : *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis* (*Joan.* xxi, 14). *Tertio* nempe discipulis simul congregatis. Octava facta est in monte Galilææ, non solis probabiliter apostolis, sed etiam plurimis aliis qui illuc confluxerant ; et de hac videtur Paulus loqui dum ait (*I Cor.* xv, 6) : *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul.* Nona fuit illa de qua Marcus sic dicit (xvi, 14) : *Novissime* (nempe ante ipsum diem Ascensionis) *recumbentibus illis undecim apparuit* (probabiliter in cœnaculo), *et increpavit incredulitatem eorum.* Denique decima et ultima fuit in monte Oliveti, unde ascendens ad cœlum se omnibus adstantibus videndum in aere præbuit. Peracta enim nona apparitione jussit discipulos ire in montem Oliveti, juxta quod Lucas (xxiv, 50) dicit : *Eduxit autem eos foras in Bethaniam*, fortasse visibiliter cum B. Virgine et aliquot apostolis visibiliter incedens transiit per Bethaniam, ut Martha, Magdalena, Lazarus, etc., forent suæ ascensionis testes spectatoresque, aliis diversa via illuc confluentibus. Tunc in aerem sese attollens, *elevatis manibus benedixit eis*, ac nube involutus in cœlum conscendit. Præter has autem decem apparitiones, quæ ab evangelistis referuntur, multæ aliæ factæ sunt a die resurrectionis usque ad ascensionem juxta id quod dicitur (*Act.* i, 3) : *Quibus et præbuit se ipsum vivum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis ;* maxime in Galilæa, ita ut juxta Hieronymum (cap. 7 *Ad Hedib.*), quasi continue versaretur cum discipulis suis : quia nimirum in Galilæa plures habebat discipulos et sectatores, plura miracula fecerat, et ipse erat Galilæus, etc. *Deinde*, ut dicitur I. Cor. xv, 7, *visus est Jacobo.* Et Hieronymus ex quodam Hebræorum Evangelio narrat hunc Jacobum in nocte cœnæ vovisse se non comesturum panem donec videret Christum resurgentem a mortuis, ideoque Christum ei apparendo, dixisse : « Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus. » Si vera sit hæc historia, ista apparitio debuit contingere non multo post diem resurrectionis, aut ipso resurrectionis

die. Augustinus autem sentit eam serius fuisse factam.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA.

De resurrectione mortuorum, ut est effectus resurrectionis Christi.

SECT. I. — *An futura sit generalis hominum resurrectio.*

Nota : Antiqui philosophi veram resurrectionem ignorarunt seu negarunt, et quidam hæretici, v. gr. Simon Magus, Marcion, Cerdo, etc., jam a temporibus apostolorum cœperunt etiam negare corporum resurrectionem, volentes solam dari, ut vocabant, animarum resurrectionem, id est retributionem seu glorificationem, eamque jam factam esse dicebant. Ideo Paulus (*II Tim.* II, 18) aiebat : *A veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse jam factam.* Sed omissis hisce hæreticis,

Dico : De fide est futuram aliquando generalem mortuorum hominum resurrectionem, estque articulus fidei in omnibus Symbolis contentus. Probatur : 1° ex Veteri Testamento : *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, popule meus,* etc. (*Ezech.* XXXVII, 12) ; quæ verba de resurrectione litteraliter interpretantur Tertullianus, Justinus, Cyprianus, etc. *Multi* (id est, omnes usitata Scripturæ phrasi) *de iis qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium* (*Dan.* XII, 2). *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent* (*Isa.* XXVI, 19) ; et juxta Septuaginta clarius sic : *Surgent mortui, et resurgent qui in monumentis.* Item : *Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit,* etc. (*II Mach.* VII, 9). Et : *Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum* (*Job* XIX, 25). Probatur 2° ex Novo Testamento : *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28, 29). Similia habentur Joan. VI et XI, et Act. XXIV, Apoc. XX, ac in multis sancti Pauli Epistolis, ex quibus hæc solum affero : *Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* etc. *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV, 12-22). Item : *Scientes qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit,* etc. (*II Cor.* IV, 14). Rursus sic : *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis* (id est, per baptismi susceptionem profitendo mortuorum resurrectionem), *si mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* (*I Cor.* XV, 29.) Vel, juxta quosdam, vox *baptizari pro mortuis* ibi potest sumi pro *satisfacere* per baptismum pœnitentiæ et opera pœnalia pro defunctis ; si enim eorum animæ post mortem manent, etiam eorum corpora resumenda erunt ; demum sic : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum* (*II Cor.* IV, 10).

SECT. II, III. — *An omnes justi et damnati resurrecturi sint.*

Dico 1 : Certum est ex præcedenti sectione omnes justos, qui ante resurrectionis diem obierunt, resurrecturos, exclusis iis qui jam resurrexerunt, v. gr. B. Virgine, et illis qui cum Christo resurgentes, forte cum corpore glorioso in cœlum ascenderunt. Quæstio est igitur an justi qui vivi invenientur paulo ante generalis resurrectionis horam, sint morituri necne ; adeoque sint resuscitandi, necne, quia non resuscitatur, nisi qui mortuus fuit. Ad quod respondeo, juxta D. Thomam, et omnes recentiores scriptores catholicos, sicut omnes homines justi vere morientur, ita et omnes vere resurrecturos ; etiamsi multi antiqui Patres aliter senserint, nixi maxime his Pauli textibus : *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt* (*I Thess.* IV, 14). *Ecce mysterium dico vobis ; non omnes quidem dormiemus ; omnes tamen immutabimur* (*I Cor.* XV, 51); juxta LXX seu editionem Græcam. Sed juxta Latinam et vulgatam sic contrarium habetur : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, seu glorificabimur, et etiam in multis Græcis codicibus sic habetur, maxime antiquioribus, qui habent adverbium οὖν, id est, *igitur* aut *certe ;* non vero, uti recentiores, οὐ, ablata littera ν, id est *non*, seu, *non omnes dormiemus*, etc. Sed probatur assertio, quia Scriptura sæpe repetit omnes homines morituros : *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit* (*Rom.* V, 12). *Statutum est hominibus semel mori* (nempe ob peccati pœnam omnibus communis), *post hoc autem judicium* (*Hebr.* IX, 27). *Quis est homo qui vivit et non videbit mortem?* (*Psal.* LXXXVIII, 49.)

Dum ergo Paulus dicit : *Nos qui vivimus, qui residui sumus*, etc. (*I Thess.* IV, 14), intelligit eos qui paulo ante diem judicii vivi reperientur, nec dicit illos non morituros, sed non resurrecturos ante alios jam pridem mortuos ; morientur ergo, sed statim resurgent, forte corpore nondum corrupto. Hæc autem verba, *Inde venturus est judicare vivos et mortuos*, significant vel bonos et malos, vel animas et corpora tunc resuscitata, vel eos qui nunc vivunt, et qui jam mortui sunt. Denique causa tam repentinæ mortis omnium hominum, in fine mundi futurorum superstitum erit fames, pestis, terror, aeris inclementia, Dei providentia, etc.

Dico 2 : Omnes ad gehennam damnati ob propria peccata, in generali resurrectione suscitandi sunt. De fide. Habetur in Symbolo Athanasii, et in con-

cilio Lateranensi, cap. *Firmiter;* ac Joan. (v, 38, 29): *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ* (æternæ nempe beatitudinis); *qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, nempe condemnationis. Item: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, etc. (*II Cor.* v, 10).

Dico 3: Infantes qui in peccato originali discesserunt, etiam resuscitandi sunt, nam, *Sicut omnes in Adam moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* xv, 22), non solum animæ vita, sed etiam corporis de qua est ibi sermo, et alibi Scriptura agens de resurrectione de omnibus indifferenter loquitur, nulla facta istorum infantium exceptione. Unde hæc verba psal. i, 5: *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum*, significant impios non resurrecturos ad vitam æternæ beatitudinis obtinendam in congregatione seu concilio justorum. Sic ille invictus Machabæus dicebat tyranno: *Tibi enim resurrectio ad vitam non erit* (*II Mach.* vii, 14). Deinde dicitur Joan. iii, 18: *Qui non credit, jam judicatus est*, adeoque non resurget ad judicium utpote jam convictus de sua infidelitate et impietate. Dum dicitur: *Multi de iis qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt* (*Dan.* xii, 2), per vocem *multi*, intelliguntur omnes, ut jam supra dictum est. Resurrectio enim non fit tantum ad participationem vitæ Christi, sed etiam ad punitionem malorum.

Sect. IV. — *An Christus sit effecturus nostram resurrectionem per se; an vero per angelos.*

Dico 1: Christus tum sua virtute et imperio, tum ministerio angelico in nostra resurrectione aliquid efficiet: ita omnes theologi, et patet ex his: *Venit hora, in qua omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus* (id est Christi), *et procedent qui bona egerunt in resurrectione vitæ* (*Joan.* v, 28, 29). *Ipse Dominus in jussu et voce archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi* (*I Thess.* iv, 15). Ita vox Christi et angeli erit una et eadem, nempe vox angeli fiet jussu et auctoritate Christi, non autem proprio Christi ore; et fiet quidem per sonum sensibilem, eritque quasi articulata, et ita efficax, ut per divinam virtutem ubique terrarum percipi possit, v. gr. his duabus propositionibus expressa: *surgite mortui*, mox obtemperando suscitabuntur; *et venite ad judicium*, tuncque redivivi poterunt aure percipere hanc propositionem, ad ei statim obediendum. Cum autem dicatur angelus descensurus *in tuba Dei*, probabiliter, juxta Anselmum, in assumpto corpore utetur instrumento corporeo in modum tubæ confecto ex materia ærea; itaque antequam Christus adveniat ad locum judicii jam ibi aderunt congregati omnes a mortuis suscitati.

Dico 2: Congregatio cinerum defunctorum fiet quidem Christi imperio, sed ministerio angelorum, qui poterunt propria naturali virtute hoc opus exsequi. (D. Thomas, et cæteri Thomistæ.) Ac verisimile est ad sonitum tubæ archangeli plurimos angelos mox huc illuc discursuros ad dictos cineres colligendos. Hic archangelus putatur futurus esse vel Michael, qui creditur præesse Ecclesiæ, et omnibus angelis animarum custodibus, vel Gabriel primus angelorum in tertia hierarchia, qui sicut fuit primi adventus Christi nuntius, ita et secundi verisimiliter est futurus. Paulus (*I Cor.* xv, 52) istam tubam vocat novissimam: *In momento, in ictu oculi in novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent.* Quia Joannes (*Apoc.* viii, ix, x) vidit septem angelos in conspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ, quibus singuli successive cecinerunt; et sex quidem prioribus clangentibus, non est facta resurrectio, sed potius magna strages et interfectio hominum; ad sonitum autem tubæ septimæ factæ sunt voces magnæ dicentes: *Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus* (*Apoc.* xi, 15), quod Œcumenius interpretatur de prædicta tuba novissima. Videntur autem justorum cineres fore congregandi ab eorum angelis custodibus; damnatorum vero a dæmonibus qui eos vicerunt. Deinde cum Deus dabit illis mandatum istos cineres colligendi, simul eis notum fiet vel scientia naturali, vel divina revelatione, si necesse fuerit, quænam materia ad cujusque corporis formationem congreganda erit, et ubi, ac sub qua forma exsistet.

Dico 3: Organisatio seu dispositio organica corporum resuscitandorum non fiet angelorum ministerio, angelorum enim actio terminatur in solo motu locali, nec possunt sua virtute naturali materiam alterare, illique dispositiones ad formam substantialem inferre; sed quoad corporis dispositionem, substantialem animæ unionem, omnesque ejus proprietates ac perfectiones inde consequentes, solus Christus efficiet nostram resurrectionem tum per suæ humanitatis voluntatem, tum per prædictam archangeli vocem, utramque ut Dei instrumentum: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat* (*Joan.* v, 21). Nec tantum bonorum, sed etiam malorum resurrectionem sic ipse efficiet: utrorumque enim est judex, potestque eos resuscitare et ad judicium vocare, ut patet ex hoc Joannis textu: *Audient vocem Filii Dei et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ; qui autem mala, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 28, 29).

Sect. V, VI. — *An Christus sit causa exemplaris nostræ resurrectionis quoad terminum ad* quem *et a* quo.

Nota: Causa exemplaris non requirit realem exsistentiam ad causandum, sed sufficit ut exsistat in mente agentis. Quæritur ergo quæ sit conformitas ac similitudo inter Christi præteritam resurrectionem et nostram futuram quoad terminum, ad quem utraque tendit, et a quo venit.

Dico 1: Christus resurgens est perfectissima justorum resurrectionis causa exemplaris. (D. Thomas et omnes theologi.) Probatur: *Reformabit cor-*

pus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Philip.* III, 21), sive in resurrectione erimus illi similes ac conformes. Hæc autem similitudo ac conformitas consistet : 1° in substantiali ac naturali vita, et in unione cujusque corporis ad suam animam. 2° In perfecta corporis quantitate : sicut enim Christus resurrexit in perfecta corporis magnitudine, ita et omnes justi resurgent. Non hinc tamen sequitur omnia justorum corpora fore corpori Christi in magnitudine æqualia, quia perfecta exemplaris ratio non requirit æqualitatem, sed proportionem ac conformitatem ; unaquæque ergo anima habebit corpus suæ naturali perfectioni accommodatum. Unde fieri poterit, ut aliqua minoris, alia majoris sint magnitudinis quam corpus Christi. 3° In similitudine ætatis, sive in ætate in qua corpus obtinet suum perfectum augmentum. 4° In omnibus corporis sensibus, ac facultatibus et ornamentis juxta debitam cujusque sexus ac meritorum proportionem.

Dico 2 : Christus erit etiam causa exemplaris resurrectionis infantium qui in peccato originali decesserunt quoad perfectiones, non gloriæ sed naturæ : isti enim infantes post resurrectionem habebunt corpora perfecta in magnitudine, ætate, viribus, bene temperata, æterna, incorruptibilia, spiritui subjecta, cibo et potu non indigentia ; omnis enim alteratio Deo ita providente cessabit. Cumque jam sint non in via, sed in termino, non incident in aliqua peccata, nec patientur aliquam sensus pœnam. Habebunt ergo in corporibus debitam suæ naturæ perfectionem, et hanc quidem per Christum, et cum illo in ea conformabuntur, ita ut Christus possit dici quoad hoc causa exemplaris illorum resurrectionis. Imo probabile est eos habituros aliquam Christi cognitionem, eumque tanquam suum Dominum, principem, ac benefactorem veneraturos. Si enim dæmones eum cognoscunt, et coacti venerantur, quanto magis isti infantes sponte illum colent.

Dico 3 : Quamvis corpora damnatorum futura sint similia corpori Christi in aliqua naturali perfectione, non tamen in omnibus, et multo minus in gloriæ perfectionibus ; habebunt enim quidquid est de essentia humani corporis, alias non esset vera resurrectio. Erunt integra quoad omnia membra, sensuumque organa et facultates. Nec in illis probabiliter erunt defectus provenientes ex indebita partium, aut humorum, qualitatumve dispositione, proportione vel compositione, v. gr. ægritudo, etc., sed defectus corpori humano connaturales manebunt, v. gr. gravitas, opacitas, passibilitas, etc. Attamen quoad ea in quibus ista corpora erunt corpori Christi similia ac conformia, Christus non erit proprie causa illorum exemplaris, qui illorum resurrectio non fit ut Christum repræsentent, utque sint ei similes ac conformes, sed ob alias divinæ providentiæ ac justitiæ rationes. Hæc autem erunt æterna, immortalia et simul passibilia, vel quia patientur passione animali sine animali alteratione, v. gr. inferorum ignis illas species quibus vehemens corporis combustio sentitur, imprimet reali caloris impressione, et ex illa sensus affectione sequetur eadem doloris passio quæ ex reali caloris præsentia sequitur ; vel potius quia ille inferorum ignis vere alterabit damnatorum corpora et realem qualitatem doloriferam seu disconvenientem in eis producet usque ad certum intensionis gradum a divina justitia determinatum, et ultra non procedet : sed tantum eamdem qualitatem et actionem conservabit, ita ut nunquam fiat temperamenti primarum qualitatum dissolutio, ac semper maneat sufficiens dispositio ad conservandam animæ corporis unionem. Unde hæc inferni ignis actio in corpora damnatorum, non est omnino naturalis, sed est supernaturale divinæ justitiæ instrumentum.

Dico 4 : Futura omnium hominum resurrectio, est similis Christi resurrectioni in essentiali proximo termino a *quo*, id est, a vitæ privatione seu morte, sed non in accidentali et remoto, qui est mortui corporis corruptio, et in cineres resolutio. Hæc enim in cineres resolutio et corporis corruptio non videtur per se necessaria ad resurrectionem, sed sola mors sufficit, quæ est propria pœna peccati. Quia vero ex morte sequitur naturali quadam necessitate ut corpus putrescat, et in cineres resolvatur, hinc fit ut secundum legem ordinariam et seclusis privilegiis particularibus, corpora quæ longo tempore ante resurrectionem mortua jacuerunt, in cineres vel elementa transmutentur, antequam resurgant, quamvis in aliis sit id necessarium ob temporis brevitatem. Dum enim dicitur, Gen. III, 19 : *Pulvis es et in pulverem reverteris* ; et juxta LXX : *Terra es, et in terra redibis*, nihil aliud significatur quam morieris.

Sect. VII. — *Quo in loco fiet hominum resurrectio.*

Dico : Quamvis resurrectio facienda sit ubi Deus sua admirabili providentia statuerit, tamen si quid possimus conjecturare, verisimilius fiet in loco in quo defuncta corpora aut eorum materia inventa fuerint ; si autem secundum diversas partes sint dispersa in varia loca, ubi major vel præcipua pars exstiterit, ibi fiet resurrectio, angelis cæteras materiæ partes illuc transferentibus. Postquam autem omnes per universum orbem sic fuerint resuscitati, tunc justi virtute sua moti, ac sponte sequentes præeuntes suos angelos custodes ; reprobi vero ultra vires suas a dæmonibus per vim attracti, congregabuntur in locum judicii. Attamen quidam opinantur omnium defunctorum cineres, universamque materiam, ex qua eorum corpora reformanda erunt, prius in locum judicii, v. gr. in vallem Josaphat, transportandam, et ab una parte justorum, ab alia autem reproborum materiam corporum resuscitandorum collocandam, ut ibi ad vocem imperiumque Christi resurgant universi, quod maxime probabile censet Sotus. Hinc patet non omnes resurrecturos aut ubi mortui sunt aut ubi sepulti.

SECT. VIII. — *De errore Chiliastarum.*

Nota : Cerinthus, Marcion et omnes Chiliastæ, quos nunc Anabaptistæ etiam sequuntur, finxerunt Christum mille annis ante universale judicium, rursus in hunc mundum descensurum, et tunc omnes et solos justos resuscitaturum ad vitam corporalem et animalem, ut una cum eis mille annis in terra regnet summa cum pace, voluptate, opum abundantia, rerum omnium copia, etiam earum quæ ventri et veneri deserviunt, tuncque instaurandum Judæorum regnum, religionem, civitatem Jerusalem, ejus templum, animalium sacrificia, denique implendas omnes promissiones Abrahæ et ejus posteris factas, Gen. XIII, XV, et XXVII ; Isa. LXV et LXVI ; Jerem. XVI ; Ezech. XX, XXVII, XXVIII. Huic errori alii alia immiscuerunt. Alii istas mille annorum delicias interpretati sunt de deliciis spiritualibus cum corporalibus. Istum errorem commenti sunt ex Apoc. XX, 4, 5, male intellecto, ubi inter alia dicitur : *Regnaverunt* (nempe justi) *cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Sed

Dico : Justi non resurgent ante diem judicii, et in illo tam justi quam reprobi resurgent, ita ut inter utrorumque resurrectionem non intercedat magna mora ; hæcque assertio, quatenus repugnat relato errori, censetur de fide. Probatur 1° ex his Scripturæ locis : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur* (*Matth.* XXII, 30). *Regnum Dei non est esca et cibus* (*Rom.* XIV, 17). *In novissimo die de terra surrecturus sum* (*Job* XIX, 25). *Ego resuscitabo eum* (nempe justum) *in novissimo die* (*Joan.* VI, 40, 44) : *novissimus* dies, id est *ultimus*. Ergo non mille anni ante universalem resurrectionem resurget. 2° Bonorum et malorum resurrectio simul futura esse in Scriptura dicitur : *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt*, etc. (*Joan.* V, 28, 29). Idque patet ex parabolis zizaniorum, sagenæ missæ in mare, decem virginum, etc. 3° Justi non resurgent ad vitam animalem, sed spiritualem et gloriosam : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, etc. ; *seminatur corpus animale, surget spirituale* (*I Cor.* XV, 42, 43, 44). Quod ergo attinet ad prædictum Apocalypsis cap. XX, sic respondetur : Angelus loquens ibi cum Joanne agit non de secundo, sed de primo Christi adventu, in quo Christus alligavit Satanam per mille annos, id est per longum tempus indefinitum usque ad adventum Antichristi, non permittens illi tantam libertatem ad tentandos homines, quantam olim permiserat. Justi autem per istos mille annos, id est toto hoc tempore usque ad Antichristum, regnant in cœlis cum Christo ; cumque illic nulla mentio fiat de corporibus, sed de solis animabus, ideo prima ista resurrectio, de qua ibi sermo, debet intelligi de resurrectione spirituali, qua anima a peccato resurgit ad vitam gratiæ, et postea ad vitam gloriæ. Sic etiam intellige sequentia : *Cæteri mortuarum non vixerunt donec consummentur mille anni* (*Ibid.* 5), id est defuncti reprobi, totis illis mille annis, seu toto illo tempore caruerunt vita gratiæ et gloriæ, ac æternum carebunt. Patet ibi agi de resurrectione spirituali, quia in eodem capite dicitur post illam futura corporalis omnium mortuorum resurrectio. Dein gehenna vocatur ibidem *mors secunda*, nempe spiritualis, non datur enim duplex corporalis mors, sicut nec duplex resurrectio ; prædictæ autem Dei promissiones prophetis factæ, intelliguntur de bonis spiritalibus Ecclesiæ militantis aut triumphantis.

SECT. IX, X. — *De tempore resurrectionis sive justorum sive reproborum.*

Dico 1 : Juxta communiorem theologorum sententiam omnes homines, tam reprobi quam electi, eodem momento simul resurgent. D. Thomas, Sotus, Paludanus, etc., contra Theophylactum, Cajetanum, etc., opinantes prius electos esse suscitandos, deinde reprobos. Probatur assertio : *Quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ ; qui autem mala, in resurrectionem judicii* (*Joan.* V, 28, 29), adeoque ad vocem et imperium Filii Dei omnes simul resurgent tam mali quam boni. Neque enim ex parte Dei, neque ex parte hominum suscitandorum requiritur aliqua temporis successio.

Dum ergo dicitur I Thess. IV, 15, 16 : *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*, ibi non fit mentio de reproborum, sed de electorum resurrectione, inter quam et raptum in aera, erit successio temporis ; nam *primum*, ut habetur in Græco : *Mortui omnes electi resurgent ; deinde simul rapientur in aera.* Similiter cum dicitur I Cor. XV, 22-24 : *In Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus : deinde ii qui sunt Christi*, etc. ; *deinde finis :* ibi non agitur de ordine temporis, sed dignitatis et meritorum, nec de resurrectione reproborum, sed electorum ; vel si agatur de ordine temporis, dicendum est Christum fuisse primitias resurgentium cum iis qui cum ipso resurrexerunt ; deinde finis erit seu finale judicium in universali omnium resurrectione. Denique possunt justi et reprobi eodem tempore resurgere super terram, et immediate post soli justi rapi in aera obviam Christo, etc.

Dico 2 : Verisimilius universalis resurrectio, matutino tempore quo Christus resurrexit, futura est. D. Thomas, Bonaventura, Richardus, etc., contra varios Patres Hieronymum, Chrysostomum, etc., indicantes eventuram intempesta nocte, qui tamen possunt intelligi de signis terribilibus, quæ immediate præcedent resurrectionem. Sed probatur quia cum Christus sit nostræ resurrectionis exemplar, verisimile est eo tempore, quo ipse resurrexit, nos resurrecturos. Unde Anselmus dicit nos die Paschatis resurrecturos, videturque lux aptior quam nox,

ad mutuum resurgentium conspectum. Quod autem dicitur Matth. xxv, 6 : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*, etc. Id non de resurrectione, sed de incerta mortis hora intelligitur ; nec angelus media nocte Ægyptios interficiens repræsentat resurrectionem.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De Christi Ascensione ac ejus termino.

Sect. I. — *An Christus vere ac proprie in cœlum ascenderit.*

Nota : Quidam antiqui hæretici negarunt Christum vero cum corpore resurrexisse ; ac proinde vere ascendisse. Seleuciani et Manichæi finxerunt Christum deposuisse resuscitatum suum corpus in sole, et sine corpore sedere ad dextram Patris ; recentiores hæretici negarunt Christum secundum suam humanitatem vere ac proprie in cœlum ascendisse, quia, inquiunt, vel ab initio suæ incarnationis, vel saltem a sua per resurrectionem glorificatione, tam in cœlo quam ubique locorum exstitit. Sed hisce omissis ,

Dico 1 : Christus post suam resurrectionem vere ac proprie in cœlo ascendit. Est articulus fidei in omnibus symbolis contentus, et in hoc sensu intellectus ab Ecclesia catholica et omnibus Patribus. Probatur : 1° ex Novo Testamento : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* xx, 17). *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Ibid.*). *Ferebatur in cœlum* (*Luc.* xxiv, 51). *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei* (*Marc.* xvi, 19). Deinde Act. i, 9 seqq., apostoli viderunt eum ascendentem, donec interposita nubes eum occultavit : *Videntibus illis*, etc. 2° Ex Veteri Testamento : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem ; accepisti dona in hominibus* (*Psal.* lxvii, 19). *Psallite Deo qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem* (*Ibid.* 33, 34). *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* xxiii, 9), etc. 3° Ratione : Cum cœlum sit locus beatorum, in quo Deus se illis manifestat, debebat maxime Christus in illo esse : *Dominus de cœlo paravit sedem suam* (*Psal.* cii, 19). *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* xii, 26).

Dico 2 : Christus motu successivo in cœlum ascendit. De initio motus non est dubium, quia viderunt discipuli eum paulatim ascendentem : *Videntibus illis elevatus est* (*Act.* i, 9) ; sed ubi nubes eum occultavit ab oculis discipulorum, tunc non amplius motu successivo illum ascendisse, sed instantaneo seu in uno momento pervenisse ad ultimum terminum, in quo sessurus erat, sine transitu per medium, sentit Abulensis. Attamen communior sententia est illum eodem motu successivo, transeundo per omnia corpora intermedia ascendisse ; magis enim debebat illius majestatem sic ascendere, quasi omnium cœlorum possessionem accipiendo, et illos aliquo modo sanctificando : *Habemus Pontificem qui penetravit cœlos*, etc. (*Hebr.* iv, 14).

Dico 3 : Christus ascendit usque ad supremum cœlum : *Ascendit super omnes cœlos* (*Ephes.* iv, 10). *Christus excelsior cœlis factus* (*Hebr.* vii, 27). An autem ita ascenderit, ut totum ejus corpus intra cœlum maneat, cœli superficie circumdatum, sicut nos sumus in hoc aere, an vero totum ejus corpus sit supra convexam cœli superficiem, id satis incertum est. Primum censent Durandus et Sylvester, secundum Cajetanus, Ferrarius, etc. Unde Anselmus dicit : « Ascendit non solum super omnes cœlos materiales, sed et super omnes cœlestium virtutum ordines, superans loco et dignitate omnem creaturam. » Quod attinet ad hunc textum quem objiciunt hæretici : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* iii, 13), significat descendisse Christum incorporeum, et ascendisse corporeum.

Sect. II. — *De circumstantiis Christi Ascensionis.*

Dico : Hæ circumstantiæ ex Scriptura colliguntur : 1° *Locus*. Juxta Act. i, habetur hunc locum fuisse montem Oliveti, Hierosolyma distantem mille passus. In montis latere est oppidum Bethaniæ, Hierosolyma distans pene bis mille passus, seu dimidia leuca, quo Christus ante suum ascensum probabiliter eduxit suos discipulos, ut Magdalenam cum sua sorore et fratre ad illum invitaret, uti ex hoc colligitur : *Eduxit autem eos foras in Bethaniam*, etc. (*Luc.* xxiv, 50) ; de templo ibi ædificato, de prodigiis, de Christi vestigiis relictis, vide Bedam (cap. 7 *De locis sanctis*). 2° *Tempus*. Ascendit quadragesima post resurrectionem die, comprehendendo in hoc numero ipsum diem et resurrectionis et ascensionis ; cumque resurrexerit die Dominica, hinc fit ut ascenderit die Jovis. Fuit enim *per dies quadraginta apparens eis* (*Act.* i, 3), ut suæ resurrectionis veritatem comprobaret, discipulos instrueret, Ecclesiam fundaret. 3° *Hora*. Videtur fuisse sub horam primam pomeridianam. Pransus enim erat isto die cum discipulis, ut habetur ex Act. i, 4-9 : *Convescens præcepit eis*, etc. ; *cum hæc dixisset, elevatus est*. 4° *Modus*. Ex Luc. xxiv, 50 : *Elevatis manibus suis benedixit eis*, nempe B. Virgini, apostolis, et aliis discipulis, numero fere centum et triginta, apprecando et conferendo multa bona. Benedixit autem, vel decussatis manibus sicut Jacob benedixit nepotibus (*Gen.* xlviii, 14 seqq.), vel tollendo ad cœlum manus in formam crucis, sicut Moyses (*Exod.* xvii, 11, 12), vel efformando crucem in aere sicut nunc in Ecclesia usus est, quem ex apostolica traditione manasse testatur Basilius (*De Spiritu sancto*, cap. 37). Post datam autem benedictionem, vera nubes ejus pedibus substracta eripuit illum ab oculis discipulorum, qui cum perseverarent in cœlum intuentes, monentur a duobus angelis Christum sic olim venturum ad judicium quem ad modum viderant euntem in cœlum. 5° *Apparatus* seu *comitatus*. Omnes justi sive qui erant in limbo Patrum, sive qui tunc inventi sunt plene purgati, ascenderunt simul cum Christo, imo probabiliter in corporibus gloriosis ii, qui in Christi resurrectione resurrexerant. Quoad

angelos vero, non est dubium quin omnes cœlo descenderint, ut Christum ascendentem comitarentur. Denique Christi ascensio fuit ipsimet conveniens ad præmium accidentale, et ejus corporis gloriosi honorificam sedem; ac nobis valde utilem ad roborandam fidem, augendam spem, accendendam charitatem.

Sect. III. — *An Christus per suam ascensionem consecutus sit sessionem ad dextram Patris.*

Dico 1 : Christum post suam ascensionem sedere ad dextram Patris, est articulus fidei in omnibus Symbolis contentus : *Assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei* (*Marc.* xvi, 19). Sedere ad dextram Dei convenit Christo, tum secundum divinitatem, tum secundum humanitatem. Per *dextram Dei*, quidam intelligunt Dei omnipotentiam aut majestatem; alii propriam Christi quatenus hominis dignitatem ratione unionis hypostaticæ; alii singularem beatitudinis excellentiam, et judiciariam potestatem Christo homini collatam. Per verbum autem *sedere* non intelligitur sessio corporalis, quamvis hæc etiam Christo utpote homini conveniat, sed sessio spiritualis ac metaphorica, quæ si de Christo secundum ejus divinitatem agatur, significat eum æquali cum Patre majestate ac potestate pacifice regnare : si de Christo agatur secundum humanitatem ejus, significat eum non tantum habitare in gloria cœlesti, et æternam beatitudinem tanquam ultimum omnium suarum viarum, laborum ac mortis terminum adeptum esse, sed etiam tanquam supremum regem ac judicem dominari et præesse omnibus, tanta dignitate præcellentem, ut in eodem solio cum Deo sit, et eadem adoratione colatur.

Dico 2 : Christus formaliter quatenus hic homo, per suam ascensionem adeptus est sessionem ad dexteram Dei ; id est, singulari modo, cœpit tota hujus hominis simul et Dei veri, omnia cum Patre gubernantis, majestas clarescere in cœlo et in terra, ac quasi denuo accepit possessionem regni sui ac totius orbis per suum in cœlum ingressum tanquam in proprium suæ curiæ locum a Deo destinatum ad regendum et imperandum ; quamvis autem sit proprium Christi sive quatenus est hæc persona divina, sive quatenus est hic homo æqualis Patri in majestate et potestate, sedere ad dexteram Dei, tamen quædam hujus sessionis participatio, longe inferiori modo ac gradu quoad gloriam tam animarum quam corporum, communicatur aliis beatis ita ut cum Christo securi suæ æternæ beatitudinis et consideant et conregnent. Dum dicitur Christus sedere ad dexteram, non habetur respectus ad sinistrum aut ad alium situm materialem tanquam inferiorem et minus honorabilem ; sed tantum metaphorice intenditur singularis excellentia et majestas, in qua Christus exsistit.

Sect. IV. — *An postquam Christus in cœlum ascendit, aliquando inde descenderit.*

Dico : Potest esse circa hoc triplex dicendi modus : 1° Est Christum post suam ascensionem nunquam in terris sub visibili et propria forma apparuisse, sed tantum vel in somnis, vel sub repræsentatione extrinseca in corpore aereo, vel per visionem corporalem non in terra, sed in cœlo visum fuisse ; sicut Stephanus et fortasse Paulus eum vidit : sed hic dicendi modus, generaliter loquendo, non mihi videtur facile sustineri posse. Unde 2° est, Christum post suam ascensionem vere interdum et descendisse in terras, et a cœlesti loco per breve tempus abfuisse (ita D. Thomas, Cajetanus, etc.), v. gr. quando apparuit Paulo eunti Damascum, Act. ix, vel in templo Hierosolymitano, Act. xxii. Et ipse Paulus, I Cor. xv, 8, dicit : *Novissime visus est mihi.* Aut quando in via Appia apparuit Petro Roma discedenti et interroganti : *Domine, quo vadis*, etc., quam apparitionem referunt Ambrosius, Athanasius, Origenes, Abdias, etc. Aut quando apparuit Carpo, etc. 3° Aliquando Christum vere per visibilem et realem præsentiam in terra apparuisse, sed tunc cœlestem locum non deseruisse, seu a cœlo per id temporis non abfuisse ; ita ut simul et in terra et in cœlo miraculose bilocatus foret. Ex his tribus dicendi modis, sic videtur dicendum : Christum nempe aliquando post suam ascensionem revera in terra fuisse, an vero tunc cœlo abfuerit, incertum. Attamen si verum est descendisse ad B. Virginem in die Assumptionis, ut eam secum cum gloria et honore ad cœlum deduceret, non videtur verisimile tunc simul in cœlo fuisse, atque iterum illuc cum matre ascendisse.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De judiciaria Christi potestate et ejus usu.

Sect. I. — Dico 1 : Christus quatenus homo, sive in sua humanitate, habet sibi datam specialem potestatem ad ferendum judicium in iis quæ pertinent ad præmium aut pœnam æternam et ad salutem vel damnationem. (D. Thomas et omnes theologi.) Probatur : *Et potestatem dedit ei* (nempe Pater) *judicium facere, quia Filius hominis est* (*Joan.* v, 27) ; id est, dedit ei potestatem excellentiæ ad exercendum judicium per humanitatem ob unionem quam cum Verbo habet. Et Act. x, 42 : *Præcepit nobis* (nempe Christus) *prædicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Si enim per solam suam divinitatem judicaturus esset, non oporteret eum secundum humanitatem descendere ad judicandum. Verum

Dico 2 : Hæc potestas Christo in humanitate data non est primaria, sed secundaria, et quasi ex commissione Dei, quia illam habet dependenter a superiori potestate, nec illam habet ex intrinsecis et essentialibus suæ humanitatis principiis. Hinc dum dicitur : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22) vult dicere : quamvis universale judicium sit a Patre cum aliis divinis personis tanquam a principali et prima causa, habente primariam ac supremam judicandi potesta-

tem, processurum, non tamen a Patre, ut a persona immediate ferente sententiam procedet, sed a Christo in sua humanitate ac per suam humanitatem vices gerente immediate procedet; ideoque hæc Christi potestas dicitur quasi delegata, et ex commissione Dei; sub alia tamen ratione potest dici ordinaria in suo ordine, quia illi competit ratione officii et proprii meriti, quatenus est summus sacerdos et spiritualis rex. Unde est vere, proprie ac simpliciter judiciaria potestas: nam Christus homo est vere ac proprie judex, ejusque actus est verum judicium: *Dedit ei judicium facere; quia Filius hominis est* (*Ibid.* 27). Ipse enim habet claram causæ cognitionem ac fert sententiam juxta legem a Deo latam ac sancitam. Unde hæc potestas judiciaria potest vocari potestas singularis excellentiæ, quia est suprema inter omnes, quæ potest creaturæ communicari; et hanc secundum se spectatam et quoad actum primum Christus habuit ab initio suæ incarnationis, quamvis foret tantum postea in actum secundum redigenda.

Sect. II. — *De actibus prædictæ potestatis judiciariæ.*

Nota: Hujus potestatis objectum et materia propria sunt actiones humanæ morales, quatenus illis juxta justitiæ æquitatem pœna aut præmium tribuendum est.

Dico 1: Quamvis Christus secundum se non indigeat causæ discussione, utpote ipse sciens omnia hominum acta, in ordine tamen ad illos judicandos dicitur interdum in Scriptura se habere tanquam discutiens et disceptans cum reo, donec illum convincat; ut patet ex Joel. III, 2: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis.* Deinde cum sit duplex judicium, aliud finale, quod profertur, dum omnia hominis merita vel demerita finita sunt, aliud non finale, quod exercetur cum hominibus, quandiu in hac vita degunt, in ordine ad singula eorum merita vel demerita, ideo non tantum illud finale, sed etiam hoc non finale competit Christo: ad ejus enim honorem pertinet, ut homines etiam hic viventes, intelligant ex illius voluntate ac misericordia, aut ex severa illius justitia pendere suam aut salutem aut damnationem, juxta Joan. V, 22: *Omne judicium dedit Filio.* Et psal. XCVII, 9: *Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.*

Dico 2: Christus non tantum finale judicium universale erga omnes in fine mundi exercebit (de quo infra), sed etiam particulare erga singulos homines in eorum morte statim exercet: de fide enim est justos qui nihil habent purgandum, statim post mortem recipere æternæ beatitudinis præmium; animas autem in peccato mortali decedentes, statim damnari ad pœnas æternas. Ideo dicitur: *Facile est coram Deo in die retribuere unicuique, juxta vias suas*, etc., *et in fine hominis denudatio operum illius* (*Eccli.* XI, 28, 29). Sic etiam Augustinus (*De anim.* lib. II, cap. 4): « Illud rectissime et valde salubriter creditur judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari. » Hinc sequitur hoc particulare judicium ita fieri in morte cujusque, ut cuique pronuntietur et innotescat sententia quæ ad ipsum spectat; sitque certus de sua æterna vel gloria vel pœna, etiamsi in purgatorio aliquandiu se detinendum esse videat, antequam ad gloriam perveniat. Sic etiam animæ infantium cum peccato originali decedentium, statim cognoscunt statum suum, et quod in eo sint perpetuo permansuræ. An autem cognoscant etiam causam, ob quam istum statum accipiant, et rationem tum culpæ quam in se habent, tum pœnæ quæ est visionis beatificæ carentia; an vero tantum apprehendant illum statum, tanquam sibi connaturalem, incertum est.

Dico 3: In judicio particulari definitiva sententia, nec post, nec ante mortis instans, sed in ipso mortis instanti, profertur; quia ante istud instans nondum completa est hominis vel malitia vel meritum, nec tempus ad agendum pœnitentiam denegatur usque ad mortem. Unde illæ visiones, quas Gregorius et Beda referunt de Chrisaorio, et de quodam monacho, qui paulo ante mortem audierunt suæ damnationis sententiam, ita sunt explicandæ, ut interdum permiserit Deus peccatores eo tempore ita affligi ac terreri a dæmonibus, ut de sua salute desperarent, quamvis revera tunc temporis nondum foret sententia a Deo prolata. Nec etiam differtur sententia usque ad instans post mortem, quia statim ac separatur a corpore anima, accipit suam retributionem juxta merita aut demerita.

Dico 4: Quamvis non sit tam certum exerceri particulare hoc judicium per Christi humanitatem, quam est certum universale per illam esse exercendum, tamen, ut jam dixi, probabilius per illam exercetur, pertinetque ad ejus potestatem judiciariam. Ad hoc autem judicium exercendum non est opus, ut anima judicanda statim atque separatur a corpore, deferatur in cœlum et præsentetur Christo quatenus homini ad audiendam suam sententiam, ut quidam existimarunt: de animabus enim damnandis aut purgandis hoc incredibile est. Nec opus est ut Christus e cœlo descendat ad singulos morientes, sed anima in instanti mortis intellectualiter elevatur ad audiendam Christi judicis sententiam per intellectualem locutionem aut illuminationem, quæ non pendet a loco, prolatam, hæcque vocatur ad ejus tribunal duci absque mutatione locali; et verisimile est animam eo instanti cognoscere sese judicari: nimirum vel salvari vel damnari imperio, et efficacia non solum Dei, sed etiam Christi hominis. Unde Christus in uniuscujusque morte non secundum præsentiam localem advenit; sed secundum efficaciam, per quam efficit, ut unusquisque suum statum agnoscat, imperiumque ac sententiam judicis audiat; et vi illius statim tendat in locum suis meritis aut demeritis debitum. An autem animæ dam-

natæ vel purgandæ tunc ipsam Christi humanitatem clare intueantur, necne, incertum.

Dico 5 : Christus quandiu in hac vita mortali vixit, non est usus illa judiciaria potestate ; hinc dicebat : *Non veni ut judicem mundum* (nempe nunc), *sed ut salvificem mundum* (*Joan.* XII, 47). Sed dum cœpit esse in glorioso regnantis et dominantis statu, tunc orsus est statim hanc suam judicandi potestatem exercere. Imo possumus dicere jam ab instanti mortis, in quo nostram redemptionem consummavit, eam exercere in anima separata et gloriosa cœpisse. Ad hanc enim pertinere videtur liberatio animarum sanctarum, spoliatio inferni, et similes actus quos in inferno exercuit vel ligando potestatem dæmonis, vel aliquas animas e purgatorio liberando, vel judicium etiam ferendo de iis, quæ per id tempus e corpore egressæ sunt.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

De secundo Christi adventu ad universale judicium.

SECT. I. — *An futurum sit universale judicium, in quo Christus sit supremus judex.*

Dico 1 : Universale hominum judicium futurum, unus est ex fidei articulis in omnibus Symbolis contentus. Ubicunque in Scriptura fit mentio de die judicii in singulari, de judicio post universalem resurrectionem, de die Domini, de die iræ, etc., intelligitur de hoc judicio, v. gr. : *Dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii* (*Matth.* XI, 22). *Viri Ninivitæ surgent in judicio*, etc. (*Matth.* XII, 41). *Non cito moveamini, quasi instet dies Domini* (*II Thess.* II, 2). *Dies Domini amara, dies iræ*, etc. (*Sophon.* I, 14). *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* (*Joan.* V, 28). Hujus autem universalis judicii faciendi causæ plures sunt : 1° ut Deus palam suam justitiam manifestet coram omnibus ; 2° ut justi publico honore, et mali publica confusione afficiantur ; 3° ut publice manifestus omnibus fiat justissimus divinæ Providentiæ erga bonos et malos ordo ; 4° ut homo non solum in anima, sed etiam in corpore, quod animæ ad virtutem et ad vitia adjutor fuit, convenientem pœnam aut præmium recipiat ; 5° ut istius judicii exspectatio ac timor homines in officio contineret, etc.

Dico 2 : In universali judicio Christus erit judex non solum per divinitatem, sed etiam immediate per suam humanitatem. De fide : *Quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum* (*Act.* X, 42). *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI, 27). Ultra judicium particulare, Deus faciet hoc universale, non ut priorem sententiam mutet, aut ut bis puniat eamdem culpam, sed ut suppleat quidquid ex debita deerat pœna, et convenienti modo sententiam proferat in eum qui prius non omnino, sed quasi ex parte tantum judicatus fuerat.

SECT. II. — *An Christus secundo sit venturus in hunc mundum ad peragendum universale judicium.*

Dico 1 : Fides catholica agnoscit unum Christi adventum jam præteritum, et confitetur alium futurum, in quo Christus Deus homo vere ac realiter veniat e cœlo ad peragendum universale judicium, quod in hoc fidei articulo continetur : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Idque ex Novo et Veteri Testamento facile demonstratur, et in quo uterque iste Christi adventus conveniat ac disconveniat, illinc comprobatur. Itaque hinc collige :

Dico 2 : Uterque Christi adventus in his convenit : 1° ea quæ in Scriptura dicuntur de Messia, semper ad eamdem personam referuntur. 2° In utroque adventu, juxta Scripturam, declaratur semper Messias esse Deus et homo simul : *Dominus ad judicandum veniet cum senibus populi sui* (*Isa.* III, 14). *Ecce Dominus in igne veniet*, etc., *in igne Dominus judicabit* (*Isa.* LXVI, 15, 16). *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit* (*Psal.* LXIX, 3.) *Modo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XIII, 26), etc. 3° Uterque adventus est per veram et corporalem Christi præsentiam : *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXVI, 64). Item : *Ecce venit cum nubibus et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt* (*Apoc.* I, 7). 4° Uterque adventus admirabilis, supernaturalis ac Deo dignus. 5° Uterque primario est ad hominum salutem. 6° Uterque ut Christus regnum sibi comparet.

Dico 3 : Uterque adventus in his differt : 1° primus est in medio temporum, secundus in fine mundi. 2° Primus per Verbi incarnationem et humanam generationem factus est ; secundus fiet per solum motum localem. 3° Primus factus est ad operandam nostram redemptionem et salutem per meritum et satisfactionem, atque ad docendos illuminandosque homines per doctrinam et exemplum ; secundus autem fiet ad judicandos homines, et ad retribuendum pro meritis præmium, et pro peccatis pœnam. 4° Primus fuit in carne passibili et in exteriori apparatu humilis ; secundus erit gloriosus, tam quoad statum corporis impassibilis, quam quoad externum comitatum et majestatem. 5° Christus in primo adventu hominibus et angelis beatitudinem, et sibi quoddam cœleste regnum, suique nominis exaltationem promeruit ; in secundo acquirit perfectam ac consummatam sui regni possessionem. 6° In primo absoluta peregrinatione cœlum ascendit in terram rediturus, in secundo consummato rerum omnium ordine cœlum ascendet, nunquam huc rediturus. 7° Primi adventus præcursor fuit Joannes ; secundi erunt Henoch et Elias ; utriusque prænuntia signa diversa.

SECT. III. — *De loco in quo fiet judicium universale.*

Dico : Juxta communem Patrum et theologorum opinionem universale judicium fiet in valle Josaphat inter montem Oliveti et urbem Jerusalem sito (D. Thomas, Paludanus, Sotus, etc.); prout colli-

gitur ex hoc Joelis loco: *Congregabo omnes gentes, et educam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis* (*Joel.* III, 2). Quia autem istud nomen *Josaphat* significat *judicium Domini*, videtur ob id fuisse impositum isti valli tanquam proprium. Cum dicitur Christus descensurus in terram, non intelligitur descensurus in ipsam terrenam istius vallis superficiem, sed tantum in aerem isti valli correspondentem, et ad istum locum aereum omnes electi sustollentur; reprobi autem manebunt in terra, id est tum in ista valle Josaphat, tum in locis circumjacentibus. Hinc electi erunt a dextris, id est in æterna beatitudine, et reprobi a sinistris, id est in æterna miseria, uti explicat Anselmus et communiter theologi; vel electi (uti alii interpretantur), erunt revera ad dexteram Christi in aere, et reprobi ad ejus sinistram super terram.

Sect. IV. — *Quando fiet judicium universale.*

Nota: Lactantius, Justinus, Irenæus, etc., tradiderunt mundum duraturum sex mille annis (nempe ut Hebræi aiebant, duo millia ante legem, duo millia in lege, duo millia tempore Messiæ) et postea in fine eorum adventurum Christum regnaturum in terris per alios mille terrenæ felicitatis annos, quod supra refutatum est. Imo cum illi juxta LXX interpretes, putent Christum natum fuisse in sexto millenario a mundi creatione, jam ipsa temporum duratione id falsum esse liquido patet. Itaque

Dico: Dies judicii universalis et futura mundi duratio prorsus incerta et incognita est, nihilque probat conjectura sumpta ex sex diebus creationis mundi, et ex septimo requietionis; et oraculum Eliæ attributum, quasi dixisset, *sex millia mundus*, a quodam rabbino confictum est. Unde istum judicii diem nemo hominum novit, imo ne ipsa quidem Christi anima illum scit scientia naturali, sed tantum beata et infusa; et probabilius nec angeli, nec beati, nisi forte B. Virgo. Dein quamvis angeli fortasse cognoscerent numerum hominum prædestinatorum, non inde tamen cognoscerent durationem mundi, maxime cum electi non solum assumantur ad supplendas angelorum ruinas, sed etiam per se et ex primaria Dei intentione assumantur ad æternam beatitudinem. Denique nec signis judicii prognosticis quidquam probabiliter potest colligi de mundi duratione et die judicii, cum jam paulo post Christi ascensionem multi existimarent apparere vicina illius signa.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

De Antichristo.

Sect. I, II. — *An Antichristus sit certus aliquis homo; an jam venerit; quando veniet; unde; ex quo genere.*

Dico 1: Nomen *Antichristus* qui ex sua etymologia idem est ac *Christo contrarius*, non significat quemcunque hominem Christo contrarium, v. gr. Neronem, Arium, Mahometam, etc., in quo sensu hæretici etiam vocant Antichristum Romanum pontificem; sed significat certam et determinatam personam futuram, quæ erit verus homo, non autem dæmon aut dæmonum princeps in phantastica hominis forma apparens, ut putavit Hippolytus; multo minus erit dæmon in vera humanitate incarnatus: probabilius enim, sicuti supra diximus, impossibile est, ut suppositum creatum hypostatice alteri naturæ uniatur. Saltem certum est virtute dæmonis id fieri non posse, uti nec potest dæmon ex sola femina absque virili semine organisare ac formare verum corpus humanum. An autem ex dæmone succubo aut incubo posset mediante virili semine aliunde accepto generari Antichristus, incertum est. Itaque Antichristus proprie significat singularem ac determinatum hominem, acerrimum Christi hostem et adversarium: *Nisi venerit discussio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, etc., *tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II, 3, 8). Joannes (*Apoc.* XIII) proprias illius actiones ac mores sub bestiæ nomine describit, dicitque proprium illius nomen componendum ex litteris (nempe Græcis, scribit enim Græce) quæ numerum sexcentorum sexaginta sex conficient. Quodnam autem sit istud nomen, quis divinet?

Dico 2: Licet nesciatur quando venturus sit Antichristus proprie dictus, certum est tamen nondum venisse. Probatur: Quia ea quæ debent præcedere adventum Antichristi, nondum advenerunt; v. gr. prodigiosæ perturbationes in cœlo et elementis, adventus Eliæ et Henoch, etc. 2° Regnum Antichristi postquam fuerit stabilitum, juxta Dan. XII, debet tantum durare tribus annis cum dimidio, et duodecim diebus, ac juxta omnes sanctos Patres, post Antichristi interitum, statim futurus est secundus Christi adventus, diesque judicii: *Statim post tribulationem illorum dierum, sol obscurabitur*, etc., *et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXIV, 29, 30). Cum igitur ista nondum advenerint, patet Antichristum nondum advenisse, et tantum adventurum paulo ante diem judicii.

Dico 3: Juxta Hieronymum et Anselmum, etc., Antichristus nasciturus est Babylone, ac juxta Damascenum et Anselmum, ex fornicatione atque ex parentibus Judæis, et juxta plurimos ex tribu Dan, quod colligunt ex his Scripturæ locis: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita* (*Gen.* XLIX, 17). *Ex Dan audivimus fremitum equorum*, etc. (*Jerem.* VIII, 16). Et ob hanc causam existimant Joannem, *Apoc.* VII, recensendo numerum signatorum ex tribubus Israel, omisisse tribum *Dan*, utpote pertinaciter Antichristo, in illa nato, adhæsuram. Sed hæc omnia incerta sunt. Attamen videtur verisimillimum fore Antichristum et genere et professione Judæum ac circumcisum. Cum autem Paulus (*II Thess.* II, 7) dicit: *Mysterium jam operatur iniquitatis*, non loquitur de persona Antichristi, sed de ejus membris, nempe hæreticis, tyrannis, etc., qui eodem spiritu aguntur.

SECT. III, IV. — *De moribus et doctrina Antichristi.*

Dico 1 : Dæmon Antichristum ab infantia sua ita tentabit, circumveniet, omnes ejus motus et actus diriget, ut semper proclivior et facilior ad malum fiat ; ideoque quidam dicunt eum a dæmone quasi obsidendum. Ubi ad usum rationis pervenerit, imbuetur omnibus pravis moribus et artibus maleficis : erit superbissimus : *Extolletur supra omne quod dicitur Deus, et quod colitur* (*II Thess.* II, 4) ; libidinosus : *Et erit in concupiscentiis feminarum* (*Dan.* XI, 37) ; crudelissimus et flagitiosissimus. In principio tamen externam virtutis speciem simulabit, ut Judæis imponat, illisque se esse Messiam in lege promissum persuadeat, et paulatim regnum tyrannice occupet. Quamvis autem futurus sit improbissimus, non privabitur tamen sufficienti Dei gratia, et angeli custodia.

Dico 2 : Quoad ejus doctrinam, primo docebit Jesum Christum non fuisse verum Messiam, nec Filium Dei, nec hominem salvatorem, adeoque totam ejus religionem ac sacramenta esse vanam superstitionem ; contra vero Moysis legem esse servandam, circumcisionem retinendam, etc. : *Quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum? Et hic est Antichristus* (*I Joan.* II, 22). Deinde simulabit se esse Messiam in lege promissum, utque facilius Judæos decipiat, in principio servari jubebit Mosaicas cæremonias ; postea tamen rerum omnium potitus, nullum alium esse deum præter se asseret, seque ut verum unicum deum adorari præcipiet, uti dicitur : *Extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thess.* II, 4). Hinc exterius ac palam omnia idola omnemque eorum cultum tollet ; ipse tamen in secreto ac privatim dæmonem tanquam suum deum, seu suum præsidium colet, quem Daniel (XI, 38, 39) vocat *Maozim ;* id est, fortem et potentem. Hujus ope per se ipsum et per suum falsum prophetam, qui (*Apoc.* XIX, 19 seqq.) secunda bestia dicitur (nam per primam designatur Antichristus), multa falsa edet miracula, ut suam doctrinam hominibus persuadeat, v. gr. finget se mori et resurgere, aut aliquem lethali vulnere percussum statim sanabit, aut faciet ignem de cœlo descendere, prout habetur Apoc. XII ; plurima alia ejusmodi apparentia signa ac prodigia simulate efficiet, *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24).

SECT. V, VI. — *De regno et persecutione Antichristi contra Christianos.*

Dico 1 : *Per cornu parvulum,* de quo loquitur Daniel (VII, 8) significatur, juxta Patres, Antichristus, sic dictus ob humilem originem, qui postquam per fraudes et artes incœperit Babylone regnare, tunc per vim et potentiam alios reges aggredietur, ac brevi tres reges debellabit, nempe Ægypti, Libyæ et Æthiopiæ, juxta Danielem XI, 42, 43, ubi sic dicitur : *Mittet manum suam in terras, et terra Ægypti non effugiet ; per Libyas quoque et Æthiopiam transibit.* Deinde septem alios subjugabit juxta eumdem Danielem (VII, 24), ubi sic angelus ait ei : *Cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, et alius* (nempe Antichristus) *consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et ipse tres humiliabit,* scilicet eos quos jam dixi. Ac tandem universum orbem sibi submittet. Quod facile efficiet tum sui nominis ac famæ terrore, tum numerosissimis exercitibus quos huc illuc per omnem terram emittet, tum ingentibus divitiis, quas ope dæmonis vel e visceribus terræ, vel ex profundo maris probabiliter obtinebit, et quarum largitionibus homines ad se alliciet. Præcipua autem ejus imperii sedes, juxta Patres, erit Hierosolyma, ubi in instaurato a se templo, veluti in throno sedebit, et se tanquam verum Deum adorari ab omnibus jubebit : *Extolletur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur · ita ut in templo Dei sedeat* (*II Thess.* II, 4).

Dico 2 : Antichristus acerbius, quam ulli unquam tyranni, persequetur Christianos : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet* (*Matth.* XXIV, 21). *Et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos et prævalebat eis* (*Dan.* VII, 21). Idem multa alia capp. VI, VIII, XI, XII, habet ; et vide quid simile Apoc. XX. Deinde hanc persecutionem movebit non tam ad perdenda corpora quam animas : nam volet ut Christiani negent Jesum esse Messiam, aut Filium Dei, deserant omnem ejus cultum et cæremonias Christianas, dicente Daniele (XII, 11), auferendum maxime juge sacrificium, seu missæ sacrificium ; verum Deum abnegent, et sibi soli tanquam Deo, ac suæ imagini in omnibus templis collocatæ divinum cultum deferant. Insuper jubebit ut in hujus cultus professionem seu protestationem omnes in frontibus aut in manu suum characterem publice gestent, ita ut *non possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ* (id est, Antichristi), *aut numerum nominis ejus* (*Apoc.* XIII, 17). Et nolentes suis jussis parere, exquisitissimis cruciatibus torquebit ac interficiet : unde tunc erunt illustrissimi martyres. Ac quamvis multi etiam deficient, prout ex his colligitur : *Datum est illi* (id est, Antichristo) *bellum facere cum sanctis, et vincere eos* (*Ibid.* 7). *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro* (*Ibid.* 22). Nunquam tamen tota deficiet aut exstinguetur Ecclesia ; est de fide : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 18). Atque hæc persecutio seu stabilitum Antichristi regnum non diu durabit, ut habetur ex Daniel. VII, 25 : *Sanctos Altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges ; et traduntur in manu ejus usque ad tempus* (id est, unum annum), *et tempora* (id est, duos annos), *et dimidium temporis* (id est, dimidium anni). Post hæc Antichristus speciali Christi virtute atque imperio interficietur : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (id est suo mandato), *et destruet illustratione adventus*

sui (*II Thess.* II, 8); id est, aliquo splendenti signo aut præsagio proximi sui adventus, non autem suo reali descensu. Addit D. Thomas Michaelem archangelum Christi jussu interfecturum Antichristum in monte Oliveti. Ministri Antichristi forte etiam eodem die quo ipse, aut paulatim antea interficientur. Et de his in Apoc. XX, 9, dicitur : *Descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos;* et sic intra paucos menses ejus imperium omnino destruetur, ac esse desinet.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

De bonis secundi adventus Christi præcursoribus.

SECT. I. — *An Henoch et Elias nunc vivant, ubi, et quomodo.*

Dico 1 : Henoch et Elias hactenus non sunt mortui, sed corpore et animo adhuc vivunt. De fide. Probatur de Henoch : *Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit* (juxta LXX, *transtulit*) *eum Dominus* (*Gen.* V, 24). Item : *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam* (*Eccli.* XLIV, 16). Et apertius : *Henoch translatus est, ne videret mortem* (*Hebr.* XI, 5). Probatur de Elia : *Ascendit Elias per turbinem in cœlum* (*IV Reg.* II, 11 seqq.), ubi ejus translatio sigillatim narratur). Item : *Receptus et tectus in turbine*, etc. (*Eccli.* XLVIII, 9, 13). Idem etiam habetur ex Patribus : Augustinus (*De pecc. meritis*, lib. I, cap. 3) : « Neque Henoch, » ait, « et Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt. » Hieronymus (epist. 61, *Ad Pamm.*) : « Henoch, » inquit, « translatus est in carne, et Elias carneus translatus est in cœlum, necdum mortui, » etc. Idem habent Ambrosius, Cyprianus, Clemens, etc.

Dico 2 : Henoch et Elias nondum sunt glorificati, nec divinam essentiam vident, sed adhuc per fidem et per cognitionem Dei abstractivam ambulant, ac præsertim in altissima Dei contemplatione et amore continuo occupantur; in gratia confirmati a suæ translationis tempore. Non videntur tamen nunc esse in statu merendi, sed cum reduces apparebunt tempore Antichristi ad Ecclesiam defendendam, tunc resument statum merendi, imo et martyrii lauream obtinebunt. In isto suo præsenti statu nullos patiuntur inordinatos fomitis motus, nec ullam corporis corruptionem : *Quæ aggravat animam et sensum deprimit multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15); magnisque Dei consolationibus, illustrationibus et revelationibus, saltem circa ea quæ illorum statui conveniunt, perfruuntur.

Dico 3 : Verisimilius est Eliam et Henoch non egere nunc corporalibus cibis, sed absque ulla corporis immutatione aut alteratione a Deo conservari. (Augustinus, Hieronymus, Epiphanius.) Quem autem locum nunc incolant, incertum. Licet enim (*Eccli.* XLIV, 16) dicatur Henoch translatus in paradisum, tamen ista vox *paradisus* non tantum significat paradisum in quo Adam creatus fuit, sed etiam et præsertim indefinite quemvis locum amœnum; et multi censent istum terrestrem paradisum non amplius exstare, et aquis diluvii periisse. Hinc aliqui Patres dixerunt illos fuisse translatos in cœlestem aliquem locum, omni terræ loco superiorem. Probabilius tamen videtur eos aliquem terræ locum incolere, et si forte subsistat adhuc paradisus terrestris, eos ibi degere, sicuti arbitrantur Irenæus, Justinus, Athanasius, Augustinus, etc. ; sin minus, exsistere in aliqua secreta terræ regione pulcherrima et amœnissima.

SECT. II, III. — *An Elias et Henoch, aliusque cum illis, venturi sint tempore Antichristi, et quid facturi aut passuri.*

Dico 1 : Henoch et Elias futuri sunt secundi adventus Christi præcursores. De fide aut quasi de fide, contra recentiores hæreticos negantes eos in sua propria persona venturos, ut Antichristo resistant. Probatur ex Apoc. XI, 3, 4, ubi dicuntur venturi tempore Antichristi duo Dei testes, saccis amicti, sanctitate insignes ; ibi enim appellantur *duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, miraculis potentes, qui *prophetabunt mille ducentis sexaginta diebus.* Per hosce autem duos testes intelligi Henoch et Eliam communis omnium expositorum et totius Ecclesiæ consensus asserit. Deinde probatur de Elia : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam* (nempe in persona, non solum in spiritu), *antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (*Malach.* IV, 5). Hinc Christus (*Matth.* XVII, 10, 11) dicebat : *Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire?* etc. *Elias quidem venturus est, et restituet*, etc. Probatur etiam de Henoch : *Henoch translatus est, ut det gentibus pœnitentiam* (*Eccli.* XLIV, 16). Idem quoque docet omnium Patrum traditio. Ambrosius (*in I Cor.* IV) : « Sicut, » inquit, « passuri sunt Henoch et Elias, qui ultimo tempore futuri sunt apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei et uniendas Ecclesias, ad resistendum Antichristo, » etc. Item Tertulianus (*De anima*, cap. 50) loquens de Henoch et Elia sic : « Morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo exstinguant. » Voluit autem Deus hos viros ex prioribus ætatibus pro isto munere ad finem usque mundi reservare, tum ut admirabilior eorum foret prædicatio ac testificatio, tum etiam ut ostenderetur Deus auctor omnis legis naturæ, scriptæ et gratiæ, idemque esse Christus et eadem fides, quæ ab initio mundi usque ad finem prædicatur, et in Ecclesia perseverat.

Dico 2 : Prædicatio Henoch et Eliæ brevi tempore durabit, nempe, juxta Apoc. XI, 3, mille ducentis sexaginta diebus. De modo quo sint venturi et subito apparituri, nescitur. Videntur appulsuri quando persecutio Antichristi erit vehementior, et probabiliter non incedent semper duo simul ; sed diversas regiones percurrent, donec Hierosolymam divino motu conveniant, ubi ab Antichristo trucidabuntur, et eorum corpora manebunt in istius urbis plateis insepulta per tres dies et dimidium, et audita hac voce cœlitus allapsa : *Ascendite huc*, statim resur-

gent et in cœlum coram omnibus ascendent. Vide Apoc. XI, ubi hæc et alia habentur.

Dico 3 : Victorinus ratus Jeremiam nondum obiisse, dixit eum futurum esse Christi præcursorem cum Elia, et Hilarius Catharinus et alii idem senserunt de Moyse ; sed juxta historiographos Jeremias in Ægypto a populo lapidibus obrutus interiit, et etiam Moyses juxta Scripturam mortuus est, neuter ergo illorum veniet, ut sit secundi adventus Christi præcursor ; uti nec Joannes evangelista contra Hippolytum, Metaphrastem, Catharinum, etc., qui putant eum non esse mortuum, et reservari usque ad secundum Christi adventum : sed probabilius est, juxta antiquos Patres et historicos eum in extrema senectute Ephesi obiisse, ibique fuisse sepultum, et ejus reliquias diu illic permansisse constat, etiamsi postea potuerint alio transferri aut nunc ignorari ; adeoque non est futurus Christi præcursor cum Elia et Henoch.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEXTA.

De signis quæ universale judicium præcedent.

SECT. I. — *An ante judicium universale prædicandum sit Evangelium in toto mundo.*

Dico 1 : Juxta Christi verba Matth. XXIV, antequam ipse ad judicium veniat, prædicandum in toto mundo Evangelium est, id est in omnibus regionibus in quibus homines habitant (Augustinus, Prosper, Origenes, etc.) ; et ista universalis Evangelii prædicatio erit instantis judicii et consummationis sæculi signum. Dum igitur Paulus (*Rom.* X, 18) jam dicebat : *In omnem terram exivit sonus eorum*, etc., loquebatur more prophetico ; quod futurum erat, tanquam jam factum prædicebat.

Dico 2 : Quod attinet ad hujus prædicationis effectum seu fructum, videtur ita ubique prædicandum Evangelium, ut in omnibus regionibus ac præcipuis provinciis templa fundentur, Christiana religio exerceatur, Christus colatur. Non tamen hinc sequitur omnes omnino homines credituros ; erunt enim semper mali cum bonis misti. Generalis autem Judæorum conversio a sancto Paulo aliisque prædicta, sub finem persecutionis Antichristi fiet per Eliæ et Henochi prædicationem : *Elias venturus est, et restituet omnia* (*Matth.* XVII, 11). *Ecce in diebus illis et in tempore illo cum convertero captivitatem Judæ et Jerusalem, congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Josaphat* (*Joel* III, 1, 2) ; non est tamen verisimile omnes omnino Judæos convertendos et credituros in Christum, sed eorum longe major pars, et eorum de quibus sic Dan. XII, 1 : *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro*, nempe prædestinationis. Hinc collige istam Evangelii prædicationem ab initio Ecclesiæ inchoatam quotidie magis ac magis crescere et augeri, atque ante Antichristi persecutionem in toto orbe esse consummandam ; et post eam venturum mundi finem : *Et tunc veniet consummatio* (*Matth.* XXIV, 14).

SECT. II. — *An ante universale judicium et Antichristi adventum, evertenda sit Roma, et Romanum imperium.*

Dico 1 : Ex communi Patrum traditione, Romanum imperium in adventu Antichristi creditur destruendum, et in aliud commutandum ; atque ita ejus destructio potest recenseri inter signa, quæ præcessura sunt diem judicii. Hoc fundatur maximo in his duobus Scripturæ locis : *Neque terreamini*, etc., *quasi instet dies Domini*, etc., *nisi venerit discessio primum* (*II Thess.* II, 2, 3), id est, juxta quosdam, temporalis divisio aut dissipatio imperii Romani ; quod etiam dicitur, Dan. VII, discindendum esse in decem regna, seu in multa alia regna. An vero per hanc discissionem in decem, seu multa regna sit omnino destruendum et exstinguendum ante Antichristi adventum, an autem ejus destructio sit per hanc discissionem incœptura ante Antichristi bellum, et postea per ipsum Antichristum sit tandem consummanda, totumque tunc imperium exstinguendum, non satis liquet.

Dico 2 : Quod attinet ad urbem Romanam, multo magis incertum est ejus eversionem inter signa appropinquantis judicii esse numerandam. Quamvis enim Romanum imperium destrueretur, posset adhuc ipsa urbs Roma subsistere. Verum quidem est multos expositores per illam mulierem fornicariam (*Apoc.* XIV) sedentem super bestiam, habentem capita septem, seu montes (quæ ibi vocatur Babylon magna et civitas magna), perdendam ac comburendam a decem regibus, qui tempore Antichristi regnabunt eique subjicientur, intelligere urbem Romanam ; sed Joannes illic loquitur de Roma ethnica, non Christiana (nedum de Ecclesia Romana, quæ nunquam deficiet), etiamsi forte in fine mundi ab ethnicis tyrannis subjugetur, aut in persecutione Antichristi occupetur ac comburatur. Deinde multi alii Patres per istam ænigmaticam mulierem non intelligunt urbem, sed orbem, quatenus in eo ædificata est civitas impiorum seu Babylon, et fundata est super septem colles, id est super regum superborum multitudinem : ita Prosper, Beda, etc. Atque hæc satis de rebus occultis et incertis.

SECT. III, IV. — *Quæ signa futura sint in cœlis, et in aliis rebus sensibilibus ante diem judicii.*

Dico 1 : Post universalem in toto mundo Evangelii prædicationem, post pestes, famem, terræmotus, prælia, regnorum divisiones ac mutationes, etc., ut habetur Matth. XXIV, post persecutionem et mortem Antichristi, tunc, ut ibidem Matth. XXIV, 29, dicitur : *Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur*. Hæc signa fient ante universalem omnium hominum et mortem et resurrectionem, nec tantum mystice et metaphorice intelligenda sunt hæc signa, ut interpretatur Augustinus, sed etiam maxime ac primario litteraliter ac proprie ; erunt ergo terribiliter sensibilia. Itaque de singulis discurramus.

1° *De sole et luna.* Aliqui putant solem paulatim privandum tota sua luce intrinseca et connaturali; alii obscurandum solem et lunam per repetitam et variam ipsorum astrorum inter se stupendam interpositionem, ita ut modo luna, modo sol totus obscuretur : et fortasse luna obscurabitur per interpositionem alicujus nubis ita dispositæ, ut videatur esse tota sanguinea. 2° *De stellis.* Dicuntur stellæ casuræ de cœlo; id est, juxta fere omnes Patres, obscurabuntur et lumen suum retrahent. Addere possumus radiantissima fulmina casura, et terribiles cometas conspiciendas, et sic apparebunt stellæ quasi cadentes de cœlo. 3° *De virtutibus cœlorum.* Aliqui per *virtutes cœlorum* intelligunt ipsa astra, quæ ob inusitatos motus et conjunctiones mutabunt suos aspectus et influentias ; alii intelligunt angelos cœlorum motores, mutaturos motuum cœlestium ordinem; alii angelorum exercitum, qui tanquam ministri divinæ justitiæ movebuntur ad exsequendas tantas ubique rerum mutationes, et timore quodam reverentiali percellentur. Deinde id quod dicitur (*Apoc.* VI, 14) : *Cœlum recessit sicut liber involutus*, si intelligatur de signo præcedenti judicium, significat cœlum esse obtenebrescendum, nec ad pristinum usum serviturum; sed futurum simile libro involuto et complicato, in quo nihil amplius legi aut videri potest.

Dico 2 : In aere insolita tonitrua, fulgura, fulmina, in mari terribiles tempestates et sonitus aquarum, in terra ingentes terræmotus et hiatus, locorumque eversiones per id tempus contingent ad terrendos et puniendos homines, quorum aliqui contumaciter persistent in sua impietate et incredulitate.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

De judicis adventu, et forma judicii, ejusque fine.

SECT. I. — *De igne qui præcedet Christum ad judicium venientem.*

Nota : Scriptura prædicens diem judicii, sæpissime facit mentionem ignis præcessuri judicem adventantem, sic : *Ignis ante ipsum præcedet* (*Psal.* XCVI, 3). *Ecce Dominus in igne veniet*, etc., *quia in igne Dominus judicabit* (*Isa.* LXVI, 15, 16). *Ante faciem ejus ignis vorans* (*Joel.* II, 3). Circa hunc ignem

Dico 1 : Quamvis posset quis per ignis proprietates, tropice intelligere judicis virtutes, v. gr. per ignis claritatem, manifestum judicis adventum, per ardorem, zelum divinæ justitiæ, per subtilitatem, perspicaciam, etc., tamen, juxta omnes theologos, tenendum est verum ac sensibilem ignem in die judicii futurum, qui probabiliter aliquo modo præibit adventum ac præsentiam judicis; et maxime probatur ex I Petr. III, 7-10 : *Cœli autem qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi, sunt igni reservati in diem judicii*, etc. *Elementa calore solventur ; terra autem et ea quæ in ipsa sunt, opera exurentur*, etc.

Dico 2 : Causæ, ob quas immittetur iste ignis, variæ a variis excogitatæ sunt. Juxta Antonium et alios erit partim ad interimendos homines qui tunc vivi reperientur, partim ad purgandas justorum maculas, quæ in eis supererunt. Sed hoc nullo fundamento nititur. Juxta D. Thomam, Durandum, Scotum, etc., erit ad purificandum mundum ; sed hæc mundi purificatio, de qua infra, videtur tantum futura ac peragenda post finitum judicium, non autem ante adventum judicis ; ergo ad hunc finem non est necessarius iste ignis ante judicium : ita tenent Beda, Augustinus (lib. XX *De civit.*, cap. 30 et 16) ; item Anselmus in *Elucid.* Juxta quosdam antiquos erit ad probandos aut purgandos homines jam resuscitatos et ad bonos a malis discernendos. Sed si illi intelligant in hominibus jam resuscitatis adhuc locum esse purgationis, erroneum est, reprobi enim non possunt purgari, sed tantum puniri ; electi autem jam nihil habent purgandum. Possent forte intelligere resuscitatos probandos esse per ignem sicut tres pueri Babylone fuere probati ; id est, ignis iste crucians reprobos, electos autem non attingens, quasi probabit horum sanctitatem et justitiam. Unde

Dico 3 : Probabilius iste ignis veniet statim post omnium resurrectionem, in ea tantum quantitate quæ sufficiat ad involvendos omnes reprobos, et ad occupandum totum locum terræ, in quo illi collocati fuerint : nam corpora electorum erunt in aere cum Christo gloriosa et impassibilia; iste ergo ignis erit ad terrendos et puniendos reprobos, eorumque corpora cruciare tunc incipiet : *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 2, 3). *In revelatione Domini Jesu de cœlo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt eum* (*II Thess.* I, 7, 8). *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus* (*Psal.* XCVI. 3). Unde hic ignis in prædicta quantitate, loco et actione permanebit quandiu durabit judicium, quo finito auctus et multiplicatus universum mundum comburet, de quo postea. Iste ignis erit elementaris, ejusdemque naturæ cum igne inferni ; probabilius tamen non ex inferno, sed a superiori regione immittetur.

SECT. II, III. — *De apparituro crucis signo in judicio, et de majestate judicis.*

Dico 1 : Quod Christus dixit (*Matth.* XXIV, 30) : *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo*, etc., omnes Patres docent istud signum fore signum crucis, ad peccatorum confusionem et ad consolationem justorum ; et multi quidem existimant fore ipsammet crucem in qua Christus pependit, reformatam ex omnibus ejus particulis per universum orbem dispersis, imo et in cœlo incorruptibiliter conservandam ; etiamsi multi alii verisimilius arbitrentur non fore ipsammet Christi crucem, sed solum signum in formam crucis ex aere splendentissimo efformatum. Et hoc signum non ante adventum Christi judicis paulo post Antichristi mortem, sed probabilius in ipso Christi adventu apparebit ante illum vel in aere suspensum, vel ab angelo porta-

tum seu assumptum tanquam triumphale illius vexillum, toto judicii tempore illic permansurum ; et D. Thomas addit simul cum cruce alia passionis instrumenta etiam ab angelis esse deferenda.

Dico 2 : De majestate judicis venturi ad judicandum, hæc habentur in Scriptura : 1° *Veniet in nubibus cœli cum virtute multa* (*Matth.* XXIV, 30) ; id est, Christus in nube levi ob ipsius corporis fulgorem lucidissima tanquam triumphali curru invectus descendet cum suprema potentia, exhilarando electos, terrendo reprobos. 2° *Venient omnes angeli ejus cum eo* (*Ibid.* 31) ; id est, omnes angeli, nullo excepto, eum comitabuntur, probabiliter in assumptis corporibus pulcherrimis et lucidissimis. 3° *In throno majestatis suæ* (*Ibid.*) ; id est, Christus non tantum in spirituali divinæ majestatis throno, sed etiam probabilius in exteriori ac visibili corporis situ sedens super thronum sensibilem ad judicium descendet.

Sect. IV. — *De Christi judicis assessoribus in universali judicio.*

Nota : Cum sit certum de fide sanctos cum Christo sessuros et judicaturos, ut constat ex Matth. X, *Amen dico vobis*, etc., *sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Idem promittitur Luc. XXII, 30. Item (*I Cor.* V, 2, 3) : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ?* etc. *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* Quæritur ergo : 1° quomodo sancti sint cum Christo judicaturi ; 2° an omnes sancti sint judicaturi ; 3° an omnes sint sessuri. Quare

Dico 1 : Omnes sancti comparative judicabunt peccatores, suis factis ostendendo illos esse pœna dignos qui similia operari noluerunt ; item omnes sancti judici assistent, eruntque cum eo ejusdem sententiæ et illius sententiam palam approbabunt et laudabunt. Sed non omnes habebunt specialem quamdam honoris et actionis judiciariæ participationem, qua tanquam judices assessores in thronis considentes convincent reos, et summi judicis sententiam intimabunt ac pandent. Quare

Dico 2 : Hanc specialem judiciariæ actionis et potestatis participationem non tantum duodecim apostoli, sed etiam ii qui voluntariæ paupertatis statum ac professionem exacte observarint, et probabiliter alii quidam eximiæ sanctitatis homines obtinebunt. Unde juxta D. Thomam, angeli non judicabunt hoc modo, quia non sunt ejusdem naturæ cum judice et cum iis qui judicandi sunt, ideoque judicabunt tantum suo consensu approbando et laudando judicis sententiam.

Dico 3 : Omnes quidem sancti Christo judicanti assidebunt, propria beatitudine secure fruentes, et externum splendorem aut quasi thronum ex nubibus lucidissimis efformatum obtinentes. Sed non omnes æquali modo : aliqui enim eminebunt in loco honoratiori, sublimiori, Christo propinquiori, aut in externo corporis habitu fulgentiores, aut Christo similiores erunt juxta cujusque meritum.

Sect. V, VI. — *An omnes iniqui homines, et etiam parvuli sine gratia defuncti, judicandi sint.*

Dico 1 : Congregabuntur ante Christum judicem omnes gentes : *Omnes stabimus ante tribunal Christi* (*Rom.* XIV, 10). *Congregabuntur ante eum omnes gentes* (*Matth.* XXV, 10), et omnes etiam iniqui sive fideles sive infideles judicabuntur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 32). *Qui non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* XVI, 16). *Eos qui foris sunt, Deus judicabit* (*I Cor.* V, 13). Sed non omnes eodem prorsus judicio, quia juxta Patres impii seu reprobi fideles judicabuntur judicio discussionis et condemnationis ; infideles autem judicio condemnationis ; quia licet infidelium causa ante condemnationem sit etiam discutienda : *Congregabo omnes gentes*, etc., *et disceptabo cum eis* (*Joel.* III, 2) ; *judicium Domini cum gentibus* (*Jerem.* XXV, 31) ; tamen ad excludendos eos a regno cœlorum non censetur egere tanta discussione, quanta fidelium causa, ut manifesta fiat hominibus justa illorum damnatio, quia cum justitia et meritorum fundamento seu fide caruerint, evidentior est illorum damnationis causa ; hinc dicitur : *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18). Fidelium autem reproborum, qui saltem justitiæ fundamentum, seu fidem habuerunt, et aliqua bona opera exercuerunt, non est tam manifesta damnatio, ideoque ante condemnationem dicuntur judicari judicio discussionis.

Dico 2 : Quamvis Durandus, Carthusianus, etc., negent parvulos cum peccato originali defunctos esse judicandos, quia, inquiunt, judicium fit de culpa actuali et de propriis actionibus ; illi autem nihil horum habent ; ergo, etc. Attamen contraria sententia, quam tenent Bonaventura, Scotus, etc., videtur magis probabilis ; decet enim ut Christus ceu redemptor, rex et summus judex ab iis etiam adoretur, utque Dei justitiam in beandis bonis, et puniendis malis cognoscant, et cur ipsimet cœli gloria juste priventur, sciant ; quæ omnia non per fidem aut supernaturalem cognitionem, sed per quamdam signorum et effectuum quos partim audient, partim videbunt, evidentiam agnoscent : ergo ibi comparebunt et adjudicabuntur, ob culpam originalem subsistentem, pœnæ damni. Ita tamen, ut inde non concipiant dolorem aut tristitiam, quia rectitudine suæ voluntatis erunt omnino conformes Dei voluntati et sapienti providentiæ ; eruntque contenti bonis naturalibus quibus abunde ditabuntur.

Sect. VII, VIII. — *An omnes sancti homines et omnes angeli tam boni quam mali sint judicandi.*

Dico 1 : Certum est omnes justos judicandos esse judicio approbationis, promulgando eorum merita. Item certum est eos qui nunquam peccaverunt actualiter, v. gr. B. Virginem, et infantes justificatos, non esse judicandos judicio discussionis ; discussio enim dicit quamdam bonarum et malarum actionum cum earum approbatione, excusatione, vel accusatione collationem, quæ in illis non habet locum,

Alii autem sancti, qui aliquando peccata actualia sive venialia sive mortalia commiserunt, an sint judicandi judicio discussionis, id est an illorum peccata quæ pœnitentia deleta fuerunt, sint in judicio coram omnibus revelanda simul cum ipsorum meritis; an vero sola eorum merita promulganda, controvertitur. Revelanda esse negant Magister, Vigerius, etc., quia Scriptura dicit peccata semel remissa, oblivioni tradi, occultari, tegi : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). *Ego sum qui aperio iniquitates tuas* (*Isa.* XLIII, 25), etc. Sed

Dico 2 : Juxta communiorem sententiam omnia justorum peccata tam mortalia quam venialia sunt in judicio manifestanda (D. Thomas, Sotus, Anselmus, etc.). Probatur 1 : Quia Scriptura sine exceptione dicit omnium actiones esse in judicium deferendas : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII, 36), etc. 2° Hoc pertinet ad perfectiorem illius judicii integritatem, et divinæ justitiæ manifestationem. Dum ergo in Scriptura dicuntur peccata tegi, oblivioni tradi, etc., significatur eorum maculam ita deleri, ut Deus jam non recordetur ad ea punienda, neque eorum recordatio tristitiam, neque publicatio pudorem aut dedecus ei, qui ea commisit, afferat; sancti enim harum passionum jam non sunt capaces. Itaque omnes omnino sancti, etiam ii qui jam corpore et animo sunt beati, aliquo judicio sive approbationis sive discussionis, judicandi sunt : quia licet privatim in morte judicati fuerint, oportet tamen eorum causam ad publicum tribunal deferri. Dum Scriptura dicit : *Qui credit in eum, non judicatur* (*Joan.* III, 18), non vult dicere : Non profert sententiam, sed eum non condemnat; nec ab illo judicio excipiuntur vel ipsi Christi assessores.

Dico 3 : Omnes angeli tam boni quam mali in judicio comparebunt; Christus id de bonis asseruit, et omnes theologi asserunt de malis, ut omne genu tunc Christo curvetur, quia hi et illi ad hominum vel salutem vel damnationem aliquid contulerunt, quod decet in judicio manifestari.

Dico 4 : Probabilius esse videtur omnes angelos etiam quoad præmium et supplicium essentiale judicandos, judicio approbationis bonos, condemnationis malos : ita Bonaventura, Richardus, etc.; D. Thomas tamen aliique sentiunt Christi ut hominis, judiciariam potestatem non ad eorum præmium et supplicium essentiale, sed tantum ad ministeria et ad præmia ac supplicia accidentalia, quæ inde resultant, se extendere. Sed probatur assertio : *Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservavit* (*II Petr.* II, 4); dicuntur *in judicium reservari*, non quod nondum sint judicati et inferni igne cruciati, ut quidam prisci Patres putaverunt, sed quod nondum sint in inferno arctissime inclusi, et quod in judicium universale reserventur, in quo illos Christus condemnabit ad æternam inferni incarcerationem, ita ut nunquam amplius ex illo possint exire; quam perpetuam incarcerationem fortasse tantum sciverunt in Christi adventu, licet jam ab initio suæ damnationis forent certi de sua æterna pœna, sicuti boni angeli de sua æterna gloria, ideoque dicebant : *Venisti ante tempus perdere nos* (*Marc.* I, 24). Deinde Christus, etiamsi non sit angelorum redemptor, est tamen omnium caput, rex, supremus dominus; ergo et judex, ad quem pertinet præmium et supplicium essentiale statuere. Id quidem judicio quasi privato in initio eorum creationis determinatum fuit, attamen coram omnibus pro manifestanda Dei æquitate publico judicio oportet postea declarari.

SECT. IX, X. — *De operum manifestatione et prolatione sententiæ.*

Dico 1 : Non tantum boni, sed etiam mali aspicient sensibilem corporis Christi claritatem et externam majestatem; diverso tamen modo : illi cum gaudio, hi cum tremore; de quibus Zach. XII, 10, ait : *Aspicient ad me quem crucifixerunt.* Et Apoc. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Videbunt nempe ipsas cicatrices vulnerum.

Dico 2 : In illo judicio judicandorum opera tam bona quam mala, quæ ad causæ dijudicandæ cognitionem et probationem spectabunt, manifestabuntur : *Judicium sedit, et libri aperti sunt* (*Dan.* VII, 10). *Judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum* (*Apoc.* XX, 12). Hi libri vel sunt, ut sentit Augustinus, corda sanctorum in quibus divina lex ac voluntas eeu in speculo relucet, vel sacræ Scripturæ, vel potius omnium hominum et angelorum conscientia ac memoria, in quibus tam jura quam facta conscripta reperientur. Hæc autem manifestatio non videtur tota vocibus sensibilibus exprimenda, nec in unico momento, sed per successivam locutionem mentalem, unicuique proportionatam poterit fieri; et si quid sit agendum voce sensibili, verisimiliter non fiet respectu singularum personarum, sed in communi respectu omnium qui erunt seu ad dextram, seu ad sinistram, vel secundum generales hominum ordines, v. gr. laudando misericordes, deinde virgines, postea martyres, etc., et sic cum proportione redarguendo reprobos oppositis vitiis maculatos. Responsio autem justorum et peccatorum quæ, Matth. XXV, 37, habetur, probabiliter futura est tantum mentalis.

Dico 3 : Probabiliter mentali, non sensibili voce, Christus unicuique proferet irrevocabilem suam sententiam juxta illius merita aut demerita; deinde voce sensibili et communi vertendo se ad omnes electos dicet illis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum*, etc. (*Ibid.* 34). Postea convertendo se ad omnes reprobos, sensibili etiam voce dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, etc. (*Ibid.* 41). Statimque aperietur terra ut damnatos devoret, et beati cum Christo in cœlum ascendent, in æternum regnaturi. Duratio judicii videtur futura valde bre-

vis : nam *sicut exit fulgur ab oriente et paret usque in occidentem, sic erit et adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV, 27).

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

De statu Christi et mundi post peractum judicium.

SECT. I, II. — *An et quæ futura sit mundi renovatio post judicium universale.*

Nota : Quidam ex prædicto Scripturæ loco : *Sicut exit fulgur*, etc. (*Matth.* XXIV, 27), colligunt Christum venturum ab oriente ad judicium ; ideo solitos olim Christianos versus orientem preces fundere ; rediturum autem in cœlum cum beatis versus occidentem.

Dico 1 : Post Christi reditum in cœlum, mundus innovandus est : *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam*, etc. (*Isa.* LXV, 17). *Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat* (*II Petr.* III, 13). Etiamsi hæc mundi renovatio jam ante judicium forte inchoanda sit. Quæritur autem qualis futura sit renovatio. Quocirca

Dico 2 : Per hanc mundi innovationem nullum ex elementis aut ex corporibus cœlestibus omnino annihilandum est, ita ut non maneat amplius illius substantia ; nec aliud illius loco simile vel proportionale producatur. Scriptura enim dicit mundum quidem innovandum, sed nunquam dicit annihilandum : *Præterit figura hujus mundi* (*I Cor.* VII, 31) ; figura, non substantia. *Cognovi quod omnia quæ fecit Deus, ipsa erunt in æternum* (*Eccle.* III, 14 sec. LXX) ; imo cœlum empyreum non tantum non est immutandum substantialiter, sed nec accidentaliter innovandum, nedum purgandum, ubi nihil intrat coinquinatum, nec quidquam corruptibile, sed ut immutabilis beatorum sedes sit æterna, creatum est. Attamen

Dico 3 : Reliqua corpora cœlestia immutanda quidem sunt secundum aliqua accidentia, sicque innovanda ; sed secundum suam substantiam eadem numero permanebunt : ita probabilius D. Thomas et alii scholastici, quamvis plures antiqui Patres videantur sensisse non sine aliqua probabilitate ea esse immutanda substantialiter, seu secundum substantiam. Probatur, quia Deus *statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi ; præceptum posuit et non præteribit* (*Psal.* CXLVIII, 6). Deinde : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die in quo alligaverit Dominus vulnus populi sui* (*Isa.* XXX, 26). Et ista interpretatur Hieronymus, de hac mundi innovatione, adeoque subsistet adhuc luna et sol, accidentaliter tantum immutatus. Dumque Petrus in sua secunda Epistola, III, 7, ait terram et cœlos esse igni reservatos in diem judicii et cœlos ardentes esse solvendos, intelligit de cœlo aereo, non autem de cœlis superioribus ad quos iste ignis non pertinget. Quinimo juxta philosophos cœli ex se sunt incorruptibiles, adeoque nec capaces alterationis, nec innovationis. Dum ergo Job dicit : *Cœli non sunt mundi in conspectu Dei* (*Job* XV, 15), id est, comparative ad Dei puritatem ac perfectionem non possunt dici mundi. Deinde cœli ibi pro angelis sumuntur. Itaque cœlum non substantialiter, sed tantum accidentaliter innovabitur : v. gr. cessabit ejus motus, utpote tunc inutilis ad hominum usum, quietum stabit, majus quoddam lucis et claritatis permanentis ac intrinsecæ incrementum accipiet, etc.

Dico 4 : Nec elementa omnino corrumpentur quoad suam substantiam, sed tantum innovabuntur ac perficientur. Nam *omnia opera quæ fecit Deus, perseverant in æternum* (*Eccle.* III, 14), adeoque nec ignis, nec aer ab igne corrumpetur, nec tota aqua ejus calore exsiccabitur, nec tota terra illo consumetur, sed ejus superficies tantum et *quæ in ipsa sunt opera exurentur* (*II Petr.* III, 10), atque ita omnia mista generabilia et corruptibilia, omnesque substantiæ elementis admistæ vel affectiones extraneæ per ignis conflagrationem ab iis tollentur, illisque eximia quædam claritas ac lux, non omnibus æqualis, sed cuique elemento proportionata addetur, ita ut, v. gr., terra sit lucida instar vitri in sua superficie, vel forte etiam tota ejus profunditas diaphana ac oculis pervia, excepto damnatorum loco.

SECT. III. — *De ordine quo mundus purgabitur et innovabitur.*

Dico : Hic videtur istius universalis purgationis et innovationis ordo : 1° *Cœli magno impetu transient* (*Ibid.*), id est aer et omnes probabiliter orbes cœlestes velocissimo motu agitabuntur. Dein ignis divino imperio ex vaporibus et exhalationibus in secunda aeris regione generatus, Christum judicem ab oriente, ut dixi, venientem præcedens, velut e cœlo missus descendet ad locum usque, in quo omnes reprobi judicandi sunt, manens ibi quietus quandiu judicium durabit ; quo finito, et per terræ hiatum detrusis ad inferos damnatis, iste ignis auctus ac multiplicatus velocissimo motu ab oriente usque ad occidentem circumdans ac circumiens totam terram, et ascendens usque ad secundam aeris regionem, omnia inflammabit, omniaque corpora mista ac corruptibilia, v. gr. animalia, plantas, metalla, etc., consumet, ac denique *omnia quæ in terra sunt opera exuret* (*Ibid.*). 2° Finita mundi combustione, omnes mundi sordes simul cum igne, si quid illius in hoc mundo superfluum fuerit, in infernum detrudentur, per illum probabiliter terræ hiatum, per quem damnati fuerint detrusi, quo facto occludetur. 3° Finita mundi purgatione, cœlum sistet motum suum ac quiescet, sole et luna, reliquisque omnibus astris in eo situ ac dispositione manentibus, quæ ad majorem universi mundi pulchritudinem conferre videbitur : *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua ultra non minuetur* (*Isa.* LX, 20) ; aliqui tamen existimant cœli motum incœpturum cessare jam in ipso resurrectionis generalis momento ante judicium. 4° Finito omni cœli motu, statim fiet innovatio et illustratio totius mundi tam in cœlis, quam in elementis, permanentibus in suis locis ; et

verisimilius tota terræ superficies juxta ordinem magis naturalem, erit aquis cooperta, nisi forte in illa essent habitaturi infantes cum solo originali defuncti.

SECT. IV. — *An post mundi instaurationem Christus sit semper in cœlo regnaturus.*

Dico 1 : Christus post judicium perpetuo in cœlis regnabit, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem. De fide contra quosdam priscos hæreticos dicentes Christi humanitatem post diem judicii convertendam esse in divinitatem; quod repugnare in priori tomo ostensum est. Probatur : *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 32, 33). *Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur* (*Dan.* VII, 14); et alibi habentur plura similia. Quare, dum dicitur : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1), ista particula *donec* significat Christum vel sessurum ad dextram Patris post ascensionem, nec rediturum in hunc mundum donec in die judicii subjiciat sibi inimicos suos, vel semper regnaturum etiam usque ad diem judicii, non excludendo tempus sequens quo per totam æternitatem simili modo et maxime regnabit. Sic etiam intellige quod dicitur : *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* (*I Cor.* XV, 25); et infra : *Cum autem subjecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius erit subjectus ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (*Ibid.* 28); id est, cum subjecta fuerint ei omnia in die judicii, adhuc erit Patri subjectus secundum suam humanitatem, sicuti nunc est : imo cum nunc in suo regimine utatur angelorum ministerio, aliisque subsidiis ad hominum salutem, tunc cessante toto illo externo opere in id unum incumbet, ut seipsum totumque suum regnum cum perfecta quiete ac fruitione in Patrem referat, tanquam caput cum omnibus suis membris, æternum regnans.

TOMUS DECIMUS SEXTUS.

DE SACRAMENTIS.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTIS IN GENERE DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE EUCHARISTIA ET MISSÆ SACRIFICIO.

DISPUTATIO PRIMA.

De essentia ac definitione sacramenti.

SECT. I. — *An sacramentum sit sacrum signum homini conferens vel significans sanctificationem.*

Nota : Vox *sacramentum* diversimode sumitur : 1° olim apud Latinos sumebatur pro certo pecuniæ deposito, seu pignore, quod litigantes apud pontificem deponebant, ut qui causa caderet, pecuniam suam amitteret, ut ea ærario publico applicabatur; et quia in loco sacro asservabatur, ideo dicebatur sacramentum : ita Varro (lib. IV *De lingua Latina*). 2° Pro juramento, ut sæpe patet in jure, v. gr. sacramenta puberum, id est juramenta. 3° In Scriptura pro sacro secreto, seu juxta Græcos mysterio, id est pro re divina humanam cognitionem superante, v. gr. : *Nescierunt sacramenta Dei* (*Sap.* II, 22). *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* (*Matth.* XIII, 11). Hinc regis secreta dicuntur *sacramentum*. Sic Tob. XII, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est.* Et res quæ rem occultam et supernaturalem includit, etiam dicitur sacramentum, v. gr. conjugium inter primos homines in paradiso contractum dicitur Ephes. V, 32 : *Sacramentum hoc magnum est*, quia nempe conjunctionem Christi cum Ecclesia significabat. 4° Stricte nunc ex usu Ecclesiæ sumitur pro speciali signo sensibili spiritualem gratiam continente ac significante, quod Græci interdum vocant etiam *mysterium*, vel *sacra symbola*. Et de hoc nunc agimus.

Dico 1 : Sacramentum esse debet signum sacrum ex parte rei significantis, id est, debet esse cæremonia vel res ad cultum Dei instituta. (Magister, Scotus, Bonaventura, etc.) Probatur 1° ex Scriptura. In veteri lege sic circumcisio et consecratio sacerdotum erant institutæ, et probabiliter esus agni paschalis, quia licet hic esset sacrificium prout Deo offerebatur, erat tamen etiam cæremonia sacra lege præscripta prout comedebatur : sic et contractus matrimonialis prout a Christo est elevatus ad conjugum sanctificationem. 2° Ex Patribus dicentibus homines per sacramenta consecrari et initiari. 3° Ratione, quia istæ Ecclesiæ cæremoniæ a Deo institutore proveniunt, suntque id quo homines quasi sacrantur.

Dico 2 : Sacramentum non tantum debet esse signum sacrum seu cæremonia sacra ex parte rei significantis, sed etiam ex parte rei significatæ, sive res quam significat, debet esse sacra. Ideo circumcisio dicitur : *Signum fœderis inter Deum et homines* (*Gen.* XVII, 11). *Et signaculum justitiæ fidei* (*Rom.* IV,

11). Si enim non significaret rem sacram, esset abusus cæremoniæ sacræ; hinc patet manna, et transitum maris Rubri, licet significarent rem sacram, nempe baptismum et Eucharistiam, non fuisse tamen sacramenta, quia non erant cæremoniæ sacræ, et in veteri lege multæ fuerunt cæremoniæ, quæ non erant sacræ, seu sacramenta, sed quædam tantum observantiæ. Deinde quamvis sacrificium sit etiam cæremonia sacra seu religiosa et significans rem sacram, non est tamen sacramentum quatenus sacrificium; quia quatenus sacrificium immediate ex sua institutione refertur ad cultum Deo tribuendum, sacramentum autem immediate refertur ad ipsos Dei cultores sanctificandos et disponendos ad Dei cultum. Hinc in re significata differunt; sacrificium enim significat divinæ excellentiæ cultum, sacramentum autem hominis sanctificationem.

Sect. II. — *Quam sanctificationem conferat aut significet sacramentum; et an univoce dicatur de sacramentis veteris et novæ legis.*

Nota : Hæretici recentiores negant sacramenta esse signa nostræ sanctificationis, sed volunt esse tantum signa prædestinationis, quod absurdum est, cum non omnis qui recipit sacramentum, sit prædestinatus; vel potius esse sigillum seu testimonium justitiæ acceptæ per fidem, quam sacramenta excitant tanquam externa quædam motiva : quod patet falsum esse in baptismo parvulorum, fidei tunc exercendæ incapacium; deinde sentire solam fidem justificare, hæreticum est. Quare

Dico 1 : Certum est sacramentum novæ legis et conferre et sanctificare veram et internam hominis sanctificationem. Ex hac sanctificationis collatione, de qua postea ex professo, sequitur illius significatio, quia significat id quod efficit seu confert ut concilia Florentinum et Tridentinum docent. Significat ergo in usu hæc tria per modum unius : gratiam præsentem, gloriam futuram et Christum utriusque auctorem. Jam vero quæritur an hoc, quod convenit sacramento novæ legis, etiam cuivis sacramento conveniat, sive an sit de essentia sacramenti in genere conferre ac significare hominis sanctitatem. Magister, Hugo de Sancto Victore, Bonaventura, etc., asserunt esse de illius essentia conferre ac significare veram et internam sanctitatem, eamque ex opere operantis contulisse et significasse vetera sacramenta. Magister tamen videtur sentire vetera sacramenta non fuisse proprie ac vere sacramenta; ideoque eam nec contulisse nec significasse. Sotus vero, Ledesma, aliique Thomistæ dicunt de essentia sacramenti tantum esse significare sanctitatem, non autem conferre, sive perfectam sive imperfectam. Itaque

Dico 2 : De essentia sacramenti ut sic, sive in genere est, ut sit cæremonia instituta ad conferendam aliquam sanctificationem saltem imperfectam, et in hoc univoce conveniunt vetera et nova sacramenta; non est tamen de essentia sacramenti, ut sic, et in genere, conferre veram et internam animæ sanctitatem, sed tantum aliquam sanctificationem saltem imperfectam et legalem. Verum conferendo hanc sanctificationem, tantum imperfectam et legalem, de ejus essentia est significare veram et internam animæ sanctitatem; ideoque solus Deus potest sacramenta instituere. Vetera enim sacramenta significabant gratiam seu veram sanctitatem per Christum dandam. Cæremoniæ ergo sacræ quæ non habent prædictam significationem, quamvis contineant aliquam imperfectam sanctificationem, v. gr. prima tonsura, aspersio aquæ lustralis, absolutio ab excommunicatione, etc., non sunt sacramenta quia non significant veram et internam animæ sanctitatem. Quare sacramentum generice sumptum abstrahit a signo demonstrativo gratiæ præsentis, et prognostico futuræ, sed significat tantum gratiam vel præsentem vel futuram. Et quia ut sic, conferendo aliquam sanctificationem imperfectam, significat simul perfectam, in hoc sensu potest dici signum practicum. Unde sacramenta nova et vetera in hoc differunt, quod nova sint demonstrativa gratiæ præsentis, vetera sint prognostica seu promissiva futuræ; quod nova habeant alios ritus externos, et verba, quibus apertius ipsorum effectus significatur; quod sint memorativa passionis Christi præteritæ et immediatius significent gloriam beatitudinis : quod in his prius intendatur sanctificatio quam significatio, contra vero in veteribus.

Sect. III. — *An sacramentum debeat esse de sua institutione signum sensibile.*

Dico 1 : Sacramentum debet esse signum sensibile, adeoque illa res, quæ ad significandum constituitur, debet esse aliquo modo materialis et sensibilis. (D. Thomas et omnes theologi.) Homo enim ex sensibilibus ad spiritualia intelligenda deducitur, et quia corpore et animo constat, non solum animi, sed etiam corporis actibus debet suam fidem profiteri et Deum colere; potuisse quidem Deus spiritualem seu insensibilem rem ad significandam gratiam instituere, v. gr. actum voluntatis angelicæ vel humanæ ad cujus intuitum daretur gratia, sed non fuisset signum humanum seu sensu exteriori perceptibile, nec idem sacramentum quod nunc est; quodque ita homini accommodatum est, ut quamvis in eo aliquid sit insensibile, v. gr. gratia, contritio, character. Aliquo modo tamen manifestatur per aliquod signum sensibile ob quod totum sacramentum absolute dicitur sensibile, sicut homo absolute dicitur sensibilis, licet constet anima insensibili.

Dico 2 : Sacramentum non est signum naturale, sed ex institutione et impositione significans cum quadam analogia aut similitudine inter signum et rem significatam, non tamen sufficienti ut signum ex se istam rem significet; ideo necessaria fuit institutio et impositio, uti et in verbis quæ ad conficienda sacramenta adhibentur. Hæc sacramenti impositio debet fieri publica et stabili lege, quæ duret pro statu aliquo, in quo homines ex divina ordinatione talem modum colendi Deum profitentur; alioqui signa, si non sint stabilia, sacramenti ratio-

nem non habent. Significatio ad placitum non consistit in relatione sive reali sive rationis, sed provenit ex impositione tribuente rei denominationem extrinsecam, qua moraliter fit apta ad excitandum intellectum, ut aliam rem cognoscat.

Sect. IV. — *Quænam ex dictis definitio sacramenti colligatur.*

Dico 1 : Sacramentum non dicit solam significationem, sed etiam rem significatam, seu compositum ex tali re et significatione quæ est quasi forma illud constituens ; sic domus non dicit solam figuram, sed rem artificialem constantem ex tali materia et figura. Idcirco quamvis sacramentum non sit tam per se unum sicut homo, nec possit tam exacte definiri sicut substantia ; non est tamen unum omnino per accidens aut per aggregatum, sed habet suum compositionis et unitatis formalis modum, ratione cujus potest sufficienter definiri aut describi. Quare hic appono varias illius definitiones.

Dico 2 : Sic sacramentum definit Magister (dist. 1) : « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, et causa exsistens. » Sic Catechismus Pii V : « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum. » Sic D. Thomas : « Sacramentum est signum rei sacræ quatenus sanctificat homines. » Posset autem sic clarius definiri : « Sacramentum est signum sensibile ad aliquam sanctitatem conferendam, et ad veram animæ sanctitatem significandam institutum ; » vel sic : « Sacramentum est sacra ac sensibilis cæremonia homines aliquo modo sanctificans, et veram animæ sanctitatem ex institutione significans. » Hæc omnia ex dictis supra clara sunt, nec egent explicatione.

DISPUTATIO SECUNDA.

De materia et forma sacramentorum.

Sect. I. — *An sacramenta debeant constare rebus et verbis tanquam materia et forma.*

Dico 1 : Non est de ratione sacramenti in genere, ut rebus et verbis constet ; solum est enim de ratione sacramenti in genere, ut sit exterior cæremonia sacra cum debita sanctificatione et significatione, quod potest haberi sine verbis, ut patet in veteribus sacramentis, v. gr. circumcisione, esu agni pascalis, etc., quæ in sola actione consistebant sine verbis. Sed

Dico 2 : Omnia novæ legis sacramenta constant rebus et verbis vel omnino proprie, vel secundum aliquam accommodationem. Hæc enim sic Christus instituit ut habeatur expressior eorum significatio ; v. gr. in baptismo : *Baptizantes eos* (en res), *in nomine Patris* (*Matth.* XXVIII, 19), etc. (en verba) ; in Eucharistia : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). Unde hæc sacramentorum compositio ex rebus et verbis est similis compositioni ex materia et forma ; quia actio exterior seu res sacramenti, v. gr. ablutio in baptismo, cum sit valde indifferens ad sacramentalem significationem, concurrit per modum materiæ et potentiæ ; verba autem cum significationem determinent et quasi constituant ac compleant sacramentum, concurrunt per modum formæ et actus ; et sic ex his duabus partibus tanquam materiali et formali componitur sacramentum.

Similiter in sacramento pœnitentiæ non solum verba, sed etiam res invenitur : actus enim pœnitentis, nempe contritio, dolorosa accusatio, satisfactio, utpote actus seu actiones sensibiles, sunt quasi materia et res sacramenti ; verba autem judicis absolventis, id est absolutio, sunt forma ; sic in matrimonio non solæ res, sed etiam verba aut aliquid verbis æquivalens semper invenitur : nam mutua corporum traditio, sive verbis sive nutibus exprimatur, habet se per modum materiæ ; mutua autem acceptatio quocunque signo externo fiat, v. gr. verbo aut nutu qui verbis æquivaleat, habet se per modum formæ ; ideo dixi sacramenta novæ legis constare verbis *vel proprie vel secundum accommodationem*. Denique quamvis verba ad rem sacramenti se habeant ut forma, uti et horum verborum significatio ad rei significationem, tamen ultimata et totalis totius aggregati forma ex re ceu materia et ex verbis ceu forma constantis, est significatio sacramentalis constituens istud totale aggregatum in esse sacri signi sive sacramenti ; sicut figura sedis est forma artificialis respectu materiæ et formæ ligni ex quibus componitur.

Sect. II. — *An materia et forma sacramentorum sint partes componentes et constituentes sacramentum.*

Dico 1 : Omnia sacramenta quæ in usu et actione transeunti consistunt, ex rebus et verbis, seu ex materia et forma, tanquam ex partibus essentialibus ac constituentibus constant ; non enim sola materia nec sola forma, sed utraque significat. Ergo ex utraque sacramentum conficitur. Dein sacramentum efficit quod significat ; non efficit autem per solam materiam, sed etiam per formam. Ergo, etc. Nec supponit pro sola materia, ut vult Sotus, sed pro materia et forma ; atque parum refert an a sola materia aut a sola forma desumatur nomen sacramenti.

Dico 2 : Inter materiam et formam sacramenti requiritur quidem aliqua conjuncti propinquitas, et concomitantia ; sed non physica et indivisibilis, moralis enim sufficit, major minorve pro diversitate sacramentorum, v. gr. major in baptismo et confirmatione, minor in sacramento pœnitentiæ : quia istæ partes sacramentum constituentes non sunt cum omni proprietate materia et forma, sed tantum secundum quamdam analogiam et accommodationem. Dixi *sacramenta quæ consistunt in usu*, etc., quia sacramentum Eucharistiæ postquam factum est adhuc durat et permanet, etiamsi forma transierit ; qua de re in suo loco agetur. Nunc sufficit dicere ad conficiendum hoc sacramentum necessario requiri ut materia præsens adsit, quando profertur forma cujus virtute manet consecrata et veluti informata.

Sect. III. — *An materia et forma sacramenti sint determinatæ ex divina institutione.*

Dico 1 : Materiæ et formæ sacramentorum ex Christi institutione determinatæ sunt, et eo modo quo determinatæ sunt, ad conficienda sacramenta sunt absolute necessariæ, quia sacramenta sunt gratiæ, quam conferunt, signa ; sed hoc non habent nisi ex divina institutione ; ergo ut hoc habeant, debet in iis conficiendis servari materia et forma, seu res et verba a Christo instituta. Materiam autem et formam a Christo fuisse determinatam patet ex Scriptura, v. gr. in baptismo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* (*Joan.* III, 5), en materia ; *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19), en forma. Similiter in Eucharistia : *Accepit Jesus panem* (*Matth.* XXVI, 26), en materia ; *Hoc est corpus meum* (*Ibid.*), en forma. Sic etiam in his verbis : *Quorum remiseritis peccata* (*Joan.* XX, 23), continetur forma et materia. Sed

Dico 2 : Determinatio materiæ et formæ facta a Christo non est ejusdem rationis in omnibus sacramentis ; nam quædam sunt determinatæ in specie infima, v. gr. in baptismo ; aliæ magis generice, v. gr. in matrimonio et ordine. Hinc etiam collige sacramenta vetera, quamvis non constiterint rebus et verbis uti in nova, habuisse tamen suum ritum ex divina institutione determinatum quo debebant confici.

Dico 3 : Sacramenta novæ legis conficiuntur verbis non concionatoriis, sed consecratoriis contra recentiores hæreticos volentes ad ea conficienda requiri verbum non consecratorium, sed concionatorium tantum, seu verbum doctrinæ ; hoc enim, inquiunt, solum necessarium est ad excitandam fidem et memoriam ejus quod in sacramentis Christus operatus est. Probatur : Christus in conficienda Eucharistia non est usus verbo concionatorio, sed consecratorio dicendo (*Matth.* XXVI, 26 seqq.) : *Hic est calix, hoc est corpus ;* et Matth. XXVIII, 19, jubet baptizare *in nomine Patris*, etc., quod non est verbum concionatorium. Deinde Augustinus (lib. XIX *Contra Faustum*, cap. 16 *De baptismo :* « Nisi, » inquit, « illæ syllabæ celeriter sonantes et transeuntes dicantur, non consecratur. » Et lib. XX, c. 13 : « Noster, » ait, « calix et panis certa consecratione mysticus fit nobis. » Deinde hæc veritas definita est in concilio Florentino, docente præscripta a Christo verba esse necessaria ad conficienda sacramenta ; nec ullibi in Scriptura reperitur præscribi istud verbum concionatorium, cujus percipiendi, suscipiens sacramentum sæpe est incapax, aut illo non eget, v. gr. parvuli aut viri docti rite dispositi, etc.

Sect. IV. — *An omnis mutatio materiæ aut formæ sacramentorum sit contra eorum substantiam ac veritatem.*

Dico 1 : Si mutatio materiæ et formæ sit substantialis seu essentialis, nullum efficitur sacramentum, per illam enim mutationem tollitur vera materia et vera forma essentialis sacramenti ; contra vero mutatio accidentalis non destruit sacramentum, non enim variat substantiam rei. Hinc

Dico 2 : Quando mutatio materiæ tanta est, ut juxta communem usum et hominum conceptionem, non conveniat nomine et ratione cum materia ab Ecclesia usitata et a Christo præscripta, mutatio est essentialis. Si conveniat autem, est accidentalis, v. gr. aqua rosacea cum aqua elementari, quæ est baptismi materia, non convenit juxta communem usum ; contra vero aqua calida.

Dico 3 : Quoad formas sacramentorum mutatio quæ sensum verborum formæ variat, est substantialis ; accidentalis autem, si non variet, sensus enim est veluti anima verborum. Harum autem mutationum in verbis modi sunt octo præcipue : 1° mutatio unius linguæ in aliam, si retineatur idem verborum sensus, est accidentalis. 2° Si intra idem idioma ponantur diversa verba ab iis, quibus consuevit uti Ecclesia, easdem res tamen æque distincte et clare significantia, ac synonyma, v. gr. si loco *Patris et Filii*, ponatur *Genitor et Genitus ;* loco *baptizo* ponatur *abluo*, erit mutatio accidentalis. Contra vero essentialis, si non sint synonyma, aut non significent æque distincte ac clare, v. gr. si loco *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, dicatur *in nomine Trinitatis*. Si autem verba in quæ fit mutatio, sint æquivoca, significantia in uno sensu idem quod verba sacramentalia (in alio aliud), et proferantur a ministrante sacramentum in eo sensu quo sacramentalia significant, tunc videtur etiam esse tantum accidentalis mutatio. 3° In transpositione vocis, v. gr. *baptizo te*, aut mutatione verbi activi in passivum, si retineatur idem sensus, erit mutatio accidentalis ; sin minus, substantialis. 4° Si verba cum interruptione ac mora proferantur, et sufficienter conjungantur ad efficiendum unum integrum sensum, erit mutatio accidentalis ; sin minus essentialis. 5° et 6° Si per additionem aut substractionem verbi mutetur debitus formæ sensus, erit mutatio substantialis ; alioqui accidentalis. 7° Si verba corrupte proferantur, ita ut tamen retineant eumdem formæ sensum, v. gr. dicendo : *In nomine Patrias et Filias*, etc., erit mutatio accidentalis ; substantialis, si non retineant. 8° Mutatio signi in signum, v. gr. in scripturam, in nutus, etc., valet in matrimonio ; in aliis quinque non valet. Et etiam in sacramento pœnitentiæ longe probabilius est non sufficere formam seu absolutionem scripto datam, sed requiri verba propria ex Christi institutione.

Sect. V. — *An ex scientia vel intentione ministri pendeat quod mutatio in forma sacramenti evadat substantialis aut accidentalis.*

Nota : Minister potest formæ verba mutare vel ex ignorantia, vel ex scientia ob devotionem tantum, aliudve simile, vel ex intentione introducendi novum ritum, Ecclesiæ contrarium. Hinc

Dico 1 : Quando per mutationem non variatur

sensus formæ, ista mutatio non potest esse substantialis sive ob ignorantiam, sive ob indiscretam devotionem, sive ob solam intentionem ministri volentis introducere novum ritum; cum hac enim intentione potest haberi intentio faciendi sacramentum, et ita omnia ad ejus veritatem requisita concurrere, contra vero si desit intentio faciendi sacramentum. Hinc nihil refert, quod quis intendat aliquid addere tanquam essentiale, quod essentiale non est, v. gr. quod Græcus addat formæ essentiali Eucharistiæ hæc verba : *Quod pro vobis tradetur*, tanquam essentialia, aut putet panem fermentatum esse de Eucharistiæ essentia, quia si nihil ex essentialibus excludat, nec formæ sensum variet, mutatio non est substantialis, nec intentio saltem conditionata faciendi sacramentum necessario excluditur; potest enim stare generalis intentio conficiendi sacramentum, sive faciendi quod Christus instituit aut Ecclesia facit, cum errore privato in actu tantum exercito.

Dico 2 : Quando per mutationem redditur ambiguus formæ sensus, si minister ita intendat introducere novum ritum, ut non verum, sed falsum et erroneum sensum intendat per talem formam significare, tunc est mutatio essentialis seu substantialis non tantum ex intentionis, sed etiam ex veræ formæ defectu, adeoque sacramentum est nullum, quia tunc signum quod minister exhibere intendit, est formaliter diversum ab eo quod Christus instituit; licet enim hic verba quoad materialem sonum sint eadem vel parum diversa, significatio tamen quæ intenditur est longe alia, et per intentionem proferentis determinantur verba ad talem significationem; fit ergo substantialis mutatio.

Sect. VI. — *An eadem materia et forma in singulis sacramentis pro universa Ecclesia sufficiat.*

Dico : Omnia sacramenta in universa Ecclesia constant eadem materia et forma Christo præscripta pro omni loco, gente et tempore, quam non potest Ecclesia mutare; adeoque quod in uno loco sufficit, id ubique sufficit ut sacramentum factum teneat, quamvis fortasse peccet minister non servando accidentalem ritum in aliqua particulari regione ab Ecclesia præscriptum, et non in alia. Hinc si quis in Ecclesia Latina utatur in baptismo hac Græcorum forma : *Baptizetur servus Christi*, aut in conficienda Eucharistia utatur illorum materia, id est pane fermentato, valide sacramentum conficit. Nam juxta Paulum : *Unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5). Dum concilium Tridentinum statuit ad validitatem sacramenti matrimonii, præsentiam parochi et duorum testium, quæ prius ad illam non erat necessaria, non mutavit formaliter materiam ac formam istius sacramenti, sed mutavit validitatem contractus, ex cujus vatore habetur materia et forma sacramenti; cum nunc sine prædicta præsentia jam non sit validus, non est mutata materia et forma a Christo præscripta, adeoque semper eadem remanet, nempe mutuus consensus ad validum contractum sufficiens.

DISPUTATIO TERTIA.

De sacramentis quæ futura fuissent in statu innocentiæ.

Sect. I, II. — *An in statu innocentiæ Deus colendus fuisset cultu externo privato et publico, sacrificiis et oblationibus.*

Dico 1 : Externus Dei cultus per corporis actiones, fuisset valde consentaneus hominibus in statu innocentiæ; unde et probabiliter de facto fuit, et probabilius futurus fuisset si homo non peccasset : cum enim homo corpore et anima etiam tunc constitisset, ipso naturalis luminis ductu debuisset per utriusque actus colere Deum suum auctorem; et licet hæc assertio sit certior quoad ritum privatum, videtur tamen etiam esse vera quoad ritum et cultum publicum : quia cum homines naturaliter fuissent tunc congregati in unum corpus politicum ac rempublicam, debuisset etiam aliqua Ecclesia, et aliquis religionis cultus publicus esse. Hinc

Dico 2 : Probabiliter potuisset in illo statu esse usus sacrificiorum, et oblatio rerum externarum in agnitionem supremi Dei dominii, in gratiarum actionem, in bonorum petitionem; imo si tunc peccassent aliqui, in veniam peccatorum et satisfactionem. An autem de facto iste sacrificiorum aut oblationum usus fuisset, si homo non peccasset, non videtur certo posse sciri, quia licet sacrificium rei externæ sit rationi et legi naturali consentaneum, non est tamen, absolute loquendo, de præcepto; et an Adam et Eva ante peccatum Deo sic sacrificarint, nescitur; sed nec est etiam cur negetur.

Sect. III. — *An in statu innocentiæ fuerint, vel futura fuissent sacramenta, non exsistente peccato.*

Dico 1 : Sacramentorum institutio non est contra debitum status innocentiæ ordinem et perfectionem. Imo potuissent illi convenire : si enim spectentur ut signa, potuissent servire ad profitendam exterius fidem interiorem, ad repræsentanda et facilius apprehendenda supernaturalia mysteria, ad communem ejusdem religionis unitatem in exteriori Dei cultu demonstrandam; si autem spectentur ut causa gratiæ, potuissent causare gratiam seu ejus augmentum ex opere operato aut ultra meritum operantis, et quidem ut in peccatum non laberetur homo, non est enim necesse ad instituenda sacramenta, ut peccatum jam exsistat. Attamen

Dico 2 : De facto nullum fuit in statu innocentiæ, quatenus brevi tempore ante hominis lapsum duravit, sacramentum institutum aut Adamo traditum, cum nullibi hujus rei mentio fiat, et brevissimo tempore durarit ille status. Quod ergo Paulus Ephes. V, 32, dicit de Adæ et Evæ conjugio : *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia*, non ait tunc fuisse sacra-

mentum, sed nunc esse; sive Deus non instituit istius Adæ matrimonii contractum in sacramentum utpote ad nullam hominis sanctificationem ordinatum: sed voluit per illud præfigurare verbi desponsationem cum natura humana, per cujus mysterii revelationem Adam probabiliter cognovit suum matrimonium esse istius desponsationis figuram, eamque præsignificare.

Dico 3 : Si status innocentiæ sine peccato durasset, incertum est an pro illo statu voluisset Deus instituere sacramenta; præcipue si non exsistente peccato Christus non venturus fuisset, potest probabilius conjectari ex iis quæ facta sunt, tunc non futura fuisse sacramenta, quia sacramenta quæ facta sunt, instituta fuerunt ad Christum significandum et gratiam ab illo manantem. Imo licet vel tunc venturus fuisset, verisimilius tamen non fuissent instituta ulla sacramenta ante illius adventum, quia ad conferendam gratiam debuissent illam vim habuisse ex meritis Christi exsistentis; ad significandum autem tantum aliquid divinum, fuisset imperfectio pro illo statu. Sed Christus post suum adventum probabiliter instituisset sacramentum Eucharistiæ et ordinis, ac fortasse confirmationis et matrimonii, reliqua tria non instituisset, quia supponunt peccatum vel originale, quod tunc non fuisset, vel actuale, quod si tunc ab aliquibus committeretur, habuissent pro illius remedio et remissione contritionem et amorem Dei super omnia sine sacramento.

DISPUTATIO QUARTA.

De sacramentorum legis naturæ institutione et necessitate.

Sect. I, II. — *Quomodo in lege naturæ infantes ante usum rationis liberabantur a peccato originali.*

Dico 1 : In lege naturæ, quæ dictamen rationis non tantum ex naturali, sed etiam ex supernaturali lumine intrinsece ortum comprehendit, omnino fuit aliquod peccati originalis remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Quoad adultos autem hi ex vera fide per charitatem operante poterant justificari, et ab originali atque actuali peccato liberari : ita omnes theologi. Pertinuit enim ad divinam providentiam omni ætati et sexui (nam circumcisio non fuit instituta pro feminis Judæis nec pro gentilibus) providere in omni lege salutis remedium, cum Deus velit omnes salvos fieri (*I Tim.* II, 4). Hinc Augustinus (lib. V *Contra Julian.*, cap. 9) sic ait : « Non est credendum ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem illis inerat mediatoris fides, nullo sacramento ejus opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa sacra Scriptura tacere voluerit. »

Dico 2 : Hoc parvulorum remedium in lege naturæ non fuit positum in solo actu interiore a fide mananti, qua parens filium suum Deo offerebat, aut spiritualem ejus salutem deprecabatur, aut aliud simile præstabat, ut sentiunt Bonaventura, Richardus, etc. Sed probabilius debuit applicari per aliquem actum externum, qui erat veluti exterior internæ fidei professio. Ita Alexander, Scotus, Durandus, etc. Probatur, quia Augustinus, ut jam dixi, sentit Deum non reliquisse istos parvulos sine sacramento; ergo erat aliqua actio externa. Deinde in lege naturæ cultus Dei externus erat necessarius, uti et exterior fidei professio; ergo per hanc seu per actum sensibilem debuit fieri parvulorum justificatio.

Sect. III, IV. — *An in lege naturæ fuerit institutum verum sacramentum, quo peccatum originale deleretur, aliaque sacramenta.*

Dico 1 : In lege naturæ fuit quoddam sacramentum ad parvulorum justificationem et peccati originalis remedium a Deo institutum, quamvis ex divina institutione non fuerit in specie et in particulari cæremonia seu actio sensibilis determinata ad significandam gratiam, sed tantum in genere, illiusque modus relictus hominum arbitrio; quod non est contra veram sacramenti rationem, quando quidem ista particularis actio pro hominis arbitrio determinata, verum esset internæ sanctificationis signum ex divina institutione generice constitutum. D. Thomas, Alensis, Gabriel, etc., contra Scotum sentientem fuisse a Deo constitutum quoddam determinatum in specie signum sensibile sub certa cæremonia specifice præscripta. Sed hoc neque ex Scriptura, neque ex alio probabili fundamento colligi potest.

Dico 2 : In lege naturæ fuit externus Dei cultus per sacrificia, oblationes, aliasque similes cæremonias exhibitus, ut patet ex sacrificiis ac oblationibus Abelis, Caini, aliorumque virorum sanctorum usque ad legem scriptam; quia cum homo constet ex corpore et anima, iste externus Dei cultus erat quidem necessarius necessitate præcepti naturalis, sed voluntarius quoad ejus modum ac certæ actionis et rei determinationem. Unde ipsimet gentiles colebant suos deos etiam cultu externo, ut habetur ex Scriptura, quæ Gen. XLI et XLV facit mentionem sacerdotum Ægypti, et Exod. II et III, sacerdotis Madian.

Dico 3 : In illo naturæ statu, ordinaria et communi lege non fuit alia cæremonia, quæ propriam sacramenti rationem habebat, præter illam quæ fuit in remedium peccati originalis parvulorum; non enim fuit alia per quam significaretur gratia aut præsens quæ in illo daretur, aut futura quæ in illa promissa significaretur, quia nulla ejusmodi reperitur a Deo instituta; et certe præter illud parvulorum remedium, nullum aliud pro illo statu erat necessarium sacramentum sive ad sanctificationem hominum, sive ad fidei professionem, quia adulti poterant justificari ex fide per charitatem operante, et suam fidem profiteri per sacrificia, quæ non sunt proprie sacramenta, aut per alias similes actiones externas. Attamen

Dico 4 : Ex singulari Dei beneficio ac revelatione, durante lege naturæ, interdum fuit in aliqua familia vel gente usus alicujus sacramenti proprie dicti præter illud quod commune erat omnibus in remedium peccati originalis; quia oblatio Melchisedech in pane et vino, juxta D. Thomam, non solum habuit rationem sacrificii quatenus erat sacra oblatio, sed etiam res oblata habuit rationem sacramenti; et Augustinus (epist. 95, *Ad Innoc.*) vocat illum panem « sacramentum mensæ Dominicæ. » Item Clemens Alexandrinus (lib. III *Stromat.*) dicit, « Melchisedech dedisse in nutrimentum panem et vinum sanctificatum in typum Eucharistiæ. » Credibile est ergo illud fuisse proprium sacramentum, speciali instinctu et revelatione divina datum Melchisedecho, ut ritu solemni ac publico celebraretur. Quod fortasse interdum potuit Deus alteri etiam dare, sicut interdum petiit determinata sacrificia, v. gr. ab Abrahamo Gen. XXII, ab amicis Jobi, cap. XLII libri Job.

DISPUTATIO QUINTA.

De institutione et necessitate circumcisionis, aliorumque sacramentorum veteris legis.

SECT. I. — *An circumcisio fuerit verum sacramentum in remedium peccati originalis institutum pro filiis Abrahæ.*

Nota : Omnes quidem Patres et Thomistæ conveniunt circumcisionem fuisse verum sacramentum, sed differunt in institutionis fine. Quidam enim dicunt circumcisionem tantum fuisse ad signandum populum, quem Deus peculiariter sibi eligebat, et ad eum a cæteris gentibus distinguendum, imo et istam cæremoniam fuisse a Deo institutam ad aliquam hominum sanctificationem, quia specialiter per illam dedicabantur ad Dei cultum quod est quædam sanctificatio; non tamen fuisse institutam in remedium peccati originalis, nec ad conferendam internam sanctificationem, adeoque nec significasse gratiam quæ in illa daretur, sed ex sua institutione significasse baptismum et spiritualem circumcisionem per Christum conferendam, ideoque habuisse perfectam sacramenti rationem. Ita videntur sentire Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, etc. Alii autem dicunt circumcisionem institutam fuisse et datam populo Israelitico in remedium peccati originalis, ita ut remedium legis naturæ quod de se indifferens erat quoad particularem certamque cæremoniam externam, fuerit determinatum ad ritum circumcisionis pro filiis et posteris Abrahæ : ita Augustinus, Gregorius, Bernardus, D. Thomas, omnesque posteriores scholastici. Cum igitur utraque sententia tanta auctoritate, tantisque rationibus nitatur, sic videtur utraque in concordiam posse revocari.

Dico 1 : Primaria instituendi circumcisionem ratio, non fuit remissio peccati originalis, neque ad hoc habuit majorem vim quam sacramentum legis naturæ, alioqui debuissent in illo beneficio comprehendi feminæ, quod non factum est : sed primarius illius finis fuit congregatio populi Dei et ejus segregatio a cæteris gentibus per specialem magisque expressam veri Dei et Christi venturi fidei professionem, quæ fides eo tempore valde imperfecta erat. Hinc dicitur Gen. XVII, 11-13 : *Ut sit in signum fœderis inter me et vos*, etc. *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.*

Dico 2 : Quamvis Deus primario circumcisionem non instituerit ut esset parvulis remedium peccati originalis, secundario tamen ex speciali institutione voluit, ut illud remedium quod in lege naturæ erat indifferens quoad ritum externum et particularem cæremoniam, foret in populo Israelitico pro pueris masculis determinatum quoad circumcisionis ritum, ita ut quandocunque fieri posset sine gravi incommodo, protestatio fidei parentum et ejus applicatio ad remedium parvulorum fieret per circumcisionem, sicque parentes suos filios Deo dicarent et offerrent. Unde si parentes alio ritu aut cæremonia uti voluissent ad offerendos Deo suos filios, seclusa speciali gratia aut necessitate, nihil effecissent quod ad eorum salutem utile esse posset, quia jam illa cæremonia non sacra, sed superstitiosa habita fuisset. Et sic patet quomodo tunc circumcisio fuerit necessaria tum necessitate præcepti respectu adultorum, tum etiam necessitate medii saltem respectu parvulorum, quando sine gravi incommodo applicari poterat. Dum Paulus dicit ad Galatas (VI, 15) et ad Corinthios (*I Cor.* VII, 19) circumcisionem nihil valere et nihil esse, loquitur de ea post Christi adventum. Hinc

Dico 3 : Circumcisio fuit verum ac proprium sacramentum veteris legis, primo ac per se præfigurativum gratiæ futuræ per Christum dandæ; consequenter vero demonstrativum gratiæ præsentis, seu sanctificationis ac remissionis peccati originalis, quæ in eo dabatur, demonstrativum. Quod fuerit verum sacramentum, certum est de fide ex his Pauli verbis : *Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei* (*Rom.* IV, 11), quæ verba essentialem proprii sacramenti rationem continent. Licet circumcisio fuerit ante veterem legem instituta, dicitur tamen sacramentum veteris legis quia in ea mansit, eratque quasi janua ad alia illius sacramenta et cæremonias, ad quas nullus incircumcisus admittebatur.

SECT. II. — *An præter circumcisionem fuerint alia sacramenta in veteri lege.*

Dico 1 : Certum est præter circumcisionem fuisse in veteri lege plures cæremonias sacras atque sensibiles ad aliquam cultorum Dei sanctificationem ordinatas, illasque non tantum dedisse sanctificationem legalem, sed etiam significasse gratiam per Christum dandam, ut patet ex Epist. ad Hebræos. *Omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X, 11), v. gr. agnus paschalis, de quo I Cor. V, 7, sic : *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Sed

Dico 2 : Probabilius illæ cæremoniæ, excepta

circumcisione, non fuerunt demonstrativæ gratiæ præsentis quæ per eas vel in eis daretur. Aliquæ tamen illarum, præter circumcisionem, juxta sacramenti definitionem superius datam, fuerunt vera sacramenta et cum novis univoca; quia erant sacræ cæremoniæ ad hominum sanctificationem institutæ, et veram sanctificationem significantes. Quædam enim erant institutæ ad consecrandos sacerdotes et pontifices; aliæ ad quemdam sacrorum rerum usum et participationem, vel ad recognitionem Dei beneficiorum, v. gr. agnus paschalis: aliæ ad expiationem et purificationem legalium irregularitatum vel peccatorum, sicque nostrorum sacramentorum figuræ erant; quod in illis fiebat ad fidelium sanctificationem, habebat maxime rationem sacramenti; quod autem ad cultum Dei, rationem sacrificii. Ista sacramenta erant solum Judæis necessaria necessitate præcepti, non aliis nationibus.

DISPUTATIO SEXTA.

De institutione et necessitate sacramentorum legis gratiæ.

Sect. I, II. — *An in lege gratiæ sacramenta fuerint necessaria, et an sint antiquis perfectiora.*

Dico 1: De fide est in lege gratiæ instituta esse vera ac propria sacramenta, contra quosdam hæreticos antiquos omnia sacramenta abjicientes aut negantes. Varia eorum utilitas sat patet, et usus illorum post institutionem in hoc tempore legis gratiæ ad omnium hominum salutem est necessarius, partim necessitate præcepti et medii, partim necessitate præcepti tantum.

Dico 2: Hæc nova sacramenta absolute sunt veteribus perfectiora. De fide contra recentiores hæreticos, qui vetera vel novis æquant vel etiam præferunt. Id definitum est in concilio Florentino, et in Tridentino (sess. 7, can. 2), ubi dicitur anathema in eum, qui dixerit novæ legis sacramenta ab antiquæ legis sacramentis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ et alii ritus externi. Unde Augustinus (lib. XIX *Contra Faust.*, cap. 13), dicit quod « sint virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, » et lib. XVIII, cap. 1 dicit « esse etiam significatione præstantissima. » Nova enim sacramenta sunt veterum prototypa, duratura semper usque ad finem mundi, expressius significantia per verba iis imposita; nec tantum significantia, sed etiam conferentia gratiam quam in se continent, aliosque effectus supernaturales, imprimentia characterem spiritualem. Denique Eucharistia continet ipsum Christum omnium gratiarum fontem, et sacramentorum auctorem.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De efficacia sacramentorum novæ legis ad gratiam conferendam.

Sect. I. — *An sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato.*

Dico 1: Sacramenta novæ legis sunt causæ gratiæ. De fide, contra Armenos et recentiores hæreticos, qui volunt sacramenta non plus valere ad conferendam gratiam quam concionem, vel objecta seu signa excitantia fidem, quam solam justificare dicunt. Id definitum est in diversis conciliis, Tridentino, Florentino, Milevitano, etc., idemque docent Patres. Clemens Alexandrinus (*Pædag.* lib. I, cap. 6) loquens de baptismo, dicit esse « gratiam, perfectionem, illuminationem et lavacrum per quod peccata abstergimus. » Atque id etiam ex Scriptura colligitur: *Mundans eam* (nempe Ecclesiam) *lavacro novæ in verbo vitæ* (*Ephes.* V, 26). *Quorum remiseritis peccata*, etc. (*Joan.* XX, 23). Hinc collige illa conferre gratiam ex opere operato, si suscipiens non ponat obicem peccati mortalis. Obtinere autem gratiam ex opere operato, est quando ratione operis externi vel sacramenti applicati confertur aliqua gratia ultra omne meritum operantis tam de condigno, quam de congruo; obtinere vero ex opere operantis est, quando obtinetur aliqua gratia ex merito vel ratione propriæ dispositionis præcise, prout est ab operante. Unde

Dico 2: Sacramenta non conferunt gratiam, solum fidem excitando, uti volunt hæretici, quorum error ex dictis sat refellitur; alioqui concio, aqua benedicta, et alia sacramentalia, visio collationis sacramenti conferrent gratiam, quia ista omnia excitant fidem. Deinde baptismus non potest excitare fidem in parvulis; nec ad illorum justificationem interna parentum fides est necessaria, nec sufficiens, nec causa illius. Ad adultorum autem justificationem solummodo fides concurrit ut fundamentum, pœnitentia et Dei dilectio ut dispositio, sacramentum ut instrumentum Dei. Quod attinet ad hunc Petri locum: *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum* (*I Petr.* III, 20, 21), significat baptismum salvare homines, non ut sumitur ad lavandum corpus, sed ad lavandam animam cum bona dispositione: qua baptizandus interroganti, an velit baptizari, respondet se velle baptizari, et juxta Augustinum, aqua baptismi habet vim sanctificandi prout conjungitur verbo Christi, id est verbis formæ quæ creditur habere hanc vim, quia fidei Christi professionem in se continet, id est creditur objective, non subjective.

Sect. II. — *An omnia novæ legis sacramenta conferant gratiam habitualem, virtutes et dona quæ eam consequuntur.*

Dico 1: Omnia legis sacramenta conferunt gratiam omnibus non ponentibus obicem, sive illa sit prima, sive secunda. De fide ex dictis supra. Item possunt conferre gratiæ augmentum, si suscipientem inveniant in gratia jam constitutum. Habetur in concilio Tridentino (sess. 7, can. 7). Deinde etiam certum est, non omnia per se et ex specifica ratione esse instituta ad dandam primam gratiam, neque omnia ad dandum ejus augmentum. Sed quædam per se instituta sunt ad dandam primam, v. gr. sacramentum baptismi et pœnitentiæ;

alia vero minime, sed tantum ad dandum augmentum.

Dico 2 : Sacramenta habent ex se et ex opere operato vim conferendi aliquando adultis primam gratiam : ita communius theologi, quia si adultus semper obtineret primam gratiam per contritionem ex opere operantis ante realem sacramenti receptionem, nunquam sacramentum conferret primam gratiam ex opere operato, sive nunquam propria virtute produceret illum effectum ob quem institutum est. Unde sufficit contritio imperfecta seu attritio ut baptismus et pœnitentia possit ex opere operato producere in suscipiente primam gratiam. Sed

Dico 3 : Quamvis non omnia sacramenta per se instituta sint, non tantum sub specifica, sed neque etiam sub generica ratione ad conferendam primam gratiam, cum id nulla solida ratione probari possit, omnia tamen sacramenta probabilius possunt interdum conferre de facto primam gratiam, si suscipiens non habeat dispositionem actualiter gratiæ repugnantem : v. gr. si suscipiens bona fide Eucharistiam nondum justificatus, putet se jam esse sanctificatum, is probabilius in illius susceptione justificabitur, seu recipiet primam gratiam. Sed de his singulis agetur in suis locis.

Dico 4 : Virtutes et dona Spiritus sancti, quæ gratiam habitualem consequi solent, cum illius infusione infunduntur, et cum ejus augmento, augentur per sacramenti susceptionem : ita omnes Thomistæ, quia virtutes et dona sunt veluti proprietates gratiam consequentes ; qui autem dat formam, dat consequentia ad illam, præcipue si sit agens perfectum, et quidem cum perfectione, intensione, aut remissione formæ proportionata.

Sect. III. — *An sacramenta præter virtutes et dona, conferant specialem aliquam gratiam.*

Dico 1 : Singula sacramenta habent proprias gratias sacramentales quas efficiunt (D. Thomas, et omnes theologi), quia singula sacramenta ad distinctos fines ordinantur ; ergo habent distinctos effectus, alioqui non differrent inter se formaliter in significatione et causalitate gratiæ, sed tantum materialiter in cæremonia ad significandum et causandum imposita. Unde illæ gratiæ sacramentales differunt a communi virtutum infusarum et donorum gratia. Tamen

Dico 2 : Gratia sacramentalis non addit novum aliquem habitum supra gratiam virtutum et donorum, sed speciale tantum gratiæ auxilium ad proprium cujusque sacramenti finem ordinatum ; sive in sacramenti susceptione acquiritur jus ad accipiendas suo tempore opportuno gratias actuales quæ sunt necessariæ ut obtineatur proprius cujusque sacramenti finis, v. gr. vi baptismi, vitæ Christianæ tenor, vi confirmationis, fortitudo ad fidem profitendam, etc., nisi quis per peccatum mortale se illis indignum reddat. Seclusa sacramenti susceptione, possent quidem obtineri ejusmodi gratiæ actuales ad prædictum finem, ut patet in iis qui nunquam suscepto confirmationis sacramento fortiter fidem professi sunt, aut absque sacramento pœnitentiæ, constanter peccata vitarunt ; sed juxta legem ordinariam minus copiosæ, nec tam singulares.

Sect. IV. — *An sacramenta semper suos gratiæ effectus conferant, et ad hoc quam dispositionem requirant.*

Dico 1 : Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter suum semper gratiæ effectum conferunt, si rite conficiantur et applicentur. Unde ex sola malitia aut indispositione suscipientis fieri potest ut suo effectu priventur ; ideoque peccatum mortale actu commissum in ipsa sacramenti susceptione impedit ne tunc gratia conferatur ; an autem possit postea reviviscere et conferri, inferius dicetur : quia illud peccatum formaliter gratiæ repugnat, et sic eo durante, non potest gratia infundi.

Dico 2 : Ad primam per sacramentum suscipiendam gratiam, semper in adultis necessaria est aliqua actualis dispositio : *Sine* enim *fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi, 6), et requiritur hominis conversio ad Deum. Sed ad recipiendum gratiæ augmentum per sacramentum, requiritur tantum habitualis dispositio gratiæ, sive status gratiæ. Unde actuale peccatum veniale non est obex augmento gratiæ, quod sacramentum confert ex opere operato, uti docet de Eucharistia D. Thomas, quæst. 79, art. 8, et Scotus in 4, dist. 4, quæst. 7 *De baptismo*, contra Cajetanum dicentem non solum peccatum veniale, sed etiam actualem distractionem impedire augmentum gratiæ in Eucharistiæ susceptione. Ad recipiendam autem gratiam sacramentalem, requiritur ut homo eo tempore, quo recepturus est istiusmodi actuale auxilium vi suscepti sacramenti, sit in statu gratiæ, ut jam dixi ; nempe auxilium ad propriam sanctificationem, non vero ad aliorum aut Ecclesiæ utilitatem.

Sect. V. — *An sacramenta conferant omnibus æqualem gratiam*

Dico 1 : Sacramentum habet semper æqualem effectum in quovis subjecto æque disposito : ita communiter Thomistæ, quia unumquodque sacramentum habet definitum effectum ex certa lege et promissione. Unde ex parte Dei hic effectus est semper æqualis ; ergo si ex parte suscipientis sit etiam æqualitas, effectus absolute erit æqualis. Si autem Deus pro sua voluntate interdum augeat ejusmodi effectum exsistente æquali dispositione ex parte suscipientis, ille excessus non potest dici effectus sacramenti, sed est donum mere gratis a Deo collatum concomitanter cum effectu sacramenti. Unde

Dico 2 : Secundum legem ordinariam et seclusis miraculis, exsistente eadem suscipientis dispositione, effectus sacramenti, nec concomitanter ex sola Dei voluntate ac prædestinatione augetur, ut vult Paludanus, cum Deus ad hoc habeat alia me-

dia, nec ex solo merito vel impetratione ministri, aut aliorum, v. gr. parentum, etc., ut vult Cajetanus, quia effectus sacramenti non ob ministri aliorumve, sed ob solius Christi meritum confertur: licet enim minister sacramenti possit aliquid mereri alteri de congruo vel impetrare ultra effectum sacramenti, non potest tamen immediate mereri ei gratiam sanctificantem aut aliquem gratiæ gradum juxta legem ordinariam sine proprio ipsius actu ac merito. Minister, juxta Nazianzenum, est sicut sigillum quod eumdem semper producit effectum. Sed

Dico 3: Idem sacramentum homini melius disposito, majorem gratiæ effectum confert; v. gr. si quis sacramentum suscipiat cum majori reverentia, cum intensiori charitatis actu, cum majori actuum bonorum multitudine aut perfectione, v. gr. cum perfecta contritione, loco attritionis, cum majori dispositione actuali, etc.: ita communiter theologi. Deus enim instituit sacramenta, ut agant instar causarum naturalium, quæ circa passum melius dispositum melius operantur, et ut homines excitentur ad ea recipienda cum majori devotione ac reverentia.

DISPUTATIO OCTAVA.

De tempore in quo sacramenta gratiam conferant.

Sect. I. — *An sacramenta interdum conferant gratiam ex opere operato antequam recipiantur.*

Dico: Sacramenta nunquam conferunt gratiam ex opere operato, antequam reipsa recipiantur, seu applicentur, ut constat de sacramento ordinis et matrimonii, quia effectus sacramentorum non sunt promissi nisi reali eorum susceptioni, ut patet de charactere; ideo qui accepit sacramentum in voto ac desiderio, dum postea illud realiter suscipit, integrum ejus effectum ex opere operato recipit; ergo prius eum non recepit ex opere operato. Itaque dum datur prima gratia vel peccati remissio per solam contritionem includentem votum baptismi vel pœnitentiæ, iste effectus non est ex opere operato sacramenti, sed ex opere operantis seu ex opere sufficientis dispositionis, cui ejusmodi effectus quasi connaturaliter respondet; ideo ante sacramentorum institutionem etiam obtinebatur, et post institutionem idem obtinetur cum ordine ad realem sacramenti susceptionem. Deinde per hoc solum sacramenti votum non obtinetur omnis effectus sacramenti, ut patet de charactere, sed tantum ille qui dispositioni et merito operantis proportionatus est; idcirco per solam attritionem non obtinetur remissio peccati mortalis.

Sect. II. — *An sacramenta gratiam habitualem in tempore successivo, an vero in instanti conferant?*

Dico 1: Sacramentum non confert gratiam sanctificantem in tempore indeterminato, immediate antecedente illud instans, quod est primum *non esse* sacramenti; nec in tempore determinato, in quo ultima quædam ac successiva sacramenti particula conficitur; nec in tempore indeterminato per ultimum *non esse* ipsius gratiæ; nec in unico instanti, in quo sacramentum primo non est (qui omnes dicendi modi hic improbantur ac refutantur a P. Suarez), sed illam confert in instanti, in quo intrinsece, non extrinsece, sacramentum perficitur ac consummatur; necesse est enim ut in aliquo instanti sacramentum exsistat. Exsistere autem in eo instanti dicitur in quo habet perfectam significationem, sive in quo post successivam materiæ et formæ applicationem terminatur et intrinsece perficitur aut sensus verborum, aut contactus ex parte materiæ necessarius, aut denique tota sacramenti significatio; et sic in illo instanti indivisibili, in quo et sacramentum exsistit, et in quo primo perficitur ac consummatur, confertur gratia, quia in eo instanti omnia concurrunt ut effectus fieri possit; et ante illud et post illud instans non possunt concurrere, in illo enim instanti causa est essentialiter perfecta et antea non erat, et postea non durabit. Effectusque ex se postulat ut indivisibiliter fiat; ergo tunc fit, cum subjectum aliunde sit capax et sine obice ut supponitur.

Dico 2: Confertur gratia in illo instanti, quod est ultimum sacramenti complementum, sive sit ultimum instans in quo absolvitur forma, sive in quo finitur materia, quia non est de substantia sacramenti ut prius forma quam materia physice finiatur; sed potest interdum prius forma, interdum prius materia absolvi, dummodo utraque moraliter conjungatur: donec enim utraque essentialiter sit finita, non est completum sacramentum; ideoque indifferenter fieri potest ut sacramentum compleatur tempore posterius quam forma, si materia nondum sit finita, et contra; et sic interdum fieri potest effectus in instanti formæ completivo, atque interdum in instanti materiæ terminativo, aut in utroque simul, dummodo sit id, in quo completur sacramentum, quia effectus toti tribuitur sacramento, et fit in virtute totius. De Eucharistia post dicetur.

Sect. III. — *An sacramenta conferant interdum gratiam quando transacta sunt.*

Nota: Quando sacramentum eo tempore, quo suscipitur, non habet effectum propter fictionem aut obicem suscipientis, quæritur an postea recedente fictione aut obice, illum habere incipiat. Aliqui de omnibus sacramentis absolute id negant; contra vero Cajetanus, Petrus, Sotus, etc., absolute affirmant. Sotus soli baptismo hanc virtutem et effectum tribuit. Durandus, etc., soli baptismo et pœnitentiæ. D. Thomas, Paludanus, Sylvester, etc., omnibus et solis sacramentis characterem imprimentibus. Sed hæc omnia sigillatim postea in suis locis discutientur. Nunc generaliter

Dico: Sacramento novæ legis ut sic, non repugnat, post quam transactum est, habere suum effectum recedente fictione aut obice; omnes enim Thomistæ cum Augustino id asserunt de baptismo. De aliis sacramentis postea agetur. Sacramentum tamen transactum non dat proprie effectum, sed Deus intuitu illius prius suscepti eum dat manente

sacramento in sua acceptatione : cum enim sacramentum jam non exsistat, non potest proprie causare seu efficere gratiam, quia causare supponit esse. Atque ita sacramenta, quæ habent effectum recedente fictione, id habent ob divinam promissionem quæ potuit fieri, aut facta creditur pro uno et non pro alio sacramento ob diversos sacramentorum fines ac necessitatem.

DISPUTATIO NONA.

De modo quo sacramenta efficiunt gratiam.

Sect. I. — *An sacramenta potuerint esse propriæ causæ physicæ instrumentales gratiæ sanctificantis.*

Dico : Non implicat contradictionem, ut sacramenta sint propria ac physica instrumenta ad gratiam in anima efficiendam, attingendo immediate ipsam gratiæ productionem. (D. Thomas, Cajetanus, etc.) Cum enim sacramenta, licet successive, in suo ultimo instanti intrinseco completa ac perfecta exsistant, tunc possunt a Deo elevari tanquam instrumenta physica ad efficiendam gratiam, sicut intellectus humanus ultra vires suas naturales elevatur ad efficiendam visionem beatificam, et humanitas Christi ad patranda miracula. Quod autem posset objici gratiam fieri per creationem, nullamque creaturam posse effici creationis instrumentum, utrumque negatur. Item negatur Deum, ut vult Sotus, prius ordine naturæ per creationem efficere ipsam gratiæ qualitatem sine instrumentali sacramenti concursu, et deinde cum hoc sacramenti ut instrumenti concursu per aliam actionem unire animæ illam gratiam seu illam qualitatem : vult enim Sotus per hanc actionem per quam gratia unitur animæ, fieri hominem Deo gratum, non vero per gratiæ creationem ; et sic sacramenta non efficere seu non creare gratiam, sed efficere hominem Deo gratum. Hoc tamen omnino rejicitur, quia licet anima nostra alia actione creetur, alia corpori uniatur, quia est forma substantialis independenter a corpore exsistens, gratia tamen, utpote forma accidentalis, unica eadem actione et producitur et animæ unitur, quia non habet esse a subjecto independens. Imo omnes formæ non tantum accidentales, sed etiam substantiales, quæ per eductionem fiunt de potentia subjecti, una eadem actione producuntur et simul uniuntur ; actualis enim unio est de essentia actionis, qua educitur forma de potentia subjecti. Denique formæ creatæ seu productæ emanatio a Deo non antecedit ordine naturæ emanationem a causa secunda sive principali sive instrumentali. Hinc non possunt elevari sacramenta ad efficiendum physice hominem Deo gratum, quin eleventur ad efficiendam ipsam gratiam. Quomodo autem quælibet res creata possit elevari a Deo tanquam instrumentum ad efficiendum per potentiam obedientialem quidquid non implicat contradictionem respectu illius, adeoque et sacramenta ad efficiendam gratiam, ac quid sit ista potentia obedientialis, nempe ipsamet rei entitas quatenus primo agenti subordinata ad agendum id quod voluerit, explicatum est in tomo primo *De incarn.*, disp. 31, sect. 5 ; item in eadem disp., sect. 9 : quomodo in divinis instrumentis simpliciter non requiratur prævia illorum actio connaturalis ante principalis ac primi agentis actionem ac effectum, etiam ostensum est, quod facile de singulis sacramentis pariter ostendi potest. Nam, v. gr. verba Eucharistiæ nullam habent præviam actionem ut possint esse instrumentum physicum ad efficiendam transsubstantiationem, quæ est substantialis et supernaturalis actio. Idem dici potest de aliis sacramentis, quia in divinis instrumentis non attenditur ut naturalis connexio habeatur inter naturalem eorum actionem, et principalis agentis effectum, sed solum requiritur ut immediate in ipsum Dei effectum influant quatenus ab ipso elevata per specialem et indebitum naturali illorum perfectioni concursum.

Sect. II. — *An sacramenta novæ legis de facto conferant gratiam, tanquam vera ac propria instrumenta physica.*

Nota : Omnes quidem Thomistæ docent, prout fides docet, sacramenta esse causas et instrumenta gratiæ, sed disconveniunt in modo id explicandi : 1° enim aliqui dixerunt sacramenta non esse causas gratiæ efficientes, sed quasi materiales, quia eam continent ; sicut vas continens medicinam, non est causa efficiens sanitatem, sed per modum materiæ : ita Altis. Verum gratia non continetur in sacramentis formaliter sicut medicina in vase, sed tantum virtualiter ex Dei promissione, adeoque hoc nihil facit ad causam materialem. 2° Alii dixerunt conferre gratiam per modum impetrationis, quia oratio ministri vel Ecclesiæ sacramento conjuncta impetrat gratiam suscipienti. Sed effectus sacramenti non pendet ex tali oratione. 3° Alii senserunt sacramenta esse tantum conditiones, quibus positis seu ad quarum præsentiam Deus confert gratiam : ita Durandus, Scotus, etc. Sed si sacramenta nullam habeant actionem, non erunt proprie instrumenta gratiæ. 4° Alii dicunt esse tantum causas morales, quia per sacramentorum applicationem movetur Deus ad conferendam physice gratiam : ita Canus et Ledesma, etc. Hoc quidem satis probabile est. Attamen

Dico : probabilius censetur sacramenta novæ legis esse vera ac propria gratiæ instrumenta physica, seu per veram actionem physicam ad homines sanctificandos concurrentia ; non quia physice efficiunt tantum aliquam dispositionem ad gratiam, non attingendo immediate ipsam gratiæ productionem a solo Deo factam, ut volunt Capreolus, Paludanus, Alensis, etc., cum tam sit difficile efficere ejusmodi dispositionem, quam ipsam gratiam, cumque nulla fingi possit talis dispositio ; nec quia efficiunt tantum gratiæ unionem cum anima, qua homo fit Deo gratus, non autem ipsam gratiam, quod supra refutatum est, sed quia per veram ac physicam efficientiam immediate attingunt veram gratiæ productionem. Probatur : 1° ex modo loquendi tum Scripturæ di-

centis homines per sacramentum mundari, sanctificari, regenerari; tum conciliorum asserentium per illud confici corpus et sanguinem Christi, gratiam conferri, characterem imprimi; tum Patrum significantium per illud peccata purgari, hominem renasci, mundari, Deumque speciale suæ omnipotentiæ opus exhibuisse, dando rebus sensibilibus vim ad mirabiles effectus producendos. 2° Ex propria verborum significatione, quibus formæ sacramentorum constant : v. gr. *Ego te absolvo; quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, etc. Si enim solus Deus ad præsentiam verbi efficiat gratiam, remittat et absolvat, ergo sacerdos non proprie ac vere absolvit ac remittit. 3° Christus sua humanitate faciebat miracula et conferebat gratiam per veram ac physicam efficientiam, ut antea ostensum est; ergo idem sentiendum est de sacramentis, et hoc decebat eorum sanctitatem et excellentiam.

Objicies 1 : Id non colligitur ex modo loquendi Patrum, qui sæpe tribuunt soli Deo totum interiorem sacramentorum effectum. Respondeo : Patres non negant physicam sacramentorum efficientiam instrumentalem, sed dicunt Deum principalem esse gratiæ auctorem, a quo tota illorum vis manat.

Obj. 2 : Sacramenta non conferunt saltem gratiam sacramentalem physice in se, ut instrumenta physica, hæc enim sæpe confertur multo tempore post susceptum sacramentum, quando occurrit opportuna occasio; ergo nec habitualem. Respondeo : Nego consequens, quia non oportet ut gratia sacramentalis physice in se fiat per sacramentum, sed sufficit ut fiat gratia habitualis cum virtutibus comitantibus per quam ut a sacramento physice effectam, acquiritur jus ad actualia auxilia, in quibus consistit gratia sacramentalis.

Obj. 3 : Baptismus ficte susceptus, recedente postea fictione, non confert physice gratiam, ergo nec baptismus vere seu fructuose susceptus. Respondeo : Nego consequens, quia baptismus fictione recedente non exsistit physice, nec unquam fuit nec est causa instrumentalis gratiæ, sed Deus ipse eam dat ratione prioris baptismi validi, qui in divina acceptatione permanere intelligitur. Dum autem dicitur sacramentum efficere physice gratiam, intelligitur de sacramento exsistente, et applicato cum debitis conditionibus, nempe collato obicem non ponenti.

Obj. 4 : Sacramentum non concurrit physice ad gratiæ conservationem, ergo neque ad infusionem : quia conservatio non est alia actio a productione, sed eadem continuata ac durans. Respondeo : Nego consequens. Quando enim effectus producitur ab una causa, et conservatur ab alia, v. gr. calor ab igne producitur, qui postea a solo Deo conservetur, tunc productio et conservatio sunt duæ actiones diversæ; sic hic gratia physice producitur a sacramento ut Dei instrumento, et a Deo ut causa principali. Finito autem sacramento cessat ista productio seu actio, adeoque et concursus Dei isti actioni identificatus; ergo tunc gratia per novam actionem incipit conservari a solo Deo, non a sacramento, cum jam non amplius exsistat. Atque ita productio et conservatio gratiæ sunt duæ actiones diversæ.

Obj. 5 : Christi passio non efficit in nobis gratiam, cum jam non sit; ergo nec sacramenta quæ sunt ejus instrumenta. Respondeo : Distinguo antecedens. Passio Christi quatenus præteriit, concedo antecedens; passio Christi, id est humanitas Christi quæ passionem sustinuit, nego antecedens. Sic enim Christi humanitas potest dici physicum instrumentum conjunctum cum sacramentis tanquam instrumentis separatis ad efficiendam gratiam, nullam illis qualitatem aut realem motionem imprimendo, sed immediate simul cum illis influendo in effectum gratiæ tanquam duo instrumenta inter se subordinata ex divina ordinatione, ut dictum est in tomo primo *De incarnatione*, disp. 31. Unde humanitas Christi in genere instrumenti potest dici causa universalis respectu sacramentorum, quia cum illis omnibus operatur et sine illis potest operari, ideoque participat aliquid superioritatis. Dum autem dicuntur sacramenta habere suam vim a passione Christi, id est, Christus per suam passionem meruit et impetravit istam vim efficiendi gratiam; non vero quod ipsa passio Christi per realem ac physicum influxum illis eam infuderit.

Obj. 6 : Nihil refert quod sacramenta vel physice vel non physice efficiant gratiam, modo idem gratiæ effectus nobis præstetur; neque etiam hæc causalitas physica deservit ad augmentum, vel exercitium nostræ fidei, præsertim cum tota sit sub opinione, imo dubitetur an sit possibilis. Respondeo : Non asseruimus istam physicam sacramentorum causalitatem, quasi putemus ex illa majorem nobis gratiam aut sanctificationem conferri, sed quia hoc videtur conformius Scripturæ et Patribus, et quia hoc pertinet ad majorem sacramentorum dignitatem et excellentiam, magisque declarat divinæ omnipotentiæ et meritorum Christi efficaciam.

DISPUTATIO DECIMA.

De inefficacia veterum sacramentorum ad conferendam gratiam.

Sect. I, II. — *An circumcisio vel sacramentum legis naturæ conferret gratiam sanctificantem ex opere operantis, an vero ex opere operato.*

Dico 1 : Parvulis ante usum rationis, per applicationem circumcisionis, aut per exterius legis naturæ sacramentum dabatur gratia sanctificans et remissio peccati originalis; contra Magistrum dicentem remissum fuisse originale, sed non datam gratiam; quod ab omnibus theologis rejicitur ut fidei principiis contrarium. Imo probabilius ipsum tantum externum circumcisionis signum fuit sufficiens, ut per ejus applicationem daretur parvulis gratia, quamvis sine fide parentis aut ministri, aut alterius conferentis sacramentum, applicaretur,

dummodo illud conferens haberet intentionem faciendi quod Deus instituerat, sive exercendi istam sacram cæremoniam, ut a Deo institutam, sicut nunc dicitur de baptismo, qui circumcisioni successit. (Alensis, Paludanus, Scotus, etc.) Sic etiam poterat applicari remedium legis naturæ ab aliquo veram fidem non habente ex intentione faciendi id quod populus fidelis faciebat ; id tamen moraliter loquendo, vix fieri poterat sine aliqua fide.

Dico 2 : Adultis in circumcisione non dabatur gratia nisi habentibus fidem et Dei dilectionem seu peccatorum contritionem ; et idem a fortiori dic de sacramento legis naturæ. Ad obtinendam tamen originalis peccati remissionem circumcisio erat conditio necessaria, sine qua ille effectus non habebatur ; voluit enim Deus omnes etiam adultos signo externo profiteri fidem et internam devotionem, ut remissionem peccati originalis consequi possent ; ideoque sine tali signo, vel in re exhibito, vel in voto concepto non poterat remitti peccatum originale, hoeque sufficit ut dicatur illius remedium. Cum enim adulti sive tempore legis, sive ante legem possent sufficienter se disponere ad primam gratiam, non opus erat ut illa eis tunc daretur ex opere operato ultra meritum et dispositionem operantis, eo modo quo ob necessitatem parvulis dabatur, ut jam dictum est. Unde adulto in circumcisione non dabatur gratia major, quam ipsi contritioni respondebat, nondum enim Christi merita erant exhibita.

Dico 3 : De modo quo circumcisio et sacramentum legis naturæ parvulis gratiam sanctificantem dabant, valde dissentiunt auctores. Nam 1° Paludanus dicit dedisse eis gratiam ex opere operato circumcisionem per causalitatem ; sacramentum autem legis naturæ per modum conditionis, ad cujus præsentiam infallibiliter Deus conferebat gratiam. Sic etiam Durandus dicit circumcisionem dedisse gratiam per modum conditionis, sed remedium legis naturæ, quod negat fuisse sacramentum, eam dedisse per modum meriti et suffragii totius Ecclesiæ, quæ fidem suam parvulo applicabat, et ei peccati remissionem merebatur et impetrabat ex opere operantis. 2° Scotus, Gabriel, etc., censent circumcisionem et sacramentum legis naturæ dedisse illis gratiam ex opere operato per modum causalitatis moralis, non physicæ ; sive per modum signi externi et conditionis ad cujus præsentiam Deus movebatur, et ex sua promissione aut pacto veluti obligabatur ad dandam infallibiliter gratiam, et sic non ex opere operantis, cum in parvulis nullum esset meritum ac dispositio ; ergo ex opere operato. 3° D. Thomas, Scotus, etc., negant illa sacramenta dedisse gratiam ex opere operato, quia concilium Florentinum distinguit nova sacramenta a veteribus in hoc, quod nova contineant gratiam, eamque digne suscipientibus conferant ; vetera autem non causarent gratiam, sed tantum eam per passionem Christi dandam figurarent. Potest tamen dici circumcisionem, prout idem munus præstabat quod remedium legis naturæ, non fuisse sacramentum veteris legis, ut ait Scotus, sed fuisse sacramentum quod antecessit legem sicuti et remedium legis naturæ, ideoque utrumque non comprehendi sub istis concilii verbis. Sed, omissis omnibus hisce loquendi modis,

Dico 4 : Non videtur simpliciter asserendum circumcisionem vel sacramentum legis naturæ dedisse gratiam ex opere operato, sed in illis interdum datam fuisse præter opus operantis, solummodo ob specialem necessitatem ad solos parvulos spectantem, cui divina Providentia statuerat non aliter subvenire : quia illa sacramenta non erant causæ physicæ gratiæ, ut patet, nec etiam proprie morales ; nam nova sacramenta dicuntur causæ morales, quia moraliter continent gratiam Christi quam ipse illis promeruit, et ejus pretium jam solvit, eamque moraliter illis reliquit. Jam vero vetera ista sacramenta gratiam moraliter non continebant, quia illius pretium nondum erat solutum, seu meritum Christi nondum erat exhibitum ; sed tantum erant illius signa. Meritum autem quod nondum exsistit, licet prævisum, movet tantum per modum intentionis ; sacramentum vero causat secundum virtutem quam in se habet, ideoque illa sacramenta quæ non continebant gratiam, utpote nondum reipsa exsistentem, non poterant eam dare aut moraliter causare ex opere operato.

Sect. III. — *An in aliis veteris legis sacramentis daretur gratia.*

Dico 1 : In illis sacramentis veteris legis nulla fuit data gratia ex opere operato. (D. Thomas, Richardus, Scotus, etc., communiter.) *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa* (*Galat.* IV, 9) : id est, ad cæremonias, oblationes, sacramenta veteris legis, quæ prius non poterant dare gratiam, et nunc post Christi adventum sunt abolita ; et ita sentiunt Patres Chrysostomus, Basilius, Theodoretus, etc. Et Augustinus (*in psal.* LXXIII), ponit differentiam inter vetera et nova sacramenta in eo quod hæc dent salutem, illa tantum promitterent Salvatorem. Et sic videtur exponendus Magister cui tribuitur censuisse vetera sacramenta nullam dedisse gratiam, nempe ex opere operato.

Dico 2 : Homines justi utentes illis veteris legis sacramentis vel sacrificiis, per illos actus merebantur de condigno coram Deo augmentum gratiæ. Probatur, quia justi antiqui (fuisse tunc justos aliquos fide certum est) poterant per bona opera mereri augmentum gratiæ, ut dicitur (*Eccli.* XVIII, 22) : *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Ergo etiam id poterant per sacramenta vel sacrificia, quatenus erant quædam religionis opera, a Deo præcepta, ad ejus cultum pertinentia : adeoque nihil deerat ex parte operis et operantis ad meritum de condigno ; neque ex parte Dei, quia Deus semper pa-

ratus est dare mercedem condignam bene operantibus, uti ait Isa. LVI, 4 : *Hæc dicit Dominus eis, qui custodierint præcepta mea*, etc. In omni enim lege tam naturali quam scripta, sicut promissio dandæ primæ gratiæ peccatori per contritionem dispositio, et dandæ gloriæ justo fuit quasi intrinseca ordini gratiæ, et supernaturali providentiæ, ita et promissio dandi augmentum gratiæ et gloriæ justo bene operanti. Hæ quidem promissiones spirituales clarius in Novo Testamento factæ sunt; verum in Veteri etiam habentur, licet sæpe non ita distincte et interdum in temporalibus figurentur. Aliæ autem quæ in Veteri Testamento additæ passim reperiuntur, fere sunt temporales, seu promissiones rerum temporalium; ideoque multæ erant promissiones non de interna ac vera culpæ remissione coram Deo, sed de legali quadam remissione quoad legis pœnas et irregularitates.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De natura ac necessitate characteris.

SECT. I. — *Quænam sacramenta characterem imprimant.*

Dico 1 : Certum est in sacramentis legis veteris et naturæ, non fuisse spiritualem characterem animæ impressum. (D. Thomas, et alii theologi.) Probatur, quia per illa nullus effectus spiritualis dabatur per modum operis operati, nisi parvulis in necessitate quibus non erat necessarius character. Deinde homines per illa non deputantur cum aliqua virtute spirituali ad cultum Dei. Circumcisio enim erat tantum signaculum corporale, non spirituale : « Obsignati et sunt Israelitæ, » inquit Chrysostomus (hom. 2 *in Epist. ad Ephes.*), « sed circumcisione, quemadmodum pecudes. » Et pro statuendis sacerdotibus præter carnalem originem ex tribu Levi, sufficiebat tantum externa consecratio.

Dico 2 : Certum est etiam quatuor novæ legis sacramenta, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem et matrimonium, non imprimere characterem, sunt enim iterabilia, et per illa homines non deputantur specialiter ad cultum Dei; unde charactere non indigent, sed gratia et auxilio.

Dico 3 : Hæc tria sacramenta, baptismum, confirmationem, ordinem, imprimere in anima characterem de fide est, contra Wicleffum, Lutherum, Calvinum, etc., id negantes. Definitum est in concilio Florentino, et in Tridentino (sess. 7, can. 9) : *Si quis dixerit in tribus sacramentis, videlicet baptismo, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima*, etc., *anathema sit*. Idque colligitur ex variis Scripturæ locis, v. gr. pro baptismo : *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto* (*Ephes.* I, 13, et cap. IV). Item pro confirmatione : *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (*II Cor.* I, 21, 22). Atque eamdem veritatem tradunt plurimi Patres, Basilius, Nazianzenus, Augustinus, etc. Imprimitur autem hic character in baptismo, ut homo deputetur ac consecretur ad cultum Dei, fiat membrum Ecclesiæ Christi, distinguatur ab aliis qui non sunt Christiani, evadat aptus ad recipienda alia sacramenta in confirmatione, ut roboretur tanquam miles Christi ad tuendam et palam profitendam ejus religionem : in ordine, ut deputetur ad obeunda sacra ministeria, suscepti ordinis propria. Hinc ista tria sacramenta iterari non possunt ob impressum characterem. In baptismi institutione videtur primo intendi gratia sanctificans, et in confirmationis institutione plenitudo gratiæ, secundario autem impressio characteris; sed contra in ordinis institutione videtur primo intendi impressio characteris ad dandam spiritualem potestatem, secundario vero gratia.

SECT. II, III. — *An character sit qualitas supernaturalis, et in qua specie.*

Dico 1 : Character est res aliqua vere ac realiter exsistens, et intrinsece in anima inhærens, definientibus conciliis Florentino et Tridentino, characterem esse spirituale signum animæ impressum; atque ita nunc non potest amplius sustineri opinio Durandi sentientis characterem esse solum denominationem extrinsecam seu relationem rationis; nec tantum est quid reale, sed etiam absolutum, non vero relativum, contra Scotum quasi sentientem esse relationem realem, quia vocatur a conciliis *signum*. Sed contra probatur : Character non resultat ex positione fundamenti vel termini, sed est ipse terminus realis, ad quem per se primo actio realis tendit; ergo non est relatio. Dicitur autem signum, non quia est relatio, sed quia est forma realis animæ impressa, qua intrinsece consignatur ac deputatur ad actus divini cultus, significando ex divina impositione eum, cui imprimitur, esse aptum ad recipiendos vel efficiendos ejusmodi actus. Insuper character non tantum est quid absolutum, sed est etiam res realiter distincta ab anima et ejus potentiis, non vero solum modus habens eamdem cum anima entitatem realem, ut esse probabile sentit Soto : est enim qualitas supernaturalis, sive forma accidentalis, quæ in anima sit per propriam actionem divinam, adeoque realiter ab ea distincta, et ei divinitus infusa.

Dico 2 : Character videtur esse qualitas supernaturalis primæ speciei, nempe dispositio seu habitus conveniens animæ, ac formaliter eam perficiens sine ullo ordine ad operationem; sicut pulchritudo vel sanitas est bona corporis dispositio : ita Alensis, Bonaventura etc. Divus autem Thomas eum constituit in secunda specie qualitatis, et dicit esse per modum potentiæ supernaturalis vel passivæ vel activæ, qua homo redditur aptus ad præstanda divini cultus opera; et quia est supernaturalis, non esse proprie ac directe, sed tantum reductive qualitatem: sed hic fuse probat P. Suarez quod nec potentia passiva aut receptiva alicujus actus ad Dei cultum pertinentis, nec activa sive sacramenti, sive ejus effectus, id est gratiæ, esse possit. Item probat quod

naturalis et supernaturalis qualitas possint univoce convenire in una communi ratione animam afficiendi. Jam vero assertio sic probatur : Character, juxta concilia, est signum spirituale ; signum autem non datur per se primo, ut sit principium operandi, sed ut consignetur ac deputetur homo ad aliquam actionem, et ut sit forma impressa, per quam anima consignetur ; atque ita sit velut bona animæ dispositio ac permanens, aut habitus non operativus, eo modo quo gratia et sanitas vocantur habitus. Multo minus ponendus est character in quarta specie qualitatis seu in figura, uti eum ponit Marsilius ; quia figura proprie dicta non reperitur in rebus spiritualibus, cum sit quantitatis proprietas resultans ex ejus terminis. Character autem est qualitas spiritualis quæ tantum metaphorice dicitur nos Christo configurare. Unde non est in dicta specie figuræ, quia res non constituitur in esse per denominationes metaphoricas, sed per proprias rationes formales.

Sect. IV. — *In quo subjecto insit character, et an sit indelebilis.*

Dico 1 : Omisso characteris subjecto remoto quod est homo, seu persona illum habens, proximum et proprium ejus subjectum est ipsa anima : ita omnes Thomistæ docent ; ac concilia Florentinum et Tridentinum id definiunt, dum dicunt eum in anima imprimi. Sed, quia in anima tria sunt, substantia, intellectus, voluntas, quæritur in quo horum trium immediate insit. Quamvis res sit satis incerta, tamen

Dico 2 : Verisimilius immediate inest in substantia animæ, variis varie opinantibus ; nam Alensis et Bonaventura dicunt esse in anima, intellectu et voluntate ; Scotus, in voluntate ; D. Thomas, in intellectu ; Marsilius et Gabriel, in essentia animæ. Sed probatur assertio : Quando aliquid imprimitur alicui rei tanquam signum manifestans eam esse destinatam ad tale munus, et eam ab aliis distinguens, debet poni in parte notiori et aptiori ad istam manifestationem et distinctionem ; atqui substantia animæ est notior, imo et prior suis potentiis ; ergo character debet in ea poni. Deinde character non est operativus, nec principium alicujus actus sive intellectus, sive voluntatis ad cultum Dei, aut usum sacramentorum pertinentis ; ergo non est constituendus in intellectu, neque in voluntate, sed in animæ substantia.

Dico 3 : Generaliter loquendo, de fide est characterem esse indelebilem, sic enim definitur in conciliis Florentino et Tridentino, nempe characterem semel impressum, quandiu homo hic vivit, nunquam in eo deleri nec ob quodvis peccatum unquam auferri, est enim quædam consecratio ; consecratio autem est perpetua, et durat semper durante ejus subjecto. Quod intellige de lege ordinaria, nam de potentia Dei absoluta, potest deleri ac destrui ; cum enim sit qualitas realis, quæ a Deo libere et non ex necessitate conservatur, potest ab eodem per influxus suspensionem destrui et annihilari. Deinde non tantum toto hujus vitæ tempore durat character, sed etiam probabile est eum post mortem remanere ac tota æternitate remansurum in beatis ad ornatum et honorem, in damnatis ad ignominiam et confusionem ; cum enim sit qualitas spiritualis, et ex natura sua incorruptibilis, et existens in subjecto incorruptibili, non habet unde corrumpatur aut deleatur, quia Deus non destruit res quas fecit aut dedit, nisi naturalis causa physica aut moralis id exigat : Dei dona sunt sine pœnitentia. Hinc si quis sive baptizatus sive confirmatus, sive sacerdotio initiatus moriatur et postea resurgat, non indigebit novo baptismo, confirmatione, ordine, quia post mortem remansit character, qui idem semper perseverat sine ulla aut diminutione aut augmento.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De causa instituente sacramenta.

Sect. I, II. — *An omnia sacramenta fuerint a Deo vel a Christo immediate instituta, et an potuerint ab alio institui.*

Dico 1 : Certum est sacramenta omnia novæ legis immediate a Christo esse instituta, et juxta varios, etiam de fide ex Tridentino (sess. 7, can. 1), sic dicente : *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Ubi licet non addatur particula *immediate*, tamen ex proprietate sermonis subintelligenda est. Idem concilium (sess. 21, can. 2) declarat nunquam fuisse in Ecclesia potestatem mutandi aliquid circa sacramentorum substantialia, multo ergo minus in ea est potestas novum instituendi ; ac (sess. 24, can. 1) expresse definit extremam unctionem, de qua poterat dubitari, fuisse a Christo institutam, et a sancto Jacobo promulgatam in sua Epistola (v, 14, 15) : *Infirmatur quis in vobis*, etc. Atque hæc definitio 1° in Scriptura fundatur, in qua vel explicite, vel implicite de singulis fit mentio ; circa Christi institutionem, v. gr. de baptismo dicendo : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. (*Matth.* XXVIII, 19, 20) ; de confirmatione : *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret* (*Matth.* XIX, 13 seqq.) ; de Eucharistia, Matth. XXVI, in ultima cœna ; de pœnitentia : *Quorum remiseritis peccata*, etc. (*Joan.* XX, 23) ; de extrema unctione : *Ungentes oleo multos ægros et sanabant* (*Marc.* VI, 13), etc. ; *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros*, etc. (*Jac.* V, 14, 15) ; de ordine : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19) ; de matrimonio : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6). Deinde licet aliquorum sacramentorum institutio non esset posita in Scriptura, potuerunt apostoli istam ab ipsius Christi ore accipere, et Ecclesiæ tradere. Probatur 2° ex Patribus, ex quibus tantum hæc Ambrosii (lib. IV *De sacrament.*, cap. 4) verba affero : « Auctor sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus. » 3° Ratione, quia sacramenta habent omnem vim suam ex meritis Christi ; ergo spe-

ctabat ad ejus excellentiæ potestatem, illa sacramentis applicare, et tanquam institutorem et caput Ecclesiæ illa sancire ne diversimode instituerentur, ac schismata fierent.

Dico 2: Sacramenta veteris legis omnia fuere ab ipso Deo immediate instituta, ut patet de circumcisione, Gen. XVII, et de reliquis in toto Exodo et Levitico, ubi Deus ea dat per ministros suos angelos et per Moysem eorum sacramentorum promulgatorem: item remedium legis naturæ fuit etiam ab ipso Deo institutum, quia nullus poterat externum et sensibile remedium adhibere ad delendum peccatum originale, et ad dandam gratiam sub tali signo nisi solus Deus, vel aliquis ex ejus commissione; sed hoc nulli fuisse commissum apparet, ergo, etc.

Dico 3: Nulla creatura potest vi ac potestate sua naturali instituere sacramenta quæ sint causæ efficaces gratiæ et infallibilia illius signa, nisi supposita Dei promissione facta isti creaturæ conferendi gratiam per signum sensibile ab illa deputatum ad istum effectum; quia nulla voluntas creata potest ex se causare gratiam, aut per se determinare per aliquod signum divinam voluntatem ad eam infallibiliter causandam: et hoc sensu, juxta Scotum, non potest Deus puro homini communicare potestatem instituendi sacramenta, id est, principalem ac primariam; potest tamen, juxta D. Thomam, illi communicare ministerialem et quasi delegatam; id est, potest illi Deus dare liberam facultatem, ut pro suo arbitrio instituat signum certum et infallibile, quo aliis conferat ministerialiter gratiam. Sed hæc facultas nulli hactenus puræ creaturæ data fuisse videtur sive in lege naturæ, sive in veteri, sive in nova.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA.

De causa proxime ministrante sacramenta.

Sect. I. — *An omnes et soli homines possint esse sacramentorum ministri.*

Dico 1: De lege ordinaria soli homines sunt sufficientes ministri sacramentorum, quia sicut Christus determinavit necessariam illorum formam ac materiam, ita etiam ordinarios eorumdem ministros; solos autem homines determinavit ministros, ut patet ex institutione, eos solos sic alloquendo, *baptizantes eos*, etc. (*Matth.* XXVIII, 19, 20); *Hoc facite*, etc. (*Luc.* XXII, 19); *Quorum remiseritis peccata*, etc. (*Joan.* XX, 23). Et vero conveniebat ut ministri ordinarii sacramentorum essent ejusdem naturæ cum Christo illorum auctore, et cum eis qui ea possent recipere. Unde quod Nicephorus (*Hist.* lib. II, cap. 20) refert Amphilochium fuisse ab angelis consecratum episcopum, ratamque habuisse hanc ordinationem cæteros episcopos, id factum est de lege extraordinaria, et ex speciali Dei commissione, cum qua angeli possunt ministrare sacramenta.

Dico 2: Probabilius, juxta D. Thomam, redivivus homo et comprehensor posset ministrare sacramenta, quia habent omnia requisita ad id munus præter statum viatoris, qui non videtur absolute necessarius, si cætera adsint, quia Christus dedit istud munus hominibus generaliter sine limitatione. Non hinc tamen sequitur quosvis homines posse ministrare quodvis sacramentum, sed sunt deputati a Christo particulares ministri ad quædam particularia sacramenta, ut postea ostendetur

Sect. II. — *An ad conficiendum sacramentum necessaria sit in ministro intentio faciendi sacramentum.*

Dico: Ad conficiendum sacramentum non sufficit externa cæremoniæ sensibilis effectio, nec etiam sufficit sola voluntas efficiendi illud opus externum quasi materialiter, v. gr. lavare, ungere, etc., sed requiritur intentio faciendi sacramentum vel sub hoc distincto conceptu, vel sub aliqua ratione confusa ac communi vel æquivalenti, nempe intendendo facere quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt, vel aliquid simile: atque hæc intentio potest reperiri etiam in infideli, in hæretico, in ignorante. Ita Scotus, Bonaventura, Gabriel, et alii Thomistæ communiter, contra Sylvestrum et alios, dicentes ad perficiendum sacramentum requiri quidem voluntatem faciendi illas actiones externas quas Christus instituit, v. gr. lavandi, ungendi, proferendi talia verba, hancque esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, sed præter hanc voluntatem nullam requiri intentionem faciendi sacramentum: nam si minister, inquiunt, velit debita verba proferre super debitam materiam, quamvis illudendi vel decipiendi causa id faciat, erit validum sacramentum. Sed probatur assertio: 1° conficiens sacramentum agit ut minister Christi; nullus autem agit ut minister alterius, nisi aliquo modo saltem intendat facere, quod voluit ille fieri suo nomine, ergo, etc. 2° Institutio Christi sic intellecta fuit ab Ecclesia, et definita videtur in concilio Florentino, et in Tridentino (sess. 7, can. 11), his verbis: *Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* 3° Cum sacramentum sit cæremonia sacra, exigit ejus reverentia, ut non joco, sed ex animo, nec casu sed ex industria ac intentione fiat; cumque actiones externæ, quibus fiunt sacramenta, de se sint indifferentes, tum ut fiant hoc vel illo modo, tum ut significent hoc vel illud, adeoque ut sint sacræ vel profanæ oportet eas definiri ad esse sacramentale per intentionem ministri; alioqui si minister abluendo corpus infantis cum sola abluendi intentione, pronuntiaret verba formæ baptismi, aut sacerdos habens panem præsentem, nihil cogitans de sacramento, proferret verba formæ, conficeret sacramentum, quod est absurdissimum et conciliis repugnans.

Objicies 1: Athanasius adhuc puer, quosdam alios pueros per jocum baptizavit, et tamen ejusmodi baptismum ratum habuit Alexander patriar-

cha Alexandrinus ; ergo non requiritur intentio in ministro. Respondeo : Nego consequens. Judicatus est valide eos baptizasse, quia interius habebat intentionem faciendi quod Ecclesia faciebat, licet exterius jocaretur.

Obj. 2 : Augustinus dicit manere baptizatum eum qui recipit baptismum absque simulatione ; ergo non est opus intentione ministri. Respondeo : Dum Augustinus requirit intentionem recipientis sacramentum non excludit intentionem dantis, et dum hæc est dubia, dubium est sacramentum.

Obj. 3 : Videtur fuisse convenientior modus instituendi sacramenta, si nulla in ministro requiratur intentio ; quando enim aliquis per suum ministrum seu famulum, init contractum, nulla in ministro requiritur intentio ad valorem contractus, sic etiam in ministrante hostiam consecratam, nulla requiritur intentio; sufficit facere istam rem a Christo institutam. Respondeo : Nego antecedens. Ministri sacramentorum non sunt relatores alterius voluntatis, sed actores et exsecutores ex proprio suo arbitrio ; et externæ sacramentorum actiones non sunt institutæ et impositæ ad significandum materialiter, sed prout procedunt formaliter a ministris humano modo et ex potestate sibi commissa agentibus ; aliud est de ministrante Eucharistiam, quia tunc non fit sacramentum, sed recipitur jam factum.

Obj. 4 : Si minister velit dare sacramentum, sed non effectum, suscipiens tamen bene dispositus sacramenti effectum recipiet ex Christi institutione; ergo similiter faciens solam talem cæremoniam externam ex Christi institutione faciet sacramentum. Respondeo : Nego consequens. Minister habendo intentionem dandi sacramentum, non potest impedire effectum in suscipiente bene disposito, quia sacramentum applicatum agit ut causa naturalis et necessaria, secus vero est de ipso sacramento conficiendo ; ratio enim sacramenti non est necessarie connexa cum exteriori actione seu cæremonia, sed pendet ex ministro cui data est potestas faciendi, vel non faciendi sacramentum.

Obj. 5 : Si valor sacramenti pendeat ex ministri intentione, fideles cum anxietate incerti erunt de suscepto sacramento. Respondeo : Nego assumptum. Satis est enim quod habeant moralem et humanam certitudinem, qualis esse potest in actione, quæ per homines et humano modo exercenda est ; sicuti negari non potest quin multorum sacramentorum validitas pendeat ex eo quod minister vere sit baptizatus aut ordinatus, atque ex interno charactere, vel ex potestate jurisdictionis, ut in sacramento pœnitentiæ, ex quibus principiis potest oriri incertitudo de veritate vel sacramenti effectu ; quod non est inconveniens, quia res humanæ habent hanc incertitudinem annexam.

Obj. 6 : Sic sacramenta ab hæreticis collata, servata Ecclesiæ forma, erunt incerta ; quia possumus dubitare de vera intentione ejus qui veram fidem non habet. Respondeo : Quamvis tale sacramentum sit aliquo modo susceptum ex personæ conditione, ideoque non debeat, quoad fieri potest, sacramentum ab hæretico suscipi, tamen istud sacramentum non est simpliciter dubium, si nullus alius defectus intercedat vel timeat intentionis defectum, quia hæresis non excludit hanc intentionem sacramentalem ; potest enim hæreticus intendere facere id quod Christus instituit. Si enim intendat facere quod Christus instituit, licet non intendat quod intendit Ecclesia Romana, et applicet omne id quod est de substantia sacramenti, verum conficiet sacramentum, nisi sit tanta voluntatum contrarietas, ut intentio faciendi sacramentum tam in communi, quam in particulari omnino destruatur : v. gr. si hæreticus Calvinista absolute vellet efficere Eucharistiam, quæ non sit corpus Christi, sed tantum figura corporis, tunc nihil efficeret defectu intentionis faciendi sacramentum. Verumtamen privatus tantum error non excludit generalem intentionem faciendi sacramentum aut quod Christus instituit : sic baptizatus volens inire matrimonium eo modo quo Christus illud instituit, putans non esse sacramentum, conficiet sacramentum.

Sect. III. — *Qualis intentio sufficiat ad efficiendum sacramentum.*

Dico 1 : Intentio remota seu interpretativa et in causa, qualis esse censetur in voluntario tantum indirecto, non sufficit ad efficiendum sacramentum : v. gr. sacerdos ebrius pronuntians super panem verba consecrationis, etiamsi voluisset ebrietatem et indirecte illius effectum, imo etiamsi prius habuisset intentionem proferendi verba consecrationis et per illa conficiendi sacramentum tempore ebrietatis, nil tamen efficit ; quia ista actio in ebrietate non est humana, sive non est hominis utentis ratione, et prior intentio non est principium a quo illa procedit, nisi valde remote et per accidens, quod non sufficit ; aliud est de homine distracto, qui ex præcedenti intentione conficit sacramentum, illius enim actio est humana et utentis ratione. Interpretativa autem intentio non sufficit, quia non est intentio quæ sit, sed quæ esset si res proponeretur. Augustinus loquitur de ebrioso, non de ebrio. Ebriosus enim potest uti ratione. Deinde in ministro requiritur intentio faciendi sacramentum, quia est principium illius efficiens, non autem in suscipiente, quia est tantum illius subjectum.

Dico 2 : Intentio mere habitualis non sufficit ad sacramentum conficiendum, quia cum non sit amplius nec in se, nec in sua virtute, non potest influere in effectionem sacramenti. Nec tamen requiritur actualis, licet sit optima, sed sufficit virtualis tantum. Virtualis autem est illa quæ ex præcedente actuali et non revocata intentione vel moraliter vel physice permanens, sua virtute et humano modo influit in effectum. Præcedens vero illa actualis intentio sacramentum conficiendi censetur vir-

tualiter permanere in ipsis externis potentiis quatenus per illam applicatis ad sacramentum certa quadam actionum serie non interrupta peragendum. Probabile est tamen cum ista externarum actionum serie concurrere aliquos vel phantasiæ appetitus sensitivi, vel etiam intellectus et voluntatis tenues actus ex vi præcedentis intentionis excitatos, quibus ista actionum series dirigitur.

Dico 3 : Ad conficiendum sacramentum requiritur intentio absoluta vel conditionata quæ transeat statim in absolutam, qualis est, si conditio sit de præsenti vel præterito et subsistat ; hoc enim ipso, quo subsistit conditio, transit in absolutam intentio, sic enim jura sæpe consulunt conficere sacramentum, v. gr. sub hac conditione : *Si tu non es baptizatus*, aut simili. Quæ conditio interdum potest exterius exprimi, interdum sola mente et intentione concipi ; neutro tamen modo adhibenda est sine causa vel necessaria vel probabili, alioqui peccare poterit minister, quia ejus intentio debet esse determinata quoad fieri potest. Nunquam tamen illa obstabit veritati sacramenti, si posita fuerit. Posita autem conditio de futuro contingenti, v. gr. si quis dicat : *Si restitueris, ego te absolvo*, semper est contrariæ substantiæ ac veritati sacramenti, quia hæc conditio suspendit præsentem intentionem, et efficit ut minister hic et nunc absolute non habeat voluntatem faciendi sacramentum ; ergo non fit nunc. Neque postea impleta conditione fiet, quia tunc non erit amplius forma et materia sacramenti, sine quibus non potest haberi sacramentum. Idem dic de eo qui contraheret matrimonium sub conditione de futuro. Aliæ autem conditiones de futuro, quæ videntur æquivalere conditioni de præsenti, reddunt sacramentum dubium, v. gr. *Si es prædestinatus, te baptizo*, etc., et minister sic baptizans gravissime peccaret.

Dico 4 : Ut sacramentum sit validum, requiritur ut intentio ministri dirigatur ad certam personam vel materiam absque errore substantiali ; actiones enim sunt circa singularia. Unde intentio ministri debet esse talis, ut simpliciter dirigatur ad præsentem personam vel materiam absque limitatione, sive absque implicita conditione non faciendi sacramentum, si persona non est illa quam ipse existimat, nisi specialis ratio aut necessitas obliget ad limitandam hoc modo suam intentionem : v. gr. in contrahendo matrimonio, in quo error personæ est substantialis ; quod in aliis sacramentis fieri nequit nisi forte minister expresse limitaret suam intentionem ad talem tantum personam a qua omnis sacramenti effectio pendet.

Sect. IV. — *An status gratiæ, bonitas aut fides sive habitualis sive actualis sit necessaria in ministro ad valide conficiendum sacramentum.*

Dico : Ad valorem et veritatem sacramenti non requiritur in ministro sanctitas seu status gratiæ aut bonitas. De fide contra Donatistas et Albigenses, quorum errorem cumulans Wicleffus, etiam prædestinationem in ministro requisivit ; nec etiam requiritur fides, dummodo reliqua omnia necessaria concurrant. De fide contra varios hæreticos, quibus re nondum definita præivit Agrippinus, episcopus Carthaginensis, quem secutus est sanctus Cyprianus Agrippini successor, multique alii Africæ episcopi docentes invalidum esse baptismum ab hæreticis collatum, adeoque ab iis baptizatos, rebaptizandos esse. Ista enim controversia tunc inter hos Patres sine pertinacia et nota hæresis ventilabatur. Postea vero Donatistæ id pertinaciter docuerunt etiam post Ecclesiæ definitionem, quos secuti sunt Albigenses, Wiclefistæ, aliique hæretici. Sed probatur assertio : 1° *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi ; quæcunque dixerint vobis, servate et facite ; secundum autem opera eorum nolite facere* (*Matth.* XXIII, 2, 3). *Jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur* (*I Cor.* IV, 2). Ergo licet quis prave aut infideliter suo munere fungatur, est tamen dispensator sacramentorum. Deinde credibile est tempore apostolorum multos fuisse baptizatos ab hæreticis jam tunc pullulantibus, aut ab ipso Juda, at nullibi in Scriptura legitur jussos eos rebaptizari ; ergo. 2° Ex antiquitate et perpetua Ecclesiæ traditione, nam ante Agrippinum nullus prædictæ veritati contrarium tenuit ; et Augustinus (*De baptism.*, lib. I, cap. 7) refert post mortem Cypriani eam fuisse definitam in plenario concilio, nempe probabiliter in œcumenico Nicæno. Deinde concilium Tridentinum (sess. 7, can. 12) definit ministros sacramentorum licet in peccato mortali sint, vera conficere sacramenta, si cætera necessaria servent. Et (*Ibid.*, can. 4) definit baptismum posse dari ab hæreticis. 3° Ratione, quia virtus sacramentorum provenit non ex bonitate, sanctitate, fide ministri, sed ex solis Christi meritis ; et certe si sacramentorum valor ab istis rebus penderet, videretur Christus non satis consuluisse Ecclesiæ, cum istæ in multis ministris desint, aut ignotæ sint, sicque quilibet posset dubitare de valore sui baptismi, absolutionis, ordinationis, etc. Atque hæc assertio non tantum de sacramentis, sed etiam de eorum effectibus vera est : ita ut minister quantumvis iniquus vel hæreticus sicut verum confert sacramentum, ita etiam ejus effectum conferat, si suscipiens non ponat obicem, et hoc non solum in sacramentis novæ legis, sed etiam sacramentis legis naturæ et veteris habere potest locum ; quamvis non ita sit certum, v. gr. sacramentum circumcisionis ab infideli collatum potuit esse validum. Nec obstat quod dicatur in iis non fuisse data gratia, nisi prout erant signa protestantia fidem Christi venturi ; quia id intelligendum est non de ministri, sed de Ecclesiæ fide.

Objicies 1 : *Ab immundo quis mundabitur* (*Eccli.* XXXIV, 4) ; *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* (*Ibid.*, 30.) Respondeo ad primum : Minister sacramenti non mundat virtute sua, sed virtute Christi, qui per illum operatur, non ut immun-

dus est, sed ut homo est, quo utitur ut instrumento suo; ideoque potest minister sanctitatem quam ipse non habet, alteri dare, quia non ut principalis, sed ut instrumentalis causa operatur. Respondeo ad secundum : Non agitur ibi de nostro baptismo, sed de purificatione ab immunditia legali, quæ contrahebatur ex contactu mortui, sive de eo qui se purificat ob talem contactum, et iterum tangit mortuum.

Obj. 2 : Sanctus Cyprianus fuit cum multis episcopis Africanis acerrimus defensor contrariæ sententiæ. Respondeo : Cyprianum a Stephano papa reprehensum, ante mortem deposuisse suum errorem censet Augustinus (epist. 48, *Ad Vincent.*). Quod etiam fecisse episcopos Africanos, qui prius in suo concilio subscripserant, scribit Hieronymus in *Dialogo contra Luciferianos.*

Obj. 3 : Athanasius (serm. 3 *Contra Arianos*) baptismum ab Arianis datum dicit esse vanum, inutilem, speciem tantum baptismi, etc. Respondeo : Athanasius non agit de valore sacramenti, sed de effectu, qui est sanctificatio, quam non consequuntur ii qui consentiendo cum illis hæreticis in errore fidei, ab ipsis baptizantur; et in hoc sensu dicit talem baptismum esse vanum et inutilem. Unde non sentit fuisse invalidum, cum dicat eos versari in periculo amittendi veritatem baptismi, non autem amisisse. Sentit ergo quoniam errabant in fide Trinitatis, facile potuisse eos committere essentialem defectum vel in forma, vel in debita intentione baptizandi. Sic etiam intellige Gregorium Nazianzenum, aliosque Patres loquentes de baptismo ab hæreticis dato; non enim dicunt baptismum ab hæreticis collatum, esse invalidum, sed infructuosum, seu infructuose conferri illis, qui consentiendo eorum errori et schismati, ac proinde obicem gratiæ ponendo, ab illis baptizantur.

Obj. 4 : Hæreticus non est membrum Ecclesiæ, utpote carens fide, ergo non potest operari ut minister Ecclesiæ, non potest enim corpus operari nisi per membra sua, adeoque non potest conferre sacramenta. Respondeo : Licet hæreticus non sit membrum Ecclesiæ quoad substantiam seu formam constituentem tale membrum in esse membri Ecclesiæ, tamen quoad ministerium se gerit ut Christi ministrum : Christus enim non solum per membra sibi conjuncta, sed etiam per abscissa operatur, eisque utitur in suæ Ecclesiæ utilitatem; et licet soli Ecclesiæ data sint sacramenta, possunt tamen ab iis qui sunt extra Ecclesiam, impie et injuste usurpari et administrari.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA.

De subjecto apto ad suscipienda sacramenta.

Sect. I. — *Quinam sint capaces sacramentorum.*

Dico 1 : Soli homines viatores sunt capaces sacramentorum, utpote soli capaces recipiendi gratiam et ejus augmentum. Creaturæ irrationales sacramentalia quidem, sed non sacramenta recipere possunt, v. gr. calicis consecrationem. Angelus de potentia extraordinaria, non ordinaria, posset sanctificari per aliquod signum sensibile, v. gr. per vocem, per aquam, etc., sicut dæmon cruciatur per ignem tanquam Dei instrumentum.

Dico 2 : Omnes homines viatores post suam nativitatem sunt capaces aliquorum, non tamen omnium sacramentorum novæ legis, v. gr. baptismi immediate, deinde confirmationis et pœnitentiæ suscipiendæ sunt omnes capaces, sive vir, sive mulier; sed mulier non est capax suscipiendi ordinis, etc. Et hæc capacitas non est tantum passiva, sed etiam moralis, id est, capacitas ponendi dispositiones ad sacramentum requisitas.

Sect. II. — *An ad valorem sacramenti requiratur in suscipiente consensus aut alia dispositio.*

Nota agi de adultis, nam infantes sunt incapaces consensus; contra hæreticos fingentes Deum miraculose efficere ut sacramenti susceptioni consentiant, eos illuminando.

Dico 1 : Ad valorem sacramenti opus est, ut recipiens habeat intentionem seu voluntatem vel formalem vel virtualem seu interpretativam recipiendi sacramentum : ita communiter theologi contra Cajetanum, qui nullam in suscipiente requirit voluntatem seu intentionem recipiendi sacramentum, modo non contradicat. Probatur : 1° ex concilio Carthaginensi III, can. 34, ubi dicitur : *Ægrotantes, si pro se respondere non possint, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur.* Et Arausicano I, can. 12, sic dicente : *Subito obmutescens prout statutum est, baptizari et pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet.* Quod hic dicitur de baptismo et pœnitentia, id a fortiori extendendum est ad alia sacramenta. 2° Ex usu, praxi, et traditione Ecclesiæ. 3° Ratione, quia sacramenta instituta sunt ad nostram sanctificationem; convenit autem ut nullus adultus sanctificetur, nisi consentiat; deinde aliqua ex illis inducunt novam gravem obligationem, v. gr. ordo. Æquum est ergo ut illam non incurrat homo sine suo consensu. Hinc dum cap. *Majores* dicitur : *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, id non intelligitur de pura voluntatis carentia, sed de præcedente voluntate recipiendi sacramentum non retractata et moraliter permanente. Sic etiam dum datur extrema unctio ratione destitutis, præsumitur eos ante habuisse saltem implicite vel confuse voluntatem illius recipiendæ, eamque non fuisse retractatam. Concilium Florentinum requirens tantum tria ad valorem sacramenti, nempe materiam, formam et intentionem ministri, non numerat intentionem suscipientis, quia affert tantum ea quæ sunt necessaria semper; intentio autem suscipientis non est semper necessaria, v. gr. in infante baptismum suscipiente, nec in conficiente Eucharistiam requiritur suscipiens. Deinde suscipiens quasi includitur in materia sacramentorum quæ in usu consistunt.

Dico 2 : Ad valorem omnium sacramentorum

(excepto pœnitentiæ sacramento, de quo postea) nulla in suscipiente requiritur dispositio fidei supernaturalis pœnitentiæ aut justitiæ, ut patet ex conciliis et pontificibus docentibus hæreticos juxta ritum Ecclesiæ catholicæ baptizatos, aut sacris initiatos, non esse rebaptizandos, aut iterum sacris initiandos, etiamsi sacramentum sine fide supernaturali susceptum ab eis fuerit. Aliud est enim suscipere validum sacramentum, aliud recipere ejus effectum, seu gratiam. Augustinus requirit non fidem supernaturalem, sed aliqualem credulitatem quanta nempe requiritur ad habendam voluntatem suscipiendi sacramentum; et Cyrillus dicit hæreticos rebaptizandos, nempe eos qui baptizati fuerant sine debita forma aut materia.

Appendix præcedentis sectionis. — *Quæ est commentarius quæst.* 65, *art.* 2, *circa numerum sacramentorum.*

Dico 1 : Circa numerum sacramentorum novæ legis errarunt hæretici per defectum, alii duo, alii tria, alii quatuor, alii quinque sacramenta tantum admittentes, eo quod nullus sanctorum Patrum alicubi septem sacramenta simul recenseat. Quidam autem Catholici retinentes septenarium numerum secundum genericam sacramenti rationem, eum quasi augent secundum specificam, distinguentes duo baptismata, aquæ et sanguinis, plura ordinis sacramenta et plura Eucharistiæ; nempe aliud permanens, aliud in usu. Et sanctus Augustinus panem sanctificatum, exorcismos, signum crucis, etc., vocat sacramenta, id est sacramentalia. Quare

Dico 2 : Fides catholica docet septem esse a Christo instituta sacramenta, quæ partim in Scriptura expressa sunt, partim insinuata et ab Ecclesia magis declarata. Vide supra, disp. 12, sect. 1 et 2. Probaturque ex perpetuo Ecclesiæ usu et traditione, definitumque est in concilio Florentino quod Græci et Armeni etiam receperunt, et in Tridentino, (sess. 7, can. 1); sed postea de singulis magis id demonstrabitur. Quamvis Patres alicubi, alii alia sacramenta interdum tacuerint, nullus tamen eorum, septem sacramenta negavit, aut aliquod ex illis exclusit a numero sacramentorum.

Dico 3 : Similiter fides catholica docet non esse plura sacramenta, quam hæc septem, baptismum, confirmationem, pœnitentiam, Eucharistiam, ordinem, extremam unctionem et matrimonium, uti definit Tridentinum in dicto canone. Sed sintne ista septem sacramenta, ultimæ species septem, an vero solum septem, capita ad quæ omnia Ecclesiæ sacramenta reducuntur sive specifice sive generice, nihil in hoc definitum est, quamvis probabilius sit omnia ista sacramenta esse ultimas species. Cum autem instituta sint sacramenta ad vitam animæ, ideo iste septenarius numerus optime illi convenit per relationem aut similitudinem ad vitam corporis. Nam baptismus institutus est ad regenerandos homines in vita spirituali; confirmatio, ad augendum vitæ spiritualis robur; Eucharistia, ad nutriendam charitatem; pœnitentia, ad curandas spirituales ægritudines; extrema unctio, ad curandas spiritualis ægritudinis reliquias et restaurandas vires; ordo, ad regendos homines in vita spirituali: matrimonium, ad illos procreandos.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA.

De sacramentalibus, seu de cæremoniis sacramentorum in communi.

Sect. I, II. — *Quid sit cæremonia seu sacramentale, et an ejus usus sit sanctus.*

Dico 1 : Cæremonia sacramentalis, de qua sola hic agimus, est exterior actio religiosa aut circumstantia, seu ejus conditio ad sacramentorum vel sacrificii ornatum, ac debitum cultum instituta, et in sacramentorum administratione aut sacrificii oblatione ab Ecclesia observata : v. gr. in baptismo unctio, exorcismus, etc.; et si istæ cæremoniæ materialiter sumantur, possunt ad omnia decem prædicamenta pertinere, v. gr. aliæ ad substantiam, aliæ ad quantitatem, aliæ ad qualitatem, etc.

Dico 2 : Usus cæremoniarum sacramentalium, quas nunc Ecclesia observat, est pius et ad cultum Dei secundario saltem pertinens, Ecclesiæque ac fidelibus non parum utilis. De fide contra recentiores hæreticos illas repudiantes. Habetur ex concilio Tridentino (sess. 7, can. 13), ubi hos ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos et ab Ecclesia catholica receptos ac approbatos, observandos ac retinendos esse definit. Deinde iste exterior Dei cultus est honestus, nulla lege sive naturali, sive scripta sive evangelica prohibitus, multumque servit ad decentem sacramentorum administrationem, adeoque ad secundarium Dei cultum. Præterea inspirat populo Christiano majorem reverentiam erga res sacras, et ad majorem mysteriorum fidei intelligentiam ac devotionem conducit.

Sect. III, IV. — *Quis possit cæremonias sacramentales instituere, ministrare, mutare; et quem spiritualem effectum habeant.*

Dico 1 : Sacramentales cæremoniæ, quæ sunt extra sacramentorum substantiam, quamvis interdum introductæ sint ad Christi exemplum et imitationem, non sunt immediate ab eo institutæ, v. gr. mistio aquæ cum vino in missa, teste Cypriano (epist. 62), manavit ex Christi exemplo. Christus enim in lege nova præter fidei et sacramentorum præcepta, nulla alia tradidit, adeoque istas cæremonias non instituit; ideo in illis pro diversitate temporum et locorum reperitur varietas, manente invariabili sacramentorum substantia; ergo signum est hanc solam, non illas, esse de jure divino, et immediate a Christo determinatam.

Dico 2 : Christus dedit Ecclesiæ potestatem istas cæremonias instituendi, quam partim apostoli, partim eorum successores episcopi et pontifices exercuerunt; et inde cæremoniæ, quas nunc observat Ecclesia, originem habuerunt. Tota hæc assertio,

quoad rem in ea contentam est de fide, ut constat ex concilio Tridentino (sess. 7, can. 13, et sess. 21, cap. 2) afferente hæc Scripturæ loca : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (*I Cor.* IV, 1) ; *Cætera autem cum venero, disponam* (*I Cor.* XI, 34). Harum usus jam incepit a tempore apostolorum, ut constat ex Clemente (lib. VII *Const.*, cap. 23), etc. ; ex Dionysio (*De Eccles. hier.*), ubi fere in singulis capitibus hos ritus docet, et significationes declarat ; ex Innocentio I (epist. 1) docente istas cæremonias ab apostolo Petro originem in Ecclesia Latina duxisse ; similiter alii Patres loquuntur. Christus enim dum dixit Petro : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17), Ecclesiæ suæ dedit potestatem ejusmodi cæremonias instituendi, de quibus generatim, juxta Augustinum (*De baptismo*, lib. IV, cap. 42), sic sentiendum est : « Quæ servantur ab universa Ecclesia, semperque servata leguntur, nec in ullo concilio aut summi pontificis decreto instituta » reperiuntur, v. gr. quod Eucharistia a jejunis sumatur, aqua vino consecrando misceatur, etc., signum est eas ab apostolica traditione manasse ; item quæ in universa Ecclesia Latina, sed non in Græca, aut contra, v. gr. quod fiat consecratio in pane fermentato aut in azymo, potuerunt etiam ab apostolis manasse, quia cum diversi apostoli in diversis regionibus evangelizaverint, et Ecclesias fundaverint, in iis quæ ex humano arbitrio pendebant, potuerunt diversos ritus tradere seu introducere. Unde inferiores prælati istos ritus in universa Ecclesia receptos, non possunt mutare, sed solus summus pontifex ex gravissima causa aut necessitate.

Dico 3 : Sicut hæc sacramentalia ab Ecclesia sunt instituta, ita eorum ministri sunt illi, qui juxta eamdem Ecclesiæ institutionem sunt ad hoc ministerium designati, quod non eget majori declaratione ; v. gr. solius papæ est cereos Dei agnos consecrare.

Dico 4 : Ista sacramentalia non tantum ex opere operato non conferunt gratiam sanctificantem, alioqui essent sacramenta ; sed nec auxiliantem, seu aliquem bonum gratiæ motum. Non potest enim Ecclesia instituere signum, in quo infallibiliter ex opere operato detur gratia sive sanctificans sive auxilians, cum solus Deus utriusque sit auctor, solusque possit illam infallibiliter promittere ; nec videatur dedisse Ecclesiæ potestatem sic promittendi illam nomine suo. Quando tamen illa in sua benedictione specialiter ordinantur per Ecclesiæ orationem ad obtinendum aliquod actuale Dei auxilium, seu gratiam auxiliantem, tunc per modum impetrationis specialiter, sed non infallibiliter, adhibito ejusmodi sacramentali, solet obtineri a Deo iste effectus, v. gr. in templo consecrato ob ejus consecrationem Deus specialius assistit ad exaudiendas fidelium orationes, aut ad movendos eorum animos, etc. secus vero, si in sua benedictione aut consecratione, v. gr. calicis, candelæ, etc., non ordinentur specialiter per Ecclesiæ orationem ad talem effectum ; tunc enim nullum alium habent effectum præter eum, qui ex natura rei sequitur, id est, effectum signi memoriam excitantis. Idem dic de obtinenda peccati venialis remissione, si Ecclesia in sacramentalis benedictione, v. gr. aquæ lustralis, tunc effectum sive bonum motum ad impetrandam istam remissionem specialiter postulet, tunc enim ordinarie obtineri potest ; secus autem si Ecclesia ad hunc finem illud non ordinet. Quoad remissionem pœnæ temporalis, non videtur ad illam ordinari sacramentale, nisi papa illud applicet per modum indulgentiæ.

Dico 5 : Cum Ecclesia habeat potestatem a Christo datam ad imperandum dæmonibus, et ad illos coercendos et expellendos, ut constat ex Ecclesiæ usu et traditione, atque ex Patribus, ideo in conficiendis multis sacramentalibus adhibet orationes ad hunc effectum consequendum, v. gr. in exorcismis, etc. : qui effectus etiam tribuitur invocationi nominis Jesu. Hinc dæmon, ob Christi voluntatem cogitur Ecclesiæ jussui parere, aut minister in persona totius Ecclesiæ orans non tantum ob suam, sed maxime ob Ecclesiæ sanctitatem istum effectum a Deo impetrat, aut etiam quasi connaturaliter impetratur ; cum enim dæmon virtutem Christi, vel invitus agnoscat, seque per ejus crucem victum sciat, audito Christi nomine, vel viso ejus crucis signo, quasi naturaliter perhorrescit, torquetur, confunditur, fugit non per vim causæ physicæ, sed moralis. Hic tamen effectus non infallibiliter, sed juxta Dei beneplacitum tantum modo obtinetur. Idem fere dic de obtinendo aliquo beneficio temporali seu corporali, v. gr. sanitate, ex vi alicujus sacramentalis per modum impetrationis.

DISPUTATIO DECIMA SEXTA.

De sacramentorum præceptis ad eorum ministros spectantibus.

SECT. I. — *Quis possit licite vel teneatur administrare sacramenta.*

Dico 1 : Potestas administrandi sacramenta non est eadem respectu omnium sacramentorum ; nam in quibusdam sufficit potestas ordinis sacerdotalis vel episcopalis, interdum requiritur insuper potestas jurisdictionis, interdum vero neutra est necessaria ad valorem sacramenti, v. gr. in baptismo. Deinde præter potestatem conficiendi sacramentum, requiritur etiam jus seu facultas illud administrandi, ut licite possit dispensari. In ipsis autem sacerdotibus præter potestatem ordinis, quam habent ex vi suæ ordinationis, ut possint licite ministrare sacramenta, requiritur potestas jurisdictionis vel ordinaria, vel delegata ab eo qui est pastor ordinarius. Hinc peccat episcopus qui in aliena diœcesi ordines confert sine proprii episcopi facultate ; uti etiam peccat simplex sacerdos propria auctoritate ministrans sacramenta alienis ovibus ; omnesque qui dum juxta statuta ecclesiastica sunt privati jure administrandi, illa dispensant.

Dico 2 : Obligatio ministrandi sacramenta solum

cadit in eum qui potest illa licite ministrare, vel simpliciter, vel in casu aliquo; quæ obligatio potest oriri vel ex charitate, vel ex justitia, præter alias obligationes accidentales, quæ possunt provenire ex voto, obedientia, etc.

Sect. II. — *An ministri sacramentorum teneantur nec formam nec materiam illorum mutare, et quomodo in hoc peccent.*

Dico 1 : Minister mutans in forma vel materia sacramenti aliquid substantiale seu essentiale, graviter peccat, quia non applicat materiam vel formam a Christo institutam, adeoque nec conficit sacramentum; et idem dic si debitam ac necessariam intentionem in eo conficiendo non adhibeat. Unde minister tenetur applicare, dum potest, certam et non dubiam materiam ac formam; graviterque peccat, si, omissa certa materia ac forma, quam potest habere, utatur incerta ac dubia, quamvis id faceret sequendo opinionem probabilem speculative, vel etiam probabiliorem de veritate et sufficientia. Sed in hoc pro sacramento pœnitentiæ, si excipias mortis articulum, non comprehenditur attritio, cum sit materia practice certa. Hinc

Dico 2 : Minister non tantum tenetur in conficiendis sacramentis utî materia et forma essentialibus, sed etiam tenetur servare in materia et forma eum modum quem Ecclesia præscripsit, aut recepta et universali consuetudine observat; ideoque mutationem in hoc facere, ex suo genere est peccatum grave contra virtutem religionis, v. gr. si quis in Ecclesia Latina consecraret in pane fermentato, aut omitteret mistionem aquæ in missæ sacrificio.

Sect. III, IV. — *An ministrantes sacramenta teneantur esse in statu gratiæ.*

Dico 1 : Minister ex officio administrando sacramentum ut minister, tenetur se ad gratiam præparare ut illud administret. Unde si sciens et videns, in statu peccati mortalis illud administret, mortaliter peccat peccato sacrilegii, ut constat ex Patribus Dionysio, Augustino, etc. Ratio est quia sacerdotes sunt specialiter consecrati ad hoc munus, et specialem gratiam ad illud digne exercendum recipiunt; ergo ex vi talis muneris et consecrationis oritur in eis obligatio digne ac sancte sacramenta tamque sancta mysteria tractandi, saltem quando illa administrant ex officio; tenentur enim se conformare principali agenti, ut sint sancti, sicut ille sanctus est. Minister tamen conscius peccati mortalis non tenetur ante sacramenti administrationem præmittere confessionem, sufficit enim perfecta contritio, sed non sola attritio sine confessione; si tamen ipse debeat communicare, non sufficit contritio, sed præmittenda est confessio.

Dico 2 : Diaconus et subdiaconus, canendo Epistolam aut Evangelium solemniter in peccato mortali, probabiliter non peccat mortaliter : ita Soto contra Angelum et Cajetanum. Non videtur enim hæc materia tam gravis ut censeatur esse sacrilegium grave in mortali istam actionem exercere sine scandalo; multo minus peccabunt mortaliter in solis quatuor minoribus ordinibus constituti, si suum munus exerceant in peccato mortali, maxime cum non sat constet istos ordines esse vera sacramenta, sed tantum sacramentalia. Hinc episcopus dans primam tonsuram, consecrans Ecclesiam, benedicens sacras vestes; concionator, prædicans verbum Dei; judex ecclesiasticus, ferens sententiam, vel alios jurisdictionis actus exercens; aut quivis minister, aliqua sacramentalia administrans in statu peccati mortalis, non peccat graviter : quia tale peccatum nec lege divina positiva, nec humana, nec naturali potest ostendi.

Dico 3 : Is qui, ob necessitatem, privatim ministrat sacramentum non ut minister ex officio, sed eo modo quo potest laicus illud ministrare, non tenetur præparare se ad gratiam ut illud ministret, adeoque nec peccat mortaliter illud ministrando in peccato mortali, sive suum statum advertat, sive non. (D. Thomas, Richardus, Sylvester, etc., contra Durandum et alios, qui tamen simpliciter contrarium docere non audent.) Probatur, quia obligatio sub peccato mortali disponendi se ad gratiam pro conficiendo sacramento, non oritur ex sola sacramenti sanctitate secundum se spectata, neque ex eo quod Christus sit ibi principale agens, sed etiam maxime ex eo quod minister sacramenti in ipso ministrandi modo, se gerat ut persona specialiter et ex officio deputata ac consecrata ad hoc munus, adeoque se exhibeat ut publicum Christi et Ecclesiæ ministrum. Hinc, juxta D. Thomam, sacerdos ministrans baptismum sine solemnitate in casu necessitatis non peccat graviter, quia tunc baptizat non ut minister ex officio, sed subvenit necessitatem patienti, eo modo quo posset illud facere laicus; peccaret autem aliunde, si id faceret extra necessitatem. Ministrando autem Eucharistiam, aut sacramentum pœnitentiæ, extremæ unctionis, etc., in mortali, peccat mortaliter, quia ad illud munus, est consecratus et agit ut publicus minister. Imo posset idem dici de contrahentibus matrimonium, sed juxta Sotum contrahentes in peccato mortali peccant quidem indigne sacramentum recipiendo illiusque effectui obicem ponendo, sed non illud ministrando, quia non sunt ministri ad hoc munus consecrati; nec sacerdos in mortali assistens, peccat mortaliter, quia ipse non ministrat sacramentum, sed cæremoniam accidentalem adhibet.

Sect. V. — *An sacramenti minister teneatur ritum ecclesiasticum servare, et quomodo peccet non servando.*

Dico 1 : Sacramentorum ministris impositum est ab Ecclesia præceptum ea non ministrandi, nisi servata solemnitate et cæremoniis ab illa institutis. De fide. Definitum est in concilio Tridentino (sess. 7, can. ult.) contra hæreticos istas ecclesiasticas cæremonias rejicientes, saltem ut non necessarias, aut inutiles, etc.

Dico 2 : Prædicti præcepti contemptus formalis

est quidem semper peccatum mortale; sed ejus transgressio facta absque contemptu, modo grave, modo leve erit peccatum pro gravitate ac levitate materiæ.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA.

De præceptis ad suscipientes sacramenta spectantibus.

SECT. I, II. — *An sacramentorum usus sit sub præcepto; et an graviter peccent indigne illa suscipientes.*

Dico 1 : Loquendo non distributive, sed indefinite, sacramentorum usus tam divino quam ecclesiastico jure est præceptus; nam usus baptismi adultis utpote præcepti capacibus, et pœnitentiæ habentibus peccatum actuale mortale, isto utroque jure est præceptus; secus vero, ordo et matrimonium. Deinde sacramentorum usus sæpe potest cadere sub obligatione ex fine vel circumstantia extrinseca, etiam quando proprium sacramenti præceptum non obligat, v. gr. si sacramenti usus sit necessarius ad vincendam tentationem, ad succurrendum proximo in necessitate exsistenti, etc.

Dico 2 : Suscipiens sacramentum obligatur ex præcepto adhibere ea omnia quæ ex ipsius parte sunt necessaria ad valorem et substantiam sacramenti, v. gr., debitam intentionem pro quovis sacramento, dolorem et confessionem pro pœnitentia, etc. Et illas etiam circumstantias quæ vel ex natura rei, vel ex speciali Ecclesiæ præcepto requisitæ sunt ad decentem recipiendi sacramenti modum, v. gr. jejunus communicare.

Dico 3 : Suscipiens sacramentum tenetur ad illud accedere ita dispositus, ut sit capax recipiendi principalem ejus effectum, id est gratiam sanctificantem; et obicem ponere huic affectui est semper peccatum mortale, nisi ob ignorantiam invincibilem aliquis excusetur. Requiritur nempe dolor de peccatis mortalibus pro recipiendis sacramentis mortuorum, id est, baptismo et pœnitentia, et status gratiæ pro reliquis, id est sacramentis vivorum. Sed licet non ponatur obex principali effectui, seu gratiæ sanctificanti, potest tamen interdum poni minus principali, v. gr. remissioni totius pœnæ in baptismo per complacentiam venialium peccatorum, actuali devotioni in Eucharistia per distractiones, actualibus gratiis sacramentalibus per posteriorem lapsum in mortale in sacramento pœnitentiæ, restitutioni sanitatis in extrema unctione per aliquam culpam, etc.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA.

De obligatione non cooperandi indigne danti, vel recipienti sacramentum.

SECT. I. — *An omnes teneantur non recipere sacramenta ab iniquis ministris, et quomodo in hoc peccare possint.*

Dico 1 : Non tantum non peti potest sacramentum ab eo qui non potest aut non vult valide dare, sed nec etiam ab eo qui absolute non potest licite dare : esset enim illum inducere ad peccatum, quamvis foret paratus ad dandum. Qui autem potest et valide et licite dare, sed licet sit daturus valide, non est tamen daturus licite, quæritur an liceat ab illo sacramentum petere. Respondeo : Si quis directe ab Ecclesia prohibeatur petere aut accipere ab aliquo ministro sacramentum, sicut tempore D. Thomæ erat prohibitum petere aut accipere a quovis excommunicato aut publico concubinario, quod postea per concilium Constantiense restrictum fuit, uti dicetur agendo de censuris; tunc non licet ab eo sacramentum petere aut accipere, exceptis casibus de quibus postea. Sed si quis tantum indirecte prohibeatur ob obligationem vel vitandi scandali, vel non inducendi alium ad peccatum, vel non cooperandi illius peccato, tunc

Dico 2 : Petere et accipere sacramentum a ministro, qui potest licite dare, sed ex sua malitia non est daturus sine peccato, non est intrinsece ac per se malum, sive sit minister ex officio, sive non, et sive sit paratus ad dandum, sive non : quia ista petitio ex suo objecto est bona, est enim petitio actionis bonæ, et malitia quæ illi adjungitur, oritur ex prava ministri voluntate, quam petens sacramenti confectionem non intendit sed permittit; sicut qui petit a gentili juramentum qui juraturus est per falsos deos, et mutuum ab eo qui usuras exacturus est. Cum autem in hac petitione possit intervenire scandalum, et occasio ruinæ spiritualis proximi, ideo videndum est, sitne scandalum activum, an mere passivum; sitne data, an tantum accepta ab alio ruinæ occasio. Hinc servanda est lex charitatis : si enim sine nostro magno detrimento possumus auferre proximo occasionem ruinæ, tenemur auferre, quamvis ipse vel ex malitia vel ex fragilitate sua lapsurus esset; si autem non possumus sine nostro gravi incommodo, non tenemur, licet inde sumat ille occasionem peccandi ex sola sua malitia vel libertate. Hinc non est universim verum licere petere a ministro qui sacramentum ministrat ex officio, et non licere ab eo qui non ex officio, sed sponte illud ministrat; item nec generaliter verum est licere petere ab eo qui paratus est ad dandum, et non licere ab eo qui non est paratus, quia licet aliquis sit paratus ad dandum sacramentum, non est tamen semper in actuali vel voluntate vel usu illud ministrandi; deinde non accedendo ad illum, vitatur aliquis ejus lapsus in individuo. Attamen ad petendum et accipiendum sic sacramentum, debet intervenire justa necessitas aut utilitas, sed non extrema aut omnino gravis, aut necessitas implendi præceptum divinum. Minor enim potest sufficere maxime ad petendum et accipiendum a ministro qui vel ex officio tenetur vel paratus est dare, quamvis in peccato sit ministraturus, si non est alius qui ministret sine peccato. Respectu autem alius ministri non parati aut non obligati, nonnulla major requiritur causa. Videtur tamen necessitas implendi ecclesiasticum audiendæ

missæ aut communicandi præceptum, vel utilitas non differendi nimium communionis vel confessionis usum, præsertim si interveniat conscientia peccati mortalis aut aliquid simile. Deinde ut quis teneatur non petere sacramentum a ministro male disposito, debet ei moraliter constare de ista mala dispositione, et cum illa eum ministraturum sacramentum. Hinc etiamsi contingat videre sacerdotem paulo ante mortaliter peccantem, nisi sit consuetudinarius, poterit ab illo peti sacramentum etiam non parato, aut non obligato ex officio illud ministrare, quia semper potest sperari eum fore convenienti modo dispositum; quod brevissimo tempore facere potest. Hinc

Dico 3 : Ministrare vel inservire sacerdoti aut episcopo, aut cuivis alteri in actione quam non potest licite facere, quia vel non habet potestatem valide illam faciendi, vel non habet jus, vel est ab Ecclesia suspensus, semper est per se malum; secus vero in actione quam potest rite et licite facere, quamvis indigne ac male ex sua libertate ac malitia sit eam facturus, hoc intelligendo juxta ea quæ jam dixi, quia ista actio ex se bona est, et circumstantia malitiæ ministri est illi valde extrinseca.

Sect. II. — *An ministri sacramentorum teneantur semper non dare illa indigne petentibus.*

Dico 1 : Minister sacramentorum per se loquendo, speciali ac proprio præcepto directe tenetur non dare illa iis qui indigne accedunt; cum enim commissa sit ei sacramenti administratio, consequenter ex natura rei præcipitur, ut istud munus tanquam fidelis et prudens dispensator peragat. Unde, juxta naturam et conditionem cujusque sacramenti, debet attendere ut non illud ministret indigno seu indisposito, interdum tamen aliquod sacramentum, v. gr. Eucharistiam peccatori occulto publice petenti, ad vitandum scandalum aut injustam proximi infamationem, ut postea dicetur, potest ministrare. Insuper

Dico 2 : Tenetur etiam indirecte non dare sacramentum indigno, ne cooperetur ejus peccato; ipsamet enim exterior sacramenti indigna receptio est peccatum exterius, cui non licet cooperari, quantumvis alter jam illud intus commiserit. Interdum autem non est intrinsece malum inducere in necessitate alium ad recipiendum sacramentum, quod potest licite recipere, sed creditur cum mala dispositione illicite recepturus, v. gr. ad contrahendum matrimonium, ut imminens scandalum vitetur; ad missam, in qua ille communicaturus est, dicendam in gravi necessitate, vel in die festo in quo oporteat populum illam audire, si non sit alius sacerdos qui illam possit dicere.

DISPUTATIO DECIMA NONA.

De institutione baptismi.

Sect. I, II. — *An Christus ante suam mortem, et quo tempore vitæ suæ baptismum instituerit.*

Dico 1 : De fide est baptismum esse unum e sacramentis novæ legis et a Christo institutum; at quæritur quando Christus illum instituerit. Juxta probabiliorem et communem theologorum sententiam Christus illum instituit ante suam passionem. Christus enim ante suam passionem jam per suos discipulos baptizabat, ut habetur ex Joan. III, 22. Non baptismo Joannis, ergo baptismo a se jam instituto : ita Cyrillus, Nazianzenus, etc. Unde Augustinus (*In Joan.* III) sentit Joannem Baptistam baptizatum illo baptismate quo apostoli tunc baptizabant, et (*De orig. animæ*, cap. 9) docet apostolos ante Christi passionem fuisse baptizatos vero baptismi sacramento; et forte tunc Christus illum instituit, ut suum baptistam illo tingeret. Et certe non est verisimile quod Christus suos apostolos communicarit, et sacerdotes ordinarit nondum baptizatos, ipsaque suæ resurrectionis die potestatem remittendi peccata nondum baptizatis dederit. Hinc Nicephorus (*Hist.*, lib. II, cap. 3) refert quod Christus ipse Petrum baptizarit, et Petrus, filios Zebedæi, hique cum Petro cæteros apostolos, et hi reliquos discipulos. Euthymius autem (*In Joan.* III) ait Christum suis manibus B. Virginem ante apostolos baptizasse. Unde

Dico 2 : Baptismus institutus fuit ante Christi mortem, non solum quoad designationem materiæ, ut quidam Patres Chrysostomus, Tertullianus, etc., quasi sensisse videntur, sed etiam quoad traditionem formæ et plenam significationem, ac propriam intrinsecamque ipsius baptismi efficaciam. Hinc apostoli ante Christi passionem baptizabant cum eadem materia ac forma jam a Christo præscripta, cum qua nunc baptismus confertur. Dumque Christus post suam resurrectionem dixit : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. (*Matth.* XXVIII, 19), non baptismum instituit, sed ejus præceptum solemniter promulgavit, ac omnibus publice proposuit januam ad ingrediendam Ecclesiam. Ille ergo baptismus ante Christi mortem eamdem sanctificandi vim habebat ex futura ac prævisa ejus passione, quam nunc habet ex præterita; significabatque Christi passionem ac resurrectionem, sed nondum completam, et aperiebat cœli januam nondum in re, quia Christus nondum cœlum ascenderat, sed in spe : atque ita nulla intrinseca, sed tantum aliqua extrinseca perfectione carebat.

Dico 3 : Juxta communiorem sententiam Christus baptismum instituit saltem inchoate, ac veluti in exemplari delineavit, quando baptizatus fuit a Joanne; nam, ut aiunt Patres, baptizatus est, ut mundaret aquas, deputando nempe eas pro materia baptismi remota : ejus autem proxima materia designata est in externa Christi ablutione, forma in manifestatione SS. Trinitatis, effectus in apertione cœli; adeoque omnia quæ ad baptismi institutionem pertinent, in illo mysterio delineata reperiuntur. Sed cum non sufficiat ad baptismi institutionem ejusmodi delineatio, et requiratur practica ejus declaratio et intimatio cum præscriptione materiæ et formæ, ideo videtur Christus paulo post vel

facto vel verbo, vel potius utroque simul illam tradidisse, et fortasse ab sui baptismi hora habuit deliberatam voluntatem, ut ex tunc baptismi sacramentum haberet suam efficaciam, quamvis eam hominibus nondum statim declaraverit.

DISPUTATIO VICESIMA.

De materia baptismi.

Sect. I. — *De remota baptismi materia.*

Dico 1 : Propria et essentialis remota baptismi materia est vera ac sensibilis aqua. De fide. Et definitur in conciliis Lateranensi, Florentino, Tridentino, contra Gnosticos et Manichæos volentes solis verbis baptismum esse conferendum, sumpto nomine *aqua* metaphorice pro gratia. Item contra Jacobitas, qui ultra aquam et formam cum candenti ferro inurebant baptizati frontem charactere crucis, male interpretantes hæc Matth. III, 11 verba : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne ;* et contra Flagellantes dicentes baptismum conficiendum sanguine ex proprio corpore per flagella expresso. Sed probatur assertio : 1° ex Scriptura : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* (*Joan.* III, 5); *Baptizantes eos*, etc. (*Matth.* XXVIII, 19), id est, aqua abluentes. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* etc. (Act. VIII, 36.) 2° Ex Patrum traditione, et perpetuo Ecclesiæ usu. Deinde ista materia maxime congruit ; quia baptismus est absolute necessarius, et aqua facillime habetur, et sicut aqua mundat corpus, ita gratia baptismi animam.

Dico 2 : Sola aqua elementaris, naturalis, simplex seu usualis est materia necessaria et sufficiens ad baptismum conficiendum ; adeoque aqua fontana, marina, calida, frigida, etc., modo sit vera aqua naturalis, valet ad baptismum, non vero liquor ex floribus aut herbis expressus, aut aliud quod non sit vera aqua. Quod attinet ad ista verba Matth. III, 11 : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne.* Hieronymus, Beda, etc., ibi per *ignem* intelligunt ignem sub cujus forma descendit Spiritus sanctus in die Pentecostes ; Chrysostomus, Basilius, etc., intelligunt efficaciam baptismi dantis gratiam ; Anselmus, sacramentum confirmationis ; alii vero remissionem seu purgationem peccatorum in hac vita et in altera, et gratiarum abundantiam.

Sect. II. — *De proxima baptismi materia.*

Dico : Proxima baptismi materia est ablutio, uti habetur ex Ephes. V, 26 : *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ* (seu ablutione) *in verbo vitæ.* Hæc ablutio prout dicit effectionem contactus aquæ ad corpus baptizati, habet rationem actionis ; prout autem dicit ipsam aquam quasi in corpore receptam, seu corpus contingentem, habet se ad instar passionis, quamvis proprie ac physice non sit vera passio, importans alterationem sensibilem, sed sola corporis contiguitas, in qua contactus ille consistit, abstrahendo ab eo quod corpus mundet, refrigeret, etc. Debet eadem ablutio esse successiva sic ut contactus aquæ ad corpus fiat divisibiliter cum quadam successione, sive successiva effusione partium aquæ super corpus baptizandi. Non requiritur tamen totius corporis ablutio, sed sufficit ut corpus in aliqua principali sui parte, v. gr. in capite, aqua tingatur : si autem tantum in pede tingatur, dubius erit baptismus, multo autem minus sufficiet si in minima parte, etiam extrema necessitate occurrente, sufficiet. Deinde requiritur et sufficit ea quantitas aquæ, quæ ad sufficientem corporis partem abluendam seu successive contingendam sufficit, adeoque parva quantitas aquæ sine dubio sufficiet, quia successive fluere potest per notabilem corporis partem. Hinc si dum absolvitur forma jam fluxerit, quantumvis minima aquæ quantitas in sufficientem corporis partem, statim perficitur sacramentum, ideoque in prima aut in secunda mersione seu aquæ affusione : jam sacramentum erit confectum, si tunc tota forma prolata fuerit. Unde si velit minister ut omnes mersiones concurrant ad sacramentum, non debet absolvere formam ante ultimam mersionem. Baptizans infantem animam agentem, si prolata tota forma statim moriatur, non incurrit irregularitatem, quia nullo modo censetur causa mortis, utpote nec intentæ, nec injuste acceleratæ, etc.

Sect. III. — *Quodnam ablutionis genus ad baptismum requiratur aut sufficiat.*

Dico : Quævis ablutio, modo sit vere ablutio, sive per unam, sive per trinam vel immersionem vel aspersionem, aut aquæ affusionem fiat, sufficit ad verum baptismum constituendum. Quia ex Christi institutione præscripta est tantum ablutio ; non autem hic vel iste modus, qui non est de essentia baptismi ; et constat ex responsione Gregorii papæ ad Leandrum, et trinam et unicam mersionem approbantis ; sufficere etiam aspersionem seu aquæ affusionem docet Cyprianus (lib. IV, epist. 7) et Ecclesiæ consuetudo. Quando ablutio fit per immersionem, non videtur esse necessaria emersio ad valorem baptismi. Unde qui puerum projiceret in puteum animo ipsum baptizandi, et proferret formam antequam suffocaretur, valide illum baptizaret, quamvis ob homicidium graviter peccaret : ita satis probabiliter Gabriel, Panormitanus, etc. Gelasius autem papa, et canon quinquagesimus apostolicus, aliique Patres dum dicunt trinæ mersioni conjungendam esse expressam SS. Trinitatis invocationem, non volunt trinam mersionem esse necessariam ad valorem sacramenti, sicuti necessaria est Trinitatis invocatio ; sed quia id temporis trina mersio erat in usu et fortasse de præcepto ob hæreticorum errorem, jam vero non.

DISPUTATIO VICESIMA PRIMA.

De forma baptismi.

Sect. I, II. — *De sufficienti et necessaria baptismi forma.*

Dico 1 : Hæc forma : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* est sufficiens ad va-

lorem baptismi. De fide, contra Brentium et alios hæreticos negantes sufficere nisi præcedat verbum concionatorium, seu catechismus, quo baptizandus instruatur de fidei mysteriis juxta Christi verba : *Docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 19); sed hæc verba nullo modo spectant ad baptismi constitutionem seu essentiam. Id definitum est in conciliis Florentino et Tridentino. Imo prædicta forma, quoad significationem sive quoad sensum substantialem, est absolute necessaria ad valorem baptismi : accidentalis autem verborum mutatio non illum invalidat; hinc certum est hanc Græcorum formam : *Baptizetur N. seu servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, esse sufficientem, maxime post concilium Florentinum.

Dico 2 : De necessitate hujus formæ est, ut in ea exprimatur actus baptizandi. De fide, ex concilio Florentino, et ex Alexandro III in cap. 3 extravag. de baptismo, dicente sic: *Si quis puerum in aqua immerserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et non dixerit : Ego te baptizo, puer non est baptizatus.* Debet ergo proferri *baptizo*, quatenus per illud significatur actus baptizandi, vel aliud verbum omnino synonymum, v. gr. *abluo, lavo, intingo*, etc. Verbum tamen *baptizo*, quo Ecclesia utitur, satius est ut retineatur, in quacunque lingua sive Gallica, sive Hispanica, etc., fiat baptismus. Sed ad valorem formæ non necessario requiritur ly *baptizo;* potest enim dici *baptizaris, baptizatur*, vel ut Græci, *baptizetur*, modo in actu exercito significetur hic et nunc actus baptizandi.

Dico 3 : Non est de essentia hujus formæ, ut in ea exprimatur persona baptizans, seu ministri; quod patet in forma Græcorum : *Baptizetur servus Christi*, non subintelligendo, juxta Scotum, *a me;* sed potius *a Christo* vel *a Deo*, qui habet auctoritatem et efficaciam baptizandi. Quæ forma tam in Græca quam in Latina Ecclesia valet. Dum Zacharias papa dicit puerum non esse baptizatum, si minister non dicat : *Ego te baptizo*, solum vult exprimendum esse in forma actum baptizandi, *baptizo te;* addidit pronomen *ego*, quia sic utitur Ecclesia Latina, licet non sit necessarium. Sed essentia hujus formæ est, ut in ea explicetur seu indicetur persona quæ baptizatur, uti habetur ex perpetuo usu et traditione Ecclesiæ, et ex his verbis Christi (*Matth.* XXVIII, 19) : *Baptizantes eos*, etc. Deinde requiritur expressio hujus personæ, ut indicetur in forma distinctio necessaria inter baptizantem et baptizatum sicut inter generantem et genitum, prout dicitur in cap. *Debitum* De baptismo. Et nisi persona baptizanda exprimeretur, non posset actus baptizandi practice significari, et hic et nunc in particulari exercitus.

SECT. III, IV. — *An ad valorem formæ baptismi necessario requiratur explicata Trinitatis invocatio ; an vero sufficiat baptizare in nomine Christi, vel alio modo.*

Dico 1 : Omissis priscorum hæreticorum variis formis invalidis, de essentia formæ baptismi est, ut in ea expresse ac distincte nominentur tres personæ Trinitatis, quatenus inter se distinctæ sunt. D. Thomas, Alensis, Bonaventura, etc., contra Magistrum, Adrianum, Cajetanum, docentes sufficere implicitam illarum invocationem, qualis in forma illa continetur : *Ego te baptizo in nomine Christi.* Probatur 1° : ex verbis Christi : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* sive nominando Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. 2° Ex Ecclesiæ declaratione. Nam in canone quinto apostolorum reprobatur baptismus datus in Domini morte. Clemens (*Const.*, lib. III, 16) : *Nominans*, inquit, *invocationem Patris, et Filii, et Spiritus sancti, baptizabit eos in aqua.* Pelagius (in cap. *Si revera* De consecr., dist. 4, cap. *Multi*) et Zacharias (*Ibid.*, cap. *In synodo*) definiunt baptismum in nomine Christi, aut omissa una Trinitatis persona, esse nullum. 3° Ex testimoniis Patrum Nazianzeno, Augustino, Basilio, etc. Hinc sequitur baptismum datum in *nomine* Dei, aut omissa una Trinitatis persona, aut in nomine Christi, non exprimendo alias personas, esse invalidum ex vi institutionis.

Dico 2 : De essentia hujus formæ est, ut in ea non solum Trinitas personarum, sed etiam naturæ divinæ unitas significetur, quod fit per ly *in nomine.* (D. Thomas, Magister.) Et hinc Hieronymus (in *Ephes.* IV) : « Non baptizamur, » inquit, « in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quo intelligitur Deus. » Et Augustinus (contra Maxim., lib. III, cap. 32) : « in nomine, » inquit, « non in nominibus, quia hi tres unum sunt, et hi tres unus est Deus. » Est ergo invalida hæc forma : *Ego te baptizo in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti ;* secus vero hæc : *Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filii, et in nomine Spiritus sancti.* Dubia tamen hæc est : *Ego te baptizo in virtute vel majestate Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quia nomen et virtus non videntur esse omnino synonymæ voces.

Dico 3 : Verisimilius videtur esse apostolos nunquam usos fuisse hac forma : *Ego te baptizo in nomine Christi, vel Domini Jesu*, contra multos scholasticos sentientes illos tunc usos ista forma ex speciali dispensatione, ut nomen Christi, et fides atque amor erga illum, fidelium animis magis insiderent. Probatur : 1° ex Act. XIX, 5, 6, ubi jubet Paulus rebaptizari eos qui nesciebant esse Spiritum sanctum, judicando non fuisse baptizatos cum appellatione et invocatione Spiritus sancti. Dum dicitur in Actibus apostolorum datus fuisse baptismus in nomine Christi aut in nomine Domini Jesu, significatur fuisse datus in fide et auctoritate Christi et baptismo ab ipso instituto. Dein potest etiam dici datus fuisse baptismus in nomine Christi, sed simul *Patris et Spiritus sancti ;* dicendo, v. gr. : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus sancti.* 2° Ex canone quinquagesimo apostolorum damnante eos qui baptizabant in morte

Christi, et sic rationem subdente : *Non enim dixit nobis Dominus :* In morte mea baptizate, *sed* in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. 3° Ex testimoniis Patrum Cypriani, Fulgentii, Augustini, etc., qui prædicta testimonia sic interpretati sunt. 4° Nulla habetur probabilis conjectura talis dispensationis. Nicolaus papa respondens aliter baptismum valere collatum in nomine solius Christi, qua de re, sed de alia fuerat interrogatus, potuit errare ut privatus doctor.

Dico 4 : Juxta communem sententiam ad valorem baptismi non est valida hæc forma : *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, et Spirati* (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, etc., contra Cajetanum, etc.) ; saltem est practice dubia, adeoque sub conditione iterandus est baptismus ; nec quis potest illa uti sine gravi peccato, etiamsi opinio Cajetani forte esset speculative probabilis. Ratio est, quia videtur Christus illa facillima nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti determinate instituisse, ut simplex fidei professio in baptismo fieret simplicioribus verbis, quæ rudioribus æque ac doctis essent communia, et magis proprie divinas personas exprimerent. Deinde usus Ecclesiæ et Patrum testimonia idem comprobant. Idem dic si quis baptizaret in nomine trium personarum sic : in nomine primæ, secundæ et tertiæ personæ, in nomine trini et unius Dei, in nomine Omnipotentis, Sapientis, et Doni seu Flaminis. In his enim vocibus omnibus, vel in aliqua earum videtur esse substantialis mutatio formæ.

DISPUTATIO VICESIMA SECUNDA.

De unitate baptismi.

Sect. I, II. — *An baptismus sit unicus, et specie differat a baptismo sanguinis et flaminis; et an sit iterabilis.*

Dico 1 : Baptismus qui est unum sacramentum e sacramentis novæ legis, est unicus in essentia et in specie ultima. Sive enim fiat per immersionem sive per aquæ affusionem, est semper eadem essentialis materia tum remota tum proxima, ac forma ; nec in aliquo genere convenit cum baptismo Joannis, nec cum baptismo sanguinis seu martyrio, quod tantum per quamdam analogiam dicitur baptismus ex eo quod remittat culpam et pœnam ex speciali privilegio, non ex opere operato sicut baptismus : non est enim sacramentum seu cæremonia sacra a Christo ad hoc instituta. Multo autem minus convenit cum contritione perfecta, quæ etiam tantum analogice dicitur baptismus, seu baptismus flaminis, et quæ nullum ex opere operato habet proprium effectum ; sed solum ex dispositione operantis cum divino auxilio affert gratiam sanctificantem, non vero characterem qui est proprius baptismus suscepti effectus, ob quem iterari non potest. Hinc

Dico 2 : Unus homo semel tantum baptizari potest ; atque ita baptismi sacramentum non est iterabile, neque potest esse nisi unus numero in eodem subjecto. De fide : Probatur : 1° ex hoc loco Ephes IV, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, quod licet exponi posset de unitate specifica, tamen D. Thomas, Anselmus, Leo, Ambrosius, Nazianzenus, etc., interpretantur de prædicta unitate numerica. 2° Ex Symbolo Nicæno : *Confiteor unum baptisma;* ex conciliis Viennensi, Florentino, Carthaginensi, definientibus baptismum non posse iterari. 3° Ex tali Christi institutione ; et ratio quia baptismus primario ordinatur ad remissionem peccati originalis, quod est unicum, et iterari non potest ; adeoque illius remedium semel tantum adhiberi potest, si quod post baptismum committatur peccatum, pro illius remedio habetur pœnitentia iterabilis. Dum autem vere dubitatur de valore baptismi, sive dubio facti, sive dubio juris, tunc dandus aut iterandus est sub conditione : *Si non est baptizatus*, vel verbis expressa, vel mente concepta, seu intenta.

DISPUTATIO VICESIMA TERTIA.

De ministro baptismi.

Sect. I. — *Quisnam requiratur minister ad valorem baptismi.*

Dico : Quivis homo qui loqui et abluere potest, est sufficiens baptismi minister, sive vir, sive femina, sive fidelis, sive infidelis, sive baptizatus, sive non baptizatus, dummodo cum debita intentione sciat abluere et proferre verba. Posse enim in casu necessitatis quemlibet conferre baptismum, definitum est in concilio Florentino, in decreto Eugenii sic : *In casu necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest.* Idque probatur ex aliis decretis et usu ac traditione Ecclesiæ ; quin ipsi apostoli antequam essent sacerdotes, vivente Christo, baptizabant. Nec tantum in necessitate, sed etiam extra illam quivis baptizans, licet male faciat, valide tamen baptizat : ita D. Thomas, et Augustinus (*Contra Epist. Parmen.*, lib. II, cap. 13). Secus autem dicendum de simplici sacerdote volente conferre sacramentum pœnitentiæ extra extremam necessitatem ; quia hoc non est ita necessarium, estque iterabile et ad illud requiritur jurisdictio. Non est ergo necesse ad conferendum baptismum, ut sit Ecclesiæ minister ad hoc ordinatus, sicut vult Calvinus : nam Christus instituendo hoc sacramentum concessit cuivis homini facultatem illud valide administrandi ob ejus necessitatem ; potestque ad hoc tanquam instrumento uti membro ab Ecclesia præciso, aut nondum actualiter ipsi conjuncto, quia virtus Christi non pendet ex instrumenti dispositione, neque ejus virtute nititur.

Sect. II. — *Quisnam habet jus ministrandi baptismum tanquam minister ex officio ad hoc deputatus.*

Dico 1 : Episcopus jure suo et ex vi suæ ordinationis est aptissimus minister hujus sacramenti, uti et quivis sacerdos ; quod patet ex concilio Florentino, sic dicente : *Minister hujus sacramenti est sacerdos cui ex officio competit baptizare.* Attamen præter hanc potestatem ordinis quam ex vi suæ

ordinationis habet quivis sacerdos, requirit potestatem jurisdictionis in personam baptizandam, ut licite administret hoc sacramentum, et eam accipit ab episcopo seu a superiore pastore. Diaconus autem ex vi suæ ordinationis non potest hoc sacramentum ministrare, ut docet Clemens (lib. III *Constitut.*, capp. 1, 2) sic : *Neque reliquos clericos baptizare vermittimus, sed solos episcopos et presbyteros, ministrantibus illis diaconis.* Et lib. VIII, cap. 52 : *Nam nec diacono fas offerre sacrificium, vel baptizare.* Potest tamen ex commissione aut concessione episcopi aut presbyteri solemniter baptizare ex justa causa. Ideo pontificale Romanum in ordinatione diaconi dicit eum debere baptizare et prædicare.

Dico 2 : Nullus diacono inferior habet potestatem proximam sive jure ordinario sive ex delegatione episcopi aut presbyteri ad digne ministrandum hoc sacramentum ; quia in nullo casu, etiam necessitatis, potest illi committi, ut solemniter baptizet, potest autem diacono. Deinde ad privatam administrationem in casu necessitatis debet præferri diaconus subdiacono aut alteri inferiori.

Sect. III. — *An minister baptismi possit ex multis personis constare: an vero tantum una debeat esse.*

Dico 1 : Non repugnat unum hominem a pluribus valide baptizari, si a singulis integre baptizetur, unoquoque per se tum abluente, tum totam formam proferente, tum absolutam habente intentionem baptizandi independenter ab alio : ita D. Thomas et alii Thomistæ. Quia unusquisque baptizans tanquam integer minister, applicat omnia ad conficiendum baptismum requisita ; ergo valide baptizat, si nempe singuli eodem instanti absolvant totam formam et materiam, quia singuli agunt ut causæ totales ejusdem effectus, sive unius et ejusdem baptismatis et characteris : ita D. Thomas, Scotus, etc., contra Gabrielem volentem ibi duo baptismata esse, quamvis unicus sit character. Si autem alter illorum prius absolvat omnia necessaria ad sacramentum conficiendum, ille solus conficiet sacramentum, si debita cum intentione baptizet, et alius nihil efficiet ; Si autem prior habuerit intentionem non baptizandi donec alius absolverit omnia necessaria ad baptismum, tunc ipse prius absolvens omnia, nihil efficiet ; sed solus posterior absolvendo omnia requisita conferet sacramentum, quia sacramentum datum sub conditione de futuro, nullum est. Hinc constat, ut hic dicit D. Thomas, illicitum esse per se loquendo, hoc modo plures baptizare, quia contra morem Ecclesiæ, sine causa se exponunt morali periculo, ut alter eorum nihil efficiat et baptismum saltem materialiter iteret.

Dico 2 : Si unus abluat, et alter baptismi formam proferat, aut unus dicat : *Ego te baptizo;* et alter : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* baptismus, juxta communem sententiam theologorum, non valet. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, etc., contra Marsilium, etc.) Probatur : 1° quia in persona ministri debet repræsentari persona Christi quæ est una tantum ; 2° quia idem actus baptizandi non potest a multis fieri imperfecte et incomplete concurrentibus, alioqui non verificaretur verbum, *baptizo* ; 3° quia videtur talis fuisse Christi instituentis voluntas, cujus optimus interpres est perpetuus Ecclesiæ usus. Hinc sequitur, si duæ, aut plures personæ concurrentes, ut partiales ministri ad conficiendum baptismum, dividant inter se externum baptismi ministerium, nihil efficere ; imo etiamsi exterius non dividant inter se baptizandi ministerium, si tamen interiori intentione illud dividant, ita ut neuter velit baptizare ut totalis minister, sed solum ut partialis, et ut componens cum altero unum integrum ministrum, nullum etiam fieri sacramentum.

Commentarius D. Thomæ. — *De baptismi patrino seu susceptore.* (Quæst. 67, art. 7, 8.)

Dico 1 : Ex institutione et præcepto Ecclesiæ in baptismo solemni adhibenda est persona quæ baptizatum suscipiat de sacro fonte, quam consuetudinem esse antiquissimam et ab apostolis transmissam constat ex Dionysio (cap. 2 et 7 *De Eccles. Hier.*) ; cujus munus est baptizatum instruere in rebus fidei et morum Christianorum, a qua obligatione facile excusatur, ubi puer inter Catholicos educatur, et sufficienter aliunde instruitur. Concilium autem Tridentinum (sess. 24, cap. 2) statuit, ut deinceps unus tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, et parocho præcepit, ut eos tantum admittat, eorumque nomina in libro describat, doceatque illos quam cognationem contraxerint. Unde

Dico 2 : Idem concilium statuit ut susceptor contraheret cognationem spiritualem seu impedimentum dirimens matrimonium cum baptizato, cum ejus patre et matre, ita ut si susceptor ineat matrimonium cum femina baptizata, quam de sacro fonte levavit, vel contra susceptrix cum viro baptizato quem levavit, nullum sit matrimonium ; atque idem est si susceptor cum matre baptizati, vel susceptrix cum ejus patre tentet contrahere. Hoc ergo impedimentum extenditur tantum ad unam personam si sit tantum susceptor sine susceptrice, vel susceptrix sine susceptore, aut ad duas personas, si unus susceptor et una susceptrix simul admittatur, nec ad alias ullas. Hinc non contrahitur istud impedimentum inter susceptorem et susceptricem, nec inter uxorem et maritum ad petendum vel reddendum debitum, si simul suscipiant puerum alienum; imo nec contrahit pater ad petendum aut reddendum debitum, si in necessitate suscipiat vel baptizet proprium filium ; si autem sine ulla necessitate eum suscipiat, controvertunt auctores an illud contrahat, videtur tamen nec vel tunc illud contrahere, licet graviter peccet contra Ecclesiæ apertas prohibitiones. In privato baptismo non est necesse adhibere susceptorem ; si quis tamen vere adhibeatur ac designetur (non vero qui tantum tenet materia-

liter aut tangit puerum), probabilius videtur prædictam cognationem spiritualem contrahere, non aliter ac in solemni.

DISPUTATIO VICESIMA QUARTA.

De baptismo adultorum.

Sect. I, II. — *An ad validum hominis adulti baptismum requiratur ejus consensus, fides, vel aliqua alia dispositio.*

Nota : Refertur a Patribus quorumdam antiquorum error, putantium posse hominem vivum loco mortui baptizari ea mente, ut mortuo prodesset ac vere censeretur baptizatus, quod sane absurdum est ac hæreticum; cum soli viatores sint capaces sacramentorum. Quare

Dico 1 : Ut baptismus in adulto validus sit, voluntarius ejus consensus ac intentio baptismum suscipiendi absolute requiritur; non tamen oportet ut hæc voluntas seu consensus sit actualis, sufficit enim quod aliquando præcesserit, ac moraliter duret, nec sit retractata, sive in eo qui utendo ratione sciens ac videns recipit baptismum, sive in eo cui jam privato ratione, v. gr. ob phrenesim, vel amentiam, in necessitate aut in periculo mortis confertur baptismus ; sed præter prædictam voluntatem virtualiter remanentem et non retractatam, ut huic digne conferatur, debet dedisse aliqua pœnitentiæ signa, quæ non constet fuisse retractata.

Dico 2 : Ut baptismus sit validus, sufficit consensus voluntarius simpliciter, etiamsi sit involuntarius secundum quid, id est vi aut metu extortus. De fide. Patet, si metus sit ab intrinseco incussus, v. gr. in mortis periculo, metu gehennæ; si autem ab extrinseco, etiam esse validum definitur ab Innocentio III, in cap. *Majores*, De baptismo; et prius tradiderat concilium Toletanum IV, cap. 56, quia ejusmodi consensus est simpliciter et absolute voluntarius ; ergo sufficit ad valorem baptismi tum ex natura rei, tum ex Christi institutione ac Ecclesiæ definitione. Hinc filiusfamilias, servus, vel quilibet alius ut baptizetur, non dependet ab ullo sive patris, sive domini, sive alterius superioris consensu : quia in iis quæ ad salutem spectant, est sui juris.

Dico 3 : Ad valorem baptismi nec fides nec bona aliqua dispositio in suscipiente requiritur, sed sufficit si velit facere aut suscipere id quod Christiani faciunt vel suscipiunt quidquid illud sit, quamvis in se putet totum id nullius esse valoris ac momenti. Ut autem digne alicui detur baptismus, præter voluntatem illum suscipiendi, requiritur dispositio quæ sit sufficiens ac necessaria ad consequendum illius effectum, seu gratiam sanctificantem, de qua dicetur postea; quia sancta sancte tractanda sunt. Atque hæc digna sacramenti tractatio tam ex parte dantis, quam suscipientis requiritur, quia suscipiens tenetur non uti sacramento nisi bene dispositus, et dans tenetur non dare sanctum canibus.

DISPUTATIO VICESIMA QUINTA.

De baptismo parvulorum, ac jure baptizandi.

Sect. I, II. — *An parvuli ante usum rationis sint capaces baptismi; et an expediat tunc baptizare filios Christianorum.*

Dico 1 : Omnes infantes statim ac nati sunt, baptismum recipere possunt, licet rationis usum non habeant. De fide. Contra Anabaptistas et alios quosdam antiquos hæreticos; quod enim dixit Christus : *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. (*Matth.* XXVIII, 19) ; *Qui crediderit et baptizatus fuerit*, etc., (*Marc.* XVI, 16); liquide patet id intellexisse de adultis, non de parvulis. Probatur ergo conclusio : 1° ex Scriptura : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III, 5). Ergo ibi infantes comprehenduntur. Sanctus Paulus baptizavit domum Lydiæ et Stephanæ, id est totam familiam in qua verisimiliter erant infantes. 2° Circumcisio ut remedium naturæ, cui successit baptismus, applicabatur infantibus. 3° Innocentes fuerant capaces martyrii, ergo et infantes baptismi capaces sunt : *Sinite parvulos venire ad me*, aiebat Christus ; *talium enim est regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 14). Et 4° probatur hæc veritas ex universali consensu et definitione Ecclesiæ; id enim definitum est in conciliis Carthaginensi, Milevitano, Viennensi, ac nominatim Tridentino, sess. 7, can. 12.

Dico 2 : Ut infantes sint baptismi capaces, non requiritur propria ipsorum intentio baptismum suscipiendi, nondum enim naturaliter sunt capaces ejusmodi intentionis, imo cum baptizantur, motibus et signis repugnant. Est contra quosdam recentiores hæreticos, qui fingunt parvulis omnibus, ut baptizari et salvari possint, divinitus accelerari usum rationis, quo possint credere et velle baptizari, nempe assiduum miraculum sine ullo fundamento : et quod est contra quotidianam experientiam. Sicut enim contrahunt peccatum originale sine proprio consensu, ita et sine proprio consensu recipiunt illius remissionem ac justitiam per applicationem meritorum Christi.

Dico 3 : Ut infantium baptismus sit validus, non requiritur parentum aut aliorum voluntas vel consensus. (D. Thomas, Scotus, etc.) Probatur ex Augustino (epist. 23), ubi ait infantium baptismum posse esse validum sine voluntate parentum. Atque idem est, si parentes nolint : cum enim eorum consensus non sit necessarius, ita nec obest dissensus. Si requireretur voluntas aut consensus parentum, sæpe infans non posset salvari, v. gr. in periculo mortis. Deinde si requireretur voluntas baptismi in parente, etiam requireretur voluntas credendi; et sic filius alicujus infidelis qui nollet credere, non posset salvari. Dum Patres dicunt infantes salvari in fide parentum, aut credere per eos, per quos offeruntur ad baptismum, id non intelligitur de interiori fide, sed de exteriori fidei professione per ipsam baptismi susceptionem. Deinde

infantes dicuntur credere habitu, non actu, id est, fidei habitus illis per baptismum infunditur.

Dico 4 : Non solum licet, sed etiam expedit filios Christianorum ante usum rationis, sive antequam ipsi possint libere consentire, baptizare. De fide ex Tridentino (sess. 7, can. 13), ubi damnat anathematis eum qui dixerit præstare eorum baptisma omitti, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, contra Lutheranos, dicentes non expedire eos baptizare ante usum rationis. Probatur etiam ex perpetua Ecclesiæ consuetudine semper huc usque servata, ut patet ex Patrum testimoniis. Clemens (lib. LXI *Constitut.*, cap. 15) : « Baptizate, » inquit, « parvulos vestros, et educate eos in disciplina et præceptis Dei. » Chrysostomus (tom. V *Ad Neph.*) : « Hac, » ait, « de causa etiam infantulos baptizamus, » etc. Idem docent Irenæus, Basilius, Bernardus, etc. Cum enim capaces sint recipiendi effectus baptismi, sic liberantur a periculo æternæ damnationis, et mature faciunt quod postea tenerentur facere, dum ad annos discretionis pervenerint : quia eo ipso quod ex Christianis nascuntur, jure nativitatis sunt subditi Ecclesiæ, sicut filius patris Hispani est subditus regi Hispaniæ, filius mancipii est mancipium, et cum adulti fuerint, tenentur non tantum humano, sed etiam divino jure, Christi fidem profiteri, ejusque præceptis obedire. Cæterum

Dico 5 : Quamvis in casu necessitatis, v. gr. in periculo mortis ex præcepto charitatis sit obligatio baptizandi infantes ante usum rationis, tamen extra casum necessitatis nullum reperitur præceptum divinum hos Christianorum infantes tunc baptizandi; verum jure ecclesiastico ob receptam universalem Ecclesiæ consuetudinem tenentur pastores adhibere curam, ut illi mature baptizentur, monendo parentes suæ obligationis si negligentes sint, aut etiam cogendo, ut efferant suos filios ad baptismum; imo ipsis invitis, si nolint, eos baptizando. Baptizandi autem sunt opportuno statim tempore post perfectam ex utero materno nativitatem; in mortis autem periculo, antequam infans perfecte natus sit, si pars corporis ex utero exierit, quæ sufficiat ad baptismum, debet statim baptizari; imo si mortua matre inveniatur in ejus utero infans adhuc vivus, debet baptizari, quamvis non natus; nunquam tamen licet viventis adhuc matris ventrem aperire, et sic eam occidere, ut succurratur infanti, nisi forte esset jam ad mortem damnata, accelerando ejus supplicium, ut proles baptizetur; sed si nullum sit in mora periculum pro prole nascitura, differendum est supplicium usque ad partum.

Sect. III. — *An liceat baptizare filios infidelium infantes, invitis parentibus, quando hi nullo modo sunt Ecclesiæ subditi.*

Nota : Loquimur de solis infantibus; nam adulti hac in re ad salutem pertinente sunt sui juris, nec a parentum voluntate dependent. Certum est filios apostatarum sive in hæresim, sive in Judaismum, sive in paganismum lapsorum posse baptizari, etiamsi parentes renitantur; sunt enim subjecti Ecclesiæ. De his ergo non agitur; sed de filiis infidelium, qui nec spiritualiter nec temporaliter Ecclesiæ subduntur.

Dico 1 : Filii infantes infidelium nec spiritualiter nec temporaliter Ecclesiæ subditorum, non possunt licite baptizari invitis parentibus, sive privata, sive publica auctoritate (D. Thomas, Cajetanus, Sotus, etc.), quia si baptizati eripiantur à patria potestate, fit injuria parentibus; si illis relinquantur, fit injuria sacramento. Idemque dic de applicando olim infantibus legis naturæ remedio. Deinde Christus non dedit Ecclesiæ istam potestatem. Jure quidem naturæ licet innocentes tueri; sed solum quando injusta vis eis infertur in rebus ipso naturæ jure debitis, v. gr. si parens vellet interficere filium. Dilatio baptismi, quamvis sit abusus patriæ potestatis, non est tamen manifesta vis contra jus naturæ, nec per hoc constituitur infans in extrema necessitate. Si autem infans esset in extrema necessitate, id est, in summo mortis periculo, tunc licet eum baptizare invitis parentibus, præsertim secreto et occulte sine scandalo. Similiter si infans sit extra patriam potestatem, ita ut nulla sit spes neque obligatio restituendi filium parenti suo, vel quia nescitur cujus sit filius, vel quia tam longe distat, ut moraliter non possit restitui, tunc potest baptizari sine consensu parentis, etiamsi constet ipsum fore invitum, modo is infans non habeat tutorem, qui patris juri et curæ successerit.

Dico 2 : Si filius natus sit ex matre Christiana et patre infideli, potest baptizari invito patre, quia partus sequitur ventrem; item potest baptizari, si pater sit fidelis, et mater infidelis, quia pater est caput domus; item si post partum alteruter convertatur ad fidem, consentiente fideli sive patre sive matre potest baptizari, etiamsi infidelis contradicat. Denique si ambo parentes infideles sint, solus unius consensus, sive patris sive matris sufficit, ut puer altero invito possit baptizari. Cum autem pervenit ad eum statum usus rationis in quo est capax peccati mortalis, tunc per proprium consensum, invitis etiam parentibus, potest baptizari; quod ex signis et conjecturis prudenter debet colligi.

Sect. IV. — *An liceat baptizare filios infantes infidelium invitis parentibus, quando hi sunt subditi temporaliter principibus Christianis.*

Dico 1 : Filii infidelium, qui non sunt servi Christianorum, baptizari non possunt invitis parentibus, sive privata, sive publica Christiani principis auctoritate, quamvis parentes sint subditi temporali illius jurisdictioni. (D. Thomas, Capreolus, Caje nus, etc., contra Scotum, et Gabrielem.) Prob quia parentes non possunt juste privari jure rali quod habent in filios, imo nec ipsi cogi cipe Christiano ad amplectendam fidem et piendum baptismum; principis enim te

potestas non se extendit ad supernaturalia, qualis est susceptio baptismi, nec ad punienda aut coercenda quævis delicta, sed tantum ad ea quæ sunt communi paci ac humanæ justitiæ contraria.

Dico 2 : Si infideles, filiique eorum sint servi Christianorum, possunt licite auctoritate dominorum separari filii a parentibus, et baptizari invitis parentibus. Potest enim dominus pro suo libitu separare filium servum a patre etiam servo, v. g. vendendo, donando, etc., absque ulla injustitia, ex vi juris quod habet ob suum dominium; certum est autem filium servi infidelis semel a patre omnino separatum, posse invito patre baptizari, juxta ea quæ in præcedenti sectione diximus; maxime quando est juste separatus. Hinc dominus per se loquendo et ablatis extrinsecis incommodis, quæ videntur fas esse contemnere, potest vendere servum ea intentione et fine ut ejus filium sic a patre separatum, possit licite baptizare : potest enim pro suo libitu vendere servum in quovis loco, etiam in remotissimis regionibus; ergo, etc. Nec ullum inde notabile inconveniens oriri potest, si prudenter et sine scandalo fiat.

Sect. V, VI. — *An filius servi infidelis possit licite baptizari priusquam a parente separetur; et an sit obligatio illum baptizandi.*

Dico 1 : Si filius sit cohabitaturus cum parente infideli et imbuendus ejus malis artibus ac ritibus, non potest licite baptizari, nisi separetur. Idem posset dici de filiis hæreticorum, si sit tale perversionis morale periculum. Atque de aliis ejusmodi. Nec tantum ille dominus qui servi filium sic baptizaret, videtur peccaturus contra religionem exponendo sacramentum periculo profanationis, sed etiam probabilius contra justitiam, faciendo patri injuriam, baptizando ejus filium ipso invito : quia licet pater ratione servitutis privari possit cura et gubernatione filii quoad usum per accidens ob locorum distantiam media separatione, non tamen quoad proprietatem, et radicale jus paternum quod est omnino intrinsecum et connaturale. Ergo si filius manet patri conjunctus, non potest pater juste prohiberi quominus paternam curam in filium exerceat, quam non posset exercere si filius baptizaretur; quia per baptismum fit subditus Ecclesiæ, et ab ea gubernatur. Ergo pater privatur gubernandi suum filium jure sibi intrinseco ac connaturali, adeoque contra justitiam. Contraria tamen sententia, quæ dicit jus paternum per servitutem esse translatum in dominum, est etiam valde probabilis, Quod attinet ad Judæos, qui nunc sunt principibus Christianis subditi, ii non sunt servi, sed tributarii, adeoque vendi non possunt, ut mancipia.

Dico 2 : Christiani qui infidelium infantes filios in bello captivos faciunt, et a parentibus separatos adducunt, per se loquendo, videntur juxta probabiliorem sententiam, posse sine peccato parentibus aut tutoribus infidelibus, etiam pretio seu lytro accepto, eos restituere, adeoque non habere obligationem eos baptizandi : quia non oritur illis obligatio ex dominio in servum; non enim tenentur retinere semper istud dominium et non alienare; neque oritur ex charitate, quia cum isti infantes non versentur in extrema necessitate, charitas non obligat hoc modo illis subvenire ob varia incommoda aut pericula inde timenda tum ex parte infantium baptizatorum, tum ex parte parentum, tum ex parte violati juris gentium, quod ubique permittit redemptionem captivorum; neque etiam oritur ex cooperatione cum eorum infidelitate. Christianus enim vendens servum, non cooperatur ejus infidelitati futuræ, sed utitur jure suo et rem facit ex objecto vel indifferentem, vel bonam, restituendo nempe filium parentibus; quidquid autem postea sequitur, contingit per accidens ex parentum malitia, quam alter vitare non tenetur ob dicta incommoda, ideoque illi non imputatur. Cæterum in isto casu quid melius sit, et quid agere expediat, prudenter ex circumstantiis judicandum est.

DISPUTATIO VICESIMA SEXTA.

De effectibus baptismi.

Sect. I, II. — *An baptismus vere remittat omnem culpam, ac conferat gratiam cum donis supernaturalibus.*

Dico 1 : Baptismus vere ac proprie delet originalem culpam, et quidquid in ea veram habet peccati rationem. De fide, contra Lutheranos qui interdum dicunt baptismum non tollere peccatum originale, sed radere aut tegere, vel facere ut non imputetur, et interdum non tollere omnia peccata, sed fortasse aliqua tantum; item contra Messalianos hæreticos dicentes baptismum instar novaculæ auferre peccata, radicem autem peccati non exstinguere. Probatur autem, 1° ex definitione concilii Tridentini (sess. 5, can. 5) his verbis : *Si quis per Jesu Christi Domini gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit.* 2° Ex Scriptura : *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* (*Rom.* VIII, 1). *Mundans eam lavacro aquæ* (*Ephes.* V, 26). Si remaneat tecta peccati macula, non erit anima munda, sed tanquam sepulcrum dealbatum. 3° Culpa est quid indivisibile, ergo non potest partim tolli, partim relinqui; nec radi nisi eradicetur. Deinde generatio carnalis ex Adam affert animæ mortem, ergo spiritualis regeneratio ex Christo affert vitam, seu facit hominem Deo gratum.

Dico 2 : Baptismus non tantum originalem, sed etiam omnem actualem culpam antea commissam delet, si suscipiens non ponat obicem. De fide, concilio Florentino sic dicente : *Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis.* Baptismus enim institutus est quidem primario ad delendum originale, secundario tamen ad delenda etiam omnia actualia : *Projiciam in profundum*

maris (nempe baptismi) *omnia peccata vestra* (*Mich.* VII, 19); atque id comprobatur ex perpetua Patrum traditione. Et ratio est, quia baptismus habet vim justificandi hominem; ergo et delendi non solum originale, sed etiam actualia peccata mortalia, adeoque et venialia. Deinde peccata actualia ante baptismum commissa non possunt tolli per sacramentum pœnitentiæ, cum non sint illius materia; ergo per se et directe tolluntur per baptismum, quia nullum est aliud sacramentum per se institutum ad remissionem peccatorum.

Dico 3 : Baptismus cum culpa simul remittit omnem pœnam proprie dictam, non tamen aufert omnes vitæ pœnalitates, v. gr. morbos, dolores, mortem, fomitem peccati, inordinationem passionum, etc. Per baptismum remitti omnem pœnam definivit concilium Florentinum, ideoque negat baptizatis imponenda esse opera satisfactoria pro peccatis ante baptismum commissis; idemque docet concilium Tridentinum (sess. 5, can. 5) his verbis . *Puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt* (id est per baptismum), *ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur;* et idem clarius (sess. 6, cap. 14). Id etiam comprobatur ex perpetua Ecclesiæ traditione ac consensu, et ex Patrum Cypriani, Gregorii, etc., testimoniis, atque præsertim ex tali Christi institutione ac voluntate.

Dico 4 : Baptismus per se non tollit peccata, quæ post baptismum susceptum committuntur. De fide, in concilio Tridentino (sess. 7, can. 10), contra Lutherum, Calvinum, etc., dicentes per baptismi suscepti memoriam excitari fidem, per quam, aiunt, remittuntur peccata, id est, juxta illos, occultantur aut non imputantur. Probatur, quia Christus instituit sacramentum pœnitentiæ ad remittendum peccata post baptismum commissa, quod sancti Patres vocant secundam post naufragium tabulam. Licet baptismus non tollat fomitem, quæ est radix peccatorum, tollit tamen omne id quod habet rationem peccati. Hanc autem radicem, quæ non tollitur, volunt hæretici habere rationem peccati, quod falsum atque hæreticum est.

Dico 5 : Baptismus tam parvulis quam adultis baptizatis confert gratiam habitualem cum donis seu virtutibus infusis illam comitantibus, nempe cum habituali fide, spe, charitate, si suscipiens non ponat obicem, quem non poni in parvulis, patet. De fide, ex conciliis Florentino ac Tridentino (sess. 7, can. 6, 7, 8, 13); ideo Paulus Rom. VI, 5, ait : « Per baptismum ita nos mori peccato, ut vivamus Deo, et complantatos Christo non solum fieri similes morti ejus, sed etiam resurrectioni. » Quod et Patres passim docent. Ratio est, quia non remittitur peccatum originale et mortale sine infusione gratiæ et justitiæ, homini inhærentis. Insuper ex vi gratiæ baptismalis, quatenus est sacramentalis, dantur postea a Deo majora auxilia, quibus homo frequentius ac vehementius excitetur et adjuvetur vel ad superandum concupiscentiæ fomitem, vel ad exercenda et implenda ma munia, ad quæ baptismus obligat.

DISPUTATIO VICESIMA SEPTIMA.

De necessitate baptismi ad gratiam et gloriam consequendam.

SECT. I. — *An baptismus sit absolute necessarius ad gratiam et vitam æternam adipiscendam.*

Nota : Cum Pelagiani negarent peccatum originale et gratiæ necessitatem, consequenter negabant baptismum esse necessarium ad illud remittendum, et ad hanc obtinendam. Postea Wicleffus et post illum Calvinus aliique hæretici dixerunt baptismum non esse necessarium iis qui ex parentibus fidelibus et baptizatis procreati sunt, quia vel non oriuntur in peccato originali, vel saltem non eis imputatur ob fidem parentum; et Wicleffus sic dicebat : Si homo est prædestinatus, licet non baptizetur, salvabitur; si est reprobus, licet baptizetur, non salvabitur. Ergo non est necessarius. Sed si hic discursus valeret, probaret etiam nec fidem, nec observationem præceptorum, nec quidquam aliud esse ad salutem necessarium. Omissis autem hisce erroribus, qui alibi sat refutantur,

Dico : Baptismus est medium absolute necessarium tum ad remissionem peccatorum, tum ad gratiam et gloriam obtinendam. De fide. Probatur : 1° ex Scriptura : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III, 5); quia sicut naturalis generatio ex Adamo est unica via contrahendi peccatum ex Adamo, ita regeneratio per baptismum est unica via resurgendi ab illo peccato per Christum. 2° Ex conciliis Carthaginensi, Milevitano, Florentino, Tridentino, et ex Patribus : « Qui baptismo privatur, » inquit Leo (epistola 78), « necessaria liberatione fraudatur. » Sic etiam Augustinus (*De anima et ejus origine*, lib. II, cap. 1, n. 12) : « Noli credere infantes, antequam baptizatos, morte præventos posse pervenire ad indulgentiam originalium peccatorum. » Et Prosper (*De vocat. gent.*, lib. II, cap. 8) : « Nec credi fas est eos qui non sunt adepti regenerationis sacramentum, ad ullum beatorum pervenire consortium. » 3° Ratione : cum omnes sive fidelium sive infidelium filii nascantur in peccato originali, indigent remedio; nullum autem instituit aliud Christus, quam baptismum; ergo dum I Cor. VII, 14, dicitur : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, etc., *alioqui filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt*, ibi per ly *sancti*, non intelligitur eos esse justos et mundos a culpa originali, sed esse legitimos, sive ex legitimo toro natos, ac facile posse per parentum curam, fidem, exemplum adipisci veram sanctitatem baptismi susceptione.

SECT. II. — *An sacramentum baptismi reipsa susceptum, adultis sit ad salutem necessarium.*

Dico 1 : Ad obtinendam primam gratiam et peccati originalis ac actualium, quæ cum illo conjuncta fuerint, remissionem, non est semper necessarium

recipere in re ipsa baptismum, sed sufficit contritio, baptismi votum in se continens. Deus enim in Scriptura promittit justificationem vere pœnitentibus ac perfecte contritis : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zachar.* I, 3). Ambrosius (*Orat. de obitu Valentiniani*) sic ait : « Audio vos dolere quod non acceperit gratiam baptismatis, atqui hoc etiam in votis habuit. Non ergo habuit gratiam quam desideravit? Non habuit quod poposcit? imo quia poposcit, accepit. » Similia habent Augustinus, Bernardus, etc. Ratio est quia habita ultima dispositione quæ est contritio aut amor Dei super omnia, statim infunditur gratia. Hinc fit ut adultus sæpe justificetur ante realem baptismi susceptionem.

Dico 2 : Homines, ordinarie ac per se loquendo, non adipiscuntur beatitudinem sine reali baptismi susceptione, quamvis interdum accidere possit, ut occurrente eum recipiendi impedimento, illam adipiscantur sine ista reali susceptione. Si enim homo possit reipsa baptismum recipere, licet jam per contritionem justificatus, tenetur illum recipere, nec potest cum solo illius voto salvari; cumque baptismi susceptio realis sit valde facilis, ideo ordinarie non potest quis adipisci beatitudinem sine illa. Si quis autem usque ad mortem non possit illum accipere, sufficiet illius votum, cum perfecta peccatorum contritione seu amore Dei super omnia ad beatitudinem adipiscendam : et juxta hæc exponenda sunt varia Patrum loca. Hoc autem baptismi votum seu desiderium, tam ad justitiam quam ad gloriam obtinendam, non necessario requiritur ut sit explicitum ac proprium baptismi propositum; sed sufficit implicitum desiderium contentum in ipsa contritione et in generali proposito servandi omnia Dei mandata.

Sect. III. — *An baptismus reipsa susceptus, sit infantibus ad salutem necessarius.*

Dico 1 : Infantes, qui ante usum rationis moriuntur, tempore legis gratiæ sufficienter promulgatæ, non possunt salvari secundum legem ordinariam, nisi reipsa eis applicetur verum ac validum baptismi sacramentum. D. Thomas, Scotus, Durandus et omnes alii, excepto Cajetano, qui docuit parvulum qui in casu aliquo fortuito non potest baptizari, posse certa lege ac semper salvari per aliud remedium, nempe per fidem parentum ei applicatam quolibet signo religioso externo, v. gr. signo crucis expresso cum invocatione SS. Trinitatis, aut alio simili. Sed hanc ejus sententiam ut valde ab Ecclesiæ sensu et dogmatibus alienam Pius V curavit expungi a commentariis D. Thomæ in Romana impressione. Probatur assertio ex generali et absoluta Christi lege : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5); et ita Augustinus, Ambrosius, aliique Patres nullam in ea lege exceptionem admittunt. Isti enim infantes nec possunt salvari ex opere operantis per votum baptismi, seu per baptismum in voto, cum non sint capaces actionis liberæ; nec possunt salvari ex opere operato, cum baptismus eis non applicetur; ergo, etc. Parentum enim voluntas aut desiderium sicut non potest illis ad salutem obesse, ita nec prodesse; voluntas patris reputatur voluntas filii tantum in iis quæ ad temporale ejus regimen pertinent, non vero in iis quæ ad animæ salutem spectant; nec fides patris potest applicari filio, nisi per signum externum a Christo institutum, non autem per aliud ex patris arbitrio; hinc non datur votum baptismi nisi in adultis, qui possunt illum vel explicite vel implicite desiderare. Voluntas aut desiderium patris non potest dici votum filii seu baptismus in voto. Præterea

Dico 2 : Nullus infans sine baptismo decedens, salvatur etiam ex speciali Dei privilegio aut dispensatione; idque sine revelatione temere assereretur de aliquo. (Scotus, etc.) Nullibi enim reperitur aut apparet in universali lege lata ejusmodi dispensatio; adeoque sicut adultus sine fide, ita parvulus sine baptismo salvari nequit. Et idem dic de eo infante in cujus baptismo essentialis defectus commissus fuit, ideoque baptismus invalidus. Contra Alensem, Sylvestrem, Bonaventuram, etc., pie credentes in isto casu Deum supplere defectum et baptismi invalidi effectum, atque ita infantem sine baptismo salvari. Hinc sequitur infantes qui in matrum utero moriuntur, non posse salvari, uti universa Ecclesia et theologi cum D. Thoma et Augustino sentiunt, ac proinde quamvis pro illo statu sint sine remedio, tamen absolute et sufficienter illud eis providit in causis universalibus : nam pro illis instituit baptismum, et providit per causas generales, ut posset eis applicari. Quod vero interdum impediantur hæ causæ ex aliarum concursu, est quid per accidens, nec ad ordinariam Dei providentiam pertinuit hæc omnia impedimenta tollere, vel ob privata incommoda ac raros eventus concedere extraordinaria remedia, quorum usus communem sacramentorum modum quodammodo perturbaret; atque hoc fuit expediens ad ostensionem divinæ justitiæ sicut et gratiæ aut misericordiæ, permittendo aliquos sic mori sine baptismo, procurando aliis speciali modo baptismum ante mortem.

Sect. IV. — *Quo tempore cœpit baptismus esse ad salutem necessarius.*

Dico 1 : Baptismi necessitas non incepit ante Christi mortem ac resurrectionem (Bernardus et Hugo de Sancto Victore), quia lex non obligat antequam condita et promulgata sit. Dum ergo Christus dixit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III, 5), etc., tunc non condidit ac promulgavit legem, sed indicavit ac prædixit tempus in quo illa esset obligatura. Hinc licet ante Christi mortem baptismus fuerit institutus, nondum tamen tunc erat propositus ut necessarius ad salutem, nec adhuc datum præceptum de eo suscipiendo. Dum igitur quidam Patres docent baptismum cœpisse esse necessarium, ex quo Christus dixit : *Nisi quis renatus*

fuerit, etc., intelligendi sunt non de tempore in quo, sed pro quo Christus protulit illa verba. Bonus latro non fuit salvus per baptismum aquæ aut sanguinis, nec per votum baptismi qui nondum erat tunc necessarius, sed per contritionem et conversionem ad Deum.

Dico 2 : Necessitas baptismi non incepit a die Christi mortis aut resurrectionis, sed ab eo tempore quo Evangelium cœpit esse sufficienter promulgatum, quia ejus præceptum non cœpit obligare ante sufficientem promulgationem. Cum dicitur Rom. VII, per mortem Christi evacuata fuisse lex vetus, intelligitur positam fuisse sufficientem causam, per quam paulatim et convenienti modo ac tempore lex vetus cessaret atque evacuaretur, ut cum honore sepeliretur.

DISPUTATIO VICESIMA OCTAVA.

De dispositione ad effectum baptismi consequendum requisita.

SECT. I. — *An baptismus requirat in adultis aliquam dispositionem ad suum effectum producendum.*

Nota : Non agitur de dispositione ad effectum characteris baptismalis consequendum, quia præter voluntatem suscipiendi sacramentum baptismi, nulla alia ad illum recipiendum requiritur dispositio ; nec de dispositione intellectus, quia juxta omnes requiritur fides, *sine fide* enim *impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6) ; sed recentiores hæretici solam fidem requirunt tanquam sufficientem per se solam ad justitiam, nullam postulantes ex parte voluntatis dispositionem. Quare

Dico 1 : In adultis, qui cum peccato originali habent aliquod mortale adjunctum præter voluntatem suscipiendi baptismum, requiritur aliqua alia voluntatis dispositio, quæ consistit in vera ad Deum conversione cum pœnitentia seu detestatione prioris vitæ. De fide certum est, quia juxta Scripturam et Patres ei, qui mortaliter peccavit, pœnitentia est medium ad salutem necessarium : *Pœnitemini, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II, 38). Baptismus, ait Augustinus (*De vera et falsa pœnitentia*, cap. 18), « sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccavit spontanee ; » et (*Ibid.*, cap. 2) : « Ab hac pœnitentia soli, qui baptizantur, pueri immunes sunt. » Repugnat ergo catholicæ doctrinæ quod Gabriel ait eum qui accedit ad baptismum cum vera voluntate eum suscipiendi, et simul cum complacentia alicujus peccati mortalis, accipere remissionem peccati originalis sine remissione mortalis, et sine infusione gratiæ sanctificantis : peccatum enim originale non remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis, ut fere apertis verbis definit concilium Tridentinum, sess. 6.

Dico 2 : Si contingeret (quod simpliciter non est impossibile) hominem adultum accedere ad baptismum cum solo peccato originali sine actuali, non illi foret pœnitentia necessaria ; quia pœnitentia proprie est de peccatis ab ipso pœnitente commissis, est enim retractatio et displicentia prioris voluntatis. Ideoque is, quia propria voluntate nec se avertit a Deo, nec se convertit ad creaturam, non egeret pœnitentia, sed ei sufficeret voluntas ac propositum profitendi ac servandi Christi legem, imo et requireretur ; cum enim Deus non justificet nisi volentem et consentientem, ideo requiritur ad eum aliqua conversio, ac propositum ei obediendi.

SECT. II. — *Quænam pœnitentiæ dispositio sit sufficiens et necessaria ad obtinendum per baptismum, peccatorum mortalium remissionem ac justitiam.*

Dico 1 : Ad hunc baptismi effectum obtinendum non est opus ut homo accedat jam justificatus per veram contritionem. D. Thomas, Scotus, Durandus, etc., contra Gabrielem, Marsilium, etc., requirentes ad hunc effectum veram contritionem. Probatur, quia baptismus per se institutus est ad remittendum peccatum ; quomodo ergo remitteret si supponeret necessario jam remissum per contritionem ? quæ ejus utilitas aut efficacia ? Deinde si baptismus necessario præsupponeret peccatum jam remissum per contritionem, nunquam ipse illud remitteret et conferret primam gratiam ex opere operato, quia contritio tantum ex opere operantis illud remittit. Quod attinet ad concilium Tridentinum, solum loquitur de pœnitentia in genere, sive sit contritio sive sit attritio ; et licet loqueretur de contritione, non tamen dicit illam esse necessariam ad justificationem quæ fit per sacramentum, etiamsi sit optima, et necessaria quidem ad justificationem quæ fit extra sacramentum. Hinc

Dico 2 : Ad prædictum baptismi effectum sufficit attritio, etiam cognita ut attritio ; nec necesse est ut existimetur contritio, ut vult Navarra : cum enim non sit necessaria contritio, ut jam dictum est, ergo sufficit attritio. Deinde cum contritio nec necessitate medii nec necessitate præcepti sit necessaria, ergo nec illius existimatio potest esse necessaria. Attamen

Dico 3 : Hæc attritio ad baptismi effectum sufficiens, debet esse supernaturalis, absolutus et efficax voluntatis actus, includens peccatorum detestationem et propositum deinceps non peccandi, ex motivo supernaturali ac per gratiæ auxilium elicitus ; contra Sotum volentem attritionem ex motivo naturali sufficere. Imo, ut sentit Cano, modo existimetur ex ignorantia invincibili, licet falso esse veram attritionem, nempe naturalem. Probatur, quia non potest homo naturæ viribus se præparare ad gratiam et remissionem peccati obtinendam ; unde concilium Tridentinum requirit ad baptismum tam in voto quam in re dispositionem supernaturalem. Deinde cum in justificatione debeant remitti omnia peccata mortalia, oportet ergo actu efficaci et absoluto ea detestari, includente formaliter vel virtualiter propositum illa non amplius committendi ac servandi Dei mandata ; alioqui non esset vera prioris vitæ retractatio. Quare

Dico 4 : Ad prædictum baptismi effectum oportet ut hæc attritio supernaturalis sit vere ac realiter

exsistens, nec sufficit sola ejus existimatio, quantumvis inculpabilis et invincibilis, si vere non habeatur; quia vera ac supernaturalis peccatorum pœnitentia seu attritio non solum necessaria est necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; et sic non habendo vere illam ponitur obex effectui baptismi quamvis inculpabiliter, uti similiter poneretur obex effectui sacramenti pœnitentiæ, qua in re utrumque istud sacramentum convenit.

Sect. III. — *An baptismi effectus ex varia suscipientis dispositione augeatur, minuatur, vel impediatur.*

Dico 1 : Omnes infantes æqualem gratiam baptismalem recipiunt, cum sint incapaces cujusvis dispositionis; nihilque ad hoc faciunt sanctitas ministri, ejusque oratio aut circumstantium. Angelis quidem dedit Deus varium gratiæ auxilium juxta variam naturalis et essentialis perfectionis capacitatem; sed in infantibus non est varia capacitas essentialis aut naturalis, nec ipsi sunt capaces auxilii, quo se disponant ad gratiam, nec possunt dici prædestinari et assumi a Deo ad inæqualem gloriam per æquale medium; et falsum est primam electionis ac prædestinationis hominum rationem fuisse ad reparandas sedes malorum angelorum, ut patet in B. Virgine quæ habet gloriæ gradum longe supra omnes angelos; deinde incertum est an omnes angeli in gloria sint inæquales. Quanta autem baptismalis hæc gratia sit in infantibus, incertum est, videtur saltem major ea quæ illis dabatur per circumcisionem, et per remedium legis naturæ. Nunc de adultis.

Dico 2 : Ex defectu dispositionis interdum fit ut nullus gratiæ effectus per baptismum accipiatur, dum quis nempe vel culpabiliter vel inculpabiliter ponit obicem. Contra vero ex perfectiore, vel imperfectiore dispositione fit, ut baptismatis gratiæ effectus augeatur vel minuatur intensive, id est detur gratia intensior vel remissior; et interdum extensive, v. gr. si cui per baptismum remittantur omnia mortalia de quibus dolet, non remisso aliquo aut aliquibus venialibus in quibus adhuc complacet, adeoque nec horum pœna tunc minuitur extensive baptismi effectus. Si autem de omnibus doleat, tunc remittuntur omnia mortalia et venialia cum eorum pœna, et infunduntur omnes virtutes et dona quæ gratiam comitantur. Quamvis charitas non possit haberi ac conservari sine fide et spe, tamen potest conservari vel prius haberi fides et spes seu habitus fidei et spei quam charitas per baptismum; imo in catechumeno ordinarie semper habetur habitus fidei prius quam charitas, et idem pene dic de habitu spei.

Sect. IV. — *An effectus baptismi validi per fictionem seu obicem impeditus, conferatur recedente fictione.*

Dico 1 : Baptismus validus, juxta Augustinum, ablata fictione confert suum effectum. Cum enim solus baptismus possit hominem regenerare et remittere originale, nec semel valide susceptus possit iterari, ideo ablato obice seu fictione debet operari suum effectum : et totum quidem eumdem cum tota extensione et intentione quem in principio operatus fuisset seu contulisset si fictio non intercessisset. Probatur, quia prima gratia non datur nisi vel ex opere operato per sacramentum, vel ex opere operantis per votum illius. Quando autem recedit fictio, datur prima gratia; ergo datur ex opere operato, vi baptismi qui operatur semper quantum potest, adeoque dantur cum gratia omnes virtutes et dona quæ illam consequuntur : non ex opere operantis per votum baptismi, quia jam valide susceptus, non potest iterari; nec per votum pœnitentiæ, quia hoc non potest remittere peccata ante baptismum commissa; ergo datur vi baptismi reipsa suscepti. Item vi ejusdem baptismi non tantum remittitur originale peccatum, sed etiam omnia mortalia quæ cum illo conjuncta erant ante baptismum et illorum pœna; mortalia autem quæ post baptismum commissa sunt, concomitanter etiam remittuntur; sed directe et per se vel vi contritionis vel vi attritionis cum sacramento pœnitentiæ; non per se vi baptismi, ac proinde manere horum reatus pœnæ temporalis potest. Quoad venialia ante baptismum commissa, si tollatur eorum complacentia, etiam omnia remittuntur cum pœna; secus, si eorum complacentia perseveret : commissa vero post baptismum ne comitanter quidem remittuntur ex vi baptismi, qui potest habere totum suum effectum sine illorum remissione, nec per se remittit peccata post ipsius susceptionem commissa, adeoque nec illorum pœnam. Denique, ablata fictione, confertur etiam omnis gratia sacramentalis. Atque hæc de extensione gratiæ baptismalis; nunc de intensione. Quare

Dico 2 : Quando, ablata fictione, datur gratia ex opere operato, istius gratiæ intensio potest satis probabiliter utroque hoc modo exponi ac determinari : Primo modo posset dici dari minimam gratiam quæ ex opere operato per baptismum datur, qualis est illa quæ datur infantibus, et cuicunque alteri qui neque obicem contrarium, neque positivam dispositionem ad gratiam habet. Probatur, quia ille homo quando suscepit baptismum, nullam ad eum habuit dispositionem, supponitur enim ficte et indigne susceptus; et iste actus, quo tollit obicem seu fictionem, non est dispositio ad baptismum, nihilque conducit ad augendum baptismi effectum; est enim tantum removens prohibens, non præparans ad baptismum, seu removet tantum obicem. Ergo non est unde effectus gratiæ excedat minimum gradum, qui reperitur in suscipiente baptismum sine dispositione, quia, recedente fictione, solum datur effectus baptismi ratione præcedentis susceptionis, illo modo quo facta fuit et a Deo acceptata ad gratiam ex sola baptismi natura manantem sine suscipientis dispositione : sicut qui baptizatus est cum attritione ut duo, licet postea habeat attritionem ut tria, non idcirco dabitur major effectus gratiæ baptismalis ex opere operato; ita ei qui indigne suscepit baptismum, contritio postea habita ut tria,

non proderit ut effectus ex opere operato in eo crescat. Secundo modo posset etiam dici recedente fictione tantam dari gratiam, quanta data fuisset, si homo in susceptione baptismi habuisset eamdem dispositionem quam habet dum tollit obicem seu fictionem, quia licet ille actus quo obex tollitur, non sit dispositio ad baptismum, est tamen ad ejus effectum dispositio, et licet sacramentum præterierit quoad suum esse physicum, remanet tamen adhuc quoad suum *esse* morale, quo ut causa moralis, suum effectum, quem nondum contulerat, potest tunc conferre cum præsenti dispositione, v. gr. cum contritione ut quatuor, adeoque conferre gratiam huic dispositioni proportionatam.

Sect. V. — *Quænam dispositio sufficiat ad tollendam fictionem, ut baptismus suum effectum habere incipiat.*

Dico 1 : Qui neque in susceptione baptismi, neque post baptismi susceptionem peccavit mortaliter, sed ex ignorantia invincibili fictus accessit, v. gr. putans bona fide se esse attritum, cum non esset, aut nullam aliam requiri dispositionem præter fidem et baptismi voluntatem, in illo sufficit sola attritio ad tollendam fictionem et ad gratiam peccatorumque remissionem ratione baptismi obtinendam. Probatur, quia, sola attritio in baptismi susceptione suffecisset, ergo et postea sufficit, cum nullum aliud sit peccatum quam tunc erat. Deinde tollere fictionem non est proprie tollere peccatum, sed est tollere carentiam dispositionis, qua habita, nempe retractatione peccati per attritionem, baptismus habet suum effectum. Hinc si quis in susceptione baptismi habuerit attritionem de sex peccatis mortalibus, non vero de septimo, in quo complacebat, ad tollendum obicem, non erit necessaria nova attritio de illis sex peccatis, sed de solo septimo quod posuit obicem, sufficiet attritio, multo autem minus erit necessaria contritio aut confessio ; quia peccata ante baptismum commissa, quantumvis habitu inhæreant post baptismum, non sunt materia sacramenti pœnitentiæ, cum non cadant sub Ecclesiæ jurisdictionem, quam requirit sacramentum pœnitentiæ ; et hoc non habet efficaciam circa hominem nisi ut jam charactere baptismali insignitum, utpote institutum ad solum remittendum peccata post baptismum commissa ; ac proinde baptismum antecedentia non sunt materia confessionis, nec confitenda.

Dico 2 : Si post baptismi susceptionem aliquod peccatum mortale sit commissum, attritio sola non sufficit ad tollendum obicem et ad recipiendum baptismi effectum ; sed requiritur contritio perfecta, sive in ipsa susceptione denuo peccatum sit mortaliter, sive non, quia baptismus non potest delere peccatum, quod post ipsius susceptionem aut in ipsa susceptione, nec sola attritio sine sacramento pœnitentiæ potest delere peccatum mortale. Ergo requiritur contritio, quando quidem baptismus non concurrat ad delendum istud peccatum postea commissum. Non possunt quidem per baptismum deleri peccata ipsum antecedentia quin etiam deleantur ipsum subsequentia, quia unum mortale deleri sine alio non potest ; sed solus baptismus prius susceptus ad hoc non sufficit nisi juvetur aliquo alio medio quod per se sufficiat ad delendum peccatum post baptismum commissum, quale est contritio ; nec ullum est sacramentum quod deleat peccatum post ipsiusmet sacramenti susceptionem commissum : sacramentum enim remittit peccata quæ sunt jam commissa, non quæ committentur.

Dico 3 : Quando baptismum suscipiendo committitur peccatum mortale seu sacrilegium in indigna et actuali susceptione, tunc ad tollendam fictionem et ad consequendum baptismi effectum requiritur contritio, etiamsi post susceptum baptismum nullum aliud peccatum mortale commissum sit ; quia istud sacrilegium reputatur inter peccata quæ baptismum subsequuntur. Nam in baptismo prius natura recipitur character quam gratia, et voluntas sacrilege suscipiendi baptismum, durando post characterem jam acceptum et tunc ponendo obicem gratiæ, efficit ut sit peccatum factum ab homine jam baptizato, seu insignito charactere baptismali, et sic est peccatum subsequens baptismum, adeoque materia sacramenti pœnitentiæ, ac delendum vel per contritionem, vel per pœnitentiæ sacramentum. Si autem ista voluntas sacrilege suscipiendi sacramentum eo instanti quo recipiendus est character desineret, quod moraliter vix fieri potest, tunc esset peccatum antecedens baptismum, et delendum per eum. Idem speculative posset dici de aliis peccatis actualiter concomitantibus baptismum eo instanti quo perficitur, v. gr. de morosa delectatione, de odio, de infidelitate, etc. Sed moraliter loquendo, sunt practice computanda inter peccata baptismum consequentia, adeoque confitenda.

Dico 4 : Si is qui ficte baptismum suscepit, postea actualiter confiteatur, et sacramentum pœnitentiæ accipiat, sufficiet illi attritio ad tollendum obicem, etiamsi et in ipsa fictione peccaverit, et post fictionem multa peccata commiserit, quia utrumque sacramentum habet tunc dispositionem sibi proportionatam ad effectum, qui potest ipsi respondere, et per se ac directe delebit peccata quæ unicuique subjiciuntur ; sacramentum enim pœnitentiæ facit hominem de attrito contritum. Et probabiliter plus gratiæ datur per illa duo sacramenta simul concurrentia, quam daretur per singula cum eadem attritione : unumquodque enim habet suum proprium effectum, nec causalitas unius impedit aut minuit causalitatem alterius. Sacramentum pœnitentiæ dabit suum effectum attritioni proportionatum, et baptismus dabit etiam suum, juxta ea quæ supra diximus. Quare hæc duo sacramenta per modum unius agentis integre concurrent ad producendum istum gratiæ effectum, ita ut se mutuo juvent, et totus effectus sit a singulis cum necessaria dependentia ab utroque simul.

SECT. VI. — *An habere effectum recedente fictione, sit proprium solius sacramenti baptismi.*

Dico 1 : Omnia sacramenta characterem imprimentia, recedente fictione, conferunt suum effectum ; quia hæc sacramenta per impressionem characteris constituunt hominem in statu, a quo retrocedere nequit. Ergo conveniens institutio eorum postulat, ut gratia quæ annexa est huic characteri, semper detur, dum non est obex ; ideo sublato obice, qui impedierat in principio dari, debet dari. Idem dic de matrimonio quod, vivente conjuge, iterari non potest, et constituit hominem in statu in quo valde indiget sacramentali illius gratia; ac de extrema unctione initerabili in eodem morbo, et cujus gratia sacramentalis est ægro valde utilis.

Dico 2 : Quoad sacramentum pœnitentiæ, si possit dari validum et informe, verisimilius est etiam illud, recedente, fictione conferre suum effectum. (D. Thomas, Durandus, Paludanus.) Alioquin valida prior absolutio nunquam posset habere suam efficaciam seu effectum. De sacramento Eucharistiæ res est dubia, de quo postea. Quod autem attinet ad sacramenta veteris legis, non videntur recedente fictione contulisse suum effectum ; nam per illa probabiliter nulla dabatur adultis gratia ex opere operato.

DISPUTATIO VICESIMA NONA.

De dispositione et effectu baptismi sanguinis seu martyrii.

SECT. I. — *An infantes per baptismum sanguinis possint salvari sine baptismo aquæ.*

Dico 1 : Infantes sunt capaces martyrii seu baptismi sanguinis, idque extendunt ad illos infantes qui in uteris maternis simul cum matribus interficiuntur. (Richardus, Scotus, Gabriel, etc.) Atque hoc maxime probatur exemplo sanctorum innocentium, quos martyres fuisse constat, ut patet ex traditione et sensu Ecclesiæ illos ut vere beatos ac martyres cum festo colentis, cui consonant sanctorum Patrum testimonia, Cypriani, Leonis, Augustini, etc, Et omnes quidem illos sine ulla exceptione colit non ob gratiam sanctificantem per circumcisionem acceptam, (probabiliter enim plures nondum erant circumcisi), sed ob mortem pro Christo susceptam, quæ licet non fuerit illis voluntaria, nec actus virtutis, fuit tamen objective honesta et studiosa, vimque ac gloriam martyrii consecuta. Unde colligitur quosvis infantes posse esse martyres. Quare

Dico 2 : Baptismus sanguinis sufficit infantibus ad salutem sine baptismo aquæ. Qui enim sic moriuntur, sunt vere martyres, atqui martyrium est sufficiens ad salutem, ut infra ostendetur ; ergo illi si non verbo, saltem re et opere confitentur Christum eique conformes fiunt. Hinc prorsus reprobandus Alensis, qui asserit baptismum sanguinis solum adultis prodesse.

SECT. II. — *An baptismus sanguinis sufficiat adultis ad salutem sine baptismo aquæ.*

Nota : Certum est non posse omitti baptismum aquæ, eo quod instet vel statim speretur necessitas perferendi martyrium : unusquisque enim, etiam ante martyrium tenetur suscipere baptismum aquæ si possit. Agitur ergo tantum de eo qui antequam possit baptizari baptismo aquæ, rapitur ad martyrium.

Dico 1 : Ad martyrium adultorum non tantum requiritur voluntarius patientis consensus (cujus defectu in somno v. gr. occisus in odium Christi non erit martyr), sed etiam requiritur ut voluntas qua mors pro Christo acceptatur, sit ex fine honesto, non ob inanem gloriam, famam, humanum commodum, et profecta insuper ex motivo supernaturali, v. gr. ex motivo tuendæ fidei et religionis Christianæ qua tenditur ad supernaturalem beatitudinem ; alioqui non pateretur ut Christianus, sed ut philosophus, aut ut hæreticus ex motivo humano, non fidei qua caret.

Dico 2 : Quamvis actualis charitas et dilectio Dei super omnia sit optima dispositio ad martyrium, non est tamen absolute necessaria, sed sufficit actus voluntatis elicitus ab infusa ac supernaturali fortitudine, vel ex proprio istius fortitudinis motivo sine actuali charitatis imperio, vel ex intentione divini cultus et imperio religionis, ut si quis malit mori quam idolum adorare ; vel ex imperio virtutis obedientiæ, ut si quis velit mori potius quam divinam legem violare. Dum Paulus dicit (I Cor. XIII, 3) : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, non dicit si non habuero charitatem actualem seu amorem, sed *charitatem ;* potest autem quis esse in charitate habituali et amicitia Dei, et non operari ex actuali charitatis imperio. Hinc D. Thomas non dicit de essentia martyrii esse ut a charitate imperetur, sed essentialiter esse actum fortitudinis qui ex se aptus est imperari a charitate. Jam vero quæritur an hujusmodi martyrium secluso merito seu dispositione charitatis, possit ex vi sua aut ex speciali privilegio supplere vicem baptismi aquæ. Quare

Dico 3 : Simpliciter et absolute asserendum est martyrium habere vim baptismi aquæ in adultis, atque ita posse supplere ejus vicem, quando non voluntatis contemptus, sed necessitas cogit pati martyrium sine baptismo aquæ. (D. Thomas et alii theologi, ac maxime Patres.) Sic Clemens (*Constit.* cap. 7) : « Qui martyrium, » inquit, « consequi meruit, gaudeat in Domino, quod tantam coronam est adeptus : et quamvis fuerit catechumenus, lætus discedat ; passio enim quam pro Christo sustinet, cedet veriorem baptismum, quoniam ipse reipsa commoritur Christo, alii in figura. » Similia habent Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Tertullianus, etc. Dicitur autem martyrium supplere vicem baptismi aquæ ratione effectus, quia per se est sufficiens ad salutem remedium, utpote opus arduum maximæ dilectionis : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13) ; et habens sibi annexam Christi promissionem : *Omnis*

qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x, 32). Unde communis est theologorum omnium consensus, martyrem statim in cœlum evolare : « Injuria est, » inquit Augustinus (serm. 37 *De verb. apost.*), « pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » Et (serm. 5 *De mart.*) : « Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. » Hinc

Dico 4 : In baptismo sanguinis potest obtineri remissio culpæ originalis et mortalis, adeoque et gratia sanctificans, non solum quoad augmentum, sed etiam quoad primam ejus infusionem. D. Thomas (quæst. 87, art. 1) : « Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi et purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem. » Ita etiam ejus expositores Sotus, Vega, etc.

Sect. III. — *Quam dispositionem requirat baptismus sanguinis in adulto, ut suum illi effectum conferat.*

Dico 1 : Per se loquendo, tenetur homo qui est in statu peccati mortalis, instante occasione vel necessitate moriendi pro Christo præmittere peccatorum contritionem per formalem eorum detestationem et Dei dilectionem super omnia. Unde si voluntarie hoc omittat, et sine ea dispositione moriatur, non salvabitur per martyrium ; occasio enim martyrii non tollit obligationem adhibendi media ad salutem necessaria et a Deo instituta, utpote tutiora, sicuti jam dicebam de obligatione suscipiendi baptismum aquæ. Attamen ut homo per martyrium obtineat remissionem peccatorum et gratiam, non semper necesse est ut contritio in re ipsa interveniat, sed potest sufficere attritio, saltem interveniente bona fide per ignorantiam probabilem juris aut facti. Omnes enim tribuunt baptismo sanguinis vim remittendi peccatum mortale non tantum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam ; si autem contritio in re ipsa esset necessaria, martyrium semper supponeret culpam jam ablatam, et sic nunquam vere suppleret vicem baptismi aquæ, seu ejus effectum, nempe remissionem omnis peccati, et gratiam nunquam per se conferret ex opere operato, vel quasi ex opere operato. Dixi *intercedente bona fide*, etc., quia homo in mortis articulo tenetur ad amorem Dei super omnia, adeoque ad contritionem ; ad quam etiam probabiliter teneretur si baptismum aquæ susciperet in mortis articulo. Unde per martyrium semper confertur vel gratia sanctificans, vel ejus augmentum quasi ex opere operato, seu ultra id quod merito patientis respondet.

Dico 2 : Probabile est, quamvis per se ante baptismum sanguinis sit necessaria formalis peccatorum pœnitentia, si tamen ex accidenti contingat hominem ab hujusmodi pœnitentiæ omissionis culpa excusari ob naturalem inadvertentiam et peccatorum oblivionem, solam pro Christo moriendi voluntatem esse sufficientem dispositionem ad obtinendum remissionem peccatorum et gratiam ex privilegio martyrii, modo absit actualis complacentia peccati : ita Vega et Sotus, idque insinuat D. Thomas, dum nullam aliam requirit dispositionem quam quod homo moriatur pro Christo absque actuali peccati complacentia. Hæc sententia fundatur : 1° in operis excellentia, quod reputatur pro summa Dei dilectione juxta Joan. xv, 13 : *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hinc illa voluntas est virtualis dilectio Dei super omnia, adeoque virtualis peccatorum omnium detestatio ; ergo est sufficiens dispositio. 2° In speciali privilegio et hac Christi promissione facta martyrio : *Qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam* (*Marc.* viii, 35), aut : *Vivificabit eam* (*Luc.* xvii, 33). Ista igitur sola voluntas simul cum impleto martyrii externo opere, videtur sufficere ad omnium peccatorum remissionem quoad culpam et pœnam, et ad gratiam sanctificantem. Quod attinet ad locum sancti Pauli, I Cor. xiii, 3 : *Si tradidero corpus meum*, significat : Si tradidero corpus meum et sine charitate antecedente martyrium et sine consequente, nihil mihi prodest ; v. gr. si quis tradat corpus ob vanam gloriam, aut cum voluntate peccandi (Paulus enim non dicit ob Christum), tunc id nihil illi proderit, imo oberit ; secus vero, si quis tradat corpus sine charitate opus antecedente, sed cum charitate quasi ipsum consequente, seu in ipso opere comparata, saltem in illius termino, dicitur martyrium conferre gratiam quasi ex opere operato, non quod ipsa passio et ipsum martyrii opus conferat gratiam, sicut sacramentum, sed quia, posito illo opere, Spiritus sanctus ex speciali privilegio illam confert absque merito vel ultra meritum patientis. Hoc martyrii privilegium jam ante Christi Evangelium videtur exstitisse, ut colligitur ex martyrio Innocentium et Machabæorum ; sed ante Christi mortem non aperiebat januam cœli.

Dico 3 : Dum is qui patitur martyrium non est in statu gratiæ, probabilius illam recipit in aliquo priori instanti, inter quod et instans mortis intercedit aliquod aliud instans ; quia quamvis in illo instanti vita nondum sit consummata, est tamen homo per lethalia vulnera aliudve passionis genus in eo statu constitutus, in quo mors jam est inevitabilis, et jam apud Deum est completum et acceptatum martyrium ; et martyr ita confirmatus in accepta gratia ut non amplius peccet usque ad ultimum mortis instans. Ita Vega.

Commentarius D. Thomæ. — *De circumcisione.* (Quæst. 60.)

1. Quamvis circumcisio fuerit principaliter instituta ad signandum specialem populum, ex quo Christus erat nasciturus, ex speciali tamen Dei intentione fuit etiam imposita ad figurandum baptismum et ejus effectum, carnaliumque concupiscentiarum exspoliationem per Christum dandam. Hinc data est soli populo Judæorum, ex quo Christus debebat nasci, et

pro solis quidem masculis, quia peccatum originale ab Adamo, non ab Eva, trahebatur, et quia viri sunt capita familiarum et totius reipublicæ; et data est tempore Abrahæ ante legem, ut lex posset dari populo fideli et jam consignato ac congregato. Idcirco præceptum circumcisionis obligabat non tantum illos qui erant de stirpe Abraham, Israel et Jacob, sed etiam omnes qui ad illum populum pertinebant.

2. Culter quo fiebat circumcisio, probabilius non erat necesse, ut esset lapideus sive necessitate sacramenti, sive præcepti, sed ferreus sufficiebat. Octavus dies a nativitate pueri, in quo debebat circumcidi, non ita erat de necessitate præcepti, ut ex legitima causa, v. gr. ob ægritudinem aliudve periculum, non posset sine peccato differri circumcisio et habere suum sacramenti effectum. Sed probabilius censent D. Thomas et Hugo, si octavus dies præveniebatur, fuisse circumcisionem non tantum illicitam, sed etiam invalidam ac infructuosam, nisi forte in periculo mortis.

3. Nullus locus circumcisioni faciendæ erat præscriptus, in quovis fieri poterat, nec ullus minister erat determinatus. Unde sive vir sive mulier illam facere poterat, et quilibet sive justus sive injustus, tam infidelis quam fidelis. Nomen quod finita circumcisione dabatur puero, imponebatur a patre, vel a matre ex patris consensu.

DISPUTATIO TRICESIMA.

De cæremoniis ac circumstantiis in solemni baptismo observandis.

Sect. I, II. — *Ad quid instituti, et quinam sint in solemni baptismo ritus servandi.*

Dico 1 : Convenientissimum fuit baptismum in Ecclesia solemni aliquo ritu conferri. De fide. Atque hic ritus præcipue ob quatuor causas fuit institutus : 1° ob instructionem, qua baptizandus instruitur et ad baptismum disponitur ; 2° ob significationem, quæ per res et actiones baptismi mysteria reddit sensibilia, seu intelligibilia ; 3° ob efficaciam, qua aufertur aliquod malum, v. gr. dæmonis potestas in baptizandum coercetur per exorcismum, vel confertur aliquod bonum v. gr. aliquis bonus animæ motus vel tunc vel postea ex Ecclesiæ impetratione ; 4° ob sacramenti decentiam ac reverentiam, qua debet dari et suscipi.

Dico 2 : Solemnis baptismi cæremoniæ sunt hæ : 1. *Tempus.* Olim statutum erat ab Ecclesia, ut baptismus duobus tantum anni diebus, scilicet Sabbato Paschæ et Pentecostes, conferretur, nisi ob urgentem necessitatem alio tempore conferre oporteret, ut patet ex diversis decretis et Patribus. Hæc consuetudo duravit usque ad tempora Caroli Magni ; postea cœpit paulatim aboleri, et jam omnino antiquata est quoad præcepti obligationem. Unde quodvis tempus aptum est baptismo suscipiendo : si baptizandus sit infans, quam primum baptizandus est ; nulla enim ætas, etiam unius diei, est inepta baptismo, ut ait Cyprianus (epist. 89), et Augustinus (epist. 28). Si vero sit adultus, cum primum fuerit convenienter instructus et dispositus, baptizandus est, ut docent Nazianzenus (orat. 40) et Basilius (*Exhort. ad baptismum*). 2. *Locus.* Nullus olim fuit locus præscriptus pro baptismo : postea crescente Ecclesia, certa loca fuerunt determinata, ut in eis baptismus administraretur, et dicta sunt baptisteria quæ erant ab ecclesia separata ; nunc in singulis ecclesiis parochialibus sunt deputata ac consecrata baptisteria. Unde jam non licet, ut habetur in canone quinquagesimo nono Trullano, etc., baptizare quempiam extra ecclesiam, nec in ipsis privatis oratoriis, nisi in casu necessitatis, et exceptis filiis regum et supremorum principum, sicut in Clementina unica *De baptismo* declaratur. 3. *Minister*, de quo sat dictum est disput. 23. Hic solemniter baptismum ministraturus juxta communem consuetudinem induitur saltem superpelliceo et stola, cujus antiquitatem refert Theodoretus (*Hist.*, lib. II, cap. 27). 4. *Susceptor* seu *patrinus*, de quo supra etiam dictum est in comment. quæst. 67, art. 7, etc. 5. Modus applicandi materiam et formam baptismi, cum debita intentione vel per aspersionem, vel per immersionem ; variæ benedictiones seu deprecationes ; aqua benedicta et consecrata ad sacramenti reverentiam, et ad significandam Spiritus sancti gratiam. Juxta Ecclesiæ consuetudinem, quamvis in solemni baptismo soleat in ipso baptismo consecratio aquæ præmitti, pro his tamen qui necessitate baptizantur, solet aqua consecrata servari, ut ea baptismus perficiatur, ut ex veteribus Patribus colligit Pamelius (*De baptismo*, lib. v, cap. 4, n. 27). Verum in necessitate potest quacunque aqua naturali perfici baptismus, ut habetur in decretis Victoris I papæ (*Conc.*, tom. I). 6. Est catechismus substantialis, seu competens instructio, et catechismus cæremonialis, in quo catechumenus post petitum baptisma et datum nomen examinatur an sit bene conversus ad Deum et instructus. Dein sæpius signatur signo crucis, facit fidei professionem per publicam Symboli confessionem, abrenuntiat Satanæ et pompis ejus. 7. Est exorcismus in quo fit exsufflatio ad significandam dæmonis expulsionem, manus impositio cum sacerdotis benedictione ad impediendum dæmonis reditum ; sal in os baptizandi immittitur, quo divinæ sapientiæ infusio repræsentetur ; nares et aures baptizandi sputo liniuntur, in signum, ait D. Thomas, receptionis et approbationis doctrinæ fidei ; baptizandus inungitur oleo sanctificato ad certamen contra dæmonem, et chrismate in vertice ad conservationem gratiæ baptismalis. Olim induebatur vestimentis albis ad significandam vitæ novitatem, cujus loco nunc imponitur velum album super caput baptizati ; ac denique datur illi in manum cereus accensus ad significandam fidem vivam, quam debet conservare usque ad mortem.

DISPUTATIO TRICESIMA PRIMA.

De morali doctrina ad baptismi sacramentum spectante.

Sect. I, II. — *An homines jure divino teneantur baptizari, et quando.*

Dico 1 : Jure divino impositum est hominibus præceptum suscipiendi baptismum aquæ (D. Thomas, Richardus, Bonaventura, etc.); quando enim Christus apostolis præcepit, ut omnes gentes baptizarent, implicite aliis præcepit, ut baptizarentur ; et concilium Tridentinum (sess. 7, can. 5, *De bapt.*) anathemate damnat dicentes baptismum liberum esse, id est, non necessarium ad salutem. Hinc colligitur istud præceptum tale esse, ut obliget sub mortali, cum voluntaria ejus omissio excludat hominem a regno cœlorum, juxta Christi verba : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 15).

Dico 2 : Hoc baptismi præceptum omnibus hominibus impositum est, adeoque ex quo latum est, quantum est ex se, obligat omnes qui sunt præcepti capaces. Hinc sequitur : 1° obligasse etiam illos qui tempore Christi vivebant, postquam fuerat latum ; ipsosque apostolos ac B. Virginem, quia omnes oportebat uniri Ecclesiæ, subdi ejus jurisdictioni, et fieri capaces aliorum ejus sacramentorum, quamvis jam non esset illis baptismus necessarius ad peccati remissionem. 2° Obligare omnes infideles ; non tamen per sese et directe parvulos ante usum rationis, utpote necdum præcepti capaces ; sed horum parentes, aut alii curam illorum gerentes obligantur saltem ex charitate procurare eis baptismum in necessitate vel periculo mortis, uti et tunc Ecclesiæ pastores tenentur ex officio et ex justitia eos baptizare. Extra hunc casum necessitatis, et stando in solo jure divino, videntur obligari parentes hoc baptismi præcepto ad baptizandos suos filios tempore infantiæ; et idem dic de tota Ecclesia respectu suorum membrorum. Hinc facile olim et licite differebatur baptismus ad provectiorem ætatem, sed nunc ex consuetudine et ex Ecclesiæ præcepto, id non licet. Quo autem tempore hoc Christi præceptum de baptismo suscipiendo cœperit obligare totum mundum, jam antea dictum est.

Dico 3 : Hoc baptismi præceptum, moraliter loquendo, obligat hominem ut, cum primum commode et digne potest, illum recipiat, vel saltem ut non multo tempore illum differat, quia in ejusmodi rebus moralibus, et cum sit præceptum affirmativum, non potest temporis articulus indivisibiliter designari. Attamen a principio vitæ post adeptum usum rationis, quamprimum, moraliter loquendo, est recipiendus si non adsit causa rationabilis illum differendi, qua subsistente potest licite differri : sicut qui novit religionis ingressum, licet tempus non determinarit, tenetur tamen, quam primum potest, illam ingredi, nec potest ingressum differre usque ad ultimum vitæ tempus. Ita dic de baptismo, differendo enim baptismum usque ad finem vitæ, sacramentum magna ex parte frustrabitur fine suo, v. gr. participatione aliorum sacramentorum, etc. Jam vero quæritur an potuerit Ecclesia hoc suscipiendi baptismi tempus determinare, et an determinarit. Ad quod

Dico 4 : Non videtur esse in Ecclesia potestas directa præcipiendi adultis non baptizatis, aut adultis baptizatorum filiis, ut intra tale tempus baptizentur, loquendo proprie de præcepto positivo humano : potest quidem Ecclesia quoad istud tempus interpretari jus divinum, ita ut catechumenus ex vi præcepti divini aut naturalis, non ecclesiastici, teneatur sequi istam interpretationem, sed non potest per novum præceptum humanum adhibere divino baptismi præcepto specialem temporis determinationem ; non habet enim jurisdictionem in eos qui nondum sunt Ecclesiæ visibilis membra : *De his qui foris sunt, nihil ad nos* (*I Cor.* V, 12). Et concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 4) : *Ecclesia*, inquit, *in neminem exercet judicium, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.* Hinc sequitur neque esse, neque unquam fuisse tale Ecclesiæ præceptum respectu adultorum infidelium, seu non baptizatorum ; si enim non est potestas, multo minus potest esse actus. Potest tamen Ecclesia proprio et speciali præcepto determinare tempus pro filiis Christianorum, quia ratione parentum acquisivit jus in filios. Item potest circa hoc dare suis ministris præcepta, et determinare ritus convenientes ac decentes, ad quos servandos tenebuntur infideles et catechumeni, non ex præcepto ecclesiastico, sed divino aut naturali, quo obligantur sancta sancte tractare.

Sect. III. — *Quibus ex causis possit homo ab observatione hujus præcepti excusari.*

Dico 1 : Dum contingit infantem graviter ægrotare, et probabiliter timetur ne baptismi ablutio illi mortem acceleret, si adhuc sit spes vitæ, potest parumper baptismus differri in meliorem opportunitatem ; si non sit amplius spes vitæ, baptizandus est cum omni cautela, ne ejus vitæ noceat ablutio. Pene idem dic de adulto ægrotante, quamvis in eo possit esse minor necessitas, cum ipse possit salvari per votum baptismi.

Dico 2 : Quoad periculum violentæ mortis, si baptizandus sit infans, sitque in probabili vicinæ mortis naturalis periculo, non est prætermittendus baptismus ob timorem violentæ mortis inferendæ vel baptizato, vel baptizanti. Si autem baptizandus adultus versetur in instanti mortis naturalis periculo, non est etiam omittendus baptismus, licet tyrannus minetur mortem statim inferendam aut accelerandam baptizato.

Sect. IV, V. — *Quisnam possit vel teneatur ministrare baptismum ; et quomodo quis peccet ministrando.*

Dico 1 : Pastores animarum ex officio, alii in

necessitate ex charitate tenentur baptismum conferre : *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. (*Matth.* XXVIII, 19, 20). Soli tamen pastores animarum ex se habent jus baptizandi, alii autem sacerdotes in radice tantum per potestatem ordinis, laici vero tantum in necessitate illud habent. Baptizandi in locis infidelium, ubi convertuntur ad fidem, debent accipere baptismum ab iis qui sunt missi a pastoribus Ecclesiæ, seu a supremo illius pastore immediate vel mediate, habentibus potestatem admittendi illos ad Ecclesiam. Qui autem invertit ordinem et usurpat alienam jurisdictionem in conferendo baptismo, nullam censuram incurrit, et nulla in jure habetur pro hac re imposita.

Dico 2 : In casu necessitatis potest licite baptismum dare qui non est pastor animarum, si hic haberi nequit, sive sit sacerdos sive laicus, modo servetur debitus ordo ; unde si adsit sacerdos, diaconus non erit conveniens minister ; nec in præsentia diaconi, inferior clericus, nec in præsentia clerici, laicus, neque in præsentia viri, femina, si cætera sint paria : quamvis in necessitate, si præsente proprio pastore simplex sacerdos, aut præsente simplice sacerdote laicus præsumat baptizare, aut saltem si commode advocari possint, videatur peccare graviter cum usurpet jus alienum, tamen inferiores sacerdotes pervertentes ordinem inter se constitutum, non videntur peccare graviter, quia nullus horum est per se minister sacramenti, neque ullum habet jus absolutum. Deinde sacerdos, licet existimetur peccator, absolute tamen præferendus est non sacerdoti ; cæteris autem paribus inter inferiores sacerdotes, justus præferendus est peccatori. Quando ob necessitatem conceditur facultas baptizandi ei qui non est minister ex officio ; sive qui non est sacerdos, solum potest licite baptismum privatim et sine solemnitate dare. Laicus sine necessitate baptismo privato baptizans, non fit irregularis ; quia pœna irregularitatis lata in cap. 1 *De clerico*, intelligitur de baptismo solemni, ideoque si solemniter baptizaret, probabilius illam incurreret. Hinc quilibet clericus non sacerdos, ministrando baptismum solemniter, etiam in casu necessitatis, fit irregularis : secus vero simplex sacerdos, injuste usurpans munus alterius, quia non exercet actum ad quem non sit ordinatus, quamvis indebito modo illum exerceat. In hac irregularitate solus papa potest dispensare quoad novos ordines suscipiendos : episcopus autem quoad usum susceptorum.

Dico 3 : Peccat graviter qui in dando baptismo prætermittit aliquid quod est de ejus substantia. Hinc curandum est, ut obstetrices ex officio sciant ea quæ sunt in baptismo substantialia saltem lingua vernacula, quamvis non videantur ad hoc teneri sive ex aliquo præcepto Ecclesiæ, sive charitatis. Peccat etiam graviter, qui in statu peccati mortalis solemniter baptizat ; secus, si absque solemnitate in necessitate. Item peccat mortaliter, qui ab Ecclesia interdictus per excommunicationem aut aliam censuram baptizat sine urgente necessitate, et si sit clericus et solemniter baptizet, fit irregularis ; secus si absque solemnitate.

Dico 4 : Tenetur qui ministrat baptismum non dare illum nisi homini convenienter disposito. Item servare omnes ritus, quos Ecclesia peculiari præcepto servandos statuit, aut quos recepta consuetudine observat in solemni baptismi administratione.

SECT. VI. — *An ob peccatum iterandi baptismi incurratur pœna irregularitatis.*

Nota : Dum sufficienter constat hominem fuisse baptizatum, si iteretur baptismus, tam is qui eum dat, quam qui voluntarie recipit, gravissime peccat ob irreverentiam sacramento, quod est nullum, factam. Quando autem dubitatur, et sunt aliqua indicia ad suspicandum puerum fuisse baptizatum, sed non sufficientia sunt ad ferendum judicium absolutum aut definitum, tunc licitum est eum baptizare sub conditione, *Si non es baptizatus*, ut præcipitur in c. 2 extrav. *De baptismo*. Unde diligenter perpendendæ sunt dubii rationes.

Dico 1 : In jure civili pœna capitis tam rebaptizanti quam rebaptizato sua culpa imponitur lib. II, cap. *Ne sanctum baptisma iteretur :* in jure autem canonico, ratione ejusmodi peccati nulla excommunicationis aut alterius censuræ pœna ipso facto incurrenda invenitur ; sed qui absolute rebaptizando peccat, ipso facto incurrit irregularitatem quoad superiores ordines suscipiendos, non quoad usum susceptorum, juxta communem et certam theologorum sententiam, quæ ipso usu et consuetudine, quemdam juris subobscurum textum sic interpretari nititur ; et juxta eumdem textum, incurritur tantum irregularitas, quando crimen est publicum, non vero quando est occultum, sive quando rebaptizatio est publica. Verum qui sine intentione rebaptizandi rebaptizat, licet peccet, in foro interiori non incurrit irregularitatem.

Dico 2 : Non tantum qui adhibita morali ac probabili diligentia, bona fide rebaptizat sub conditione tacita vel expressa, non incurrit irregularitatem, ut omnes fatentur ; sed etiam probabilius nec is, qui temere et nulla diligentia adhibita sic rebaptizat. Item nec hanc incurrit ille, qui non sub conditione, sed absolute baptizat ex invincibili ignorantia sive juris sive facti, aut etiam ex ignorantia, quæ rebaptizantem excusat a culpa mortali ; quia tam gravis pœna, qualis est irregularitas, non incurritur nisi ob culpam mortalem. Sacerdos ob iteratas baptismi cæremonias, si non rebaptizet, non incurrit irregularitatem, uti nec ejus acolythus ; hic tamen in jam insinuato juris textu dicitur incurrere, nempe quando præter cæremoniarum iterationem iteratur etiam baptismus, cujus iterationi censetur cooperari : non vero quando iterantur tantum cæremoniæ sine baptismi iteratione.

Dico 3 : Adulto, qui scienter et voluntarie re-

baptizatur absolute et sine conditione, in jure civili, ut jam dixi, imponitur pœna capitis: in canonico autem irregularitas a susceptione et usu ordinum; cumque hæc irregularitas sit in pœnam, et non ob indecentiam aut aliquam specialem significationem, ideoque ab ea incurrenda excusat ignorantia, quæ excusat a culpa: ideo non incurritur ab eis qui in infantia baptizantur. Dumque in decreto Felicis III, cap. *In qualibet*, dicuntur rebaptizati in *qualibet ætate*, manere irregulares, id intelligitur de qualibet ætate adulta, in qua jam homo potest uti ratione. Qui autem per vim aut metum rebaptizatur, si non habeat intentionem recipiendi baptismum, non fit irregularis; secus, si habeat.

DISPUTATIO TRICESIMA SECUNDA.

De sacramento confirmationis, ejusque institutione.

SECT. I, II. — *An confirmatio sit verum novæ legis sacramentum a Christo institutum, et quando.*

Dico 1: In lege gratiæ est quoddam sacramentum a baptismo aliisque sacramentis distinctum, atque ad diversum finem et effectum ac sub diverso signo visibili institutum, quod a Patribus vocatur tum confirmatio ob effectum spiritualis corroborationis ad fidem fortiter profitendam; tum consignatio frontis vel sacramentum chrismatis ob materiam; tum manus episcoporum impositio ob modum. De fide contra Waldenses hæreticos, Calvinum, Lutherum, etc. Probatur 1° ex Scriptura, in qua Christus promittit Spiritum sanctum qui maneat nobiscum in æternum; sicut hæc promissio est in suo effectu et fine distincta a cæteris, ita debuit habere determinatum signum visibile seu proprium sacramentum, per quod constaret infidelibus illam impleri; nec potest dici eam impleri per baptismum, quia apostoli jam baptizati erant, quando Christus id illis et toti Ecclesiæ promisit; et Samaritani jam baptizati erant, quando Petrus et Joannes (*Act.* VIII) missi sunt ad eos ut acciperent Spiritum sanctum; ergo hæc receptio Spiritus sancti distincta est ab effectu baptismi. Paulus etiam (*Act.* IX) super sex jam baptizatos imponit manus, et accipiebant Spiritum sanctum. Hæc manuum impositio ab apostolis facta non erat ad approbandam baptizatorum fidem, ut ridicule finxerunt hæretici, nec ad dandam solum miraculorum potestatem aut similem gratiam gratis datam, cum non omnibus, quibus manus imponebant, illa daretur; sed ad conferendum abundantiorem Spiritus sancti gratiam gratum facientem seu sanctificantem juxta Christi promissionem tanquam per sacramentum in Ecclesia perpetuo duraturum; sicut semper duravit et durat. Probatur 2° ex auctoritate summorum pontificum: nam Clemens, lib. III *Const.*, cap. 16: *Postea*, inquit, *episcopus baptizatos chrismate ungat.* Similia habent Urbanus, Fabianus, Cornelius, Damascenus aliique pontifices; et Constantinus in suo edicto (col. 4) dicit se a Sylvestro accepisse hoc chrismatis sacramentum. 3° Ex conciliis Eliberitano, Meldensi, Arausicano, Florentino, Tridentino, etc. 4° Ex perpetua Ecclesiæ praxi et traditione apostolica. 5° Ex congruentia, quam affert Melchior papa in *Epist. ad episcopos Hisp.* cap. 3, ex exemplo ducis, qui non tantum signat suos milites, sed etiam armis instruit; et parentis relinquentis filio simul et hæreditatem et tutorem: *Christus*, inquit, *in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.*

Dico 2: Hoc confirmationis sacramentum fuit immediate a Christo institutum; non a concilio Meldensi speciali Spiritus sancti instinctu; nec a Melchiore papa, cum longe ante eum, tempore paparum Clementis, Urbani, Fabiani, Cornelii, in usu fuerit. De fide, ut definierunt concilia Florentinum, Tridentinum, etc. Quod attinet ad tempus in quo a Christo institutum fuit, videtur verisimilius quoad illius promissionem et præceptum datum de illo administrando in futuro tempore, et quoad apostolorum instructionem de materia et forma, qua ad id faciendum uti debebant: videtur, inquam, totum hoc in nocte Cœnæ a Christo fuisse traditum; sed quoad perfectam ejus constitutionem et potestatem apostolis datam illud conferendi et facultatem aliis recipiendi, videtur id institutum esse, quando Christus post resurrectionem (*Joan.* XX, 22) dixit apostolis: *Accipite Spiritum sanctum*, etc., juxta instructionem et promissionem in nocte Cœnæ datam; tunc enim apostoli fuerunt creati episcopi. Unde manuum impositio a Christo facta parvulis ad se venientibus (*Matth.* XIX, 15), non fuit institutiva hujus sacramenti, seu confirmativa, sed vel benedictiva tantum, ut vult Hieronymus, vel sanativa, ut Anselmus sentit: nondum enim erant isti pueri baptizati, adeoque nec confirmationi idonei. Ista igitur manuum impositio fuit tantum aliqua hujus sacramenti adumbratio, ut concilium Senonense videtur intelligere.

DISPUTATIO TRICESIMA TERTIA.

De essentia sacramenti confirmationis.

SECT. I. — *An oleum balsamo mistum sit de necessitate materiæ hujus sacramenti.*

Nota: Confirmatio sic metaphysice definiri potest: Est sacramentum novæ legis, speciale gratiæ Spiritus sancti robur significans ac conferens. Physice autem sic: Est unctio chrismatis in fronte signo crucis facto sub præscripta verborum forma.

Dico 1: Materia remota hujus sacramenti simpliciter necessaria ad ejus essentiam et substantiam conficiendam, est chrisma quod confici debet ex oleo et balsamo; de fide. Nam concilium Florentinum simpliciter docet materiam hujus sacramenti esse chrisma confectum ex oleo et balsamo; et videtur Tridentinum uti nomine chrismatis in eadem significatione. Licet enim ista vox *chrisma*, juxta etymologiam Græcam, significet præcise unctionem, tamen ex usu Patrum et Ecclesiæ accommodata

est ad significandam istam mistionem ex oleo et balsamo. Hinc

Dico 2 : Hæc chrismatis confectio ex oleo et balsamo, non ex institutione Ecclesiæ, sed ex traditione apostolica, et Christi institutione manavit. Quoad confectionem ex oleo, videtur esse etiam de fide, et Christum istam olei materiam designasse; quamvis autem de mistione balsami non ita manifeste constet, tamen juxta communiorem theologorum sententiam, non tantum oleum, sed etiam balsamum seu mistio balsami est de essentia hujus sacramenti materiæ; ita ut unctio in fronte, oleo tantum facta sine mistione balsami non solum illicita sit, sed etiam insufficiens ut sacramentum factum teneat. D. Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, Durandus, etc., contra Cajetanum, Sotum, Navarram, etc., dicentes balsamum seu balsami mistionem non esse de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate præcepti, uti mistio aqua in Eucharistia. Probatur. 1° ex concilio Florentino dicente : *Secundum sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per episcopum benedicto.* Ubi æqualiter numerat oleum, balsamum et benedictionem episcopalem; primum et tertium sunt de essentia; ergo et secundum. Deinde juxta Patres Dionysium, Fabianum, Cyprianum, etc., confectio chrismatis ex oleo et balsamo ad hujus sacramenti usum est de Christi institutione et mandato, ergo, etc. 2° Ad veritatem formæ dicentis : *Confirmo te chrismate salutis*, requiritur mistio balsami, quia nomine *chrismatis* ex usu Ecclesiæ et sanctorum Patrum significatur compositum ex oleo et balsamo episcopali benedictione consecratum.

Quare dum Innocentius III, in c. 1 *De sacram. non iterandis*, respondet in eo, qui per errorem non chrismate, sed solo oleo fuerat inunctus, nihil esse iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat prætermissum, intelligit non esse iterandas sacramenti cæremonias et solemnitatem, sed esse supplendam caute, id est, sub conditione, vel adhibita magna diligentia, et privatim essentialem chrismatis ex oleo et balsamo confecti unctionem, qua prætermissa sacramentum probabilissime fuerat invalidum. Deinde cum chrismatis ex oleo et balsamo compositi major pars sit oleum, et minima balsamum, interdum Patres nomine *olei* illud chrisma, seu illam confirmationis materiam significant. Denique licet balsamum sit satis rarum, nunquam tamen, nec ipso apostolorum tempore sufficiens defuit copia ad hujus sacramenti usum, nec tam rarum ut in duobus tantum Judææ hortis reperiatur, sicuti dicit Plinius ; et nunc longe major ejus abundantia ex India affertur, quod ad conficiendum chrisma esse sufficiens declararunt Paulus III et Pius IV.

Dico 3 : Non est de necessitate sacramenti, ut chrisma sit novum et eodem anno confectum; nam vetus vel alterius anni sufficit ad valorem sacramenti, modo non sit substantialiter corruptum, et aliquem balsami odorem retineat, sed est tantum de necessitate præcepti. Ideo præcipitur, ut singulis annis in die Cœnæ Domini novum conficiatur, et per parochias distribuatur, vetusque concremetur, et omnes unctiones, ad quas chrisma adhibetur, fiant cum novo, et non cum veteri. Hic autem annus computandus est ecclesiastico more a feria quinta in Cœna Domini usque ad aliam similem feriam sequentis anni.

Sect. II. — *An sit de essentia materiæ hujus sacramenti, ut chrisma sit ab episcopo consecratum seu benedictum.*

Dico 1 : Non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti ex parte materiæ est, ut chrisma sit ab episcopo consecratum seu benedictum. (D. Thomas et alii Thomistæ.) Probatur ex concilio Florentino definiente hanc materiam esse chrisma ex oleo et balsamo per episcopum benedictum ; et ex perpetuo Ecclesiæ usu, et traditione Patrum, maxime Dionysii, Cyrilli, Hieronymi, Fabiani, Cypriani, Innocentii, etc., asserentium chrismatis consecrationem debere per episcopum fieri : quæ non possunt de sola necessitate præcepti intelligi, quia hæc conditio seu episcopalis consecratio inter essentialia ex parte materiæ numeratur. Ideo in synodo Romana sub Sylvestre (c. 3), in concilio Toletano I (c. 20), et in concilio Carthaginensi II et III, expressis verbis vetatur ne chrisma a presbytero, neque ab alio quam ab episcopo conficiatur. Et ratio est quia Christus ita instituit ut habetur per perpetuam Ecclesiæ traditionem. Hinc

Dico 2 : Licet Christus non determinarit individualem consecrandi chrismatis modum, statuit tamen in communi, ut esset consecratum, relinquens Ecclesiæ ordinationi consecrationis modum : non enim videtur semper servatus fuisse ille consecrandi modus chrismatis quem nunc Ecclesia servat, nec forte idem nunc modus in universa Ecclesia tam Græca quam Latina servatur ; quia ex institutione Christi sola consecratio in communi per invocationem Spiritus sancti ab episcopo facta, est de essentia sacramenti : modus autem ex determinatione Ecclesiæ, ita tamen ut ista consecratio seu benedictio chrismatis fiat ab episcopo (alioqui non valeret sacramentum), quia, ut jam diximus, ex primæva institutione id a Christo tanquam huic sacramento essentiale sancitum est. Unde probabilius non potest papa concedere simplici sacerdoti potestatem consecrandi seu conficiendi chrisma, contra Cajetanum, Sotum, et Victorem, dicentes posse papam in hoc dispensare, imo juxta Ledesmam posse episcopum, sed falso. Probatur, quia, ut jam dictum est, jure divino solis episcopis data est potestas conficiendi chrisma ; ergo sine sufficienti auctoritate non potest jus in hoc dispensandi ad papam extendi : licet enim probabiliter possit concedere simplici sacerdoti potestatem administrandi sacramentum confirmationis, quod

videtur majus, ut Gregorius XIII dicitur concessisse pro India, non tamen inde sequitur posse etiam simul concedere potestatem conficiendi chrisma, quod nec ipse dictus Gregorius concessit. Major enim potest esse necessitas administrandi confirmationem, quam conficiendi chrisma. Denique papa non potest magis privare inferiores episcopos potestate conficiendi chrisma, quam confirmandi (de quo infra), quia id pertinet ad potestatem ordinis, non jurisdictionis essentialiter.

Sect. III, IV. — *Quænam chrismatis unctio, et an sola chrismatis unctio sine manus impositione sit necessaria materia proxima hujus sacramenti.*

Dico 1 : Proxima hujus sacramenti materia est chrismatis unctio, in quam forma proxime cadit, et facta quidem necessario in formam crucis, necessitate sacramenti, ad verificandam formam ; significatur enim per formam fieri hanc unctionem in figura crucis sic : *Signo te signo salutis.* Ergo illa unctionis figura est essentialis, uti et unctio in fronte, prout tenent Durandus, Scotus, Gabriel, Sotus, Sylvanus, etc., ususque et perpetua traditio ; præter hanc essentialem, quæ in fronte fit, unctionem, aliæ sunt accidentales et accessoriæ. Quoad materiæ quantitatem ex parte chrismatis, illa sufficit, quæ est sufficiens ad imprimendum crucis signum in ea corporis parte quæ consignanda est. Unde cum hæc consignatio successive fiat, satis parva chrismatis quantitate potest perfici. Deinde necesse est non tantum necessitate præcepti ut hæc unctio immediate fiat manu seu digito episcopi, prout præscribit rituale Romanum (non penna aut simili alio mediante instrumento), sed etiam probabiliter necessitate sacramenti, ob impositionem manus. De qua jam infra. Quod vero hæc unctio fiat pollice dextræ, ut præscribit pontificale Romanum, non videtur ita essentiale, ut si contingeret fieri alio digito, etiam manus sinistræ, sacramentum esset irritum, quia tunc esset sufficiens manus impositio, et reliqua omnia.

Dico 2 : Sine prædicta unctione in fronte facta manu episcopi, quævis alia manus episcopi impositio non sufficit ad valorem sacramenti : illa enim, ut jam ostendimus, est essentialis materia ; imo ipsa sola intrinsece includens manus episcopi impositionem, sufficit sine alia ejusdem episcopi manus impositione. Hinc probabilius, juxta Bellarminum, ipsi apostoli ad conferendum confirmationis effectum semper usi sunt unctione chrismatis, neque adhibuerunt unquam aliam, saltem ut necessariam, manus impositionem, præter eam quæ in ipsa prædicta unctione intrinsece includitur, sicut nunc facit Ecclesia Romana, quia, ut supra diximus, chrismatis institutio fuit a Christo facta, et apostolis tradita ; dicitque Fabianus papa in sua secunda epistola apostolos non solum docuisse, sed etiam servasse consuetudinem singulis annis conficiendi chrisma, ac cremandi vetus et novo utendi. Divus autem Thomas, Scotus, Durandus, Gabriel, etc., æque verisimiliter sentiunt apostolos ex speciali commissione interdum usos fuisse sola manus impositione absque unctione, ut daretur Spiritus sanctus ad robur et confirmationem fidelium ; interdum vero usos fuisse unctione chrismatis, nempe quandiu Spiritus sanctus datus est missione visibili, seu cum effectu sensibili doni linguarum aut similibus, ad fidem suadendam ac stabiliendam, tunc apostoli sine unctione ex dispensatione per solam manus impositionem dabant confirmationem ; sed ista simplex manus impositio non erat verum confirmationis sacramentum quoad substantiam : non enim erat cæremonia stabili lege instituta, conferebat tantum ex speciali commissione eumdem ac verum confirmationis effectum. Postquam autem cessarunt ista signa visibilia et iste extraordinarius modus mittendi Spiritum sanctum, tunc cœperunt apostoli uti unctione chrismatis tanquam regulari medio instituto a Christo ad fideles confirmandos.

Sect. V. — *An tota hæc forma sit essentialis :* Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Respondeo et dico : Hæc tota forma non tantum est sufficiens, quod est de fide ex definitione concilii Florentini, sed etiam necessaria, essentialis et constitutiva hujus sacramenti, nullaque alia potest esse sufficiens, nisi huic æquivaleat in sensu et significatione substantiali. Unde præter priora verba : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis,* etiam expressa Trinitatis invocatio hisce verbis *in nomine Patris,* etc., est necessaria necessitate sacramenti, quia hoc sacramentum est quædam baptismi perfectio ; ideoque in utriusque sacramenti forma fit expressa Trinitatis professio. Deinde in hoc sacramento armatur homo ad fidem profitendam, cujus præcipuum mysterium est Trinitas. Constantinus, in suo edicto, et Alcuinus, non retulerunt omnia quæ ad integram formæ essentiam pertinebant ; et Ambrosius, qui objicitur, agit ibi non de confirmationis, sed de baptismi unctione. Quoad apostolos dicendum est eos usos etiam hac forma, dum verum confirmationis sacramentum conferebant ; secus vero, dum simpliciter sine ulla unctione manus imponebant.

DISPUTATIO TRICESIMA QUARTA.

De effectu sacramenti confirmationis.

Sect. I, II. — *An hoc sacramentum imprimat characterem, et quos gratiæ sanctificantis effectus conferat.*

Dico 1 : Confirmatio imprimit characterem. De fide, in concilio Florentino, etc. ; estque hic character qualitas realiter distincta a charactere baptismi, et ordinata ad alios usus ac munera. Character baptismi assimilatur potentiæ passivæ, confirmationis, activæ. Hinc uti baptismus, ita et confirmatio iterari non potest. Dum igitur Augustinus (*De bapt.*, lib. III, cap. 16) dicit : « Manus autem impositio, non sicut baptismus, repeti non potest ;

quid est enim aliud, nisi oratio super hominem? » non loquitur de impositione manus per unctionem chrismatis, seu de sacramento confirmationis, sed de impositione manus reconciliativa, simul et deprecativa, per quam datur Spiritus sanctus ad vivificandum hominem spiritualiter, qui antea per peccatum vel hæresim mortuus fuerat.

Dico 2 : Hoc sacramentum per se et vi sua confert aliquam gratiam sanctificantem, præter eam quam confert baptismus. De fide. Omnia enim sacramenta novæ legis conferunt gratiam sanctificantem ; gratia baptismi, per quam remissum est omne peccatum, perficitur ac roboratur per confirmationem ad fidem constanter profitendam, ideoque Patres interdum confirmationem vocant baptismi perfectionem. Unde hoc sacramentum non est per se institutum ad dandam primam gratiam, neque ad tollendum originale aut mortale, sed ad augendam et roborandam gratiam baptismalem : contra errorem Raimundi dicentis peccatum originale non in baptismo, sed in confirmatione tolli, damnatum a Gregorio XI. Hinc is qui recipit confirmationem ad ejus effectum obtinendum, debet, per se loquendo, habere primam gratiam ; gratiæ enim augmentum præsupponit primam gratiam. Adultus autem conscius peccati mortalis, volens hoc sacramentum recipere, licet optimum sit consilium confessionem præmittere, non tamen ad eam tenetur, sed sufficit contritio ; imo probabiliter, juxta D. Thomam, sufficit probabilis existimatio contritionis cum ignorantia invincibili ad recipiendum ejus effectum. Quantus autem sit confirmationis effectus seu gratia, satis incertum est. Aliqui theologi dicunt effectum confirmationis vocari aut censeri perfectiorem effectu baptismi, quia hunc supponit, et addit aliquid aliud ; non tamen quasi id quod addit, præcise comparatum ad id quod supponit, sit majus aut perfectius.

Dico 3 : Hoc sacramentum confert propriam gratiam sacramentalem, id est specialem Spiritus sancti protectionem et auxilium ad fidem vivam constanter tenendam et profitendam ; hoc autem auxilium non datur formaliter in ipsa sacramenti susceptione, sed tantum in radice, sive datur jus ad istud auxilium vel auxilia temporibus opportunis accipienda juxta divinæ sapientiæ dispositionem, hujus sacramenti fini consentaneam, nisi quis per reatum peccati mortalis se illis indignum reddat.

DISPUTATIO TRICESIMA QUINTA.

De suscipientibus confirmationis sacramentum.

Sect. I, II. — *An quilibet homo sit capax recipiendæ confirmationis, et quibus expediat conferri.*

Dico 1 : Omnis homo baptizatus est capax hujus sacramenti, sine ulla ætatum, sexuum, statuum distinctione ; unde olim omnibus statim post baptismum dabatur confirmatio, quia omnes sunt capaces ejus effectus et perfectionis, iisque indigent. Atque id probat usus et traditio Ecclesiæ, imo et apostolorum praxis. Qui tamen baptismo caret, non est capax hujus sacramenti, quia baptismus est janua sacramentorum, et ejus character est veluti potentia passiva ad omnia alia sacramenta. Hinc licet tempore apostolorum Spiritus sanctus descenderit visibiliter in aliquos baptizatos, non ideo tamen accipiebant characterem confirmationis.

Dico 2 : Per se loquendo et seclusa particulari Ecclesiæ ordinatione aut consuetudine, videtur esse indifferens vel in infantili, vel in adulta seu puerili ætate rationis usum habente confirmationem recipere ; utrinque enim afferuntur causæ honestæ. De perpetuo amentibus qui nunquam rationis usum habuerunt, idem dic ac de infantibus ; sunt enim capaces hujus sacramenti : qui autem aliquando habuerunt usum rationis, si non constet eos in statu peccati mortalis incidisse in amentiam, præsumendi sunt boni ac bene dispositi, adeoque confirmandi ; nec oportet ut expresse petierint hoc sacramentum, sufficit enim generalis voluntas, quam quisque fidelis censetur habere circa suæ salutis remedia ac beneficia, sicut de extrema unctione dicetur. Denique, qui sunt in mortis articulo constituti, non sunt privandi hoc sacramento, ita communiter theologi ; id tamen non est in usu, quia nequit commode et debita solemnitate fieri.

DISPUTATIO TRICESIMA SEXTA.

De ministro confirmationis.

Sect. I. — *An solus episcopus sit ordinarius minister hujus sacramenti.*

Dico 1 : Quilibet episcopus est sufficiens minister hujus sacramenti, et si alienas confirmat oves, factum tenebit, licet peccarit usurpando alterius jurisdictionem ; quia potestas conferendæ confirmationis non est potestas jurisdictionis, sed ordinis. Imo episcopus est necessarius hujus sacramenti minister, contra Wicleffum dicentem quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum. Unde

Dico 2 : Solus episcopus est ordinarius confirmationis minister, quod sub his terminis de fide definitum est in concilio Tridentino (sess. 7, can. 3). Hoc enim ex Christi voluntate et institutione quæ per Ecclesiæ traditionem habetur, constat : et certe episcopus in Ecclesia est veluti dux in exercitu ad quem spectat milites recipere et consignare. Nec tantum est ordinarius ac necessarius hujus sacramenti minister necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti, ita ut si simplex sacerdos, propria auctoritate illud tentet conficere, nihil efficiat. Soli enim apostoli leguntur confirmasse fideles, qui ab aliis fuerunt baptizati (*Act.* VIII, XIX), et quidem tanquam apostoli, non ut simplices sacerdotes ; dignitas enim potestasque episcopi et sacerdotis sunt jure divino distinctæ. Unde concilium Tridentinum (sess. 23, cap. 4, can. 7) anathema dicit in eum qui dixerit potestatem confirmandi

esse episcopis cum presbyteris communem. Si enim presbyteri ex vi ordinationis suæ haberent sufficientem ordinis potestatem ad hoc sacramentum ministrandum, sine causa universim prohiberentur illud conferre, et dicerentur excedere modum suum et quæ episcopalis fastigii sunt propria, usurpare, ut loquitur Gelasius (epist. 1, cap. 8), si hoc sacramentum dare tentent. Idemque sentiunt omnes antiqui Patres, qui solis episcopis munus consignandi baptizatos in fronte tribuunt.

Objicies 1 illud I Tim. IV, 14 : *Noli contemnere gratiam quæ est in te per impositionem manus presbyteri.* Et Act. IX, Ananias imposuit manus Paulo, ut impleretur Spiritu sancto, cum tamen non esset episcopus. Respondeo : In priori textu non est legendum *presbyteri*, sed *presbyterii*, et agitur ibi non de sacramento confirmationis, sed ordinis per manus impositionem, uti Act. IX : non agitur de confirmatione, sed de manuum sanativa impositione.

Obj. 2 : Concilium Toletanum I, cap. 20, ubi dicitur : *Statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo; præsente vero non nisi ab ipso fuerit præceptum.* Respondeo : Nec ibi agitur de unctione chrismatis in frontibus, sed de unctione cæremoniali, quæ in vertice fit in baptismo solemni, quam presbyter facere non poterat nisi ex licentia episcopi, vel in ejus absentia. Sic concilium Arausicanum II (can. 2) non agit de confirmatione, sed de solemni reconciliatione.

Obj. 3 : Ambrosius (*De sacram.*, lib. III, cap. 2) dicit spirituale signaculum et septiformem Spiritum sanctum dari ad invocationem sacerdotis; et Ignatius (epist. 13) inter munera sacerdotis ponit manus impositionem. Respondeo nomine *sacerdotis*, ibi intelligi episcopum.

Sect. II. — *An ex commissione summi pontificis possit simplex sacerdos hoc sacramentum ministrare.*

Dico 1 : Potest summus pontifex committere simplici sacerdoti ut sacramentum confirmationis licite et valide ministret. (D. Thomas, Richardus, Paludanus, Alensis, et alii theologi communiter, contra Adrianum, Durandum, etc.) Potuit enim Christus instituere, ut soli episcopo vi suæ consecrationis daretur proxima potestas conferendi hoc sacramentum; simplici autem sacerdoti vi suæ ordinationis daretur tantum potestas remota per quam ex speciali commissione seu delegatione summi pontificis posset hoc sacramentum conferre : sicque revera instituisse existimatur, quandoquidem D. Gregorius (c. *Pervenit*, dist. 95) concedat simplicibus sacerdotibus in Sardinia facultatem dandi hoc sacramentum; et concilium Florentinum in decreto Eugenii sic ait : *Legitur tamen aliquando per apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili et urgente causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum.* Attamen in hoc negotio non dispensat proprie pontifex, neque immutat jus divinum, sed talem, qualem Christus instituit, ministrum constituit.

Dico 2 : Nulli inferiori clerico, neque laico potest hoc ministerium committi, sed soli sacerdoti, quia ei soli Christus committi voluit; neque potest ab alio quam a summo pontifice ei committi ex causa rationabili, ut indicat concilium Florentinum jam citatum; et ut ex traditione habetur. Imo probabilius, contra Paludanum, papa electus tantum, quamvis nondum foret consecratus episcopus, posset hanc facultatem simplici sacerdoti concedere ob suam supremam jurisdictionem jam adeptam. Nec cessat hæc facultas per mortem concedentis, nisi cum limitatione concessa esset, etiamsi fortasse causa non duret; est enim quædam gratia et favor.

Sect. III. — *An episcopus hæreticus vel ab Ecclesia præcisus seu prohibitus, possit esse minister hujus sacramenti.*

Dico : Quicunque est verus episcopus quoad suam consecrationem, est sufficiens hujus sacramenti minister, licet sit hæreticus, excommunicatus, degradatus, ita ut Ecclesia nequeat efficere, ut confirmationis sacramentum ab eo datum cum debita forma, materia et intentione, sit invalidum, quamvis ipse peccet illud ministrando. Probatur : 1° quia Ecclesia non potest auferre a sacerdote vel ab episcopo ordinem seu consecrationem semel datam. Quamvis igitur possit ejus usum prohibere, non potest tamen efficere ut actus solius ordinis ab eo factus, qualis est confirmationis collatio, sit invalidus; character enim sacerdotalis deleri non potest, uti nec consecratio episcopalis. 2° Augustinus (*Contra litter. Petiliani*, lib. II, cap. 104) dicit baptismum et confirmationem posse esse validam inter hæreticos. Dum igitur quidam antiqui Patres aut pontifices videntur contrarium dicere (si excipias Cyprianum, aliosque Africanos episcopos quoad validitatem baptismi, quando hæc veritas nondum erat ab Ecclesia satis declarata), illi non agunt de sacramento confirmationis, sed de manus impositione reconciliativa, quæ fiebat per modum publicæ pœnitentiæ et absolutionis in exteriori foro ad recipiendos ab hæresi conversos, sive fuissent ab hæreticis confirmati aut baptizati, sive a Catholicis, et iis quidem, qui ab hæresi Novatiana conversi recipiebantur, præter reconciliativam manus impositionem addebatur chrismatis unctio baptismalis, quia Novatiani illis quos baptizabant, sacrum chrisma non adhibebant. Itaque in particulari ad Innocentium I, respondetur eum in epistola 18, cap. 3, loqui de ordine collato ab hæreticis, quem negat esse ratum non quoad substantiam, sed quoad usum, honorem et clericalia privilegia; et si quis voluntarie sine necessitate ab eis sacramentum recipiat, non recipit ejus effectum, id est, Spiritus sancti gratiam, utpote ponendo obicem. Eodem sensu loquitur Leo Papa (epist. 35, cap. 2), et sic alii intelligendi sunt; si qui autem loquuntur de confirmatione, agunt de hæreticis, qui non habebant veros episcopos a quibus valide confirmarentur.

DISPUTATIO TRICESIMA SEPTIMA.

De cæremoniis sacramenti confirmationis.

SECT. I, II. — *An confectio chrismatis conveniente ritu et fiat et conferatur ab Ecclesia.*

Dico 1 : Confectio chrismatis rite et convenienter ab Ecclesia fit hisce quinque cæremoniis : 1. est benedictio balsami quæ ab episcopo partim orationibus, partim signo crucis perficitur. 2. Est benedictio olei chrismalis, quæ similiter orationibus et signo crucis perficitur. 3. Est mistio balsami et olei quam facit episcopus immittendo balsamum in olei chrismalis ampullam, et dicendo : *Hæc commistio liquorum, fiat omnibus ab ea perunctis propitiatio et custodia salutaris in sæcula sæculorum :* qua actione et verbis, substantialis confectio chrismatis absolvitur. 4. Post confectum chrisma episcopus et alii sacerdotes qui ei assistunt, inclinato capite chrisma tanquam rem sacram venerantur. 5. Tempus ab Ecclesia definitum, quo debet hoc chrisma confici, est feria quinta Cœnæ Domini, utpote illo die quo Christus docuit apostolos illud conficere. Addi potest hæc sexta cæremonia, quod chrisma conficiendum sit in Ecclesia, et in loco presbyterii, solemni ritu inter missarum solemnia, ab episcopo pontificali ritu celebrante; sin minus, ejus confectio prætermittenda est, et aliunde novum chrisma quærendum. Deinde chrisma debet conservari in proprio et sacro vasculo in quo conficitur.

Dico 2 : Hæ sunt cæremoniæ quibus confirmatio confertur : quolibet opportuno tempore nunc conferri potest, et Pontificale præscribit ut conferatur ante medium altaris, aut in alio conveniente loco. Episcopus sacris vestibus debet esse indutus, et ex decentia tantum, non ex præcepto, jejunus, uti et confirmandus etiam ex decentia tantum. In hoc sacramento adhibetur susceptor seu patrinus contrahens cognationem spiritualem cum confirmato. Ante et post confirmationem episcopus quasdam facit orationes et benedictiones, ac post factam substantialem in fronte unctionem, vitta linea caput confirmati constringitur, quam uno aut pluribus diebus gestare solet, donec chrisma exsiccetur. Deinde episcopus leviter dat confirmato alapam super genam dicens : *Pax tecum,* vel ut confirmatus intelligat se armari ad injurias pro Christo ferendas, vel ut recordetur sacramenti suscepti, et militiæ ad quam exercendam, ascribitur.

DISPUTATIO TRICESIMA OCTAVA.

De obligatione fidelium circa susceptionem hujus sacramenti; et ministri circa administrationem.

SECT. I.— *An omnes baptizati teneantur hoc sacramentum suscipere, et non iterare.*

Dico 1 : Fidelis, qui recipit hoc sacramentum, tenetur digne recipere, et si in statu peccati mortalis sit, tenetur conteri, non tamen necessario confiteri, licet sit consultius et securius; ac potest tantum semel illud recipere, alioqui si iterato recipere tentet, irritum erit utpote initerabile, et graviter peccabit, uti et confirmans : neuter tamen fit irregularis, quia id in jure non imprimitur, sicut expresse exprimitur pro iteratione baptismi.

Dico 2 : Vera sententia est, per se loquendo, non dari præceptum et intrinsece obligationem suscipiendi hoc sacramentum. D. Thomas, Sotus, Ledesma, Adrianus, Angelus, etc., contra Scotum, Richardum, etc., dicentes dari præceptum omnibus baptizatis adultis illud recipiendi in tempore opportuno, sive si commode possint; quia si oblata omnimoda opportunitate non susciperent, censerentur illud contemnere, tenentur autem sub gravi peccato illud ne virtualiter quidem contemnere. Item contra Durandum dicentem obligari solummodo fidelem, quando instat occasio publice confitendi fidem coram tyranno, et potest commode prius recipere confirmationem. Ac contra Alensem, Bonaventuram, Paludanum, etc., volentes dari præceptum non divinum, sed ecclesiasticum. Sed probatur assertio, quia neque ex Christi institutione, neque ex Scriptura, neque ex Patribus, neque ex traditione et usu, colligitur tale præceptum; sed solum esse utile hoc sacramentum, non tamen necessarium ad perseverandum in fide. Hinc per se loquendo, non est peccatum mortale voluntarie hoc sacramentum omittere; an vero sit veniale, ut Cajetanus et alii volunt, id ex fine et modo voluntatis judicandum est : nam ex se cum non sit peccatum, sed consilium, nullum est peccatum. Potest tamen esse peccatum grave : v. gr. si quis illud sacramentum contemnat ac parvipendat; si scandalum præbeat, non aliter se gerendo publice ac si illud parvipenderet; si practice judicet se non posse sine hoc sacramento tentationes vincere contra fidem, etc.

SECT. II. — *Ad quid obligetur minister hujus sacramenti.*

Dico : Episcopus obligatur in sua diœcesi per se vel per alium aliquoties opportunis temporibus ministrare hoc sacramentum; unde graviter peccare potest contra hoc præceptum, ut notarunt Angelus et Sylvester, si multo tempore hoc negligenter omittat ministrare. Nec potest iterato illud alicui administrare, et id faciendo quamvis graviter peccet, non tamen fit irregularis; nec potest sub gravis peccati pœna uti veteri chrismate sine gravi necessitate. Item nec potest confirmare nisi in propria diœcesi et personas sibi subditas; alienas enim confirmare aut in aliena diœcesi sine debita facultate, grave esset peccatum.

DISPUTATIO TRICESIMA NONA.

De institutione sacramenti Eucharistiæ.

SECT. I, II. — *An Eucharistia sit sacramentum a Christo institutum, et a reliquis distinctum.*

Dico 1 : Conveniens fuit in nova lege institui aliquod sacramentum sensibile, ut esset spiritualis animarum cibus, hocque est Eucharistia, quæ idcirco est verum ac proprium sacramentum a Christo institutum. Utrumque de fide. Probatur : 1° ex Matth. XXVI et Luc. XXII, ubi continetur visibilis cæremonia, significatio et præceptum Christi : *Hoc facite in*

meam commemorationem. Et Joan. VI, 59, continetur gratiæ promissio : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. 2° Ex conciliis Florentino, Tridentino, Laterensi, et ex Patribus. 3° Ex sacramenti definitione conveniente Eucharistiæ, est enim sacræ rei signum, ad sanctificandum hominem institutum a Christo.

Dico 2 : Eucharistia est sacramentum essentialiter distinctum ab aliis sacramentis novæ legis : nam ab aliis specifice differt definitione logica et physica, ac fine. Deinde ejus materia proxima consecrata, est res permanens, et post suum fieri, factum permanet, quandiu species consecratæ durant ; ac in illo vere ac realiter exsistit ipsemet Christus gratiæ auctor, quod in aliis sacramentis non reperitur, ideoque hoc sacramentum est aliis longe perfectius, et per illud perfectiori modo unimur cum Christo. Hinc dicitur finis et consummatio cæterorum sacramentorum.

Sect. III, IV. — *An et quomodo hoc sacramentum sit unum tantum.*

Dico 1 : Eucharistia absolute et simpliciter est unum sacramentum, scilicet unitate specifica in specie atoma, integra, et perfecta. (D. Thomas, Bonaventura, Albanus, Richardus, etc.) Probatur : 1° quia licet res variæ et materialiter distinctæ, propriasque habentes significationes, concurrant ad hujus sacramenti constitutionem, nempe duæ materiæ, panis et vinum, duæ formæ verborum, species panis et vini habentes proprias significationes, omnes tamen simul unicum rei et effectus spiritualis, nimirum cruenti Christi sacrificii, Christi ibi realiter exsistentis, gratiæ sanctificantis, unitatis animarum, futuræ gloriæ signum componunt. 2° Unitas sacramentorum non resultat ex indivisibili unitate, aut ex physica partium componentium unitate, sed sicut in arte factis, v. gr. domo, oratione, exercitu, convivio, ex multis rebus physice diversis quæ morali et proportionata unione simul concurrunt ad complendam signi sacramentalis rationem exsurgit. Et hoc in Eucharistiæ sacramento reperitur. Ideoque concilia et Patres solent loqui de Eucharistia tanquam de uno sacramento ; et dum dicitur in missa : *Sacramenta quæ sumpsimus*, est modus loquendi vel ob plura signa partialia, vel ob plura mysteria in eis contenta et repræsentata. 3° Si Eucharistiæ plura essent sacramenta, darentur plura quam septem sacramenta, contra concilia Florentinum, Tridentinum, et universum Ecclesiæ consensum. Quare dum quis suscipit Eucharistiam sub sola specie panis, dicitur recipere totum sacramentum, quia recipit totum Christum : et pars secundum se et quasi separatim recipit denominationem totius, v. gr. pars orationis dicitur etiam oratio ; deinde quia recipit eminenter totum sacrificium quoad ejus virtutem et efficaciam, etiamsi non quoad ejus significationem integram, quæ ex significationibus partium conjunctim constat.

Dico 2 : Plures panis species consecratæ seu plures hostiæ consecratæ (et idem dic de pluribus vini speciebus consecratis) possunt dici vel unum numero sacramentum, si attendatur Christus qui unus et idem cum illis, quantumvis separatis, componit unum numero sacramentum ; vel plura numero sacramenta si attendatur physica illarum disjunctio ac separatio ; vel unum numero, si attendatur prout sunt moraliter conjunctæ in una et eadem pyxide ; et plura, si attendatur prout sunt moraliter disjunctæ dum distinctis personis distribuuntur, aut alio modo prorsus separatæ exsistunt.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De necessitate sacramenti Eucharistiæ.

Sect. I. — Nota : Quidam ex Catholicis dixerunt Eucharistiæ sacramentum esse necessarium ad primam justificationem, vel in re vel in voto per seipsum, si sit adultus ; vel in voto Ecclesiæ, si sit infans. Sed

Dico 1 : Hoc sacramentum non est per se institutum ad remissionem peccati originalis aut mortalis, adeoque neque ad primam gratiam conferendam. Probatur : 1° ex concilio Tridentino (sess. 13, can. 5), ubi anathemate damnat eos qui dicunt præcipuum hujus sacramenti fructum esse peccatorum remissionem ; et ex concilio Florentino dicente hujus sacramenti effectum esse augmentum gratiæ, et consequenter non primam gratiam. 2° Baptismus per se institutus est ad remissionem peccati originalis, pœnitentia, ad remissionem mortalium post baptismum commissorum ; ergo Eucharistia ad neutrum istorum effectuum est per se instituta, alioqui cum uno illorum sacramentorum confunderetur. 3° Eucharistia est cibus spiritualis ; cibus non est ordinatus ad dandam, sed ad conservandam vitam, id est, non ad dandam primam gratiam, sed ad conservandam. Dum igitur Eucharistia dicitur veluti primarius fons, efficaciam omnium sacramentorum virtualiter continens, intelligitur in suo proprio effectu habere veluti eminenter illorum effectus. Unde

Dico 2 : Eucharistia nec parvulis nec adultis est medium necessarium ad primam gratiam consequendam. (D. Thomas, Cajetanus, etc.) Probatur ex conciliis Florentino et Tridentino, tribuentibus remissionem peccati et primæ gratiæ collationem solis sacramentis baptismi et pœnitentiæ ; ergo sentiunt nullum aliud sacramentum, nec in re, nec in voto esse necessarium ad hunc effectum : alioqui ista sacramenta non conferrent propria virtute primam gratiam, sed in virtute illius sacramenti, in cujus voto illam tribuerent. Deinde, ut jam dixi, Eucharistia non est instituta ad istum effectum, nec ullum est datum a Christo præceptum circa Eucharistiam ad obtinendum talem effectum. Nam si adultus instante morte implesset divinum præceptum communicandi, et statim post peccasset mortaliter, statimque esset moriturus, teneretur quidem iterum confiteri, sed non iterum communicare ; ergo posset is habere ante confessionem, expressam voluntatem non amplius communicandi, ac proinde obtinere primam gratiam sine Eucharistia et in re et in voto ;

Eucharistia igitur non est ad illam obtinendam medium necessarium. Quare dum Joan. VI, 54, dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc., *non habebitis vitam in vobis*, id non significat hujus sacramenti necessitatem ad obtinendam primam gratiam, sed ad retinendam et conservandam. Nam *non habebitis vitam*, id est non retinebitis nec conservabitis vitam. Quapropter :

SECT. II. — *An hoc sacramentum sit medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad gloriæ consecutionem.*

Nota : Nestoriani, Armeni, aliique hæretici dixerunt realem Eucharistiæ susceptionem esse omnibus hominibus medium necessarium ad salutem; ideoque cum baptismo Eucharistiam parvulis simul dabant; imo et quidam hominibus jam defunctis eam dabant.

Dico 1 : Realis Eucharistiæ susceptio non est medium simpliciter necessarium ad perseverandum in gratia, vel ad obtinendam gloriam. De fide patet in parvulis qui cum solo baptismo morientes salvantur. Et idem dic de adulto, qui post baptismum non peccat mortaliter, et inculpabiliter sine hoc sacramento decedit, juxta illud Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Imo

Dico 2 : Eucharistia nec in re nec in voto proprie sumpto, tam adultis quam parvulis est medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad mortem, et ad consequendam gloriam. Cajetanus, etc., contra quosdam Catholicos qui dixerunt Eucharistiam vel in re vel in voto susceptam esse medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad mortem. Probatur de infantibus ex concilio Tridentino (sess. 21, can. 4) dicente : *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Licet concilium loquatur tantum de reali communione, debet tamen intelligi idem de communione in voto, cum hoc sacramentum non sit institutum tanquam causa unica ad dandum prædictum effectum. Probatur de adultis. 1° Concilia quæ tam accurate passim asserunt baptismum et pœnitentiam esse necessaria ad salutem sacramenta, nunquam loquuntur de Eucharistia. 2° Eucharistia non est per se nec causa unica gratiæ effectus seu divini auxilii simpliciter necessarii ad perseverandum et moriendum in gratia, cum aliquis postquam a peccato resurrexit, impleto prius viatici præcepto, possit statim in gratia mori sine voluntate communicandi amplius. 3° Licet aliquis dignissime Eucharistiam suscipiat, non tamen infallibile perseverantiæ donum accipit, ita ut non possit amplius illi impedimentum imponere, et a gratia excidere. Hinc infero Eucharistiam non esse etiam medium necessarium ad consequendam corporis gloriam, quia corporis gloria correspondet gloriæ animæ seu gratiæ consummatæ; ideoque sacramentum, quod est sufficiens causa gratiæ, est etiam sufficiens causa tam animæ quam corporis gloriæ. Attamen

Dico 3 : Hoc sacramentum quodam modo seu moraliter dicitur necessarium ad perseverandum in gratia, id est valde utile et efficax, ita ut dicere possimus eum qui voluntarie diu abstinet ab ejus susceptione, vix posse diu perseverare in gratia, et sine novo peccato mortali; quia per se est institutum ut conferat homini speciale auxilium ad vitanda peccata, adeoque ad perseverandum in gratia. Itaque cum hoc sacramentum sit nobilissimum, decuit ut per se et ex natura sua primam gratiam supponeret, sanctiusque reciperetur ac tractaretur.

Quare hic locus Joan. VI, 52, 58 : *Qui manducat me, vivet propter me; et qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, non indicat hujus sacramenti necessitatem, sed efficaciam, et subintellecta quidem conditione, si nempe homo ex sua parte impedimentum non ponat, vel alia via non amittat gratiam quam confert sacramentum; alioqui si ista promissio esset absoluta, quicunque semel hoc sacramentum susciperet, haberet infallibilem vitæ æternæ consecutionem; quod dicere hæreticum est. Item ista Christi verba : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc., *non habebitis vitam in vobis* (*Ibid.* 54), significant tantum necessitatem præcepti, non medii, ideoque ad solos adultos, qui soli sunt capaces præcepti, diriguntur; sicuti hæc : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* (*Luc.* XIII, 5), etc. Deinde dum dicit D. Thomas omnes justificatos habere votum Eucharistiæ, id est, ipso gratiæ pondere inclinantur ad perfectam cum Christo unionem, qualis habetur per Eucharistiam, illamque appetere dicuntur; vel justificati per baptismum accipiunt jus ad communicandum Christi corpori, et sic censentur illam communicationem optare; vel censentur habere votum seu propositum implendi omnia Dei præcepta. Deinde quamvis sicut corpori, ita etiam animæ cibus aliquis sit necessarius, sola tamen Eucharistia non est cibus animæ, alitur etiam virtutum actibus, etc.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

De tempore institutionis hujus sacramenti.

SECT. I, II. — *De die institutionis hujus sacramenti, et an fuerit institutum post lotionem pedum.*

Dico 1 : Constat Christum instituisse hoc sacramentum in nocte Cœnæ pridie quam pateretur : nam tunc ejus materiam ac formam designavit, consecrando panem et vinum, deditque apostolis et eorum in sacerdotio successoribus potestatem et mandatum illud conficiendi ac fidelibus distribuendi, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19); ut esset sacramentum perpetuo in Ecclesia mansurum, tuncque ejus promissio facta Joan. VI, de gratia et effectu per hoc sacramentum conferendo, cœpit suam vim habere, ista enim promissio in tempus futuræ institutionis referebatur. Hinc constat id sacramentum institutum fuisse ultimo vitæ Christi anno, nempe tricesimo tertio, vel probabilius tricesimo quarto inchoato, primo mense lunari, id est incipiente post æquinoctium vernum,

die decima quarta ejusdem lunæ, de qua die hic P. Suarez longam instituit disputationem, refutans quemdam Luysium Legionensem qui juxta illud Levit. XXIII, 32 : *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*, contendit Christum instituisse hoc sacramentum in priori decimæ quartæ diei vespera, id est, ineunte sub vesperam die decima quarta, quæ finitur sub vesperam sequentis diei artificialis : et sic, juxta illum, Christus fuisset die decima quarta lunæ currente mortuus. Probat igitur Christum non in priori vespera seu in initio diei decimæ quartæ, sed in posteriori, seu in fine diei decimæ quartæ inchoata jam decima quinta lunæ die, hora noctis instituisse sacramentum Eucharistiæ, pro qua re etiam vide tom. II *De incarnat.*, disput. 40.

Dico 2 : Christus post cœnam legalem, id est, post esum agni paschalis cum discipulis suis, probabilius nondum inchoata cœna communi seu usuali, quam quidam volunt non omnino improbabiliter jam fuisse inchoatam, ob hæc verba Joannis (XIII, 4) : *Surgit a cœna*, lavit illis pedes, ante cœnam mysticam, seu institutionem Eucharistiæ. (D. Thomas, Lyranus, Damascenus, etc.) Erat enim consuetudo illius temporis et regionis lavandi ante convivium invitatis hospitibus pedes; quod non fiebat ante cœnam legalem aut in cœna legali.

Sect. III, IV. — *An hoc sacramentum institutum sit præsente vel jam egresso Juda; et post quamnam cœnam, ac qua hora.*

Dico 1 : Christus hoc sacramentum præsente Juda instituit, illumque cum aliis communicavit. (D. Thomas et alii theologi communiter, ac Patres Augustinus, Ambrosius, Leo, Hieronymus, etc., contra Hilarium, Rupertum, Theophilum, etc.). Probatur 1° ex Luca dicente Christum discubuisse cum duodecim, consecrasse, sacramentum distribuisse, et addidisse : *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa* (*Luc.* XXII, 21); et communi traditione. 2° Ratione. Quia non expediebat ut Christus Judam occultum peccatorem sine accusatore et evidente probatione ab aliorum communione separaret. Utrumque signum quod Christus dedit de proditore, datum est post Eucharistiæ institutionem. Locus Constitutionum in quo Clemens negat Christum dedisse Judæ communionem, fortasse non est correctus.

Dico 2 : Christus non communicavit Judam quando panis buccellam intinctam dedit (Augustinus, Beda, D. Thomas, etc.), non enim decebat Christum intingere Eucharistiam; erat ergo simplex buccella panis. Priusquam autem illam Judæ daret, jam instituerat Eucharistiæ sacramentum, quod tamen negat Baronius, sed non satis firmo fundamento.

Dico 3 : Christus post finitam cœnam legalem et pedum lotionem, recumbens cum duodecim discipulis, parata jam mensa ad cœnandum, antequam hanc cœnam usualem inchoaret, duabus circiter horis post solis occasum videtur instituisse simul utramque speciem Eucharistiæ: præmissa aliqua instructione de hoc mysterio, contra Joannem Lovaniensem et Bellarminum sentientes Christum non eodem tempore utramque speciem instituisse, sed instituisse speciem panis inter cœnandum cœna legali, speciem autem vini post finitam omnino cœnam usualem, multis aliis interpositis rebus et actionibus. Sed contra hoc est, quod Ecclesia canit :

Post agnum typicum
Expletis epulis,
Corpus Dominicum
Datum discipulis.

Deinde si prius consecratum est corpus, et interpositis multis aliis rebus, finita mensa, subsecuta esset tantum calicis consecratio, totum ergo hoc mysterium non fuisset factum per modum unius integri sacrificii et signi. Dum igitur dicitur : *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens* (*Luc.* XXII, 20), istud adverbium *similiter*, refertur ad utramque speciem sic : sicut panem post cœnam legalem consecraverat, ita consecravit et calicem. Nec etiam videtur institutum hoc sacramentum post finitam omnino cœnam usualem, ut vult Baronius.

Sect. V. — *An convenienti tempore institutum sit hoc sacramentum.*

Dico : Decuit Eucharistiam institui ante Christi passionem, ut Christus maximum amoris signum, adhuc in mortali exsistens corpore, nobis exhiberet, et ut ipsamet institutio et oblatio sacrificii incruenti, esset meritoria, satisfactoria et pretium nostræ redemptionis. Imo opportunissime instituta est in ipso passionis ingressu et non antea, ut Christus memoriale suæ dilectionis et passionis altius mentibus nostris infigeret, more amantissimi patris in vitæ fine pretiosiorem hæreditatem filiis relinquens; utque eam visibiliter hominibus daret, quando ab eis visibiliter recedebat. Deinde decuit institui post ultimam cœnam legalem, ut novi sacramenti excellentia respectu veterum sacramentorum magis innotesceret, et maxime illius virtus inciperet, quando legalia cessarent. Non enim volebat Christus, ut Ecclesia uteretur hoc sacramento antequam esset glorificatus.

Si autem non peccasset Adam, et manente innocentiæ statu, an Christus supposito futuro incarnationis mysterio in carne impassibili, instituturus fuisset hoc sacramentum, res prorsus incerta est. Posset fortasse ex variis congruentiarum conjecturis non improbabiliter affirmari.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De essentia et partibus hujus sacramenti in communi.

Sect. I. — *An species consecratæ sint sacramentum Eucharistiæ, vel de intrinseca ejus ratione.*

Dico 1 : Solum Christi corpus et sanguis non est integrum Eucharistiæ sacramentum. Quia de ratione sacramenti est, ut sit per se signum sensibile; Christus autem prout exsistit in hoc sacramento, non est modo sensibili; ergo per se sumptus, non potest esse totum sacramentum : oportet

enim ut intrinseca sacramenti essentia aliquod signum quod sensibus percipi possit, includat. Unde si res aliqua per se insensibilis interdum est pars sacramenti, v. g. contritio, oportet ut cum alia per se sensibili conjungatur, et aliquo modo saltem per accidens sentiatur. Sic corpus Christi non potest hoc sacramentum constituere per se, quia seclusis speciebus non est signum per se sensibile. Est contra Waldensem, qui vult Eucharistiam consistere in solo corpore et sanguine Christi, speciebus solum connotatis extrinsece, non ad essentialem ejus constitutionem pertinentibus.

Dico 2 : Verba consecrationis non sunt Eucharistiæ sacramentum. (Theologi communiter.) Cum enim verba transeant, et maneat sacramentum, necesse est sacramentum esse aliud præter verba. Deinde juxta concilia Florentinum et Tridentinum, verba conficiunt sacramentum, et post verba præter corpus et sanguinem Christi manet sacramentum, in quo Christus continetur; ergo verba non sunt ipsum sacramentum, nisi causative. In quo sensu possunt intelligi Cajetanus et alii volentes actionem consecrandi esse sacramentum. Quare

Dico 3 : Species consecratæ vel sunt sacramentum, vel ad illius constitutionem intrinsece et essentialiter pertinent, uti in sectione sequenti explicabitur. (D. Thomas, etc., communiter.) Ratio est quia species visibiles sunt signum sacrum, Christum enim quem continent, significant ut sanctificantem animas per modum cibi spiritualis; imo probabile est eas ut physicum instrumentum Christi, etiam efficere gratiam.

Sect. II. — *An forma verborum consecrationis sit de essentia hujus sacramenti, intrinsece illud constituens.*

Dico 1 : Constat verba consecrationis non esse integrum sacramentum, quia id quod est integrum novæ legis sacramentum, est proximum signum efficax gratiæ sanctificantis, quam continet et confert. Hæc autem verba non applicantur immediate ad hominis sanctificationem, sed ad materiæ sanctificationem. Ergo sola et per se sumpta non sunt integrum sacramentum.

Dico 2 : Verba consecrationis, prout realiter et physice consecrant materiam, non sunt forma intrinseca et informans, sed tantum intrinseca et efficiens seu forma sacramenti in fieri, non vero intrinsece illud constituens in facto esse; prout autem ex verborum consecratione materia determinata est ad significandum id quod continet, et quandiu moraliter illis licet præteritis, substat, tunc potest dici ab illis sacramentaliter informari, quia species non significant nisi ut consecratæ, adeoque quatenus permanenter substant verbis consecrationis quæ præcesserunt; tota illorum sacramentalis significatio ab illis quodammodo informatur.

Sect. III. — *An corpus et sanguis Christi intrinsece et essentialiter pertineant ad hujus sacramenti constitutionem.*

Dico : Hoc sacramentum non sunt solæ species sacramentales, sed ex corpore Christi et speciebus est compositum, sive est corpus Christi sub speciebus contentum; atque ita corpus et sanguis Christi intrinsece et in recto pertinent ad hujus sacramenti constitutionem. D. Thomas, Bonaventura, Cajetanus, etc., contra Marsilium et Sotum volentes solas species esse directe sacramentum, corpus autem Christi esse tantum velut sacramento annexum, et non constituens illud intrinsece. Probatur 1° ex variis Patrum locutionibus, quæ significant hoc sacramentum constare ex Christi corpore et speciebus, et quæ solis speciebus non possunt convenire; v. gr. Eucharistiam constare duabus rebus, terrena et cœlesti; esse cibum animarum, panem vitæ qui de cœlo descendit, offerri Deo in sacrificium, etc. 2° Quia sicut substantia panis cum suis accidentibus aliquo modo faciebat unum, ita corpus Christi, quod loco substantiæ panis substituitur cum accidentibus seu speciebus per unionem sacramentalem, longe altiori modo facit unum, nempe unum sacramentum.

Objicies 1 : Patres et concilia dicunt species esse sacramentum tantum; corpus autem Christi esse rem et sacramentum simul; ergo distinguunt corpus a sacramento. Respondeo species vocari sacramentum tantum, quia ab illis sumitur significatio sensibilis, qua quodam modo Christi corpori communicatur. Quia igitur hæc significatio in solis speciebus per se primo fundatur, ideo dicuntur sacramentum tantum; nunquam tamen excluditur corpus Christi a compositione hujus sacramenti.

Obj. 2 : Dicunt corpus Christi contineri sub hoc sacramento. Respondeo : Hæc propositio : *Corpus Christi continetur in hoc sacramento*, potest esse vera tum ratione specierum, tum ratione totius, sicuti anima dicitur esse in corpore et in homine; non tamen dicetur ita proprie, corpus Christi esse sub hoc sacramento.

Obj. 3 : In cap. *Ego Berengarius*, dicitur post consecrationem non tantum manere in altari sacramentum, sed etiam corpus Christi. Respondeo : Quia iste hæreticus dicebat post consecrationem manere in altari solum sacramentum, id est, signum Christi, non ipsum Christum, ideo contra illum dicitur manere non tantum sacramentum, sed etiam Christus; sive non solum signum, sed etiam res signata.

Obj. 4 : Inter corpus et species nulla est vera unio realis et physica, ut infra dicam, nec etiam sacramentalis; ergo ex illis duobus non componitur unum sacramentum, adeoque corpus Christi non est de intrinseca hujus sacramenti ratione. Respondeo inter corpus et species esse unionem sacramentalem, per quam fit unum sacramentale compositum, in quo corpus Christi vel habet se quasi ut forma ad species, tum quia est illis nobilius, tum etiam quia est veluti illarum virtus eas sanctificans; vel habet se quasi ut materia, tum quia in compositione ex accidenti et subjecto, id quod est

nobilius, se habet ut materia, tum etiam quia in composito artificiali, cui sacramenti compositio assimilatur, sæpe materia est id quod est nobilius, et quod præcipuam vim confert ad agendum.

Obj. 5 : Si totum illud compositum foret sacramentum, totum esset propria et immediata gratiæ causa, ita ut corpus et species simul et proxime attingerent gratiæ affectionem, atqui hoc dici non potest, ergo. Respondeo : Nego majorem. Quamvis enim solum corpus Christi ut instrumentum divinitati conjunctum concurreret immediate ad effectionem gratiæ in hoc sacramento, et non species, ut volunt Cajetanus et Ledesma, non inde tamen sequeretur species non esse de constitutione hujus sacramenti, quia non est de ratione sacramenti, ut per omnem suam partem efficiat gratiam, sed sufficit ut per unam aliquam magis præcipuam illam efficiat. Deinde non invenitur ratio sat probabilis, qua possit ostendi species non habere proprium influxum et efficaciam ad gratiæ effectionem in hoc sacramento : certum est enim eas posse a Deo assumi ut instrumentum non minus quam ablutionem in baptismo, et alias materias in cæteris sacramentis; maxime cum possint hanc virtutem ex conjunctione cum corpore Christi recipere.

Sect. IV. — *An sumptio Eucharistiæ sit sacramentum, vel ejus pars.*

Nota : Hæretici dicentes Christum non esse in hoc sacramento, præsertim nisi quando sumitur et est in usu, consequenter dicunt hoc sacramentum, sicut cætera, in usu consistere, ipsumque usum esse præcipuam ejus partem. Nos vero supponimus id quod de fide est, ut postea probabitur, Christum statim post consecrationem permanenter esse in hoc sacramento ; ac proinde ante usum seu sumptionem est verum sacramentum jam constitutum. Jam vero quæritur quomodo iste usus se habeat ad rationem sacramenti.

Dico 1 : Sumptio seu usus Eucharistiæ non est sacramentum Eucharistiæ, quia ante sumptionem jam confectum est sacramentum per consecrationem ; neque est ejus pars essentialis, cum ante sumptionem jam totum exsistat sacramentum ; neque pars integralis, nempe materia aut forma, ut patet. (D. Thomas, Sotus, etc.)

Dico 2 : Hic usus seu sumptio non est per se aliquod sacramentum ab Eucharistia distinctum ; alioquin essent plura quam septem sacramenta ; contra Gabrielem, qui dicit usum per se esse sacramentum ab Eucharistia distinctum, reductive tamen sub illa numerari. Probatur, quia sacramentum, quod in usu consistit, habet propriam formam propriumque effectum ab aliis distinctum, et proprium ministrum ; hic autem usus nec formam nec effectum ab Eucharistia distinctum, nec proprium ministrum de necessitate sacramenti habet, cum diaconus possit Eucharistiam ad usum applicare. Quare

Dico 3 : Sumptio Eucharistiæ est solum applicatio sacramenti, seu conditio necessaria ut sacramentum operetur, nempe operetur augmentum gratiæ et charitatis; alia sacramenta instituta sunt ut fiant, et usus est per se primo institutus ad significandum et sanctificandum, v. gr. ablutio in baptismo ; hoc vero institutum est ut sit et sumatur in cibum spiritualem, servetur in viaticum, offeratur in sacrificium.

Hinc 1° Eucharistia sic potest physice definiri : Species consecratæ continentes corpus et sanguinem Christi ; vel corpus et sanguis Christi contentus sub speciebus consecratis ; vel sacramentalis cibus ex corpore et sanguine Christi, et speciebus constans. Ac proinde hoc sacramentum supponit vel pro speciebus connotando corpus contentum, juxta quosdam ; juxta alios pro corpore connotando species continentes : juxta nos pro toto composito, seu pro sacramentali et sensibili cibo. 2° In Eucharistia res tantum, est effectus qui in suscipiente producitur, nempe gratia, charitas, unitas corporis mystici Christi ; res et sacramentum simul, est corpus Christi. Sacramentum tantum sunt solæ species sensibiles.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De materia remota Eucharistiæ in communi.

Sect. I, II. — *An panis et vinum sint propria materia hujus sacramenti ; et utrumque sit necessarium de necessitate sacramenti ; an vero tantum de necessitate præcepti.*

Dico 1 : Materia absolute necessaria ad conficiendum corpus Christi, est panis ; ad conficiendum sanguinem, vinum. De fide, contra varios antiquos hæreticos. Probatur 1° ex Christi facto, qui panem et vinum ad hoc adhibuit, et dixit, *hoc facite*, seu *sic facite ;* 2° ex conciliis Florentino, Lateranensi, Tridentino, id definientibus ; 3° ex Patribus et Ecclesiæ traditione ; 4° ex Christi voluntate, qui ob varias congruentias elegit materiam panis et vini ad hoc sacramentum conficiendum.

Dico 2 : Una ex istis materiis prius tempore, quam altera consecratur ; nam statim ac sacerdos absolvit verba consecrationis panis, adest ibi corpus Christi, antequam sanguis conficiatur. (D. Thomas, Bernardus, Durandus, etc.) Probatur, quia antequam Christus calicem consecraret, dixit : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* xxvi, 26) ; ergo jam tunc erat corpus. Sicut enim significatio unius formæ non pendet ab altera, ita nec effectus ; sive consecratio unius materiæ non pendet essentialiter ab altera : non sicut in extrema unctione, in qua probabiliter non datur effectus nisi post absolutas omnes partiales formas ac materias, quia Christus sic unam instituit, et non aliud, ut constat ex traditione ; et quia in extrema unctione est forma tantum deprecativa, quæ ex vi suæ significationis postulat tantum pro eo tempore pro quo fit deprecatio. Forma vero Eucharistiæ est indicativa, cujus veritas requirit ut res ita sit sicut per illam significatur.

Dico 3 : Consecratio unius materiæ non necessario requirit necessitate sacramenti consecratio-

nem alterius, sed potest una sine altera consecrari, ita ut factum teneat, panis enim prius tempore consecratur quam vinum ; licet ergo vinum postea non consecretur, manebit consecratus panis. Attamen de necessitate præcepti est ut una materia non consecretur sine altera, quia utraque est de integritate sacrificii ; non potest autem divinum sacrificium mutilari.

Sect. III, IV. — *An necessarium sit ex præcepto divino vel humano confici hoc sacramentum in bina materia ; et an ob nullam causam liceat illud conficere in altera sola, etiam ex papæ dispensatione.*

Dico 1 : De jure divino institutum est, ut hoc sacramentum non conficiatur, nisi offerendo Deo sacrificium incruentum a Christo institutum, ut patet ex verbis Christi : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). Hæc igitur voluntas est Christi instituentis, et sic ab Ecclesia intellecta. Hinc ex divina institutione utraque species seu materia est de substantiali sacrificii hujus integritate, quia hoc sacrificium est unica quædam et expressa sacrificii cruenti repræsentatio ; hæc autem non fit in una aut altera specie, sed in utraque simul, alioqui si in una sola fieret, esset tantum implicita repræsentatio et quasi ex ratiocinio intelligentis ; et colligitur etiam ex concilio Tridentino (sess. 23) dicente Christum in nocte cœnæ constituisse apostolos sacerdotes, et jussisse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum. Hinc rejiciendi sunt Adrianus, Alensis, etc., dicentes hoc tantum esse præceptum ecclesiasticum.

Objicies 1 : Si hoc præceptum esset divinum, vel intrinsece contineretur in ipsa hujus sacramenti institutione, vel post illam a Christo esset positum. Neutrum dici potest ; ergo. Respondeo contineri intrinsece in institutione hujus sacramenti et sacrificii ; hæc autem institutio ex factis et verbis Christi colligenda est, considerando etiam materiam subjectam, et adjuncta præcipue traditione et intelligentia Ecclesiæ ; et quamvis non omnes accidentales circumstantiæ, quæ in cœna contigerunt, sint præceptæ, substantia tamen et integritas sacrificii præcepta est.

Obj. 2 : Multi probabiliter credunt Christum in castello Emmaus, ubi in fractione panis agnitus est a duobus discipulis, istum panem consecrasse ; atqui ibi nulla fit mentio vini consecrati ; ergo. Respondeo : Si Christus tunc consecravit panem, dicendum est vel etiam vinum consecrasse, vel usum esse potestate excellentiæ ; probabilius tamen est, juxta Jansenium Carthusianum, etc., panem non consecrasse, non enim videtur communicasse istos duos discipulos non satis dispositos, nec in fide constantes.

Obj. 3 : Nec ex sacramenti, nec ex sacrificii integritate colligi potest tale præceptum ; potest enim sacramentum sumi in una tantum specie, nihil faciendo contra ejus integritatem. Ergo etiam poterit confici in una sola specie. Respondeo : Nego antecedens et consequens. Potest quidem in una sola specie sumi, quia hoc sacramentum non consistit in usu ; ideoque non est necesse, ut utraque species sumatur, præsertim cum totus Christus sub unaquaque accipiatur ; sacrificium autem consistit in ipsa consecratione, ideoque ejus integritas requirit, ut utraque species conficiatur ; et eadem ratione non potest una species confici sine altera, licet una possit sine altera conservari.

Dico 2 : Interdum potest accidere ut sine ullo peccato in una tantum specie conficiatur hoc sacramentum, propter impotentiam vel physicam vel moralem implendi præceptum. Potest enim accidere ut quis ex inadvertentia inculpabili non vinum, sed aliud ponat in calice ; et id tantum advertat post transactum tam longum tempus, ut jam non possit moraliter prius sacrificium perfici, vel dum advertit non reperiatur vinum, aut non possit quæri sine magno scandalo, aut sine gravi vitæ periculo, etc., tunc non tenebitur quærere.

Dico 3 : Formaliter et directe nunquam licet sacerdoti conficere unam speciem sine altera, privata auctoritate, licet quæcunque causa gravissima interveniat, sive privata, sive publica. Imo quamvis probabile sit posse papam in hoc negotio ex publica et communi causa dispensare, ob auctoritatem plurium doctorum, nempe Alberti, Gabrielis, Angeli, etc., ita sentientium, nixorum probabilibus rationibus et conjecturis, tamen tutius et verius existimo illum id non posse. 1° Quia hoc sacramentum non est necessitatis, sed utilitatis, ideoque majus bonum Ecclesiæ est, ut ritus Deo sacrificandi in tota Ecclesia sit unus et idem, quam ut possit immutari ob unius alteriusve provinciæ utilitatem. 2° Quod refertur de data dispensatione ab uno alterove pontifice, non est verisimile. 3° Ecclesia non potest facere, ut vel hoc sacramentum conficiatur non offerendo Deo sacrificium, vel ut sacrificium non offeratur integrum et constans ex omnibus quæ ad ejus essentiam pertinent, nempe quod in pane et vino perficiatur. 4° Ecclesia non potest dispensare in iis, quæ proprie sunt de jure divino, ut traditur in materia de legibus. Imo

Dico 4 : Etiam per modum interpretationis non potest pontifex declarare licitum esse aliquando per se conficere unam speciem sine altera : quia non potest occurrere sufficiens ad talem interpretationem necessitas, nec bona esset ista interpretatio, quæ ipsam divinam institutionem immutaret et everteret. Unde si non potest hoc sacramentum fieri ut a Christo jussum est, omittendum est. Exempla quæ afferuntur de voto, de matrimonio rato, etc., in quibus potest papa dispensare, non sunt similia cum dispensatione ritus hujus sacrificii.

Sect. V. — *An sit de necessitate hujus sacramenti, ut materia consecranda sit præsens ministro.*

Dico : Certum est, generatim loquendo, necessariam esse sensibilem hujus materiæ præsentiam.

(D. Thomas, Durandus, Sotus, etc.) Quia pronomina *hoc* et *hic* in verbis formæ posita designant rem aliquo modo sensibus præsentem, non tantum intellectui vel imaginationi. Quocirca hæc præsentia requirit, ut materia sit aliquo modo coram homine, et non omnino a tergo; et non sit nimis distans, licet oculis videri possit. Quanta autem debeat esse hæc materiæ propinquitas, non potest certo designari, servandus Ecclesiæ usus; nec oportet, ut tota distantia sit oculis pervia, potest enim panis vel vinum velo coopertum consecrari; non tamen post parietem exsistens. Deinde oportet, ut tota materia secundum omnes partes consecrabiles sit aliquo modo practice et moraliter præsens; unde probabile est hanc distantiam vel præsentiam non esse æqualem in omni materia, sed debere esse juxta ejus magnitudinis proportionem, et quantitatem.

Sect. VI, VII, VIII. — *An materia consecranda debeat esse determinata; et an possit consecrari in quavis parvitate, aut magnitudine.*

Dico 1: Ut fiat consecratio, necesse est materiam in particulari definiri per intentionem consecrantis, quia actiones circa particularia versantur. Hinc si quis habeat præsentes octo hostias, et intendat sex tantum consecrare, non determinando illas, nihil efficiet, quia materia illa non est definita. Nec potest suam intentionem remittere in Dei intentionem; exspectanda enim foret revelatio, ut constaret quænam materia esset consecrata. Aliud est de sacerdote a peccatis absolvente, quia hujus intentio versatur non circa sacramentum, sed circa ejus effectum, quem non potest impedire, si pœnitens sit bene dispositus. Si autem sacerdos consecraret, cogitans se habere tantum unam hostiam, et post consecrationem inveniat duas, utraque est consecrata; quia illa est privata deceptio, quæ non tollit debitam intentionem quæ esse debet et moraliter est circa hanc materiam præsentem prout proponitur; secus esset, si præcise vellet consecrare hostiam quam oculis videt: sed hoc nec fit, nec fieri debet. Item si sacerdos deferat plures hostias consecrandas ad altare, et in actuali consecratione recordetur tantum illius quam tenet in manibus, si aliæ sint super aram, erunt consecratæ, quia sufficit virtualis intentio; secus, si sint tantum juxta aram, aut saltem tunc dubium erit an sint consecratæ. Similiter consecrans calicem debet habere intentionem consecrandi id quod per modum unius continui in eo continetur. Hinc si sint guttæ vel extra vel intra calicem separatæ a toto vino, probabilius non erunt consecratæ juxta usitatam sacerdotum intentionem; quod longe certius est de tota materia quæ extra calicem reperta fuerit. Item si sacerdos intendat confuse consecrare dimidiam hostiæ partem, non designando quamnam, nihil efficiet.

Dico 2: Panis (idem intellige de vino) potest consecrari in quacunque minima quantitate, quæ humanis sensibus objici possit. (D. Thomas, Durandus, etc.) Quia ista pars minima est verus panis et signum sensibile. Secus autem, si non possit objici sensibus. Hinc pars panis in toto exsistens, si per se sola consecretur, potest valide consecrari in quacunque minima quantitate quæ sensibiliter designari possit, non tamen licite.

Dico 3: Quamvis per se et ex vi formæ ac potestatis quæ est in sacerdote, possit valide consecrari quantacunque materia absque ullo magnitudinis termino, cum Christus consecrandi potestatem ei dederit sine ulla limitatione, tamen si materiæ magnitudo tanta esse fingatur, ut non possit tota simul fieri moraliter præsens, non potest etiam unica forma consecrari (D. Thomas, Durandus, Gabriel, etc.). Quia hæc præsentia est conditio necessaria, ut consecrationis forma locum habere possit. Materia igitur vel ob nimiam magnitudinem, vel ob nimiam et insensibilem parvitatem potest non esse sufficienter præsens, adeoque nec capax, ut in eam cadat forma qua possit consecrari; si autem ista materia nimis magna per partes consecretur, et partes consecratæ conjungantur et componant illam nimis magnam extensionem; aut si nimis parva in toto contenta et unita consecretur, et postea a toto separetur, utraque manebit consecrata, quia ut in ea Christus conservetur, non requiritur prolatio formæ nec præsentia, quæ requirebatur ut poneretur; aliud est enim in fieri, aliud in facto esse; et in minima quidem. Quandiu conservaretur substantia panis si adhuc adesset, tandiu corpus Christi in illa manet.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De remota materia seu pane ex quo corpus Christi conficitur.

Sect. I. — *Ex quo grano debeat confectus esse panis, ut sit sufficiens hujus sacramenti materia.*

Dico: Certum est, juxta omnes, panem ex arborum fructibus, v. gr. castaneis, vel ex leguminibus, v. gr. fabis confectum, non esse consecrationis materiam; sed sufficiens illius materia est solus panis triticeus, ita ut in alio non conficiatur consecratio. (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, et theologi communiter.) Probatur ex Christi facto, ex traditione, ex concilio Florentino dicente materiam hujus sacramenti *esse panem triticeum et vinum de vite.* Hinc panis ex hordeo, vel milio confectus, non est materia hujus sacramenti, sed quivis panis ex grano, quod revera est triticum, licet alio nomine dicatur, est certa ejus materia, qualem D. Thomas, Scotus, etc., dicunt esse siliginem. Si autem dubitetur an aliquod granum sit vere triticum, panis ex illo confectus erit materia dubia, et insufficiens. Spelta autem an sit triticum necne, P. Suarez de re ipsi incognita non fert judicium. Idem fere dic de farre et typha. Deinde si panis ex diversis farinis confectus sit, omnesque sint triticeæ, licet diversæ speciei, est sufficiens materia; uti etiam si mistio

fiat ex aliis granis, et major pars cum notabili excessu sit triticea, quia ejusmodi panis juxta communem usum censetur triticeus. Insufficiens autem, si minor pars vel etiam æqualis tantum sit triticea; quia major pars trahit minorem in suam speciem, et dum est æqualis, fit unum mistum distinctum ab utraque.

Sect. II. — *An materia hujus sacramenti sit solus panis usualis ex farina triticea et aqua naturali confectus.*

Dico 1 : De hujus sacramenti necessitate est, ut sit panis ex farina triticea, et sola aqua naturali coagmentatus. (D. Thomas, etc.) Hinc panis ex farina cum lacte, oleo, butyro, caseo, aqua rosea et ejusmodi rebus confectus, non est materia sufficiens, quia est potius placenta quam panis usualis.

Dico 2 : Oportet ut hic panis sit calore ignis concoctus, non cruda massa; imo ut sit solo igne coctus, non vero oleo aut butyro frixus, alioqui non est sufficiens materia. Deinde oportet ut dictus panis in sua substantia et natura perseveret incorruptus, et farina, ex qua conficitur, non sit corrupta. An vero panis ex amylo confectus, sit materia sufficiens, valde dubium est. Negant D. Thomas, Sotus, Angelus, etc., contra Paludanum.

Sect. III. — *An panis azymus vel fermentatus sit de necessitate sacramenti.*

Nota : Græci solo pane fermentato utuntur, rati hunc esse de necessitate sacramenti, quia putant Christum in pane fermentato consecrasse; dicunt enim non comedisse agnum paschalem die quarta decima lunæ, sed decima tertia, quando fermentum durabat. Lutherani autem et Calvinistæ, licet credant nec fermentatum, nec azymum esse de necessitate sacramenti, tamen fermentato utuntur in suis cœnis Dominicis, ut vocant; volentes contra omnem historiæ veritatem, morem utendi azymo introductum fuisse ab Alexandro III, et Ecclesiam, ante illum semper usum fuisse fermentato. Quare

Dico 1 : Tam panis azymus quam fermentatus sufficit ad hujus sacramenti substantiam. De fide. Constat ex conciliis Florentino et Tridentino, et ex Leonis IX epistola sententiam Græcorum vocantis hæreticam; deinde probatur ex facto Christi qui celebravit Pascha et instituit hoc sacramentum primo die Azymorum, in quo jam non licebat uti fermentato; probatur etiam ratione, quia et fermentatus et azymus est simpliciter panis ex tritico confectus, panes enim propositionis, qui certo erant azymi ex Levit. II, vocantur simpliciter panes. Hinc Ecclesia Latina convenientissime utitur azymo ob factum Christi, et quia utendi azymo consuetudinem a beato Petro accepisse, ex perpetua traditione credit et semper servavit. Idcirco

Dico 2 . Tam Græcis quam Latinis licet Ecclesiæ suæ consuetudinem servare, ut Leo IX tradit in dicta epistola (cap. 20). Imo tam Græci quam Latini tenentur Ecclesiæ suæ consuetudinem ac ritum servare. Hinc Latinus sacerdos in Ecclesia Latina consecrans, tenetur in azymo consecrare, et Græcus in Græca in fermentato, ob consuetudinem quam Ecclesia Romana non improbat, ut patet ex concilio Florentino, etc. In templis ergo Græcorum quæ sunt inter Latinos, et in templis Latinorum quæ sunt inter Græcos, unusquisque debet servare suæ Ecclesiæ consuetudinem : nec videtur licere sacerdoti Latino in templo Græcorum quod inter Latinos exsistit, consecrare in fermentato; sed si Latinus versetur in Ecclesia Græca, et in propriis Græcorum templis, optime faciet si se conformet eorum consuetudini, consecrans in fermentato; non videtur tamen ad hoc teneri, si sit tantum hospes seu peregrinus, quia hæc consuetudo, de qua hic igitur, sic videtur introducta et accepta ab Ecclesia, ut unicuique peregrinanti liceat suæ Ecclesiæ ritum servare, ubicunque celebrare illi permittitur, ut patet ex concilio Florentino et ex praxi Latinorum apud omnes accepta, qui peregrinantes inter Græcos Catholicos, solent in azymo celebrare, totumque alium missæ ritum Latinæ Ecclesiæ proprium servare. Ergo etiam Græcus transiens per Latinos, potest suæ Ecclesiæ ritum servare, nec tenetur ad cæremonias loci in quo celebrat observandas. Denique sine scrupulo potest sacerdos Græcus peregrinans per Ecclesiam Latinam, uti et Latinus per Græcam, suæ Ecclesiæ ritum servare cum consensu et facultate pastorum illius Ecclesiæ, in qua versatur, quam ipsi, si nullum timeant scandalum, dare possunt et debent si nulla rationabilis causa obstet. Unde non videtur licere sacerdoti Latino in Ecclesia Latina, ob occurrentem necessitatem, v. gr. ne proximus sine viatico moriatur, aut ne totus populus diu sacrificio privetur, celebrare in fermentato; Græcus tamen posset facilius celebrare in azymo in Græca, quia ejus obligatio non est tam certa. Celebrare autem in azymo, ut facit Ecclesia Latina, non est servare ritum Judaicum, quia non facit id eo modo et fine, quo olim Judæi, nec ex veteris legis obligatione; uti nec Græci, qui semper celebrant Pascha luna decima quarta. In quacunque hebdomadæ die occurrat dicuntur ritum Judaicum servare.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

De materia remota seu vino, ex quo sanguis Christi conficitur.

Sect. I. — *An vinum ex vite, seu ex uvis expressum sit necessaria hujus sacramenti materia.*

Dico 1 : Certum est materiam hujus sacramenti, sine qua sanguis non potest confici, esse vinum ex vite; quod colligitur ex facto Christi adjuncta Ecclesiæ traditione, idque definitur in concilio Florentino. Unde vinum ex pomis, fructibus, aut ex aliis rebus confectum, non est sufficiens materia. Vinum autem sive sit album, sive rubrum, semper est simpliciter vinum, adeoque sufficiens materia.

Dico 2 : Ut succus uvarum sit materia sufficiens,

debet esse maturus, ex uvis expressus, in sua substantia permanens. Ideo agresta, et succus uvarum priusquam exprimatur, seu in uvis adhuc consistens, non potest consecrari, uti nec acetum. Mustum quidem ex maturis uvis expressum, sufficiens est materia, quia est vere vinum, sed non est conveniens, donec sit purum et satis concoctum.

Dico 3 : Vinum consecratum, etiamsi congeletur, retinet consecrationem et sanguinem Christi ; quod videtur supponere missale Romanum in defectibus missæ ubi dicitur : *Si contingat in calice vinum consecratum congelari, debet liquefieri, et consumi tanquam verum sacramentum.* Ratio est, quia revera non est substantialiter corruptum, cum qualitates et effectus vini, si liquefiat, postea habeat. Hinc si vinum congelatum ante consecrationem, postea liquefiat, est sufficiens consecrationis materia ; imo quatenus congelatum, in illo statu videtur esse sufficiens materia, quia est vinum ex vite, et per se potabile, et per accidens est quod in illo statu nequeat potari. Sicut enim panis coctus, qui præ duritie nequit comedi, nisi prius molle fiat, est sufficiens consecrationis materia, quia retinet panis substantiam, et per se manducabilis est, ita et vinum congelatum. Non credas tamen licere sic illud consecrare ob rei incertitudinem.

Sect. II, III. — *An aqua vino consecrando sit necessario miscenda ; et de circumstantiis eam miscendi.*

Dico 1 : Hæc aquæ cum vino mistio non est de necessitate sacramenti (D. Thomas et omnes Thomistæ), quia Christus non instituit hanc cæremoniam ut essentialem, quod habetur ex traditione et auctoritate Ecclesiæ, quæ simpliciter docet vinum esse sufficientem materiam. Item ex concilio Tridentino (sess. 13) dicente Ecclesiam præcepisse hanc mistionem ; et ex concilio Florentino præcipiente Armenis, qui aquam non miscebant, ut eam miscerent ad se toti Ecclesiæ conformandos, nihil eos de nullitate sacramenti arguendo. Fuit tamen conveniens eam misceri ante consecrationem (de fide ex conciliis et Patribus) ; nimirum ad repræsentandum aquam et sanguinem, quæ de latere Christi exivit, ad significandam unionem Ecclesiæ cum Christo, et duas Christi naturas, et maxime quia Christus sic fecit, uti liturgiæ Jacobi et Basilii dicunt, ac refert Clemens *Const.* lib. VIII, cap. 12. (Theodoretus, Damascenus, etc.) Insuper

Dico 2 : Hæc mistio non solum est conveniens et licita, sed etiam de necessitate præcepti, non divini, ut Alensis, Hosius, etc., volunt, sed humani et ecclesiastici, ita Scotus, Sotus, Durandus, Gabriel, et alii communiter. Videtur enim hoc præceptum ab ipsis apostolis manasse, ut colligitur ex jam dictis liturgiis, ex canone tricesimo secundo Trullano ; imo ex ipso Alexandro I, in cujus Vita Romanum breviarium dicit eum jussisse istam mistionem fieri ob aquam et sanguinem, quæ de Christi latere fluxerunt ; nam ipsemet dicit se, *tradere quod a Patribus acceperat*, adeoque ille non illam instituit ac primus præcepit, ut putant aliqui, sed tantum tradidit scriptum præceptum. Jam vero licet Christus istam mistionem in institutione sacramenti adhibuerit, non inde fit eam esse de necessitate sacramenti, quia non omnia, quæ Christus in cœna fecit, hanc habent necessitatem, imo nec necessitatem præcepti divini, ut constat de pane azymo, et aliis similibus. Hinc quidam Patres eam vocant Christi institutionem et traditionem.

Dico 3 : Quoad hujus mistionis circumstantias, sunt hæ quatuor præcipuæ. 1° Ista aqua, quæ in Eucharistia miscetur, necesse est ut sit naturalis seu elementaris necessitate non sacramenti, sed præcepti graviter obligantis. 2° Ista aqua debet misceri in parva quantitate, et minori quam vinum, ut docet Ecclesiæ usus modicissimam ponentis ; et ratio est, quia quælibet aquæ guttula, modo sit satis sensibilis, est sufficiens, est enim vera aqua sensibilis, et ad significationem sufficit. 3° Hæc mistio debet fieri tempore sacrificii et in ipso calice jam vinum habente ante calicis oblationem ; si ante consecrationem advertatur non fuisse factam, statim debet fieri ; secus vero, si post consecrationem a principio missæ usque ad oblationem potest quovis tempore fieri. Missale tamen Romanum dicit debere fieri post Evangelium facta hostiæ oblatione. Sotus et Sylvester videntur magis probare, quod fiat in initio missæ, quia tunc major est temporis mora, ut aqua in vinum convertatur. 4° Dicunt quidam hanc aquam debere infundi ab ipso celebrante ; in missali tamen Romano præscribitur, ut in missis solemnibus subdiaconus illam in calicem infundat a sacerdote benedictam. In hoc servanda consuetudo. Denique ista aquæ mistio obligat sub gravi.

Sect. IV. — *An aqua vino mista in sanguinem Christi convertatur, et sub hac intentione misceri debeat.*

Nota : Quidam dixerunt aquam vino mistam non converti in sanguinem Christi, sed remanere in sua specie et natura immutatam post consecrationem ; sed ista sententia ab omnibus Thomistis rejicitur. Debet enim sacerdos aquam ea intentione et modo miscere vino, ut verisimile sit posse ante consecrationem facile converti in vinum. Si autem contingat aquam tempore consecrationis non esse in vinum conversam, nonnulli putant, maxime Alanus, eam immediate in sanguinem converti. Sed probabilius

Dico : Aqua non convertitur in sanguinem, nisi prius in vinum transmutetur. (D. Thomas, Scotus, Alensis, etc.) Probatur : 1° quia consecrationis materia est solum vinum, cui miscetur aqua non tanquam materia, sed tantum per modum cæremoniæ ad quamdam significationem supra explicatam. Jam vero sola est materia quæ in sanguinem convertitur ; ergo, etc. 2° Si aqua est æque materia ac vinum, non potest reddi ratio cur vel non sit æque necessaria ac vinum, vel non possit ipsa sola ac

pura immediate converti in sanguinem, sicut potest purum vinum. Hinc si post consecrationem calicis, aqua tantum mutetur in vinum, non fit sanguis Christi; idem dic si in momento consecrationis tantum in vinum transeat, aut quando pronuntiatur pronomen *hic*, nondum transierit. Attamen satis certum est conversionem aquæ in vinum semper fieri ante consecrationem. Ad illam autem experientiam, qua dicitur aqua immista posse iterum separari a vino, respondet D. Thomas id quod separatur, non esse aquam, sed quemdam aqueum humorem, cujus signum est, quod etiam ex puro vino possit extrahi. Ad aliud autem de adoratione, respondetur fideles non adorare quidquid est in calice; possunt enim esse in calice aliæ res, v. gr. paleæ, etc., sed adorant id quod est consecratum, seu quod sub speciebus vini continetur.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

De reali corporis Christi præsentia in hoc sacramento.

SECT. I. — *An sit certum de fide Christum realiter esse præsentem in hoc sacramento.*

Nota 1 : Licet Ecclesia Græca in aliquibus rebus Latinæ sæpe dissenserit, in hoc tamen dogmate de reali corporis Christi præsentia in Eucharistia Græci et Armeni tam inter se quam cum Ecclesia Latina consentiunt, ut ex eorum liturgiis, ex antiquis Patribus, ac tandem ex concilio Florentino aperte constat.

Nota 2 : In Ecclesia Latina, primus qui hanc realem Christi præsentiam negavit, fuit Berengarius, qui in variis conciliis condemnatus iterato istam suam hæresim abjuravit, mortuus, ut creditur, in veræ fidei perseverantia. Videtur hunc suum errorem hausisse ex libro Joannis Scoti qui illum continebat. Postea secuti sunt hunc errorem hæretici, Henriciani, Albigenses, Flagellantes, Wiclefistæ, Zuinglius, Calvinus, etc. Quare

Dico : De fide est Christi corpus et sanguinem, vere, realiter, et substantialiter sub consecratis panis et vini speciebus in hoc sacramento contineri, ut in sequentibus sectionibus fusius ostendetur; nunc solum probatur ex universali Ecclesiæ consensu ac definitione. Nam omnes scriptores catholici hanc veritatem constanter defendunt, et contrariam doctrinam statim ac pullulare cœpit, notarunt et oppugnarunt tanquam catholicæ veritati contrariam, quod est evidens signum discernendi hæresim a veritate catholica. Deinde multa concilia hanc veritatem definierunt : Constantiense, Romanum, Lateranense, Florentinum, Tridentinum. Quamvis hæc catholica veritas non sit expresse posita in Symbolo, quia in eo tantum sunt posita quæ sunt necessaria ob fidei perfectionem, non abusum, qualis est hæc, potest tamen ad illud revocari, nempe ad articulum de omnipotentia Dei, vel de sancta Ecclesia, ut ait D. Thomas, 2-2, quæst. 1, ad 8.

SECT. II. — *An realis Christi præsentia in hoc sacramento satis colligatur ex ejus promissionibus.*

Dico : Ex factis hujus sacramenti promissionibus sufficienter probari potest realis Christi præsentia; non tamen hoc argumentum ita evidens est, ut per se solum sufficiat. Probatur primo ex figuris Veteris Testamenti, ex verbis prophetarum, v. gr. : *Ab ortu solis usque ad occasum*, etc. (*Malach.* I, 11). *Quid enim bonum est, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* etc. (*Zach.* IX, 17.) Probatur secundo, ex promissionibus Novi Testamenti : 1° ex Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Concilium Viennense, Innocentius (lib. IV, cap. 44), Laurentius Justinianus, id exponunt de hac Christi præsentia. Unde dum dicit Christus : *Me autem non semper habebitis* (*Matth.* XXVI, 11), intelligit de præsentia corporali visibili. 2° Ex Joan. VI, ubi Christus promittit se daturum suum corpus ad manducandum, et sanguinem ad bibendum. Quod concilium Ephesinum, et septima synodus et concilium Tridentinum, intellexerunt de vera ac corporali manducatione per sacramenti susceptionem; quamvis quidam Patres id etiam intellexerint de spirituali manducatione per fidem, sed non excludendo corporalem per sacramenti sumptionem. Hic Pater Suarez citat quindecim Patres Græcos et tredecim Latinos, qui istam Christi promissionem intellexerunt de sacramentali manducatione carnis Christi, non per modum carnis ferinæ in partes discerpendæ, nec impropria specie visibili, sed modo sacramentali et sub specie aliena, et quoad hoc, dixerunt id sacramentum visibiliter esse sumendum et spiritualiter esse intelligendum ac credendum, quia *caro non prodest quidquam* (*Joan.* VI, 64), id est, si intelligatur caro animali modo manducanda ac dilanianda; debet ergo intelligi sacramentali ac spirituali modo, vera fide et puro corde sumenda. 3° Ex Thomistis maxime recentioribus. 4° Ex ipsa litterali verborum clarorum significatione : *Panis, quem ego dabo, caro est pro mundi vita*, etc. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, etc. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis*, etc. (*Joan.* VI, 52, 54, 56). Verba enim Scripturæ, juxta Augustinum, intelligenda sunt in proprio sensu, quando nullum inconveniens id impedit.

Objicies 1 : Multi Catholici negant in isto cap. VI Joan. Christum habuisse sermonem de hoc sacramento. Respondeo : Licet istorum sententia non sit hæretica, est tamen parum probabilis.

Obj. 2 : Christus in principio istius capitis, de spirituali manducatione et de fide in se ipsum, aperte loqui videtur. Respondeo nihil hoc obstare, si Christi consuetudinem attendamus transeundi ab una re sensibili, ad spiritualem. Sic in colloquio cum Samaritana, ex sensibili aqua transitum fecit ad aquam vivam. Hic similiter ex materiali cibo transitum facit ad spiritualem, et a spirituali cibo

sive a se ipso per fidem manducando ; tandem sermonem ad hoc sacramentum derivavit, cum sacramentali manducatione conjungens spiritualem, ut significaret illam sine hoc prodesse non posse.

Obj. 3 : Christus ipsemet dixit : *Caro non prodest quidquam ; verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI, 64). Hinc Patres in istis verbis admittunt metaphoram ; ergo etiam ipsa manducatio et potus potest spiritualiter, seu metaphorice intelligi. Respondeo : Christus dixit ista verba, ut falsam imaginationem audientium, qui putabant Christi carnem in propria specie manducandam fuisse, tolleret, et in hoc sensu dixit carnem non prodesse quidquam, nempe dentibus dilaniandam, et animali modo manducandam.

Obj. 4 : Patres sæpe hunc locum metaphorice interpretantur. Respondeo : Metaphoricus sensus nunquam excludit litteralem ; ideoque licet sancti Patres interdum accommodent hunc sensum, ut cibus sit verbum Dei aut Scriptura, et manducare sit credere et intelligere, non intendunt tamen proprietatem litteræ excludere. Sic Augustinus ait : « Quid paras dentem et ventrem ? crede et manducasti, » id est, non manducatur caro Christi sub propria specie, sed modo sacramentali per fidem, cujus effectus non est corporalis, sed spiritualis.

Sect. III. — *An ex verbis quibus instituit Christus hoc sacramentum, possit evidenter demonstrari realis ejus in illo præsentia.*

Dico : Hisce verbis, quibus Eucharistiæ sacramentum Christus instituit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*Matth.* XXVI, 26 ; *I Cor.* XI, 24), aperte docuit id quod in manibus suis tenebat, discipulisque dabat, esse suum verum corpus ; ac proinde ad illorum veritatem necesse fuit vere ac realiter ipsius corpus sub speciebus panis contineri. Ergo ex illis verbis convincitur Christi corpus in illis vere præsens exsistere. De fide. Probatur : 1° ex septima synodo asserente Christum non dixisse : *Accipite figuram corporis*, sed *corpus meum ;* item ex concilio Tridentino (sess. 13) dicente ista verba esse proprie et non per tropum intelligenda. 2° Ex Patribus idem affirmantibus : « Portabat, » inquit Prosper, « corpus suum in manibus suis, cum dixit : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). » 3° Cum Christus hæc verba dixit, instituebat sacramentum ; ergo debuit propriis verbis id explicare ; non possunt autem esse magis propria quam ista. 4° Pronomen *hoc* evidenter designat corpus Christi in sacramento exsistens, non ejus figuram, nec ipsum Christum loquentem, nec corpus Christi mysticum, id est collegium apostolorum ; non enim applicari huic corpori mystico possunt hæc verba, *quod pro vobis tradetur*. Dicitur quidem I Cor. X, 1-3 : *Patres nostri omnes*, etc., *eamdem escam spiritualem manducaverunt*, etc., id est Christum, sed non eodem modo ; illi enim in figura tantum seu in manna : *Omnia in figuris contingebant illis* (*Ibid.* 11), et per fidem ; nos vero et per fidem et per realitatem in sacramento.

Objicies 1 : Varias quasdam Patrum locutiones. Respondeo : Dum Dionysius vocat Eucharistiam *deifica mysteria*, intelligit ipsum Christum sub signis sensibilibus latentem ; ideoque dicit : « Per typicæ mensæ apparatum, » quia sub signis sensibilibus res divinæ continentur. Deinde dum Hieronymus ait Christum instituisse hoc sacramentum, ut sui corporis et sanguinis veritatem repræsentaret, id est, vel ut suum corpus et sanguinem præsentem faceret (interdum enim verbum *repræsentare* significat rem *præsentem facere*), vel etiam non tantum ut suum corpus et sanguinem præsentem faceret, sed et ut ipsius passionem præteritam repræsentaret ; vel ut veritatem corporis et sanguinis sui sub speciebus sensibilibus latentis indicaret, ac simul repræsentaret unitatem corporis sui mystici, seu Ecclesiæ. Dum autem Tertullianus ait non « mutasse vinum saporem, » satis indicat mutasse substantiam, non accidentia. Quod vero addit Christum hoc fecisse in memoriam sui sanguinis, id est passionis suæ, omnino verum est ; hic enim calix et est Christi sanguis ibi invisibiliter contentus, et simul memoriale sanguinis visibiliter effusi. Denique dum idem Tertullianus sic ait : « Panem corpus suum fecit, dicens : *Hoc est corpus meum ;* id est : Hoc est figura corporis mei, » satis clare per ista verba : « panem corpus suum fecit, » explicat, uti sæpe in aliis locis, veritatem transsubstantiationis ; vocat autem figuram corporis, quia verum corpus Christi sub speciebus panis velatum, est repræsentatio ejusdem corporis visibilis in propria specie exsistentis, uti Patres sæpe loquuntur : vel quia ibi vox *figura* non refertur ad *corpus meum*, sed ad panem, quem vocat figuram corporis Christi, quia in Veteri Testamento caro Christi fuit sæpe metaphorice significata seu figurata per nomen *panis ;* atque hanc figuram fuisse adimpletam, quando panem, id est figuram corporis sui, verum corpus suum effecit.

Obj. 2 : Forma hujus sacramenti, seu verba Christi fuerunt verba sacramentalia ; ergo sacramentaliter tantum et metaphorice significant, adeoque non veritatem sed signum tantum significant. Respondeo : Distinguo antecedens. Fuerunt verba sacramentalia, id est figurata, solumque sensum metaphoricum habentia, nego antecedens ; sacramentalia, id est mysterium aliquod reconditum continentia, seu significantia, concedo antecedens. Deinde propriissime dici possunt sacramentalia, quibus instituitur et efficitur sacramentum ; et hoc sensu in propria sua significatione etiam vera sunt.

Obj. 3 : In his verbis : *Hic est calix sanguinis mei* (*Matth.* XXVI, 28), non potest vitari metaphora. Respondeo : Vel nulla est ibi metaphora, vel adeo clara, ut propriæ locutioni æquivaleat ; vox enim *calix*, ut multi asserunt, sumitur ibi pro ipso vase, quod proprie dicitur calix *sanguinis*, quia sanguinem continet ; sic etiam in his verbis : *Hic calix est*

novum testamentum (*Luc.* XXII, 20), ibi *testamentum* sumitur proprie, uti et vox *manducare*.

Obj. 4: Quamvis demus Christum fuisse proprie locutum, et convertisse panem in suum corpus, non tamen inde sequitur eum nunc esse in sacramento præsentem; sacerdos enim non habet eam efficaciam quam Christus habuit. Respondeo, juxta Patres Chrysostomum, Cyprianum, Ambrosium, etc., eumdem esse Christum qui nunc conficit, et tunc conficiebat sacramentum; minister enim non in sua, sed in Christi persona profert verba consecratoria; unde nec minus efficacia nunc sunt quam nocte cœnæ fuerunt.

SECT. IV. — *Quid antiqui Patres de vera Christi præsentia in hoc sacramento senserint.*

Nota: Cum hæretici, ut suum errorem tueantur, varia Patrum dicta male intellecta coacervant, ideo non erit abs re, quid illi senserint, paucis ostendere.

Dico 1: Patres antiqui 1° hoc sacramentum appellant veritatem corporis et sanguinis Christi, dicuntque nos Christum aut corpus ejus manducare, etc.; 2° interdum expresse excludunt solam figuram; 3° docent Christum in hoc sacramento non solum fide, sed etiam ipsa re per corporum conjunctionem nobis copulari; 4° extollunt ejus charitatem, quia nec pastores oves suas, nec matres filios suis carnibus alunt, sicut nos Christus pascit; 5° dicunt Christum se dare sic sub speciebus, et non in propria specie visibili, ut fides probetur et exerceatur; 6° dicunt hoc sacramentum esse opus maximi miraculi: si autem foret tantum signum corporis, non esset grande miraculum; 7° dicunt hoc sacramentum perfici per veram conversionem panis in corpus, vel panem fieri corpus, vel ex pane fieri aut creari corpus; 8° docent in hoc sacramento non esse sensibus, sed Christi verbis credendum; 9° docent in sacrificio incruento ipsummet corpus et sanguinem Christi offerri, et incruente immolari.

Dico 2: Quæ contra hanc veritatem ex Patribus objiciunt hæretici, sic solvuntur: 1° nullus unquam ex dictis Patribus negavit realem Christi præsentiam in hoc sacramento, nec ullus dixit tantum esse figuram aut signum corporis aut sola fide Christum manducari, seu solum spiritualiter sumi, etc. 2° Licet Christi præsentia in hoc sacramento sit vera et realis, tamen quia simul est sacramentalis, et significativa ac occulta, ideo etiam dici potest figurativa. Unde potest dici Christum dando hoc sacramentum, dedisse signum corporis sui, sed non vacuum, seu plenum eodem corpore; dedit enim sacramentum, quod revera est signum corporis in eo contenti, et simul signum aut figura ipsius Christi in propria specie exsistentis: vox enim *figura* non semper excludit veritatem, ut patet ex Hebr. I, 3, ubi dicitur filius *figura substantiæ Patris*, non quia caret substantiæ veritate, sed quia per illam Patrem repræsentat. Sic etiam hoc sacramentum dicitur figura Christi, non quia veritate illius caret, sed quia illum sub propria specie vel in cœlo, vel in sua passione exsistentem repræsentat; cum sit enim sacramentum, eo ipso ut sit sacrum signum, necesse est. Hinc Augustinus illud vocat *sacrificium imaginis agni*, nempe in cœlo sub propria specie exsistentis, quatenus hoc sacramentum est pignus gloriæ. Sic ergo in hoc sacramento et veritas et figura simul reperitur, ideoque Patres modo de uno, modo de altero locuti sunt. 3° Patres usi sunt voce *antitypa*, vel ad significandum panem et vinum ante consecrationem, vel ad significandum idem quod typus seu figura significat. Atque juxta hæc possunt alia Patrum dicta facile explicari.

SECT. V. — *An ex miraculis possit hæc Christi præsentia comprobari.*

Dico 1: Quædam miracula in hoc sacramento quasi per se, id est in ipsius sacramenti confectione interveniunt, et hæc proprie instituta sunt ut credantur, non ut ostendant præsentiam: v. gr. paucis verbis fit rei transmutatio, accidentia manent sine substantia panis; aliud est quod sensus percipit, aliud quod revera exsistit; idem corpus est in diversis locis, est integrum cum tota sua quantitate sub minima panis quantitate, etc.: cum tamen hæc fieri Patres asserant, ideo etiam probant Christi præsentiam.

Dico 2: Ad ostendendam Christi præsentiam ingentia a Deo facta sunt miracula, et singularia beneficia concessa, modo directe in istius veritatis testimonium ac confirmationem, modo ex ejusdem veritatis ac præsentiæ viva fide, qualia referunt Ambrosius, Nazianzenus, Prosper, Sozomenus, etc., quamvis interdum etiam maluit Deus permittere indigne tractari hoc sacramentum, quam per miracula injuriam ac sacrilegia ulcisci.

SECT. VI. — *An ex Ecclesiæ praxi possit colligi hæc realis Christi præsentia.*

Dico: Ex antiqua Ecclesiæ praxi, sive ex summa veneratione ac religione, qua Ecclesia semper hoc sacramentum tractavit, colligitur perpetuam ac constantem fuisse Ecclesiæ fidem de reali Christi in eo præsentia: 1° ex adoratione, quam ad hoc sacramentum accedentes, semper illi exhibuerunt; 2° ex summa diligentia, quæ semper adhibita est ad digne suscipiendum hoc sacramentum, v. gr. jussum est conscientiæ examen, peccatorum confessio, ut non sumatur nisi a jejunis; 3° ex sacerdotum consecratione ad illud ministrandum, ex templorum et altarium dedicatione, sacrorum vasorum ac vestium benedictione, ac omni religioso cultu; 4° ex eo quod catechumeni in missa ante consecrationem exire jubebantur, judicante Ecclesia eos nondum sat dispositos ad conspiciendum hoc mysterium; 5° ex eo quod olim gentiles putarent Christianos congregari ad carnes humanas et infantem quemdam manducandum. Hinc non potest dici fuisse signum irreverentiæ aut parvæ æstimationis aut incredulitatis præsentiæ Christi, quod olim, sive in necessitate, sive ob sanctos fines Eu-

charistia in manibus communicantium, etiam laicorum daretur, in privatis domibus servaretur, ut eam unusquisque sumeret, maxime in eremis, iter agentes vel mari vel terra illam secum deferrent, infantibus daretur. Hæc enim omnia nec ex irreverentia, nec ex defectu fidei circa Christi præsentiam fiebant.

Sect. VII. — *Quid possit naturali ratione de hoc mysterio ostendi.*

Dico 1: Non potest sola ratione naturali evidenter demonstrari hoc mysterium esse possibile, v. gr. accidentia posse esse per se, duo corpora quanta posse esse penetrative, idem posse esse in duobus locis; supposita tamen aliorum mysteriorum fide, potest intellectus satis quasi manu duci, ut videat hoc non esse impossibile, spectata maxime Dei omnipotentia in facienda re nullam habente claram implicantiam.

Dico 2 : Potest naturali ratione ostendi hoc mysterium fuisse divinæ bonitati valde consentaneum, et hominum utilitati maxime conveniens : 1° enim in hoc mysterio elucet Dei charitas, sapientia, omnipotentia, liberalitas, misericordia, etc. ; 2° hominum utilitas ob excellentem gratiam, quæ per hoc sacramentum confertur, ob virtutes fidei, spei, charitatis erga Deum, Christum, ac proximum ac religionis, quarum exercitium ex hoc sacramento manat, quibus adde multas alias virtutes morales, ad quas hoc sacramentum excitat homines.

Sect. VIII. — *An Christus exsistat permanenter in hoc sacramento post consecrationem, an vero tantum transeunter in usu.*

Nota : Lutherani et Zuingliani volunt Christum non esse in hoc sacramento, neque ante, neque statim post consecrationem, sed solum in ipso usu quando ad communicandum sumitur; cujus hæresis auctor creditur esse Bucerus. Unde colligunt Eucharistiam non esse consecrandam nisi statim sit consumenda, neque servandam esse in altari, neque circumgestandam, neque adorandam ante usum. Contra quos

Dico 1 : Corpus Christi fit præsens in hoc sacramento finita consecratione, ante usum. De fide. Patet ex verbis Christi priusquam Eucharistiam daret apostolis, dicentis : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* xxvi, 26) , sine conditione *si sumatur*, nec dixit *erit*, sed *est ;* ergo illorum veritas requirit Christi præsentiam ante usum, ut ait Irenæus (lib. v, cap. 2) sic : « Quando mistus calix et fractus panis suscipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi. » Bucerus autem ut suum errorem tueatur, sic corrumpit dictorum verborum sensum ac veritatem : *Hoc est corpus meum*, id est, inquit, hæc actio exhibet corpus meum. Deinde natura cibi est, ut sit res permanens, et ut prius sit quam comedatur ; et licet hoc sacramentum sit propter usum, non est tamen ipse usus, sed materia qua utendum est, ideoque usui præsupponitur; præterea non tantum institutum est ad usum sumendi, sed etiam ad offerendum in sacrificium. Hinc adest Christus, quando immolatur, priusquam sumatur; id etiam probat praxis Ecclesiæ, quæ priusquam hoc sacramentum distribuatur, adorandum fidelibus proponit.

Dico 2 : Christi corpus permanet sub speciebus, et durat post absolutum sacrificium, etiamsi a fidelibus non consumatur. De fide. Et sequitur ex præcedenti articulo, ac definitum est in concilio Tridentino (sess. 13, can. 4 et 6), et constat ex perpetua Ecclesiæ consuetudine conservandi in templo hostiam consecratam tum ob fidelium devotionem, tum ob infirmorum necessitatem ; imo sæpe miraculis approbata.

Dico 3 : Tandiu conservatur Christus præsens sub speciebus, quandiu ita illæ permanent ut sub eis substantia panis et vini posset conservari. (D. Thomas, Alensis, Scotus, etc.) Verba enim formæ habent firmam et stabilem veritatem. Quandiu ergo durant species consecratæ, permanent consecratæ, ac proinde continent corpus Christi, cujus præsentia cum speciebus est veluti donum gratuitum, quod non aufertur ex parte Dei aut Christi, nisi fiat mutatio in altero extremo. Hinc 1° errant hæretici asserentes quando aliquis indigne accedit ad hoc sacramentum, statim Christum recedere et substantiam panis redire antequam comedatur, cum dicatur (*I Cor.* xi, 29) : *Qui indigne manducat et bibit.* 2° Errant etiam ii qui dixerunt recedere corpus Christi, si in lutum cadant species, aut si pollutis manibus tangantur. 3° Item ii qui dixerunt statim ac sumuntur species, recedere corpus Christi antequam alterentur seu corrumpantur.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Quid sit hæc Christi præsentia in Eucharistia.

Sect. I, II. — *An hæc præsentia sit quid intrinsecum corpori Christi et ab eo distinctum, ac cujus prædicamenti.*

Dico 1 : Hæc præsentia est res vera seu modus realis in rerum natura exsistens, cum definiat concilium Tridentinum (sess. 13, can. 1) Christum esse sub speciebus *vere, realiter ac substantialiter*. Præter ipsam ergo corporis Christi substantiam dicit aliquid illam intrinsece afficiens; nam Christum ibi esse præsentem, est aliquid intrinsecum quod ante consecrationem illi non inerat, et ex natura rei distinctum non quidem omnino realiter, sed modaliter, ab ipsius substantia et omnibus accidentibus quæ in cœlo habet : quia per novam actionem realem acquirit novam præsentiam entitativam, non perdendo priorem, seu acquirit novum modum realem.

Dico 2 : Hæc præsentia non addit corpori Christi modum aliquem substantialem, qui ad prædicamentum substantiæ revocari possit, quia quidquid pertinet ad modum hic exsistendi, est accidens in corpore Christi ; neque potest dici complementum substantialis esse, quia corpus Christi in cœlo sine hac præsentia tam plene et integrum est substantialiter, quam est in sacramento. Neque etiam hæc præsentia est proprie relatio prædicamentalis, quia non est relatio rationis, utpote quid reale ; nec realis, utpote non habens terminum realem a quo essentialiter pendeat : præsentia enim Christi non

pendet essentialiter a speciebus, cum possit illis destructis adhuc ibi esse præsens. Item non potest reduci ad prædicamentum actionis, quia ista præsentia non est actio corporis Christi in species : nihil enim Christus operatur in speciebus, ut in actu primo eleventur ad esse instrumentum gratiæ ; et licet forte corpus Christi effective illas sustentet ut per se exsistant, posset tamen Deus per se immediate sine corpore Christi mediante, illoque immutato remanente, illas separatas conservare. Ergo tunc corpus præsens nullam in illas haberet actionem. Quare

Dico 3 : Hæc præsentia est realis corporis Christi modus, qui ad prædicamentum *ubi* reducitur ; quia maximam habet proportionem cum modo, quo res est alicubi (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, etc.). Corpus enim Christi intime adest præsens speciebus, et earum spatio quod ipsæ replent. Ergo hic modus similitudinem habet cum modo locali, quamvis differat a proprio quantitatis modo, quod hæc sit tota in toto, et pars in parte spatii ; Christus autem sit totus in toto, et totus in singulis spatii partibus, de quo postea.

Dico 4 : Corporis Christi sacramentale *esse* in hoc sacramento, præter jam dictam præsentiam, connotat respectum seu habitudinem ad species sub quibus continetur. Quando enim corpus Christi sub speciebus mutat locum, vel circumfertur, mutat reipsa prædictum intrinsecum præsentiæ modum, quia non est amplius in loco in quo erat, et diversum spatium substantialiter replet, non censetur tamen simpliciter mutare *esse* sacramentale, quia retinet eumdem respectum ad species. Sicut enim ex vi consecrationis manet idem sacramentum, ita et manet idem *esse* sacramentale. Ergo cum idem *esse* sacramentale maneat mutato intrinseco præsentiæ modo, signum est non in illo solo consistere, sed quasi formaliter connotare talem habitudinem ad has species. Hæc autem habitudo potest dici esse signati ad signum, quia ratio sacramenti in significatione consistit, et Christus per easdem species semper significatur quandiu sub illis et cum illis dicit habitudinem ad eumdem effectum sacramentalem. Hæc autem significatio addit tantum relationem fundatam in reali intrinseco præsentiæ corporis Christi modo et continentia specierum, vel potest etiam dici illam consistere in vera et reali unione inter corpus Christi et species.

Sect. III. — *An hæc præsentia includat veram ac realem unionem corporis Christi cum speciebus sacramentalibus.*

Dico 1 : Inter corpus Christi et species non intercedit formalis unio seu compositio physica ex qua resultet unum compositum physicum tanquam ex duabus partibus seu extremis vere componentibus. Probatur, quia nec substantialis nec accidentalis unio potest esse : non substantialis, quia cum unum extremum sit accidens, tota unio non ordinatur ad componendam unam substantiam seu unum ens per se, modusque unionis in uno extremorum est accidentalis ; neque etiam est unio accidentalis, quia neutrum extremorum pendet ab altero tanquam ab actu intrinseco, et ubi est vera unio, debet in utroque vel altero extremorum haberi realis modus unionis ; atqui hic unionis modus neque in speciebus habetur : facta enim consecratione, species per se exsistunt sive per solam actualis inhærentiæ negationem, ut Scotus et alii volunt, sive per positivum et absolutum modum exsistendi per se, similem substantiæ, et cum actuali inhærentia incompossibilem, quia species consecratæ possunt conservari per se exsistentes absque corpore Christi ; neque etiam habetur in Christi corpore, quia corpus Christi non unitur speciebus, ut per se ipsum quasi formaliter vel materialiter aliquem eis effectum realem conferat, sive communicando illis, sive habendo in illis suum *esse*, aut ut aliquid ab eis accipiat, etc. Quare

Dico 2 : Probabile est inter Christum et species intercedere reale vinculum per efficientiam et quasi attractionem unius ad alterum, sive intercedere unionem effectivam. Nam species consecratæ effective conservantur sine subjecto per singularem et supernaturalem Dei actionem, qua ipse subjecti defectum supplet. Jam vero Deus potest hunc effectum seu actionem efficere per Christi corpus tanquam per instrumentum ; ita ut accidentia sine ulla subjecti inhærentia corpus Christi conservet, ea ad se veluti attrahendo sicut magnes ad se attrahit ferrum, et attracta secundum præsentiam localem ab ipso separari non possunt ; potest etiam Deus idem efficere per species, ita ut hæ effective quasi attrahant ad se corpus Christi, et realem cum illo præsentiam et distantiam inseparabiliter conservent, sicque optime explicatur quomodo corruptis accidentibus, corpus Christi amittat præsentiam sacramentalem, si hæc ab accidentium efficacia pendeat, et quomodo motis accidentibus moveatur corpus Christi. Hic ergo effectivæ unionis modus videtur magis divinæ providentiæ consentaneus, magisque ostendere hujus sacramenti efficaciam ac perfectionem, quam totam istius rei causam ad extrinsecum Dei pactum et omnipotentem voluntatem referre. Hinc dici potest illud reale vinculum inter Christum et species in primo consecrationis instanti immediate fieri virtute verborum formæ, sed postea ab ipsis rebus quæ sacramentum componunt, mutuo conservari, quasi per virtutem in eis relictam ratione formæ et consecrationis, ac per mutuam efficientiam diverso respectu ; ita ut corpus Christi sustentet species consecratas, et species consecratæ ordine naturæ posterius præsentiam corporis Christi ad se attrahendo efficiant.

Sect. IV. — *Quænam denominationes aut quasi idiomatum communicationes conveniant corpori Christi aut Christo ex hac præsentia.*

Dico 1 : Omnia prædicata essentialia seu substantialia et accidentalia absoluta, quæ Christo se-

cundum se conveniunt, de eodem prout est in hoc sacramento, dicuntur; v. gr. vere dicitur homo, Deus, sapiens, pulcher, etc. Prædicata autem quæ significant modum exsistendi, si spectent localem modum, non possunt dici de Christo, prout est in hoc sacramento, v. gr. non potest dici, *est extensus, circumscriptus*, etc.; secus, si significent modum sacramentalem, v. gr. potest dici : *Est hic realiter et substantialiter, est totus in toto et in singulis partibus.* Item prædicata quæ indicant unionem Christi cum speciebus per modum mutuæ præsentiæ realis, vere etiam dicuntur de Christo ut hic exsistente, sic dicitur Christus contineri sub speciebus, etc.

Dico 2: Ea quæ circa species ita fiunt, ut vere ac proprie aliquid seu aliqua mutatio transeat in corpus Christi, de illo cum omni proprietate dicuntur, v. gr. corpus Christi elevatur, circumfertur, manducatur, est hic, est alibi, est in pluribus locis, etc.; quæ autem fiunt circa species, et non ponunt in ipso Christi corpore mutationem aliquam, neque in se illud attingunt, non proprie dicuntur de illo; quia cum corpus proprie non sit unitum speciebus unione formali, si ad ipsum non pertingat forma dominans, non est unde illud proprie denominet ob solas species : v. gr. licet species calefiant aut alterentur, non dicitur corpus Christi calefieri aut alterari, nec madefieri, frigefieri, etc. Ideo improprie tantum et tropice dicitur corpus Christi frangi, tangi, videri ob species fractas, tactas, visas.

Dico 3 : Quæ conveniunt corpori Christi secundum se spectato, non possunt dici nisi valde improprie et tropice de speciebus; item quæ conveniunt pani ratione suæ substantiæ, non dicuntur nisi interdum tropice de hoc sacramento, v. gr. vocatur *panis vitæ*. Denominationes autem quæ consequuntur mutuam actionem inter Christum et species, proprie de ipsis dicuntur servata proportione; sic proprie dicitur Christus sustentare species, et species continere Christum, etc.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

De comparatione sacramentalis et naturalis præsentiæ corporis Christi.

SECT. I. — *An sacramentalis præsentia corporis specie differat a naturali seu quantitativa.*

Nota : Sacramentalis et naturalis præsentia in hoc conveniunt, quod utraque sit intrinsecus et realis modus corporis Christi ac fundamentum propinquitatis et distantiæ, possitque esse formalis ac per se terminus alicujus mutationis; in hoc autem differunt quod corpus per præsentiam naturalem excludat omnem aliam quantitatem a loco quem occupat, sitque totum in toto et pars in parte; secus per sacramentalem. Deinde naturalis seu quantitativa est divisibilis ex parte subjecti et spatii; alia est enim præsentia pedis, alia manus, alia in hac spatii parte, alia in illa; sacramentalis autem est indivisibilis ex parte spatii, cum totum corpus possit esse in loco indivisibili.

Dico : Sacramentalis præsentia corporis Christi in Eucharistia est quidam modus supernaturalis, essentialiter et specifice diversus a modo præsentiæ, quam quantitas habet in spatio, quando illud replet modo sibi connaturali. Probatur, quia naturalis præsentia quantitatis, essentialiter includit extensionem partium in ordine ad locum; sacramentalis autem præsentia non includit. Ergo essentialiter differunt, sicut supernaturalis a naturali. Hinc sacramentalis : 1° est quædam participatio præsentiæ localis, quam habent substantiæ spirituales in suis locis, per hoc, quod hæc ex natura sua sit absque extensione sui subjecti in ordine ad locum. 2° Non est localis, si per præsentiam localem intelligatur proprium *ubi* physicum; secus autem, si tantum intelligatur quælibet realis et substantialis præsentia, ratione cujus res est hic potius quam alibi.

Objicies 1 : Videtur impossibile, ut corpus quantum seu habens quantitatem, recipiat talem modum præsentiæ, qualem jam descripsimus : corpus enim est essentialiter divisibile et extensum, ergo non potest indivisibiliter constitui in rerum natura. Respondeo : Quamvis corpus Christi in hoc sacramento habeat veram quantitatem, et in se ita sit dispositum, ut naturæ suæ relictum, occupaturum esset locum extensum et eum repleturum, divina tamen virtute recipit altiorem præsentiæ modum, impediturque ne modo connaturali et extenso spatium repleat. Non est enim de essentia quantitatis actu occupare locum divisibiliter seu extensum, sed est veluti ejus effectus, qui potest ab illo separari per divinam potentiam, uti hic fit; sed de ejus essentia est habere aptitudinem ad occupandum locum extensum, utpote ex se divisibilis, et postulans extensionem in loco, et hoc ab illa est inseparabile, etiam per divinam potentiam. Corpus autem Christi in Eucharistia retinet hanc aptitudinem ad occupandum locum extensum, licet actu non occupet.

Obj. 2 : Non potest concipi in rerum natura quantitas sine figura, est enim ejus terminus intrinsecus; nec figura intelligi sine extensione in ordine ad locum; ergo. Respondeo : Distinguo antecedens. Non potest concipi quantitas in corpore sine figura organica, quæ ex intrinseca quantitatis et partium compositione provenit, concedo antecedens; sine figura locali seu situali quæ provenit ex extensione in loco, nego antecedens. Christi corpus in hoc sacramento habet organicam et extrinsecam, non vero situalem et extrinsecam figuram.

Obj. 3 : Si corpus intrinsece divisibile exsisteret in loco indivisibiliter, posset dividi in omnem suam partem. Respondeo quod istud corpus sacramentaliter exsistens posset Deus dividere (loquendo solum de separatione unius partis ab alia): posset enim vel annihilare quasdam istius corporis partes, et alias conservare, vel destruere tantum terminos quibus continuantur, et conservare illas propriis suis terminatas terminis, et simul in eodem spatio exsistentes. Non tamen inde sequitur divisio in omnem partem; quia posset facile destrui terminus

continuans quasdam partes, et non terminus continuans alias. Sic enim potest Deus velle et facere.

Obj. 4 : Si corpus Christi exsisteret in loco indivisibiliter, non magis distaret una pars ab alia, quam reliquæ, v. gr. non magis distaret pes a capite, quam humerus, utpote omnes partes in loco indivisibili exsistentes. Respondeo : Distinguo antecedens. Non magis distaret una pars ab alia quam reliquæ, distantia locali seu situali, concedo antecedens; distantia quantitativa, nego antecedens. Quoad distantiam localem omnes corporis partes æque inter se distant, quia omnes sunt indivisibiliter præsentes eidem spatio; sed quoad distantiam quantitativam (quæ in hac consistit quod inter partes tanta quantitas intercedat, et cum tanta densitate vel raritate, quanta sufficit ex natura rei ad occupandum tantum spatium), non æque inter se distant, quia magis distat pes a capite quam collum; collum enim immediate capiti conjungitur, pes vero minime, sed mediante pene tota corporis quantitate.

Obj. 5 : Ex dictis sequitur Christi præsentiam esse compositam ex infinitis præsentiis perfectis et divisibilibus ac æqualibus ex parte subjecti; atqui hoc est absurdum nec intelligibile, ergo. Respondeo : Nego minorem. Dicit enim D. Thomas Christum esse in hostia semel in actu, et infinities in potentia : semel in actu, ob unam præsentiam quasi continue diffusam per totum spatium quod species sacramentales occupant; infinities in potentia, ob integram præsentiam totius corporis Christi in qualibet parte, et in quovis puncto specierum sacramentalium; neque ex hoc sequitur aut absurdum aut infinitum actu.

Sect. II. — *An sacramentalis præsentia essentialiter pendeat a naturali; an vero illam necessario supponat.*

Dico 1 : Sacramentalis præsentia a naturali non pendet intrinsece et essentialiter seu formaliter; naturalis enim potest esse sine sacramentali, v. gr. ante institutionem hujus sacramenti, et post diem judicii; ergo et sacramentalis sine naturali, utpote quæ ad hanc nullam dicit habitudinem. Hinc potuit istud Eucharistiæ mysterium perfici a Deo, priusquam Christi corpus in propria specie exsistens incarnaretur, quia potest Christi corpus exsistere sacramentaliter, etiamsi nullibi exsistat naturaliter; cum sua enim præsentia sacramentali non pendet a naturali ejusdem corporis, neque ab ipso corpore ut alibi naturaliter exsistat; ergo posset Deus infinita sua potentia efficere corpus Christi sub speciebus panis, licet alibi non præexstitisset. Item posset conservari in sacramento, etiamsi extra illud omnino esse desineret; non est enim major connexio aut dependentia in conservatione quam in prima effectione.

Dico 2 : Quamvis præsentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia ex se non pendeat a naturali alibi exsistendi modo, probabile est tamen nunc de facto, aliquo modo pendere ab illa in genere causæ efficientis; probabile est enim verbum divinum uti suo corpore assumpto et alibi sive in cœlo naturaliter exsistente, ut organo aut instrumento conjuncto ad efficiendam ejusdem corporis præsentiam in Eucharistia, seu in omni consecratione Eucharistiæ per suam humanitatem ad id actu concurrere cum verbis formæ, quod clare patuit in nocte cœnæ, ubi ipsemet Christus visibiliter mensæ accumbens se ipsum præsentem fecit sub speciebus panis et vini quas consecravit. Unde si nunc Christus non exsisteret homo in rerum natura, probabiliter ex vi præsentis institutionis non posset per verba consecrationis vere ac valide perfici hoc sacramentum, ac corpus Christi fieri sacramentaliter præsens in Eucharistia; quia ista verba videntur habere suam virtutem in agendo ab humanitate Christi præexsistente tanquam ab instrumento conjuncto et principali, respectu omnium actionum et effectuum sacramentalium. Imo posset etiam defendi istam præsentiam sacramentalem non solum in fieri, sed etiam in conservari, perpetuo pendere ab actuali humanitatis Christi in cœlo exsistentis influxu; quamvis possit etiam dici, postquam semel facta est, non pendere amplius ab illa in conservari, sicut non amplius pendet a verbis consecrationis per quæ facta est.

Sect. III. — *An sacramentalis et naturalis præsentia possint simul eidem corpori convenire.*

Dico 1 : Clarum est nullum corpus posse ex natura rei, nisi unum locum sibi adæquatum, unica naturali præsentia occupare; sed verisimile est sacramentalem præsentiam ex natura sua posse simul multiplicari in eodem corpore per respectum ad diversa spatia, sive idem corpus sacramentaliter exsistens posse habere sine novo miraculo plures præsentias sacramentales. Sicut enim nunc de facto corpus Christi in una hostia est totum in toto, et totum in qualibet spatii parte, ita etiam de facto est totum simul in multis et distantissimis spatiis. Ergo sicut dicimus illud primum esse connaturale præsentiæ sacramentali, quia ex vi suæ speciei et essentiæ supernaturalis habet indivisibilitatem et inextensionem secundum comparationem sui subjecti ad spatium cui præsens fit, ita dicendum est de hoc secundo, quia non implicat esse aliquem modum cui possit hoc esse connaturale. Sed

Dico 2 : Videtur certum naturalem et sacramentalem præsentiam non posse naturaliter uni eidem corpori convenire; istæ enim duæ præsentiæ inter se aliquo modo pugnant. Denique corpus Christi per hanc præsentiam sacramentalem non est definitive in loco, quia ita est in una hostia ut possit etiam esse in alia, aut in majori hostia et in majori spatio; neque proprie est circumscriptive, sed sacramentaliter. Ista præsentia est quidem finita ad quantitatem panis vel vini, sed non est definitiva, ita ut ex se non possit in majori quantitate exsistere.

Sect. IV. — *An de potentia Dei absoluta possint plures et distinctæ præsentiæ reales in spatiis distantibus convenire eidem corpori.*

Dico 1 : Idem corpus potest simul esse præsens

in locis distantibus per diversas præsentias sacramentales. De fide; contra hæreticos, qui ideo negant realem Christi præsentiam in Eucharistia. Probatur ex ipsa mysterii Eucharistiæ veritate: credimus enim Christum esse realiter præsentem in omnibus hostiis quæ in variis et distantibus Ecclesiæ locis consecrantur; et ex facto Christi, qui communicando apostolos, erat præsens in omnibus particulis quas singulis distribuit.

Dico 2: Non est impossibile idem corpus esse simul in diversis locis distantibus; in uno naturaliter, et in alio aut aliis sacramentaliter. De fide, contra eosdem hæreticos. Et eodem modo probatur ex ipso Eucharistiæ mysterio. De fide enim est Christum in nocte cœnæ ob sacramentalem præsentiam, quam sub speciebus panis habere cœpit, non amisisse visibilem et naturalem; nuncque in cœlo exsistere naturali modo, dum sacramentali exsistit in Eucharistia.

Dico 3: Idem corpus per Dei omnipotentiam potest duo loca etiam distantia occupare modo quantitativo et naturali: ita Alensis, Scotus, Gabriel, Richardus, etc., fere communiter theologi, contra eosdem hæreticos, et contra catholicos Capreolus, Henriquez, Sotus, etc. Probatur: 1° quia id non est contra intrinsecam quantitatis rationem; quantitatis enim ratio est prior ejus extensione in ordine ad locum. Sicut autem privari hujusmodi extensione non est contra rationem quantitatis, utpote quid illa posterius, ita etiam recipere unam vel plures extensiones non est contra eamdem, quia est quid posterius; et sic corpus licet capacitate naturali sit tantum aptum ad extensionem in uno loco, non tamen obedientiali. Neque etiam id est contra intrinsecam rationem modi exsistendi quantitative in uno loco; hæc enim solum in hoc consistit, quod corpus ita sit præsens spatio, ut ex vi modi quo illud replet, habeat extensionem partium in illo, et una excludat aliam a suo partiali loco: atqui hoc totum manet, quamvis corpus exsistat quantitativo modo in duobus locis, ergo, etc. 2° Angelus potest virtute naturali esse totus in toto loco, et fortasse etiam disjuncto, et totus in qualibet parte; eccur Deus non possit virtute supernaturali simile quid operari in corpore, constituendo illud totum in diversis locis? 3° Potest Deus facere, ut eadem forma accidentalis inhæreat multis subjectis, ut idem effectus simul pendeat a pluribus causis totalibus, et, juxta D. Thomam, potest eamdem naturam humanam ponere hypostatice in pluribus personis; ergo etiam potest unum corpus ponere in diversis locis; 4° Potuit Deus corpori Christi habenti naturalem præsentiam in cœlo, dare alibi supernaturalem in sacramento; quare ergo non potuisset etiam aliam naturalem alibi dare?

Objicies 1, cum hæreticis: Quidam Patres negant idem corpus posse esse simul in duobus locis. Respondeo illos loqui de naturali rerum capacitate, non de obedientiali per Dei omnipotentiam.

Obj. 2: Quidam Catholici etiam docent non posse idem corpus esse quantitative in multis locis; ergo multo minus quantitative et sacramentaliter simul. Respondeo: Quidam quidem Catholici negant idem corpus posse poni in pluribus locis quantitative, quia circa hoc nihil est expresse revelatum. Poni autem idem corpus quantitative, seu naturaliter in cœlo, et sacramentaliter in hostia consecrata, est revelatum, ideoque hoc non negant.

Obj. 3: Si unum corpus posset esse in duobus locis, posset etiam esse in multis, et in toto mundo ac ubique; esse autem ubique est proprium solius Dei; ergo. Respondeo: Licet Deus possit ponere idem corpus in pluribus et pluribus locis in infinitum, non sequitur posse illi conferre præsentiam actu infinitam seu immensam, extendentem se actu ad omnia loca creabilia; quia ab infinito syncategorematice seu in potentia, non datur consequentia ad infinitum categorematice seu in actu.

Obj. 4. Si idem corpus esset in duobus locis, unum corpus esset in se divisum, idem esset extra et intra spatium. Respondeo: Nego antecedens. Corpus enim non esset in se divisum, sed tantum divisæ essent distantiæ; nec esset extra et intra spatium, quia ista negatio simpliciter sumpta non est de ratione circumscriptionis; neque ex illa necessario sequitur in ordine ad omnipotentiam Dei, sed solum secundum naturalem capacitatem corporis seu creaturæ.

Obj. 5: Quantitas occupat locum quasi formaliter et est finita; ergo limitata ad unum locum replendum; adeoque manente quantitate eodem modo finita, non potest plura loca replere. Respondeo: Quantitas non est limitata ad unum tantum locum de potentia Dei absoluta, per quam non solum in diversis, sed etiam in eodem loco potest replicative poni idem corpus.

Obj. 6: Non potest idem corpus esse in multis temporibus; ergo nec in multis locis. Respondeo: Nego consequens: quia multa tempora non possunt esse simul ob essentialem successionem; possunt autem multa loca esse simul. Deinde eadem res permanens secundum eamdem omnino durationem, potest multis temporibus coexsistere simul currentibus.

Obj. 7: Corpus quantitative exsistens in uno loco est æquale loco, et si exsistit in duobus locis, est æquale utrique loco simul; ergo æquale et inæquale eidem loco. Respondeo: Nego consequens. Nam extensio quantitatis corporis bilocati in se et per respectum ad se, in uno et alio loco est semper eadem et æqualis, apta ad replendum locum æqualem; sed solum modo ista extensio in ordine ad locum quem occupat, est diversa et inæqualis, seu spatium loci est diversum.

Sect. V, VI. — *De proprietatibus, actionibus, passionibus corporis bilocati.*

Dico 1: Non repugnat de potentia Dei absoluta, idem corpus habere aliquam proprietatem vel formam accidentalem in uno loco, quam non habet in

alio, dummodo talis forma vel proprietas a parte rei ab illo distinguatur, et ab ipso separabilis sit: v. gr., modus præsentiæ localis corporis Christi in cœlo, non est ille idem quem habet in Eucharistia; sic anima rationalis non habet eumdem modum unionis in capite, quam habet in pede. Sic poterit dici sine contradictione corpus hic album et Romæ nigrum, quia licet subjectum sit utrobique præsens, potest albedo non habere utramque præsentiam, utpote res absoluta et a corpore distincta.

Dico 2 : De potentia ordinaria, ubicunque ponitur aliquod corpus, ponuntur etiam omnes ejus proprietates intrinsecæ et connaturales; item si tale corpus per actionem adductivam ponatur in alio loco ab eo in quo præexsistebat, necessario trahit secum omnes suas proprietates de potentia ordinaria. Sed si idem corpus in duplici loco ponatur, aut si per actiones substantiales diversas in eis constituatur, etiamsi una earum prius exsistat, quam altera, pene ex voluntate Dei pendet, quod in utroque loco habeat vel non habeat easdem qualitates seu proprietates extrinsecas et accidentales: videtur tamen esse magis congruum, et rerum naturis consentaneum easdem utrobique recipere.

Dico 3 : Ex sola naturalis agentis virtute mutatio facta in uno loco, non fit in aliis locis distantibus in quibus idem corpus exsistit. 1° Quoad *actiones transeuntes* seu non vitales sic ostenditur. Primo de *alteratione*: Si corpus exsistat hic Duaci, et Romæ, et si hic ab igne calefiat, ex virtute hujus naturalis agentis non potest illa calefactio Romæ fieri, quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum, nisi intra suam sphæram; ergo non potest suam calefactionem Romam usque transfundere. Secundo, de *augmentatione* aut *diminutione* : Si in duplici vase posita foret una et eadem aqua, posset in uno effundi seu diminui, et non altero; quia ista effusio esset solum mutatio localis quæ non transit necessario in alium locum; idem dic de rarefactione et condensatione. Tertio de *generatione* et *corruptione :* Si supponatur corpus exsistens jam in multis locis, clarum est non posse idem virtute naturali alibi generari. Cum autem corruptio fiat sæpe ex divisione continui, semperque fiat per actionem præviam sicut diminutio, potest hæc divisio fieri in uno loco, et non in alio, seu mors evenire eidem corpori in uno loco et non in alio; sic anima potest amittere unionem in uno loco, v. gr. in digito, et non in alio, v. gr. in corde. 2° Quoad *actiones immanentes* et vitales sic : actiones sensuum externorum si corpus in duplici loco ponatur, non erunt necessario eædem in utroque loco; quia hæ non tantum a potentiis, sed etiam ab objectis loco propinquis, easque actualiter immutantibus, v. gr. visio, auditio, etc., pendent; aliæ vero quæ non pendent ab aliquo objecto, vel agente extrinseco localiter applicato, quales sunt actus interni memoriæ, intellectus, voluntatis et appetitus, videntur necessario fieri in utroque loco in quo idem homo exsistit, videntur necessario fieri eædem in utroque loco, ubi homo exsistit, quia objectum non localiter applicatum, sed per cognitionem movet potentias. Unde quoad hos actus vitales non videntur posse esse duo actus contrarii, odii et amoris, assensus et dissensus, in eadem potentia : tum quia talis actus naturaliter est semper in utroque loco, tum quia non tantum pendet a potentia ut a subjecto recipiente, sed etiam ut a principio agente. Eadem autem potentia non habet vim naturalem ad efficiendum simul actus contrarios; imo probabilius nequidem per divinam potentiam absolutam possunt hujusmodi actus contrarii esse in eodem subjecto etiam in diversis locis. Denique

Dico 4 : Quamvis agentia naturalia per se non sufficiant ad immutandum eodem modo corpus in diversis locis exsistens, magis tamen congruum, et rerum naturis magis consentaneum videtur, ut Deus supposito priori miraculo, suppleat causarum naturalium defectum, præbeatque concursum sufficientem, quo talis mutatio in omnibus locis eodem modo fiat; alioqui magna confusio et rerum perturbatio sequeretur, quæ non decet divinæ sapientiæ ordinem.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA NONA.

De absentia panis et vini ab hoc sacramento.

SECT. I. — *An de potentia absoluta potuerit Christus fieri realiter præsens in Eucharistia, substantia panis remanente.*

Dico 1 : Potuit Deus constituere vere et realiter præsentem Christum intra panem, conservata imo et manente immutata panis substantia : ita communiter theologi, Scotus, Durandus, Richardus, etc. Item potuit dare hanc præsentiam corpori Christi, ejusdem omnino rationis cum illa quam nunc habet, et cum omnibus intrinsecis ejus conditionibus, ita ut illam haberet non amittendo eam quam habet in cœlo, ac per eam esset totum in toto, et totum in qualibet panis parte, cumque intima ac inseparabili a pane distantia, ablata solum actione qua accidentia separantur a subjecto, vel etiam illa non ablata, si Deus vellet simul conservare præsentem panis substantiam accidentibus non unitam, quia neque ex parte termini *a quo*, neque ex parte termini *ad quem*, neque ex formali substantiarum repugnantia invenitur implicantia. Ob eamdem causam

Dico 2 : Potuit Christus fieri substantialiter præsens intra panem per actionem substantialem terminatam ad corporis Christi substantiam instar creationis vel conservationis ad quam talis præsentia consequatur. Eadem enim res potest duplici actione produci aut conservari; licet ergo corpus Christi supponatur alicubi exsistens una actione, potest idem alibi recipere *esse* per aliam actionem, quæ diceretur rei productio simpliciter, si alibi non exsisteret; ideo cum alibi jam exsistat, dicitur quasi conservatio, potest enim supernaturaliter res con-

servari per novam actionem sine prioris cessatione, quia idem effectus potest supernaturaliter simul produci a duabus causis totalibus, adeoque et duplici actione totali conservari : et sic substantia corporis Christi potuit hic præsens esse per modum productionis seu conservationis de novo factæ sine desitione substantiæ panis, quia res jam facta, et in uno loco exsistens, potest de novo constitui in alio per novam actionem, ad substantiale *esse* ipsius rei in tali loco conservatæ terminatam. Imo de potentia absoluta, potuit corpus Christi fieri præsens in hoc sacramento, conservata panis substantia, per actionem adductivam seu mutativam localiter, per quam acquiratur tantum præsentia illa realis, qua dicitur hic præsens; quia præsentia realis quam habet Christus in hoc sacramento, est modus realis et accidentalis ipsius corporis, sed hic modus est per se primo producibilis per actionem formaliter ad ipsum terminatam, quod patet in mutatione locali, quæ quotidie fit in corpore Christi sub speciebus jam exsistente ; ergo potuisset a principio constitui hic præsens per similem mutationem, non excludendo substantiam panis, quandoquidem cum illo nullam habeat necessariam aut formalem repugnantiam. Dum. D. Thomas ex sola corporis Christi præsentia in hoc sacramento, infert substantiæ panis absentiam, intelligit nullum esse hic admittendum miraculum quod non necessario contineatur in verbis quibus conficitur, et ex illis inferatur.

Sect. II. — *An de facto desinat susbtantia panis sub speciebus, post consecrationem.*

Dico 1 : Panis substantia non manet in hoc sacramento unita hypostatice Verbo Dei. De fide ; contra errorem Ruperti qui putatur docuisse manere substantialem panis naturam , non ejus suppositum, et hanc naturam hypostatice uniri Christo ; benigna tamen interpretatione potest dici quod intellexerit Christum esse factum non materialem, sed panem vitæ, assumendo panem non quoad substantiam, sed quoad speciem sensibilem, quam sibi aliquo modo univit. Probatur ergo assertio : vel illa unio facta esset immediate inter panis substantiam et Verbum, vel inter panis substantiam et corpus Christi. Neutrum dici potest ; ergo. Non primum, quia Verbum ita esset impanatum sicut fuit incarnatum, quod repugnat Scripturis et Patribus ; quis enim dicat Verbum tam vere ac proprie esse panem quam est homo, cumque in natura humana tantum semel incarnatum fuerit, in natura panis quotidie impanari ? Non etiam secundum, quia unio hypostatica non fit in natura, sed in persona seu subsistentia, in Christo autem abstracta Verbi substantia, nulla est subsistentia in humana ejus natura seu corpore ; ergo non potest immediate fieri in illa unio hypostatica.

Dico 2 : Substantia panis vel ejus suppositum nullo modo manet in hoc sacramento. De fide, contra multos Lutherianos, Joannem Huss., etc. Id definitum est in conciliis Lateranensi, Constantiensi, Romano, Florentino, Tridentino. Probatur etiam 1° ex Patribus Irenæo, Justino, Ambrosio, etc. ; ac maxime ex Augustino (*De corp. et sang. Christi*) sic : « Nec dubitare debet aliquis, quod panis et vinum mutentur in veram substantiam Christi, ita ut non remaneat substantia panis vel vini. » 2° Ex vi et proprietate verborum formæ : quia si maneret panis, finita consecratione, non posset vere dici hoc quod in manibus habeo *esse corpus Christi*, quia substantia panis, uti et quævis substantia, non est de se res apta nec usurpata ad continendam aliam substantiam. Ergo ex vi pronominis *hoc* absolute designatur id quod proxime sub panis accidentibus continetur, nempe corpus Christi, non autem panis substantia.

Quare negatur veritatem verborum Christi proprie posse subsistere, si panis substantia sub speciebus manere dicatur. Materialis enim panis non potest vere dici corpus Christi, neque ad hoc sufficit intima præsentia. Hoc autem sacramentum interdum vocatur panis, quia ex pane confectum est, et retinet sensibilem panis figuram ac usum ; cibat enim ac nutrit, et omnis cibus solidus in Scriptura *panis* vocatur. Dum Gelasius et Chrysostomus dicunt non desinere panis naturam, intelligunt naturam panis, quoad ejus effectus, quia adhuc nutrit ut antea. Interdum Patres comparant hoc sacramentum cum incarnatione ob quamdam analogiam ; quia sicut in Christo sunt duæ naturæ ex quibus constat, ita in Eucharistia sunt duæ res, scilicet corpus Christi et species panis, ex quibus aliquo modo inter se conjunctis divinus hic panis et sacramentum coalescit. Itaque natura panis perit, nec alibi in rerum natura manet.

Sect. III. — *An aliqua pars physica substantiæ panis et vini maneat sub speciebus consecratis.*

Dico 1 : Cum de fide sit facta consecratione solum manere accidentia panis et vini, sub quibus Christus continetur, ut testantur definitiones conciliorum Romani, Lateranensis, Florentini, Tridentini, etc., certum est secundum fidem post consecrationem non manere substantialem panis et vini formam, quia sola remanent accidentia ; et alias non esset integra transsubstantiatio. Posset ergo tantum dici manere forma artificialis, sed non substantialis.

Dico 2 : De fide est etiam post consecrationem non manere materiam panis, qua in re videtur olim errasse Durandus asserens contrarium, sed sine contumacia et cum subjectione ad Ecclesiam. Probatur ut ante, et quia hic accidentia manent sine subjecto. Contra autem omnium sensum ac doctrinam foret si quis diceret istam materiam alibi in rerum natura conservari.

Sect. IV. — *An post consecrationem maneat aliquis modus realis seu entitas metaphysica substantiæ panis.*

Dico 1 : In hoc sacramento non remanet subsistentia seu suppositalitas panis, contra Godefridum asserentem manere. Probatur, quia hæc subsistentia non est accidens : concilium autem Tridentinum dixit manere duntaxat accidentia ; et quamvis subsistentia distinguatur a natura, destructa tamen natura non potest illa subsistere. Atqui hic destruitur natura panis ; ergo et subsistentia.

Dico 2 : Post consecrationem non remanet substantialis exsistentia panis : ita communiter theologi, contra quosdam Thomistas supponentes exsistentiam esse distinctam ab essentia. Probatur : 1° tota substantia panis prout est in rerum natura destruitur seu non remanet; atqui ut sic necessario includit exsistentiam ; ergo hæc non remanet. 2° Sola accidentia remanent ; sed exsistentia non est accidens ; ergo, etc. 3° Impossibile est, ut pereat panis substantia et maneat ejus exsistentia ; perire enim, est amittere *esse* exsistentiæ.

Dico 3 : Post consecrationem sub *esse* corporis Christi, non manet eadem numero aliqua entitas vel substantia, quæ fuit panis. (D. Thomas, etc.) Probatur, quia tota panis substantia convertitur ; ergo aliqua ejus entitas non manet. Deinde remanent sola accidentia, ista autem entitas non est accidens ; et hinc sequeretur non esse idem corpus Christi in cœlo et in sacramento quoad entitatem vel substantiam suam, quod est contra fidem. Denique mutata rei essentia, non potest manere eadem numero entitas, individuum enim substantiæ quod post consecrationem incipit esse sub panis accidentibus, est omnino numero distinctum ab eo quod antea erat.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA.

De transitu seu conversione panis et vini in corpus Christi et sanguinem, quæ transsubstantiatio dicitur.

Sect. I, II. — *An sacramentum Eucharistiæ perficiatur per veram conversionem ac transsubstantiationem ; et quæ ad hanc sint necessaria.*

Dico 1 : Sacramentum Eucharistiæ conficitur per veram conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, seu per veram transsubstantiationem. De fide, contra Lutherum, Calvinum, etc. Probatur ex conciliis Lateranensi, Tridentino, et ex Patribus, Ambrosio, Cypriano, Augustino, Origene, Tertulliano, etc. Oportet enim ad Christi verborum veritatem, *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26), ut in fine illorum pronuntiationis, contentum sub speciebus jam non sit panis, sed corpus Christi ; ergo necesse est ut panis desierit, et vice illius corpus Christi successerit ; ergo facta est conversio unius in aliud, sicut dicit concilium Florentinum : « Substantia panis in corpus, substantia vini in sanguinem convertitur, » et sicut asserit Ecclesia ab apostolis edocta. Atque ad explicandum clarius istam conversionem totius substantiæ in totam substantiam, aptissimo, licet novo, nomine appellata est ab Ecclesia *transsubstantiatio*, ut ait concilium Tridentinum (sess. 13, c. 4).

Dico 2 : Ad veram conversionem et transsubstantiationem hæc requiruntur. 1° Ut sit inter duas res positivas, quarum altera habeat rationem termini *a quo*, et altera termini *ad quem ;* fit enim transitus ab una ad aliam. 2° Ut unus terminus ex quo fit conversio desinat aliquo modo esse, et alius, ad quem fit conversio, aliquo modo fiat seu incipiat esse. 3° Ut una ad minimum realis actio, et duæ partiales mutationes, aut quasi mutationes substantiales interveniant, id est, ut ex parte utriusque termini fiat aliqua mutatio, sive desitio, sive inceptio ; aut nova aliqua substantialis dependentia, ad ipsum *esse* substantiale aliquo modo terminata. 4° Ut terminus *a quo* et *ad quem*, seu mutatio unius et alterius habeant inter se aliquam connexionem et ordinem, ita ut una ex altera aliquo modo sequatur. 5° Ut præter terminos *a quo* et *ad quem*, sit aliquod tertium utrique termino commune, circa quod et termini formales sibi succedant, et aliquo modo repugnent, ac denique tota fiat conversio ; et si hæc conversio sit transsubstantiatio, requiritur insuper ut in tota substantia fiat commutatio et conversio in aliam substantiam.

Sect. III, IV. — *An in hac conversione interveniat vera et realis actio circa corpus Christi, et qualis ac quis formalis ejus terminus.*

Dico 1 : In hac conversione requiritur aliqua actio realis, qua corpus Christi sub speciebus panis constituatur, et sic dicitur hæc actio versari circa corpus Christi. Christum enim esse sub accidentibus panis et vini, est aliquis effectus realis qui antea non erat, et in ipso Christi corpore exsistens. Ergo necesse est, ut per aliquam actionem sit productus ; quæ actio non est proprie prolatio verborum consecrationis : hæc enim prolatio est naturalis et sensibilis, actio autem conversiva est supernaturalis et insensibilis, et pendet a prolatione verborum ut ab instrumento. Deinde hæc actio non est proprie in Deo, sed est aliquid creatum in ipso effectu, per quod a sua causa pendet ; et sicut in omni effectu productio activa et passiva reperitur, ita hic transsubstantiatio activa est effectio causæ efficientis, et passiva est conversio unius rei in aliam. Sed qualis sit hæc actio, et quis ejus terminus formalis, non consentiunt theologi. Quare

Dico 2 : Hujus actionis terminus non videtur esse præsentia corporis Christi, et ipsa actio, esse adductio istius corporis ad hunc locum, ut sentit Scotus et omnes Scotistæ ; nec etiam videtur esse unio corporis Christi cum speciebus sacramentalibus, ut volunt Soto, etc., sed probabilius juxta D. Thomam, Gabrielem, Bonaventuram, etc., proprius ac formalis terminus hujus actionis, qua fit transsubstantiatio, est ipsa corporis Christi substantia, quia verba consecrationis de facto dant ipsum *esse* substantiale corpori Christi, adeoque

habent veram actionem substantialem, quæ est per modum conservationis ; aliunde enim supponitur eadem res antea alibi exsistens, et sic ista actio dici posset esse sufficiens termini productio si alibi non exsisteret, sed nunc de facto habet tantum rationem conservationis ; atqui hic dicendi modus est valde consentaneus antiquis Patribus, qui ubique explicant hoc mysterium per verba quæ substantialem effectionem et actionem terminatam ad ipsam substantiam indicant ; v. gr. Cyprianus (*Serm. de cœna Domini*) dicit de Christo in Eucharistia : « Sanctissimum suum corpus creat ; » Ambrosius (lib. III *De sacram.*, cap. 4) : « De pane, » inquit, « fit corpus Christi ; » Bessarion (*De verb. consecrat.*) : « Tota, » inquit, « Trinitas hoc corpus altaris creat. » Probatur ratione : Quia per solam actionem adductivam non explicatur vera conversio substantialis et transsubstantiatio, sed solum translatio quædam ; de fide autem est fieri veram conversionem. Deinde sola actio substantialis, qua Christi corpus in cœlo conservatur, non videtur sufficiens ad illud conservandum prout est in sacramento modo præternaturali, quia unaquæque res, ut conservetur absque modo naturali, requirit majorem influxum causæ efficientis : hæc enim debet supplere sua efficacia defectum modi naturalis ; si ergo mutatur influxus causæ efficientis, mutatur etiam actio.

Objicies 1 : Sola actio substantialis sine adductiva non constituit corpus Christi ut præsens sub speciebus, sed tantum constituit illud præcise secundum se, seu attingit tantum ejus substantiam secundum se, non præsentiam ; ergo præter illam requiritur adductiva. Respondeo : Nego antecedens. Sicut enim quando creatum est cœlum, ex vi talis actionis cœlum positum est in tali loco vel spatio sine adductione, quia adductio connotat rem adductam alibi præexsistere, ita corpus Christi ex vi actionis substantialis ponitur in Eucharistia sine actione adductiva.

Obj. 2 : Si corpus Christi constituatur hic per actionem productivam, ergo etiam hic per eam constitueretur, licet alibi non præexsisteret, quod falsum est ; et cum alibi præexsistat, signum est potius esse adductionem quam productionem. Respondeo : Nego assumptum ; quia Christus sic instituit hoc sacramentum, ut actio qua fieret, penderet ab ipsius corpore in propria specie exsistente, ideoque illa actio esse non potest secundum præsentem institutionem, si corpus illud in propria specie non præexsistat ; nec est adductio, sed productio ob jam dictas rationes.

Obj. 3. Ergo *idem* corpus substantialiter efficeret seu conservaret seipsum, quod est contra philosophiæ principia ; si enim idem efficeret seipsum, esset antequam fieret. Respondeo : Distinguo illatum. Idem conficeret seu conservaret seipsum secundum primam rationem exsistendi, vel secundum primum influxum causæ efficientis, per quam sufficienter constituitur vel conservatur in rerum natura. Nego illatum ; idem jam exsistens efficeret iterum seu conservaret seipsum per actionem diversam ab actione qua primum facta est, concedo assumptum. Eadem enim res ut jam facta, potest esse instrumentum ad hanc subsequentem actionem, cum possit Deus illa ut instrumento uti ad hoc efficiendum.

Sect. V. VI. — *An per dictam actionem fiat mutatio in corpore Christi, et panis desinat esse.*

Dico 1 : Certum est per hanc actionem non fieri ullam in corpore Christi prout exsistente in cœlo mutationem, nec enim locum, nec quid aliud amittit (et fortasse id intelligunt auctores, qui dicunt nullam in corpore Christi fieri mutationem) ; sed etiam certum est in illo fieri aliquam mutationem late sumptam, quia in suo esse substantiali acquirit aliquam dependentiam et novam præsentiam realem quam ante non habebat : non est tamen mutatio proprie dicta, sed solum quædam dependentia, nec etiam proprie mutatio localis, sed sola præsentiæ actionem concomitantis acquisitio. Sicut dum res creatur, acquirit simul locum seu præsentiam, quæ acquisitio non dicitur mutatio localis, quia non per se ac proprie facit ut res aliter quam ante exsistat in loco ; sed simpliciter constituit rem in loco : ita hic in Eucharistia. Unde quamvis ista actio possit aliquo modo dici creatio, quia hic influxus substantialis habet in sua substantia quidquid habet influxus creativus, proprie tamen vocanda est conservatio aut transsubstantiatio, quia creatio nullo modo præsupponit rem positivam ex qua, vel circa quam, vel sub qua fiat, sed solum causam agentem ; transsubstantiatio autem præsupponit corpus Christi, id est rem positivam ex qua et sub qua fiat, ita ut verba consecrativa non habeant virtutem ad efficiendum alio modo istud corpus.

Dico 2 : Probabilius panis substantia desinit esse ex vi alicujus actionis positivæ : D. Thomas, etc., contra Scotum, Gabrielem, etc., dicentes illam non desinere per ullam actionem positivam, sed solum ex pacto et voluntate Dei, qui statuit non conservare panis substantiam statim atque corpus Christi sub speciebus panis constitueretur. Quænam autem sit ista actio, statim dicetur. Unde contra Cajetanum, Sotum, etc., non destruitur etiam substantia panis per eamdem omnino actionem, per quam introducitur corpus Christi sub speciebus ; actio enim effectiva unius, non est physice et intrinsece destructiva alterius, sed per aliam distinctam, nempe per realem actionem, per quam accidentia separantur a substantia panis, et per se constituuntur. Quando enim accidentia panis separantur a subjecto, non solum privantur inhærentia, sed etiam accipiunt positivum modum per se exsistendi. Hæc ergo actio per se primo efficit in istis accidentibus ejusmodi modum, qui formaliter repugnat cum actuali inhærentia et unione accidentium in subjecto, ideoque ex vi illius ab eo separantur. Vel etiam potest dici quod ista actio terminetur solum ad conservandam absolute et sine dependentia a

subjecto entitatem ipsorum accidentium per modum creationis, licet in illis nullum positivum modum superaddat. Separatis autem a substantia accidentibus, statim illa ex natura rei desinit esse, quia remotis accidentibus tolluntur dispositiones necessariæ ad conservandam substantialis formæ unionem cum materia; ideoque statim solvitur illa unio, ac proinde desinit esse forma substantialis quæ a materia pendebat; et quia hæc actio non est talis, ut per eam introducatur alia dispositio, vel forma in materiam, consequenter fit etiam desitio ipsius materiæ, quæ sine forma naturaliter esse non potest; uti etiam non potest naturaliter conservari sine quantitate, qua privatur per dictam actionem.

Sect. VII. — *An substantia panis annihiletur.*

Dico : Probabilius est panem non annihilari : D. Thomas Magister, Bonaventura, Richardus, etc., contra Gabrielem, Angelum, Durandum, etc., contrarium asserentes. Prætermissis variis aliorum rationibus, probatur 1° quia panis non desinit per meram Dei concursus suspensionem, sed ex vi actionis positivæ et physicæ supra explicatæ; est enim, juxta D. Thomam, contra rationem annihilationis, ut fiat per actionem positivam, quia hæc necessario terminatur ad terminum; et si ex illa sequitur alicujus rei desitio, non potest omnino destrui totum id, quod ad istam actionem supponitur. 2° Quia desinit panis substantia per actionem, per quam ab illo separantur accidentia; ergo ex vi actionis non destruitur per se primo substantia ut totum quoddam est; sed destruitur compositum ex substantia et accidentibus; ideoque illa substantia desinit quidem esse, sed non annihilatur, quia non desinit ut totum quoddam per se, sed ut quædam pars illius compositi, manente alio extremo in rerum natura quod est veluti istius actionis subjectum. Unde panis non dicitur annihilari, quia aliquid ejus manet, nempe accidentia, et si quis velit istam panis substantiæ desitionem vocare annihilationem erit impropria locutio.

Sect. VIII, IX. — *An prædicta actio et substantiæ panis desitio sufficiant ad rationem conversionis; et de ea quomodo loquendum sit.*

Dico 1 : Ista duo probabiliter sufficiunt ad veræ conversionis rationem, quia licet ista actio non sit ex natura rei connexa cum actione effectiva præsentiæ corporis Christi, sufficit tamen quod ex lege et pacto Dei illæ duæ simul connectantur; idque in rebus supernaturalibus ac miraculosis sufficit ad veram conversionem, ad quam satis est, ut una ad alteram ordinetur, et ob unam altera fiat ex intentione agentis, rerum naturis magis consentanea. Deinde ad rationem conversionis non est opus ut effectio unius termini et destructio alterius conjungantur ob formalem terminorum secundum se repugnantiam, sed satis est ut ratione agentis necessario conjungantur, etc.

Dico 2 : Circa modum loquendi de isto sacramento, hæc sint : 1° propositiones significantes successionem terminorum aut transitum unius in alium, sunt veræ ac propriæ : v. gr. *Ex pane fit corpus, panis convertitur in corpus,* etc. 2° Quæ autem denotant materialem causam, utrique termino communem, impropriæ sunt, et in rigore falsæ : v. gr. *Panis fit caro, vinum fit sanguis,* etc. 3° Propositiones in quibus id, quod erat ante consecrationem, affirmatur de corpore Christi, aut significatur aliquid utrique termino commune manere, ut sint veræ, non debent sumi pro re individua, sed abstractive pro re contenta sub accidentibus panis aut vini : v. gr. *Panis et vinum post consecrationem sunt verum corpus et sanguis Christi.*

Sect. X. — *An quodlibet possit in quodlibet converti.*

Dico 1 : Conversio formalis vel materialis proprie non potest esse inter res simplices, vel inter rem simplicem et compositam; quia conversio essentialiter postulat in utroque extremo compositionem ex materia et forma, proportionatam conversioni. Deinde ut fieri possit formalis conversio seu ex parte formæ inter res compositas, duæ conditiones, etiam de potentia Dei absoluta, debent concurrere : 1° ut una forma ita cum alia pugnet, ut ad introductionem unius altera excludatur; 2° ut subjectum sit capax utriusque formæ, saltem capacitate obedientiali. Similiter ut fieri possit conversio materialis seu ex parte subjecti, duæ etiam conditiones requiruntur : 1° ut fiat inter composita ex subjecto et forma realiter distincta; 2° ut forma sub qua fit conversio, apta sit utrumque subjectum afficere, sive utrumque subjectum sit capax talis formæ. Hinc,

Dico 2 : Quælibet res exsistens sub accidentibus realiter a se distinctis, si ab illis in suo esse non pendeat, potest converti in aliam, quæ loco illius sub eisdem accidentibus constituatur ac fiat, ut patet in mysterio Eucharistiæ; si autem aliqua res omnino destruatur, ita ut nihil amplius illius remaneat, id est, nec substantia nec accidens, non potest proprie in aliam converti : tunc enim erit tantum annihilatio unius substantiæ, et creatio alterius. Unde non potest una res in alteram converti, quin res, in quam fit conversio, succedat in præsentia rei conversæ, ita ut ibi fiat præsens, ubi alia res erat. Itaque quælibet creatura potest in aliam converti, non quidem omni conversionis genere, sed uno vel altero, unicuique rei accommodato pro cujusque diversitate.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De iis, quæ sub singulis Eucharistiæ speciebus exstant.

Sect. I, II. — *An tota Christi substantia, ejusque corporis quantitas cum reliquis accidentibus exstet in Eucharistia.*

Dico 1 : Totus Christus, totaque ejus substantia est in hoc sacramento, et sub singulis ejus speciebus. De fide. Probatur 1° ex Scriptura : *Qui manducat me, vivet propter me* (*Joan.* VI, 58). *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Ibid.* 51). 2° Ex

conciliis Basileensi, Constantiensi, Florentino, Tridentino, id definientibus. 3° Non decuit gloriosum Christi corpus alicubi esse exanime, aut sine unione cum Verbo, aut cum defectu seu carentia aliquarum ejus partium integrantium.

Dico 2 : Corpus Christi in Eucharistia præsentem habet suam quantitatem qua afficitur, et quia vere ibi constituitur quantum. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Scotus, etc.) Probatur 1° : Contra Ockam et Nominales. Hi enim vel non distinguunt quantitatem ab ipsa substantia, ergo cum ipsa substantia sit ibi, etiam est quantitas ; vel dicunt quantitatem esse aliquem substantiæ modum quo habet actualem extensionem localem, ergo quotiescunque mutabit substantia locum, mutabit quantitatem ; quod est absurdum. Probatur 2° : Contra Durandum ponentem quantitatem realiter distinctam a materia, et negantem in Eucharistia esse præsentem, volentemque solam ac nudam materiæ substantiam anima informatam ibi reperiri. Substantia corporis Christi ita est realiter conjuncta suæ quantitati, ut ab ea nullibi unquam separetur, cum igitur in Eucharistia sit substantia, etiam ibi est quantitas : alioqui in corpore Christi, prout est in sacramento, nulla esset partium organicarum distinctio, illudque compositum ex anima et materia nuda sine quantitate, vel nullas haberet partes, vel omnes illas haberet quasi homogeneas, et omnino similes, quia seclusa quantitate et proprietatibus quæ illam necessario supponunt, non potest intelligi in corpore diversitas partium organicarum.

Sect. III. — *An caro et sanguis Christi ex vi verborum, an vero per concomitantiam ponantur sub speciebus sacramentalibus.*

Nota : Id dicitur poni in Eucharistia ex vi verborum, cujus præsentia necessaria est ad verborum veritatem, sive id quod per verba præcise significatur. Dicitur autem poni per concomitantiam, quidquid habet realem unionem cum eo, quod est necessarium ad verborum veritatem ; non vero quia istud simpliciter est necessarium ad veritatem. Hinc

Dico 1 : Sub speciebus panis, corpus, et sub speciebus vini, sanguis Christi ponitur ex vi verborum. De fide. Definitum est in concilio Tridentino. Unde totum ejus integrum et perfectum corpus prout est in cœlo, et totus sanguis ponitur vi verborum, quia verba formæ qua panis et vinum consecratur, nihil aliud immediatius significant quam corpus et sanguinem Christi, nihilque aliud ad suam veritatem requirunt.

Dico 2 : Nec corpus Christi sub specie vini, nec sanguis sub specie panis ponitur ex vi verborum ; quia neque verba consecrationis panis quidquam dicunt de sanguine, neque verba consecrationis vini quidquam de corpore. Ut enim effusio sanguinis, et separatio animæ a corpore in passione facta expressius repræsentaretur, voluit Christus corpus et sanguinem suum ex vi verborum seorsim consecrari ; quia autem ista separatio jam non potest haberi, decuit saltem in modo et vi consecrationis repræsentari. Attamen de fide est per concomitantiam esse et corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis. Unde ad id comprobandum interdum sanguis miraculose ex hostia manavit. Hæc autem concomitantia consistit in naturali dependentia, quam corpus vivum et sanguis habent inter se ita ut neque corpus possit in suo naturali statu conservari sine sanguine, neque sanguis extra corpus perstare incorruptus, et in suo naturali statu.

Sect. IV. — *An ex vi verborum sit in hoc sacramento substantialis aliqua forma.*

Dico 1 : In hoc sacramento ex vi verborum est forma substantialis, et non sola materia : ex propria enim verborum significatione ponitur corpus substantiale ; corpus autem substantiale non est sola materia, sed compositum aliquo modo ex materia et forma. Vi tamen verborum anima prout est anima, non ponitur hic determinate seu definite ; quia vi verborum non ponitur corpus quatenus vivum, sed corpus ut sic. Nam si fuisset facta consecratio in triduo mortis Christi, non fuisset positum corpus vivum. Hinc

Dico 2 : Ex vi verborum ponitur hic forma substantialis, prout est sufficiens ad constituendum corpus organicum humanum. Hæc ergo forma non ponitur ut est forma corporeitatis præcise, quia ut sic abstrahit ab organica vel non organica ; nec ut est forma organici corporis præcise, quia ut sic, abstrahit ab humana vel non humana ; sed ponitur ut forma corporis humani organici præcise, abstrahendo a vivo vel mortuo, ita ut ex vi sui conceptus præscindat ab anima et forma cadaveris humani ; utraque enim propriam et corpori humano accommodatam requirit organisationem. In re tamen ponitur semper vel anima vel forma cadaveris.

Objicies 1 : Corpus Christi cum forma panis non significat compositum, sed partem physicam compositi ; ergo ex vi illius formæ solum fit in sacramento illud corpus quod est pars physica et essentialis humanitatis ; hoc autem nullam includit formam, sed solum materiam, et sufficit ad propriam illius formæ significationem ; ergo. Respondeo : Nego consequens. Sola enim materia non sufficit ad propriam verborum consecrationis significationem et veritatem ; quia sola materia non est corpus *nisi* includat formam saltem sub aliquo gradu seu consideratione, nec corpus in triduo mortis fuit sine forma.

Obj. 2 : Nulla forma substantialis potest hic esse ex vi verborum ; ergo. Respondeo : Nego antecedens. Christus enim dedit verbis consecratoriis virtutem perficiendi veritatem quam significant, adeoque et efficiendi omne id, sine quo res significata perfici non potest ; quia vero verba consecratoria tantum significant corpus ratione quadam de se indifferenti, ideo sub ista ratione tantum dicitur corpus esse in sacramento ex vi verborum ; tamen quia in re fieri

non potest nisi secundum rationem specificam, ideo activa verborum virtus etiam ad hanc efficiendam, sine qua non potest haberi corpus a parte rei, ac proinde nec verborum veritas, extenditur; et sic ista corporis forma ponitur vi efficientiæ, non vi significationis verborum præcise.

Obj. 3 : Ergo vi verborum non erit semper idem numero, vel etiam specie, corpus sub speciebus panis contra vim vocis *meum*, quæ designat singulare et individuum corpus, quia non semper specifica eadem forma constituitur. Respondeo : Distinguo illatum. Non erit semper idem numero corpus ex parte suppositi, materiæ et quantitatis, nego; ex parte formæ, concedo. Hoc autem sufficit ut humano modo dicatur idem numero corpus. Vis enim verborum consecrationis spectata in actu primo habet pro objecto adæquato corpus constans ex materia et forma sufficiente ad constituendum corpus humanum, et sic terminatur ad corporis formam quasi abstractive sumptam; at vero in actu secundo actio verborum semper determinatur ad efficiendam hanc vel istam formam in particulari, quia actiones sunt semper singularium. Unde est semper idem numero corpus ex parte materiæ et quantitatis, quamvis vivum et mortuum habeat diversam formam; atque idem cum proportione dic de forma sanguinis.

Sect. V, VI. — *An quantitas et accidentia humanitatis Christi, divinitas, Verbum, aut aliæ personæ sint in Eucharistia ex vi verborum, an vero ver concomitantiam.*

Dico 1 : Quantitas et reliqua accidentia, quæ quantitatem consequuntur, vel disponunt materiam ad hanc formam, sunt in Eucharistia, non ex vi verborum, sed per concomitantiam; quia transsubstantiatio quæ fit ex vi verborum, non terminatur ad quantitatem vel ad alia accidentia, sed ad solam substantiam; sola enim substantia panis et non quantitas convertitur. Quantitas ergo humanitatis Christi et accidentia quamvis sint de ratione corporis organici ut organicum est, non sunt tamen de substantia illius corporis simpliciter, sed sunt proprietas vel sunt dispositio tali substantiæ debita; ideoque non oportet ut hic sint ex vi verborum, per se ac formaliter solam substantiam, significantium, sicut illam tantum per se primo efficiunt. Hæc tamen verba quasi concomitanter possunt dici significare etiam accidentia; quatenus illa sunt tali corpori necessaria, ut possit exsistere in rerum natura cum tali *esse* substantiali. Quapropter quamvis hæc accidentia intrinseca proprie non dicantur hic esse ex vi verborum, dici tamen possunt necessitate quadam consequi ex veritate et proprietate istorum verborum.

Dico 2 : Quamvis de fide sit Verbum totumque Christum exsistere in Eucharistia, non videtur tamen ipsa corporis Christi unio cum Verbo ibi poni ex vi verborum, sed tantum per concomitantiam, non quia non possit sic poni. Si enim Christus voluisset per hæc verba consecrare : *Hoc est corpus Verbo unitum*, sive, *hoc est Christus*, tunc ex vi talium verborum poneretur unio corporis aut humanitatis cum Verbo, seu totus Christus, quia ista verba formaliter id significarent; sed quia verba, quibus de facto Christus consecravit, unionem cum Verbo formaliter non significant, ideo ponitur tantum per concomitantiam, ac proinde Verbum etiam sic ponitur; et utrumque per actionem diversam ab actione qua ponitur ex vi verborum ipsa corporis substantia, non ut subsistens substantia Verbi, sed præcise ut pars naturæ seu humanitatis subsistentis. Cumque Verbum intime et essentialiter includat naturam divinam, ipsa ergo natura divina seu Divinitas etiam hic ponitur per concomitantiam. Deinde quia Pater et Spiritus sanctus mediante natura divina ita naturalem habent connexionem cum persona Verbi, ut necessario sint, ubi illa est, ideo per concomitantiam etiam, sed magis mediatam, exsistunt in Eucharistia.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De iis quæ exsistunt sub singulis partibus specierum panis et vini.

Sect. I, II. — *An totus Christus sit sub singulis specierum partibus tum divisis, tum inter se continuis.*

Dico 1 : Non tantum totus Christus in singulis hostiis quæ per unicam verborum formæ prolationem consecrantur, exsistit, sed etiam in singulis hostiarum aut hostiæ post consecrationem divisæ partibus totus remanet. De fide, ex conc. Tridentino, sess. 13, can. 13, etc. Probatur, quia post hujusmodi divisionem et separationem factam, illæ partes adhuc remanent consecratæ, adeoque et totus Christus sub illis; etiamsi foret pars minima, modo sub ea posset naturaliter conservari panis aut vini substantia.

Dico 2 : Christus in quibuslibet hostiæ consecratæ non divisæ partibus quantumvis exiguis totus exsistit. D. Thomas, Scotus, Richardus, Gabriel, etc. Probatur, quia post divisionem Christus est totus in singulis partibus; ergo etiam ante divisionem in illis erat. Quamvis autem divisio procedat in infinitum, semper totus Christus erit in singulis quibuslibet partibus divisis, ergo etiam ante divisionem totus Christus est in singulis partibus quæ in infinitum dividi possunt. Verba enim consecrationis tam cadunt in totam hanc materiam, quam in quamlibet ejus partem, et vi sua illam convertunt in corpus Christi, nempe æque totum ac quamlibet partem; ergo corpus Christi totum est in tota illa materia, et in qualibet ejus parte.

Objicies 1 : Christus ante divisionem specierum, ait Albertus, est totus in toto, et non in singulis partibus; post vero divisionem, est etiam totus in singulis partibus: quia ante divisionem solum significatur Christus per species continuas ad modum cibi unius; et ideo est tantum semel sub illis. Post divisionem vero significatur ut plures cibi, ideoque

oportet ut pluries etiam sit sub talibus speciebus. Respondeo: Licet per species continuas significetur seu repræsentetur Christus ad modum cibi unius, non tamen ut extensus, sed ut indifferenter exsistens in toto et in partibus. Neque enim cibi unitas huic modo præsentiæ repugnat; sicut unitas humani corporis indicat unam animam, non tamen ut extensam, ita specierum unitas Christum.

Obj. 2 : Si Christus sit in singulis specierum partibus etiam minimis, erit infinities in hoc sacramento. Respondeo : Distinguo assumptum. Erit infinities in actu, nego assumptum; infinities in potentia, concedo. Christus sub tota specierum quantitate est semel in actu, sed in singulis partibus est infinities in potentia; quia sicut partes continui sunt infinitæ syncategorematice, ita et partiales præsentiæ possunt esse infinitæ. Vocatur autem hæc infinitas in potentia, non quia totus Christus non sit revera actu præsens singulis partibus, sed quia partiales illæ præsentiæ, licet sint totales ex parte subjecti, sunt tamen partiales ex parte spatii seu quantitatis panis, et actu sunt inter se unitæ, unamque præsentiam integram componunt.

Sect. III. — *An totum corpus Christi sit in punctis indivisibilibus specierum panis.*

Dico : Totum Christi corpus et sanguis est intrinsece et realiter in omnibus terminis et punctis indivisibilibus, quantitatem specierum sacramentalium terminantibus et continuantibus, non quidem per se primo et adæquate, sed necessaria consecutione (Capreolus, et Sotus); quia sicut angelus est totus intrinsece præsens in singulis punctis illius spatii seu loci continui quem occupat, ita corpus Christi continue præsens toti panis quantitati, est totum intrinsece et realiter præsens omnibus istius quantitatis terminis et punctis. Non est autem impossibile corpus quantum in indivisibili loco collocari, uti ostensum est in disputatione quadragesima octava.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

De iis quæ Christus agere aut pati potest prout est in hoc sacramento.

Sect. I, II. — *An corpus Christi prout est in Eucharistia, possit localiter moveri; aut aliam actionem physicam efficere vel recipere.*

Dico 1 : Corpus Christi exsistens in Eucharistia mutari potest secundum localem præsentiam mutatione propria et in ipso Christi corpore recepta, ut ostensum est in disputatione quadragesima septima. Potest etiam per se moveri localiter a Deo, de potentia absoluta vel transferendo illud sine speciebus in alium locum, vel per se primo imprimendo illi motum cum specierum attractione. Sed non potest naturaliter moveri locali motu ab interna naturali propriæ animæ virtute, sive per se sive per accidens : quia non potest anima movere corpus suum nisi per membra organica, quibus non potest uti prout sunt in hoc sacramento; naturalis enim horum membrorum motus requirit eorum extensionem in loco, ita ut in diversis partialibus locis exsistant, et unum impellat aliud. Membra autem corporis Christi in hoc sacramento non sic exsistunt. Atque ita si anima non potest movere per se suum corpus, multo minus per accidens, movendo species sacramentales, quas physice non tangit. Dixi *naturaliter;* quia si anima Christi spectetur ut Verbi instrumentum, et per virtutem miraculorum effectricem operetur, potest illud per se movere vel deferendo secum species, vel illas deserendo.

Dico 2 : Corpus Christi in Eucharistia exsistens non potest naturaliter per se moveri ab agente extrinseco naturali, id est primario motum illi imprimendo, et non per species; quia agens corporale non potest illud tangere aut alterare, nec angelus probabiliter ejus præsentiam mutare. Sed potest per accidens moveri ab eo qui localiter potest mutare species sacramentales, quæ motæ secum trahunt et deferunt corpus Christi ob sacramentalem cum illo conjunctionem. Hinc sacerdos in altari elevat corpus Christi, defert ad ægrotos, etc.

Dico 3 : Corpus Christi prout in nocte cœnæ fuit sub speciebus sacramentalibus constitutum, nil pati potest ab extrinsecis agentibus, sola naturali virtute operantibus ; quia corporea non patiuntur naturaliter nisi per quantitatem, et agentia naturalia non agunt immediate in substantiam, sed in quantitatem. Corpus autem Christi hic supplet vicem substantiæ panis, ideoque quantitas corporis Christi est etiam per modum substantiæ. Unde mediante tantum panis quantitate subjicitur externorum agentium actionibus, quæ tantum possunt agere in quantitatem panis, non vero in corpus Christi et in ejus quantitatem immediate et secundum se. Deinde quia agentia naturalia agunt per contactum, ideo ad patiendum requiritur connaturalis et quantitativus exsistendi in loco modus, qualem non habet hic corpus Christi. Atque hinc probabile est corpus Christi non posse etiam naturaliter habere actionem transeuntem in extrinsecum corpus, quia non occupat locum extenso modo. D. Thomas, Scotus, Richardus, etc., contra Ockam, Gabrielem, etc., requirentes tantum ad agendum et patiendum localem præsentiam et propinquitatem inter agens et passum ; quod certe de actione corporis Christi posset fortasse probabiliter asseri.

Sect. III. — *An Christus in hoc sacramento possit virtute naturali actus immanentes exercere.*

Dico 1 : Christus ut est in hoc sacramento, non potest naturaliter exercere actus sensuum externorum, v. gr. videre, audire, etc. D. Thomas, Scotus, Ægidius, etc., contra Nominales, Ockam, Gabrielem, etc. Probatur, quia sensus Christi hic exsistentis non possunt ab objectis externis recipere species, utpote natura sua postulantes extensionem in ordine ad locum, et ipse sensus requirit modum extensum et divisibilem ut operari possit. Attamen de potentia absoluta nihil repugnat quo-

minus externi Christi sensus hic exerceant suas operationes, Deo per se, vel conferente species objectorum, vel objecta elevante ad illas dandas; neque est improbabile id fieri nunc circa propinqua objecta. Idem dic quoad potentiam absolutam de sensibus externis. Sed

Dico 2 : Quamvis interni Christi sensus sint phantasmatibus seu speciebus constituti in actu primo, non possunt tamen illis uti, neque elicere actum secundum; quia cum hi sint materiales, non possunt fieri nisi a principio materiali extenso, et habente exsistendi modum quantitativum et extensum, adeoque in subjecto eodem modo exsistente : quæ omnia deficiunt in sacramentali corporis Christi exsistentia. Idem dic de humano Christi intellectu hic sacramentaliter exsistente; nam, ut sic, non potest naturaliter novas species acquirere, utpote quæ acquiruntur per sensus. Corpus autem ibi non potest uti sensibus, nec etiam potest secluso miraculo seu supernaturali privilegio, uti speciebus prius acquisitis; quia non potest naturaliter uti illis nisi cum conversione ad phantasma, id est, nisi phantasia cum intellectu cooperetur. In eo autem statu non potest esse usus phantasmatum, ut jam dictum est; ergo neque intelligibilia recipi. Aliud est de speciebus per se infusis, quibus intellectus potest uti sine conversione ad phantasmata.

Sect. IV. — *An corpus Christi prout est in Eucharistia, possit naturaliter videri oculo corporeo.*

Dico 1 : Modus, quo hic exsistit corpus Christi, est omnino invisibilis oculo corporeo, non solum naturaliter sed etiam de potentia absoluta, quia non est intra latitudinem objecti adæquati visus; nec enim per se primo videri potest, cum non sit color nec lux; nec videri per accidens, cum non sit forma quæ subjectetur in re visibili; nec videri ut quid sensibile commune, cum sit extra latitudinem sensibilis communis. Est contra Ockam, Gabrielem, et alios Nominales dicentes corpus Christi cum modo suo sacramentali posse quidem naturaliter videri oculo corporeo, sed nunc a Deo impediri propter fidem; quia juxta illos, vel non requiruntur species ad videndum, vel Christi corpus potest illas efficere. Hinc insuper

Dico 2 : Corpus Christi in Eucharistia exsistens, præciso etiam modo non potest naturaliter videri oculo corporeo, quia non potest emittere visibilem sui speciem, et objectum videri nequit, non viso ejus præsentiæ modo. Imo probabile est etiam de potentia absoluta non posse sic videri, quia si oculus a Deo elevatus videat Christi corpus, videt illud ut sub speciebus præsens, ergo videt præsentiam quam sub illis habet; nec potest per hanc visionem videri corpus abstrahendo a loco specierum, quia actus videndi intrinsece est visio intuitiva, aut per modum intuitionis, tendens in rem ut actu aliter exsistentem et sub conditionibus exsistendi. Præterea hinc constat Christum, prout est in Eucharistia, nullo etiam sensu interno posse percipi, sed tantum modo quodam quantitativo fingi. Denique negatur corpus Christi tali modo exsistens esse objectum visibile; nec sufficit esse coloratum, nisi exsistat modo visioni accommodato. Dum D. Thomas dicit Christum in sacramento videre seipsum, vult dicere quod Christus prout est in sacramento, videt seipsum in cœlo sub propria specie exsistentem; quia enim in cœlo habet visionem sui, ista visio in sacramento per concomitantiam ponitur.

Sect. V. — *An Christus prout est in hoc sacramento, possit cognosci ab intellectu creato.*

Dico 1 : Non tantum per fidem divinam et supernaturalem, sed etiam per humanam et naturalem potest ab intellectu creato cognosci hoc mysterium, ut liquet; sic etiam cognosci potest per visionem beatificam, aut per aliam supernaturalem scientiam per se infusam.

Dico 2 : Corpus Christi in sacramento non potest evidenter cognosci lumine naturali, cognitione abstractiva per signa vel effectus, quod patet de intellectu humano corpori conjuncto : accipit enim cognitionem per sensus. Nullus autem sensibilis effectus ex sacramentali corporis Christi præsentia oritur, ex quo vel ejus præsentia seu exsistentia, vel panis absentia, vel accidentium subsistentia probabiliter colligi possit, modo minus evidenter. Imo id etiam verum est de intellectu angelico : licet enim naturaliter cognoscat ibi non esse subsistentiam panis, non tamen evidenter, quia potest cogitare se divinitus impediri, ne illam videat, aut Deum non concurrere secum ad eam videndam, maxime cum nullum appareat desitionis istius substantiæ principium, et evidenter videantur sufficientes ad illam conservandam dispositiones ac causæ. Unde non potest cognitione indirecta ac evidenti naturaliter cognoscere ibi esse corpus Christi loco panis substantiæ. Quoad autem cognitionem directam per propriam speciem, et per lumen naturale, sic respondeo :

Dico 3 : Intellectus creatus non potest virtute naturali videre modum exsistendi, quem corpus Christi habet in sacramento, adeoque nec intueri corpus Christi ut est sub speciebus, seu cognoscere clare quod ibi sit (hæc enim omnia sunt inter se connexa) : quia ille modus essentialiter nihil est aliud quam præsentia, quam corpus Christi hic habet, seu ratio exsistendi hic; adeoque nisi modus ipse videatur, non potest corpus clare videri sub speciebus exsistere. D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Soto, etc., contra Scotum, Ockam, etc, dicentes posse angelum virtute naturali per species naturales cognoscere evidenter et in se hoc mysterium intuendo corpus Christi sub speciebus, et modum exsistendi quem ibi habet. Sed probatur, quia intellectus angelicus non habet congenitam speciem illius modi, quo Christus exsistit in hoc sacramento : ille enim modus est supernaturalis

simpliciter, et angelus habet tantum species rerum ad naturæ ordinem pertinentium; aliud est de anima Christi sub speciebus sacramentalibus existenti, quam probabiliter potest videre quoad ejus substantiam, exsistentiam et localem præsentiam, non autem quoad modum exsistendi, uti nec modum exsistentiæ corporis Christi. Si autem fingeremus corpus Christi amittere omnino naturalem præsentiam, sacramentali conservata, tunc, juxta Scotum, posset angelus, non ratione sacramentalis præsentiæ, sed per alium actum naturalem percipere corpus Christi adhuc in rerum natura exsistere, quamvis ipse non videret ubi esset.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

De modo quo Christus desinit esse sub speciebus sacramentalibus.

Sect. I. — *An corpus Christi cum in Eucharistia esse desinit, mutetur vel acquirendo vel amittendo aliquid.*

Dico 1 : Corpus Christi non desinit esse sub speciebus sine aliqua mutatione in ipso facta quia præsentia realis est aliquid in corpore Christi tanquam subjecto, quod intrinsece afficit, amittit autem hanc præsentiam, ergo amittit aliquem realem modum se intrinsece afficientem, adeoque mutatur; deinde in corpore Christi mutatur relatio propinquitatis vel distantiæ ad alia corpora, nulla facta in terminis mutatione.

Dico 2 : Christus per hanc mutationem nihil omnino acquirit, sed tantum præsentiam sacramentalem seu *ubi* sacramentale amittit, nullum novum *ubi* acquirendo, quia *ubi* quod in cœlo habet, remanet idem; adeoque hæc mutatio est tantum mutatio loci privativa, non acquisitiva, sicut angelus qui partem sui loci adæquati relinquit, et manet in alia ejusdem parte, nihil acquirit, sed tantum perdit.

Sect. II, III. — *An Christo desinente esse sub speciebus sacramentalibus, semper aliqua, et quomodo substantia succedat.*

Dico 1 : Nunquam Christus deserit sacramentales species, nisi quando ibi succedit alia substantia in qua quantitas subjectetur, sive eadem sit quæ prius erat sustentans accidentia, sive alia similis; recedente tamen Christo, nunquam succedit substantia panis aut vini, sed semper aliqua alia, quia Christus non recedit donec fiat talis alteratio in accidentibus quæ ad corrumpendum panem vel vinum sufficeret. Cum autem alteratio corrumpens substantiam panis, non sit dispositio ad alterius panis generationem, sed ad aliam substantiam generandam, cui talia accidentia sunt connaturalia, hæc ergo substantia corpori Christi succedit, non panis substantia, nisi Deus vellet per miraculum eam ibi reponere. Deinde si quis diceret recedere Christum statim atque est in os sumentis, antequam deglutiatur, esset hæreticus, quia Christus sic non manducaretur contra Scripturam dicentem : *Accipite et manducate*, etc. (*Matth.* XXVI, 26). Dicere autem cum recedere statim atque species deglutiuntur, antequam alterentur, id nullo fundamento nititur, et contra propriam cibi rationem, qui non transmutatur, nisi per actionem ipsius sumentis; licet id sentiat Glossa, cui Hugo et Innocentius quasi favent.

Dico 2 : In hujusmodi substantiarum successione non fit transsubstantiatio, neque ulla propriâ conversio. Probatur, quia Christus ex vi modi quo hic desinit, non mutatur substantialiter sed localiter tantum; ergo hic non intervenit totius substantiæ conversio. Deinde inter mutationes et actiones quæ hic interveniunt, non habetur connexio ad conversionem necessaria, sed sunt omnino diversarum rationum, et unaquæque in suo genere completa, solumque ex Christi arbitrio et institutione ita conjunguntur, ut quotiescunque ab agente naturali talis fit mutatio, ipse suam sacramentalem præsentiam deserat. In quibus omnibus nulla est subordinatio aut ordo ad conversionem requisitus.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

De apparentibus mutationibus, quæ in Eucharistia contingunt.

Sect. I. — *De diversis harum mutationum seu apparitionum modis.*

Dico 1 : Non potest dubitari quin interdum hujusmodi apparitiones contigerint, cum adhuc exstent in diversis locis earum vestigia; et hæ fiunt vel ad confirmandam fidem de sacramentali Christi præsentia, vel ad confundendos ac terrendos impios, vel ad consolandos amicos, etc.

Dico 2 : Varia harum apparitionum genera ad duo possunt revocari, unum est, quando apparitio non immutat specierum sacramentalium apparentiam, v. gr. splendor, angelorum cultus aut cantus, species miraculose in igne, in conculcatione, in projectione conservatæ integræ, etc., sub quibus non est dubium quin permaneat Christus, quia in illis nulla facta est mutatio, aut alteratio, quæ ad corruptionem sufficeret. Dum autem temporis decursu tanta fit in eis alteratio, ut ibi jam non maneat corpus Christi, quod exterius permanet, conservari potest cum reverentia in monumentum et testimonium præteriti miraculi, et ob honorem sacramenti quod ibi præcessit. Alterum est, quando mutatio fit cum apparente Christi aut ejus corporis sanguinisve offensione, et facta vera et reali in speciebus sacramentalibus mutatione, de qua in sectione sequenti. Deinde cum hujusmodi visiones possint fieri interdum, vel per realem objecti immutationem, vel per solam potentiæ aut organi apparentiam, ideo prudentia, discretione, oratione opus est ad discernendum verum a falso.

Sect. II, III, IV. — *De apparitionibus, quibus Christi caro aut sanguis apparent in Eucharistia.*

Dico 1 : Dum miraculose apparet caro aut sanguis Christi in Eucharistia, non est vera ejus caro

aut sanguis (D. Thomas, Richardus, et theologi communiter); quia id nec necessarium est nec decens. Imo non tantum non est vera Christi caro aut sanguis, sed etiam non est vera caro aut verus sanguis; calore enim et figura tantum eum refert. Si quidem sufficit ejusmodi repræsentatio ad id quod intenditur, nempe ut probetur istud opus esse divinitus factum in veritatis confirmationem. Adoratio vero quæ ibi fit, non sistit in eo quod sensibiliter apparet, sed per illud transit ad verum Christi corpus aut in sacramento latens, aut in propria specie exsistens.

Dico 2 : Quando caro aut sanguis Christi sensibiliter apparent in Eucharistia, si tanta fiat in specierum sacramentalium qualitatibus immutatio ut sub eis non posset conservari substantia panis aut vini, tunc non manet sub eis Christus, sive remaneat eadem quantitas, sive non : quia sola quantitas non est signum sensibile et sufficiens panis aut vini, sed ut est talibus qualitatibus affecta; adeoque neque est sufficiens signum quod sub se contineat corpus et sanguinem Christi. Quando autem tanta qualitatum immutatio fit ut sub eis non possit substantia panis conservari, difficile est discernere; cæterum videtur ea non fieri ordinarie in ejusmodi apparitionibus, adeoque manere ibi corpus Christi sacramentaliter post apparitionem, uti sentit D. Thomas.

Dico 3 : Species circa quas fiunt prædictæ mutationes, non sunt consumendæ, sed conservandæ in loco decente et sacro, quandiu sunt sub tali forma. (D. Thomas et alii Thomistæ.) Sic facere consuevit Ecclesia. Si autem ad priorem formam redeant, tunc consumi possunt, quia probabile est non esse factam mutationem in speciebus, sed in oculis. Si post peractam utriusque speciei consecrationem, contingat ejusmodi immutatio, nihilque sit immutatum in una ejus parte, sacerdos hoc potest consumere, et sufficiet ad perfectionem istius sacrificii. Si vero in utraque specie sit immutatio, nihilque corporis aut sanguis consumi possit, tunc consilium est iterum consecrare, et consumere alias species.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEXTA.

De accidentium panis et vini exsistendi modo post consecrationem.

Sect. I. — *Quænam accidentia panis et vini post consecrationem maneant sine substantia.*

Dico 1 : Certum est ablata panis et vini substantia post consecrationem manere, omnia accidentia, quæ possunt per se sensibus percipi, ut patet ex conciliis Florentino, Constantiensi, Lateranensi, Tridentino, et ex Patribus. Si enim illa non permanerent, aliqua quasi evidentia naturali et certo experimento mysterium consecrationis posset cognosci : si, v. gr. ante consecrationem sentiretur odor vini, et post consecrationem non amplius sentiretur. De quantitate idem dicendum ac de aliis accidentibus : evidenter enim percipimus manere aliquid extensum, loco impenetrabile, habens molem, id est habens quantitatem. An vero hæc quantitas sit distincta a qualitatibus, necne, id in opinione est. Sed

Dico 2 : Non est certum manere post consecrationem alia accidentia panis et vini præter prædicta per se sensibilia vel eminenter vel formaliter, quia nullo experimento id certo sciri potest, nec ex certis principiis colligi; attamen probabilius videtur manere omnia illa, quæ habent entitatem propriam distinctam ab entitate substantiæ : hæc enim sunt aut quantitas, aut qualitates materiales, aut modi accidentales cum quantitate aut qualitate realiter identificati, v. gr. *ubi* quantitativum, figura, relationes, etc., quia fere eadem est ratio de his ac de aliis formaliter per se sensibilibus. Tamen

Dico 3 : Si qui sunt in substantia vini aut panis modi accidentales, qui non sunt ab illa realiter, sed tantum modaliter distincti, hi non manent post consecrationem in hoc sacramento, v. gr. modus præsentiæ, modus unionis materiæ cum quantitate, etc., quia hujusmodi accidentia non possunt conservari, destructa substantia.

Sect. II. — *Quænam mutatio fiat in quantitate, ut possit sine subjecto conservari.*

Dico 1 : Quantitas a subjecto separata privatur positivo reali et intrinseco modo quem in subjecto habebat, qui vocatur actualis inhærentia, seu modus unionis; hæc enim unio est quid reale, cumque ipsa pereat, etiam ejus modus perit.

Dico 2 : Probabile est hanc quantitatem, quæ a subjecto separata subsistit, positive mutari recipiendo modum per se exsistendi, actuali inhærentiæ contrarium. Cajetanus, Ferrarius, etc., contra Scotum, etc., dicentes nullum modum positivum qui per se exsistat eam recipere, sed a sola negatione subjecti sic denominari. Probatur : Iste modus non est res aliqua habens propriam entitatem a quantitate realiter distinctam, sed tantum novus per se exsistendi modus formaliter ab ea distinctus, qui per separationem quantitatis a substantia panis aut vini, in illa statim resultat, et sic illo terminata, minus violenter exsistet, meliusque erit ad actiones et passiones atque ad alia accidentia sustentanda disposita. Unde

Dico 3 : Cum quantitas a substantia separatur, cessat actio qua Deus illam in substantia prius conservabat, et per aliam novam conservat illam in seipsa sine unione cum priori substantia; quantitas enim per priorem actionem conservabatur dependenter a materia, et essentialiter dependentem a concursu materiæ; posterior autem actio fit independenter a materia et ejus concursu per modum creationis.

Sect. III. — *An alia accidentia panis et vini, quæ cum quantitate manent post consecrationem, mutent exsistendi modum.*

Dico 1 : Qualitates panis et vini, v. gr. color, sapor, etc., post consecrationem inhærent quantitati; D. Thomas, Bonaventura, etc., contra Ockam,

Gabrielem, etc., negantes manere substantiæ quantitatem in qua reliqua accidentia possint inhærere, et asserentes omnes qualitates mutare exsistendi modum, et per se manere separatas. Probatur, quia oportet species sacramentales manere inter se unitas, alioqui posset una moveri aut trahi, non mota altera; non possunt autem manere unitæ nisi in communi ipsarum subjecto, quod est quantitas; ergo

Dico 2 : Hæc qualitatum inhærentia in quantitate post consecrationem, non provenit ex speciali miraculo, sed quia erat ante consecrationem et per eam non tollitur, ideo eadem manet; immediate enim recipiuntur in ipsa quantitate. Unde per consecrationem nulla fit mutatio in qualitatibus quæ ex vino et pane remanent : non enim mutatur inhærentia, adeoque non acquirunt modum per se exsistendi, sed tantum quantitas, cui immediate uniuntur, illum acquirit. Sed, sicut quantitas in hoc sacramento conservatur a Deo separata a substantia cui inhærebat, ita etiam istæ qualitates supernaturaliter possent a Deo conservari separatæ a quantitate cui inhærent.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

De iis quæ possunt agere et pati species sacramentales.

Sect. I, II. — *An possint species sacramentales consecratæ efficere, quidquid poterant non consecratæ; an possint mutari aut corrumpi.*

Dico 1 : Species consecratæ efficere possunt omnem actionem intentionalem quam poterant ante suam consecrationem, v. gr. possunt, sicut prius, efficere species in sensibus externis. Item efficere omnem alterationem accidentalem quam antea poterant, v. gr. species vini calefacere, imo ipsam substantiam corrumpere et aliam generare ita alterando substantiam, ut eam ultimate disponant ad corruptionem, ac proinde ponant ultimam dispositionem ad generationem alterius formæ substantialis, ordinario Dei concursu supplente efficacitatem, quam substantia præsens conferret.

Dico 2 : Species consecratæ ab agente naturali alterari possunt; qualitates enim panis et vini eodem modo post consecrationem quo ante, quantitati inhærent. Item possunt augeri vel minui, v. gr. per rarefactionem vel condensationem, per additionem vel divisionem, aut corruptionem unius partis; imo facta in illis sufficienti alteratione ad corruptionem panis, si hic adesset, quantitas cum illis per accidens, id est, ex natura rei sic periret, si substantiæ suum subjectum adesset : in termino enim illius alterationis nova substantia succedit, secum afferens quantitatem novam, quæ secum aliam non admittit; ideoque præexsistentem perire necesse est.

Sect. III. — *An ex speciebus consecratis possit generari vel nutriri aliqua substantia.*

Dico : Sola quantitas non sufficit ad generationem aut nutritionem, sed necessaria est aliqua materia ex qua hæc generatio fiat. Scotus, Sotus, Durandus, Bonaventura, etc., contra Ferrarium, Henriquez, etc., volentes solam quantitatem sufficere. Probatur, quia inter quantitatem et formam substantialem non potest esse substantialis unio, adeoque nec ex illa fieri substantiale compositum. Præter ergo quantitatem in instanti quo generatio vermis fit ex speciebus consecratis, necessario requiritur aliqua vera et substantialis materia ibi exsistens ex qua fiat, et prius natura exsistens, quam generatio fiat; et quæ immediate ante illud instans in rerum natura non exsistebat. Hanc autem materiam probabile est esse eamdem numero, quæ fuerat prius sub talibus speciebus ante transsubstantiationem vel a Deo solo reproductam per creationem absque ullo instrumento separato, vel cum Christi humanitate ad illam concurrente tanquam instrumento conjuncto. Hæc igitur materia et quantitas speciali actione a Deo inter se uniuntur; ac postea ab agente naturali per naturalem ipsius virtutem educitur substantialis forma, v. gr. vermis.

Sect. IV. — *An species sacramentales possint misceri, et an tunc desinat ibi sanguis Christi.*

Dico 1 : Species vini (de his maxime est quæstio) consecrati possunt misceri cum alio liquore ejusdem speciei tantum imperfecte; id est, unus liquor non potest corrumpere alium substantialiter, nec per divisionem in minimas particulas, nec per nimiam alterationem; ideoque tunc non desinit sub eis esse sanguis Christi. Sed si species vini consecrati perfecte misceantur cum liquore specie distincto, non manet ibi sanguis Christi : quia facta mistione cum liquore specie distincto, potest tanta fieri alteratio in speciebus consecratis, quanta sufficeret ad vinum corrumpendum, et ad aliam rem generandam, et tunc non mansisset substantia vini; ergo nec manet nunc sanguis Christi.

Dico 2 : Quando species consecratæ miscentur vino non consecrato, sub eis semper manet sanguis Christi : ita communiter theologi. Videtur tamen D. Thomas docere contrarium. Probatur, quia non magis alterantur quam si ibi esset substantia vini; si autem ibi esset substantia vini, non alterarentur per istam mistionem imperfectam, quia etiam ibi maneret substantia vini. Ergo Christi sanguis sub illis remanet.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

De forma sacramentali Eucharistiæ in communi.

Sect. I. — *Quibusnam verbis Christus Dominus consecrarit.*

Nota : Quidam dicunt Christum non verbis, sed sola sua voluntate et tactu, vel alio signo externo ad libitum consecrasse, utens sua excellentiæ potestate: ita Innocentius, Archidiaconus, Durandus, etc. Sed

Dico : Christus consecravit proferendo tantum

semel (non bis, ut quidam voluerunt) hæc verba : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). (D. Thomas, Magister, etc.) Probatur 1° ex canonis missæ verbis : « Deditque discipulis suis dicens : *Hoc est corpus meum.* » Et ex concilio Florentino dicente formam hujus sacramenti esse verba *quibus Christus confecit.* 2° Ex Patribus Ambrosio, Chrysostomo, etc. Tertullianus (*Contra Marcion.*, lib. IV, cap. 4) : « Acceptum, » inquit, « panem, corpus suum illum fecit : *Hoc est corpus meum*, dicendo. » 3° Ex Evangelio, in quo modus consecrationis a Christo adhibitus habetur per illa verba.

SECT. II. — *An benedictio Christi et gratiarum actio fuerit ipsa consecratio.*

Dico 1 : Benedictio Christi in institutione Eucharistiæ fuit aliquid distinctum a consecratione, et quasi quædam ad illam præparatio. Bonaventura, Sotus, Cajetanus, etc., contra Durandum, Gabrielem, etc., dicentes gratiarum actionem et benedictionem (hæc enim duo idem significare contendunt) non fuisse aliud quam ipsam consecrationem. Probatur ex concilio Tridentino (sess. 13, cap. 1), referente Christum protulisse verba consecrationis post benedictionem : ergo hæc fuit aliquid diversum a consecratione. Deinde in missa præmittitur semper ante consecrationem benedictio præparativa cum verbo *benedixit;* ergo non est consecratio.

Dico 2 : Probabilius gratiarum actio fuit etiam distincta a consecratione. Nam Anselmus, Theophilus, Euthymius, etc., dicunt gratiarum actionem fuisse præmissam ante consecrationem ; et Chrysostomus dicit illam gratiarum actionem fuisse actum gratitudinis erga Deum pro beneficiis suæ humanitati collatis. Deinde gratiarum actio refertur ad Deum, nempe ad benefactorem intelligentem ; consecratio vero ad panem, seu ad materiam inanimatam ; ergo sunt actiones distinctæ.

Dico 3 : Benedictio panis et gratiarum actio secundum proprias rationes et significationes fuerunt distinctæ, nam gratiarum actio refertur ad Deum ; benedictio autem, de qua hic, ad panem. Attamen simul et fere una eademque oratione peractæ sunt, quia uno orationis contextu simul et gratiæ Deo agi possunt, et bonum creaturæ postulari ; et sic Christus videtur simul unica oratione et gratias egisse Patri, et tanti mysterii perfectionem deprecatus esse. Unde hæc benedictio et gratiarum actio non fuit illa vulgaris quæ ad mensam adhibetur, sed singulari ritu et modo in præparationem istius divini mysterii ; ideoque consecratio interdum a Patribus vocatur benedictio seu gratiarum actio. Atque inde colligitur, hæc quatuor verba : *Accepit*, *benedixit*, *fregit*, *dedit*, quæ ab evangelistis referuntur, eumdem ordinem in re tenuisse, quem habent in ipsa narratione, etiamsi non omnia potuerint prolationem verborum consecrationis antecedere ; nam prius consecravit panem quam daret ; an autem fractio expressa per verbum *fregit*, etiam illam antecesserint, in controversia est.

SECT. III.—*An verba quibus Christus consecravit, sint forma, qua hoc sacramentum in Ecclesia conficitur.*

Dico 1 : Hoc sacramentum solis verbis a sacerdote prolatis conficitur, ita ut verba in omni proprietate et rigore sumpta, ad hunc effectum sint necessaria. De fide ; ex concilio Florentino et Patribus, contra quosdam hæreticos negantes necessario requiri verba. Sic Gregorius Nyssenus (*Serm. cath.*, cap. 4) dixit panem in corpus mutari per verbum Dei. Et Hieronymus (epist. 11 *Ad Heliod. sacerdotes*) inquit, « proprio ore corpus Domini conficiunt. »

Dico 2 : Verba quibus hoc sacramentum conficitur, sunt præscripta ac determinata. De fide ; ex conciliis Florentino et Tridentino, contra hæreticos Anabaptistas solitos consecrare his verbis : *Accipe, ede, memento Domini ;* et alios sic : *Accipite et comedite : hoc facite in meam commemorationem*, omissis hisce Christi essentialibus verbis : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26) ; atque contra alios relinquentes verba ministrorum arbitrio. Probatur, quia in omnibus sacramentis requiruntur certæ ac determinatæ formæ, non tantum ob instructionem, sed etiam maxime ob consecrationem et Christi institutionem. Hinc Patres dicunt hoc sacramentum confici *verbis Dei*, *verbis Christi*, etc. Atque ita, delirium est quorumdam hæreticorum putare confici hoc sacramentum legendo Epistolam sancti Pauli ad Corinthios, vel Evangelii sancti Joannis caput VI, in quo habetur tantum promissio, non confectio hujus sacramenti. Unde

Dico 3 : Verba sufficientia et necessaria ad hoc sacramentum conficiendum, sunt illa quibus Christus illud confecit. De fide : ex concilio Florentino dicente : *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit ;* et ex Tridentino (sess. 13, cap. 3), atque ex Patribus. Sic Ambrosius (*De sacram.*, lib. IV, cap. 4) : « Quomodo potest quod panis est, corpus esse Christi ? Consecratione. Consecratio cujus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu. » Sic etiam Chrysostomus (hom. 2 *in II ad Tim.*) : « Sicut verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita et oblatio eadem est. » Hinc sequitur nec totum missæ canonem, nec verba quæ in missa ante consecrationem proferuntur : *Communicantes*, etc., *Qui pridie quam pateretur*, etc., nec quæ post verba Christi adduntur, esse necessaria necessitate sacramenti ad consecrandum. Hoc enim sacramentum conficitur solis verbis Christi, quibus prolatis statim consecratio perfecta est. Per deprecationes ergo quæ fiunt post consecrationem, non petitur ut fiat sacramentum, sed ut fiat utile iis qui ad illud adorandum aut suscipiendum accedent ; cumque Patres dicunt consecrationem perfici deprecatione aut gratiarum actione, intelligunt de toto missæ officio. Deinde ipsa consecratio est quædam implicita Spiritus sancti invocatio, sine quo nihil potest fieri, et simul sacrificium laudis ac gratiarum actionis.

SECT. IV. — *An forma hujus sacramenti proferatur a ministro recitando tantum, an etiam significando.*

Dico 1 : Sacerdos quamvis nunc de facto ita pronuntiet verba consecrationis, ut referat ac recitet quid Christus dixerit, uti patet dum ait *Deditque discipulis suis dicens : Accipite*, etc. (*Matth.* XXVI, 26), tamen non recitative tantum, sed etiam significative seu assertive illa profert. (D. Thomas, Bonaventura, Alensis, Scotus, etc., contra Innocentium, Durandum, Ockam, etc., volentes sacerdotem tantum recitare id quod Christus dixit.) Probatur, quia si verba non proferrentur formaliter seu assertive, non applicarentur ad materiam præsentem ; nam per pronomen *hoc* sacerdos nihil designaret, sed tantum narraret quid Christus dixerit et designaverit. Quare

Dico 2 : De necessitate consecrationis est, ut verba formæ formaliter ac assertive proferantur, non vero recitative tantum : necesse est enim ut sacerdos intendat conficere præsentem materiam, et proferre verba prout Christus instituit; quod potest facere, nihil dicendo recitative, sed tantum pronuntiando assertive verba formæ. Cum dicit : *Hoc est corpus meum*, istud pronomen *meum* sufficienter determinatur ad significandum corpus Christi, non sacerdotis, per hoc quod sacerdos illa proferat ut gerens personam Christi ; dum autem dicit : *Qui pro vobis effundetur*, tunc deponens personam Christi, ista verba, cum non sint essentia formæ, tantum materialiter ac recitative profert. Denique non est impossibile, ut sacerdos verba formæ proferat recitative et significative simul, cum utrumque possit cadere sub intentionem loquentis, et istis verbis accommodari ; nam potest secundum diversos respectus loqui in propria persona et in aliena : in propria, quatenus verba Christi refert, et in aliena quatenus personam Christi induit ac repræsentat.

SECT. V, VI. — *Quomodo verba formæ verificentur, et an ratione suæ veritatis hoc mysterium perficiant.*

Nota : Instans consummativum sensus propositionis est intrinsecum ipsi propositioni, ita ut in illo vere exsistat, aut potius sit primum instans in quo incipit esse absoluta propositio; deinde verbum *est* indicat tempus præsens, et ad ejus veritatem sufficit unum instans. His positis,

Dico 1 : Ista Christi locutio : *Hoc est corpus meum*, in ultimo tantum prolationis instanti verificatur, nec potest aliter verificari ; quia est locutio practica et conversiva.

Dico 2 : Propositio quatenus significans, potest prius natura intelligi, quam res significata exsistat ; et prius natura significare, quam vera aut falsa esse intelligatur. Hinc ista Christi verba : *Hoc est corpus meum*, possunt dici vera practice esse prius natura seu prius natura significare, quam efficiant, quia sunt conformia intention. loquentis, a qua prius natura prodeunt quam efficiant, et ut sic sunt vera seu vera significant, quia procedunt ab intentione efficaci et cum sufficiente virtute ad efficiendam veritatem, sicque possunt dici efficere, quia practice vera sunt. In his ergo formarum verbis primo intelligitur materialis verborum sonus, deinde significatio ; postea conformitas cum intentione et potestate loquentis (quæ est veritas practica), et ex hac sequitur efficientia, adeoque præsentia corporis Christi ; ac denique veritas speculativa, posito illo effectu qui est conformitatis terminus, consurgit.

SECT. VII. — *Quid designetur per pronomen* hoc *vel* hic *in forma positum.*

Nota : Multum variant circa hoc auctores : Bonaventura sentit per istud pronomen *hoc* designari panis quatenus convertendus in corpus Christi ; alii quatenus conversus est in corpus Christi in fine prolationis verborum. Major vult designari corpus Christi prout est in se et in propria specie ; alii designari accidentia seu species panis, utpote quæ sunt res sensibilis tempore prolationis verborum ; Gabriel autem, Richardus, Angelus, etc., satis probabiliter censent designari corpus Christi prout est sub accidentibus panis in termino prolationis verborum. Attamen longe probabilius et simpliciter.

Dico : Per istud pronomen *hoc* designatur formaliter ac per se primo aliquid commune substantiæ panis ac corpori Christi, non secundum rem, sed secundum denominationem, id est secundum denominationem seu rationem contenti sub his speciebus, ita ut sensus sit : *Hoc quod* sub his accidentibus continetur, est corpus meum (D. Thomas, Scotus, Durandus, Sotus, Bellarminus, etc.) ; quia pronomen *hoc* substantive sumptum, id est positum in subjecto propositionis sine substantivo, significat tantum confuse seu generatim rem aliquam, ita ut debeat per ly *hæc res* explicari. Atqui in forma consecrationis sumitur substantive ; ergo significat ac designat tantum generatim rem contentam sub speciebus panis, ita ut dicere : *Hoc est corpus meum*, idem sit ac dicere : *Hæc res est corpus meum*. Idem dic cum proportione de pronomine *hic* in forma calicis. Istud ergo pronomen *hoc*, cum primum profertur, non designat substantiam panis, cum tunc habeat quasi suspensam et indefinitam suam significationem, sed tantum designat hoc sensibile sub ratione confusa, id est contentum sub speciebus, quacunque ratione sub illis exsistat ; in fine autem prolationis verborum determinatur ratione prædicati ad supponendum pro re contenta sub speciebus cui hoc prædicatum possit convenire. Et licet istud contentum sub speciebus non sit idem individue materialiter in principio et fine prolationis verborum, propositio tamen est vera ac propria, quia per illam non designatur hæc res materialis sub propria ratione, sed simpliciter sub ratione contenti sub speciebus, quod in fine prolationis verborum est corpus Christi. Unde non est opus, ut istud pronomen *hoc* demonstret semper directe et quasi in recto rem singularem et præsentem, sed

sufficit quod demonstret aliquid cum habitudine ad rem singularem et præsentem.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA NONA.

De forma consecrationis panis.

Sect. I. — *An solum hæ quatuor voces :* Hoc est corpus meum, *sint de essentia et necessitate hujus formæ.*

Dico 1 : Verba antecedentia pronomen, *hoc*, v. gr., *Qui pridie quam pateretur*, etc., etiamsi sint prolata a Christo, v. gr. : *Accipite et comedite* (loc. cit.), non sunt de necessitate hujus sacramenti (D. Thomas, Durandus, Alensis, et alii Thomistæ communiter) ; quia non significant aliquid intrinsecum et essentiale huic sacramento, nempe consecrationem et præsentiam Christi nec conditionem necessariam ex parte ministri : minister enim sine illis potest loqui in persona Christi ex intentione proferendi Christi verba prout eorum veritas postulat, quia eo ipso quod illa sic proferat, loquitur in persona Christi ; contra Scotum qui illa antecedentia verba requirit tanquam necessaria, ut forma possit significative proferri in persona Christi. Idem dic de forma consecrationis vini.

Dico 2 : Verba qua sequuntur post istud pronomen, *meum*, v. gr., *Quod pro vobis tradetur* (loc. cit.), seu *datur*, aut *frangitur*, non sunt necessaria necessitate sacramenti. De fide contra Græcos dicentes hoc esse de essentia sacramenti. Probatur : Alioqui Ecclesia Romana, quæ sine istis verbis consecrat, careret vera consecratione, veroque Ecclesiæ sacramento ; quod asserere hæreticum est. Deinde Matthæus et Marcus illa verba omittunt. Et certe ista verba : *Hoc est corpus meum* sine sequentibus sufficienter significant realem corporis Christi præsentiam, et panis in ipsam conversionem. A fortiori dicendum est ista verba : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19), non esse necessaria necessitate sacramenti ; imo nec præcepti, cum Ecclesia illa omittit, quamvis his similia proferat post panis et vini jam factam consecrationem et Christi oblationem. Græci addendo formæ hæc verba : *Quod pro vobis tradetur*, non quidem per se male faciunt, sed credendo illa esse necessaria ad essentiam formæ, peccant et errant in fide : valide tamen consecrant.

Dico 3 Particula, *enim*, non est de essentia hujus formæ, adeoque nec de necessitate sacramenti. Idem est in forma consecrationis vini (D. Thomas et reliqui theologi), quia nullo modo significat effectum formæ, ergo nec illum efficit. Hinc non significative, sed tantum recitative a sacerdote dicitur, reddens causam rei quæ per præcedentia verba significatur ; et licet a Christo dicta credatur, ideoque in canone missæ posita probabiliter ab ipsis apostolis, cum tamen evangelistæ et Paulus eam omiserint, signum est non esse absolute necessariam ; quamvis in missa eam omittere ex contemptu, videatur fore peccatum mortale, secus ex negligentia aut inadvertentia culpabili.

Dico 4 : Solæ ergo hæ quatuor voces : *Hoc est corpus meum*, sunt de essentia formæ ac forma hujus sacramenti, ita ut si quis illas solas debita cum intentione proferat super materiam debitam, certissime conficiat. Quamvis aliunde peccet omittendo alia quæ sunt de necessitate præcepti. (D. Thomas et reliqui Thomistæ.) Hæc conclusio evidenter sequitur ex præcedentibus, ideoque non eget alia probatione.

Sect. II. — *An verba hujus formæ, aut eorum ordo mutari possit.*

Dico 1 : Pronomen *hoc* quod est subjectum propositionis, et quod veluti indefinite significat, indifferens ad demonstrandum panem vel corpus Christi, non potest mutari, v. gr. ponendo *illud* loco *hoc*, vel dicendo : *Hoc quod est panis*, vel *hic panis*, etc., valeret tamen forma, si diceretur : *Hæc res est corpus meum*, vel : *Hic cibus est corpus meum.*

Dico 2 : Nec etiam verbum substantivum *est* potest in aliud mutari, v. gr. ponendo *fit* loco *est ;* nec omitti, dicendo tantum : *Hoc corpus meum.*

Dico 3 : Si nomen *corpus* in nomen *caro* mutetur, dicendo : *Hæc est caro mea*, censetur a scholasticis esse mutationem substantialem, quia *corpus* et *caro* non sunt voces synonymæ, saltem ejusmodi forma esset valde dubia ; multo autem magis substantialis esset mutatio, si diceretur : *Hæc est substantia mea.*

Dico 4 : Pronomen *meum*, quod est aptissime positum ad determinandum quale sit corpus, nempe Christi, nullo modo potest amitti, nec mutari ; nam si sacerdos diceret : *Hoc est corpus Christi*, videtur ista forma fore invalida, et gravissime peccaturus mutando verba Christi et Ecclesiæ usum.

DISPUTATIO SEXAGESIMA.

De forma consecrationis sanguinis.

Sect. I. — *An sola hæc verba :* Hic est calix sanguinis mei ; *vel :* Hic est sanguis meus, *sint de essentia formæ hujus sacramenti.*

Dico 1 : Hæc sola verba vel æquivalentia sunt de essentia, necessitate ac substantia hujus formæ, et in illis solis tota formæ efficacia consistit, adeoque in ultimo prolationis eorum instanti perficitur vini transmutatio : ita Magister, Bonaventura, Albertus, Cajetanus, etc., communius contra Capreolum, Paludanum, Sylvestrem, etc., dicentes hæc sequentia verba : *Novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, etiam esse de substantia et essentia hujus sacramenti. Et illis favet D. Thomas, quamvis conentur aliqui exponere eum duntaxat intellexisse hæc verba esse de necessitate præcepti, et quodammodo de integritate ac substantia formæ non formaliter sed materialiter, quatenus necessaria sunt ad narrandum integre verba Christi. Probatur assertio : 1° ex Scriptura, quia singuli evangelistæ omittunt aliqua ex prædictis verbis ; non est autem credendum eos

aliqua omisisse ad formæ essentiam spectantia. 2° Ex Ecclesiæ consuetudine et auctoritate, quæ licet eodem tenore ac ritu ista omnia verba eisdem characteribus singulariter scripta recitet, non tamen sentit illa omnia esse de necessitate formæ; nam inter illa est particula *enim*, quæ certo non est de essentia formæ. Deinde omnes antiquæ Græcorum liturgiæ non habent *æterni*, et *mysterium fidei*. 3° Ex Patribus ponentibus pro forma calicis tantum hæc verba : *Hic est enim sanguis meus*, prout habet Ambrosius (*De sacramentis*, lib. IV, cap. 5), aut æquivalentia. 4° Verba sacramentorum efficiunt quæ significant : atqui hæc sola verba : *Hic est sanguis meus*, vel : *Hic est calix sanguinis mei*, significant conversionem sacramentalem; ergo sola illam efficiunt, adeoque sola essentialia. Neque horum significationem aut veritatem suspendunt sequentia verba donec sint probata per modum integræ propositionis ex Christi institutione, ut Sotus, Ledesma, etc., volunt; sed sine fundamento; cumque prolata sunt hæc verba : *Hic est calix sanguinis mei*, nempe cum debita ministri mentione, statim habent suam perfectam significationem, adeoque suum effectum; cum enim agant per modum naturæ, non est in potestate ministri istum effectum suspendere. Hinc etiam rejicienda est aliorum opinio qui volunt hæc sola verba : *Novi Testamenti*, vel : *Mysterium fidei*, vel : *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quæ prædictæ formæ adjunguntur, esse illi essentialia. Cæterum de necessitate præcepti ecclesiastici est, maxime in Ecclesia Latina, ut omnia ista verba in consecratione calicis proferantur.

Sect. II, III. — *An hæc verba :* Hic est calix sanguinis mei, *mutari possint; et an his convenienter Ecclesia addiderit alia.*

Dico 1 : Certum est loco istorum verborum posse poni hæc : *Hic est sanguis meus*, utpote magis propria et clariora; tamen Ecclesia utitur voce *calix* metonymice sumpta pro re contenta in calice ita sensus sit *potus sanguinis*, vel *sanguis in calice contentus*, quia ista acceptio est ita usitata et clara, ut propriæ significationi æquivaleat. Et verisimile est Petrum hanc formam, uti et formam consecrationis panis, Romanæ Ecclesiæ tradidisse; Paulus etiam et Lucas nomen *calicis* posuerunt, licet Matthæus et Marcus posuerint tantum : *Hic est sanguis meus*. Attamen in Ecclesia Latina grave peccatum foret mutare verba : *Hic est calix*, etc., in hæc : *Hic est sanguis meus* (quamvis nulla sit mutatio substantialis), non solum ob scandalum, sed etiam ob Ecclesiæ consuetudinem et traditionem, a qua non licet in re tam gravi discordare. Si autem in Ecclesia Græca aut in alia regione esset consuetudo utendi istis verbis, posset sine peccato observari, cum de Christi facto non satis constet, an hoc vel isto dicendi modo usus fuerit et uterque in Scriptura habeatur, et in utroque est idem sensus. Videtur tamen Christus usus fuisse voce *calicis*, quia præter Lucam et Paulum, traditio apostolica hoc magis indicat. Si quis autem diceret : *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo*, ut habet Lucas, vel : *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine*, ut habet Paulus, non videtur facturus mutationem substantialem, sed peccaret graviter.

Dico 2 : Omnia verba quæ in calicis consecratione profert Ecclesia, a Christo in eadem consecratione fuerunt prolata (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, etc., communiter); omniaque convenienter in consecratione fuerunt posita, utpote verba Christi, explicantia effectum et excellentiam hujus mysterii. Nam voces *Novi et æterni Testamenti*, indicant sanguinem Christi quo Novum Testamentum firmatum est, *mysterium fidei* indicant illius sublimitatem; *qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, nempe in passione, significant tum efficaciam tum sufficientiam effusionis sanguinis Christi; *pro vobis*, id est, meis discipulis præsentibus, et *pro multis*, id est, pro omnibus aliis quoad sufficientiam, nam omnes etiam multi sunt. Vel *pro vobis*, id est Judæis ex quibus erant apostoli, et *pro multis*, id est, pro gentilibus; vel *pro vobis et aliis multis* electis quoad efficaciam.

DISPUTATIO SEXAGESIMA PRIMA.

De causa efficiente Eucharistiæ, et efficacia formæ ac ministri.

Sect. I, II. — *An verba consecrationis sint causa physica præsentiæ corporis Christi in Eucharistia, et an physice efficiendo expellant substantiam panis.*

Dico 1 : Non tantum consecrationis verba virtute sua perficiunt conversionem et consecrationem, sed etiam probabilius per se ac physice concurrunt ad istum effectum. (D. Thomas, Cajetanus, Sotus, et alii qui sentiunt sacramenta esse causas physicas.) Unde physice efficiunt corpus Christi, seu ejus præsentiam in hoc sacramento. Verba enim efficiunt totum quod significant; significant autem realem corporis Christi præsentiam; ergo illam efficiunt, non per qualitatem distinctam ipsis inditam, nec per actionem præviam, sed per suam potentiam obedientialem a Deo elevatam, et cum sufficiente concursu ad agendum applicatam, ut antea fusius ostensum est. Hinc

Dico 2 : Verba effective ac physice substantiam panis expellunt per actionem realem, ex qua necessario et ex natura rei sequitur desitio substantiæ panis. Hæc autem positiva verborum actio est illa eadem, qua accidentia per se esse constituuntur.

Sect. III. — *A quo verba consecrationis debeant proferri, ut sint efficacia.*

Dico 1 : Ut hæc verba sint efficacia, debent a sacerdote consecrato et rite ordinato proferri cum debita intentione faciendi sacramentum, seu faciendi quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit. De fide. Solis enim apostolis, et in eorum personis, solis ipsorum successoribus in sacerdotali dignitate

constitutis Christus dixit : *Hoc facite.* Deinde intentio ministri necessaria est, ut supra dictum est, agendo de sacramentis in genere.

Dico 2 : Ut hæc verba sint efficacia, non requiritur ut proferantur a sacerdote sancto aut fideli, sed sufficit quod characterem sacerdotalem habeat ; reliquæ enim conditiones sunt accidentales, et characterem sacerdotalem qui est indelebilis, non tollunt ; manens autem character est sufficiens potestas. De fide. (D. Thomas, etc.) Hinc hæretici et schismatici valide consecrant, utpote characterem retinentes ; ideoque dum sacerdotes ab hæresi aut schismate ad Ecclesiæ unionem redeunt, non iterum initiantur. Cum ergo canones interdum dicunt illorum consecrationes esse irritas, intelligendi sunt de irritatione vel quoad usum solum, quia eos ab usu suspendit Ecclesia, vetans, ne ad munia sacerdotalia admittantur ; vel de vera irritatione, quia invalide fuerunt initiati sacerdotes a falsis episcopis.

Sect. IV, V. — *An plures ministri possint consecrare eamdem materiam ; et an virtus activa sit principalius in verbis quam in ministro.*

Dico 1 : Certum est non posse plures ministros concurrere ad consecrandam eamdem materiam ut causæ partiales ex parte formæ, ita ut unus proferat partem formæ, alius aliam partem, quia tunc neuter proferret formam. Deinde etiamsi duo sacerdotes integram formam proferrent, si tamen eorum alter absolvat formam prius tempore quam alius, non possunt istæ duæ formæ efficere consecrationem ejusdem materiæ, sed tantum alterutra earum, nempe ea quæ prius absoluta fuerit ; quia cum primum forma integra cadens super debitam formam absolvitur, statim conficit sacramentum. Ergo altera superveniens nil efficiet, cum jam factum inveniat sacramentum. Si autem duæ formæ simul et eodem instanti absolvantur, utraque efficit consecrationem, licet in eamdem materiam cadant ; quia omnia ad valorem sacramenti requisita ibi concurrunt, nec est ratio cur una forma illud efficiat potius quam altera. Ergo utraque efficit vel duplici actione integra, pendente unaquaque a sua forma, vel unica pendente ab utraque forma.

Dico 2 : Cum in sacerdotum ordinatione omnes sacerdotes recenter ordinati simul cum episcopo ordinante verba consecrationis super eamdem materiam proferant, sitque moraliter impossibile ut omnes eodem instanti illa absolvant, ideo omissis variis aliorum defendendi et explicandi hanc Ecclesiæ consuetudinem ad evitanda multa incommoda modis, videtur oportere ut isti sacerdotes intendant proferre verba consecrationis meliori modo quo possunt, nempe ut nullo modo præsumant prævenire episcopum in consecrando ; quia hinc oritur magnum incommodum, et est contra intentionem Ecclesiæ. Deinde ut habeant intentionem quasi disjunctam vel consecrandi simul cum episcopo si possit : vel si non possint tantum materialiter verba proferendi, in signum, ut ait Cajetanus, potestatis sibi concessæ, et in memoriam illius cœnæ, in qua Christus cum apostolis cœnavit, eisque eamdem potestatem concessit.

Dico 3 : Virtus instrumentalis et physica, qua fit consecratio, intrinsece ac realiter est tantum in verbis consecratoriis, vel potius sunt ipsa verba ; radicaliter tamen et potestative est in ministro, quia ipse est qui operatur per verba, verborumque virtus ab ejus intentione dependet, et data est illi potestas consecrandi et utendi isto verbali instrumento, cum voluerit : atque adeo secundum hanc rationem est principalius agens.

DISPUTATIO SEXAGESIMA SECUNDA.

De suscipientibus hoc sacramentum.

Sect. I, II. — *Quot modis sumatur hoc sacramentum, et an soli homines possint illud sumere.*

Dico 1 : Duplex est hujus sacramenti sumptio : alia spiritualis, alia sacramentalis. Spiritualis est quæ ex fide viva et charitate formata sit per votum seu desiderium hujus sacramenti. Dum de antiquis Patribus dicitur : *Omnes eamdem spiritualem escam manducaverunt* (*I Cor.* x, 3), ista manducatio fuit tantum figurata manducatio Christi secundum se, non autem Christi prout est in hoc sacramento ; adeoque nec proprie sumptio spiritualis. Hæc sumptio pure spiritualis nullum habet effectum ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Sumptio sacramentalis est ea qua realiter ab homine capace hujus sacramenti et cum intentione necessaria illud sumitur. Et hæc iterum duplex est : alia mere sacramentalis, dum sacramentum sine fructu spirituali cum mala dispositione et obice sumitur ; alia sacramentalis simul et spiritualis, dum sumitur cum fructu spirituali.

Dico 2 : Certum est homines, non vero angelos, posse sumere vere hoc sacramentum. Angeli enim non habent corpora, ut possint corporaliter manducare. Imo nec in assumptis quidem corporibus, quia ista sumptio non esset vitalis actio. Creaturæ autem homine inferiores, vel etiam non possunt omnino illud sumere, vel saltem non possunt sacramentaliter, sed tantum materialiter ; v. gr. mus comedere hostiam.

Sect. III, IV. — *An omnes homines adulti et etiam infantes possint recipere hoc sacramentum.*

Dico 1 : Homines peccatores accipere possunt Eucharistiam sacramentaliter, non vero spiritualiter, id est cum fructu spirituali ; quod sacramentaliter possint, patet, quia quandiu manent panis species, Christi corpus manet sub illis, ergo dum peccatores sumunt corpus Christi. Ideo Paulus ait : *Qui autem manducat, et bibit indigne, judicium sibi manaacat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* xi, 29).

Dico 2 : Omnes homines adulti baptizati et justi possunt recipere hoc sacramentum sacramentaliter simul et spiritualiter, seclusis aliis corporis impedimentis. Catechumeni autem, licet jam justi, non possunt illud sic recipere, quia baptismus est janua Ecclesiæ et sacramentorum : per illum recipit homo

characterem, qui est potentia ad recipienda alia sacramenta et eorum effectum. Cum ergo catechumenus nondum habeat characterem, non est capax alicujus sacramentalis effectus, neque sumptionis sacramentalis simul et spiritualis.

Dico 3 : Infantes sunt capaces recipiendi Eucharistiam sacramentaliter simul et spiritualiter. (Sotus, Ledesma, Alensis, Cordubensis, etc., contra Majorem, Catharinum, etc.) Probatur, quia sacramentum ex opere operato confert gratiam non ponentibus obicem ; sed infantes non ponunt obicem et corporaliter vere manducant ; ergo recipiunt illius effectum. Deinde probatur ex ipso Ecclesiæ usu : constat enim olim fuisse consuetudinem in multis tum Latinis tum Græcis Ecclesiis dandi Eucharistiam infantibus ante usum rationis. Postea Ecclesia ad majorem sacramenti reverentiam sustulit illam consuetudinem. Ad adversariorum objectionem respondetur hunc cibum nutrire convertendo alitum in se, ideoque ut suum effectum conferat, sufficit ut ab eo, qui vita spirituali vivit, comedatur. Paulus in loco citato (*I Cor.* XI, 29) : *Probet autem se ipsum homo*, etc., loquitur de adultis.

DISPUTATIO SEXAGESIMA TERTIA.

De effectibus quos in anima producit sacramentum Eucharistiæ.

SECT. I. — *An hoc sacramentum conferat primam gratiam sanctificantem, vel augmentum ejus.*

Dico 1 : Hoc sacramentum ex propria institutione per se confert gratiæ augmentum, ut hominem magis ac magis cum Christo uniat. De fide ; ex conciliis Florentino, Tridentino, etc. ; item ex Patribus. Hoc enim sacramentum institutum est per modum cibi et potus, ut dicitur (*Joan.* VI, 56) : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Sed cibi est, conducere ad nutritionem et augmentum viventis ; ergo hic cibus datur ad nutritionem et augmentum vitæ spiritualis, idque confert ex opere operato cum sit sacramentum. Unde non est per se institutum ad conferendam primam gratiam nec ad remittendum peccatum mortale ; non datur enim nisi iis qui existimantur mundati a peccato mortali. Deinde cum sit cibus, non ordinatur ad mortuum suscitandum sed ad nutriendum vivum. Ideo dum dicitur : *Hic est panis qui dat vitam mundo* (*Ibid.* 33), id est, qui vitam conservat, nutrit et roborat ; estque quasi pharmacum vel leviores animæ morbos curans, vel eam præservans a gravioribus. Cum ergo concilia aut Patres dicunt hoc sacramentum remittere peccata, vel intelligunt de remissione venialium quoad culpam, vel de remissione mortalium quoad reatum pœnæ temporalis, vel de impetratione contritionis per hoc sacramentum ut est sacrificium, ad remittenda mortalia. Attamen

Dico 2 : Hoc sacramentum interdum confert primam gratiam, et delet peccatum mortale (D. Thomas, Richardus, Scotus, Sylvester, etc., contra Gabrielem, Majorem, etc.), quia licet hoc sacramentum non sit per se primo institutum ad remittenda mortalia, tamen ob excellentiam rei quam in se continet, videtur posse etiam vivificare mortuos, quando illi non obsistunt vitæ spirituali, sive quando non ponunt gratiæ obicem : sicut caro Christi suo tactu mortuos resuscitabat, seu vivificabat, cibus quidem materialis, quia convertitur in substantiam aliti, non potest vitam dare mortuo : secus vero cibus ille cœlestis, qui alitum, etiam mortuum in se convertit si non ponat obicem ; maxime cum non sit ita mortuus quin possit aliquem vitæ spiritualis actum exercere, et manducare cibum non tantum corporaliter, sed etiam utcunque spiritualiter, cum fide, reverentia, etc.

SECT. II. — *Quænam dispositio requiratur in suscipiente ut hoc sacramentum primam gratiam ei conferat.*

Dico 1 : Ut hoc sacramentum conferat primam gratiam, requiritur in suscipiente vera ac supernaturalis commissi peccati attritio ; contra Paludanum, Durandum, etc., dicentes ad hoc sufficere solam ignorantiam inculpabilem peccati mortalis, sine ulla dispositione. Probatur, quia pœnitentia infusa seu supernaturalis de peccato commissa, etc., et vere habita, etiam in lege gratiæ, est medium simpliciter necessarium ad remissionem peccati mortalis ; ergo illius oblivio inculpabilis aut dolor mere naturalis non sufficit.

Dico 2 : Ut hoc sacramentum conferat primam gratiam, non sufficit prædicta attritio, sed etiam requiritur bona fides, quæ per se loquendo in hoc consistit, ut quis ignoret statum suum, putetque se de omni peccato mortali sufficientem dolorem ac detestationem habuisse, et se in gratia esse. Probatur, quia qui sumit hoc sacramentum cum sola attritione cognita peccati mortalis, cognoscit se esse in peccato mortali, ergo indigne sumit, adeoque non justificatur. Hoc enim sacramentum per se est sacramentum vivorum, non mortuorum. Hinc potest quis recipere hoc sacramentum, ita ut nec peccet mortaliter, nec primam gratiam obtineat, si inculpabiliter existimet se esse contritum aut attritum supernaturaliter, cum non sit ; vel si bona fide cum inculpabili oblivione aut inadvertentia peccati mortalis, sine ullo illius dolore, accedat ad hoc sacramentum ; non enim peccat, quia inculpabiliter ignorat peccatum ; nec recipit gratiam, quia non dolet de peccato ; et sic in re indigne accedit, quamvis in sua existimatione digne accedat, ideoque excusetur a peccato ; cumque non tollat obicem, id est peccatum commissum per illius detestationem, hinc non consequitur gratiam. Facit quidem in sua opinione quod in se est, sed in re non facit.

SECT. III. — *Quæ dispositio requiritur ad gratiæ augmentum per Eucharistiam consequendum.*

Dico 1 : Peccatum veniale actualiter concomitans hujus sacramenti sumptionem, non impedit ejus effectum, seu gratiæ et charitatis augmentum (D. Thomas, Alensis, Gabriel, etc., contra Marsilium). Probatur : Peccatum veniale non pugnat cum gra-

tia habituali, nec cum quocunque ejus augmento in facto esse, ergo etiam neque in fieri, si aliunde possit applicari simul causa sufficiens; et maxime cum ex hujus sacramenti institutione, aut ex Christi voluntate nihil prorsus colligi contrarium possit. Insuper

Dico 2: Nulla positiva actualis dispositio necessario requiritur, ut hoc sacramentum conferat augmentum gratiæ et charitatis: Victoria, Sotus, et alii recentiores qui censent hoc non esse alienum a mente D. Thomæ, Durandi, Bonaventuræ, etc., requirentium actualem in ipsa sumptione devotionem. Probatur, quia sacramentum confert suum effectum ubi non est obex, v. gr. in infantibus, de quibus supra. Sed si quis ex involuntaria omnino distractione non habeat actualem dispositionem, non ponit obicem, quia non peccat; ergo sacramentum conferet suum effectum. Neque ullum vestigium sive ex Christi institutione sive ex Patribus reperitur quod actualis aliqua dispositio positiva necessario requiratur ad effectum hujus sacramenti.

Sect. IV. — *Quando hunc gratiæ effectum in sumptione conferat Eucharistia.*

Dico 1: Certum est hunc Eucharistiæ effectum conferri non ponenti obicem in ipsa sumptione, quia nec ante nec post hanc datur. Ergo in ipsa sumptione, seu usu sicuti alia sacramenta in usu dant suum effectum; et hujus effectus promissio facta est manducanti. Quia vero manducatio in motu successivo consistit, quæritur in quo ejus instante conferatur hic effectus. Pro quo notandum est dari necessario quemdam terminum indivisibilem, qui dividat manducationem a non manducatione; cum enim manducatio consistat in transitu cibi per guttur ad stomachum, quandiu cibus est in ore, nondum est manducatio, quia nondum trajicitur; quando autem ad stomachum pervenit, jam manducatio facta est, quia trajectus est. Oportet ergo intercedere aliquem terminum indivisibilem et instans a Deo notum et a nobis mente conceptum, in quo proprie dicatur fieri, ac fiat manducatio, ut in illo fiat ac detur sacramenti effectus. Quare

Dico 2: Videtur hoc sacramentum conferre totum suum effectum simul et semel, non autem successive, si nulla ratio successionis detur ex parte subjecti ob successivum dispositionis augmentum; si enim ex parte subjecti sit aliqua successiva varietas, si v. gr. recipiens sit melius dispositus circa finem manducationis, quam initio, tunc non repugnabit effectum sacramenti successive augeri juxta variam recipientis dispositionem. Sed quamvis hoc sacramentum conferat simul et semel totum suum effectum, probabile est tamen non conferre illum in primo aliquo nostri temporis instanti, sed in intrinseca duratione indivisibili, quæ successive nostro tempori coexsistit; cæterum, juxta satis communem theologorum opinionem, potest etiam dici hunc totum effectum fieri in aliquo nostri temporis instanti; v. gr. in illo primo instanti, in quo cibus pervenit ad illum terminum dividentem spatium (per quod fit manducatio) internum ab externo gutturis.

Sect. V. — *An plures species sacramentales ejusdem rationis, v. gr. panis, successive manducatæ, conferant unum et eumdem effectum, et quando illum conferant.*

Dico 1: Quando sumitur eadem hostia per partes, ita ut una pars prius tempore manducetur quam altera, cæteris paribus ex parte sumentis non datur major gratiæ effectus, quam si tota simul physice sumeretur; est enim moraliter una sola communio. Et hic effectus non datur per partes in singulis partialibus sumptionibus, sed simul totus per se loquendo: nempe ex parte sacramenti, et ex parte subjecti si in subjecto non varietur dispositio; si enim in eo varietur dispositio aut perficiatur, v. gr. si sacerdos dum sumit priorem partem hostiæ habeat obicem, et dum sumit posteriorem, sustulerit obicem per contritionem, recipiet effectum gratiæ in secunda partiali sumptione, quam non sumpsit in prima: aut si in prima digne licet dispositus, habuit dispositionem remissiorem, in secunda intensiorem, recipiet in prima effectum proportionatum primæ isti dispositioni, qui in secunda augebitur juxta secundam dispositionem intensiorem. Itaque

Dico 2: Sacramenti effectus datur in prima partiali sumptione et in primo instanti juxta ea quæ jam diximus. Quia sacramenti effectus non debet pendere a futuro et contingenti eventu; quod enim post primam partialem sumptionem futura sit alia, id contingens et accidentale est; quia si prima esset sola sine secunda, æque daretur effectus, cum totus Christus jam esset manducatus. Aliud est de extrema unctione, in cujus ultima unctione solum datur gratiæ effectus, quia ultima unctio est essentialis isti sacramento; secunda autem sumptio non est essentialis Eucharistiæ sacramento, cum totum sacramentum jam detur in prima sumptione, et utraque integret unam tantum communionem moralem, per quam datur unus effectus, et quem non oportet dari per totam illam per se primo, seu per omnes ejus partes; sicut alia sacramenta non agunt per omnes suas partes, sed per ultimum terminum in quo consummantur.

Sect. VI. — *An per species sacramentales diversarum rationum, nempe panis et vini, detur idem gratiæ effectus, et quando.*

Dico 1: Sumptio cujusvis speciei sacramentalis, sive vini, sive panis, etiamsi per se sola sumatur, est sufficiens ad dandam gratiam habitualem et sacramentalem. Certum est enim de specie panis quæ sola a laicis sumitur, ergo etiam de sola vini specie, cum sit verum sacramentum, et contineat totum Christum æque ac species panis. Ergo utraque æque efficax est, et utraque significat animæ refectionem et cum Christo unionem. Unde tanta gratia per sumptionem unius speciei, quanta per alterius sumptionem confertur seu æqualis, cæteris paribus, nec per unam speciem confertur sacramentalis gra-

tia diversa formaliter ab ea quæ per aliam datur; utraque enim æqualiter et æqualem continet Christi promissionem. Et quamvis quoad res sensibiles et materialia signa ambæ species sint diversæ, tamen quoad rationem et modum significandi, formaliter inter se conveniunt: significant enim per modum unius rei coalescentis ex multis tum granis tum acinis; uti et conveniunt quoad rem significatam ac contentam, nempe Christum, omnis gratiæ fontem.

Dico 2: Non datur per se loquendo, et cæteris paribus ex parte sumentis major gratia per sumptionem utriusque speciei, quam per sumptionem unius tantum. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Gabriel, Canisius, Bellarminus, etc.) Christus enim totus tam sub una quam sub bina specie continetur; ergo idem beneficium dat per unam ac per binam speciem. Deinde Eucharistia ut constans ex duabus speciebus, est tantum unum integrum sacramentum, ordinatum ad eumdem finem et formalem effectum unionis cum Christo, et fervoris charitatis; ergo habet unum tantum adæquatum et indivisibilem gratiæ effectum.

Objicies 1: Videtur dari major gratia per sumptionem duarum specierum quam unius tantum, quia utrique per se et sigillatim ratione sui promissa est gratia. Respondeo, eamdem esse omnino promissionem quæ facta est huic toti sacramento, et singulis ejus speciebus; ideo sive quis sumat totum sacramentum, id est utramque speciem, sive unam tantum, æque in quovis completur Christi promissio, quia sicut tota perfectio sacramenti est in toto et in qualibet parte, ita promissio una est, quæ æque cadit in totum et in quamlibet partem.

Obj. 2: Effectus sacramenti correspondet secundum id quod ex vi verborum in eo continetur; ex vi autem verborum sub specie panis continetur caro, et non sanguis, et contra sub specie vini sanguis et non caro; ergo utraque plus operatur, quam una. Respondeo: Nego antecedens. Ad effectum enim sacramenti nihil refert quod aliquid Christi ex vi verborum, aut per concomitantiam sub speciebus contineatur, sed sufficit quod totus ibi Christus contineatur, quia promissio Christi cadit æqualiter in omne id quod totum Christum continet.

Obj. 3: Utraque species simul sumpta perfectiorem significat effectum, quam alterutra tantum, ergo et confert. Respondeo: Nego antecedens. Non enim est perfectior significatio in duabus speciebus quam in una, quia utraque species significat sive conjunctim sive separatim animæ refectionem et unionem cum Christo, sed tantum modus significandi est perfectior et expressior in duabus speciebus, quam in una. Ad perfectionem autem effectus sacramentalis attenditur perfectio significationis ex parte rei significatæ, non modus significandi, quia sacramenta efficiunt quod significant non ob modum significandi; nec modus significandi est conditio necessaria ad agendum, sed ipsa significatio.

Dico 3: Dum utraque species sumitur, in sumptione hostiæ seu primæ speciei, datur totus effectus sacramenti, si sumens sit bene dispositus; nam calicis species non est sacramentum distinctum a specie panis, sed ex utraque unum componitur, et totum sacramentum operatur per aliquid sui, cum primum potest, adeoque sumptio calicis non privatur suo effectu. Imo ejus effectus augebitur, si in ejus sumptione subjectum sit tunc melius dispositum, quam in sumptione speciei panis.

Sect. VII. — *An Eucharistia conferat aliquem effectum gratiæ post sumptionem, quandiu durat Christi præsentia.*

Dico 1: Si eo tempore, quo Christi præsentia durat, priusquam transmutentur species sacramentales, dispositio hominis non crescat, nullum gratiæ augmentum ei confertur; nam si in ipsismet partialibus sumptionibus non augetur gratia, dum non augetur sumentis dispositio, juxta ea quæ supra diximus, multo minus augebitur per solam præsentiæ sacramentalis durationem. Sed

Dico 2: Si eo tempore, quo Christus est realiter præsens intra hominem, ipse homo sese magis ac magis disponat, valde probabile est augeri in illo sacramentalem gratiæ effectum; et in hoc sensu videntur locuti Cajetanus, Gabriel, et Major, cum affirmant quandiu Christus est præsens intra corpus illius qui digne communicavit, eum continue gratiam illi effundere. Probatur, quia gratiæ promissio præcipue facta est huic sacramento ob Christum manducatum juxta id: *Qui manducat me, vivet propter me* (*Joan.* VI, 58). Unde Augustinus (tract. 16) ait: « Manducare Christum, est illum manentem in se habere. » Si enim dum sacramentum manducatur seu applicatur, tum operatur, etiam manendo applicatum, potens erit ad operandum quantum est de se, si subjectum sit dispositum, seu si vitaliter circa illud operetur: sicut cibus materialis manducatus, dum subjectum circa illud vitaliter operatur, continue nutrit et corroborat. Hinc iste sacramenti effectus non augetur præcise ob diuturniorem Christi præsentiam, sed ob meliorem recipientis dispositionem.

Sect. VIII. — *An qui ficte recepit Eucharistiam, recedente fictione, post transactam Christi sacramentalem præsentiam, incipiat consequi illius effectum.*

Dico: Hoc sacramentum non habet effectum, recedente fictione, si jam omnino desiit sumptio et præsentia Christi in sumente. (D. Thomas, Bonaventura, Durandus, Paludanus, etc.) Probatur, quia Paulus ait (*I Cor.* XI, 29), indigne communicantes judicium sibi manducare et bibere. Deinde sacramenta quæ recedente fictione habent suum effectum, hoc ideo habent vel quia iterari non possunt, vel quia sunt ad salutem media necessaria; quæ duo in sacramento Eucharistiæ non reperiuntur. Unde per hoc sacramentum postquam omnino esse desiit seu transactum est, nunquam recipitur

gratiæ augmentum, contra Cajetanum dicentem si quis tempore actualis manducationis voluntarie distractus, aut sine actuali dispositione fuerit, eum tunc non recepturum quidem gratiæ augmentum, sed postea recepturum, recedente fictione, id est habita attentione seu devotione actuali. Sic etiam prima gratia quæ interdum per accidens datur vi hujus sacramenti, recedente fictione nunquam recipitur (hoc Cajetanus admittit), alioqui sacerdos qui quotidie sacrilege communicasset per unum pœnitentiæ actum in fine vitæ consequeretur omnem gratiam, quam ex opere operato obtinuisset, si digne communicasset. Gratia per peccatum perdita, reparatur per pœnitentiam, quia prius jam habebatur cum jure ad gloriam : at gratia per peccatum in Eucharistia impedita, nunquam habita fuit, nec jus ad illam acquisitum fuit, ergo, etc.

Sect. IX, X. — *An Eucharistia det aliquem gratiæ actualis effectum et quando; item an remittit peccata venialia et temporales pœnas.*

Dico 1 : Hoc sacramentum de se efficax est ad excitandam animi devotionem et charitatis fervorem cum speciali spiritus dulcedine : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus* (*Psal.* LXVII, 11). *Pinguis est panis ejus, et præbebit delicias regibus* (*Gen.* XLIX, 20). Hæc autem spiritualis dulcedo requirit actualem gratiam, quia non fit sine attentione et affectione actuali. Item confert ex opere operato actuale Dei auxilium ad vitanda peccata, et vincendas tentationes (D. Thomas, Innocentius, etc.). *Hoc sacramentum*, inquit Tridentinum (sess. 13, cap. 2), *est institutum ut antidotum quo a mortalibus peccatis præservemur, et a venialibus liberemur.* Unde Joan. VI, 54, dicitur : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et hic quidam effectus tempore opportuno dandus, est infallibilis ex parte sacramenti, si ex parte recipientis adhibeatur dispositio vel conditio necessaria, v. gr. si digne recipiat sacramentum, si fideliter gratiæ datæ cooperetur, si non resistat, si non ponat obicem per peccatum subsequens, etc.

Dico 2 : Hoc sacramentum infundendo suam gratiam sacramentalem, simul delet peccata venialia ex opere operato. (D. Thomas, Magister, Bonacina) Nec ad hoc requiritur alia in sumente dispositio, quam quod sit in statu gratiæ, et nullum actualem istorum venialium peccatorum affectum habeat : quia Christus instituendo hoc sacramentum, istam vim illi indidit. Eucharistia autem, ut sacramentum est, non remittit reatum pœnæ temporalis directe et ex opere operato, sed solum indirecte et concomitanter, excitando in sumente actum charitatis, juxta cujus quantitatem ac fervorem remittitur tota vel pars pœnæ, quam sumens ipse debebat subire, non autem alius. Quatenus autem est sacrificium, quomodo possit pro celebrante aut pro aliis reatum pœnæ temporalis ex opere operato remittere, dicetur postea. Quando ergo aliquis pro aliis aut pro animabus purgatorii communicat, ista communio non prodest aliis ex opere operato, sed tantum ex opere operantis , quatenus est actus religionis, ex opere operantis,de se satisfactorius, et meritorius, per modum impetrationis aut meriti de congruo pro aliis; et sic pro illis oblatus Deo, potest ipsis prodesse.

DISPUTATIO SEXAGESIMA QUARTA.

De effectu quem in corpore producat Eucharistia.

Sect. I. — *An Eucharistia in corpore suscipientis aliquid efficiat.*

Dico 1 : Hoc sacramentum non efficit in corpore qualitates aliquas supernaturales, per quas illud ad gloriam disponat, seu conforme corpori Christi efficiat, quia illæ qualitates cum non sint operativæ, nihil ad opera virtutis deservirent, neque ad corporis decorem conducerent utpote invisibiles ; neque etiam quidquam ad vitæ futuræ perfectionem conferrent, quia corrupto post mortem corpore, ipsæ etiam corrumperentur ; ergo, etc. Sed

Dico 2 : Hoc sacramentum aliquam in corpore digne recipientis habet efficaciam, moderando fomitem peccati, et alios in appetitu sensitivo bonos affectus excitando, ut homo possit promptius ac jucundius virtutem exercere ; uti ex Patribus et theologis colligitur, dicentibus hoc sacramentum ardorem concupiscentiæ exstinguere, fomitem minuere, devotionem augere, nempe vel per augmentum charitatis, quo concupiscentia minuitur, vel per redundantiam affectuum voluntatis in appetitum sensitivum, vel per excitationem phantasmatum ac humorum aut spirituum animalium, vel per alterationem temperamenti corporis moderando ejus calorem, vel denique per specialia Dei auxilia quibus cogitationes et affectus excitantur ad prædictum finem accommodati, aut per extrinsecam providentiam qua tollantur occasiones excitandi pravos motus, et offerantur occasiones excitandi bonos. Hinc dicitur : *Vinum germinans virgines* (*Zach.* IX, 17).

Sect. II. — *An resurrectio vel gloria corporis, sit specialis hujus sacramenti effectus.*

Nota : Christus loquens de hoc sacramento dicit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* VI, 55). Hinc

Dico 1 : Gloriosa corporis vita non est ita promissa per hoc sacramentum, ut is qui semel communicaverit, sit eam infallibiliter consecuturus, uti quidam olim senserunt, quorum sententiam, crimine hæreseos notat Augustinus (*De civit.*, lib. I, cap. 25) ; hoc enim sacramentum non aufert potentiam peccandi, nec confirmat hominem in gratia,

Dico 2 : Nec videtur ob hujus sacramenti susceptionem danda fore corpori glorioso specialis aliqua gloriæ ac immortalitatis perfectio instar aureolæ ; sed quia hoc sacramentum dat vires ad perseverandum in gratia, et ad perveniendum usque ad

montem Dei, posset immortalis vitæ corporis, quæ spirituali animæ vitæ respondet, adeptio specialiter illi attribui; vel potius sicut resurrectio et gloria est debita corpori Christi non tantum ob unionem hypostaticam et ob animæ gratiam ac gloriam, sed etiam speciali ac novo titulo ob merita, ita resurrectio et vita gloriosa debita erit corpori hominis non solum ob animæ gratiam et gloriam, sed etiam proprio ac singulari titulo ob specialem cum Christo conjunctionem, factam per hoc sacramentum; et fortasse aliquod accidentale gaudium inde accrescet iis, qui istius sacramenti participes fuerint.

Sect. III. — *An per susceptionem hujus sacramenti aliqua realis inter Christi et suscipientis corpus unio fiat.*

Dico 1 : In usu hujus sacramenti non tantum recipimus Christum per fidem, sed etiam realiter per os corporeum; quia autem est vere realis sumptio, per quam vere ac realiter Christus manet in nobis, ideo a quibusdam Patribus vocatur corporalis unio, aut etiam naturalis. Sed hæc unio non est effectus, ast usus hujus sacramenti, consistens in motu manducationis, qui est communis et digne et indigne communicantibus; nihilque aliud significat quam realem ac corpoream Christi in nobis præsentiam manducatione factam. Et hanc Hilarius vocat naturalem Christi in nobis unitatem, quia naturalis Christi caro, una eademque exsistit realiter in nobis. Præter hanc ergo propinquitatem, vel mediantibus speciebus sacramentalibus contactum inter nostrum et Christi corpus, non intervenit aliqua materialis unio physica : hæc enim unio vel esset formalis, vel effectiva. Non formalis, quia ex nostro et Christi corpore non fit unum corpus vera ac reali unitate; neque una natura, neque una persona, neque aliud quoddam compositum. Non etiam effectiva, quia licet hoc sacramentum aliquid in corpus recipientis efficiat, non est tamen talis hæc effectio, ut corpus recipientis ad se trahat et secum reali unione conjunctum habeat. Deinde iste contactus Christi corporis mediantibus speciebus cum corpore recipientis, fit tantum in illa corporis parte ad quam species sacramentales perveniunt, et non cum toto corpore; ergo hoc, cum non sit præsens, non unitur realiter Christi corpori. Sed etiam cum illa parte quam tangit, est tantum contactus, non unio. Quare

Dico 2 : Præter dictum contactum seu propinquitatem realem inter corpus Christi et communicantis, non datur aliqua alia realis ac physica unio, sed tantum spiritualis cum ipso Christo, secum afferens omnes spirituales effectus qui ad spiritualem istius unionis perfectionem tendunt; adeoque variæ Patrum locutiones, quibus intimam Christi corporis cum nostro commistionem ac unitatem per comparationem ceræ liquefactæ, aut fermenti, extollunt, intelligendæ sunt de prædicto contactu ac intima reali præsentia. Et ob hanc ista sacramentalis cum Christo unio spiritualis est longe major ac strictior quam quævis alia spiritualis unio; provenit enim ex corporali Christi præsentia, quem præsentem homo affectu quasi complectitur; ejusque corpus et anima ita illa præsentia dignificatur, ut postea Christus specialem utriusque curam gerat. Quod intellige de digne communicantibus. Et ad hoc non sufficit solum communionis votum seu desiderium, sed requiritur realis corporis Christi receptio.

DISPUTATIO SEXAGESIMA QUINTA.

De adoratione sacramento Eucharistiæ debita.

Sect. I. — *An sit licitum, imo et præceptum Eucharistiam adorare.*

Nota : Hæretici qui negant Christi præsentiam in Eucharistia, etiam negant hanc esse adorandam; et qui asserunt ejus præsentiam esse tantum in Eucharistiæ usu, asserunt etiam hanc in usu tantum adorandam, nec ante nec post. Imo quidam negant Christum unquam ibi adorandum, licet adsit, quia Christus nunquam nos docuit, ut ipsum ibi adoraremus.

Dico 1 : Christus in Eucharistia exsistens non minori veneratione ac cultu dignus est, quam si in propria specie clare ac sensibiliter cerneretur. De fide, ex concilio Tridentino (sess. 13, cap. 5, et can. 6). Modus enim sive sensibilis sive insensibilis exsistendi non variat cultum, quia ubicunque Christus exsistit, ex lege divina et naturali, absque novo documento, præcepto, revelatione tenemur eum ibi adorare, uti cæcus evangelicus a Christo illuminatus, statim procidens eum adoravit. Atque hoc confirmatur ex antiquissimo Ecclesiæ ritu elevandi hostiam post consecrationem; nam licet hæc cæremonia possit mystice significare vel Christi elevationem in cruce, vel ejus resurrectionem, vel ascensionem, ut indicat concilium Ephesinum vel elevationem mentis in Deum, etc., proprie tamen et expresse fit, ut populus fidelis, qui credit statim post consecrationem Christum illic adesse, eum adoret, ut constat ex omnibus liturgiis, et ex Dionysio (*De eccles. hierarch.*, cap. 3).

Dico 2 : Non tantum sub speciebus exsistens, sed etiam totum sacramentum visibile prout ex Christo et speciebus constat, unico latriæ actu adorandum est. Hoc enim sacramentum est unum quid ex Christo et speciebus coalescens. Ergo totum uno actu adoratur, id est, primo et per se adoratur Christus, qui est unicum illius suppositum in quod per se tendit adoratio; et simul coadorantur species tanquam Christo conjunctæ, et unum cum illo componentes; uti canit Ecclesia :

> Tantum ergo sacramentum
> Veneremur cernui.
>
> (In fest. SS. Corp. et Sang. Christi *Hymn. ad 1 Vesper.*)

Dico 3 : Hoc sacramentum non tantum interiori, sed etiam exteriori et visibili cultu est adorandum, ut constat ex Patribus et usu Ecclesiæ; homo enim debet et corporis et animi actibus Christum Deum et hominem colere. Hinc pio more Ecclesia hoc sa-

cramentum publice interdum proponit adorandum, vel per publica loca solemni pompa circumfert, uti docet ac definit concilium Tridentinum (sess. 13, cap. 5, can. 6). Omnes ergo tenentur præcepto negativo ad non tractandum irreverenter hoc sacramentum, et affirmativo ad honorem ei exhibendum loco et tempore opportuno; v. gr. in missæ sacrificio, in communione, in publica supplicatione, in publica ejus expositione, in ejus occursu dum ad infirmos defertur, etc.

Sect. II. — *An hoc sacramentum debeat absolute adorari.*

Dico 1 : Eucharistia simpliciter adoranda est adoratione latriæ absoluta et perfecta, qua Christus per se adoratur et species coadorantur, quia hoc sacramentum in re est unum constans ex Christo et speciebus. Ergo eadem adoratione est adorandum qua ipsemet Christus adoratur, et species coadoranda tanquam vestis aut thronus Christi; sic humanitas Christi cum Verbo coadoratur.

Dico 2 : Ex parte adorantis, per se loquendo, ac seclusis specialibus circumstantiis per accidens occurrentibus, absolute hoc sacramentum adorandum est nulla in actu apposita conditione, an sit rite consecratum, necne. (D. Thomas, Richardus, Gabriel, etc.) Probatur, quia ut homo possit absolute operari, sufficit moralis certitudo; alioqui nec parentes possemus absolute venerari, nec sacerdos posset dare absolutionem absolute, etc. Is qui sic adorat, totam suam intentionem et rationem adorandi ponit in vera Christi excellentia; adeoque nulla formaliter committeretur idololatria, licet contingeret falsum fuisse adorationis visibile objectum. Dixi, *seclusis specialibus circumstantiis*, quia si sufficiens ratio dubitandi de veritate sacramenti sive ex parte materiæ, sive ex parte ministri occurreret, tunc non esset adorandum sine explicita conditione; sicuti quando alicui apparet aut apparere videtur Christus in aliqua revelatione, quandiu res dubia est, non est exhibenda absolute adoratio, donec de veritate revelationis moralis certitudo habeatur.

DISPUTATIO SEXAGESIMA SEXTA.

De spirituali dispositione ex præcepto necessaria ad suscipiendum hoc sacramentum.

Sect. I, II. — *An sit peccatum mortale, et quam grave accipere hoc sacramentum in peccato mortali sine ulla dispositione.*

Dico 1 : Accedere ad hoc sacramentum sine dispositione ad gratiam sufficienti et cum conscientia peccati mortalis, est peccatum mortale. De fide; contra recentiores hæreticos, qui non tantum nullam gratiæ dispositionem requirunt, sed potius asserunt quo magis aliquis est peccator, eo melius illum esse dispositum ad hoc sacramentum recipiendum, dummodo firmiter credat sua peccata sibi non esse imputanda ob Christum, quia hoc sacramentum est cibus animæ et pharmacum. Hæretici enim volunt peccata non tolli, sed per solam fidem non imputari. Probatur assertio ex I Cor. XI, 26, 27 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et Origenes (hom. 5) : « Ubi enim, » inquit, « in indigno ingreditur (nempe Christus in communicante), ibi ad judicium ingreditur accipiente. » Similia habent Cyprianus, Hieronymus, etc. Sancta enim sancte tractanda sunt. Sed

Dico 2 : Recipere hoc sacramentum in peccato veniali, vel etiam peccando venialiter in ipsa sumptione, non est ex eo capite peccatum mortale; quia per veniale non ponitur obex gratiæ sacramenti, adeoque non fit gravis injuria. In ea autem dispositione communicare, an sit veniale, controvertitur. Sic videtur dicendum : si peccatum veniale sit velut circumstantia communionis, v. gr. si quis communicet ob ostentationem seu vanam gloriam, si communicando sit actualiter in peccato veniali, in vana cogitatione, in vana delectatione, in voluntaria distractione, sine debita attentione et devotione; si accedat ad Eucharistiam cum conscientia multorum venialium sine ullo dolore ac proposito emendationis, est peccatum veniale sic communicare. Qui vero accedit ad Eucharistiam cum uno alterove peccato habituali veniali, non videtur peccare etiam venialiter, si alioqui conetur cum timore, reverentia, et devotione accedere. Denique nulla actualis dispositio requiritur ad sumendam Eucharistiam ex præcepto rigoroso præter gratiam habitualem.

Dico 3 : Indigna hujus sacramenti susceptio, est peccatum sacrilegii, utpote virtuti religionis contrarium; et quamvis non sit tam grave quam Dei odium, hæresis, desperatio, est tamen gravius iis peccatis, quæ sunt contra virtutes morales, religione inferiores. Verum in specie sua non est omnium, quæ religioni opponuntur, maximum; nam peccata quæ religioni opponuntur, juxta D. Thomam, ponuntur in primo gradu ea quæ sunt contra Deum secundum se, v. gr. blasphemia, perjurium, etc., aut contra Spiritum sanctum. In secundo gradu ponuntur quæ sunt contra humanitatem Christi ut in propria specie exsistentis. In tertio ea quæ sunt contra hoc sacramentum, in quo Christus realiter continetur sub aliena specie. Varii autem auctores disputant an hoc peccatum sacrilegii sit gravius homicidio, adulterio, aliisve peccatis enormibus contra castitatem; sed hoc est difficile determinare. Deinde gravitas hujus sacrilegii potest variari ex diversis circumstantiis; per se enim loquendo, gravius peccat qui cum gravioribus peccatis communicat, quam qui cum levioribus. Dum Augustinus dicit non minus esse peccatum indigne audire verbum Dei, quam indigne communicare, debet hoc in sano sensu intelligi, v. gr. de formali contemptu verbi Dei, seu fidei, ipsiusve Dei, etc.

Sect. III. — *An conscius peccati mortalis teneatur confessionem præmittere ante hujus sacramenti usum.*

Dico 1 : Semper fuit in Ecclesia præceptum præ-

mittendi confessionem ante communionem, interveniente conscientia peccati mortalis post baptismum commissi. D. Thomas, Scotus, Gabriel, etc., contra Cajetanum dicentem hoc præceptum esse novum ac recens in Ecclesia; sed ejus sententia nunc post concilium Tridentinum sustineri non potest. Probatur 1° ex concilio Tridentino (sess. 13, cap. 7) docente istam necessitatem præmittendi confessionem ante communionem semper fuisse in Ecclesia. 2° Ex Patribus Cypriano, Augustino, etc., asserentibus non dandam esse communionem peccatoribus ante reconciliationem cum Ecclesia et satisfactionem. 3° Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine Patrum antiquorum testimonio comprobata.

Dico 2 : Hoc præceptum præmittendi confessionem ante communionem, esse de solo jure naturali, ut vult Sylvester, non potest probari, etiam supposita sacramenti confessionis et communionis institutione. Licet supposita horum duorum sacramentorum institutione videatur sequi ex sola rei natura absque alia positiva lege, obligatio præmittendæ confessionis, tum ob singularem Eucharistiæ dignitatem, tum ob ejus significationem, quæ est unio Christi cum Ecclesia visibili, tum ob potestatem clavium : tamen hæc omnia ex vi solius juris naturalis non probant obligationem confessionis, cum possit, secluso præcepto positivo, sufficere perfecta contritio ad sancta sancte tractanda. Unde

Dico 3 : Hoc præceptum est divinum positivum, a Christo specialiter latum, apostolisque ac per eos Ecclesiæ traditum. Sotus, Canus, Cordubensis, etc., contra Medinam, Palatium, etc., dicentes esse præceptum ecclesiasticum, apostolica traditione ac perpetua Ecclesiæ consuetudine observatum. Probatur ex dictis Patribus Cypriano, Augustino, etc., et ex concilio Tridentino (sess. 13, cap. 7) quod tractans hæc Pauli verba (*I Cor.* XI, 26) : *Probet autem seipsum homo,* sic ait : *Quare communicare volenti revocandum in memoriam ejus præceptum,* nempe Christi, de quo Paulus immediate ante ista verba egerat. Deinde concilium hæc addidit : *Ecclesiastica consuetudo declarat, ut nemo sibi conscius alicujus criminis sine prævia confessione accedat;* id est, declarat hoc jus non esse ab Ecclesia introductum, sed ab ea perpetuo observatum. Denique ibidem (can. 11) imponit excommunicationem ipso facto incurrendam, in eos qui prædicaverint, docuerint aut defenderint non esse necessarium præmittere confessionem ante communionem; ideoque hinc rejicitur Cajetani sententia, quia non potest esse universalis obligatio et necessitas prædictæ confessionis, quam concilium statuit, nisi fundetur in antiquo præcepto, et non tantum in novo. Quare dum antiqui Patres requirunt pœnitentiam ad communionem, intelligunt de pœnitentia sacramentali.

Sect. IV. — *Quibus de causis licitum est communicare sine prævia confessione post mortale peccatum commissum.*

Dico 1 : Juxta omnes Thomistas et concilium Tridentinum, interdum licet ei, qui peccavit mortaliter, sine prævia confessione Eucharistiam sumere; nempe, ut ait Tridentinum, *necessitate urgente, et modo desit copia confessoris.* Non videtur autem deesse copia confessarii, si exspectet brevi aliquis eum, cui solet devotius confiteri, dum adest cui potest integre confiteri, nec deest copia confessarii, dum absente proprio sacerdote adest alienus, habens jurisdictionem. Si quis autem habeat tantum unum peccatum, et putet cum vero ac reali periculo confessarium, qui solus adest, non servaturum confessionis sigillum, aut sibi illaturum gravem injuriam, tunc censeri potest deesse copia confessarii; secus, si habeat alia mortalia, ex quorum confessione nullum timet damnum; tacendo enim illud, ex cujus confessione timet damnum, debet alia confiteri. Item si quis habeat peccata mortalia non reservata cum uno reservato, nec habeat qui a reservato possit digne absolvere, videtur probabilius necessitate urgente teneri confiteri alteri non reservata cum reservato, si hic jurisdictionem habeat in non reservata, a quo absolvetur indirecte a reservato cum onere comparendi postea coram habente potestatem in reservata.

Dico 2 : Non tantum debet deesse copia confessarii, ut quis possit interdum sine prævia confessione communicare, sed etiam debet esse urgens seu gravis necessitas tum communicandi : v. gr. si quis sit in periculo mortis sive ipse sacerdos, sive alius pro quo debeat facere sacrum ut illum communicet; si quis non possit omittere communionem sine gravi infamia, si sequatur scandalum ex omissione missæ, vel communionis; si occurrat necessitas absolvendi inchoatum sacrificium, facta jam consecratione. Si autem ante consecrationem, et possit sine scandalo haberi confessarius, præmittenda est, juxta Bonaventuram, Sylvestrem, etc., confessio; multo vero magis præmittenda est, si peccati mortalis memoria occurrat ante inchoatam missam. Deinde si quis jamjam communicaturus recordetur peccati mortalis non confessi, nec possit a mensa communionis sine scandalo vel infamia retrocedere, licebit, omissa confessione, communicare. Secus vero si illius recordetur antequam ad mensam communionis accesserit. Denique si sacerdos teneatur ex officio isto die sacrum facere, v. gr. parochus, poterit, omissa confessione, celebrare; secus autem si ex officio non teneatur, etiamsi alii tenerentur isto die audire missam, nisi forte ex omissione missæ, oriretur scandalum vel infamia. Obligatio audiendi missam, juxta Sotum, Cordubensem, Antonium, etc., contra Paludanum et Sylvestrem, non videtur sufficiens causa ad celebrandum omissa confessione ut ipse celebrans audiat missam. Idem dic de obligatione communicandi in Paschate, etc.

Sect. V. — *An dum non præmittitur confessio peccati mortalis, sit necessaria contritio.*

Dico : Is qui est sibi conscius peccati mortalis, et

confiteri non potest, tenetur elicere contritionem, antequam accedat ad communionem : ita omnes Thomistæ, estque doctrina Patrum et concilii Tridentini volentibus communicare munditiem et sanctitatem præscribentis. Ratio est, quia si lex positiva non præscripsisset confessionem ante communionem, ex natura rei requireretur contritio ; lex autem positiva non abstulit obligationem naturalem. Ergo dum non potest præmitti confessio, reducitur res ad eum statum, in quo esset ex natura rei ; ac proinde ex lege naturali peccator tenetur contritionem elicere ad hoc sacramentum tam excellens et divinæ unionis significativum recipiendum in statu gratiæ. Si enim cum sola attritione illud reciperet, indigne et in statu peccati mortalis illud reciperet, quia prius reciperet seu manducaret quam posset ab illo effectum recipere, siquidem in termino manducationis recipiendus esset ejus effectus ; sed cum videns et sciens in statu peccati id recipiat, ponit obicem sacramento ; qui vero bona fide ad illud accederet, excusaretur a peccato, adeoque non poneret obicem, et sic posset ejus effectum recipere, uti et ille qui ex ignorantia invincibili putaret licere tunc accedere ad hoc sacramentum cum attritione. Deinde ministrans, si sit in peccato mortali, tenetur confiteri ; multo ergo magis recipiens tenebitur.

Sect. VI, VII. — *An qui post conscientiam peccati mortalis sine prævia confessione communicavit, teneatur ex jure seu divino seu ecclesiastico statim cum primum poterit, confiteri.*

Dico 1 : Is qui sine prævia confessione habens conscientiam peccati mortalis communicavit sive digne sive indigne, non tenetur ex vi juris divini naturalis statim confiteri cum primum potest, licet hoc sit melius et securius ; adeoque nec qui digne accedit cum sola contritione, tenetur habere propositum statim confitendi, sed confitendi tantum. Præcepta enim affirmativa non obligant pro semper, sed pro certis temporibus et opportunitatibus tantum. Attamen

Dico 2 : Sacerdos (non laicus), digne celebrans aut perficiens sacramentum inchoatum (non vero indigne et cum peccato celebrans), tenetur jure ecclesiastico, cum primum potest, confiteri, juxta hoc concilii Tridentini (sess. 3, cap. 7) decretum seu præceptum : *Quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Sacerdos autem qui ex oblivione peccati mortalis sine prævia confessione digne celebrat, non videtur sub hoc præcepto comprehendi, quia lex positiva tantum obligat prout loquitur seu fertur.

Sect. VIII. — *An qui peccavit mortaliter, licet contritus et confessus sit, teneatur communionem aliquandiu differre*

Dico : Per se loquendo, nullum est peccatum, communicare paulo post commissum peccatum mortale præmissa debita confessione. (D. Thomas, Paludanus, Gabriel, Cajetanus, etc.) Id enim nulla lege sive divina sive humana prohibetur ; quia cum ille homo jam justificatus sit per confessionem, nihil est quod ipsum impediat recipere effectum Eucharistiæ. Dixi, *per se loquendo*, quia si peccatum esset publicum aut frequens ac notum, per accidens posset esse peccatum grave ratione scandali, vel etiam ob periculum communicandi sine vera peccati detestatione ; ideoque sæpius consulendum est, ut post commissum peccatum mortale, licet pœnitens videatur sat dispositus, parumper differat suam communionem, saltem per diem, ut animum magis colligat et abstrahat a peccato. Hinc aliqui censent fere semper esse peccatum veniale, sic statim communicare post peccatum mortale, maxime si fuerit carnale seu venereum.

DISPUTATIO SEXAGESIMA SEPTIMA.

De obligatione repellendi indignos ab usu Eucharistiæ.

Sect. I, II, III, IV. — *An et quomodo minister hujus sacramenti teneatur illud denegare peccatori.*

Dico 1 : Minister Eucharistiæ ex lege naturali et divina, absolute loquendo, tenetur denegare illam in peccato mortali exsistentibus, utpote indignis, nec jus ad illam habentibus, maxime si potest denegare sine suo gravi incommodo. Multo autem minus potest eos ad illam invitare quandiu in eo statu perseverant : nec Christus invitavit Judam ad sacrilege communicandum, sed permisit, datis prius sanctis admonitionibus frustra. Sacerdos aut diaconus seipsum communicans in peccato mortali committit per Eucharistiæ administrationem et susceptionem duas malitias morali specie diversas, in confessione explicandas, dicendo vel celebrasse in peccato mortali, vel extra sacrificium dedisse sibi ipsi communionem. Hinc

Dico 2 : Peccator publicus sive publice sive occulte Eucharistiam petat, illi deneganda est, ideoque in jure jubentur repelli a communione meretrices, usurarii et alii ejusmodi ; sed si peccator publicus, occulte sit rite confessus, et occulte petat Eucharistiam, si constat de vera ejus pœnitentia, danda est illi Eucharistia. Si autem publice petat, debet exhibere publicam satisfactionem, aut saltem ejus conversio esse publica, ac manifesta ; ut possit ei dari. Si sit in articulo mortis, tunc ad ei dandam sufficit ut vel confiteatur, vel veræ contritionis signa exhibeat.

Dico 3 : Peccatori occulto occulte Eucharistiam petenti, est ei deneganda, quia nec habet jus petendi, nec sequitur infamia, nec scandalum, cum totum negotium occulte transigatur ; et licet haberet aliquale jus petendi a suo pastore, tamen jus sacramenti seu Christi ut non fiat ipsi injuria, est majus, quod minister debet servare illæsum, dum non occurrit majus incommodum. An autem sacerdos, qui per solam confessionem novit peccatum, possit negare Eucharistiam pœnitenti dum ab ipso eam tam occulte petit, ut nullus alius adsit (si enim alius adesset, esset sine dubio revelatio confessio-

nis, quæ nulla esse videtur, dum nullus alius adest), valde dissentiunt inter se hac in re auctores : non posse negare affirmant Antoninus, Adrianus, Sylvester, etc.; nec posse uti ista confessionis scientia, quia illius sigillum etiam obligat respectu ipsius pœnitentis. Posse tamen inde sumi occasionem ad eam negandam alio prætextu. Alii vero, nempe D. Thomas, Durandus, Alensis, Angelus, etc., asserunt debere negare isti peccatori Eucharistiam, quia est actus consentaneus potestati clavium, qua digni admittendi sunt, indigni repellendi, nec esse contra sigillum. Hæc posterior opinio speculative videtur magis approbanda, practice autem vix habet locum. Dum sacerdos scit peccatum extra confessionem, debet de eo sufficienter illi constare, ut possit peccatori denegare communionem, v. gr. quia vidit peccatum, et certo scit non esse confessum, vel ipse peccator fatetur suum malum statum, etc.

Dico 4 : Peccatori occulto publice petenti Eucharistiam, non potest ei denegari sine gravi peccato : ita D. Thomas, Alensis, Bonaventura, etc., hasque rationes afferunt : 1° quia id esset infamare illum ; 2° licet ibi interveniat injuria Christi in sacrilega communione, tamen infamatio proximi est magis certa quam injuria Christi, quia peccator jamjam communicaturus potest subito interius mutari ; 3° quia daretur scandalum; 4° quia peccator occultus habet jus petendi publice Eucharistiam, a quo non potest deturbari, nisi sufficienter de eo convincatur vel per notitiam publicam, vel per testes. Sed ratio adæquata et universalis hæc potius videtur esse, quod minister hujus sacramenti tanquam persona publica ad commune Christianæ reipublicæ bonum servandum deputata, debeat publice dispensare sacra mysteria non per privatam, sed per publicam et notoriam scientiam. Alioqui hujusmodi dispensatio obnoxia esset variis injuriis et scandalis.

Objicies 1 : Dare Eucharistiam indigno, est cooperari ejus peccato ; ergo non licet, etiamsi peccator publice petat : projicere enim Eucharistiam in locum immundum, est ita intrinsece malum, ut nunquam liceat; ergo hic similiter. Respondeo : Nego antecedens. Dans Eucharistiam indigno, non cooperatur ejus sacrilegio, quia non cooperatur ut eam sacrilege et indigne sumat ; posset enim, si vellet, digne sumere, sed tantum ut sumat, ac proinde non est cooperatio peccati, sed permissio, quam sacerdos debito modo exercens suum munus, vitare non posset. Aliud est de projectione Eucharistiæ in locum immundum, quia ista actio de se est determinata ad malum, et ex proprio objecto habet deformitatem per se loquendo ; secus vero est de actione dandi Eucharistiam homini.

Obj. 2 : Peccator occultus, qui mihi ensem custodiendum tradidit, si publice eum petat, et mihi constet eum peti, ut se vel alium occidat, debeo illi denegare, quamvis necesse sit pravum ejus animum patefacere. Ergo etiam hic licebit Eucharistiam negare, quamvis necesse sit peccatorem infamare. Respondeo : Licet Alensis et Bonaventura negent antecedens, illo tamen admisso cum Soto et aliis, nego consequens ; quia negando gladium, mors evitatur ; negando autem Eucharistiam, peccatum non evitatur, cum per voluntatem sumendi jam sit commissum. Deinde mors est damnum corporis irreparabile ; sumptio autem sacrilega est damnum animæ reparabile. Denique ista redditio ensis est actio privata, datio vero Eucharistiæ est actio publica quæ scientiam publicam requirit.

Obj. 3 : Ad vitandam communionem sacrilegam, posset sacerdos illi dare hostiam non consecratam. Respondeo : Nego assumptum ; quia daretur sumenti hostiam occasio idololatriæ, qui putat esse consecratam. Si autem ex conventione inter sacerdotem et peccatorem id fieret, licere censent Bonaventura, Albertus, Adrianus, etc., sed probabilius negant D. Thomas, Alensis, Richardus, Sotus, etc.; est enim fictio perniciosa, nec vitari moraliter potest exterior idololatria.

Obj. 4 : Quamvis prædicta omnia procedant in sacerdote qui tenetur ex officio Eucharistiam ministrare, non videntur tamen habere locum in eo, qui non tenetur ex officio. Respondeo : Sacerdos publice expositus et actualiter dispensans Eucharistiam, sive dispenset ex officio sive non (qua in re quidam ponunt differentiam) : si quis peccator occultus accedat cum aliis communicantibus, non potest ei Eucharistiam denegare, secus vero si eam petat antequam in altari sit publice expositus ad illam dispensandam, quia tunc moraliter loquendo, nec infamat proximum, nec scandali occasionem dat.

Sect. V. — *Quis sit censendus in hac materia peccator publicus vel occultus.*

Dico 1 : Ut Eucharistia possit denegari peccatori, sufficit ejus peccatum esse publicum respective ; id est, iis in quorum præsentia petit Eucharistiam, esse notum, quamvis aliunde respectu aliarum actionum sit absolute occultum. Hæc enim notitia sufficit, ut sine infamia, scandalo, ut alio gravi incommodo negari possit sacramentum.

Dico 2 : Quando vel omnes vel aliqui eorum, qui adsunt petitioni sacramenti, ignorant delictum peccatoris, non potest petenti illud denegari, nisi delictum aliunde sit publicum per evidentiam juris aut facti quæ evidentiæ juris, seu judicii publici et authentici æquivaleat, utpote tunc pluribus notum. Probatur, quia tunc delictum est occultum respective, id est respectu videntium ab hoc homine peti sacramentum.

Dico 3 : Si delictum sit absolute publicum evidentia sive juris sive facti, sufficit ut sacramentum denegari debeat, licet non sit notum illis in quorum præsentia illud petitur; quia per illam publicam notitiam amittit peccator jus petendi hoc sacramentum publice et in foro Ecclesiæ.

SECT. VI. — *An Eucharistia danda sit hominibus de aliquo crimine suspectis.*

Dico 1 : Nunquam licet dare Eucharistiam alicui in probationem seu purgationem suspicionis criminis, sicut olim interdum jussa est fieri suspicionis purgatio per ferrum candens, aut aquam ferventem, reprobata postea a subsequentibus conciliis. Probatur, quia hoc fine et intentione dare et recipere sacramentum, est tentare Deum, seu petere miraculum. Aliud est de lege zelotypiæ, Num. v, ab ipso Deo statuta cum promissione dandi signi pro veritate cognoscenda. Deinde nec licet exigere hanc purgationem ab alio per modum juramenti in testimonium veritatis suscipiendo Eucharistiam. Si quis tamen sponte sua uteretur hoc communionis medio ad probandam suam innocentiam, id non foret per se malum.

Dico 2 : Temeraria aut probabilis suspicio criminis non sufficit ad denegandam alicui Eucharistiam; violenta tamen, quæ nulla probabili ratione deponi potest, si sit publica, sufficit ad eam negandam publice; si privata, ad eam negandam occulte. Ita communiter theologi, quia violenta suspicio nititur ejusmodi indiciis, quæ licet non faciant evidentiam rei in se, faciunt tamen moralem probabilitatem aut certitudinem sufficientem ad ferendum prudens judicium.

DISPUTATIO SEXAGESIMA OCTAVA.

De corporis dispositione ex præcepto necessaria ad sumendam Eucharistiam.

SECT. I. — *An aliqua corporis compositio particularis requiratur ad sumendam Eucharistiam.*

Dico 1 : De corporis compositione sive in vestitu, sive in situ aut gestu nihil statutum habetur tam per jus divinum positivum quam per ecclesiasticum. Solum quoad sacerdotes, datur decretum quo jubentur, quando more laicorum communicant, habere stolam super utrumque humerum impositam sub pœna excommunicationis ferendæ: quod Navarra, Sylvester, etc., intelligunt tantum de sacerdote communicante in missa solemni ritu, non autem de communicante extra missam ob infirmitatem vel aliam causam rationabilem. Glossa tamen intelligit etiam de communione extra sacrificium, sed licet hæc expositio admitteretur, non videtur obligare sub mortali secluso contemptu, quia res levis, nec communi usu in eo sensu recepta est, imo viri etiam timorati solent facile hoc omittere, quando commode servari non potest.

Dico 2 : Ad sumendam Eucharistiam solum requiritur jure naturali ille corporis habitus et compositio quæ animi reverentiam ac deductionem præ se ferat juxta ecclesiasticam consuetudinem pro locorum ac temporum diversitate.

SECT. II. — *An aliqua corporis macula sive ex pollutione, sive aliunde contracta impediat hujus sacramenti usum.*

Dico 1 : Corporalis macula per se non impedit necessario hujus sacramenti usum (Gregorius, D. Thomas, D. Bonaventura), quia hic externus corporis defectus de se nihil refert ad morum honestatem et bonitatem moralem. Hinc leprosus debet tantum cavere aliorum horrorem aut scandalum, et menstruatæ feminæ, id est quæ paulo ante pepererunt, attendere decentiam; adeoque nihil est quod illos a communione arceat.

Dico 2 : Corporis macula quæ jam præteriit, ob effectus aliquos ex illa resultantes, potest interdum impedire hujus sacramenti usum; non ex necessitate sed ex congruitate, secluso scandalo et contemptu, id est, non sub peccato mortali, sed de consilio aut ad summum sub veniali. (D. Thomas, etc.) Hinc licitum est communicare die insequente noctem in qua accidit pollutio involuntaria; si tamen aliquo modo maneret in suis effectibus, si v. gr. ob illam homo se sentiret ineptum ad res spirituales tractandas, si pateretur magnam mentis evagationem, aut varias cogitationes, etc., consultius esset isto die a communione abstinere. Idem pene dic de copula conjugali, quæ cum sit actus licitus, certum est non impedire necessario seu sub peccato mortali communionem; imo sæpe nec sub veniali, maxime quando est redditio debiti, non petitio, aut non est ex voluptate, sed ex pura prolis intentione.

SECT. III, IV. — *An ex præcepto, et quale jejunium ante communionem sit servandum.*

Dico 2 : Nec divino, nec naturali jure impositum est præceptum sumendi Eucharistiam ante omnem cibum aut potum. Imo Christus ipse eam dedit apostolis post prandium et esum agni paschalis; sed ab apostolorum temporibus servata est in Ecclesia consuetudo nullum cibum aut potum sumendi ante communionem. Ut probatur ex antiquis Patribus, Epiphanio, Nazianzeno, Chrysostomo, etc., et conciliis, Africano, Bracharensi, synodo sexta, in qua revocatur exceptio concilii Carthaginensis tertii. Patres enim hujus concilii exceptionem fecerant diei Cœnæ Domini, in quo solo ob speciales occasiones in ea regione occurrentes permiserant post sumptum cibum communicare.

Dico 2 : Recte ac convenienter Ecclesia præcepit, ut hoc sacramentum a jejunis tantum sumatur. De fide. Certum est enim Ecclesiam habere potestatem ferendi leges, etiam in iis rebus quæ a Christo præceptæ non sunt; usamque fuisse hac potestate in ferendo isto præcepto, constat ex dictis conciliis, aliisque. Et sane conveniebat dari hoc præceptum ad majorem istius sacramenti reverentiam procurandam, ad vitanda irreverentiæ pericula, ad significandum Christum debere esse nostrum primum ac primarium cibum. Unde patet contra hæreticos cur Ecclesia rite statuerit hoc jejunium, licet Christus, ob varias causas, vesperi sub esum agni hoc sacramentum instituerit. Nec ex hoc Pauli loco : *Qui esurit, domi manducet* (*1 Cor.* II, 34), colligitur tempore apostolorum fuisse consuetudinem sumendi aliquid cibi ante communionem, sed quia post divina officia et communionem fideles interdum ad commune prandium conveniebant, Paulus monet, ut qui alios

exspectare non potest, domum redeat, et ibi manducet. Itaque

Dico 3 : Ante communionem necessarium est ex præcepto ecclesiastico servare jejunium naturale seu abstinentiam ab omni cibo et potu ; unde quicunque cibus vel potus, etiamsi sit in minima quantitate et sub quacunque intentione medicinæ vel salutis, si per modum cibi aut potus sumatur, impedit ex præcepto communionem sub peccato mortali, non autem impedit, si quid sumatur per modum salivæ, aut attrahatur per modum respirationis. Unde guttula aquæ quæ jam commista erat cum saliva, aut reliquiæ cibi casu manentes in ore ex præcedenti nocte, si casu deglutiantur, non impediunt communionem, quia sumuntur per modum salivæ, et censentur venire ab intrinseco. Similiter si quis deglutiat sanguinem aut alium humorem a capite in os descendentem, aut casu ex ore manantem, non frangit hoc jejunium, quia non trajicitur per modum cibi : ita D. Thomas addens quidquid ab intrinseco provenit, et ore non sumitur ab extrinseco, non vere comedi, nec frangere jejunium naturale, adeoque nec impedire communionem. Si quis tamen noctu aliquid sacchari in os misisset, et post mediam noctem aliquid deglutivisset, impediretur communicare.

Dico 4 : Hoc jejunium quod præcipitur ab Ecclesia, incipit a media nocte usque ad communionem tantum, qua sumpta statim cessat, et potest aliquid cibi vel potus sumi; expedit tamen ad majorem devotionem et reverentiam paulisper exspectare ad aliquid sumendum. Carentia somni in nocte præcedente, aut alimentorum indigestio ex die præcedente proveniens, per se non impedit communionem.

Sect. V, VI.—*Quando liceat non jejuno communicare.*

Dico 1 : In solo mortis articulo, quando oportet sumere viaticum, et ægrotus non potest sine gravi detrimento aut periculo, quod medici judicio expendendum est, exspectare ut jejunus sumat, tunc licite potest non jejunus illud sumere etiamsi fortasse posset una alterave hora post mediam noctem exspectare. Idem dic de violentæ mortis periculo, quando nec anticipari potest communio nec supplicium differri. Si post sumptum viaticum duret adhuc periculum mortis per octo aut decem dies, videtur posse infirmus non jejunus rursus communicare, si commode aliter non possit, uti etiam si aliquantum convaluit et postea reincidat in periculum mortis. Deinde probabile est posse sacerdotem non jejunum licite celebrare, adeoque communicare ad dandum alteri viaticum in necessitate urgente ; frequentius tamen sentiunt auctores id non licere, eo quod Ecclesiæ consuetudo ita hoc præceptum divinum interpretetur, tuncque in tali casu cesset ejus obligatio ex parte sumentis. Aliud est de dicenda missa in necessitate sine præmissa peccati mortalis confessione ad dandum illi viaticum, quia Ecclesia hoc suum confessionis præmittendæ præceptum in tali casu declaravit non obligare.

Dico 2 : Licitum est sacerdoti non jejuno communicare : 1° quando hoc necesse est ad perficiendum aut consummandum sacrificium, v. gr. si loco vini aquam infuderit, et non advertit nisi post illam sumptam, tunc debet conficere seu consecrare iterum vel utramque speciem vel saltem sanguinem ac sumere ut perficiat sacrificium. Similiter si post consecrationem recordetur se aliquid comedisse aut bibisse, debet perficere. Idem dic de sacrificio inchoato a sacerdote in altari exægritudine deficiente ; si enim non sit alius sacerdos jejunus, debet non jejunus perficere illud. 2° Quando necesse est sumere reliquias ipsius sacrificii post fractum jejunium, seu post sumptam calicis ablutionem; v. gr. in die Parasceves, sacerdos moraliter loquendo aliquid vini prius trajicit quam particulam consecratam, uti et ægrotus, qui vino immistam sumit hostiam. Item si particula hostiæ consecratæ adhæreat calici, non est digito attrahenda, sed vino imposito haurienda, et si post haustum vinum adhuc adhæreat, iterum atque iterum imponendum vinum donec attracta sumatur. Idem dic de hostia adhærente ægri palato. Istæ reliquiæ, sive sint parvæ sive magnæ, parum interest, etiam integræ hostiæ, post datam aliis communionem remanentes, si sint ejusdem sacrificii, possunt a sacerdote post ablutionem consumi, quandiu est in altari ; non autem dandæ laicis post ipsorum communionem, alioqui bis communicarent; sacerdos vero eas sumit per modum unius integræ actionis mortalis ac complentis sacramentum. Sed si illæ sint alterius præteriti sacrificii, non possunt sumi post ablutionem, nisi non possent conservari sine gravi irreverentia. Idemque de reliquiis quas sacerdos invenit postquam recessit ab altari. Hinc 3° si hoc sacramentum igne comburendum sit, aut deventurum in manus hæreticorum aut infidelium, a quibus injuriose tractabitur, aut ob similem aliam causam, potest tunc sumi post cibum aut potum.

DISPUTATIO SEXAGESIMA NONA.

De divino præcepto circa usum Eucharistiæ.

Sect. I, II. — *An detur præceptum divinum sumendi Eucharistiam, seu laicæ communionis, et quos obliget.*

Dico 1° Præceptum communicandi probabilius fuit a Christo latum : Durandus, Paludanus, Navarra, etc., contra Alensem, Sylvestrum, Bonaventuram, etc., negantes communionem laicam jure divino esse præceptam. Probatur præcipue ex his duobus Scripturæ locis : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54) ; et : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). Sed quamvis ista testimonia evidenter non convincant (primum enim potest intelligi de magna communionis utilitate, non de ejus præcepto ; et secundum non de ejus usu seu exercitii præcepto, sed de intentione quam habere debent fideles, dum volent illud sumere, aut de præcepto apostolis dato istud sacramentum conficiendi),

probabilius tamen primum non tantum utilitatem quam affert volenti illud sumere pro suo libitu, sed etiam præceptum sumendi continet, sicuti et secundum non tantum intentionem, sed etiam exercitii præceptum ; cum enim per hæc verba : *Hoc facite*, datum sit apostolis præceptum conficiendi istud sacramentum, ergo et aliis sumendi. Quare

Dico 2 : Hoc præcepto divino non tantum baptizati adulti, ratione utentes, sed etiam non baptizati, sive catechumeni sive infideles obligantur. Verba enim Christi : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* (*Joan.* VI, 54), ad omnes se extendunt, et potestas Christi suis legibus omnes complectitur. Infantes tamen et amentes perpetuo non obligantur, sive Ecclesia non tenetur dare illis hoc sacramentum, prout concilium Tridentinum (sess. 21, cap. 4) definit, quia non est necessarium ad salutem necessitate medii. Hinc Christus de baptismo passive dixit : *Nisi quis renatus fuerit* (*Joan.* III, 5), complectens omnino omnes homines ; de Eucharistia autem active : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, alloquens tantum adultos præcepti capaces. Jam vero adultis, qui ratione usi fuerant et postea in perpetuam amentiam aut phrenesim inciderunt, solum in mortis periculo licitum est dare et debet dari ab Ecclesiæ pastoribus hoc sacramentum, nisi adsit periculum gravis irreverentiæ, vomitus, rejectionis, etc. Dum enim antea utebantur ratione, tenebantur præcepto sumendi Eucharistiam, cujus obligatio maxime urget in mortis periculo ; tunc ergo censentur saltem implicite illam petere, adeoque ad illam jus habere, modo probabili fide credantur esse bene dispositi, seu non habere peccatum ponens obicem gratiæ. Idem dic de energumenis rationis usu privatis ; iis autem qui ratione utuntur et sui sunt compotes, danda est, quoties prudens pastor judicaverit.

Sect. III. — *Quandonam obliget hoc præceptum ex vi solius juris divini.*

Nota : Cajetanus, Ledesma, Victoria, etc., dicunt hoc præceptum ex vi solius juris divini obligare tantum semel in vita sive id fiat in mortis articulo sive antea ; ita ut si prius expleta fuerit obligatio, non amplius obliget etiam in mortis articulo, cum nullum possit assignari jus divinum, quo specialiter præcipiatur communio in mortis articulo, si prius facta fuerit, sitque præceptum affirmativum non obligans pro semper. Sicut enim per unicum baptisma satisfit horum verborum obligationi : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. (*Joan.* III, 5), ita et istorum : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, per unicam communionem. Hinc constat, ex conciliis Eliberitano et Sardicensi, Ecclesiam privasse interdum viatico homines in pœnam, aut ob alias causas ; diuque fuit mos in Gallia et Hispania non dandi communionem reis morte plectendis. Sed jam antiqui istorum conciliorum canones revocati sunt, et Pius V præcepit dari communionem reis, qui ob delicta morte plectendi sunt. Quare

Dico 1 : Probabile est jure divino obligari hominem ad communionem in articulo seu periculo mortis, sive prius communicaverit in vita, sive non, adeoque toties quoties in illud periculum devenerit, obligari ad communionem : ita Richardus, Durandus, Gabriel, etc., etiamsi hæc sententia non sit adeo communis inter Thomistas. Ideo dixi *probabile est*. Probatur tamen, 1° quia ex antiquissimis conciliis et pontificibus constat magnam semper in Ecclesia curam adhibitam fuisse, ut moribundi sine viatico non decederent ; quæ Ecclesiæ consuetudo sat declarat nunc ejusmodi exstare præceptum, et ita recepta est, ut sine magno scandalo imo sine suspicione hæresis voluntarie violari non possit, ac proinde graviter obligans. 2° Ex hujus consuetudinis antiquitate colligimus eam esse ad minimum traditionem, et ex ejus immutabilitate probabiliter fundatam in Christi mandato. Quantum autem temporis debeat intercedere inter ultimam communionem et periculum mortis, ut homo teneatur in hoc mortis periculo rursus communicare, prudenti arbitrio videtur relinqui, modo communio censeatur esse facta paulo ante mortem, v. gr. octo aut decem diebus, quia quando tempus est breve, jam moraliter censetur periculum imminere, quod revera exsistit, licet homo illud ignoret ; adeoque jam tunc est obligatio sumendi viatici, cui, communicando tum, censetur satisfacere, quia si cognovisset suum periculum, per modum viatici communicare voluisset, et sic adest virtualis intentio sumendi viatici. Præstat tamen ut in tali casu iterum communicet per modum viatici, etiam non jejunus.

Dico 2 : Præceptum divinum de sumenda Eucharistia non tantum obligat in articulo mortis, sed etiam ante illum ; nec tantum semel, sed aliquoties in vita, si ejus tempus non fuerit nimium breve : ita illi theologi qui hoc divinum præceptum admittunt. Tempora autem pro quibus per se et vi sua obliget hoc communionis præceptum, nequeunt singula indivisibiliter designari, sed prudente judicio dijudicanda sunt, negative potius præcavendo ne nimium communio differatur, quam affirmative determinando talem diem vel horam. Unde non debet esse dilatio valde notabilis. Non tamen, moraliter loquendo, ex vi juris divini, ista obligatio communicandi oritur per accidens ex aliis præceptis, aut designari potest ejus tempus per causas extrinsecas : v. gr. quando urget tentatio, quando a Deo petendum est beneficium sive publicum sive privatum, quando post ultimam communionem supervenit peccatum mortale, etiamsi hæc communio facta fuerit per modum viatici, nec est ista obligatio quotiescunque sacrificio missæ aliquis interest, non enim per se offert sacrificium, sed per sacerdotem ; et quamvis olim in missa omnes assistentes communicabant, non tamen ex obligatione aut præcepto, sed ex devotione ac fervore, exceptis diebus ab Ecclesia præceptis, seu statutis.

SECT. IV. — *Quænam sit licita communionis frequentia ex vi juris divini, et quænam consulenda.*

Dico 1 : Nullus Eucharistiæ usus propter solam frequentiam videtur jure divino prohibitus, quandoquidem omnes fideles quotidie olim communicarent; ex jure tamen ecclesiastico habetur prohibitio communicandi sæpius eodem die, nisi foret necesse ad impediendam hujus sacramenti injuriam et irreverentiam, v. gr. ut in manus hæreticorum non veniat, ut non comburatur, etc., computando diem a media nocte usque ad mediam noctem. Deinde servato jejunio, et secluso scandalo, qualibet diei hora potest homo communicare.

Dico 2 : Generaliter loquendo, et spectando ipsum præcise communionis actum, præstat frequentius quam rarius communicare : ita communiter theologi D. Thomas, Bonaventura, Richardus et concilium Tridentinum (sess. 13, cap. 8, et sess. 22, cap. 6) : est enim actus per se optimus, et fructus ex opere operato; amor ostenditur, etc. Non potest tamen assignari generatim quænam frequentia omnibus expediat, sed pro diversitate statuum et morum prudenti judicio id definiendum est. Cæterum juxta prædictos auctores videtur raro esse alicui consulendum, ut frequentius quam octavo quoque die, consuetudine ordinaria, communicet.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA.

De præcepto ecclesiastico circa Eucharistiæ usum.

SECT. I — *Quas personas obliget hoc præceptum ecclesiasticum.*

Nota : Hæc sunt verba istius præcepti in cap. *Utriusque sexus*, etc., De pœnit. : *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioqui et vivens ab Ecclesia arceatur, et moriens ecclesiastica careat sepultura.* Hinc

Dico : Hoc præceptum obligat omnes et solos fideles seu baptizatos adultos, ut patet ex verbis legis. Sed licet homo perveniens ad annos discretionis teneatur confiteri, non tamen tenetur communicare: quo autem ætatis anno teneatur, non potest generaliter assignari, nec ejus terminus indivisibiliter præscribi; sed ad summum dici potest, hunc terminum posse comprehendi a decimo usque ad decimum quartum ætatis annum. Non tamen videntur pueri, cum primum attigerunt ætatis annum in qua possunt licite communicare, ad id statim obligari, sed tantum post aliquod tempus, v. gr. post unum alterumve annum uti probat Ecclesiæ usus, sic determinantis divinum præceptum quoad tempus, in quo utendum est hoc sacramento extra mortis articulum; nihil determinando pro mortis articulo, pro quo divinum præceptum ex se est sufficienter determinatum, adeoque in illo articulo videtur danda communio cuicunque qui est illius capax.

SECT. II, III. — *Quando et quomodo obliget hoc præceptum ecclesiasticum.*

Dico 1 : Hoc præceptum obligat tantum semel in anno, ut patet ex verbis legis. Solebant quidem primi Christiani aut quotidie aut sæpissime communicare; sed refrigescente charitate, postea statutum fuit, ut saltem ter in anno, nempe in Natali Domini, in Paschate, in Pentecoste, communicarent, prout constat ex Fabiani papæ (epist. 2, cap. 4). Deinde refrigescente adhuc magis charitate et crescente fidelium numero, censuit Ecclesia unam tantum communionem singulis annis præcipere, ne fragilibus laqueos injicere videretur. Atque hoc præceptum, ut liquet ex verbis legis et ex concilio Tridentino (sess. 13, can. 9), obligat in Paschate. Nomine autem *Paschatis*, juxta decretum Eugenii IV, intelliguntur completi quindecim dies a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive. Si alicubi esset consuetudo extendendi amplius istud tempus, sufficeret etiam illam servare ad implendum præceptum. Deinde

Dico 2 : Hoc præcepto ita determinatur tempus paschale, ut si tunc non impleatur, duret adhuc ejus obligatio usque ad sequens Pascha, semperque homo teneatur communicare quamprimum moraliter potest (Navarra, Paludanus, etc., contra D. Antoninum, Sylvestrem, Sotum, Victoriam), etc., dicentes eum, qui in Paschate transgressus est hoc præceptum, manere liberum ab obligatione communicandi usque ad sequens Pascha, et contra quosdam alios volentes quidem exstingui istam communicandi obligationem, quando ex culpa omittitur communio in Paschate, sed non exstingui quando omittitur ex impotentia, vel ex legitima excusatione. Probatur assertio, quia finis proprius et principalis ac intentio hujus præcepti est, ut communio ultra annum non differatur, et saltem fiat tempore paschali. Jam vero si quis prævideat fore, ut intra illos quindecim dies paschales non possit communicare, non videtur teneri communionem anticipare ex vi hujus præcepti.

Hic adverte non satisfieri huic præcepto per sacrilegam communionem, quod olim varii auctores tenuerunt; cum damnata fuerit hæc propositio ab Innocentio XI : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Denique nulla censura imposita est ipso facto incurrenda contra transgressores hujus præcepti, ut patet ex verbis legis supra appositæ, nec contra sacrilege communicantes.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA PRIMA.

De præcepto communicandi sub una vel duabus speciebus.

SECT. I. — *An sit per se malum ac prohibitum sub una tantum specie communicare.*

Dico 1 : Stando in solo jure divino et naturali, de fide certum est licitam esse laicis communionem;

sub utraque specie, nec esse per se malam. Olim enim solebat populus Christianus frequenter sub utraque specie communicare, ut constat ex Justino, Hieronymo, Chrysostomo, etc. Et ratio est quia sumptio utriusque speciei est actio sacra et sacramentalis, potestque fieri sine irreverentia et indecentia. Contra vero

Dico 2 : De fide etiam est nec per se malum, nec jure divino prohibitum sub una sola specie communicare. Definitum est in conciliis Constantiensi et Tridentino non esse per se malum. Probatur quia per unam solam speciem habetur totus Eucharistiæ effectus, tota res contenta, totaque ejus significatio, quatenus est sacramentum, quæ est unio membrorum cum suo capite Christo et ipsorum inter se, repræsentata in pane ex multis granis unitis confecto; ergo per sumptionem unius solius speciei non fit injuria sacramento, adeoque non est per se malum sic communicare; neque etiam est id prohibitum vel facto Christi, vel speciali ejus mandato, quia licet Christus ob varias congruentias et rationes dederit apostolis communionem sub utraque specie, non tamen inde colligitur mandasse, ut eodem modo aliis daretur. Et per sumptionem unius solius speciei adimpletur quod jussit his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, quia per illam tanquam per signum ac pignus recolitur implicite memoria mortis Christi. Et quamvis fuerit tantum consuetudo in Ecclesia sumendi solam speciem panis sine specie vini, non contra, ut patet ex antiquis fidelibus Eucharistiam in domos suas deferentibus sub sola specie panis, atque ex Eucharistia semper servata pro infirmis sub sola specie panis, et ex officio Parasceves in quo sumitur species corporis sine specie sanguinis; eædem tamen rationes militant pro sumptione solius speciei vini.

Itaque Gelasius papa agendo de utraque specie sumenda, juxta D. Thomam, loquitur de sacerdotibus sacrificantibus. Et Leo papa arguit Manichæos quod sumerent speciem panis, et calicem vini respuerent, quia vel dicebant vinum esse a malo Deo factum, vel negabant Christum esse mortuum, et fudisse suum sanguinem. Idem dic de Augustino et Algero. Consuetudo autem dandi corpus in calice tinctum, fuit tantum alicujus particularis provinciæ, et postea prohibita.

Sect. II. — *An omnes teneantur jure divino, aliquando saltem, sub utraque specie communicare.*

Dico 1 : Nullum est præceptum divinum, fidelibus laicis impositum, communicandi aliquando sub utraque specie. Id de fide definitum est in conciliis Constantiensi (sess. 13) et Tridentino (sess. 21, cap. 1) contra Wicle fum, Joannem Hus, aliosque posteriores hæreticos, Lutherum, etc., volentes a Christo esse præceptum, ut omnes fideles aliquando utramque speciem sumant. Probatur, quia nullibi habetur hujusmodi præceptum divinum; nec hæc Christi verba : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* vi, 54), illud indicant, nam sub una sola specie sumitur simul et caro et sanguis Christi. Ut autem una sumatur per modum manducationis, et altera per modum potus, id solis sacrificantibus impositum est. Deinde posset dici Christum ibi loqui disjunctive sic : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, vel biberitis ejus sanguinem*, etc. Ita ut sufficiat sumere Christum sub una, vel altera specie, nam Christus dixit : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (*Ibid.* 59), nempe sumendo solam panis speciem. Et cum dixit : *Accipite et bibite ex eo omnes* (*Matth.* xxvi, 27), alloquebatur tantum apostolos, istaque verba non sunt præcipientis, sed invitantis aut donantis. Denique Ecclesia, quæ errare non potest, docet nullum fuisse ejusmodi præceptum a Christo laicis impositum; nec unquam fuit in Ecclesia universalis consuetudo communicandi sub utraque specie; quod patet ex consuetudine antiquissima dandi viaticum sub una sola specie.

Dico 2: Non est etiam jure divino præceptum, ut determinate sumatur una ex duabus speciebus, sed tantum disjunctim, ita ut per sumptionem cujusvis ex duabus divinum præceptum impleatur; quia per quamvis speciem sumitur totus Christus, nec ullum est Christi præceptum de sumenda panis specie determinate.

Sect. III. — *An potuerit Ecclesia prohibere laicis usum calicis, idque fuerit expediens.*

Dico 1 : In Ecclesia est potestas statuendi, quomodo a fidelibus sit sumendum hoc sacramentum; in una scilicet vel duplici specie. Id definitum est in concilio Tridentino (sess. 21, cap. 1 et 2), quia hoc non spectat ad substantiam sacramenti, neque ad ejus effectum vel ejus usum ex præcepto divino necessarium, sed tantum ad arbitrarium ejus usum, in quo potest sacramenti irreverentia intervenire. Hinc

Dico 2 : Ecclesia utens hac potestate nunc prohibuit usum calicis omnibus, præterquam sacerdotibus sacrificantibus, quæ prohibitio et valida et rationabilis ac prudens fuit. Ista prohibitio habetur in conciliis Constantiensi (sess. 13), Tridentino (sess. 21, cap. 2), fuitque maxime expediens tum ad confutandos et confundendos hæreticos, qui damnabant communionem sub sola specie panis, tum ad vitandam sacramenti irreverentiam, quæ vix potest caveri in communi sumptione calicis ob periculum effusionis sanguinis. Non hinc tamen sequitur quod Ecclesia seu pontifex non possit in hoc dispensare cum aliquo populo aut aliqua persona, modo non adhæreant prædicto errori, sive hæresi. Verum ob solum sacramenti usum vel suscipientis utilitatem, nunquam licet laico sine speciali dispensatione sumere sanguinis speciem. Facta est enim prohibitio sine exceptione, et non obstante isto fine,

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SECUNDA.

De obligationibus ad dispensatores hujus sacramenti spectantibus.

Sect. I — *An solus sacerdos possit hoc sacramentum jure suo et licite administrare.*

Dico 1 : Primum jus seu ordinaria potestas et auctoritas dispensandi hoc sacramentum est penes solos sacerdotes ex jure divino. (D. Thomas, Richardus, Durandus, etc.) Probatur : *Sic nos* (nempe sacerdotes) *existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (*I Cor.* IV, 1) ; et dum Christus dixit, *Hoc facite* (*Luc.* XXII, 19), alloquebatur solos sacerdotes. Unde solis sacerdotibus data est a Christo potestas ordinis, non tantum in corpus suum verum, sed etiam in mysticum ad illud sanctificandum et pascendum per proprios et perfectos actus ; ex proprio enim munere pro hominibus constituuntur in iis quæ sunt ad Deum. Atque ad hoc sufficit potestas ordinis sacerdotalis. Sed

Dico 2 : Licet soli sacerdotes jure divino habeant hanc potestatem, non tamen eodem jure necesse est, ut etiam per se ipsos illam exsequantur, non enim illis prohibitum est uti aliorum opera in hoc ministerio ; sed id Ecclesiæ dispositioni commissum est. Ideo olim hoc ministerium sæpe commissum fuit diaconis, maxime pro distributione calicis. An autem jure divino id fuerit duntaxat licitum in casu necessitatis, non autem extra casum necessitatis, incertum est. Sed nunc, juxta præsentem Ecclesiæ praxim, soli sacerdotes possunt per se dispensare hoc sacramentum, et tantum in casu necessitatis seu ob justam et rationabilem causam possunt id committere diacono ; et hic in casu necessitatis, absente omni sacerdote, a quo possit facultatem accipere, potest moribundo dare viaticum ; an id etiam possit diacono inferior, vel laicus in tali casu necessitatis, controvertitur. Cæterum munus ministrandi Eucharistiam non est committendum clerico, qui sit diacono inferior, multo minus laico.

Sect. II. — *An omnibus sacerdotibus licitum sit Eucharistiam administrare.*

Dico 1 : Ad administrandum licite hoc sacramentum præter potestatem ordinis sacerdotalis, requiritur jurisdictio respectu ejus cui sacerdos illud administrat, vel facultas ab eo qui talem jurisdictionem habet ; et sine hac vel illa administrare id, est ex suo genere peccatum mortale, nisi intercedat bona fides, vel præsumpta seu interpretativa pastoris voluntas, quæ vel ab omni peccato, vel saltem a mortali excuset ; quia usurpatur jus alienum in re gravi. Imo lata est excommunicatio ipso jure incurrenda et papæ reservata contra religiosos qui præsumpserint sine facultate pastorum illud administrare, exceptis religiosis habentibus circa hoc privilegia a sede apostolica, quibus legitime utendo nec contra canonem faciunt, nec ullam censuram incurrunt. Contra vero eos sacerdotes, qui non sunt religiosi, nulla censura lata est.

Dico 2 : Potestas delegata administrandi hoc sacramentum potest duplici modo dari : 1° ex parte ministrantium, dando eis facultatem illud ministrandi, qualem habent Mendicantes per sua privilegia ; 2° ex parte communicantium, dando eis facultatem eligendi sacerdotem, qui eis det communionem, qualis datur per bullam *Cruciatæ*, ut quidam putant. Non videtur necesse ut hic sacerdos eligibilis, ab episcopo sit approbatus. Ei tamen cui præcise conceditur facultas eligendi confessarium, aut administrandi sacramentum pœnitentiæ, non videtur per hoc concedi etiam facultas eligendi quemlibet sacerdotem ad dandum ipsi communionem, aut administrandi hoc sacramentum. Deinde dum in privilegiis religiosorum, quibus datur facultas ministrandi Eucharistiam in suis ecclesiis, excipitur dies Paschatis, aut dies Resurrectionis, videtur tantum intelligi dies qua quis implet præceptum annuæ communionis ; sic etiam excipitur communio per modum viatici. Attamen in articulo mortis, si parochus non adsit et urgeat necessitas, potest simplex sacerdos dare viaticum, sive sit religiosus, sive non ; quia hoc fundatur vel in jure communi, per quod dando facultatem absolvendi in articulo mortis, datur etiam facultas ministrandi Eucharistiam (cap. *Quod int.* De pœnit. et remiss.), vel in præsumpta rationabili parochi voluntate, vel certa episcopi aut papæ, si forte constet de privata alterius iniqua voluntate. Hinc Paulus III, in sua bulla data Societati Jesu, excipiendo festum Resurrectionis, et articulum mortis, addit hæc verba : *Nisi necessitas urgeret.*

Sect. III. — *De administris hujus sacramenti.*

Dico 1 : Duplex est hujus sacramenti administer : alius qui ex charitate, alius qui ex officio seu ex justitia illud administrat, v. gr. parochus ; et hic tenetur illud administrare quoties propriæ oves rationabiliter et opportune petunt, et quando in illis debita dispositio habetur.

Dico 2 : Sacerdos habens jus dispensandi hoc sacramentum, in necessitate potest extra sacrificium seipsum communicare, cum nullum sit præceptum statuens, ut dans et sumens hoc sacramentum sint personæ distinctæ. Imo olim fideles deferendo Eucharistiam in suas domos communicabant seipsos ; et etiam nunc sacerdos in die Parasceves communicat seipsum, quamvis non sacrificet. Idem licere laico in extrema mortis necessitate existimat Cajetanus (*in Matth.* XXVI).

Sect. IV. — *De peccatis quæ indigne et ministrantes et recipientes hoc sacramentum committunt.*

Dico 1 : Ministrans peccat, si sacramentum hoc ministret sine requisitis vestibus, etc. ; deinde si exsistens in peccato mortali illud ministret, novum peccatum mortale committit, non præcise quia illud tangit, sed quia exercet hoc ministerium tanquam minister ex officio ad id consecratus.

Dico 2 : Recipiens hoc sacramentum ab indigne ministrante, si cooperetur ministrantis peccato, v. gr. sine causa aut utilitate, illum non paratum in-

ducendo ad istud ministerium, etc., peccat. In articulo autem mortis quilibet a quovis etiam hæretico aut excommunicato, si non possit ab alio recipere, videtur posse licite illud recipere, secluso nempe publici scandali, infamiæ religionis aut alterius gravis mali periculo.

TRACTATUS DE MISSÆ SACRIFICIO.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA TERTIA.

De sacrificio in communi.

SECT. I, II. — *An sacrificium sit signum sacrum, et quid significare debeat.*

Nota : Sacrificium sic definitur : *Externa et sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, ut legitimo ac solemni ritu in Dei honorem et cultum aliquo modo commutetur a publico et legitimo ministro.* Hinc

Dico 1 : Sacrificium constituitur in genere signi sacri, et signi quidem ad placitum et ex institutione. Nam hujusmodi significatio non est naturalis isti actioni externæ secundum se spectatæ, v. gr. occisioni vituli, aut alii simili, quia actus externi de se sunt indifferentes ad præbendum cultum, utpote ex sola rei natura non habentes significationem determinatam. Unde fit ut eodem actu externo utamur ad colendum Deum et sanctos sub diversa intentione. Jam vero cum sacrificium significet actum externum, continentem proprium Dei cultum, et honorem, non hoc ergo habet ex sola rei natura, sed ex institutione.

Dico 2 : Aliqua significatio moralis, seu pertinens ad bonos hominis mores, est de essentia sacrificii, adeoque aliquid in homine offerente significare debet; in Deo quidem supremam excellentiam, primique principii, ultimi finis et summi omnium rerum Domini dignitatem, in homine vero subjectionem ad Deum; et prædictæ excellentiæ potestatisque recognitionem. Mystica autem significatio, consistens in repræsentatione alicujus mysterii supernaturalis ac reconditi, non est absolute de essentia sacrificii, quamvis sæpe ei annexa sit, quia sine hoc potest haberi verum sacrificium, non autem sine morali significatione. Mystica quidem significatio est de essentia sacramenti, quia sacramentum idem est ac sacrum mysterium, adeoque significans et recondens in se aliquod arcanum ; sacrificium vero idem est ac sacrum factum, ad quod sufficit ut religiosam erga Deum mentem indicet. Verumtamen in omnibus sacrificiis, quæ de facto fuerunt, præsertim a Deo instituta, semper inventa est aliqua mystica significatio sacrificii Christi, quamvis potuerit verum institui et dari sacrificium sine hac significatione.

SECT. III, IV. — *An ad sacrificium sufficiat humana impositio, an vero requiratur divina ; deinde an requiratur publica auctoritas, an vero sufficiat privata.*

Dico 1 : Ex natura rei potest humanum genus in quocunque viæ statu exsistens instituere sacrificia suo statui accommodata quibus Deum colat; quapropter si sola essentialis ratio sacrificii spectetur, licet ex divina institutione seu impositione esse possit, non tamen necessario eam requirit, sed potest etiam esse ex humana institutione. Probatur, quia potest homo determinare res aliquas aut actiones, ad patefaciendum et significandum suam erga Deum Dominum submissionem. Fieri tamen potest, sicut sæpe etiam factum est, ut sacrificiorum institutio in aliqua republica soli Deo reservata sit, ut nunc liquet in republica Christiana, in qua Christus unicum Eucharistiæ sacrificium instituit, nolendo ut aliud cum illo multiplicetur aut misceatur. Idemque censendum est de statu veteris legis, cùm nulla in populo Hebræo legitima ac vera sacrificia introducta sint, nisi ea quæ in lege a Deo fuerunt tradita.

Dico 2 : In republica humana residet potestas instituendi sacrificia quæ Deo totius populi nomine offeruntur, et quæ non possunt privata alicujus auctoritate aut institui, aut mutari : quia oportet ut non solum singuli privatim colant Deum, sed etiam ut tota respublica per modum unius corporis, cultum Deo exhibeat; ergo per sacrificium publica auctoritate institutum. Unde proprie ac simpliciter legitimum sacrificium est tantum illud, quod publica auctoritate vel divina vel humana institutum est, adeoque potestas instituendi sacrificium proprie dictum, non residet in singulis privatis personis, sed in tota republica, seu in principe vicem ejus gerente, ex quo sequitur munus sacerdotale eadem auctoritate debere esse institutum. Itaque sacrificium non significat quodlibet signum sensibile, sed tale quod possit esse aptum non solum ipsi utenti tali signo, sed etiam aliis; ideoque oportet ut non sit privata auctoritate, sed publica statutum. In quo differunt sacrificium, et alii exteriores religionis actus, quos homo per proprii corporis membra potest exercere ; nam hi solum fiunt ad exercendum interiorem effectum juxta privatam devotionem, illud vero est quasi publica professio cultus Deo exhibendi.

SECT. V, VI. — *Qualis debeat esse res vel actio, quæ in sacrificio ad significandum imponitur, et quænam propria sit sacrificii definitio.*

Dico 1 : De necessitate actionis ad sacrificium requisitæ, est ut sit oblatio alicujus rei permanentis Deo facta, quia, juxta Scripturam, sacrificare et

sacrificium offerre, idem sunt; si autem sacrificare est offerre, ergo sacrificatio ipsa erit oblatio. Unde in sacrificio ex parte rei seu materiæ quæ ad significandum imponitur, duo possunt spectari præter significationem : nempe res quæ offertur, v. gr. vitulus, et actio per quam offertur. Deinde oblatio quæ proxime Deo fit, ut sit sacrificium, debet fieri per aliquam rei oblatæ immutationem; et circa hanc rem, quando proprie sacrificatur, oportet aliquid sacrum fieri; sive ista res debet per actionem aliquo modo consecrativam, et immutativam seu consumptivam Deo offerri, quamvis non fuerit semper cum tanta immutatione sacrificatum, ut videre est in Melchisedechi sacrificio. Itaque in omni sacrificio hæc semper reperiuntur : is qui offert, cui offertur, pro quo offertur, et id quod offertur. Is qui offert, debet esse legitimus minister, quem Paulus pontificem seu sacerdotem appellat. Unde nullus alius potest hoc munus licite usurpare, alioqui non erit sacrificium, sed sacrilegium; quia sicut sacrificium requirit, ut publica auctoritate institutum sit, et totius populi nomine fiat, ita etiam requirit, ut minister habeat publicam ac communem auctoritatem. In lege autem naturæ vel ex institutione divina, vel ex usu et introductione hominum, primo geniti ac familiarum principes simul erant sacerdotes. In lege scripta ex institutione divina, tribus Levi ad divini cultus ministerium deputata est, et familia Aaron ad fungendum sacerdotio, quod tunc per carnalem successionem quasi hæreditario jure obtinebatur. Nunc vero in lege nova per veram ac legitimam consecrationem sacerdotes initiantur. Hinc

Dico 2 : Duplex est sacrificium : aliud improprie dictum, quod est quodlibet bonum opus in honorem et laudem relatum; aliud proprie dictum, quod physice sic definitur : *Oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum divinæ excellentiæ et reverentiæ legitime institutum;* metaphysice autem sic : *Sacrificium est signum sensibile ad divinam excellentiam et cultum ei debitum immediate significandum impositum per alicujus rei immutationem.* Vel *est externus religionis actus, continens supremum latriæ cultum, solique Deo debitum.* Itaque sacræ actiones quæ in hac definitione non comprehenduntur, tantum analogice dicuntur sacrificia : v. gr. interior Dei cultus, aut voluntas seu propositum offerendi sacrificium externum; quidam exteriores divini cultus actus sive orando, sive Deum laudando; quivis exteriores virtutum actus ob Dei honorem facti, quales sunt corporis castigatio, mors propter Deum obita, eleemosyna, etc. Sic dicitur sacrificium contriti cordis, sacrificium laudis, et similia.

Sect. VII. — *Quotuplex sit sacrificium.*

Dico 1 : Ex parte causæ efficientis dividitur sacrificium in sacrificium legis naturæ, veteris et novæ. Sacrificia legis naturæ non fuerunt ordinarie a Deo immediate instituta, sed eorum determinatio fuit hominibus commissa. Interdum tamen ex speciali revelatione et instinctu divino fortasse etiam tunc fuit aliquod sacrificium institutum, v. gr. Melchisedechi. Sacrificia veteris legis omnia fuerunt a Deo immediate instituta, et per Moysem promulgata. Sacrificii legis novæ auctor, solus Christus, Deus et homo; sacrificia legis naturæ uti et veteris proderant tantum ex opere operantis, veteris tamen sacrificia ex se auferebant irregularitates seu immunditias legales; novæ sacrificium prodest ex opere operato. Vetera sacrificia mystice significabant futuram Christi passionem; novum sacrificium præteritam significat. Deinde omnia illa sacrificia ritu externo differunt.

Dico 2 : Ex parte materiæ seu rei oblatæ dividitur sacrificium in animalia, v. gr. vitulos, columbas, agnos, etc.; in fructus terræ, v. gr. triticum, etc.; in liquores, v. gr. vinum, oleum, etc. Hæc tamen proprie dicebantur libamenta. Nunc Christi sacrificium eminenter ista omnia continet. Deinde ex parte formæ, seu variæ actionis dividitur in *holocaustum* in quo totum igne consumebatur oblatum; *in hostiam pro peccato*, cujus pars igne consumebatur, altera in usum sacerdotum reservabatur, eamque in atrio vel templo comedebant; *in hostiam pacificam*, quæ partim igne, partim sacerdotum, partim sacrificantium usu consumebatur. Primum fiebat ad colendam supremam Dei dominationem, secundum in peccatorum expiationem, tertium vel in gratiarum actionem, vel ad impetrationem alicujus beneficii, et tunc dicebatur sacrificium *impetratorium.* Unicum legis novæ sacrificium omnes istas rationes et perfectiones perfectissime continet. Denique sacrificium, aliud cruentum, aliud incruentum.

Sect VIII. — *An sacrificium sit jure naturali præscriptum.*

Dico 1 : Cultus Dei externus per sacrificium sensibile exhibitus, honestus est, semperque Deo placuit, contra quosdam antiquos hæreticos, negantes exhibendum esse Deo cultum externum, maxime per sacrificia cruenta. Probatur, quia in hoc cultu nulla est deformitas, cum fiat ad significandam divinæ excellentiæ recognitionem, adeoque finis religiosus, et illi actio satis accommodata est. Quando ergo Deus dicit se nolle sanguinem hircorum, holocaustis non delectari, etc., intelligit ad ipsi placendum non sufficere ista sacrificia licet bona et honesta, sed insuper oportere juste et pie vivere; posteaque instituendum sacrificium incruentum, longe illis præstantius insinuabat. Hinc

Dico 2 : Non tantum cultus Dei absolute loquendo, est lege naturali præscriptus, sed etiam ipse actus externus eadem lege præceptus est, et aliquoties in vita obligans; quia cum homo et corpus et animam a Deo habeat, non solum animo, sed etiam corpore tenetur eum colere se totum ei subjiciendo; naturale est enim homini mentem suam sensibilibus signis imprimere. Sed

Dico 3 : Quamvis sacrificium visibile sit valde accommodatum ad prædictam obligationem implendam, proprie tamen et in rigore non est præceptum ex vi solius legis naturalis; cultus enim Dei externus, multiplex est, v. gr. oratio vocalis, laus, genuflexio, etc. Nullum est autem principium naturale ex quo possit colligi istum cultum debere potius exhiberi per sacrificium, quam per alium modum externum colendi.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QUARTA.

De missa seu sacrificio legis novæ.

SECT. I. — *An in lege nova sit aliquod verum ac proprium sacrificium.*

Dico : In Ecclesia Christi est aliquod verum, proprium, externum ac visibile sacrificium, quo Deus a populo Christiano colitur. De fide, contra hæreticos hujus temporis negantes Christum in lege nova verum aliquod sacrificium instituisse. Probatur : 1° ex Veteri Testamento in quo hoc sacrificium prædicitur : Daniel (XII, 11) prædicit in ultima legis gratiæ ætate cessaturum juge sacrificium. Et Malach. (I, 6-11) : *Ad vos, o sacerdotes*, etc., *munus non suscipiam de manu vestra ; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* 2° Ex Novo Testamento : *Ministrantibus autem illis Domino* (*Act.* XIII, 2), in Græco habetur verbum significans : *sacrificantibus.* Item : *Si offers munus tuum ad altare*, etc. (*Matth.* V, 23, 24). 3° Ratione : In lege nova est proprium sacerdotium, ut constat ex sacramento ordinis; nam est verum altare, ut constat ex traditione, et ex canone 3 et 4 apostolorum, atque ex antiquis Liturgiis Jacobi, Basilii, etc. *Habemus altare, de quo edere non habent facultatem qui tabernaculo deserviunt* (*Hebr.* XIII, 11). Ergo est etiam verum sacrificium. Deinde in omni lege fuit sacrificium; ergo etiam in nova, cujus perfectioni nil detrahit sacrificium. Denique id confirmatur sanctorum Patrum testimoniis.

Objicies 1 : Si hoc sacrificium dicatur esse necessarium Ecclesiæ Christi, fit injuria sacrificio crucis Christi, quia sequitur istud fuisse insufficiens et imperfectum. Respondeo : Dist. assumptum. Si dicatur necessarium ad acquirendum aut augendum pretium redemptionis nostræ, concedo assumptum. Si dicatur solum necessarium ad applicandum istud pretium jam acquisitum, nego assumptum. Sacrificium crucis fuit sufficientissimum et tam dives ad pretium nostræ redemptionis solvendum, ut si peteretur aliud pro illa, magna ei injuria irrogaretur. Sacrificium autem quod offertur in lege gratiæ, est ad applicandum istud pretium jam solutum. Hinc facilis est intelligentia capitis 9 et 10, in Epistola ad Hebræos; loquitur enim ibi Paulus de cruento mortis Christi sacrificio, per quod sufficiens pretium nostrorum peccatorum solutum est. Et de hoc affirmat esse unicum tantum, neque posse iterari, sicut vetera sacrificia iterabantur, quæ licet iterata et multiplicata, non tamen erant sufficientia ad peccatorum remissionem conferendam. Non ergo agit de quotidiana Christi incruenta oblatione, qua Christus in Eucharistia per suos ministros seipsum offert non ad acquirendum aut denuo comparandum nostræ salutis pretium, quod per cruentum crucis sacrificium perfecte acquisitum est, sed ad applicandum ejus fructum; atque ita hujus iterationem non excludit Paulus.

Obj. 2 : In lege nova nullus est sacerdos nisi Christus; ergo nec sacrificium. Respondeo : Nego antecedens. Christus enim in nocte cœnæ suos apostolos ordinavit sacerdotes, et in Actibus apostolorum dicuntur sæpius apostoli ordinasse episcopos ac presbyteros per manus impositionem. Deinde cum Christus sit sacerdos in æternum, non habens successorem, debuit habere ministros sacerdotes ac vicarios per quos ipse sacrificat pro suo populo.

Obj. 3 : Christus interrogatus (*Joan.* IV, 23, 24) de loco ubi sacrificium esset offerendum, respondit jam venisse tempus legis gratiæ, in quo adorandus esset Deus *tantum in spiritu et veritate. Adorare* ibi significat *sacrificare.* Ergo nunc nullibi ei sacrificandum est, nisi in *spiritu et veritate*, id est sacrificio spirituali et invisibili. Respondeo : Nego consequens : docet quidem ibi Christus cultum sacrificandi neque ad Hierosolymitanum, neque ad Garizitanum templum esse limitandum, sed non dixit hoc tempore nullibi esse Deo sacrificandum; imo vero dixit : *In spiritu et veritate adorabitis Patrem*, nempe *sacrificabitis.*

SECT. II. — *An Eucharistia sit novæ legis sacrificium.*

Dico 1 : Christus in nocte cœnæ corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri in sacrificium obtulit. Id definitum est in concilio Tridentino (sess. 22, cap. 1) contra hæreticos negantes Eucharistiam esse sacrificium, ideoque cœnam tantum Dominicam appellantes. Probatur : 1° Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech; sed Melchisedech obtulit sacrificium incruentum in pane et vino; ergo et Christus. 2° Actio Christi in Cœna fuit per modum mysticæ mactationis, separatim ex vi verborum corpus et sanguinem consecrando ; ergo credendus est Christus sub intentione sacrificii id mysterium perfecisse, prout et traditio et Ecclesiæ expositio confirmat. 3° Sicut agnus paschalis prius sacrificatus, postea dabatur in cibum, ita Christus suum corpus et sanguinem tanquam victimam prius jam sacrificatam, in cibum et potum dedit apostolis. 4° Christus dum dixit : *Hic est sanguis Novi Testamenti* (*Matth.* XXVI, 28), creditur allusisse ad sacrificium quod in promulgatione Veteris Testamenti oblatum est, Exod. XXIV.

Objicies 1 : Christus in Cœna nullum sacrificii, sed tantum mystici convivii indicium dedit, et dixit : *Hoc facite* (*Luc.* XXII, 19). Ergo non possumus aliud facere quam quod ille fecit. Respondeo : Nego antecedens. Christus enim suis verbis multa sacrificii indicia jam supra explicata dedit. Deinde licet Christus non dixerit *sacrifico* vel *of-*

fero, sufficit, quod ipsum sacrificii opus exercuerit.

Obj. 2 : Ergo Christus per istud sacrificium consummavit nostram redemptionem, cum fuerit propitiatorium et infiniti meriti. Respondeo : Nego illatum. Idem enim posset dici de quolibet Christi opere infiniti meriti et satisfactionis ; ratio est quia ex divina ordinatione decreverat omnes vitæ suæ actiones ita referre et quasi suspendere, ut non haberent consummatum effectum usque ad suam mortem.

Obj. 3 : Si tunc Christus obtulisset sacrificium, per illud repræsentasset futurum crucis sacrificium : ergo nos cum sacrificamus eodem modo quo ipse sacrificavit, repræsentabimus futuram Christi passionem, quod falsum est. Respondeo : Nego antecedens. Per istud enim sacrificium repræsentabat suam passionem, non ut futuram, sed ut jam consummatam ; idque sine falsitate, quia ista significatio et impositio referebatur ad tempus, pro quo sacrificium istud duraturum et exercendum erat in Ecclesia.

Dico 2 : Mysterium Eucharistiæ prout in Christi Ecclesia conficitur, est proprium ac verum legis novæ sacrificium. De fide contra eosdem. Probatur : 1° ex figuris Veteris Testamenti, v. gr. sacrificii Melchisedechi, agni paschalis, etc., quæ sacrificia dicunt Patres adumbrasse Eucharistiæ sacrificium. 2° Ex Novo Testamento : *Non potestis participes esse mensæ Domini* (nempe Eucharistiæ) *et mensæ dæmoniorum* (*I Cor.* x, 21), nempe gentium. Dein hoc verbum *facite* (dixit enim Christus, *hoc facite*), juxta Scripturam significat *sacrificate*. Sic Levit. xv, 14, 15 : *Sumetque duos turtures, dabitque sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, et alterum pro holocausto*, id est sacrificabit. 3° Ex consensu totius Ecclesiæ et apostolica traditione, ipsoque missæ canone in quo sæpe fit mentio oblationis, hostiæ et sacrificii. Atque hoc patet ex Liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi, ex Clemente (lib. I *Constit.*), Dionysio, Cyrillo, etc. Quod autem Patres, per nomen *sacrificii*, intelligant verum ac proprium sacrificium, non metaphoricum, patet quia ministerium baptismi aut alterius sacramenti, nunquam appellarunt sacrificium. 4° In missa reperiuntur omnia, quæ ad verum sacrificium requiruntur, nempe Deus cui offertur, populus pro quo offertur, Christus principalis sacerdos, et ejus minister consecratus qui offert, et Christus sub specie panis et vini qui offertur.

Objicies 1 : In hoc mysterio nulla est mactatio aut sanguinis effusio realis. Ergo hoc mysterium est tantum imago seu repræsentatio sacrificii ; non sacrificium. Respondeo : Nego consequens. Est enim simul et repræsentatio cruenti sacrificii et sacrificium incruentum. Sic vetera sacrificia, agnus paschalis, oblatio Melchisedech fuerunt vera sacrificia et simul repræsentatio sacrificii Christi, ut sæpe docet Augustinus. Ad rationem autem sacrificii ut sic, non est necesse, ut fiat mactatio aut realis sanguinis effusio, sed sufficit oblatio et ut circa rem oblatam fiat aliquid sacrum. Immolatio realis requiritur tantum pro cruento sacrificio.

Objicies 2 : Est sacramentum ; ergo non est sacrificium. Respondeo : Nego consequens, quia est sacramentum, quatenus est signum sensibile gratiæ sanctificantis, et simul est sacrificium quatenus est oblatio in Dei cultum.

Obj. 3 : Est testamentum Christi ; ergo non est sacrificium. Respondeo : Nego consequens. Est testamentum quatenus Christus legavit Ecclesiæ suum corpus et sanguinem, sumendo testamentum pro re testamento legata. Imo posset etiam dici esse mysterium Novi Testamenti, non vero testamentum. Est autem simul sacrificium propter rationem jam dictam.

Sect. III, IV. — *An missæ sacrificium tantum a Christo institui potuerit, et an sit unicum sacrificium in lege nova.*

Nota 1 : Hoc nomen *Missa* est in Ecclesia Latina antiquissimum ; nam id legitur in concilio Carthaginensi I et II, in Agathensi, Milevitano, etc. In Vasensi distinguitur missa publica et privata. Hoc nomine utuntur Leo, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, etc.

Nota : Hujus nominis etymologia venit vel a voce Hebraica *missac*, significante spontaneam oblationem ; vel a verbo *mitto*, quia oblatio sacrificii ad Deum mittitur ; vel a verbo *dimitto*, quia olim ante offertorium dimittebantur catechumeni et infideles, et in fine sacrificii dimittebantur fideles, unde hæc dimissio vocata est *Missa* ; fortasse quia tunc minister dicebat : *Ite, missa est.*

Dico 1 : Missa, ut nunc fit, comprehendens præter sacrificii substantiam, multa accidentia, secundum hoc totum, non est a solo Christo instituta. Canon enim missæ non a Christo, sed sub apostolis, eorumque successoribus confectus et traditus. Idem est de variis cæremoniis, collectis, etc., de quibus postea. Sed

Dico 2 : Missa quoad sacrificii substantiam a Christo instituta est. De fide ; et patet ex jam dictis : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). Cum enim Christus sit auctor novæ legis, debuit omnia quæ ad ejus substantiam spectant, v. gr. sacrificium, sacerdotium, etc., instituere. Ecclesia autem hanc sacrificii substantiam, si Christus non instituisset, non potuisset instituere ; si vero hoc mysterium instituisset, ut sacramentum solummodo, Ecclesia potuisset ei addere rationem sacrificii. Quia in Ecclesia est potestas connaturalis instituendi sacrificium in actione ad illud proportionata.

Dico 3 : Eucharistiæ sacrificium est unicum tantum, et a solo Christo institutum : ita theologi omnes. Nullum enim alterius sacrificii a Christo

instituti apparet vestigium. Et probatur esse unicum, quia duæ consecrationes corporis et sanguinis, quamvis per se sigillatim sumptæ possent institui in integrum sacrificium, nunc tamen prout institutæ sunt, ordinantur ad consummandum unum signum, seu unam mysticam Christi immolationem, et ex utraque componitur unicum sacrificium, quod est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

Dico 4 : Ecclesia nullum unquam instituit sacrificium, nec aliud unquam præter Eucharistiam Deo obtulit ; sed instituto sacrificio addidit tantum cæremonias accidentales. Imo probabile est eam non habere potestatem aliud sacrificium instituendi, nempe verum sacrificium. ob Christi prohibitionem.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QUINTA.

De essentia sacrificii eucharistici.

Sect. I. — *An Christus sit res oblata in missæ sacrificio.*

Dico 1 : Christus est res primo et principaliter Deo uno et trino oblata in hoc sacrificio. Dixit enim Christus : *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus* (*Matth*, xxvi, 26-28). Et postea : *Hoc facite* (*Luc.* xxii, 19), nempe sicut Christus fecit. Non tamen Christus, prout in propria specie exsistens est hic res oblata ; prout enim in propria specie exsistens, nullo modo fit aut immutatur per actionem, qua hic sacrificatur seu offertur ; ergo non est hujus oblationis terminus. Neque etiam materia, quia nihil fit circa Christum ut in propria specie exsistentem ; neque etiam sumitur ut taliter exsistens. Sed

Dico 2 : Christus ut exsistens sub speciebus sacramentalibus, est res oblata in hoc sacrificio, non ut materia quæ actioni sacrificandi præsupponatur, sed ut terminus istius sacrificii : est enim res oblata, ut consecratus per actionem transsubstantialem. Atque Christus ut sic, est hujus actionis terminus *ad quem* ; non autem ut materia, quia Christus ut sacramentaliter exsistens, non præsupponitur consecrationi ; ergo Christus ut exsistens sub speciebus est terminus *ad quem*, adeoque ut sic, est res oblata.

Dico 3 : Sacramentales panis et vini species intrinsece pertinent ad rem oblatam, ita ut res oblata per modum termini, non sit Christus nude spectatus, sed simul cum speciebus, quibuscum unum compositum sacramentale constituit ; res enim oblata debet esse visibilis, et tantum per illas Christus aliquo modo fit visibilis ; est tamen substantialiter eadem hostia quæ fuit in cruce oblata, quia diversa accidentia non mutant rei substantiam : et est ipsa substantia quæ principaliter offertur. Imo panis et vinum, juxta Patrum locutiones, etiam offeruntur in hoc sacrificio, sed tantum tanquam materia ex qua sacrificium conficitur ; non manens tamen in termino sacrificationis, et hoc modo utcunque pertinent ad rem oblatam. Unde magna est differentia inter hoc et antiqua sacrificia : in his quod principaliter offerebatur, erat materia *ex qua* ; in Eucharistia autem est terminus *ad quem*.

Sect. II. — *Quibusnam actionibus perfecerit Christus hoc sacramentum in nocte Cœnæ.*

Dico : Sex actiones in missa nunc exercentur ; in qua autem harum essentia sacrificii consistat, quæritur. Itaque prima, est oblatio panis et vini quæ per elevationem hostiæ et calicis cum vocali oratione et aliquibus cæremoniis ante consecrationem fit, et de hac nil legitur in Evangelio, nec Ecclesia semper est illis verbis et cæremoniis usa, adeoque Christus per istam actionem non consecravit. Secunda actio est consecratio corporis et sanguinis, quæ habetur in Evangelio his verbis a Christo prolatis : *Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus :* et per illam creditur Christus sacrificasse, ut infra dicetur. Tertia, est distributio sacramenti consecrati his verbis in Evangelio expressa : *Deditque discipulis suis dicens : Accipite et comedite* (*Matth.* xxvi, 26). Hæc non ad essentiam sacrificii pertinet, sed est quid consequens. Quarta est hæc oblatio post consecrationem : *Unde et memores, Domine, nos servi tui*, etc., et de ista idem est ac de prima. Quinta est fractio hostiæ consecratæ, cujus particula miscetur sanguini. Nec etiam hæc fuit a Christo exercita, adeoque nec per illam sacrificavit. Sexta, est sumptio utriusque speciei consecratæ. Et videtur probabilius hanc actionem Christus in cœna exercuisse, seipsum communicando sub utraque specie (D. Thomas, Alensis, Bonaventura, etc.). Dicitur enim (*Luc.* xxii, 15) : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Deinde, ibidem, 18 : *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Et sic Christus, juxta D. Thomam, tunc se communicavit et sacramentaliter et spiritualiter.

Sect. III. — *An oblatio vocalis, fractio et distributio Eucharistiæ, sint partes hujus sacrificii.*

Dico 1 : Hæc oblatio quæ antecedit consecrationem, nullo modo pertinet ad hujus sacrificii substantiam sive ut pars essentialis sive ut integralis, sed est tantum quædam cæremonialis præparatio ab Ecclesia instituta ad majorem devotionem ac reverentiam ; nec semper fuit ab Ecclesia adhibita. Idem dic de oblatione consecrationem subsequente ; nihil enim per hanc fit circa victimam, seu rem oblatam, sed est tantum extrinseca deprecatio.

Dico 2 : Fractio hostiæ, particulæque illius mistio cum speciebus vini, est etiam mere accidentalis huic sacrificio, utpote nec a Christo facta, nec ab Ecclesia eodem semper modo adhibita. Item distributio Eucharistiæ inter fideles sacrificio astantes, nec ex jure divino est præcepta ; nec, si fiat, ullo modo pertinet ad sacrificii substantiam, est enim mera dispensatio sacramenti quæ etiam potest fieri in memoriam passionis Christi. Hæretici hujus temporis, licet negent Eucharistiam esse sacrificium, tamen dicunt hanc distributionem esse de necessitate istius convivii seu cœnæ, ita ut sit contra divinum

præceptum, conficere hoc sacramentum, et non distribuere. Sed hoc satis refutatum est supra, disput. 69, sect. 3.

Sect. IV, V. — *An consecratio sit de essentia hujus sacrificii. — Item an etiam sumptio sacerdotis sit de essentia.*

Dico 1: Consecratio est omnino intrinseca et essentialis huic sacrificio. (D. Thomas, Gabriel, Bellarminus, etc.) Quamvis enim Christus potuerit instituere consecrationem tanquam præparationem et aliquid prævium ad sacrificium, non autem ut essentialem illius actionem, tamen videtur probabilius posuisse in consecratione essentiam hujus sacrificii. Probatur: 1° ex facto Christi, qui tantum consecrasse panem et vinum ac dedisse discipulis legitur. 2° Potestas consecrandi est de essentia sacerdotis et sacerdotium spectat primo sacrificium; ergo consecratio erit ipsius sacrificii essentialis actio. 3° Cyprianus, Ambrosius, Gregorius, etc., ipsam consecrationem vocant oblationem seu immolationem. 4° Consecratio maxime fit in persona Christi, qui est ibi principale agens. 5° Nulla est alia actio in qua sacrificii essentia possit consistere; nam sumptio, ut dictum est, non est de ejus essentia, nec alia; ergo, etc. Itaque consecratio non est præparatio ad sacrificium, sed sacrificii actio essentialis vel tota vel præcipua. Christus est hic res oblata, non ut materia, sed ut terminus sacrificationis; ideoque non oportet ut prius tempora vel natura supponatur actioni sacrificandi. In officio diei Parasceves non fit verum sacrificium. (D. Thomas, Richardus, Gabriel, Durandus, etc.) Nulla fit enim consecratio. Quare

Dico 2: Sola consecratio est sufficiens et de se apta, ut tota sacrificii essentia in ea consistat; quia potest in ea tota fundari sacrificii significatio, tam mystica (nempe repræsentatio passionis Christi), quam moralis (id est, recognitio supremi cultus Deo debiti ut rerum omnium auctori): quia per istam actionem fit supernaturalis et ita mirabilis rerum immutatio, ut ad honorem Dei in ejus altari ponatur præsens res illi gratissima et nobilissima, Christus Deus homo. Unde non requiritur necessario ad essentiam sacrificii, ut proximus significans de eo participet; cum in holocausto tota victima combureretur. Atque hic quod principaliter intenditur, non est destructio panis et vini, sicut in antiquis sacrificiis principaliter destructio victimæ intendebatur; sed est effectio corporis et sanguinis Christi super altare Dei, in ipsius honorem præsentati. Sicut per actionem destructivam potest coli Deus et significari suprema ejus potestas ac dominium, ita per actionem effectivam a Deo deputatam et quidem supernaturalem ac divinam, et terminatam ad præsentandam illi rem gratissimam potest etiam idem præstari. Deinde actio consecrativa est sufficienter sensibilis per verba consecrationis, ut in ea sacrificium sensibile constitui possit.

Dico 3: Quamvis consecratio simul cum sumptione, potuerit a Christo constitui ad instituendum essentialiter unum sacrificium, ita ut neutra istarum actio sine altera illud compleret (maxime cum in utraque simul juncta sit major quædam mutatio sensibilis et magis exterior, pleniorque repræsentatio mortis Christi usque ad ejus sepulturam), tamen verisimilius est de facto sumptionem sacerdotis non esse institutam, ut sit de sacrificii essentia, adeoque totam essentiam in sola consecratione positam esse. Probatur: 1° ex doctrina Patrum Ambrosii, Cypriani, Isidori, etc., qui videntur per solam consecrationem explicare hujus sacrificii essentiam. 2° Sola illa actio est essentialis hujus sacrificii oblatio quam ministerialis sacerdos exercet in persona Christi; solam autem consecrationem exercet in persona Christi; ergo, etc. Hinc sacerdotalis applicatio sacrificii debet fieri ante consecrationem. Sumptio autem repræsentat sepulturam Christi, quæ non fuit de essentia cruenti sacrificii; estque potius usus sacramenti, quam aliqua pars sacrificii intrinseca. Sed quamvis hoc sacrificium per se primo tendat ad cultum divinum, consecutive tamen est etiam institutum ut hostia in eo immolata et consecrata, animarum sit cibus; et sic ordo ad sumptionem est aliquo modo de istius essentia, quamvis ipsa sumptio sit tantum perfectio extrinseca, et finis in re consecrata et sacrificata intenti consecutio. Unde præceptum est sacerdotibus et probabiliter jure divino, ut de sacrificio participent, cum sacrificant

Sect. VI. — *An unius speciei, an vero utriusque consecratio sit de essentia hujus sacrificii.*

Dico 1: Consecratio habet rationem sacrificii sub ratione mysticæ mactationis, sive separationis corporis ac sanguinis ex vi verborum significatæ, non aliter ac si duo illa in re forent separata, totumque hoc ad essentiam sacrificii pertinet; hoc enim sacrificium incruentum est repræsentatio cruenti. Adeoque hoc mysterium ut sit absolute verum sacrificium prout a Christo institutum est, requirit essentialiter utriusque speciei consecrationem; alioqui non esset expressa passionis ac mortis Christi repræsentatio, sive non repræsentaretur explicite separatio animæ a corpore. Hinc proprius sacrificii effectus non datur ante peractam utriusque speciei consecrationem; ante hanc enim nondum est perfectum essentialiter sacrificium. Quamvis autem qui prius sanguinem, quam corpus consecraret, graviter peccaret; vere tamen sacrificium offerret. Itaque

Dico 2: Essentialis actio hujus sacrificii necessario includit consecrationem prout continet transsubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi. Unde isti duo termini *a quo* et *ad quem*, scilicet destructio panis et vini quoad eorum substantias, et Christi sub speciebus præsentia, etiam suo modo pertinent ad sacrificii essentiam; sine hac enim transmutatione impossibile est Christum offerri sub speciebus. Ergo, etc. Unde habitudo quam dicit hoc sacrificium ad corpus et sanguinem sub speciebus, seu ad terminum *ad quem*, est maxime

intenta et illi essentialis, sicque sacrificium includit intrinsece istum terminum ut actu terminantem actionem consecrationis. Item habitudo ad terminum *a quo*, id est, ad destructionem panis et vini, est etiam aliquo modo essentialis huic sacrificio : nempe eo modo quo in qualibet mutatione habitudo ad terminum *a quo*, solet esse illi essentialis, non est tamen primario intenta.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SEXTA.

De comparatione hujus sacrificii cum aliis sacrificiis et sacramentis.

Sect. I, II. — *Quomodo distinguatur hoc sacrificium a Christi sacrificio, et antiquis sacrificiis, et quæ ejus perfectio.*

Dico 1 : Sacrificium missæ non differt specie ab incruento Dominicæ cœnæ sacrificio : utrumque enim convenit in oblationis materia, in re principaliter oblata, in forma oblationis, et in offerente principali. Differt tamen numero et quibusdam circumstantiis accidentalibus : nam Christus in cœna erat mortalis, hic in missa immortalis ; in cœna ipse Christus ; in missa sacerdos proxime offert. In cœna repræsentabatur mors Christi futura ; in missa præterita. Deinde diversus locus, tempus, diversa numero materia, etc.

Dico 2 : Sacrificium missæ convenit cum sacrificio crucis in re oblata, est enim idem Christus, sed differt in ritu sacrificandi : sacrificium enim crucis per realem mortem oblatum est ; missæ per realem consecrationem et Christi præsentiam instar mysticæ mactationis perficitur ; unde est sacrificium et simul repræsentatio sacrificii. Quamvis autem utrumque possit habere idem virtutis motivum, et esse idem sub hac ratione morali, specifice tamen diversum est sub ratione signi externi ad Dei cultum instituti ; iste enim diversus sacrificandi ritus et actio mystica importat diversam sacrificii speciem. Hinc patet antiqua sacrificia multum a nostro fuisse diversa, in re oblata, in ritu offerendi, in persona principaliter offerente, in significatione, adeoque specie distincta. Unde

Dico 3 : Missæ sacrificium longe aliis præstat in ritu, in significatione, in valore, in efficacia ; unum et idem, est simul holocaustum, sacrificium eucharisticum, sacrificium laudis et gratiarum actionis, propitiatorium et impetratorium, ejusdemque essentialis perfectionis cum sacrificio cœnæ.

Sect. III. — *An in Eucharistia sacrificium sit prius et potius quam sacramentum.*

Dico 1 : In Eucharistia non datur prius et posterius ordine durationis inter rationem sacrificii et sacramenti. Effectio enim sacrificii et sacramenti, et utriusque terminus productus, simul tempore exsistit. Attamen cum primum consecrata est una species, statim sacramentum exsistit utpote signum significans et continens Christum tanquam animæ cibum ; et nondum exsistit sacrificium quoad essentiam sacrificationis, seu quoad mysticam mactationem et expressam mortis Christi repræsentationem, quæ tantum habetur post finitam utriusque speciei consecrationem, etiamsi post unius speciei consecrationem jam totum quoad rem oblatam habeatur ; ideo sub hac ratione potest dici essentia sacramenti prius tempore perfici quam sacrificium.

Dico 2 : Eucharistiæ sacrificium et sacramentum in esse rei, non solum sunt æqualia, sed sunt unum et idem quidditative ; nam eadem actio quæ est sacrificatio, est effectio sacramenti. In esse tamen virtutis, sacrificatio est perfectior sacramenti affectione, id est, melius est conficere corpus Christi in Dei honorem et cultum, quam in utilitatem fidelium. Ordine autem naturæ seu causalitatis, adaptando terminum termino, actionem actioni, sacrificium et sacramentum æqualia sunt ; ordine vero intentionis, sacrificium est prius sacramento, sed posterius ordine exsecutionis. Unde si sumatur sacrificium pro re oblata, includit rationem sacramenti, utpote signum sensibile per species sensibiles ; si autem sumatur pro actione sacrificandi, tunc non includit intrinsece rationem sacramenti, sed ad hoc tanquam ad rem oblatam dicit habitudinem.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

De offerentibus Eucharistiæ sacrificium.

Sect. I. — *An Christus sit principalis offerens in hoc sacrificio.*

Dico 1 : Christus est summus sacerdos qui principaliter offert Eucharistiæ sacrificium quandocunque et ubicunque offertur. (D. Thomas, Albertus, Bellarminus, etc.) Probatur : 1° ex Paulo ad Hebræos (cap. v) dicente Christum esse sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedech. 2° Ex concilio Lateranensi dicente Christum esse simul sacerdotem et sacrificium ; 3° ex Patrum Irenæi, Augustini, Ambrosii, Cypriani, etc., testimoniis ; 4° quia Christus etiam nunc est verus sacerdos, et pro nobis intercedit ; ergo potest sacrificium, ut principalis offerens, offerre. Hinc

Dico 2 : Christus est principalis offerens in hoc sacrificio non tantum per accidens ac remote, sed etiam aliquo modo actualiter offerens, licet per sacerdotem offerat, quia per suam humanitatem, physice concurrit ad transsubstantiationem, sub qua ratione Christus ut homo potest dici principalis offerens respectu ministri, et præcipue quia sacerdos in persona Christi tanquam legatus, eum repræsentans, conficit hoc sacrificium ; imo ipse Christus concurrens cum sacerdote ad hanc actionem, se gerit ut summus Dei cultor et intercessor pro hominibus.

Sect. II, III. — *An omnes et soli sacerdotes possint offerre hoc sacrificium ut proprii ministri ; an etiam alii fideles id possint offerre.*

Dico 1 : Solus sacerdos rite ordinatus, habet potestatem offerendi hoc sacrificium, ita ut si alius id facere tentet, nihil efficiat. De fide, contra hæreticos dicentes quoslibet fideles, aut saltem a magistratu vel populo deputatos posse id facere. Probatur ex

concilio Nicæno (cap. 14) negante diaconum id posse; ex concilio Florentino ac maxime Tridentino (sess. 22, c. 1); ex Augustino, Hieronymo, etc. Ratio est quia determinatum sacrificium requirit determinatum sacerdotem, ut videre est in veteri lege. Deinde solus sacerdos potest consecrare, et nemo offert nisi consecrando. Ergo, etc. Dum autem Magister, Guillelmus Parisiensis, etc., docuerunt sacerdotes ab Ecclesia præcisos non posse hoc sacrificium offerre, intellexerunt, vel eos non posse licite (nam validum efficiunt sacrificium, juxta omnes theologos), vel eos tanquam Ecclesiæ ministros privari potestate faciendi illa quæ sunt ab ipsa instituta, v. gr. orationes, cæremonias, etc.; non vero faciendi sacrificii substantiam.

Dico 2: Fideles non sacerdotes etiam possunt offerre hoc sacrificium eo modo quo jam dicam. Quod possint offerre patet ex theologis et Patribus et ex Missali, in quo dicitur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qua tibi offerunt.* Et ratio est quia sacrificium est publicus et solemnis totius populi cultus. Offerunt autem non tantum per internam devotionem et affectum; sed etiam ut membra Ecclesiæ, cujus nomine sacerdos offert, aut ut speciales sacrificii cooperatores, v. gr. illi inserviendo, assistendo, consentiendo, illud procurando, dando stipendium pro sacrificaturo, etc.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA OCTAVA.

De iis pro quibus hoc sacrificium offerri possit.

Sect. I, II. — *An sacerdos non tantum pro seipso possit, sed etiam pro aliis omnibus viventibus possit ac debeat hoc sacrificium offerre.*

Dico 1: Sacerdos potest hoc sacrificium offerre pro seipso, ita ut habeat ad hoc duplicem habitudinem, alteram agentis, alteram recipientis fructum; si enim impetratione aut propitiatione eget, potest ac debet pro seipso offerre, cum dicatur: *Propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*, etc. (*Hebr.* v, 3). Unde patet eum posse illud etiam offerre pro aliis, nempe prout sunt illius fructus capaces. Imo quilibet alius non sacerdos, dum offert, potest illud pro alio offerre eo modo, quo ipsi convenit.

Dico 2: Quodlibet missæ sacrificium offerendum est aliquo modo pro universa militante Ecclesia et omnibus ejus membris, id est pro baptizatis viventibus qui nec per infidelitatem, nec per excommunicationem sunt ab ea, ejusque communicatione sejuncti; non tenetur tamen sacerdos, quoties sacrificat, aliquem fructum ex opere operato singulis applicare, sed sufficit deprecatio universalis; graviter autem peccaret si ab hac oblatione generali aliquem excluderet, vel ob scandalum, si id publice faciat, vel ob odium. Et quamvis infantes, uti et in peccato mortali exsistentes, non sint capaces fructus ex opere operato; sunt tamen capaces impetrationis.

Dico 3: Hoc sacrificium potest etiam offerri pro catechumenis fidelibus nondum baptizatis: et fortasse dum fit oblatio pro tota Ecclesia, in hac comprehenduntur, sunt enim capaces impetrationis. Imo potest etiam offerri pro quibuscunque infidelibus, dummodo per Ecclesiam excommunicati non sint; offerri, inquam, vel indirecte, v. gr. offerendo pro augmento Ecclesiæ; vel aliqua re simili (non enim aliter augetur Ecclesia, quam per infidelium conversionem); vel directe, v. gr. offerendo pro istorum infidelium bono sive spirituali sive etiam temporali, aut pro illorum bono sive in communi sive in particulari; vel pro illa natione, vel pro certa persona. Licet enim nondum in actu sint membra Ecclesiæ, sunt tamen in potentia. Pro excommunicatis vero majori excommunicatione, sive fideles sint, sive apostatæ, non licet hoc sacrificium offerre publica oblatione, seu agendo publicam personam ministri Ecclesiæ, quia id prohibitum est in cap. *Nobis*, 2. Sine ullo tamen scrupulo potest sacerdos in *Memento*, pro illis orare privata oratione et intentione, quia de hoc nulla est ab Ecclesia facta prohibitio.

Sect. III. — *An hoc sacrificium possit pro omnibus defunctis offerri.*

Dico 1: Non potest hoc sacrificium offerri pro iis quos constat in peccato mortali mortuos esse, nec pro iis qui sibi mortem violentam inferunt. Desperata est enim eorum correctio, nec eis potest prodesse hoc sacrificium.

Dico 2: Certum est hoc sacrificium quatenus est propitiatorium, non posse pro beatis offerri; sunt enim liberi ab omni malo tam culpæ quam pœnæ; sed quatenus est sacrificium laudis et gratiarum actionis, potest pro illis offerri, id est pro beneficiis in ipsos collatis, ita ut etiam inde aliquis honos eis proveniat, sicut dicitur in missa: *Ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.* Imo potest pro eis offerri quatenus est impetratorium indirecte alicujus honoris; id est, dum offertur pro nobis, ex nostrorum actibus aliquis honos, aut gloria accidentalis in sanctos redundat, v. gr. nova revelatio, gaudium, etc.

Dico 3: De fide certum est posse hoc sacrificium offerri pro animabus purgatorii, etiam ut impetratorium est; quia illæ animæ adhuc sunt in pœnis, quæ per hujus sacrificii oblationem remitti possunt. Concilium Tridentinum (sess. 22, cap. 1; et can. 3), sed de his postea.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA NONA.

De effectu et valore hujus sacrificii.

Sect. I. — *An sacrificium missæ habeat aliquem effectum ex opere operato.*

Dico 1: Hoc sacrificium habet aliquem effectum ex operé operato, ut proxima illius causa. (D. Thomas, Albertus, Scotus, Cajetanus, etc.) Universalis enim Ecclesia sentit hoc sacrificium vi suæ institutionis habere singularem efficaciam ad applicandum aliquem redemptionis Christi fructum, semperque intellexit fructum hujus sacrificii, non pendere ex gratia seu sanctitate ministri offerentis.

Deinde omnia legis novæ sacramenta habent effectum ex opere operato; ergo etiam sacrificium debet habere aliquem similem effectum sibi proportionatum. Sed

Dico 2 : Hoc sacrificium non potest dici causa universalis ex opere operato, conferens omnes gratiæ effectus qui nobis ex Christi redemptione proveniunt, seu ad eos concurrens; non potest, inquam, dici ejusmodi causa secundum intensivam istorum fructuum perfectionem, quia redemptio Christi est illorum causa quoad sufficientiam, non præcise quoad efficaciam; nec secundum extensivam, seu eorum multitudinem, quia hoc sacrificium nullam habet efficaciam in homines qui Christum præcesserunt, nullam in non baptizatos, nullam ad delendum peccatum originale quoad culpam, etc. Nullum denique habet effectum ex opere operato, nisi quatenus sacrificio crucis nititur, et ab illo habens suam efficaciam, et per se ex Christi institutione aliquos ejus fructus applicans.

Sect. II. — *An hoc sacrificium alio modo, quam ex opere operato, sit fructuosum.*

Dico 1 : Per hoc sacrificium quatenus est a proximo ministro offerente, potest haberi tantum ex opere operantis meritum de condigno pro ipso offerente, si sit in gratia; pro aliis vero impetratio et satisfactio sicuti per alia bona opera. Quatenus autem hoc sacrificium est a Christo ut principali offerente, non est de novo meritorium seu satisfactorium ex opere operantis Christi : Christus enim jam non est in statu merendi, aut satisfaciendi; sed potest esse impetratorium. Cum enim Christus in cœlo pro nobis oret, verisimile est aut semper aut plerumque cum hujus sacrificii oblatione eum suam orationem conjungere, et sic impetrare quod vult. Præterea

Dico 2 : Hoc sacrificium præter effectum ex opere operato, habet ex vi suæ institutionis aut promissionis Christi specialem vim ad impetrandos eos effectus, pro quibus obtinendis offertur, ut probat usus Ecclesiæ. Cum enim hoc sacrificium sit Deo gratissimum obsequium, si minister illi suam adjungat petitionem pro aliquo determinato beneficio obtinendo, aut peculiari sua intentione illud applicat ad tale beneficium obtinendum, facile (licet non infallibiliter sicuti effectus ex opere operato obtinetur) impetrabit quod cupit aut petit; maxime cum in persona Christi offeratur ab ejus ministro.

Sect. III. — *An sacrificium Eucharistiæ ex sua primaria institutione conferat primam gratiam, et peccati mortalis remissionem.*

Dico : Negari non potest quin hoc sacrificium habeat vim ad obtinendam a Deo remissionem peccatorum, etiam mortalium quoad culpam, adeoque primæ gratiæ infusionem; non tamen hoc confert per se, et ex sua directa institutione aut ex opere operato. Imo non habet vim, etiam per modum impetrationis, ad conferendam vel ad obtinendam immediate sive contritione aut confessione primam gratiam homini exsistenti in peccato mortali, qui est tantum attritus; sed potest illi impetrare sufficientem dispositionem ad obtinendam istam primam gratiam, et peccati mortalis remissionem. Potest enim per hoc sacrificium impetrari non tantum auxilium sufficiens, sed etiam efficax, adeoque ipsa contritio, sed non infallibiliter, quia infallibiles sacrificii effectus tantum dantur juxta dispositionem ejus, pro quo offertur. Vide hic varia argumenta apud Suarez.

Sect. IV. — *An hoc sacrificium per se conferat ex opere operato augmentum gratiæ, et interdum per accidens primam gratiam.*

Dico 1 : Hoc sacrificium non confert gratiæ augmentum ex opere operato; non enim potest conferre immediatum gratiæ habitualis augmentum sine aliquo illius, cui confertur, actu meritorio; alioqui posset offerri pro infante baptizato, aut pro homine justo dormiente ad augendam ei gratiam in infantia aut in somno. Christus enim non instituit istud sacrificium ad hunc finem, neque ei promisit ejusmodi effectum, quia hoc mysterium quatenus est sacrificium, ordinatur ad peccatorum satisfactionem; quatenus autem est sacramentum, tunc ordinatur ad dandum gratiæ augmentum et ad charitatem nutriendam. Hinc neque etiam potest augere gratiam ex opere operato mediante ipsius recipientis actu meritorio, quia hic actus non potest esse sacrificii effectus ex opere operato; ergo neque gratiæ effectus seu augmentum gratiæ ab illo proveniens potest sacrificio attribui ex opere operato.

Dico 2 : Per hoc sacrificium non potest conferri ex opere operato prima gratia, aut remitti peccatum mortale, etiam per accidens. Non potest enim per illud ex opere operato conferri augmentum gratiæ; ergo multo minus prima gratia, etiam per accidens, adeoque nec remissio peccati mortalis, quia Eucharistia, ut est sacrificium, ordinatur tantum ad cultum Dei, et ad impetrandam a Deo remissionem peccatorum vel gratiam, mediante nostra cooperatione ac dispositione, seu ex opere operantis. Et licet habeat infinitatem ad impetrandum, sive infinitam dignitatem, ob quam Deo placet, tota tamen ista infinitas sine speciali institutione aut promissione non sufficit ad infallibilem impetrationem; quia non infert necessitatem divinæ voluntati, nec intrinsece includit efficacem Christi voluntatem circa talem effectum.

Sect. V, VI. — *An missæ sacrificium ex opere operato remittat peccata venialia et temporalem pœnam.*

Dico 1 : Sicut hoc sacrificium ob suam infinitam dignitatem valet ad impetrandum peccatori auxilium, quo convertatur, et sua peccata mortalia detestetur; ita multo magis valet ad impetrandum justo auxilium pro peccatorum venialium suorum remissione. Verum videtur probabilius per hoc sacrificium non remitti ista venialia immediate et per se ex opere operato, ita ut missæ sacrificium pro

me oblatum, me nihil cogitante et sciente, remittat omnes meas culpas veniales sine ullo meo actu, quo illas vel formaliter vel virtualiter detester, dummodo non ponam actualis vel virtualis complacentiæ obicem. Quamvis enim sine actu hominis et sine physica illius mutatione possit illi Deus remittere peccatum veniale, id tamen non agit, nec per hoc sacrificium ex opere operato confert; quia non reperitur hujusmodi remissionem isti sacrificio esse promissam. Imo impetratio remissionis peccatorum venialium, licet per hoc sacrificium mediante aliquo ipsius peccatoris actu fere semper obtineatur, non est tamen absolute infallibilis. Sed

Dico 2 : Eucharistiæ sacrificium ex opere operato aliquid temporalis pœnæ remittit, quia, juxta D. Thomam, habet vim satisfactivam ex directa sua institutione; et Christus suo cruento crucis sacrificio potissime operatus est redemptionem nostram per modum satisfactionis pro pœna; ergo et de incruento potest idem colligi. Insuper præter hunc effectum ex opere operato, potest etiam valere per modum impetrationis ad alicujus pœnæ remissionem; quia licet pœna aliqua per hoc sacrificium remittatur ex opere operato, non tamen semper tota, sed pro uniuscujusque devotione. Unde si post effectum ex opere operato maneat aliquis pœnæ reatus, ad ejus veniam obtinendam potest hoc sacrificium offerri per modum impetrationis, ut spirituales vires ad agenda pœnitentiæ opera, quibus Deo satisfaciamus, impetret; quia quamvis ob specialem Christi promissionem unum conferat ex opere operato, non tamen amittit vim ad impetrandum aliud distinctum, mediante pœnitentis actu.

Sect. VII. — *Quid hoc sacrificium conferat ad bona temporalia.*

Dico : Bonorum temporalium consecutio potest esse aliquo modo hujus sacrificii effectus, non ex opere operato, sed per modum impetrationis, mediantibus nostris bonis actibus; Ecclesia enim sæpe consuevit offerre hoc sacrificium pro temporalibus beneficiis obtinendis, ut patet ex antiquis Liturgiis, et ex Missali in quo dicitur offerri pro *nostra et totius mundi salute*. Licet enim primario ordinetur ad cultum Dei, potest tamen secundario ad ista bona ordinari, ut causa ad effectum.

Sect. VIII, IX. — *An hoc sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato in omnibus ipsum offerentibus, et in iis, pro quibus offertur, non ponentibus obicem.*

Dico 1 : Christi oblationi, ut est primarius offerens, non respondet fructus distinctus ab eo, qui sacerdotis ministri ut sic, oblationi respondet; est enim una et eadem oblatio, ab utroque per modum unius totalis offerentis facta. Si autem spectetur oblatio Christi ut est actualis in cœlo, et personalis per proprium illius internum actum, et distincta ab oblatione quæ fit per sacerdotem, quamvis sit impetrativa, non tamen ei respondet ullus effectus ex opere operato, quia non est de novo satisfactiva; neque præteritæ Christi satisfactionis applicativa ex opere operato.

Dico 2 : Ecclesia cum omnibus suis membris quatenus est offerens remotissimus, sive omnes fideles per proprium actum non offerentes, et quibus per intentionem sacerdotis non applicatur hujus sacrificii fructus, nihil ex opere operato consequuntur juxta probabiliorem sententiam, quia sola offerentis denominatio per quamdam remotam et extrinsecam habitudinem, non videtur sufficere ad percipiendum fructum ex opere operato : fructus enim passionis Christi non applicatur ex opere operato, nisi vel per propriam aliquam actionem, vel per receptionem sensibilem, vel per specialem alterius applicationem; quæ hic non reperiuntur. Oblatio enim generalis sacerdotis nomine Ecclesiæ, tantum ad impetrationem valet, non autem ad aliquem effectum ex opere operato.

Dico 3 : Oblationi sacerdotis, prout offert in persona Christi, certum est respondere aliquem proprium sacrificii fructum ex opere operato; est enim actio ministri a Christo deputati, et per quam Christus ipse operatur. Similiter omnes et singuli fideles qui specialiter concurrunt cum sacerdote ad offerendum sacrificium, v. gr. assistendo et ministrando, aliquem proprium illius effectum ex opere operato percipiunt, utpote constituentes cum sacerdote unum morale offerens. Hinc sacerdos duplicem ex opere operato percipit sacrificii fructum : unum ut persona publica seu minister publicus, offerens in persona Christi, qui fructus est principaliter pro populo, in quo sacerdos comprehenditur, estque universalis et indifferens ut huic vel illi a sacerdote applicetur, nec pendens a sacerdotis sanctitate; alterum ut persona privata, ab alio fructu distinctum, qui ipsi ut privato offerenti, sine alia intentione applicetur, si nempe sit in statu gratiæ; alioqui si sit extra statum gratiæ, nihil ut talis, sive ut privata persona percipit. Deinde

Dico 4 : Certum est hoc sacrificium conferre ex opere operato suum effectum ei pro quo a sacerdote, Dei mysteriorum dispensatore et inter Deum ac homines publico intercessore, offertur; et ei quidem hic fructus applicatur, etiamsi ipse pro quo fit oblatio, nullo modo offerat, dummodo non ponat obicem. Si autem sacerdos ratione stipendii accepti teneatur ex justitia applicare suum sacrificium, v. gr. Petro (idem dic si teneatur ex jussu superioris), et illud applicet Paulo, hæc applicatio Paulo facta, licet iniqua, probabilius est valida; sed is tenetur postea resarcire damnum, suamque obligationem (quæ exstincta non fuit) explere.

Dico 5 : Non tenetur sacerdos, quoties sacrificat, aliquem fructus ex opere operato partem offerre pro tota Ecclesia, ut inter omnia ejus membra distribuatur juxta proportionem Deo cognitam, in singulorum dispositione fundatam. Nullum enim habetur ejusmodi præceptum sive divinum sive ecclesiasticum; ac proinde non omnia Ecclesiæ membra aliquid fru-

ctus ex opere operato singulorum sacrificiorum percipiunt, v. gr. aliquam reatus pœnæ remissionem. Si autem nulli applicet hunc fructum sacerdos, vel ei applicet qui non indiget, vel ei qui non est capax, tunc juxta multos, iste fructus manet in Ecclesiæ thesauro. Attamen cum ad applicandum istum fructum sufficiat virtualis intentio, hæc unquam vix potest deesse; nam omnis sacerdos, quando alteri non applicat sacrificium, habet saltem virtualem intentionem fruendi illius fructu. Applicat ergo, vel sibi ipsi, vel, si aliquo titulo obligatus sit offerre pro alio, etiam habet unusquisque virtualem intentionem implendi suam obligationem. Similiter si applicet ei qui non eget vel est incapax, virtualiter intendit applicare vel sibi, vel animabus purgatorii, vel aliis indigentibus. Si autem applicatio fiat tantum post oblatum sacrificium, nihil prodest. Hinc si sacerdos applicet suum sacrificium juxta alterius intentionem, et hic ante oblatum sacrificium formaverit suam intentionem, valida erit applicatio; secus vero, si formet post.

Dico 6 : Privati offerentes, sive sit ipse sacerdos quatenus offert ut persona privata, sive sint sacrificio cooperantes, non videntur posse portionem fructus hujus sacrificii ex opere operato sibi correspondentem, nempe satisfactionem vel remissionem alicujus pœnæ, aliis applicare; quia videtur omnis effectus ex opere operato esse proprius, et personale beneficium, et quasi privilegium soli personæ concessum, quod ipse non potest in alium tranferre; sicut de indulgentia dicit D. Thomas (in 4, dist. 20, art. 5, quæst. 3) eum, cui illa conceditur, non posse illius fructum in alium transferre, nisi id speciali facultate in ipsamet indulgentia concedatur.

Sect. X. — *Quæ requirantur in eo, pro quo sacrificium offertur, ut habeat hujus effectum ex opere operato.*

Dico 1 : Requiritur 1° capacitas, quam baptismi susceptio confert; nam sine baptismi charactere nullus est capax hujus effectus, ut sentiunt D. Thomas, Augustinus, etc., adeoque pro catechumenis sive vivis, sive defunctis tantum potest offerri per modum impetrationis. Requiritur 2° quoad hunc effectum status viatoris, sub quo probabilius comprehenditur status animarum purgatorii; nam quatenus illic sunt, nondum ad ultimum terminum pervenerunt, et aliqua saltem ex parte viatores sunt, maxime quoad remissionem pœnarum, vel etiam culparum venialium obtinendam. D. Thomas, Albertus, Durandus, Bellarminus, etc., contra Canum, Cordubensem, etc., negantes hoc sacrificium habere in illis animabus infallibiliter effectum, qualis est effectus ex opere operato in eo, qui non ponit obicem. Probatur, quia videtur ex institutione Christi hoc sacrificium habere hanc vim, ut ejus effectus infallibiliter applicetur defunctis, sicut applicatur vivis; defuncti enim illi pertinent adhuc aliquo modo ad Ecclesiam militantem, ut sunt in statu, in quo possunt aliorum, maxime Christi satisfactionibus frui.

Dico 2 : Requiritur 3° status gratiæ in eo, pro quo offertur sacrificium. (D. Thomas omnesque Thomistæ contra Navarram, Sotum, etc.) Probatur, quia is, qui est in peccato mortali, non est capax satisfactionis pro pœna temporali; ergo nec satis passionis, et hoc beneficium est solum amicorum; præter hanc autem gratiæ habitualis dispositionem, nulla alia requiritur ad percipiendum hunc Eucharistiæ effectum ex opere operato, cujus quantitas probabilius sumitur ex sola applicantis intentione. Unde si totum applicet Petro, totus illius erit; si Petro et Paulo æqualiter, utrique æqualiter dividetur, nulla habita ratione dispositionis, sed tantum gratiæ habitualis. Iste enim effectus ex Christi institutione est determinatus, applicabilis per liberam sacerdotis intentionem.

Dico 3 : Requiritur 4° ut is, pro quo offertur sacrificium habeat aliquem pœnæ temporalis reatum ex culpa remissa relictum. Si enim culpa nondum est remissa, impedit remissionem pœnæ; si autem tota pœna jam remissa est, nullus effectus ex opere operato ei obveniet, nec etiam alteri, nisi sacerdos applicando illi effectum, habuerit intentionem applicandi alteri, si is non indigeat.

Sect. XI. — *An effectus hujus sacrificii sit intensive infinitus.*

Dico 1 : Hoc sacrificium secundum se spectatum, et prout a suo principali offerente offertur, est infinitum in ratione sacrificii, sive rei oblatæ et principalis offerentis : adeoque habet infinitum valorem, ratione cujus, si cætera necessaria concurrerent, posset esse infinite meritorium et satisfactorium; de facto tamen nulla est in eo nova satisfactio, et nullum meritum novum. Ista enim Christi actio ratione status personæ est incapax novi meriti vel satisfactionis; quia jam Christus est extra statum merendi vel satisfaciendi pro nobis, etiam prout repræsentatur per oblationem sacerdotis, qui illum repræsentat non ut de novo merentem vel satisfacientem, sed præcise ut summum sacerdotem. Hoc tamen sacrificium ratione ei oblatæ et principalis offerentis habet infinitam vim impetrandi quoad sufficientiam, non quoad efficaciam; sive ex opere operantis est infinite impetrativum, cum sit actus infiniti valoris. Itaque

Dico 2 : Effectus ex opere operato, quem hoc sacrificium conferre potest, est finitus intensive; quia effectus ex opere operato non pertinet ad sufficientiam, sed ad efficaciam. Quoad efficaciam enim non potest sacrificium esse infinitum, cum nec sacrificium crucis hoc habuerit, qui efficacia respicit effectum in re ipsa dandum; dari autem non potest effectus infinite intensus. Cumque hic effectus ex institutione et promissione Christi proveniat, verisimiliter ejus quantitas taxata est juxta cujusque dispositionem.

Dico 3 : Hoc sacrificium, quatenus offertur in per-

sona Ecclesiæ, habet effectum et valorem finitum ad impetrandum. Sanctitas enim Ecclesiæ, in qua hic valor fundatur, est finita, ergo et valor ejus operis. Similiter valor et fructus hujus sacrificii, prout est ex opere operantis sive respectu sacerdotis, sive respectu cujuscunque alterius privati offerentis, est finitus intensive, tum quoad meritum, quia non meretur nisi certum gratiæ et gloriæ gradum ; tum quoad satisfactionem, quia tantum satisfacit pro certa et finita pœna ; tum quoad impetrationem, quia persona sic offerens finita est. Et licet objectum seu res oblata sit infinita, ejus tamen actio, etiam in genere moris, est simpliciter finita.

Sect. XII. — *An hujus sacrificii effectus sit infinitus extensive, ita ut oblatum pro multis, tantum valeat pro singulis, quantum valet pro uno solo oblatum.*

Dico 1 : Quando plures offerentes concurrunt cum sacerdote ad idem numero sacrificium, omnes et singuli quatenus offerentes sunt, recipiunt integrum fructum non minorem, quam si unus tantum esset offerens ; et in hoc sensu potest dici ejus fructus quodam modo infinitus extensive, seu augmentabilis extensive in infinitum. Christus enim quem offerimus, est infinitus ; ideoque licet ad illum offerendum multi conveniant, unusquisque tamen tantum offert, quantum offerret, si solus esset. Unde meritum et satisfactio ex opere operantis, si eadem devotione et affectu unusquisque offerat, sive solus, sive simul cum aliis, erunt eadem ; ac proinde idem etiam erit effectus ex opere operato, quantum est ex parte rei oblatæ. Alioqui si multi audientes eamdem missam, reciperent minorem fructum, quam si quis solus eam audiret, id contingeret præcise ob audientium multitudinem, quod sane absurdum est. Deinde oblatio ex concursu plurium offerentium, non fit in singulis minus grata et acceptabilis Deo. Hinc sequitur pluribus sacerdotibus eamdem materiam consecrantibus, idemque sacrificium offerentibus, ut fit in ordinatione sacerdotis, vel in consecratione episcopi, integrum singulis effectum respondere.

Dico 2 : Effectus sacrificii respondens oblationi sacerdotis ut sic, quem ipse potest pro aliis offerre, est finitus, et unus tantum. Unde si pro multis offeratur sive diversis intentionibus specialibus, sive una tantum intentione communi, v. gr. pro populo, communitate, etc., minuetur fructus in singulis, tantoque magis quanto illi plures fuerint, supposita uniformi sacerdotis applicatione. Atque hoc ex Christi institutione habetur. Satisfactio ergo per hoc sacrificium applicanda quoad intentionem seu magnitudinem est simpliciter juxta Christi determinationem.

Dico 3 : Hoc sacrificium ex se habet infinitum valorem ac vim ad impetrandum, quia hæc vis impetrandi non fundatur in speciali Christi promissione, sed in intrinseca sacrificii dignitate ac valore, de se sufficientis ad impetrandum quodlibet beneficium, aut quamlibet beneficiorum multitudinem, etiamsi in perfectione vel numero in infinitum augeatur ; adeoque quantum est ex parte ipsius, oblatum pro multis eamdem vim impetrandi habet in singulis, quam haberet pro uno tantum oblatum ; sed quamvis ex se sit sufficiens ad hoc impetrandum, non tamen applicatur ad impetrandum, nisi ut orationi aut petitioni conjungitur ; quia non impetratur nisi quod petitur vel desideratur ab alio. Oratio autem, cæteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari et speciatim facta, quam si generatim pro multis fiat. Sed hic impetrationis effectus non est semper infallibilis, quia nec fundatur in promissione, nec habet semper conjunctam Christi absolutam voluntatem.

DISPUTATIO OCTOGESIMA.

De tempore, quo sacerdotes tenentur, aut licite possunt missæ sacrificium offerre.

Sect. I, II. — *An sacerdotes teneantur aliquando, et an quotidie missam dicere.*

Dico 1 : Certum est sacerdotes teneri communicare saltem semel in anno tempore paschali. An autem teneantur aliquando in vita sub peccato mortali sacrum facere per se loquendo, negant Alensis, Gabriel, Bonaventura, Richardus, etc., dicentes nullum hac de re exstare præceptum, quamvis horum nonnulli dicant teneri. Affirmant autem D. Thomas, Durandus, Sylvester, Navarra, etc., quemlibet sacerdotem teneri rigoroso præcepto et sub peccato mortali dicere missam aliquando, et aliquoties non solum in vita, sed etiam in anno, nisi legitimo impedimento excusetur, rati datum a Christo positivum præceptum his verbis : *Hoc facite* (*Luc.* XXII, 19). Hac ergo in re satis dubia, videtur opinio affirmans esse securior, et in praxi consulenda. Quoties vero sacerdos ad satisfaciendum huic obligationi teneatur in anno sacrificare, variant auctores. Navarra sentit ter aut quater. Sed potius hujus obligationis tempus et modus, juxta varias circumstantias extrinsecas, v. gr. scandali, occasionis liberius peccandi, etc., prudenti judicio videntur relinquenda.

Dico 2 : Stando in solo jure divino, nec singulis sacerdotibus, nec singulis Ecclesiis, nec toti Ecclesiæ præceptum est, sed nec etiam prohibitum, quotidie sacrificare. In singulis tamen ecclesiis cathedralibus, parochialibus, si sit mediocris sacerdotum numerus, debet quotidie offerri missæ sacrificium, atque ita fiet, ut in universa Ecclesia non solum unum, alterumve, sed quam plurima sacrificia quotidie offerantur : ita communiter doctores ; et insinuatur in cap. *Cum creatura*, De celebr. miss. Singuli vero sacerdotes nec divino nec ecclesiastico jure ullo, per se loquendo, tenentur quotidie sacrificare, ut patet ; contra autem non solum illis licitum est, sed etiam melius, magisque consulendum, per se loquendo, et seclusa speciali prohibitione, quotidie sacrificare, tum ob privatum, tum ob publicum emolumentum. Imo feria quinta majoris hebdomadæ etiam licitum est cuique sacerdoti, secluso scandalo,

missam dicere; nec ulla est consuetudo quæ id sufficienter prohibeat. Die tamen Parasceves jure ecclesiastico illis vetitum est offerre sacrificium, ut declaravit Innocentius I (epist. 1 *Ad Decent.*, cap. 4), verum isto die communicare probabilius videtur per se loquendo esse licitum. Quod attinet ad diem Sabbati sancti, quia in cap. *Sabbato*, De consecr., dist. 4, dicitur in isto die sacramenta non penitus celebrari, sicut in feria sexta; ideo Navarra et Marcellus docent esse peccatum mortale in illo Sabbato dicere aliam missam præter unam solemnem et publicam in singulis ecclesiis. Alii tamen id negant, præsertim si dicatur quando jam incipit paschale et solemne officium, quod olim tantum sub mediam noctem incipiebat, nec prius toto die Sabbati dicebatur missa. Atque hoc satis probabile est et practice securum, non tamen consulendum ac faciendum extra necessitatem.

Sect. III, IV. — *An et quomodo liceat dicere plures missas eodem die et qua hora liceat missam dicere.*

Dico 1: Jure communi ecclesiastico licitum est sacerdoti tantum semel in die missam dicere, in cap. *Consuluisti*, etc., excepto die Nativitatis Christi, et causa urgente, v. gr., dum quis habet duas parochias, in quarum una unam, et in altera alteram missam potest dicere non tantum diebus festis, sed etiam verisimilius juxta consuetudinem ferialibus, si adsit sufficiens populi multitudo in utraque parochia. Attamen quotiescunque sacerdos dicit missam sive unam, sive duas, sive tres, in singulis debet esse jejunus. Per tres missas Nativitatis Christi, triplex ejus generatio indicatur, scilicet æterna, temporalis, spiritualis.

Dico 2: Initium auroræ seu crepusculi diei, id est prima lucis irradiatio, est terminus, a quo licet missam inchoare, et ante quem ordinarie non licet (D. Thomas, Alensis, etc.), excepta nocte Nativitatis Christi, in qua post medium noctis, statim potest prima missa inchoari, et consecutive dici aliæ duæ privatæ tempore noctis, aut contra possunt dici omnes tres post noctem in plena luce. Ordo istarum trium missarum in Missali præscriptus spectat ad missas solemnes. Olim in nocte Resurrectionis dicebatur etiam missa; sed ista consuetudo cessavit. Præterea privilegium aliquibus concessum est, ut una vel duabus horis ante auroram celebrare possint: unde si privilegium concedat unius horæ anticipationem, poterit missa inchoari tribus horis ante ortum solis, cum sine privilegio possit inchoari duabus horis ante solis ortum, id est, in initio auroræ.

Dico 3: Tempus legitimum intra quod debent missæ absolvi vel inchoari, est antemeridianum, ita ut ante meridiem debeant per se loquendo missæ inchoari ut legitime dicantur (Gabriel., Durandus, etc.), excepta tamen necessitate audiendi missam in die festo aut simili et privilegiis quæ conceduntur quibusdam religiosis aut aliis personis, ut possint dicere missam una alterave hora post meridiem. Pro dicendis missis privatis ante meridiem, nulla hora præfixa est, solemnis missa seu diei, consueto tempore fiat pro populi commoditate, quamvis anticipari aut postponi parumper possit ex causa rationabili.

DISPUTATIO OCTOGESIMA PRIMA.

De loco et vasis sacris, in quibus missæ sacrificium celebrandum est.

Sect. I. — *An oportuerit templa et loca sacra dicari ad sacrificium, et alia religionis opera peragenda.*

Dico 1: Oportuit in Ecclesia destinari publica loca, in quibus singulariter colatur Deus, et plebs Christiana ad religionis opera peragenda conveniat. De fide, ut constat ex perpetuo Ecclesiæ usu, ex Patribus, ex conciliis et ex Scriptura: *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare*, etc. (*I Cor.* XI, 20). Hoc enim rectæ rationi valde consentaneum est, imo et in lege gratiæ necessarium.

Dico 2: Præcipuus finis, ob quem in Christi Ecclesia eriguntur templa, est ut in eis Deo sacrificium offeratur, et consequenter sacramenta ministrentur, fideles ad orationem et ad sacras conciones, vel lectiones conveniant, reliquiæ martyrum aliorumque sanctorum custodiantur, sancti honorentur, fideles sepeliantur. Sacrificium enim est primarius Dei cultus, et templum dicit quamdam ad illud habitudinem, ideoque sicut soli Deo sacrificium offertur, ita et templum soli Deo proprie dicatur. Quamvis Deus sit spiritus ubique præsens, nec loco inclusus, homines tamen colentes Deum corporei sunt, corporeque ac spiritu eum adorare debent; neque adorare Deum *in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 34) excludit actiones externas, sed requirit in eis interiorem affectum. Dum Patres negant Christianos habere templa vel aras, intelligunt de templis et aris idolorum, et dum Joannes ait: *Non vidi templum in ea* (*Apoc.* XXI, 22), loquitur de Ecclesia triumphante.

Sect. II, III. — *An deceat ecclesias solemni ritu consecrari aut benedici; et an sacerdos tantum in loco sacro possit sacrificare.*

Dico 1: Quod attinet ad ecclesiæ seu templi dedicationem, certum est fuisse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem ut magna pompa ac celebritate fiat. Imo quorumdam insigniorum templorum dedicationes annuis festivitatibus recolebantur, et etiamnum recoluntur, v. gr. dedicatio templorum Petri et Pauli, Lateranensis, etc. Cumque hoc opus apud Judæos non foret cæremoniale, aut figurativum, sed morale, non facit male Ecclesia, per hasce festivitates illud imitando. Unde

Dico 2: De fide etiam certum est Ecclesiæ consuetudinem consecrandi et benedicendi templa ad Eucharistiæ sacrificium offerendum destinata, esse decentem et sanctam, cum Ecclesia jam a tempore Sylvestri usa sit hujusmodi templorum consecratione; et refertur canon concilii Nicæni dicentis

ecclesias semel consecratas non debere iterum consecrari, et alia multa in variis conciliis et decretis. Licet autem templum sit inanimatum, potest tamen sanctificari et consecrari, non imprimendo illi aliquam sanctitatem aut qualitatem inhærentem, sed segregando illud a profanis usibus, et ad solos sacros destinando; atque per sacra signa et Ecclesiæ orationem specialem deprecando ut a dæmonum infestatione protegatur, ac divino favore cumuletur. Et vero hujus consecrationis usus jam fuit in lege veteri, et quasi etiam in lege naturæ; adeoque honestus et decens. Hinc dicuntur panes sanctificati et *Sanctificavi domum hunc* (*III Reg.* IX, 3).

Dico 3: Templorum consecratio non tantum per se decens est, sed etiam hominibus utilis. Indicat enim sanctitatem requisitam ad ministranda et recipienda sacramenta; et per orationes in Ecclesiæ sanctitate fundatas, in cujus persona fundantur, habet specialem efficaciam ad obtinenda hominibus divina beneficia.

Dico 4: Certum est jure ecclesiastico communi, non licere sub obligatione hoc sacrificium extra ecclesiam, seu locum sacrum ad hoc peculiariter deputatum offerre; variæ tamen sunt exceptiones. 1° Potest episcopus dare licentiam sacrificandi extra ecclesiam in domo privata, seu oratorio nec consecrato nec benedicto, id est in loco privato, ad religiosum ministerium deputato. 2° In casu necessitatis licitum est missam dicere extra ecclesiam et oratorium; imo et extra domum in quocunque decente terræ loco, cum facultate episcopi seu superioris, si commode peti potest; si autem non potest, tunc sufficit sola necessitas, v. gr. dum ingens hominum multitudo confluit ad parvum eremitæ templum, quod illam capere non potest, tunc sufficiens causa foret celebrandi sub dio, ut totus populus missæ interesset. Sic etiam ait D. Thomas, ratione itineris, posse sub dio missam fieri in altari portatili, si desit ecclesia, vel alius locus aptus ad celebrandum. 3° Dum habetur privilegium, quale post concilium Tridentinum concessum est Societati Jesu, ut ejus presbyteri in missionibus uti possint altari portatili ubique gentium, ibique Eucharistiam ministrare, quod cum dirigatur ad personas tantum, alii non habentes tale privilegium, etiamsi socii itineris sint, non possunt uti ista facultate, seu in isto altari portatili celebrare. Secus de privato oratorio privilegiato, quia tunc privilegium ad locum dirigitur.

Sect. IV. — *An liceat celebrare in ecclesia violata; et quid hac in re servandum.*

Dico 1: Sex modis Ecclesia violatur. 1° Per homicidium voluntarium et injuriosum in ecclesia factum; non autem per casuale. 2° Per injuriosam sanguinis effusionem in sufficienti quantitate; non per casualem, aut naturalem, aut medicinalem licitam, aut in propria defensione. 3° Per humani seminis effusionem voluntariam in sufficienti quantitate et illicitam. Quoad copulam conjugalem in ecclesia factam, alii affirmant alii negant ecclesiam ea pollui. Sed videtur sic distinguendum: dum copula conjugalis illicite et injuriose fit in ecclesia, tunc hac polluitur; secus verisimilius, dum fit sine peccato mortali. Erit autem peccatum mortale facere illam intra ecclesiam, dum moraliter juxta humanam fragilitatem vitari, aut in alio loco fieri potest; secus vero quando humana necessitas vel fragilitas ad illam compellit. Hæc tamen seminis effusio, seu pollutio, fornicatio aut ejusmodi actus, ut per illam ecclesia sit polluta, debet esse publica aut per evidentiam facti publice nota, aut juridice probata; Ecclesia enim non judicat de occultis. Idem dic de effusione sanguinis, et alio omni crimine, quando est occultum. 4° Si in ea fidelis nominatim excommunicatus, aut notorius percussor clerici sepeliatur; secus si non vitandus excommunicatus. 5° Si paganus aut infidelis in ea sepeliatur, sub quo comprehenduntur qui ante baptismum moriuntur. Item si sepeliatur in cœmeterio (cum sit benedictum sicut ecclesia), etiam illud polluitur; non tamen cœmeterio polluto, polluitur ecclesia, quia est accessorium. Unde hi casus non habent locum in oratoriis, quæ nec sunt consecrata, nec benedicta. 6° Quando parietes ecclesiæ comburuntur, vel ita destruuntur, ut eam integre reædificare oporteat, tunc si fuerit consecrata, debet iterum consecrari; secus si fuerit tantum benedicta, quia tantum benedicitur ipsum solum quod semper manet; consecratio autem fit in parietibus. His positis

Dico 2: Dicere missam in ecclesia violata, ex suo genere et per se loquendo, est peccatum mortale, quia est prohibitio jure ecclesiastico facta. Potest tamen de episcopi licentia in ea fieri missa ante reconciliationem, imo in gravi necessitate, etiam sine ejus licentia; quia præceptum ecclesiasticum non obligat cum tanto rigore. Hinc excusantur qui in regionibus septentrionalibus sacrificant in locis in quibus sepulti sunt hæretici nominatim excommunicati, quia vel necessitate coguntur, vel quia episcopi videntes et consentientes facultatem præbere censentur.

Sect. V, VI. — *An requiratur altare consecratum ad licite dicendam missam; et quomodo templum et altare sit ornandum.*

Dico 1: Ad offerendum missæ sacrificium non tantum requiritur altare, sed etiam debet esse lapideum consecratum, sive illud fixum sit, sive portatile. Non est tamen opus ut totum altare sit lapideum, sed sufficit ut ara quadrangularis, capax capiendi utcunque calicem et hostiam, saltem majorem eorum partem, sit consecrata. Si hæc ita frangatur, ut in neutra parte possit commode collocari calix et hostia, amittit consecrationem; si autem possit collocari in una parte, hæc pars non amittit consecrationem. Ornamentum ligneum quo ara portatilis circumdari solet, non videtur essen-

tiale huic consecrationi, uti nec reliquiæ sanctorum, cum sine his nunc et sine illo interdum consecretur. In fixo autem altari lapis non tantum per fractionem, sed etiam per separationem a reliqua altaris structura amittit consecrationem.

Dico 2 : Non potest fieri sacrificium nisi in altari consecrato sub obligatione peccati mortalis ; nec in hoc potest episcopus dispensare, quamvis autem olim in variis locis foret consuetudo ut altare majus (non alia lateralia) respiceret Orientem, ut fideles ante illud Orientem versus orarent, hoc tamen non est omnino necessarium, nec est de præcepto, sed tantum potest esse de quadam decentia.

Dico 3 : Ad faciendum sacrificium requiritur mappa oblonga super altare, et alia brevior, et probabiliter duæ, ita ut sit una oblonga, et aliæ duæ breviores lineæ. Non opus est ut sint benedictæ. Præter has mappas requiritur corporale lineum ab episcopo consecratum, seu benedictum, sine quo non potest dici missa sub obligatione peccati mortalis. Eodem modo requiritur palla linea ad cooperiendum calicem, utpote pars corporalis; nam olim cum una corporalis parte obvolvebatur calix. Deinde requiritur etiam sub gravi obligatione lumen, seu lucerna ardens, ad minimum una, et ex consuetudine Ecclesiæ, cerea. Insuper requiritur Missale, continens saltem integrum canonem. Requiritur etiam crux in altari, sed ut videtur, non sub obligatione peccati mortalis : nullum enim de ea decretum antiquum est, sed est cæremonia missalis, uti aliæ. Præter hæc, nullus alius templi ornatus necessario requiritur; ex natura tamen rei servanda est decentia et mundities, maxime in corporali, in quo si non sit enormis immunditia, erit ad summum veniale duntaxat, illo uti sine scandalo et in necessitate, ac sine contemptu.

Sect. VII, VIII. — *An hoc sacrificium debeat in vasis sacris offerri; et quæ veneratio sit debita illis.*

Dico 1 : Hoc sacrificium offerri non potest sine calice et patena ad istud ministerium deputatis, cujus patenæ usus jam initio Ecclesiæ exstitit, et creditur Christus ipse in patena sive catino panem consecrasse. Calix et patena debet esse vel aurea, vel argentea, vel stannea, non autem lignea aut vitrea ut olim fuit; nec etiam cuprea aut ferrea. Deinde et calix et patena debet esse ab episcopo consecrata cum unctione chrismatis, etc. Paulus III tamen in bulla anni 1549, concessit presbyteris Societatis Jesu pro locis remotissimis infidelium, in quibus episcopi catholici non adsunt, ut possent altare, patenam, calicem consecrare. Si pars interior calicis, et superior patenæ facies denuo deaurentur, debent iterum consecrari; non tamen amittitur consecratio, dum sola deauratio deteritur seu amittitur, si materia quæ remanet, sit capax consecrationis, id est, si sit argentea vel stannea : quia totus calix deauratus, per modum unius consecratur. Calix autem tornatilis non amittit consecrationem per separationem cuppæ a pede ; secus in habente pedem fixum, dum cuppa per fractionem separatur a pede. Denique ciborium, seu vasculum in quo hostiæ consecrantur et consecratæ conservantur, non eget benedictione, licet optimum consilium sit adhibere eam benedictionem, quæ est in Pontificali; nec requiritur ut sit argenteum, aut stanneum, sicut calix, potest fieri ex inferiori materia decenti.

Dico 2 : Jure naturali prohibetur quævis irreverentia et injuria erga loca et vasa sacra. Hinc Christus (*Matth.* XXI, 12, 13) graviter arguit negotiantes in templo Hierosolymitano. Deinde jure positivo ecclesiastico ob eorum reverentiam quædam prohibentur fieri, quæ si fiant, sacrilegium erit, saltem contra jus positivum : 1° est immunitas ecclesiarum, ita ut qui ad eas tanquam ad asylum confugiunt, per vim extrahi non possint. 2° Olim prohibitum erat laicis et feminis altaria ingredi, id est probabiliter sacellum majus seu diaconiam. 3° Prohibitum est laicis et maxime feminis tangere lapidem altaris consecratum, vasa consecrata, et vestimenta benedicta, præsertim corporalia, quorum quædam nunc non sunt in usu. Unde omnia altaris ornamenta et vestimenta sacra, etiamsi benedicta, quæ immediate non attingunt corpus Christi, nec chrismate consecrantur, possint sine scrupulo tangi a laicis, etiam feminis. Deinde tangere immediate et nuda manu calicem consecratum (idem est de ara consecrata) sine rationabili causa et morali necessitate, aliquod saltem veniale peccatum laicis est. Atque idem est de corporalibus. Et statuitur ut vasa in quibus lavantur, debere ad hoc munus esse destinata, et a diacono laventur, et lotio in piscinam mittatur; atque hæc in prima saltem lotione servanda sunt. Idem de purificatoriis, licet non sint benedicta. Quando vasa sacra continent corpus et sanguinem Christi, non possunt licite tangi nisi a sacerdote, vel ad summum a diacono. Pontifices et sacerdotes vestibus benedictis indutos sepeliri, licitum est, nihilque religioni aut pietati dissonum. Denique hujusmodi res sacræ, ut ad profanos seu communes usus amplius non revertantur, non solum quando consecrationem retinent, sed etiam quando illam amiserunt seu per dissolutionem seu per scissionem, seu per fractionem, etiam in antiquis decretis statutum est. Dum vasa argentea consecrata, postquam confracta sunt, in communem usum convertuntur, in ferro et igne quodammodo transmutantur, ut videantur esse omnino alia. Deinde cum id ex necessitate oriatur, et ad pietatem pertineat, non est religioni contrarium.

Dico 3 : Non tantum exterior aliquis honoris vel adorationis conveniens actus erga hujusmodi res sacras exhibendus est, sed etiam interior mentis intentio ad illas dirigenda est, ut liquet ex Patribus et ex conciliis, utque fusius ostensum est de cultu imaginum. Verum istarum adoratio quamvis pertineat ad eamdem virtutem, qua Deus ipse colitur, tamen in eo ordine est respectiva, et imperfecta

respectu latriæ absolutæ, quæ ipsi Deo secundum se debetur. Unde iste interioris adorationis actus, licet realiter unam habeat speciem, moraliter tamen et secundum rationis distinctionem ac inadæquatus conceptus dici potest duplex adoratio : nam ille actus prout terminatur ad Deum propter se, est latria absoluta et perfecta ; prout autem terminatur ad rem sacram propter Deum, est adoratio respectiva, et latria secundum quid. Sicuti quando unico actu diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum, iste actus prout terminatur ad Deum, est dilectio absoluta et super omnia ; prout autem terminatur ad proximum, est respectiva et infra Dei dilectionem. Atque ex hoc sequitur istud adorationis genus posse etiam fieri duobus actibus distinctis: clarum est enim posse adorari Deum in præsentia rei sacræ sine hujus adoratione ; et similiter coli potest res sacra tanquam divino cultui dicata sine absoluta Dei latria, ita ut Deus non consideretur tanquam per se adorabilis, sed tanquam intrinsece faciens rem adorabilem, et ratio illam adorandi. Atque hoc modo licite et pie consueverunt coli istæ res sacræ, nempe cultu diverso ab absoluto latriæ cultu.

DISPUTATIO OCTOGESIMA SECUNDA.

De præparatione ad missam et vestibus sacris.

Sect. I. — *An teneatur sacerdos præmittere divinum officium ante missam.*

Nota : Ut quis celebret, debet in statu gratiæ et jejunus, non laborans epilepsia seu morbo caduco ; et eo laborans, postquam convaluit, debet juxta jus per annum probari antequam possit celebrare. Præparatio ad missam in Missali posita pertinet tantum ad cujusvis devotionem (omitti enim potest sine peccato), uti et lotio manuum ad decentiam.

Dico 1 : Quamvis quidam antiqui auctores satis communiter docuerint esse peccatum mortale dicere missam ante recitatum saltem Matutinum officium, tamen nullum est præceptum obligans sub mortali peccato singulos sacerdotes ad recitandum Matutinum antequam sive privatim sive solemniter dicant missam. Nam nec a Christo, nec ab Ecclesia tale præceptum latum est, nec consuetudine introductum. Sunt enim duæ actiones separatæ sine ordine unius ad alteram, cum Matutinum non sit præparatio ad missam : et si velimus admittere aliquem temporis ordinem inter Matutinum et missam, qualis est inter singulas horas canonicas, consuetudine introductum, tunc erit peccatum veniale, eam consuetudinem seu ordinem transgredi sine causa ; si autem, ut est probabilius, eam negemus, tunc ex vi talis ordinis seu mutationis ejus, nullum erit peccatum, ne veniale quidem dicere missam ante Matutinum, etiam sine causa. Multo ergo certius nullum erit, si adsit causa rationabilis, quod etiam concedunt auctores contrariæ sententiæ. Contra vero post recitatas omnes horas potest etiam dici missa.

Dico 2 : Quamvis publica recitatio seu cantus divini officii in choro, nullum etiam habeat per se ordinem cum missa, tamen in ecclesiis in quibus est obligatio et recepta consuetudo dicendi in choro officium publicum, regulariter non potest dici publica et solemnis missa ante recitatum in choro Matutinum ; imo neque ante Primam, sub obligatione gravis culpæ : ita doctores communiter.

Sect. II, III. — *An conveniat sacerdotes vestibus sacris indui ad celebrandum ; et an sine illis possint celebrare.*

Dico 1 : Potuit Ecclesia instituere peculiares vestes, quibus sacerdotes utantur in sacris ministeriis, distinctas a communibus (nam Christus tantum instituit ea quæ sunt de substantia sacrificii et sacramentorum, relinquendo Ecclesiæ potestatem reliqua determinandi, quibusque uti non liceat extra sacrum ministerium ; et probatur contra recentes hæreticos, qui illas improbant : 1° Ex antiquissimo Ecclesiæ usu ; nam Anacletus I, Damasus, et antiquissimi Patres illarum mentionem faciunt. 2° Ex exemplo Veteris Testamenti in quo Deus ipse sacra vestimenta instituit. 3° Ex ratione naturali, dictante id præstandum ob ministerii dignitatem et splendorem. Hac igitur potestate utens Ecclesia determinavit sex præcipuas vestes sacerdotales, nempe amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, casulam, ex quibus resultat quidam gravis ac decens ornatus sacerdotis ad sacrificandum accedentis, præterquam quod hæ singulæ vestes mysticas habeant significationes tum ad mores spectantes, tum ad Christi passionem recolendam, quas vide hic apud P. Suarez et alios. Quoad materiam harum vestium, nihil determinatum est ; ideo consulendus usus, nec earum color, quem Missale præscribit, est præcepti, sed regula tantum directiva. Earum forma artificialis est illa qua uti solet Ecclesia. Forma moralis seu sacra, est benedictio facta a legitimo ministro : et hanc quidem amittit alba, si manica ab ea separetur ; uti et cingulum, si ita sit fractum ut neutra pars sufficiat ad cingendum ; alioqui si una sufficiat, hæc non amittit benedictionem. Stola potest pro cingulo inservire, et pro manipulo. Si hæ vestes ex duplici parte, interiori, et exteriori constent, singulæ partes manent benedictæ, licet inter se separentur.

Dico 2 : Hæc sex prædicta vestimenta sunt simpliciter necessaria necessitate præcepti ecclesiastici ad sacrificium missæ celebrandum, ita ut si quod eorum voluntarie omittatur, peccetur mortaliter ; et eodem præcepto debent esse benedicta : ita omnes theologi, quamvis quidam in necessitate ob periculum mortis dicere missam sine cingulo vel stola, existiment non fore peccatum mortale, uti nec erit, si ex oblivione naturali aut inadvertentia id fiat. Prohibetur in cap. *Nullus* De consecr., d. 1, celebrare cooperto capite, si tamen gravis infirmitas aut necessitas id exigeret, nec posset tam facile dispensatio peti, id fieri posset sine gravi culpa, cum dicat prohibitio : *Qui temere præsumpserit,*

Quoad reliqua vestimenta communia, servetur consuetudo et decentia.

DISPUTATIO OCTOGESIMA TERTIA.

De ritibus missæ quæ in verbis consistunt.

SECT. I. — *An conveniens fuerit præter consecrationis verba, adjungi aliqua alia in missa dicenda.*

Dico 1 : Sancte et religiose potuit Ecclesia in hujus sacrificii celebratione præter verba quæ sunt de ejus substantia, adjungere quædam alia partim antecedentia, partim subsequentia, quæ vel ad Dei laudes et gratiarum actiones, vel ad populum instruendum in fide, vel ad devotionem excitandam, vel ad populi petitiones et vota Deo exhibenda pertineant. De fide, contra hæreticos volentes Dominicam cœnam debere tantum fieri ut Christus fecit, nihil verborum addendo sive ante sive post consecrationem. Probatur ex traditione et perpetuo Ecclesiæ usu, ut patet ex Liturgiis Græcis et Latinis, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, et ex Patrum testimoniis Dionysii, Justini, Cyrilli, etc. Hic enim orandi ritus, inspirante Spiritu sancto, ab ipsis apostolis inchoatus est, quod liquet ex I Tim., III : *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, etc., ac postea a pontificibus et conciliis auctus et confirmatus. Paulus enim obsecrat Timotheum ceu episcopum ut in ipsius ecclesia ista omnia fiant, id est, juxta Patrum interpretationem, in quotidiano sacrificio et communi oratione.

Dico 2 : In toto verborum seu deprecationum ritu, quem nunc Ecclesia in missa observat, nihil est quod ab apostolica doctrina alienum sit, aut quod ab antiqua traditione originem non ducat, aut quod ad pietatem et religiosum Dei cultum non pertineat ; atque id P. Suarez probat in loco isto, discurrendo fere per omnes missæ partes, ostendendo illarum originem, pietatem, sensum mysticum, quæ omnia omitto brevitatis causa. Quod autem attinet ad canonem missæ, dicetur specialiter in sectione sequenti. Quæ autem in missæ ritibus carpantur ab hæreticis, sic solvuntur : 1° Dicendi missam modus in lingua Latina aut Græca, et non in vulgari, quæ ab omnibus intelligatur, est consuetudo ab apostolis derivata, et in omnibus regnis semper servata ; licet enim vulgari lingua diceretur, plebs tamen multa non intelligeret (v. gr. ex psalmis, prophetis, epistolis sancti Pauli desumpta), aut male interpretaretur ; et sæpe quædam debent esse illi occulta, ne vilescant. Et ad majorem mysteriorum venerationem pertinet, ut non in vulgari, sed in graviori lingua dicantur ; atque hoc etiam pertinet ad majorem Ecclesiæ unitatem conservandam et ad vitandum alicujus mutationis periculum. Deinde quæ spectant in missa ad populi instructionem, per conciones a pastoribus explicantur. Retinentur autem quædam verba Hebraica, aut Græca, vel quia peculiarem emphasim habent, v. gr. *Alleluia*, vel ad Ecclesiæ unitatem, ejusdemque fidei confessionem, v. gr. *Kyrie eleison*, vel ob commendandam antiquitatem, v. gr. *Amen*. Vel quia in aliam linguam commode tranferri nequeunt, v. gr. *Hosanna*, *Raca*, etc. 2° Dicere in missa quædam submissa, quædam altiori voce est ritus antiquissimus, ut constat ex Liturgiis antiquis, præsertim Basilii, Chrysostomi, etc. Omnia enim mysteria non sunt æque omnibus divulganda. Deinde ista varietas delectat animos, efficitque ut qui audiunt missam, possint se melius colligere, orare, divina mysteria meditari. Nec refert quod sacerdos sit minister publicus, potest enim utroque modo nomine Ecclesiæ apud Deum intercedere ; imo ipse Christus sic in cruce sacrificium obtulit, nunc clam orando, nunc astantes alloquendo. 3° Orationes pro animabus purgatorii, vel intelliguntur pro statu in quo jam exsistunt, et tunc petimus ut pœnæ eis remittantur, et liberentur ; vel intelliguntur pro statu in quo erant dum jamjam e corpore exituræ erant, et ob eas orationes prævias, fortassis in morte aliquod a Deo auxilium acceperunt ; vel ob eas nunc accipiunt aliquam pœnæ remissionem. 4° Orationes pro sanctis, vel fiunt ad gratias Deo agendas ob beneficia sanctis collata, vel ad comparandam illis aliquam accidentalem gloriam, aut gaudium.

SECT. II, III. — *De missæ canone ; et an sacerdos teneatur sub præcepto dicere omnia quæ in Missali præscribuntur.*

Dico 1 : Concilium Tridentinum (sess. 22, cap. 4, et can. 6) ob hæreticos modernos, quoad missæ canonem, hæc definivit : Ecclesiam catholicam illum multis ante sæculis instituisse, eum ex Christi verbis, apostolorum traditionibus et piis sanctorum pontificum institutionibus constare ; ab omni errore purum esse, et nihil in eo esse, quod non maxime sanctitatem ac pietatem redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Hic canon incipit ab his verbis : *Te igitur, clementissime Pater*, etc. Et in his proprie finitur : *Omnis honor et gloria*, ante orationem Dominicam. Alii autem recentiores expositores sub canone comprehendunt omnia quæ sequuntur usque ad sacramenti consumptionem. Octo hujus canonis partes sigillatim ac rite explicatas vide hic apud P. Suarez.

Dico 2 : Tenentur sacerdotes integrum missæ ritum servare, prout in Missali statutus ac definitus est : ut constat ex concilio Tridentino (sess. 22) et ex bulla Pii V. Mutare tamen missam privatam v. gr. dicere missam alterius diei, de feria pro missa de festo, aut contra, modo in ea missa quæ dicitur, integer ritus servetur, non est semper aliqua culpa : cum enim sacerdos absolute non teneatur hodie, v. gr. missam dicere, non est cur obligetur ad hanc determinate dicendam, cum nullum videatur esse latum præceptum dicendi missam de feria aut festo. Quoad missas solemnes parochiales aut conventuales major est obligatio dicendi missam diei juxta præscriptum Missalis ordinem. Item quando quis ob stipendium vel capellaniæ institutionem vel aliam causam, obligatur ad specialem missam dicendam,

debet si commode potest, præscriptam implere obligationem, quamvis si id sine scandalo ad servandum Missalis ordinem omittat, non peccabit, imo si id ob solemne festum faciat, melius faciet.

Dico 3 : Sacerdos tenetur dicere totum missæ officium; unde si voluntarie omittat partem notabilem, v. gr. Evangelium, erit culpa gravis ; si levem, erit levis, v. gr. si in canone unum aliudve nomen alicujus sancti omittat, si tempore paschali omittat ea quæ interponantur in oratione *Communicantes*, vel in oratione *Hanc igitur oblationem*. Item si omittat Symbolum, etc., erit levis culpa. Si quis autem ex oblivione naturali aliquid, quod non sit de substantia sacrificii, in missa omittat, v. gr. *Credo*, aut *Gloria*, et paululum jam progressus recordetur, ordinarie non debet repetere quæ omisit. Non enim aliis cohærebunt, extra locum suum posita.

Dico 4 : Tenetur etiam sacerdos non addere ex propria devotione novas precationes, aut alia verba præter ea quæ juxta ritum Ecclesiæ præscripta sunt, prout habetur in bulla Pii V et in concilio Tridentino (sess. 22) maxime in iis quæ publice dicuntur; etiamsi nec etiam liceat in iis quæ secreto dicuntur. Si vero sacerdos non habeat intentionem addendi aliquid officio missæ, sed ut privata persona privatam aliquam devotionem secreto tunc recitet, non peccabit quidem directe contra hoc præceptum, sed male et imprudenter faciet, privatis aliis precibus sacrum ministerium interrumpendo.

DISPUTATIO OCTOGESIMA QUARTA.

De ritibus missæ, quæ in actione consistunt.

Sect. I, II. — *An hæ cæremoniæ quæ in actione consistunt, sint rite ab Ecclesia institutæ ; et an teneatur sacerdos ex præcepto illas omnes servare.*

Dico 1 : Quædam harum cæremoniarum inserviunt ad sacrum mysterium honestate, modestia, reverentia peragendum, v. gr. lotio manuum, tunsio pectoris, oculorum demissio, ut ait Paulus : *Omnia secundum ordinem fiant in vobis* (*I Cor.* XIV, 40), ideoque prudenter ab Ecclesia institutæ sunt. Aliæ inserviunt ad excercendos diversos latriæ, hyperduliæ, et duliæ exteriores actus, v. gr. genuflexio, capitis inclinatio, etc. Aliæ principaliter institutæ et ordinatæ sunt ob significationem tum *moralem*, qualis est elevatio panis et vini consecrandi, oculis ac manibus sursum sublatis, tunsio pectoris, osculum pacis; tum *mysticam*, qualis est vini et aquæ mistio, ablutio digitorum, brachiorum extensio post consecrationem, Christi crucifixionem repræsentans, fractio hostiæ, multiplex usus signi crucis, etc. Denique aliæ quæ fiunt in missis solemnibus, in diebus Quadragesimæ ac vigiliarum, in missis defunctorum, lumen, thurificatio, aspersio aquæ benedictæ, etc. Omnes ordinantur ad fines jam dictos.

Dico 2 : Constat ex concilio Tridentino et bulla Pii V, dari præceptum servandi ritum ab Ecclesia institutum in celebratione missæ non solum quoad verba, sed etiam quoad actiones, quod violatur vel aliquid omittendo, vel addendo ; unde juxta materiæ gravitatem aut levitatem obligat, vel sub gravi, vel sub levi peccato, v. gr. mistio aquæ cum vino obligat sub gravi.

DISPUTATIO OCTOGESIMA QUINTA.

De obligatione supplendi defectus inter sacrificandum commissos.

Sect. I. — *Quomodo cavendi vel supplendi sunt substantiales hujus sacrificii defectus.*

Dico 1 : Si in materia aut forma commissus sit defectus essentialis, est omnino supplendus, et si nondum sit commissus, omnino præcavendus. Hinc si sacerdos post sumptum corpus Christi, incipiendo potum calicis sumere, sentiat esse aquam, potest sine scrupulo reliquam deglutire; deinde debet imponere vinum et illud consecrare, resumendo hæc verba : *Simili modo postquam cœnatum est*, quamvis simpliciter non sint necessaria; et sacrificium absolvat sine nova alterius hostiæ consecratione, ut sentit Scotus, Sotus, Navarra. In defectibus quidem Missalis dicitur iterum consecranda simul etiam nova hostia ; sed istud est tantum instructio doctrinalis, juxta probabilem opinionem, non constitutio specialis inducens novam obligationem. Alter autem modus est aptior ut fiat sine scandalo et populi advertentia, sufficiensque ad perficiendum sacrificium. Quod vero non sit amplius jejunus sacerdos, nihil obstat, ut expresse hic dicit D. Thomas, quia præceptum divinum de sacrificii integritate magis obligat, quam ecclesiasticum jejune communicandi. Et in hoc omnes doctores conveniunt. Idem dic de defectu essentiali in forma unius speciei. Si in utraque, id est, si in materia et forma commissus sit defectus essentialis, tunc nullum fuit sacrificium, adeoque nil iterandum. Si defectus essentialis in materia hostiæ fuerit, videtur melius utramque speciem tunc iterum consecrare.

Dico 2 : Si venenum sit materiæ panis aut vini immistum, non sunt sumendæ species consecratæ, sed servandæ donec corrumpantur aut exsiccentur. Si animal in sanguinem cadat, totum sumendum est, si sine gravi detrimento aut periculo fieri possit, sin minus, extrahatur; si post consecrationem calix congeletur, calore adhibito liquefiat. Si ante consecrationem timeatur hostium incursus, relinquatur sacrificium , si post, acceleretur, relictis non necessariis. Si miraculose, aut vento abrepta disparet hostia, alia consecretur. Si sanguis effundatur, quid agendum Missale præscribit, etc.

Dico 3 : Si post consecrationem sacerdos deficiat, aut nequeat sacrificium perficere, perficiatur ab alio sacerdote, et hic incipiat, ubi alter desiit ; si autem ante consecrationem, sacrificium relinquatur, etc.

Sect. II. — *Quomodo cavendi aut supplendi sunt defectus hujus sacrificii accidentales.*

Dico : Quamvis sacerdos debeat moralem diligentiam adhibere ut hos accidentales defectus caveat ac præveniat, tamen postquam commissi sunt, regulariter loquendo, non sunt supplendi, iterando aliquid, vel præpostero ordine dicendo, vel faciendo

quod prius erat efficiendum. Hinc si post consecrationem advertatur panem esse fermentatum, aut aquam non fuisse vino immistam, nihil supplendum est; secus, si ante. Si autem hostia non sit omnino integra, aut maculam habeat, aut vinum paululum acidum, id quidem præcavendum est; sed si non possit haberi alia materia, nec sit valde deformitas, aut non magna acedo, sæpe tolerari potest, et dici missa. Si quid accidentale in verbis omissum sit, nihil repetendum est.

DISPUTATIO OCTOGESIMA SEXTA.

De justo missæ stipendio, et de eo pro quo applicanda est ex obligatione.

Sect. I, II. — *Quando teneatur sacerdos ex justitia offerre sacrificium pro aliquo; et quænam sint justa missarum stipendia.*

Nota : Potest quis obligari ad dicendam missam ex obedientia, ex voto, ex charitate raro, ex promissione (quæ sæpe non est cum quis dicit se missam oblaturum seu dicturum pro aliquo, sed simplex est propositi declaratio), ex justitia aut ex pacto. Quare

Dico 1 : Dum quis habet beneficium simplex ad hoc specialiter institutum ut dicatur missa, v. gr. capellaniam, tenetur eam dicere ad talem intentionem ex justitia; secus autem, si non sit ad hoc institutum, ut sunt canonicatus, præstimonia, etc., beneficium enim datur ob officium. Habens autem beneficium curatum, quamvis teneatur dicere missam omnibus diebus, in quibus populus eam audire tenetur, non tenetur tamen eam pro illo, saltem semper, offerre, sed prudenti parochi judicio id relinquitur, si aliunde non sit determinatum. Multo minus tenetur eam quotidie pro illo seu pro suis ovibus offerre, ut Sotus sine fundamento vult.

Dico 2 : Tenetur etiam ex justitia dicere missam is, qui privatum stipendium ad hanc causam recipit; intervenit enim mutua conventio seu pactum inter dantem et recipientem istud stipendium : quod stipendium non datur ut valor operis seu pretium missæ, sed ut res necessaria ad sustentationem naturali lege sacris ministris debita. Sacerdos autem ratione ejusmodi stipendii tenetur applicare ei pro quo missam dicit, non suum personalem missæ fructum, qui forte non est alteri applicabilis, sed illum fructum seu portionem satisfactionis, quæ ipsi ut ministro publico ad applicandum ac distribuendum commissa est.

Dico 3 : Si obligatio dicendi missam oriatur ex beneficio, id quod isti beneficio annexum est, censetur justum istius obligationis stipendium; si autem illius reditus ita tenues sint, ut non sufficiant ad justum tot missarum stipendium, pertinebit ad episcopum redigere illarum numerum ad justum stipendium. Quoad vero stipendia quæ sponte dantur a fidelibus ad dicendas missas, si taxata sint a superiore potestatem habente, illa censenda sunt justa, ita ut non possint juste exigi majora. Per hoc tamen non prohibentur fideles, quominus possint dare majora et duplicata, si velint, modo spontanee id faciant; cum enim id gratis detur, potest accipi. Si autem lex non taxavit missarum stipendium, illud earum erit justum stipendium, quod communi consuetudine passim receptum et approbatum est, seu quod a viris prudentibus et Deum timentibus communiter peti aut dari solet. Non tamen justa hujus stipendii æqualitas desumenda est ex integra pecuniæ quantitate qua sacerdos indiget ad suam congruam sustentationem; nam præter missam potest alias actiones sacras exercendas habere, ex quibus aliquid in suam sustentationem accipiat. Denique non potest sacerdos, servata justitiæ æquitate, ratione unius missæ, accipere nisi unum adæquatum stipendium, sive ab una, sive a multis personis; secundum enim veriorem sententiam, si idem sacrificium offeratur pro multis, singuli privantur aliquo fructu, quem posset ac deberet sacerdos applicare. Deinde si unus det duo stipendia, debet ex justitia offerri pro illo duplex sacrificium.

Sect. III, IV. — *An sacerdotes divites possint pro missa accipere stipendium, et an pauperes duplicatum.*

Dico 1 : Quamvis sacerdos proprium habeat patrimonium seu bona temporalia, quibus sufficienter alatur, potest tamen sine injustitia pro missa stipendium accipere; et idem dic de habente beneficium ecclesiasticum, quo sufficienter ali potest, si ratione illius non obligetur ad missas speciali intentione dicendas. Hoc enim est per accidens et extrinsecum, et non tollens proprium jus, quo sacerdoti ministranti debetur ex justitia alimentum. Sacerdos autem qui ex obligatione sui beneficii, capellaniæ, aut aliorum redituum ecclesiasticorum tenetur missam pro aliquo dicere, non potest pro eadem missa dicenda stipendium ab alio accipere; acciperet enim duplicatum stipendium. Diebus tamen, quibus non obligatur ad offerendum sacrificium ratione sui beneficii, potest accipere.

Dico 2 : Cum parochus non teneatur quotidie pro subditis celebrare, ut supra dictum est, illis diebus quibus non obligatur ad celebrandum, potest pro missa dicenda accipere stipendium tam ab extraneis quam a suis subditis. Non potest tamen, etiam a suis subditis accipere stipendium iis diebus, quibus ex obligatione sacrificium offert pro illis, seu pro populo suo, nisi spontanee et voluntarie, aperte gnari ejus obligationis, illud præbeant cedentes juri suo.

Dico 3 : Non potest pauper sacerdos plura stipendia justa, sive lege taxata, sive communi æstimatione recepta pro una missa accipere; paupertas enim non dat facultatem accipiendi rem injustam. Si autem ista stipendia essent minora quam lege taxata sunt, nec integra, tunc posset a diversis, vel

ab eodem tot accipere, quot sufficerent ad justum stipendium conficiendum, et lege taxatum.

Nota : Alexander VII damnavit, anno 1665, posse sacerdotem pro eadem missa accipere duplicatum stipendium, applicando petenti, etiam specialissimum fructum ipsimet celebranti correspondentem; item cui missæ celebrandæ traduntur, posse per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta ; item nec esse contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.

DISPUTATIO OCTOGESIMA SEPTIMA.

De ministro ad sacrificium necessario, ejusque obligatione.

Sect. I, II. — *An ad missam celebrandam necessarii unus, aut plures ministrantes sint ; et ad quid ministrans obligetur.*

Dico 1 : Dicendam esse missam cum uno aut pluribus ministrantibus, nec posse sine ullo dici, circa hoc nihil jure divino præceptum aut prohibitum est. Jure tamen ecclesiastico requiritur per se loquendo, unus saltem minister præter sacerdotem celebrantem, non tamen plures, nisi in missis solemnibus quæ dicuntur cum diacono, subdiacono, acolythis, etc. In aliis missis non requiruntur necessario plures, imo, juxta multos, in casu necessitatis, nullus ; non tamen sine dispensatione, si necessitas esset continua, si v. gr. solus viveret eremita, indigeret dispensatione ad sacrificandum sine ministro. Quædam autem antiqua pontificum decreta, requirentia plures ministrantes ad hoc sacrificium offerendum cum majori reverentia, vel intelliguntur de missis solemnibus, vel potius revocata sunt per contrarium usum ob necessitatem et utilitatem ; multiplicato enim sacerdotum numero et utile et necessarium fuit cum uno ministro celebrare, ne frequenter cogerentur sacrificium omittere. Sed hic minister an debeat esse vir, non vero femina, respondetur : quamvis remote possint interdum feminæ respondere sacerdoti, ut religiosæ ex choro facere solent in missa solemni, proxime tamen ad altare ministrare respondendo, aquam et vinum præbendo, et alia ejusmodi faciendo, nec possunt nec debent ; imo in casu necessitatis, juxta Sotum, potius celebrandum est sine ministro, quam cum femina sic ministrante.

Dico 2 : Ministri qui ex officio, ratione ordinis ministrant, nempe diaconus, subdiaconus, acolythus, etc., nullo jure sive divino sive ecclesiastico tenentur interdum exercere suum ministerium, solemniter ministrando ; solemniter autem ministrando debent servare ea quæ in Missali præscribuntur. Alii vero qui absque ulla solemnitate vel consecratione inserviunt missæ, debent posse respondere juxta ritum ab Ecclesia præscriptum, actionesque ad se pertinentes ea diligentia et cautela peragere, ut ejus occasione nullus in missa defectus committatur.

DISPUTATIO OCTOGESIMA OCTAVA.

De præcepto audiendi missam.

Sect. I, II. — *An sit in Ecclesia præceptum audiendi missam, et quænam sit ejus materia.*

Dico 1 : De fide certum est in Ecclesia præceptum esse audiendi missam certis diebus quos festos appellamus, et hoc probatur ex multis juris canonici decretis, ex usu et consuetudine, ex communi doctorum omnium consensu ; et ratione, quia festi dies sunt deputati ad cultum divinum, ergo decuit aliquid positive præcipi ad colendum Deum. Unde hoc præceptum est valde consentaneum juri tum naturali, tum divino positivo dicenti : *Hoc facite* (*Luc.* XXII, 19). Itaque inducit gravem obligationem, ita ut illud transgredi omnino, vel uno tantum die pro quo obligat sine legitima causa excusante, sit peccatum mortale, etiamsi non ex contemptu, sed ex mera voluntate, aut ex pigritia culpabili, aut affectu ad aliam actionem, aut alio simili modo voluntarie omittatur ; et si quis die festo non possit simul missam et concionem audire, per se loquendo tenetur potius interesse missæ quam concioni, contra Angelum falso oppositum docentem.

Dico 2 : Hoc præceptum obligat fideles ad audiendam totam missam a principio usque ad finem, ex missa cathecumenorum et fidelium constantem. Hinc non potest quis vel minimam ejus partem, v. gr. Evangelium sancti Joannis quod in fine missæ dicitur, sine peccato omittere. Qui tamen missæ inserviunt, licet aliquas ejus partes non videantur percipere vel audire, dum per templum discurrunt, vel ad sacellum accedunt, allaturi vinum, thus et similia necessaria, censentur tamen toti missæ assistere. Culpa ergo, quæ committitur in omissione partis missæ, est gravior vel levior juxta quantitatem partis omissæ. Unde quidam censent, si quis omittat audire introitum missæ cum iis quæ præcedunt, usque ad Epistolam exclusive, vel etiam usque ad Evangelium exclusive, et postea ab initio Evangelii inclusive reliquum totum usque ad finem audiat, illum non peccaturum mortaliter. Deinde communiter censent auctores eum qui, omissam missæ partem, in altera missa illam audit, satisfacere præcepto, quia duæ illæ medietates faciunt integram missam ; sed quamvis hæc sententia practice condemnari non possit, tamen videtur valde pertinere ad hujus præcepti substantiam, ut tota fidelium missa ab oblatione usque ad consumptionem continue et per modum unius sacrificii audiatur ad offerendum integre cum sacerdote suo modo sacrificium.

Dico 3 : Præcepto audiendi missam, nunc fideles illi satisfaciunt audiendo ubicunque missam, etiam extra propriam parochiam (Navarra, Angelus, Sylvester, etc.), quia talis est universalis Ecclesiæ consuetudo, per quam si quod forte fuit jus antiquum de audienda missa in parochia, abrogatum est. Nec potest episcopus, juxta Navarram et Sylvestrem, ad id cogere suos subditos per legem aut

excommunicationem, quia non potest jus commune restringere. Hinc concilium Tridentinum dicit monendos esse fideles ut frequenter, saltem diebus Dominicis et majoribus festis ad parochiam accedant; non vero dicit jubendos esse. Similiter non tenentur fideles ex vi hujus præcepti, audire missam majorem, seu quæ cum cantu dicitur, sed satisfaciunt audiendo missam privatam, etiamsi in propria parochia hoc præceptum impleant. Iidem auctores et eadem ratio quæ ante. Nec est necessarium audire missam de die seu festo, sed quacunque audita, etiam de defunctis, satisfit huic præcepto. Denique fideles vi hujus præcepti tenentur audire unam tantum missam, adeoque nec die Nativitatis Christi tenentur audire tres aut duas, sed qualibet audita satisfaciunt; neque ipsi sacerdotes tenentur tres dicere, dicere enim tres aut duas est indulgentia, non obligatio.

Sect. III, IV. — *Qua attentione debeat hoc impleri præceptum; et quas personas obliget.*

Dico 1 : Vi hujus præcepti tenentur fideles secundum moralem et corporalem præsentiam missæ assistere, ita ut quantum in ipsis est, possint audire et videre seu percipere aliquo modo sacerdotis ministeria, debentque habere voluntatem illam audiendi; et quamvis hæc foret admista cum aliqua intentione criminosa, si tamen sit vera audiendi missam voluntas, sufficiet ad præcepti impletionem. Præterea requiritur aliqua attentio ex objecto religiosa et ad cultum Dei pertinens, hæc est triplex : prima est attendens tantum ad ea quæ sacerdos dicit vel facit præcise, nec ea distincte intelligendo, sed solum ad ea attendendo; et hæc quidem sufficit : efficit enim ut sit auditio seu præsentia moralis humana, et ex objecto religiosa. Sed altera quæ attendit ad ea quæ verbis et factis significantur, longe adhuc melior est: denique optima est illa quæ simul attendit ad Deum. Sufficit autem ut alterutra ex attentionibus in auditione missæ perseveret virtualiter. Hinc si quis, dum audit missam, voluntarie exerceat aliquas actiones exteriores, repugnantes debitæ ejus attentioni, quæ durent tantum per parvam missæ partem, peccabit quidem tantum venialiter; sed si durent per magnam partem, peccabit mortaliter, nec implebit præceptum. Dum quis autem ex præcepto missam audit, potest quascunque orationes pro sua devotione tunc recitare, imo et tunc recitando ea, quæ aliunde ex obligatione, v. gr. voti, beneficii, ordinis, pœnitentiæ sacramentalis tenetur recitare, potest simul satisfacere.

Dico 2 : Hoc præceptum audiendi missam obligat omnes adultos baptizatos cujuscunque conditionis vel status. Infideles enim, et catechumenos non obligat; pueros autem batizatos obligat, quando jam ita ratione uti possunt, ut valeant sufficienter discernere inter bonum et malum, sintque capaces mortalis, non prius; quo vero ætatis anno incipient in hujusmodi statu constitui, non potest generaliter determinari; multi existimant statim post septennium incipere obligari.

Sect. V. *Quando vel quibus diebus obliget hoc præceptum.*

Dico 1 : Certum est hoc præceptum obligare ad audiendam missam omnibus diebus Dominicis; et colligitur hujus diei observatio esse antiquissima ex Act. xx, 7 : *Una Sabbati cum venissemus ad frangendum panem*, id est prima die septimanæ. Et, I Cor. xvi, 2 : *Una Sabbati unusquisque apud se seponat.* Sabbatum enim significat septimanam. Unde patet hanc diem Dominicam jam ab apostolorum temporibus fuisse divino cultui dicatam. Quando autem cœperit obligatio audiendi in ea missam, licet sit antiquissima, non satis constat. Quia vero apud Judæos observatio diei Sabbati ex præcepto divino erat cæremonialis, ideo in lege nova in qua cæremonialia cessarunt, translata est in diem Dominicam, tum ut Christiana observatio a Judaica distingueretur, tum ut umbras et figuras jam cessasse, et in Dominica resurrectione fuisse omnia completa ostenderetur, tum etiam ob alios fines.

Dico 2 : Hoc præceptum non tantum obligat ad audiendum missam diebus Dominicis, sed etiam omnibus diebus festivis, quorum aliqui jure communi instituti ac præcepti sunt, ut sunt præcipua Christi et B. Virginis festa, et duodecim apostolorum, etc.); alii antiquissima et universali Ecclesiæ consuetudine observati, v. gr. festum Trinitatis; alii privato jure alicujus episcopatus, civitatis, aut oppidi introducti, vel ex antiqua et recepta consuetudine, quæ vim habet legis, quando sub ea ratione introducta et acceptata invenitur : nec ex episcopi præcepto, vel ex populi voto, cujus obligatio transit ad successores non in vi voti proprie sumpti, sed in ratione legis a populo cum episcopi consensu latæ, vel in ratione cujusdam pacti. Hæ autem festivitates cum universales non sint, non transgrediuntur terminos loci aut temporis pro quibus præscribuntur juxta rationem consuetudinis aut legis. Denique præceptum audiendi missam obligat tantum ad eam audiendam in die præscripto; ita ut eo elapso non maneat obligatio eam audiendi in alio die, uti nec tenetur quis in anteriori die eam audire, dum prævidet futurum impedimentum illam audiendi in die sequenti præscripto.

Sect. VI. — *Quibus modis excusetur aliquis ab audienda missa in die præcepto.*

Dico 1 : Ab audienda missa in die præcepto excusat spiritualis impotentia, seu impedimentum, v. gr. si quis est excommunicatus, aut interdictus speciali vel generali interdicto; et licet si negligens sit in obtinenda absolutione a censura, peccet alio peccati genere, probabiliter tamen, juxta Navarram non peccat peccato transgressionis audiendæ missæ, quam jure omittit, supposito ejusmodi impedimento. Qui autem habet privilegium au-

diendi missam tempore interdicti, videtur certo teneri audire missam die festo : Navarra, et Sotus, contra quosdam. Quia, inquiunt, non colligitur uti privilegio, sed supposito privilegio, cogitur servare præceptum. Similiter ab hoc præcepto excusat inculpabilis ignorantia sive juris sive facti, aut naturalis oblivio seu inconsideratio.

Dico 2 : Ab audienda missa excusat corporalis impotentia, v. gr. si quis sit in vinculis, aut alia ratione cogatur domo non exire, aut non ingredi templum seu locum ubi missa dicitur ; aut si nimis distet templum. Similiter si is, qui vi vel ægritudine, vel alia ratione cogitur manere domi, habeat privilegium seu oratorium approbatum, in quo possit domi audire sacrum, videtur verisimilius non teneri ad utendum privilegio, præsertim si oporteat stipendiarium quærere sacerdotem, nemo enim ad hoc tenetur, sed solum ad audiendam missam quæ in Ecclesia dicitur. Deinde cum dicere missam in domibus privatis, etiam approbatis, de se sit odiosum, minus decens, et præter generales Ecclesiæ canones, nemo obligatur ad utendum tali privilegio, ut possit aliud præceptum ecclesiasticum implere ; hoc enim non videtur tanti momenti quanti illud. Differentia autem inter hunc casum et casum interdicti, est quod in casu interdicti, ablato impedimento, nulla postea fit dispensatio in jure, sed regulari modo missa dicitur et auditur, quod non ita fit in hoc casu. Idem dic de impedimento navigantium, qui nec possunt ad terram accedere, ut missam audiant, nec in navi audire.

Dico 3 : Aliud impedimentum excusans ab audienda missa, est impotentia moralis, v. gr. quando est periculum amittendæ vitæ, valetudinis, honoris, bonorum temporalium, aut cujusvis gravis incommodi corporalis vel temporalis incurrendi.

Dico 4 : Alia causa excusans, est opus charitatis, v. gr. si necesse sit infirmum non deserere ; præstare opus proprii officii, quod non potest deseri, v. gr. si miles non possit a sua statione abesse. Item consuetudo, v. gr. mulierum post partum abstinentium per aliquod tempus ab ingressu Ecclesiæ, aut quarumdam interdum nobilium viduarum, post mortem mariti per aliquot dies domo non exeuntium.

Dico 5 : Alia causa excusans, est major utilitas vel necessitas spiritualis. Item si non adsit alius sacerdos ad dicendam missam, quam nominatim excommunicatus.

Dum quis excusatur ab audienda missa, non tenetur loco illius aliquas orationes, vel aliquem externum cultum Deo exhibere, ut vult Scotus sine sufficienti fundamento. Denique hujus præcepti transgressoribus nulla censura in jure imposita est, aut alia pœna ecclesiastica, quæ ipso jure incurratur ; sed correctio illis exhibenda.

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS

DE SACRAMENTIS.

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTIS PŒNITENTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS. — DE PURGATORIO, SUFFRAGIIS ET INDULGENTIIS.

LIBER PRIMUS.

De pœnitentia, ut est virtus.

DISPUTATIO PRIMA.

De pœnitentia in communi.

SECT. I, II. — *In quibus virtus et sacramentum pœnitentiæ conveniunt et disconveniunt.*

Dico 1 : Pœnitentia est pœna voluntaria, qua aliquis in se punit quod voluntarie peccando commisit ; adeoque est honestus dolor de peccato commisso ; et quia hic dolor est pars sacramenti pœnitentiæ, ideo hæc vox *pœnitentia* per synecdochem transfertur ad significandum etiam sacramentum pœnitentiæ, et sic est communis prædicto dolori seu virtuti, et sacramento. Utrumque etiam convenit in ratione medicinæ ad delendum peccatum, et in ratione secundæ tabulæ si sumatur baptismus pro prima tabula, qua homo salvatur a peccati naufragio. Item utrumque versatur circa peccatum actuale, tanquam

materia, et circa hominem adultum, tanquam subjectum.

Dico 2 : Virtus pœnitentiæ et sacramentum pœnitentiæ in hoc disconveniunt, quod virtus sit actus vel habitus, sacramentum sit signum sensibile, adeoque actus exterior ; virtus autem actus interior, et sic pars sacramenti, non totum. Deinde virtus est tantum causa dispositiva gratiæ et remissionis peccati ex opere operantis ; sacramentum vero est causa efficiens ex opere operato. Denique disconveniunt inter se in origine, in antiquitate, et quodam modo in diuturnitate ; quia actus virtutis seu dolor internus de peccatis durat usque ad mortem, sacramentum autem seu sumptio sacramenti sæpe non ita.

DISPUTATIO SECUNDA.

De objecto virtutis pœnitentiæ.

Sect. I, II. — *Quodnam sit materiale objectum virtutis pœnitentiæ.*

Dico 1 : Malum culpæ, sive peccatum tum mortale tum veniale, ut vitandum aut destruendum, est materiale pœnitentiæ objectum ; nec tantum interior peccati actus, sed etiam exterior comprehenditur sub ejus objecto adæquato, quia actus exterior est simpliciter actus moralis peccaminosus, non quidem ut ab interiori distinctus : sed ut unum cum illo constituens, sicut corpus cum anima unum hominem constituit. Deinde si sumatur virtus pœnitentiæ secundum totam ejus latitudinem, non solum peccatum jam commissum, sed etiam quodvis peccatum actuale, seu peccatum quod cavendum est, comprehenditur sub ejus objecto, odio enim habet quamlibet Dei offensam ; unde aliena peccata, utpote odio ac detestatione digna, cadunt etiam sub ejus objectum. Deinde non tantum peccatum actuale, sed etiam habituale est ejus objectum, quia non tantum fugit committere actu peccatum, sed etiam ejus statum ac maculam permanentem intendit destruere ; et licet peccatum originale sit quasi habituale, non est tamen ejus objectum, quia non est homini voluntarium per proprium actum. Sed si sumatur latius pœnitentiæ virtus secundum simplicem justitiæ affectum erga Deum, sic potest odio habere omnem injustitiæ statum, quacunque ratione sit contractus, adeoque est peccatum originale ; et sub ea ratione potest etiam esse illius objectum.

Dico 2 : Virtus pœnitentiæ pro objecto suo materiali non tantum habet malum culpæ, sed etiam pœnæ, tum quia vult internas afflictiones et dolores ut Deo pro peccatis satisfaciat, tum quia utitur aliquo pœnæ malo tanquam medio apto et ad destruendum peccatum et ad resarciendam divinam injuriam, et sic malum pœnæ spectat ut amplectendum ; malum vero culpæ ut destruendum. Hinc communiter dicunt theologi malum culpæ, non autem pœnæ, esse ejus objectum, quia pœnitentia in rigore sumpta intendit destruere peccatum.

Dico 3 : Pœnitentiæ secundum suam adæquatam naturam non tantum versatur circa malum, fugiendo illud, sed etiam tendit in bonum malo oppositum, inclinando in illud ; ejusdem enim virtutis est, malum fugere, et bonum illi oppositum prosequi : cumque sit quædam justitia erga Deum, volendo illi satisfacere et reparare illius injuriam, seu reddere quantum in se est, Deo suum jus, ideo non tantum bonum opus, sed etiam ipse Deus aliquo modo comprehenditur sub pœnitentiæ virtutis objecto.

Sect. III. — *De formali pœnitentiæ objecto.*

Dico 1 : Virtus pœnitentiæ generaliter sumpta non habet definitam ac specificam formalis objecti rationem, sed habet confuse ac generatim quodvis motivum ad detestandum peccatum, sive sub ratione generali quatenus est aversio a Deo et a suo fine ultimo, sive particulari quatenus est contrarium tali vel tali virtuti. Specifice autem et proprie sumpta habet pro objecto formali specifico reparationem seu compensationem injuriæ Deo illatæ, ac pro illa satisfactionem ; sive spectat jus divinum quatenus ex peculiari justitiæ debito servandum est, quia pœnitentia est quædam erga Deum justitia, qua Deo suum jus redditur.

Dico 2 : Etiam vindicta quæ sumitur ad satisfaciendum pro peccatis comprehenditur sub pœnitentiæ objecto formali, quia per eam intenditur aliquo modo integra divinæ injuriæ compensatio ; nam ejus qui injuriam intulit, punitio redundat in honorem et ampliorem satisfactionem alterius qui injuriam passus est.

Sect. IV. — *Quænam virtus detestetur peccata quatenus sunt rationi contraria.*

Dico : Actus quo quis detestatur præcise peccata quatenus rationi sunt contraria, licet non possit non pertinere ad aliquam virtutem determinatam, quia non potest ab omnibus virtutibus elici, non tamen aut ad charitatem, aut ad justitiam legalem, aut ad obedientiam pertinet. Nec potest dici ejusmodi actus nullum in voluntate generare habitum, cum omnis actus, ut experientia constat, generet habitum. Ideo probabiliter dici potest ab ejusmodi actu generari habitum proprium et particularem, qui habeat propriam speciem desumptam ex habitudine ad talem actum et tale objectum generatim spectatum ; prout in ratione objecti continet specialem boni rationem a particularibus aliarum virtutum bonis et objectis distinctam.

DISPUTATIO TERTIA.

De actibus virtutis pœnitentiæ in communi.

Sect. I, II, III, IV. — *Cujusnam potentiæ sit actus pœnitentiæ, et quotuplex.*

Nota : Recentiores hæretici dicunt actum pœnitentiæ esse fere tantum actum intellectus, quo cognoscit ac judicat se male egisse ; et si adjungunt actum voluntatis, est solum propositum bene vivendi in posterum. Nam detestationem præteriti, ut otiosam et inutilem vel præsumptuosam reprobant ; quia impossibile est, aiunt, nos Deo posse satisfacere. Sed

Dico 1 : Actus pœnitentiæ est actus a voluntate

elicitus, supponens actum intellectus sibi proportionatum, et ordinarie habens sibi conjunctum appetitus sensitivi actum tanquam consequentem; dum enim voluntas dolet de peccato, trahit secum appetitum inferiorem, ut aliquem dolorem concipiat : hujus tamen carentia non est signum quod voluntas careat pœnitentia.

Dico 2 : Voluntas potest varios pœnitentiæ actus elicere sive tendendo in bonum, v. gr. actum justitiæ erga Deum, gaudii de exhibita satisfactione pro peccatis, propositi servandi mandata, etc., sive recedendo a malo, v. gr. actum doloris, displicentiæ, odii, detestationis, etc. Odium autem ac detestatio peccati, distinguuntur inter se ut quid magis et minus commune.

Dico 3 : Actus pœnitentiæ est absolutus dum dicitur : *Nolo peccatum;* vel etiam dum dicitur : *Nollem peccasse.* Et est inefficax quidem in quantum non potest efficere ut peccatum non fuerit commissum, sed est efficax ad separandam et avertendam voluntatem ab effectu peccati, detestando illud cum proposito emendationis. Quamvis autem hæc detestatio et propositum in sua virtute et efficacia videantur convenire, tamen secundum suas rationes formales distinguuntur : nam detestatio est actus per modum fugæ et aversionis voluntatis, immediate versans circa peccatum commissum ut sic; propositum autem est per modum prosecutionis et intentionis, immediatius versans circa resarciendam divinam injuriam, et satisfactionem exhibendam.

Dico 4 : Quamvis aliqua peccati detestatio possit a charitate elici, v. gr. contritio perfecta; aliqua tamen potest etiam a propria pœnitentiæ virtute elici, v. gr. detestatio ad destruendum peccatum, ad resarciendam injuriam. Actus quidem detestationis seu displicentiæ et actus doloris, sunt ita moraliter conjuncti in homine viatore, ut per modum unius reputentur; physice tamen sunt duo actus distincti tanquam odium a dolore, detestatio enim est doloris causa, et in beatis est displicentia seu detestatio sine dolore, cujus sunt incapaces. Scotus distinguit quatuor actus seu acceptiones pœnitentiæ, nimirum velle in se punire peccatum, nolle peccasse, acceptare illius punitionem, patienter illam ferre ; sed hæc distinctio videtur superflua.

Sect. V, VI, VII. — *An actus pœnitentiæ sit honestus et supernaturalis.*

Dico 1 : Actus Christianæ pœnitentiæ seu detestationis peccati est per se honestus et sanctus. Id definitur in concilio Tridentino (sess. 14, can. 6) et patet ex Scriptura consulente illum ac præcipiente (*Ezech.* xviii, xxxiii ; *Matth.* iii, iv, etc.). Objectum enim illius actus est per se bonum, et debitis cum circumstantiis potest fieri. Nec est otiosus aut inutilis, quia non tendit ad hoc ut quod factum fuit, non fuerit factum, sed ad hoc ut voluntas avertatur ab isto malo, et destruat illud, quatenus adhuc aliquo modo permanens; potestque habere diversas honestates, seu diversas moralis virtutis species, juxta varia motiva honesta, v. gr. justitiæ, charitatis, temperantiæ, etc., ex quibus potest procedere.

Dico 2 : Actus Christianæ pœnitentiæ est supernaturalis, ita ut sine divina et supernaturali gratia exerceri nequeat. Probatur ex Scriptura et Patribus : *Converte me, Domine, et convertar; postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* (*Jerem.* xxxi, 18, 19). Item ex concilio Arausicano ii (can. 2) et Tridentino (sess. 6, cap. 6, can. 3) sic definiente : *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, homines credere, sperare, diligere, aut pœnitere sicut oportet, ut eis justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ratio etiam id probat, quia ultima dispositio ad gratiam est actus pœnitentiæ; ergo supernaturalis. Insuper

Dico 3 : Non tantum actus pœnitentiæ Christianæ est supernaturalis extrinsece et quoad modum denominationis, sed etiam intrinsece et quoad entitatem essentialem, contra Scotum, Gabrielem, Durandum et Cajetanum, dicentes totam illius entitatem esse naturalem, ideoque per naturales liberi arbitrii vires produci posse, quamvis prout a Deo exigitur ad salutem, aliquid supernaturale requiratur, quod a divina gratia pendet; id est, juxta Scotum et Gabrielem, debet acceptari a Deo seu gratia informari; et juxta Cajetanum ac Durandum, debet dicere habitudinem ad speciale Dei auxilium tanquam ad suam causam. Sed contra probatur : Iste pœnitentiæ actus vel a Deo acceptatur seu informatur gratia, quia supernaturalis est, et sic illius supernaturalitas non consistit in sola acceptatione vel informatione extrinseca, sed in alio aliquo intrinseco; vel tantum fit supernaturalis, quia acceptatur a Deo, vel informatur gratia. Ergo fit a nobis sine gratiæ adjutorio, contra concilium Tridentinum supra. Similiter dic de habitudine ad Dei auxilium. Quare iste actus est ita supernaturalis in sua essentia et specie, ut juxta Tridentinum non possit fieri sine auxilio gratiæ excitantis et adjuvantis; adeoque falsum est per solas vires naturales posse produci, formale enim ejus motivum est supernaturale. Si autem agatur de pœnitentiæ late sumpta prout est generalis virtus, tunc

Dico 4 : Quælibet virtus potest naturaliter detestari et odisse peccatum sibi oppositum, v. gr. temperantia elicere naturalem intemperantiæ detestationem et odium : imo cum probabilius naturali ratione cognosci possit, contra Scotum et Durandum, peccatum esse offensam Dei ut est auctor, gubernator et finis naturæ; ita etiam naturali actu potest homo illam, ut est talis offensio Dei, detestari tanquam naturali rationi repugnantem. Sicut enim potest quis viribus naturalibus diligere Deum, ut est ultimus et naturalis finis, ita potest odisse quidquid huic dilectioni est contrarium : atqui peccatum ut sic, est illi contrarium; ergo potest naturaliter de illo dolere cum proposito imperfecto non peccandi, quia qui amat aliquem, facile dolet quod eum offenderit; sic ergo potest dolere offendisse

Deum cum naturali desiderio illum placandi eique placendi ad assequendam beatitudinem naturalem.

Sect. VIII. — *An verus pœnitentiæ actus debeat esse universalis de omnibus peccatis.*

Nota : Duplex est peccati detestatio universalis : una formaliter, quando talem detestationem antecedit in intellectu omnium peccatorum sive distincta sive confusa recordatio ; altera virtualiter, quando peccatum de quo cogitatur, licet sit particulare, ratio tamen illud detestandi, est sufficiens ad voluntatem ab omni peccato avertendam. Hinc

Dico 1 : Non omnis pœnitentiæ actus est formaliter universalis ex parte objecti, sæpe enim homo cogitans tantum de uno alterove peccato, et non de aliis, facit actum pœnitentiæ ; nec etiam omnis est virtualiter universalis, quando enim motivum est particulare et ad determinatam virtutem pertinens, detestatio non extenditur etiam virtualiter ad peccata aliis virtutibus contraria ; v. gr. detestatio adulterii ob propriam ejus turpitudinem, non extenditur ad detestationem furti. Sed

Dico 2 : Quando ratio detestandi aliquod peccatum, est omnibus peccatis mortalibus communis et omnino similis, ac ejusdem rationis cum illis, tunc licet detestatio peccati sit particularis formaliter et in objecto materiali, est tamen universalis virtualiter, et absolute voluntatem avertit ab affectu omnis peccati mortalis : v. gr. qui detestatur unum peccatum mortale quia per illud incurritur pœna æterna aut quia est contrarium Dei amicitiæ, is virtualiter detestatur omnia mortalia ; sicut in fide qui credit unum fidei articulum quia Deus revelavit, virtualiter credit omnes alios, quia idem et totum detestationis motivum est in singulis et in omnibus peccatis. Hinc probabiliter infertur actum pœnitentiæ specialiter sumptæ prout est quædam erga Deum justitia, si perfectus, absolutus et efficax sit, esse virtualem omnium mortalium detestationem, quamvis expresse circa unum tantum versetur ; qui enim detestatur unum peccatum ob vitandam istam Dei injuriam, virtualiter cætera omnia detestatur ; cum sit in omnibus et singulis eadem detestandi ratio. Medina in hoc utitur distinctione sic : Dum quis detestatur unum mortale quatenus reduplicative est Dei offensa, admittit nostram assertionem ; sed non admittit, si quis illud detestetur, quia est offensa Dei. Videtur tamen id non satis cohærere : voluntas enim non potest separare virtualem unius peccati in alio inclusionem, adeoque nec potest separare volitionem detestationis unius a formali volitione detestationis alterius, supposito quod pro sua libertate unum efficaciter et absolute velit, nempe agendo de eodem tempore ; si enim ratio detestandi unum mortale est adæquata, non potest voluntas pro eodem tempore complacere in aliquo. Attamen

Dico 3 : Detestatio omnium mortalium ob motivum illis omnibus commune, non semper est virtualis detestatio venialium, tum quia detestatio mortalium potest stare cum voluntate peccandi venialiter, tum quia venialia non continent motivum mortalium, nempe Dei gratiæ jacturam et æternam punitionem ; et quamvis detur mortale altero gravius, non videtur tamen posse quis vere illud detestari ob majorem istam gravitatem, et non principalius ob rationem ipsam mortalis offensionis, qua Dei amicitia omittitur, et pœnæ æternæ reatus incurritur. Denique

Dico 4 : Pœnitentia venialis peccati ex eo præcise quia est Dei offensa, virtualiter continet mortalium pœnitentiam ; qui enim efficaciter odit remissionem charitatis, multo magis omissionem ; et qui odit pœnam temporalem, multo magis æternam ; uti qui odit ægritudinem, multo magis mortem.

Sect. IX. — *An actus pœnitentiæ sit detestatio peccati supra omne malum pœnæ.*

Dico 1 : Certum est malum culpæ de se esse detestabilius malo pœnæ, etiam æternæ ; malum enim pœnæ est tantum malum secundum quid, et homini tantum nocet ; culpæ autem est malum simpliciter, repugnans Deo et rectæ rationi ac contra Deum. Unde si per possibile vel impossibile alterutrum esset eligendum, vel culpa vel pœna æterna, potius pœna æterna quatenus pœna præcise, eligenda esset quam culpa : ita Anselmus, etc., si v. gr. Deus tanquam supremus Dominus aliquem ad eligendam pœnam æternam præcise ut pœnam, sive sine priori culpa, sive ob priorem culpam, obligaret sub obligatione incurrendæ culpæ aut inobedientiæ, ille deberet eligere potius æternam pœnam, quam culpæ incursionem. Ejusmodi tamen comparatio, ait D. Thomas, non est facile proponenda ob periculum et fragilitatem hominis. Hinc

Dico 2 : Actus pœnitentiæ seu detestatio peccati semper est supra omne malum pœnæ, excepto illo actu qui detestatur culpam ob vitandam pœnam ; fieri non potest ut actus excedat motivum in quo fundatur, cum ab illo totam suam speciem accipiat. Probatur : Si detestatio sit ob amorem Dei, sicut amor Dei est super omnia bona, ita detestatio super omnia mala. Deinde ut hæc detestatio de malo culpæ sit supra malum pœnæ, non requiritur ut ille excessus consistat in actus intentione, nec in formali comparatione inter culpam et pœnam, quæ nec est necessaria, nec semper utilis, nec facile proponenda ; sed consistit in excellentia motivi operandi, quod tale est, ut de se sit potentius ad firmandam voluntatem in tali affectu, vel intellectum in tali assensu ; sicque in detestatione continetur virtualis comparatio et excessus super omne malum pœnæ : nam avertit voluntatem a peccato ob supremam mali rationem in illo contentam. Idem etiam probat propositum absolutum et efficax nunquam amplius peccandi mortaliter ob quamcunque causam. Similiter detestatio peccati, quæ fit ex

motivo justitiæ ad vitandam vel destruendam Dei injuriam, est etiam supra omne malum pœnæ.

SECT. X. — *An unum peccatum sit alio detestabilius.*

Dico 1 : Quo gravius est peccatum, eo est detestabilius ob plures aut graviores deformitates ; adeoque unum est alio detestabilius per pœnitentiam appretiative ob majus et gravius motivum : est quidem quædam æqualitas inter omnia peccata in ordine ad eligendum seu faciendum, quia nullum præ alio potest eligi ad illud per se faciendum, potest tamen unum levius pro alio graviori consuli, ut illud alter faciat, dum videt in illo jam determinatum animum ad gravius perpetrandum ; nam istud consilium non est de malo ut malum est, sed ut minus est ex suppositione quod totum vitari nequeat. Eligere vero ut ipsemet faciat vel minimum peccatum, est semper malum ; permittere autem ut alter faciat, non est semper malum.

Dico 2 : Proprium peccatum etiamsi levius, semper est magis appretiative detestandum quam alienum gravius : ita communiter theologi. Unde potius est permittendum gravissimum peccatum alienum, quam proprium levissimum committendum, quia permittere peccatum, non est semper malum ; committere autem, semper est malum. Deinde si spectetur alienum peccatum ut objectum quoddam odio prosequendum, plus debet quis conari ut proprium peccatum levius non exsistat in rerum natura, quam alienum gravius, adeoque magis fugiendum ac detestandum. Alienum tamen peccatum magis detestandum est, quam quodvis malum proprium, quod culpam non includit.

DISPUTATIO QUARTA.

De contritione secundum se.

SECT. I, II. — *An contritio sit formalis pœnitentiæ actus, et quis; et an includat formalem Dei amorem super omnia.*

Nota : Agitur hic de contritione ut est actus virtutis, non ut est pars sacramenti ; sive de quodam actu perfecto et sufficiente ad remissionem peccati mortalis in ratione dispositionis, etiam sine reali sacramenti susceptione.

Dico 1 : Hæc contritio est perfecta voluntatis aversio a peccato commisso, qua homo se præparat ad restaurandam cum Deo amicitiam, si illa careat : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L, 19). *Qui sanat contritos corde* (*Psal.* CXLVI, 3). Contritio ergo formaliter et essentialiter sumpta, pœnitentiæ actus est, quamvis virtualiter contineri possit in actu amoris super omnia, qui non sit pœnitentiæ formalis; nam amor Dei super omnia, ut præscindit a formali pœnitentia, non est formalis contritio, sed tantum virtualis.

Dico 2 : Contritio formaliter et essentialiter sumpta, est ipsa peccati detestatio. Unde voluntas destruendi peccatum commissum, seu resarciendi divinam injuriam præcise sumpta, non est de substantia contritionis, sed quidpiam illam antecedens; uti nec odium peccati secundum se sumptum nec etiam dolor qui detestationem subsequitur. Hi tamen tres actus ordinarie comitantur contritionem vel antecedenter, vel consequenter, ac virtualiter semper in illa includuntur; sed non sunt de ejus substantia, nec semper ad illam necessarii, quatenus ab ipsa detestatione formaliter ac realiter distincti sunt.

Dico 3 : Contritio perfecta debet esse aliquo modo ex amore Dei super omnia, adeoque ipsa peccati detestatio super omnia sive super omne detestabile. (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, etc.) Colligitur ex Scriptura et Patribus : *Qui non diligit, manet in morte* (*Joan.* III, 14). *Sine charitate nihil sum* (*I Cor.* XIII, 2). *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 47) : et Augustinus : « Sine amore, » inquit, « nemo unquam gratiam invenit, nec veniam assecutus est. (*De vera et falsa pœnitentia*, cap. 9). » Et ratio quia homo peccando se avertit a Deo et perdit ejus amicitiam, ergo pœnitendo debet se convertere ad Deum, et per amorem recuperare ejus amicitiam. Quocirca quamvis formalis Dei amor, per se loquendo, requiratur ad justificationem peccatoris tanquam medium, tamen potest fieri ut perfecta peccati detestatio, quæ et virtualiter et voto amorem Dei includit, ad illam sufficiat sine formali amoris Dei actu reipsa tunc elicito : ista enim detestatio est perfectissimus pœnitentiæ actus, adeoque sufficiens dispositio ad justificationem. Idem dicendum de detestatione peccati, quatenus est contra Dei bonum in se, ejusque dissolvit amicitiam; sed non ita probabiliter videtur idem dicendum de detestatione universali ex proprio justitiæ motivo ad resarciendam præcise Dei injuriam. Patet itaque ex his omnibus formalem amorem non esse de essentia contritionis, cum interdum hæc possit exsistere sine illo, et sufficienter disponere ad gratiam et remissionem peccati cum solo virtuali amore in illa incluso.

SECT. III. — *An propositum formale non amplius peccandi sit de essentia contritionis, adeoque an contritio possit esse unus simplex actus.*

Nota: Quamvis, juxta omnes antiquos theologos, requiratur ad contritionem propositum emendationis, ut constat ex Scriptura, Patribus, conciliis, ipsaque ratio id ostendat ; multi tamen censent sufficere ut hoc propositum sit virtuale, in efficaci et perfecta peccati detestatione inclusum, quæ detestatio sine proposito formali potest esse sufficiens ad gratiam ultima dispositio. Quare sic videtur respondendum.

Dico 1 : Per se loquendo ordinarie requiritur quidem propositum formale ad gratiam et peccati remissionem consequendam, quod propositum formale includit Dei amor obedientialis, quo quis vult placere Deo in omnibus et servare ejus mandata; attamen interdum sola peccati detestatio sine proposito formali potest esse sufficiens dispositio ad gratiam, et videtur sic fuisse justificatus David, dum solum dixit: *Peccavi Domino* (*II Reg.* XII, 13), non repugnat enim haberi unum actum sine alio; et si talis

eliciatur, in eo erit sufficiens proportio et virtus in ratione dispositionis ad gratiam. Unde formale propositum non peccandi amplius, non est de essentia ac formali ratione contritionis, adeoque essentia contritionis in unico simplici actu consistit. Quod attinet ad propositum satisfaciendi, non est necesse ut sit distinctum a proposito servandi mandata.

Dico 2 : Quando actus detestationis et actus propositi simul concurrunt in dispositione ad gratiam, nullus necessario ordo inter illos requiritur ; alteruter potest prius aut posterius elici pro arbitrio voluntatis. Solet tamen ordinarie peccator incipere a detestatione peccati, et postea facere propositum.

Sect. IV. — *An ad veram contritionem requiratur certa actus intensio.*

Nota : Adrianus ad veram contritionem requirit absolute maximam actus intensionem, quam homo elicere potest per totum conatum sibi possibilem; Petrus autem Sotus non maximam absolute, sed comparative, id est, debet homo majori intensione dolere de peccato, quam de quolibet alio malo, et illud magis intensive odisse, quam amat quodvis bonum creatum, quia debet peccatum odisse super omnia. Sed istud *super omnia*, debet intelligi de appretiatione, non de intensione, sive de intensione objectiva, non subjectiva : id est, debet nobiliori modo et majori appretiatione tendere in excellentiam objecti, ita ut voluntas, si necesse foret, dimoveretur potius ab amore alterius cujusvis boni, vel ab odio alterius cujusvis mali, quam ab amore illius boni quod amat, vel ab odio illius mali quod odit super omnia. Alii autem videntur requirere ad contritionem, non maximam intensionem, sed certum aliquem illius gradum quem Deus novit; sed illi loquuntur de gradu appretiationis, non intensionis. Quare

Dico: Ad veræ contritionis essentiam nulla definita intensio requiritur ; sed sufficit actus substantia, in quocunque gradu fiat. (Gabriel, Navarra, Medina, etc.) Scriptura enim conversioni ad Deum promittendo peccati remissionem, non id limitat ad intensam conversionem; deinde actus contritionis de se est proportionata dispositio ad gratiæ infusionem; ergo non est necessarius certus illius modus accidentalis, cum Deus illum non præceperit. Sicut quodvis peccatum mortale, quantumvis remissum, tollit omnem gratiam, ita quævis contritio, quantumvis remissa, tollit omne peccatum mortale sive gravius sive levius, sive unum, sive plura ; ferventior tamen aut remissior, magis aut minus contribuit ad remittendam pœnæ temporalis quantitatem, de qua sæpe Scriptura et Patres loquuntur. Cæterum contritio ex parte subjecti posset per accidens esse nimis magna, si ob nimium voluntatis conatum graviter corpus læderet; nunquam vero ex parte objecti.

Sect. V. — *An ad veram contritionem requiratur aliqua temporis duratio.*

Dico : Actus contritionis, ut sit contritio, nulla indiget temporis duratione, sed simul ac fit, est vera contritio. D. Thomas, Gabriel, Sotus, etc., contra Scotum dicentem actum qui est contritio, non habere rationem contritionis, nisi prius aliquo tempore duret, quod tempus taxatum est a Deo. Sed hoc dicitur sine stabili fundamento. Probatur ergo, quia Scriptura homini, ratione suæ conversionis, promisit peccati remissionem absque dilatione aut mora, dicendo : *In quacunque die, in quacunque hora*, id est tempore vel momento. Sicut statim ac fit consensus in peccatum mortale, est peccatum mortale et expellit gratiam, ita statim ac fit actus contritionis, habet esse contritionis seu ultimæ dispositionis ad gratiam et illam restituit; nempe sine mora et infallibiliter. Alioqui si aliqua temporis duratio foret necessaria, pervenire posset homo in hac vita ad eum statum, in quo eliciendo verum pœnitentiæ actum, non posset peccati remissionem obtinere, v. gr. illum eliciendo in ultimo vitæ momento, quod sane ut erroneum damnatur in libro *De Eccl. dogm.*, cap. 80, dispositio quidem debet antecedere formam, nimirum contritio gratiam, non tempore, sed natura.

Sect. VI. — *An sit de essentia contritionis, ut cadat in omnia peccata distincte recogitata.*

Nota 1 : Certum est contritionem debere esse de omnibus peccatis mortalibus, sed certum est etiam non requiri ex parte voluntatis singulas singulorum peccatorum contritiones, ita ut perfecta contritio coalescat ex pluribus ejus actibus ; alioqui in morte posset aliquis non habere spatium faciendi perfectam contritionem. Item certum est etiam ex parte intellectus requiri aliquam peccatorum considerationem seu memoriam. Hinc

Nota 2 : Communiter theologi requirunt distinctam omnium peccatorum mortalium recogitationem, tam quoad singulas eorum species, quam quoad numerum, et ut ita de illis homo doleat ; sed non satis explicant, an loquantur de contritione secundum se spectata, an vero de contritione in ordine ad confessionem. Multi autem alii, nempe Major, Cajetanus, Navarra, etc., istam peccatorum distinctam recogitationem non requirunt, sed dicunt sufficere confusam et indistinctam. Quare

Dico 1 : Ad consequendam justitiam et peccati remissionem, adeoque ad habendam veram contritionem non est necesse, ut revera præcedat actualis et distincta omnium peccatorum commissorum recogitatio, neque etiam ut cum ipsa contritione actualiter et simul in eodem instanti habeatur, quia finita recogitatione potest statim voluntas uno motu omnia peccata detestari : sed per se sufficit universalis peccatorum solum confuse recogitatorum detestatio; neque requiritur distincta recogitatio ut contritionem ac justificationem reipsa consequens, aut in ipsa contritione tanquam in voto contenta. Dixi *per se*, quia interdum ista distincta recogitatio consequens, est necessaria ad implendam aliquam obligationem, quæ a futuro dependet, v. gr. ad fa-

ciendam restitutionem, satisfactionem, confessionem; non tamen est necessaria ad ipsam contritionem, sed ob obligationem sequentem, v. gr. confessionem; si quis enim prius habens universalem dolorem perfectum de omnibus peccatis, et postea distincte ea recogitans confiteatur sine novo dolore, valebit confessio; ac proinde ista distincta recogitatio propter confessionem requiritur. Imo

Dico 2: Interdum potest homo veram contritionem habere et justificari, etiamsi de uno solo peccato commisso, actualiter cogitet, si illud ex perfectissimo pœnitentiæ motivo detestetur: quando, v. gr. alia peccata oblitus est, quia detestatio ista est virtualiter omnium peccatorum detestatio; debet tamen postea, dum istorum recordabitur, formaliter de illis conteri, saltem per generalem contritionem, nec tantum malitiam peccati, sed etiam peccati actus intrinsece malos debet detestari.

Sect. VII. — *An contritio semper sit actus gratia formatus.*

Dico 1: Actus contritionis perfectæ est semper gratia sanctificante seu reddente subjectum sanctum et Deo gratum formatus, quia ab illa nullo momento separatur. Actum autem esse formatum gratia, nihil aliud est quam esse hominis sancti Deoque grati actum, propter quod habet quemdam valorem et dignitatem moralem; ipse tamen non est forma sanctificans, etiam quatenus includit dilectionem Dei super omnia, sed est ad illam dispositio. Unde

Dico 2: Actus contritionis non procedit active a gratia habituali, ut volunt multi Thomistæ, neque ob id vocari potest actus formatus, est enim dispositio ad gratiam habitualem. Ergo gratia habitualis non est ejus activum principium, sed ejus principium est aliquod actuale gratiæ auxilium, per quod ipsa contritio tanquam dispositio ultima meretur saltem de congruo gratiam habitualem; adeoque cum gratia habitualis sit præmium contritionis, non potest esse principium meriti seu contritionis. Actus ergo contritionis dicitur gratia habituali formatus, non quia ab illa effective ac physice procedit, sed quia infallibili concomitantia illi conjungitur. Cum enim sit dispositio ad gratiam habitualem, ordine naturæ illam præcedit, et ut sic, intelligitur informis, seu nondum gratia habituali formatus, quia ut sic, nondum est ab homine grato et sancto, sed tendente ad sanctitatem: ideoque ut sic, non est meritorius de condigno, sed in eodem instanti natura posteriori, statim infunditur gratia habitualis, et tunc incipit esse actus hominis sancti et Deo grati, et juxta D. Thomam, meritorius de condigno primæ gloriæ. Idem dic de actu charitatis seu dilectione Dei inclusa in actu contritionis, quæ prius natura est informis quam formata: quia ut est dispositio ad justitiam, nondum est ab homine justo, ut sic, sed ab homine tendente ad justitiam seu gratiam.

DISPUTATIO QUINTA.

De attritione.

Sect. I. — *Quia sit attritio Christiana, et quomodo a contritione differat.*

Dico 1: Attritio Christiana seu contritio imperfecta, juxta concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 4), est peccati detestatio, quæ solitarie sumpta disponit hominem remote et insufficienter ad gratiam obtinendam; cum sacramento autem proxime et sufficienter. Hinc: 1° Non potest esse ex motivo turpi, nec fundari in solo motivo temporali aut humano; alioqui non erit attritio Christiana. 2° Dolor de peccato pure naturalis, licet fiat ex motivo honesto, non est attritio, quia actus attritionis debet esse supernaturalis: actus enim qui non fit ex gratia, sed ex mera natura, per se nihil confert ad salutem supernaturalem, quia dispositio debet esse formæ proportionata, nempe supernaturalis gratiæ supernaturali. 3° Debet esse detestatio ita efficax, ut vel formaliter vel virtualiter includat propositum non peccandi de cætero, avertens absolute voluntatem a peccandi affectu.

Dico 2: Attritio non differt essentialiter a contritione in intensione, in duratione, in sola Dei acceptatione, in ordine ad divinum auxilium, in actuali gratiæ informatione, in universalitate objectiva peccatorum, in confusa vel distincta illorum recogitatione, sed in motivo formali: motivum enim formale contritionis est Deus ipse quatenus summum bonum, a quo peccatum avertit; motivum autem attritionis est aliquid inferius; contritio ex se formaliter vel virtualiter includit Dei dilectionem super omnia, attritio autem minime. Illa detestatur peccatum supra omne detestabile, hæc vero vel non semper, vel nunquam perfecte; illa est semper universalis, saltem virtualiter ex vi motivi, hæc non semper; illa est semper ex formali vel virtuali voluntate destruendi culpam commissam, et expellendi illam quatenus in homine manet, hæc nec semper habet istam voluntatem, nec per se eam postulat cum possit esse cum culpa. Dum dicitur homo ex attrito fieri contritus per sacramentum, est impropria locutio, et extrinseca contritionis denominatio, desumpta ex dignitate subjecti vel effectus similitudine: quia cum per sacramentum infunditur gratia subjecto attrito, dicitur subjectum contritum; etiamsi attritio nec mutetur, nec augeatur, sed eadem maneat.

Sect. II. — *Quomodo attritio ex metu gehennæ sit honesta, et ob fœditatem peccati sit supernaturalis.*

Nota: De fide certum est ex concilio Tridentino (sess. 6, can. 8), timorem Dei, seu pœnæ ut a Deo infligendæ, ac præsertim gehennæ, esse actum bonum: *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII, 120). *Timete Dominum, omnes sancti ejus* (*Psal.* XXXIII, 10). Ratio est quia timor alicujus mali suam sumit honestatem ex bono opposito, nempe timor gehennæ ex beatitudine æterna; ergo timor gehennæ est honestus. Deinde timor potest concur-

rere per modum causæ finalis ad efficiendum aliquod opus bonum, imo et perfectum. Quare

Dico 1 : Attritio quæ ex metu gehennæ tanquam ex proximo fine proficiscitur, non excludit debitum finem ultimum, nec includit, per se loquendo, aliquam malam circumstantiam, ideo est actus per se bonus, et honestus (D. Thomas, Alensis, Ledesma etc.), quia illius finis est bonus, nempe vitatio pœnæ gehennalis, et medium ad istum finem; est etiam bonum, id est, detestatio ac vitatio peccati, ergo, etc.

Objicies 1 : Iste timor, cum sit servilis, videtur esse turpis; includit enim virtualiter hunc affectum: *Si peccato non esset imposita pœna, non illud vitarem.* Respondeo: Nego assumptum. Timor enim iste non est servilis stricte quo plus timetur pœna quam Dei offensa, sed est tantum servilis late quo timetur præcise pœna propter quam abstinetur a peccato, et hic timor est bonus. Nec in hoc includitur virtualiter prædictus affectus, quia istud motivum est tantum finis proximus, qui pro tunc vere avertit voluntatem ab interno peccati affectu; finis autem ultimus, in quo sistitur, est vitatio offensæ Dei, quæ est bona.

Obj. 2 : Qui detestatur culpam propter pœnam, plus odit pœnam quam culpam. Respondeo: Quamvis homo actualiter per istum actum magis detestetur pœnam quam culpam, quatenus pœna est ratio detestandi culpam, simpliciter tamen loquendo, ob alias rationes magis culpam quam pœnam detestatur.

Obj. 3 : Ordinare timorem pœnæ ad detestationem seu fugam culpæ, est quid inordinatum; ergo iste timor non est bonus, vel saltem erit quid indifferens. Respondeo: Nego antecedens. Istius enim actus intentio quæ est fuga pœnæ, ex objecto est bona, non vero indifferens; et licet sit minus perfecta, non est tamen malum aut inordinatum ordinare ad eam aliquid perfectius, nempe fugam peccati.

Obj. 4 : Nulla virtus assignari potest a qua procedat iste timoris actus; ergo ex se non est studiosus. Respondeo: Nego antecedens. Procedit enim a virtute spei, quia ejusdem principii est amare aliquod bonum et odisse contrarium malum. Cum ergo iste actus fundetur in timore gehennæ quæ opponitur vitæ æternæ quam spes intendit, fit ut ad spem pertineat, et eamdem cum illa habeat supernaturalitatem. Nec iste actus est imperfectus privative, sed tantum negative; id est, non est tam perfectus quam contritio, suntque virtutes aliæ aliis inferiores seu imperfectiores.

Dico 2 : Attritio ob fœditatem peccati, cum formale ejus motivum sit supernaturale, ideo est supernaturalis, juxta concilium Tridentinum : quia motivum attritionis sumitur non ex conformitate ad meram rectam rationem, sed ex conformitate ad regulam revelatam et ad rectam rationem, prout elevata est ad ordinem supernaturalem.

Dico 3 : Divisio attritionis in attritionem *ex metu gehennæ et pœnarum et ob fœditatem peccati*, ut habetur in Tridentino, est sufficiens et adæquata. Omnis enim peccati detestatio quæ non est propter Deum secundum se, ut summum bonum amabile, reducitur ad attritionem vel ex metu pœnarum, vel ob peccati fœditatem. Hinc detestatio peccati ex motivo justitiæ erga Deum, est detestatio ob fœditatem peccati. Detestatio ex amore vitæ æternæ, continetur sub attritione ex metu gehennæ; perinde est enim detestari peccatum ex amore consequendi vitam æternam, ac ex timore amittendi illam, seu ex metu gehennæ. Item detestatio peccati ex metu pœnarum temporalium, si hic metus sit supernaturalis, id est, si istæ pœnæ spectentur ut inflictæ a Deo, et indicantes ejus iram quæ minitatur supplicium æternum, erit etiam attritio supernaturalis.

Sect. III. — *An attritio possit fieri contritio.*

Dico : Proprie et in rigore, attritio nunquam potest fieri contritio (D. Thomas, Alensis, Gabriel, etc.) : attritio enim et contritio sunt actus essentialiter diversi. Bene quidem dicitur attritus, fieri contritus, seu ex attrito fieri contritus, quod significat mutationem subjecti transeuntis ab imperfecta forma ad perfectam, sicut dicitur ex frigido fieri calidus; sed non dicitur attritio fieri contritio, sicut non dicitur frigus fieri calor. Non potest enim attritio fieri contritio : 1° per additionem perfectionis accidentalis, v. gr. per intensionem, durationem, etc.; 2° per diversum motivum formale, hoc enim est essentiale actui, nec potest mutari; 3° per additionem alicujus actus exterioris, v. gr. per restitutionem, sublatam occasionem peccandi; iste enim actus exterior non potest efficere, ut idem dolor internus, qui antea non erat contritio, incipiat postea esse contritio; 4° per additionem actus interioris, v. gr. amoris Dei super omnia, quia nec tunc attritio fit contritio, sed ex duobus actibus, scilicet ex priore attritione cum sequenti amore fit quoddam compositum, quod latiori modo et improprie vocatur contritio, quia est formalis dispositio sufficiens ad gratiam et remissionem peccati. Et sic dicitur homo ex attrito fieri contritus, vel mutando dolorem imperfectum in perfectum, vel imperfecto addendo perfectum includentem amorem Dei; vel sine ulla doloris imperfecti mutatione obtinendo infusionem gratiæ per sacramentum.

DISPUTATIO SEXTA.

De exteriori pœnitentiæ actu.

Sect. I, II. — *An virtus pœnitentiæ habeat actum exteriorem sibi proprium, per se honestum, et quotuplicem.*

Dico 1 : Illi actus exteriores sunt proprii pœnitentiæ, quos ipsa per se sine interventu aliarum specialium virtutum imperat, v. gr. jejunium, eleemosynam, restitutionem, licet possint ab aliis etiam virtutibus imperari, quia dum sic imperantur, solum illius honestatem participant; et hi sunt per se

honesti, quia ex se habent sufficientem proportionem cum proprio pœnitentiæ formali motivo seu objecto, quod honestum est.

Dico 2 : Omissis variis aliis divisionibus, ordinarie actus exteriores pœnitentiæ sive satisfactionis dividuntur in tria membra, jejunium, eleemosynam et orationem ; cæterique omnes ad unum ex istis membris possunt reduci.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De habitu virtutis pœnitentiæ.

Sect. I, II. — *An pœnitentia sit virtus moralis per se infusa voluntati, et distincta a virtute religionis.*

Dico 1 : Suppono dari habitum aliquem specialem pœnitentiæ, eumque non esse habitum gratiæ, quia gratia non est proximum alicujus actus principium; iste autem habitus est supernaturalis, nam ejus actus sunt entitative supernaturales, ut supra dictum est; cumque sint a voluntate eliciti, ergo eorum habitus est in voluntate, quamvis isti actus generando habitum supernaturalem in voluntate, etiam generent concomitanter in appetitu sensitivo habitum acquisitum ad facilius dolendum de peccatis, qui proprie non est virtus, nisi prout subest habitui et electioni voluntatis. Iste voluntatis habitus est honestus, et virtus simpliciter, quia est honestorum actuum principium ex vi proprii motivi honesti ; et spectatus prout est virtus justitiæ erga Deum, potest esse in omni voluntate creata (adeoque et Christi), quæ tenetur jus divinum illæsum servare ; omnis enim voluntas potest velle absolute non transgredi aliquod divinum mandatum, sub ratione vitandi divinam injuriam. Hæc virtus pœnitentiæ est moralis, non vero theologica, quia non immediate attingit Deum ut objectum *quod*, sed versatur immediate circa actus humanos, et solum attingit Deum ut objectum *cui*, id est, cui jus suum ac debitam satisfactionem reddit. Insuper est distincta essentialiter ab omni alia virtute morali, quæ non respicit aliquo modo Deum, saltem ut objectum *cui ;* quia ejus objectum formale et essentiale est diversum.

Dico 2 : Pœnitentia et religio non sunt unus simplex habitus, neque habent in re veram aliquam unitatem per realem inter se unitatem, quia religio formaliter intendit cultum Dei; pœnitentia, injuriam Dei resarciendam. Si tamen religio sumatur pro collectione plurium habituum habentium quamdam inter se affinitatem, aut quasi artificiosam compositionem in ordine ad cultum Dei ex omni parte servandum, tunc actus pœnitentiæ, sicut alii qui tribui solent religioni, pertinebunt ad istam habituum collectionem, seu ad religionem complexe sumptam.

DISPUTATIO OCTAVA.

De primo pœnitentiæ effectu, qui est remissio peccatorum mortalium.

Sect. I. — *An pœnitentia sit sufficiens in suo genere causæ, ad remittenda peccata mortalia quantumvis gravia et multa.*

Nota : Hac in re erraruut multi hæretici : 1° Cathari et Cataphrygæ dicentes peccata post baptismum commissa non posse remitti. 2° Montanus, ut putatur, asseruit pœnitentiam sufficere ad tollenda semel peccata, sed non sæpius. Hic error tribuitur etiam Tertulliano. 3° Novatus censuit pœnitentiam ordinarie quidem peccata auferre, sed esse quædam gravissima, quæ per eam, quantumvis perfectam, non tolluntur, v. gr. apostasia a fide, aut negare Christum in tormentis. Sed

Dico 1 : Pœnitentia in suo genere est sufficiens ad tollenda peccata mortalia. De fide, in concilio Tridentino (sess. 6, cap. 4, can. 9). Item in conciliis Milevitano, Arausicano, etc. Et patet ex variis Scripturæ locis, ubi Deus promittit pœnitentibus veniam peccatorum, idque est conforme ejus et misericordiæ et justitiæ. Cum ergo Paulus dicit : *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati*, etc., *rursus renovari ad pœnitentiam* (*Hebr.* VI, 6); *Non relinquitur hostia pro peccato* (*Hebr.* X, 26), intelligit eum, qui post baptismum peccat, impossibile esse renovari per iterationem baptismi, et obtinere totius culpæ et pœnæ remissionem eo modo quo in baptismo; sic etiam non relinquitur alia hostia, id est, alia Christi mors, quæ per iteratum baptismum repræsentetur.

Dico 2 : Pœnitentia, si vera sit, non tantum semel, sed quoties homo peccaverit, sufficiens est ad tollenda peccata. De fide : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX, 23); *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII, 22). Secunda enim contritio non est minus bona, adeoque nec minus efficax quam præcedens. Unde dum in antiquis decretis dicitur pœnitentia tantum semel concedenda, seu non iteranda, intelligitur de quadam solemni pœnitentia, quæ peculiari ritu olim fiebat ad publicam satisfactionem et ædificationem.

Dico 3 : Nullum est peccatum, quantumvis grave, nec tanta peccatorum multitudo quæ non possit per veram pœnitentiam in hac vita deleri : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I, 3). *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech.* XVIII, 22). Deus promittit veniam quorumvis peccatorum ob pœnitentiam sine ulla restrictione. Cum ergo dicitur Matth. XII, 32 : *Is qui blasphemaverit* in Spiritum sanctum, non obtenturus sui peccati remissionem, neque *in hoc sæculo, neque in altero*, significatur peccatum illius, qui ex malitia cordis, spiritui malo attribuerit supernaturalia Spiritus sancti opera, ad confirmandam fidem, vel ad convertendos peccatores specialiter facta, magna cum difficultate esse tollendum, quia ejusmodi homo difficillime veram pœnitentiam habebit ob cordis duritiem et mentis excæcationem; non dicitur tamen irremissibile nec est revera irremissibile. Similiter hic locus I Joan. V, 16 : *Est peccatum ad mortem ; non pro illo dico ut oret quis*, intelligitur de peccato enormiter gravi habente morale perpetuæ mortis periculum, cujus venia obtinenda, ardentissimas viri, non cujuslibet, sed valde sancti orationes requirit; vel de peccato finalis impœnitentiæ in morte consummato.

SECT. II. — *An semper haberi possit in hac vita sufficiens pœnitentia ad remittenda quævis peccata.*

Nota : Quidam theologi sentiunt aliquos interdum peccatores pervenire in hac vita ad eum statum et peccatorum cumulum, ut jam nequeant sufficientem pœnitentiam agere, qua a peccati statu exeant; quia respectu illorum ita se Deus habet, ut eis deneget auxilia ad illam agendam necessaria ob sua peccata, quamvis aliis peccatoribus, similia aut majora peccata habentibus, non deneget; quia *cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat* (*Rom.* IX, 18). *Considera opera Domini, quia nullus potest corrigere, quem ipse despexerit* (*Eccle.* VII, 14) : merentur enim hanc pœnam; et sic Deus ostendit suam justitiam, et aliis terrorem incutit : ita Henriquez, Abulensis, Catharinus, etc. Alii autem censent non solum veram pœnitentiam esse sufficientem ad quævis peccata tollenda, sed etiam in hac vita semper esse paratam hominibus sufficientem gratiam ad istam pœnitentiam agendam, nullamque admitti exceptionem vel in culpis, vel in personis, quantumvis peccaverint. (D. Thomas, Alensis, Sotus, etc.) *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat* (*Ezech.* XVIII, 23). *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam* (*Sap.* XI, 24). Semper in hac vita est locus pœnitentiæ, et Dei gratiæ. Itaque

Dico 1 : Deus, quantum est ex se, nunquam denegat gratiam adjuvantem, seu concursum supernaturalem homini jam excitato per gratiæ auxilium, seu habenti supernaturale principium proximum ad operandum. Deus enim neminem deserit, nisi prius ab eo deseratur, et frustra daret excitantem gratiam, si esset denegaturus adjuvantem. Antiochus (*II Mach.* IX, 13), qui non est misericordiam assecutus, non rogabat gratiam adjuvantem, sed corporis salutem. Præterea

Dico 2 : Deus de se non denegat auxilia excitantia ad salutem necessaria, saltem quantum per ordinarias causas, et media ab ipso instituta, possunt fieri seu dari; imo addo Deum semper ita se gerere cum hominibus adultis, ut neminem adeo relinquat quin aliquando opportune juxta suæ providentiæ dispositionem tangat ejus cor, dando gratiam excitantem, ita ut possit illi cooperari, et per eam se disponere vel ad remissionem peccati, vel saltem ad aliam ulteriorem gratiam, qua paulatim perveniat ad ultimam dispositionem : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Vide plura de his in secundo tomo, tract. *De prædestinatione*, et in tomo sexto, tract. *De gratia*.

SECT. III. — *In quo causæ genere pœnitentia remittit peccatum.*

Dico 1 : Certum est pœnitentiam esse causam dispositivam remissionis peccati, quæ causa ad materialem reducitur, adeoque et infusionis gratiæ : quia concilium Tridentinum ait esse dispositionem ad ipsam justificationem, et hanc includere hæc duo : infusionem gratiæ et remissionem peccati. Atque, juxta Scotum, habet hanc causalitatem, non quatenus est formata gratia, sed quatenus est informis : quia contritio quatenus formata, jam supponit et gratiam infusam et peccatum remissum; ergo ut sic non potest esse dispositio ad remissionem peccati, quia ut sic, est natura posterior. Quatenus autem informis, est natura prior quam infusio gratiæ et remissio peccati; ergo ut sic, est dispositio ad istum effectum. Deinde habet hanc causalitatem non prout est a libero arbitrio tantum, nec prout a gratia tantum est, sed ab utroque simul : quia iste actus non est dispositio nisi ut supernaturalis, ergo a gratia; neque etiam est dispositio nisi ut vitalis, ergo a libero arbitrio procedit; adeoque utrumque respectum essentialiter includit.

Dico 2 : Actus pœnitentiæ non est causa formalis, nequidem partialis remissionis peccati, quia est causa dispositiva ad remissionem peccati, et ad formam seu gratiam per quam illa fit; ergo non est causa formalis istius effectus. Deinde, juxta concilium Tridentinum (sess. 6, cap. 7), causa formalis hujus effectus est unica, et ipsa est gratia infusa : ergo pœnitentia seu contritio non est partialis causa.

Dico 3 : Pœnitentia, ut est actus virtutis, non potest physice seu causalitate physica efficere remissionem et expulsionem peccati, quia non potest physice efficere gratiam a qua provenit remissio seu expulsio peccati; ut est tamen pars sacramenti probabiliter potest concurrere effective, ut aliæ sacramentorum materiæ, ad infusionem gratiæ. Moraliter autem potest, tum ut dispositio, tum ut meritum de congruo, seu satisfactio de congruo ad peccati remissionem concurrere. Sed hæc omnia jam alibi fusius in prioribus tomis tractata sunt.

DISPUTATIO NONA.

De necessitate pœnitentiæ ad remittenda peccata mortalia.

SECT. I. — *An secundum ordinariam Dei legem non remittatur peccatum mortale sine pœnitentia.*

Dico 1 : Per se loquendo pœnitentia, secundum suum proprium et formalem doloris seu detestationis actum, necessaria est ad consequendam peccati mortalis remissionem. (D. Thomas, etc.) Et concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 4) : *Fuit autem*, ait, *omni tempore necessarius hic motus* (id est contritio), *ad obtinendam peccati veniam*. Et Luc. XIII, 3 : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Item : *Memento unde excideris, et age pœnitentiam* (*Apoc.* II, 5). Hæc et multa similia Scripturæ testimonia non possunt intelligi de sola pœnitentia virtuali inclusa in amore Dei super omnia, sed de formali, seu de formali ejus actu, maxime cum Scriptura utatur nominibus, v. gr. doloris, gemitus, tristitiæ, pœnitentiæ, etc., formalem pœnitentiam indicantibus; et iste formalis actus pœnitentiæ maxime proportionatus est ad veniam petendam, et ad placandam personam offensam. Attamen

Dico 2 : Potest interdum peccati mortalis remissio obtineri sine formali pœnitentiæ actu (D. Thomas, Scotus, Gabriel, etc.), v. gr. si quis oblivione

inculpabili aut naturali inconsideratione sive habitualiter sive actualiter non recordetur sui peccati mortalis, et tunc formalem amoris Dei super omnia actum eliciat sine formali contritionis actu, statim justificabitur, adeoque et peccati remissionem obtinebit, sine formali pœnitentiæ. Quod ex Scriptura liquet : *Qui diligit me, diligetur*, etc. (*Joan.* XIV, 21). *Omnis qui diligit, ex Deo natus est* (*I Joan.* IV, 7). *Ego diligentes me, diligo* (*Prov.* VIII, 17); et : *Universa delicta operit charitas* (*Prov.* X, 12). Et ratio est, quia actus charitatis est perfecta animæ ad Deum conversio, ac virtualiter continet pœnitentiam, et aversionem a peccato, propositumque Deo placendi in omnibus; ergo secum trahit infallibiliter Dei conversionem ad hominem : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I, 3).

Dico 3 : Extra casum inculpabilis oblivionis aut naturalis inconsiderationis, nunquam remittitur peccatum sine formali pœnitentiæ actu ; est enim per se loquendo, pœnitentia formalis, medium ad hoc necessarium. Memoria tamen peccatorum debet esse practica, id est, debent objici peccata tanquam detestanda ac delenda; alioqui posset homo habere cogitationem quasi speculativam de peccato et simul naturalem detestationis ejus inconsiderationem, sicque excusari a pœnitentia formali. Deficiente autem pœnitentia formali, necessaria est virtualis, et in voto formalis, secluso sacramento cum quo sufficit attritio, et speciali martyrii privilegio, de quo alibi dictum est. Sed pœnitentia in voto formalis, est dilectio Dei super omnia ; ergo si formalis contritio desit, necessaria est ita Dei dilectio ad remittendum peccatum mortale. Varia alia remedia, quibus Patres aut Scriptura attribuunt peccatorum remissionem, v. gr. eleemosyna, oratio, verbum veritatis, patientia, opus misericordiæ, etc., tantum ad illam obtinendam conferunt, vel per modum dispositionis remotæ, vel per modum impetrationis, vel ad dandam satisfactionem pro reatu pœnæ.

Sect. II, III, IV. — *An de potentia absoluta possint peccata mortalia remitti sine actu pœnitentiæ, et sine infusione gratiæ habitualis.*

Dico 1 : Deus potest de pœnitentia absoluta per infusionem gratiæ et virtutum remittere peccatum mortale sine ullo motu peccatoris, sive erga Deum, sive contra peccatum ; id est, sine ullo pœnitentiæ actu (Scotus, Gabriel, etc., contra Sotum, etc.) : quia actus peccatoris non est forma per se remittens sive excludens peccatum, sed est dispositio ad formam formaliter per se excludentem peccatum, id est ad gratiam habitualem ; atqui potest Deus sine ista dispositione infundere formam, seu gratiam habitualem quæ excludat peccatum; ergo per hanc gratiæ infusionem fit in peccatore mutatio physica, qua moralis peccati mortalis deformitas ab eo tollitur : quia eum reddit proportionatum divini amoris objectum, reatu pœnæ æternæ liberum, et gloria dignum, conversum ad Deum. Ac proinde quod dicitur peccatum semel commissum semper manere, quandiu non retractatur, id intelligendum est, juxta legem ordinariam, non de absoluta Dei potentia. Non potest quidem Deus se solo facere de justo peccatorem, quia introducere peccatum non est opus quod ab ipso fieri possit, sed remittere peccatum est opus quod potest se solo facere.

Dico 2 : Interveniente aliquo peccatoris actu, sive amoris Dei super omnia, sive contritionis, sive solius attritionis, potest etiam Deus de pœnitentia absoluta remittere peccatum mortale, sine infusione gratiæ habitualis aut alterius qualitatis supernaturalis : amor enim Dei super omnia, aut contritio non est forma formaliter expellens peccatum, adeoque nec formaliter introducens gratiæ infusionem; nam juxta opinionem satis communem, de potentia absoluta potest Deus illam qualitatem infusam, quæ est gratia habitualis, conservare in homine peccante mortaliter. Posito igitur tali actu peccatoris, Deus illo contentus, pro sua voluntate potest illi condonare peccatum habitualiter permanens condonatione imperfecta, id est, non infundendo illi supernaturalem ac gratuitam gratiæ habitualis qualitatem; privatio enim gratiæ, quæ prius erat voluntaria ob peccatum commissum et non retractatum, jam post retractationem per actum peccatoris, licet adhuc remaneat in ratione puræ negationis seu privationis, non tamen in ratione culpæ, quia jam non manet voluntaria : sive ista carentia gratiæ non manet per modum contrarii, faciendo hominem Deo invisum aut odiosum, sed per modum puræ privationis, faciendo hominem tantum non donatum gratia habituali.

Dico 3 : Cum Deus de potestate absoluta possit sine ullo peccatoris actu per infusionem gratiæ peccatum mortale remittere, et cum actu peccatoris sine infusione gratiæ aut doni supernaturalis, etiam idem remittere; ergo sine utroque, id est, sine peccatoris actu et simul sine gratiæ aut habitus supernaturalis infusione, potest illud remittere : quia dum Deus remittit peccatum mediante actu peccatoris, hic actus tantum concurrit ad remissionem ut dispositio congrua, non ut forma destruens formaliter peccatum; sed quod Deus facit mediante dispositione, potest id facere sine dispositione; ergo. Deinde postquam peccatum transit actu et manet reatu, non relinquit in anima aliquid reale positivum physice illi inhærens, adeoque potest expelli sine physica peccatoris mutatione; nec relinquit aliam privationem physicam nisi gratiæ, quam posse tolli sine infusione gratiæ habitualis aut alterius doni jam ostendimus. Sicut homo remittendo alteri offensam vel debitum, efficit sine mutatione physica illius cui fit remissio, ut is qui prius erat illi offensus aut debitor, jam non : sit ita Deus sine mutatione physica peccatoris, potest moralem mutationem in illo efficere, ut is qui prius erat in peccato, jam non sit in peccato, liberaliter ac gratis illud ei condonando, nec amplius sit aut denominetur peccator. Sic Deus habenti homini voti debitum, sola sua voluntate

potest illud remittere; et tunc per solam voluntatem Dei, cujus decretum pro tali tempore æternum fuit, ex debitore fiet non debitor pro diversis temporibus, sine ulla et in Deo et in debitore physica mutatione; nec est ad hoc necessaria Dei revelatio, ut sciat debitor suum debitum esse sublatum. Deinde revelatio non tollit debitum, sed supponit jam sublatum; ista quidem remissio non erit perfecta, quia peccator non recuperat gratiam per peccatum amissam; erit tamen vera remissio, quia non erit amplius in statu peccati, nec Dei inimicus, nec illi odiosus (agitur nempe de eo qui peccavit, non autem de actualiter peccante), atque ita Deus eum diligit, non conferendo bonum sed auferendo malum.

In hoc casu peccatum non remitteretur per solam Dei non imputationem, ut volunt hæretici, dicentes nos reputari justos quia ob justitiam Christi nobis imputatam, non imputantur nobis nostra peccata nec puniuntur, etiamsi maneant; sed remitteretur, deleretur ac destrueretur vere per solam Dei efficacem voluntatem extrinsecam. Hinc dum contra hos hæreticos concilium Tridentinum definit justificationem fieri per justitiam seu gratiam peccatori per proprios actus disposito inhærentem, loquitur de lege ordinaria, seu de justificatione quæ nunc fit, non de potentia absoluta. Deinde loquitur simpliciter de justificatione, non de sola peccati abolitione quoad formalem ejus malitiam, aut quoad formalem peccati rationem. Atque hæc omnia sint dicta tantum, ut divinæ omnipotentiæ faventia; contraria enim aliorum sententia non minori etiam caret probabilitate.

DISPUTATIO DECIMA.

De perfectione remissionis peccati mortalis prout fit per actum pœnitentiæ.

Sect. I. — *An remisso uno peccato mortali, omnia alia mortalia necessario remittantur.*

Dico 1 : Juxta legem ordinariam ac de facto, non potest remitti unum peccatum mortale sine alio. De fide. Non potest enim haberi vera unius peccati mortalis contritio quin sit omnium, ob idem motivum formale, nec remissio unius peccati mortalis sine gratia sanctificante, gratia autem sanctificans non potest stare cum ullo peccato mortali. De potentia tamen absoluta, videtur posse Deus remittere unum peccatum mortale sine alio, juxta superius dicta, vel per solam voluntatem et conditionem extrinsecam remittendo unum, et non aliud sine infusione gratiæ; vel ob attritionem remittendo unum sine alio. Unde

Dico 2 : Per actum pœnitentiæ seu contritionis, juxta leges a Deo institutas, non remittitur unum peccatum mortale sine alio ob rationem jam dictam; et attritio ut cum sacramento obtineat remissionem peccati, debet se extendere ad omnia mortalia quæ homo commisit. Juxta autem potentiam Dei absolutam posset Deus, ut jam dictum est, ob solam peccatoris attritionem, condonare unum mortale, et non aliud sine gratiæ infusione; imo ob ipsammet contritionem, quia cum contritio sit tantum causa dispositiva ad infusionem gratiæ, posset Deus velle intensiorem contritionem ad remittenda graviora peccata, et minus intensam ad remittenda leviora mortalia, et sic remittere unum et non aliud sine gratiæ infusione; quia contritio etiam verissima, est tantum dispositio ad gratiam, adeoque licet ista dispositio poneretur, posset Deus non infundere gratiam.

Sect. II, III. — *An per pœnitentiam remittatur pœna æterna, peccato mortali debita, et tota temporalis.*

Dico 1 : Juxta legem ordinariam, remissa culpa mortali, remittitur reatus pœnæ æternæ; habetur in concilio Tridentino (sess. 6, cap. 14). Ratio est, quia non remittitur peccatum mortale sine infusione gratiæ; ergo nec remittitur sine pœnæ æternæ remissione : quia qui habet gratiam, est hæres vitæ æternæ : *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* (*Rom.* VIII, 1). Sed, sicut per actum pœnitentiæ gratis et ad summum merito de congruo dispositive tantum remittitur culpa, ita et pœna. Unde de potentia absoluta videtur Deus posse remittere culpam sine remissione pœnæ æternæ, quæ foret præcise privatio gloriæ sine peccatis pœnæ damnatorum annexis : cum malum culpæ et pœnæ sint mala diversi generis et in se separabilia. Sed non videtur posse remittere culpam sine remissione pœnæ æternæ, prout de facto nunc hæc pœna est in damnatis cum perpetuo in Deum odio, et obdurata in malo voluntate.

Dico 2 : Remissa culpa mortali per actum pœnitentiæ, non semper remittitur tota temporalis pœna. De fide, definitum in concilio Tridentino (sess. 6 et 4, capp. 12, 13, 14). Sic Deus remisit Davidi culpam, volendo remittere aliquam pœnam temporalem. Idem fecit Moysi, Aaroni, et aliis (*Num.* XIV et XX). Hinc Scriptura et Patres passim hortantur homines ad opera satisfactoria facienda, etiam post obtentam culpæ remissionem. Et certe sicut Dei misericordia remittit culpam, ita ejus justitia exigit culpæ punitionem. Christi quidem satisfactio est infinita; non tamen infinito modo, sed proportionato nobis applicatur, et in hoc consistit divinorum operum perfectio.

Dico 3 : Pœna temporalis quæ post remissam culpam manet, non semper est æqualis, etiam pro eisdem peccatis, sed major vel minor juxta proportionem contritionis; ideoque talis ac tanta potest esse contritio, ut omnem pœnam temporalem remittat. Sed pœna quæ post remissam culpam relinquitur, potest tolli per subsequentes pœnitentiæ actus, uti definitur in concilio Tridentino.

Dico 4 : Omissa sententia Cajetani dicentis totam quidem pœnam peccati æternam, aversioni a Deo debitam remitti, sed pœnam peccati temporalem, conversioni ad creaturam debitam omnino non remitti per actum pœnitentiæ; quæ sententia difficilis explicatu est. Ideo juxta Durandum et alios theo-

logos sic videtur asserendum : quando culpa remittitur, fit commutatio unius pœnæ, quæ est æterna, in aliam quæ est temporalis. Deus enim statuit ab æterno talem pœnam æternam pro tali peccato, si non condonetur; talem vero temporalem, si condonetur : temporalem inquam, tum ratione aversionis sive inimicitiæ divinæ, tum ratione conversionis, seu vindictæ ac justitiæ servandæ, et dandæ satisfactionis, tum denique ratione totius malitiæ peccati. Quamvis autem hæc pœna temporalis sit ab æterno determinata, aliquid tamen illius tollitur proportionate per conditionem ut jam gratia formatam. Contritio enim per gratiam formatam jam est satisfactoria et meritoria de condigno, ideoque ratione illius ex justitia tollitur aliqua pœna temporalis pars major vel minor prout contritio major vel minor fuerit; sed non necessario tota sive per hanc, sive per aliam sequentem contritionem, quia sæpe non est satis pœnalis ad satisfaciendum, etiamsi sit meritoria vitæ æternæ, ad quam a Deo ordinata est quasi ex natura sua. Non tamen est ita ordinata ad satisfaciendum pro pœna temporali, in qua justitiæ æquitas attenditur. Contritio autem prout est informis, est tantum causa dispositiva remissionis culpæ et pœnæ æternæ, et super illam nil tollitur, aut remittitur de pœna temporali.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De remissione peccatorum venialium, quatenus fit per actum pœnitentiæ.

Sect. I. — *An remissio venialis peccati sit supernaturale gratiæ opus.*

Nota : Durandus sentit peccatum veniale posse expelli per actum naturalem illi contrarium. Gabriel autem, Major, etc., asserunt auferri sustinendo pœnam illi proportionatam seu debitam, quia putant post veniale commissum nullam manere maculam, sed solum pœnæ reatum, quæ cum sit finita, et temporalis, potest sine gratiæ auxilio sustineri per solas naturæ vires, et solvi illius debitum ac tolli reatus. Et sic, juxta illos, remissio peccati venialis potest fieri sine gratia, et esse opus naturale. Sed

Dico 1 : Post peccatum veniale commissum et transactum non solum manet reatus pœnæ, sed etiam moralis culpa ac macula proportionata. (D. Thomas et Cordubensis, etc.) Probatur : Post mortale non remissum non remanet macula; ergo et post veniale, licet non privet gratia. Hinc peccatum veniale remitti, non est formaliter pœnam remitti, sed maculam moralem quam relinquit; remissio enim culpæ non est ablatio pœnæ. Aliter aufertur pœna, quam culpa, si solutio pœnæ esset remissio culpæ, posset quis solvere pœnam cum voluntate committendi eamdem culpam.

Dico 2 : Remissio peccati venialis, maxime prout nunc fit, non potest viribus naturæ sine aliqno gratiæ auxilio, vel gratuito Dei beneficio obtineri (D. Thomas, Alensis, Abulensis, etc.), quia nihil quod ad pietatem et vitam æternam conducit potest obtineri sine gratiæ beneficio : *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (*I Joan.* I, 7). Adeoque remissio venialis peccati datur ob merita Christi; ergo est opus gratiæ. Deinde peccatum veniale est aliqualis Dei injuria, pro qua homo non potest solis suis viribus condigne satisfacere.

Sect. II. — *An ad remissionem peccati venialis requiratur gratia habitualis.*

Dico 1 : Ad obtinendam peccati venialis remissionem requiritur in homine gratia habitualis seu sanctificans vel antecedenter, id est, debet homo prius esse in gratia ut possit illam obtinere; vel concomitanter, id est, nunquam illa remissio datur nisi simul conferatur gratia habitualis, quamvis ista remissio ab hac gratia formaliter non procedat : contra Sotum dicentem peccatum veniale posse in hac et in altera vita remitti sine gratia habituali, seu relicto mortali, quia putat post veniale commissum, nihil nisi reatum pœnæ temporalis relinqui; et contra Durandum dicentem in hac, sed non in altera vita posse remitti sine gratia habituali, quia putat illud posse remitti per naturalem actum bonum isti peccato contrarium, cujus boni actus non est capax in altera vita. Sed probatur assertio, quia Deus non remittit ex opere operantis peccatum veniale homini mortale habenti sine illius dispositione aut actu. Hic autem actus, si sit tantum naturalis, non est dispositio sufficiens ad supernaturale beneficium; si sit supernaturalis, vel est contritio, et tunc homo justificatur, sicque non fit remissio sine gratia : vel est tantum attritio, sed hæc non est sufficiens dispositio, tum quia exsistens in peccato mortali est dignus ira divina, tum quia, si tunc dicatur ex liberalitate illud remitti, debet prius ostendi dari legem aut promissionem Dei hac de re, quæ tamen nullibi ostenditur. Nec potest dici attritio vi sua per modum formæ physicæ formaliter expellere peccatum veniale, cum nec ipsa contritio sic expellat mortale, ut supra dictum est. Si autem homo in puris naturalibus creatus peccaret venialiter, tunc forte Deus esset contentus aliqua illius bona dispositione naturali ad condonandum veniale ejus peccatum, cum ipse non esset creatus ad finem supernaturalem, et ejus peccatum esset tantum inordinatio a fine naturali; non tamen illud condonaret sine aliqua liberalitate consentanea necessitati et fragilitati humanæ naturæ, et illa esset aliquo modo gratia istius status.

Dico 2 : Si peccatum veniale cum mortali conjunctum, non fuerit in hac vita remissum quoad culpam, nunquam illud in inferno tolletur, tum quia ibi nullus actus bonus esse potest quo tollatur aut retractetur, tum quia ibi nullum gratiæ auxilium aut beneficium confertur, sine qua remitti non potest; cumque futura sit culpa perpetua, ideo et pœna perpetua ex accidenti ob conjunctionem cum mortali. Et quamvis non sit dignius pœna ob conjunctionem cum mortali, tamen illa occasio constituit hominem in statu in quo non potest a se expel-

lere culpam venialem qua semper permanente, semper permanet et pœna. De eo autem qui habens solum veniale peccatum cum originali conjunctum ex hac vita discederet, quid sit dicendum; negat D. Thomas et alii multi id fieri posse. Saltem videtur pertinere ad Dei providentiam non permittere aliquem in eo statu decedere, ut colligitur ex concilio Florentino in *Litteris unionis* distincte ac præcise numerante duos status descendentium ad inferna, nempe exsistentium vel in actuali peccato mortali vel in solo originali.

Dico 3 : Quandoquidem gratia habitualis, quantumvis intensa, stare possit cum culpa veniali, non ergo formaliter illam expellit, adeoque ejus infusio vel intensio non est formaliter requisita ad culpæ venialis remissionem; attamen hæc nunquam sine ejus infusione aut augmento remittitur. Si enim cum mortali simul remittatur, tunc necessario infunditur gratia. Ut autem venialia omnia simul cum mortali remittantur, oportet ut contritio ad illa omnia formaliter vel virtualiter se extendat; alioqui si se extendat tantum ad mortale seu ad mortalia, tunc solum mortale aut mortalia remittentur : aut si se extendat ad mortalia omnia, aut ad aliqua tantum venialia, tunc tantum ad venialia ad quæ se extendit, remittentur, non autem alia, cum ad horum remissionem homo non se disposuerit per contritionem. Hac igitur posita contritione tanquam dispositione ultima ad justificationem, Deus vel sine ullo naturæ ordine simul aut concomitanter remittit peccatum et mortale et veniale per infusionem gratiæ gratis, id est, absque merito et satisfactione de condigno : vel servato ordine naturæ prius natura infundit homini gratiam sanctificantem qua homo liber a mortali peccato fit amicus Dei, et posterius natura; sed eodem instanti temporis, ob eamdem contritionem jam gratia formatam, remittit veniale merito de condigno, et ex justitia, quia ista contritio sic formata, jam est satisfactoria et de condigno meritoria posteriorum effectuum. Quando autem veniale per se solum remittitur, necessario persona debet jam habere in se gratiam sanctificantem; et ab hac actus, per quem ista remissio obtinetur, proveniens, habet rationem meriti de condigno seu satisfactionis condignæ, secumque affert augmentum gratiæ. Imo quotiescunque homo justus ita operatur ut peccati venialis remissionem obtineat, probabilius semper etiam obtinet aliquod gratiæ augmentum, quia in tali operatione semper reperiuntur omnes conditiones requisitæ ad meritum talis augmenti; non tamen quoties confertur augmentum gratiæ peccatum veniale remittitur.

Sect. III. — *Quis pœnitentiæ actus sufficiat, aut necessario requiratur ad remissionem peccati venialis.*

Nota : Scotus, Alensis, etc., asserunt peccatum veniale remitti per quemlibet bonum hominis justi motum modo plus placeat Deo quam displicuerit peccatum veniale, et ab operante in nunc finem referatur, vel a Deo acceptetur. Alensis autem ad remissionem peccati venialis requirit, et D. Thomas, vel formalem vel virtualem pœnitentiam. Quare

Dico 1 : Formalis contritio de peccatis venialibus est sufficiens ad illa tollenda, cum sit sufficiens ad tollenda mortalia (agitur de peccatis venialibus non conjunctis cum mortali). Non est tamen necessaria, ut jam patebit. Imo quæcunque contritio sive formalis sive virtualis tollit respective omnia peccata venialia, id est, illa de quibus habetur contritio. Unde si sit universalis de omnibus, omnia tollet; non est enim inconveniens, ut justus ad breve tempus sit absque ulla culpa. Item amor Dei super omnia sive intensus sive remissus, qui se extendit ad omnia venialia, id est, dum quis ex amore Dei vult omnia venialia vitare, dispositive omnia remittit, sine formali pœnitentia, cum enim ejusmodi amor remittat mortalia, multo magis venialia remittet; si autem iste amor se extendat tantum ad quædam venialia, et non ad omnia, illa tantum remittet ea ad quæ se extendit, et non alia, nisi forte iste amor sit valde intensus.

Dico 2 : Probabile est venialia peccata tolli per solam attritionem; imo et per propositum contrarium vel per virtutis actum aliquo modo peccato veniali repugnantem, et excludentem illius complacentiam. (Bonaventura, Paludanus, Scotus, etc.) Venialia enim peccata sunt leves offensiones, et sæpe imperfecte voluntariæ; et aliunde gratia, quæ in persona supponitur, dat his actibus magnum valorem, qui aliquo modo mutant ejus voluntatem, et eam avertunt a priori defectu. Et quamvis peccatum veniale, quando de illo solo fit confessio, nunquam ita tollatur per absolutionem sacramentalem quin jam sit prius sublatum per attritionem, tamen cum fit de illo confessio conjunctim cum mortali aut mortalibus, tunc in homine tantum attrito remittitur per dictam absolutionem. Unde quod in homine justo semper supponatur ablatum ante absolutionem per satisfactionem condignam, est quid accidentale ad virtutem clavium, nec tollit formæ veritatem.

Dico 3 : Ad remissionem peccatorum venialium probabile est etiam sufficere orationem qua quis petit de illis veniam ex affectu illis carendi; item formale propositum absolutum non committendi tale peccatum, v. g. mendacium; item actum virtutis veniali oppositum, et factum ex affectu ad virtutem illi oppositam. Debent tamen hi actus esse aliquo modo supernaturales; sed non omnis actus supernaturalis vitæ æternæ meritorius, remissionem venialis meretur. Cæterum probabile est quemlibet actum meritorium remissionem venialium mereri, si ab operante ad hunc finem referatur; tunc enim includit virtualem illorum displicentiam, et per hanc relationem opus meritorium fit aliquo modo dignius, quia ad novum finem sanctum et Deo gratum refertur, et magis repugnans peccato veniali.

SECT. IV. — *An pœnitentia post hanc vitam etiam sufficiat ad peccata venialia tollenda.*

Nota : Alensis et Major dicunt peccata venialia quæ habet anima justa tempore mortis, illi ante mortem remitti per gratiam finalem, absque ullo ejus actu; quod omnino carere videtur fundamento. Quare

Dico 1 : Anima sine dubio potest separari a suo corpore cum gratia et culpa veniali : quando autem hæc culpa et quomodo tollatur controvertunt auctores. Certe non mihi videtur admittenda sententia Bonaventuræ, Abulensis, Soti, etc., dicentium culpam istam venialem successione temporis, quo anima purgatur, remitti, non per solam pœnam, sed per bonos actus quos tunc anima producit, maxime per voluntariam pœnæ acceptationem et patientiam in illa toleranda. Sed

Dico 2 : Omnia peccata venialia, quibuscum homo justus moritur, remittuntur quoad culpam in primo instanti separationis animæ a corpore, in quo jam incipit anima purgari intrinsece, seu esse in purgatorio. Remittuntur autem non a solo Deo per conditionem extrinsecam sine interventu hominis et respectu ad ejus opus; nec etiam remittuntur, ut vult Scotus, ob præcedentia merita : quia homo, inquit, opera hujus vitæ vel retulit ad istum finem, vel, ipso non referente, Deus ea acceptavit, licet in ipso instanti anima nil operetur; sed remittuntur quia anima in isto instanti habet ferventem dilectionis Dei actum et perfectam omnium etiam præcedentium culparum contritionem : ita D. Thomas, Richardus, Durandus, etc. Anima enim in eo momento optime cognoscit statum suum et est ad operandum expedita, accipitque a Deo efficacissimum auxilium juxta suæ gratiæ mensuram cum quo statim perfecte tendit in Deum, et omnia peccata venialia detestatur. Atque ita iste actus concurrit ad remissionem venialium non ut forma physica, formaliter illa expellens, sed ut dispositio sufficiens, non quidem meritoria vel de condigno, vel de congruo (anima enim jam est extra statum merendi), sed sufficiens ut Deus sive ob præcedentia hominis merita, sive ob Christi merita applicata, illa condonet.

Dico 3 : Quamvis ille contritionis actus in dicto instanti elicitus, sit pœnalis, tamen ex vi illius nulla purgatorii pœna remittitur, quia Deus statuit hujus vitæ tempus ad satisfaciendum per voluntarias vel pœnas, vel actus; alterius autem ad satisfaciendum, sive ad condignam pœnam, in qua vita jam incipit anima tunc esse, contra quosdam qui dicunt per quamvis pœnam voluntariam ex natura rei sine Dei pacto aut promissione, semper satisfieri pro aliqua parte pœnæ temporalis, quod a veritate alienum est : et contra alios qui dicunt Deum ex pacto et lege, remittendo culpam, semper pœnam illi debitam commutare in minorem, seu eam diminuere, ut patet in remissione culpæ mortalis, commutando pœnam æternam in temporalem. Hoc quidem verum est pro statu hujus vitæ, sed non pro alterius; dum enim Deus in hac vita remittit culpam venialem, etiam diminuit pœnam illi debitam; sed in altera vita exigitur condigna pro culpa satisfactio.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De remissione peccati venialis per sacramenta.

SECT. I. — *An veniale peccatum tollatur ex opere operato per sacramenta.*

Dico 1 : Remissio venialis peccati, quæ fit simul cum mortali, potest fieri et fit ex opere operato per sacramenta, v. gr. baptismi et pœnitentiæ, etc., quia cum veniale junctum cum mortali, non possit remitti per solam attritionem; ergo dum mortale cum attritione per sacramentum remittitur ex opere operato, etiam veniale remittitur : quia si Deus cum tali dispositione remittat per sacramentum ex opere operato peccatum mortale, etiam facilius remittet veniale; aut si ob merita Christi per sacramentum applicata acceptet talem dispositionem ut sufficientem ad mortalium remissionem, multo magis eam acceptabit ad remissionem venialium.

Dico 2 : Remissio peccati venialis non conjuncti cum mortali, interdum etiam fit ex opere operato per quævis sacramenta, v. gr. per baptismum, si quis adultus justificatus per contritionem cum veniali postea commisso suscipiat baptismum; per pœnitentiam, si quis sola venialia confiteatur, aut aliqua ex eis omittat; similiter per Eucharistiam, extremam unctionem, etc. Sacramenta autem hunc effectum ex opere operato producunt, vel excitando in nobis motum sufficientem ad tollendum peccatum veniale, ita ut per sacramentum ex opere operato excitetur iste motus, seu actus hominis, uti volunt Alensis, Bonaventura, etc. : vel potius per se ipsa immediate remittendo peccatum veniale, etiam absque voluntatis motu ex se sufficiente ad illud expellendum, ut censent D. Thomas, Paludanus, etc. Si enim sacramenta per se immediate tollunt peccatum mortale sine dispositione ex se sufficiente ad illud tollendum, quanto magis tollent veniale, Deo volente ut gratia sacramentalis producat suum effectum, dum suscipiens sacramentum isti effectui non ponit obicem; ut autem non ponat obicem, videtur sufficere ut accedat sine actuali peccati venialis complacentia, et cum voluntate et desiderio sacramentum ejusque effectum recipiendi; quæ voluntas est virtualis quædam peccati venialis retractatio, quatenus homo vult illius medicinam assumere : ita Sotus, Ledesma, etc. Hinc videtur probabilius esse per quodlibet sacramentum tolli semper omnia peccata venialia, in quibus suscipiens non habet actualem complacentiam, dummodo habeat proportionatam isti toti effectui dispositionem; quia ex parte ipsorum sacramentorum non potest esse imperfectus et dimidiatus hic effectus, cum omnia nitantur infinito Christi merito, nec probabiliter ostendi possit esse de se determinata magis ad certum venialium quam mortalium numerum et quantitatem tollendam.

Sect. II. — *An sacramenta remittant peccata venialia ex opere operato.*

Nota 1 : Per sacramentalia hic intelligimus res vel actiones sacras, quibus remissio peccatorum venialium solet attribui, et ordinarie numerantur hæ sex : Oratio Dominica, ad quam oratio in ecclesia consecrata, et tunsio pectoris revocatur ; aqua benedicta, ad quam cæremonialis unctio revocatur ; panis benedictus, confessio generalis, eleemosyna, episcopi vel abbatis benedictio ; et hoc versu comprehenduntur :

Orans, tundens, edens, confessus, benedicens.

Nota 2 : Quidam dicunt hæc sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, at juxta Petrum Sotum et Gabrielem mediate tantum, excitando actum sufficientem ; juxta autem Paludanum et Bonaventuram, immediate per attritionem saltem imperfectam ; et juxta Victoriam, Ledesmam, etc., immediate et infallibiliter instar sacramentorum, si homo illis religiose utatur, nec ponat obicem actualis aut virtualis complacentia in peccatis.

Dico 1 : Probabilius ista omnia sacramentalia non habent vim remittendi peccata venialia ex opere operato. (D. Thomas, Alensis, Durandus, Richardus, etc.) Cum enim sint ex Ecclesiæ, non ex Christi institutione, vel Ecclesia non habet potestatem instituendi causam quæ possit istum effectum ex opere operato conferre ; vel si habeat, non constat de tali institutione. Unde nullum est ex istis sacramentalibus, de quo constet fuisse ab Ecclesia institutum ad tollenda peccata venialia ex opere operato. Nam Oratio Domini, tunsio pectoris, eleemosyna non sunt quid ab Ecclesia institutum ad tollenda venialia, sed sunt actus virtutum ad impetrandam eorum remissionem ex opere operantis, uti et confessio generalis ; et idem dic de benedictione episcopali. Nec cæremoniales unctiones fiunt ad tollenda peccata, nec ad hoc valet panis benedictus, qui loco communionis quotidianæ, quæ olim fiebat, incepit dari. Denique dum in benedictione aquæ lustralis dicitur, *ut sit in sanctificationem*, intelligitur habere vim moralem ad coercendos dæmones, et ad excitandos in anima bonos motus, atque ita deservire per modum impetrationis, non vero tollere venialia ex opere operato ; nullum ergo invenitur sacramentale de facto ab Ecclesia institutum ad tollenda venialia ex opere operato. Imo

Dico 2 : Probabilius videtur non esse in Ecclesia potestatem instituendi signa sensibilia, et quasi instrumenta quæ ex opere operato tollant peccata venialia, etiamsi Christus eam illi potuerit dare. Istam enim potestatem fuisse illi datam nec ex Scriptura, nec ex traditione, nec ex usu Ecclesiæ, nec ex revelatione, nec aliunde potest colligi. Effectus autem remittendi peccata venialia tribuitur potius istis sacramentalibus, quam aliis actibus, etiamsi per se et ex natura sua ad ea tollenda non conducant, tum quia ex genere suo aut modo, quo fiunt, habent aliquem vel dolorem peccatorum, vel ejus significationem : tum quia habent specialem vim impetrandi eorum remissionem, fundatam vel in Dei seu Scripturæ promissione (v. gr. eleemosyna), vel in propria petitione (v. gr. Oratio Dominica) : tum quia habent specialem vim impetrandi divini auxilii aut motionis, fundatam in orationibus Ecclesiæ, quæ per peculiarem benedictionem aut consecrationem ad obtinendum ejusmodi effectum applicantur.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA.

De absoluta et irrevocabili peccatorum remissione per pœnitentiam.

Sect. I. — *An peccata remissa per pœnitentiam, redeant formaliter, quoad culpam, ob subsequens peccatum mortale.*

Dico : Peccata remissa nunquam formaliter et in se redeunt quoad culpam, quantumvis nova peccata multiplicentur. D. Thomas et omnes theologi, præter Hugonem a Sancto Victore et Gratianum dicentes illa redire ; fortasse autem intelligunt de reditu quoad pœnam : Probatur : *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech*, XVIII, 22 ; *Jerem.* XXXI, 34 ; *Hebr.* X, 17) : *Sine pœnitentia sunt dona Dei* (*Rom.* XI, 29), id est, Deus absolute et irrevocabiliter remittit peccata. Non potest autem peccatum remissum redire, quia malum culpæ non potest a solo Deo fieri ; ergo neque potest a solo Deo reproduci : reproduci enim est de novo iterum fieri. Jam vero quando homo iterum peccat post peccata remissa, non facit priora peccata, sed aliud novum ab eis distinctum ; ergo si redirent peccata quoad culpam, non redirent per actionem hominis, sed oporteret ut redirent per actionem solius Dei, quod fieri nequit. Quod attinet ad parabolam Matth. XVIII, ubi rex post remissum servo omne debitum, ob subsequentem erga conservum duritiem, jubet eum solvere universum debitum, potest dici ibi esse sermonem de reditu, non culpæ, sed pœnæ ; deinde non dicitur exegisse idem debitum quod remiserat, sed potest intelligi de novo debito ob ingratitudinem contracto. Præterea in parabolis attendendus est finis intentus, non singula verba seorsim. Patres hac de re agentes loquuntur de reditu peccatorum quoad carentiam gratiæ et reatum æternæ damnationis, non quoad culpam. Gratia per pœnitentiam confertur absolute quidem ut perpetuo duratura ex parte Dei, sed conditionate ex parte hominis, quandiu illam conservabit non peccando mortaliter ; remissio autem peccatorum confertur absolute independenter a futura hominis voluntate. Merita redeunt per subsequentem pœnitentiam, quia per peccatum fuerant tantum mortificata, non exstincta ac deleta, culpa autem non redit, quia per condonationem fuit omnino exstincta ac deleta.

SECT. II. — *An peccata remissa redeant quoad pœnam ob peccatum subsequens.*

Dico 1 : Pœna peccati remissi, sive quæ est sensus, sive quæ est damni, non redit formaliter ob peccatum subsequens, id est, non imponitur eadem pœna ob ipsummet peccatum quod fuit remissum. Nam Deus per priorem peccati remissionem absolute abstulit pœnæ debitum; ergo cum non possit retractare suam absolutam voluntatem ac decretum, non potest eadem formaliter pœna, id est, ob eadem peccata, redire. Deus non punit bis idem delictum, ut ait : *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius* (*Ezech.* XVIII, 22), nempe ut puniat.

Objicies 1 : Scriptura et Patres sæpe dicunt Deum recordari peccatorum remissorum, seu quorum oblitus fuerat, et de eorum reditu : *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus* (*Psal.* CVIII, 14). Respondeo eos loqui de peccatorum reditu quoad pœnam non quidem dimissam, sed suspensam, nondumque exsecutioni mandatam. Sæpe etiam Patres intendunt redire peccatorum pœnam vel secundum specificam rationem, quia peccans amittit Dei gratiam et fit reus pœnæ æternæ; vel intelligunt redire secundum gravitatem præsentis peccati.

Obj. 2 : Non repugnat peccatum redire etiam quoad pœnam æternam; nec revelatum est non redire. Respondeo : Distinguo assumptum. Non repugnat de potentia absoluta, concedo assumptum; de potentia ordinaria, nego. Remissio pœnæ æternæ in sanctificatione præsentis status fit absolute, non sub conditione abstinendi a relapsu, alioqui non esset vera remissio, sed quædam suspensio, donec impleretur conditio. Pœna itaque semel remissa, non potest de lege ordinaria redire.

Dico 2 : Pœna peccati remissi materialiter sine dubio sæpissime redit, id est, sæpissime Deus eamdem materialiter pœnam vel potius similem imponit, aut etiam partim dissimilem infligit, non ob peccatum remissum, nec cum habitudine ad illud, sed ob aliud simile subsequens vel æquivalens : v. gr. si subsequens peccatum sit omnino simile et æquale priori peccato remisso, pœna sensus in inferis materialiter eadem redibit et in specie et in gradu : si vero sit simile in specie, et dissimile seu inæquale in quantitate, eadem proportione redibit pœna. Quoad pœnam vero damni, erit quidem semper eadem privative, id est, semper erit eadem privatio æternæ visionis Dei; sed non eadem et æqualis in omnibus tristitia, juxta enim variam peccati gravitatem erit proportionata, proveniens ex intensiori aut remissiori istius privationis apprehensione : sive non erit eadem positive in ordine ad proprios peccatoris actus, licet sit eadem in ordine ad objectum perditum et ejus privationem, quia graviori aut leviori peccato mortali, cæteris paribus, respondet major aut minor carentia visionis Dei in ratione pœnalis aut moralis privationis, ob majus vel minus istius peccati demeritum, in ipsius malitia fundatum.

SECT. III. — *An peccatum post præcedentia remissa patratum, fiat inde gravius.*

Dico 1 : Ex præcedentis remissione, subsequens peccatum aggravatur ob ingratitudinem et virtualem divinæ misericordiæ contemptum; non ita tamen ut gravitas quæ illi accrescit, sit moraliter æqualis omnibus præcedentibus peccatis, et addat malitiam specie distinctam, necessario in confessione aperiendam : ista enim ingratitudo est circumstantia generalis, inclusa in omni peccati specie; adeoque etiam in primo peccato mortali reperitur ob beneficium creationis, perseverantiæ et innocentiæ usque ad istud tempus servatæ, etc. Similiter per veniale prius remissum aggravantur subsequentia venialia, quando cum plena deliberatione committuntur; secus non.

Dico 2 : Cæteris paribus, donum innocentiæ in ratione doni includentis moralem dignitatem, est majus beneficium quam donum pœnitentiæ, sed donum pœnitentiæ ex parte recipientis ob suam indignitatem est majus beneficium quam donum innocentiæ. Innocentiæ gradus triplex assignatur : primus, si quis adultus nondum remisso peccato originali conservetur aliquandiu sine novo mortali, sed hæc est tantum innocentia secundum quid, non simpliciter. Secundus, si quis post remissum peccatum originale conservetur aliquandiu sine peccato mortali, quo fuerit diuturnior ista utraque conservatio, eo majus erit beneficium. Tertius, si quis post acceptam gratiam baptismalem conservetur sine peccato usque ad finem vitæ, et alter post multos relapsus in peccata, per pœnitentiam pervenit ad æqualem cum illo gratiæ gradum in fine vitæ, majus est simpliciter beneficium quod ille primus accipit, quam id quod hic secundus accipit.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA.

De ultimo pœnitentiæ effectu, qui est reparatio seu reviviscentia meritorum mortificatorum.

Hanc disputationem fuse tractat Pater Suarez in suis opusculis, ad quæ hic remittit lectorem : ideo eam hic compendiatim appono per breves sectiones.

SECT. I. — *An merita mortificata per pœnitentiam reviviscant.*

Dico : Merita bonorum operum per peccatum mortificata, reviviscunt per pœnitentiam; quæ sententia nunc adeo certa est, ut oppositum sine temeritate teneri nequeat. (D. Thomas, Magister, Bonaventura, Gabriel, etc.) Probatur 1° ex Paulo ad Hebr. VI, 10, sic dicente : *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri*, etc.; quem locum de operibus in gratia factis ac mortificatis, intelligunt Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, etc. Item ad Galat. III, 4 : *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* · quem locum sic in-

telligunt Hieronymus, Ambrosius, Anselmus, etc. : Si tamen frustra sitis dicendi ista a Judæis et gentilibus passi; cum, si volueritis de peccatis vestris pœnitentiam agere, accepturi sitis illarum passionum mercedem. 2° Ex concilio Tridentino (sess. 6, cap. 16), ubi tantum tres conditiones requirit, ut bona opera prosint ad vitam æternam : 1° ut procedant a gratia habituali tanquam ab intrinseco vitæ principio, sive ab homine justificato ; 2° ut sint supernaturalia. Hæc autem duo supponuntur fuisse in operibus, quæ per peccatum mortificata fuerunt. 3° Ut homo decedat in gratia ; atque hoc etiam habetur in homine per pœnitentiam resurgente, et in statu gratiæ moriente, etiamsi prius multa peccata commiserit.

Sect. II. — *An merita mortificata reviviscant ex justitia, an vero ex misericordia.*

Dico : Reviviscentia meritorum est opus et misericordiæ et justitiæ simul sub diversa ratione.

Probatur 1° *esse opus misericordiæ.* Fuit enim opus Dei misericordiæ qua promisit dare hominibus omnium bonorum suorum operum mercedem, si illa fuerint facta in gratia et ex gratia, ac si eo tempore quo illam daturus est, inveniat eos in gratia; item opus misericordiæ est remittere peccatum mortale pœnitenti, etiamsi multa opera meritoria ante illud peccatum exercuerit : non debetur enim illi ex justitia remissio peccati ob ista opera meritoria; quia quandiu peccatum nondum remissum inhæret personæ, reddit eam incapacem debiti justitiæ apud Deum, impeditque ne debeatur de condigno illorum præmium ; adeoque nec debeatur de condigno remissio peccati ob illa opera, nec supernaturalia auxilia ad eam necessaria.

Probatur 2° *esse etiam opus justitiæ.* Ubi enim vera meriti ratio intervenit cum omnibus conditionibus requisitis ad meritum de condigno, ibi intervenit justitia : atqui hic intervenit vera meriti ratio juxta doctrinam concilii Tridentini supra declaratam ; ergo intervenit justitia, quia ablato peccato per Dei misericordiam, debetur ex divina promissione prioribus meritis præmium proportionatum ; ergo habetur debitum justitiæ, quale potest haberi inter Deum et hominem. Opera meritoria semel facta, quandiu sumus in hac vita, semper manent in acceptatione divina, et dant jus ad vitam æternam ; peccatum autem superveniens suspendit hoc jus, non vero tollit, et licet jus proximum impediatur, remanet tamen semper jus remotum ; sublato igitur impedimento, id est peccato, prius jus reviviscit, quod erat ex justitia. Deinde si Deus non redderet præmium istis præcedentibus meritis, peccatum remissum, per quod fuerunt mortificata illa merita, puniret pœna perpetua, id est privatione alicujus gradus gratiæ et gloriæ, quod est alienum a Dei justitia, qui non recordatur iniquitatum hominum pœnitentium. Atque ita resurgere a peccato, est quidem opus misericordiæ ; sed retribuere meritis præmium, præsupposita misericordia, est opus justitiæ.

Sect. III. — *An merita mortificata reviviscant ad præmium essentiale.*

Nota : Quidam dicunt merita mortificata restitui quidem per pœnitentiam ad præmium essentiale, id est, ad gratiam et gloriam; sed gratiam illam et gloriam restitui tantum æqualem dispositioni, per quam homo resurgit, datam duplici titulo, nempe intuitu istius præsentis dispositionis, et simul præcedentium meritorum ; sed contra hanc opinionem

Dico : Merita mortificata reviviscunt ad proprium et speciale præmium essentiale adæquate distinctum ab eo quod debetur actui pœnitentiæ per quem reviviscunt, id est, ad aliquem gloriæ et essentialis beatitudinis gradum, qui huic homini pœnitenti non daretur ob actualem pœnitentiam, et ob omnia post illam merita præstita, si non habuisset merita præcedentia. Unde essentiale beatitudinis præmium in sua intensiva perfectione non commensuratur soli actui intensiori, quem homo in statu gratiæ moriendo exercuit, sed etiam multitudini operum præcedentium aliquam ad illud præmium condignitatem habentium. Spectat enim ad Dei justitiam, ut pro meritis seu operibus moralem majoris æstimationis valorem habentibus, et majus præmium, et non tantum idem pro pluribus, sicut in puniendis peccatis, det augenda eorum essentiali pœna, non solam maximi peccati intensionem vel gravitatem respicit, sed etiam eorum multitudinem ; ita etiam in præmio essentiali reddendo, ejusque perfectione conferenda, non respicit tantum opus maxime intensum, sed etiam operum multitudinem. Potest quidem eadem vita æterna dari duplici titulo, sed diversæ rationis, scilicet titulo hæredis et titulo mercedis : sed primus est gratuitus, nec affert obligationem ex justitia ; alter autem est onerosus et affert justitiæ obligationem, et juxta hunc datur plurium aut pauciorum bonorum operum debita merces. Non tamen multitudini bonorum actuum correspondet multitudo præmiorum ; quia cum homo sit constitutus in hac vita, ut per bona opera suum ultimum finem, qui est unicus, tanquam præmium essentiale consequatur, hoc præmium non potest crescere in multitudine seu extensione, sed tantum in intensione juxta plura aut pauciora merita. Hinc patet merita mortificata restitui non solum ad aliquod præmium accidentale, sed ad essentiale sibi proprium et specialiter correspondens. Cur autem merita non deleantur et exstinguantur absolute per peccatum, sicut absolute delentur demerita per actum charitatis, id non tam ex valore actus charitatis provenit, quam ex Dei bonitate et acceptatione ac voluntate.

Sect. IV. — *An omnia merita mortificata redeant quoad totum præmium essentiale.*

Dico 1 : Rejicienda est opinio eorum, nempe Capreoli, Paludani, Cajetani, etc., qui dicunt merita non reviviscere quoad totum præmium essentiale, quod ante lapsum illis debebatur, sed tantum juxta proportionem contritionis vel dispositionis per

quam quis resurgit a peccato; quod diversis modis explicant. Primus explicandi modus est, tot meriti seu gratiæ aut justitiæ gradus reparari per contritionem, quot sunt gradus ipsius contritionis, per quam homo a peccato resurgit. Hinc si contritio est ut duo, dicunt duos gradus ex prioribus meritis reparari; si ut quatuor, reparari quatuor, sive fuerint plura, sive pauciora præcedentia merita. Secundus, reparationem meritorum fieri proportionate ad contritionem, ita ut si contritio sit maxima quam pœnitens potest elicere, tunc omnia merita restitui; si minor maxima, non omnia restitui, sed tantum restitui in ea proportione, qua contritio a maxima deficit : si v. gr. deficiat dimidia parte a maxima intensione, dimidiam tantum meritorum partem restitui, etc.; ita Sotus et Ledesma. Tertius, merita mortificata reviviscere juxta charitatis in qua homo resurgit, proportionem ad charitatem quam per merita præcedentia acquisierat, seu in qua erat quando peccavit : quæ vero sit hæc charitatis proportio, non satis explicant. Quare

Dico 2 : Per quamcunque contritionem et peccati mortalis remissionem, merita prius mortificata restituuntur integre quoad totum essentiale præmium (Scotus, Albertus, Magister, Richardus, etc.); quia contritio non concurrit ad ista merita ut illorum causa per se, sed tantum ut removens impedimentum, id est peccatum. Hoc autem impedimentum omnino removetur per quamcunque veram contritionem etiam minimam, uti et per attritionem cum sacramento; ista enim merita semper manebant viva in divina acceptatione, et de se ad proportionatum præmium efficacia, solumque erant impedita ex parte subjecti ob peccatum superveniens; hoc ergo sublato impedimento, quomodocunque id auferatur, illa omnia statim vivificantur.

Sect. V. — *An tota gratia per peccatum amissa, statim restituatur per peccati remissionem, ideoque homo ad majorem gratiam semper resurgat.*

Nota : Quidam dicunt gratiam amissam non semper restitui statim atque homo per pœnitentiam resurgit : dum enim dispositio est minor vel æqualis præcedenti gratiæ a qua homo cecidit, tunc nihil illius gratiæ statim restitui sentit D. Thomas; dum vero est major, tunc ait hominem resurgere ad majorem gratiam; an tunc statim hæc detur, non declarat. Deinde si in tota vita dispositio ista nunquam fuerit major gratia præcedente, quasi videtur, juxta illum, nunquam dandum fore sive in hac vita sive in altera istud præcedentis gratiæ augmentum. Alii vero, præsertim Sotus, Ledesma et Victoria, sentiunt, dum homo resurgit a peccato, præter gradus gratiæ respondentes contritioni per quam resurgit, eum recipere aliquos gratiæ gradus ob merita præcedentia mortificata, non autem totam gratiam illis debitam, nisi quando se disponit ex toto conatu. Denique Scotus, Durandus, etc., dicunt gratiam prioribus meritis debitam neque in ipsa justificatione, neque in toto vitæ decursu restitui, etiamsi homo per ferventes et multos actus se disponat; videtur tamen sentire Scotus illam esse restituendam in alterius vitæ ingressu. Rejectis ergo omnibus istis sententiis,

Dico : Tota gratia meritis mortificatis debita in ipso justificationis instanti, in quo ista merita vivificantur, statim restituitur, sive dispositio ad hanc justificationem sit intensa, sive remissa, et sive sit contritio, sive attritio cum sacramento (Gabriel, Medina, Henriquez, etc.); quia merita reviviscunt quoad totum hunc effectum, nec est cur statim non detur, cum impedimentum illius recipiendi sit sublatum per peccati remissionem. Et cum tota ista gratia sit debitum ex justitia, decet statim solvi, seu reddi cum charitate aliisque virtutibus infusis quæ illam comitantur : hæc enim gratia meritorum præcedentium non datur ex vi præsentis dispositionis seu pœnitentiæ præsentis tanquam causæ per se disponentis, sed tanquam causæ per se removentis obicem, peccati, quod æque facit contritio seu dispositio remissa ac intensa; quia ista gratia reviviscentiæ non commensuratur nec respondet præsenti dispositioni. Hinc patet hominem semper resurgere ad majorem gratiæ cumulum; accipit enim novam gratiam proportionatam suæ dispositioni præsenti, et præter hanc, totum gratiæ cumulum, quem ante lapsum habebat.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA.

De præceptis virtutis pœnitentiæ.

Sect. I, II. — *An qui mortaliter peccavit, teneatur sub præcepto pœnitere, et an impœnitentia sit speciale peccatum ab aliis distinctum.*

Dico 1 : Supposito peccato mortali, pœnitentia illius, sive sit contritio perfecta, sive attritio cum sacramento, cadit sub speciali præcepto. (D. Thomas, Bonaventura, Alensis, etc.) Sic Tertullianus (*De pœnit.*, cap. 4) : « Bonum est pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcepit. » Deinde sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti sæpius arguit vehementer pœnitentiam negligentes tanquam divinæ legis violatores. Hoc autem præceptum provenit, tum ex justitia erga Deum, qua tenetur peccator satisfacere injuriæ illi per peccatum illatæ; tum ex charitate divina, qua tenetur amissam Dei qui est ultimus ejus finis et super omnia diligendus, amicitiam recuperare; tum ex charitate propria, qua tenetur habere curam suæ animæ et salutis : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* xxx, 24). Unde

Dico 2 : Impœnitentia sive voluntaria pœnitentiæ omissio, est speciale peccatum ab omnibus aliis distinctum, si fiat uno ex his duobus modis : 1° directe, quando quis, per expressum actum aut propositum, vult non pœnitere tempore debito, sive in affectu tantum, sive in effectu. 2° Indirecte, quando quis tempore debito omittit pœnitentiam vel ex vincibili negligentia, vel ex certa scientia sine voluntate quidem directa eam omittendi, sed cum voluntate augendi aut retinendi aliquid ei impossibile. Dum ergo D. Thomas exponens Augustinum dicentem

impœnitentiam finalem peccatum in Spiritum sanctum esse, dicit hanc non esse speciale peccatum, vel loquitur de impœnitentia materiali et involuntaria, vel potius de impœnitentia indirecte volita, intelligendo eam non esse peccatum specie distinctum a directe volita. Hinc sequitur posse contingere, ut quis cum uno tantum peccato moriatur sine speciali impœnitentiæ peccato; nempe si nec directam nec indirectam voluntatem habuerit non pœnitendi, v. gr. morte subita præventus.

Sect. III, IV. — *An præceptum pœnitentiæ sit naturale; an vero positivum, et an tantum semel in vita obliget.*

Dico 1 : Obligatio satisfaciendi Deo pro injuria per peccatum illata, est præceptum divinum naturale, et ex intrinseco jure naturali : quia omnis justitia ad alterum, servata proportione, naturaliter et intrinsece obligat ad satisfactionem injuriæ illatæ, nempe quantum homini possibile est; non enim dantur præcepta de rebus impossibilibus, sed cum nullus actus peccatoris ex se et ex natura sua sit sufficiens dispositio ad satisfaciendum condigne Deo pro injuria per peccatum illata, hinc ob impotentiam ad talem condignam satisfactionem istud præceptum non obligat; sed quia homo excitatus et adjutus gratia, potest imperfecte seu de congruo satisfacere, ad hanc satisfactionem sibi possibilem obligatur ex lege connaturali ipsimet gratiæ.

Dico 2 : Quamvis formalis actus contritionis ex se et ex natura sua sit valde proportionatus et aptus ad satisfaciendum Deo pro injuria per peccatum ipsi illata, tamen sine speciali divinæ voluntatis talem satisfactionis modum determinantis ordinatione non est absolute et ex se necessarius, quia potuit Deus esse contentus sola dilectione aut attritione ad justificandum hominem; ac proinde istud præceptum contritionis est ita naturale, ut etiam includat Dei ordinationem ac determinationem. Et quamvis præceptum pœnitendi fortasse non comprehenderetur in aliquo ex præceptis Decalogi, in quo continentur præcepta naturalia, non ideo non est præceptum naturale; non enim oportet ut omnia specialia præcepta legis naturæ in Decalogo contineantur, sufficit ut ex principiis naturaliter notis deducantur, aut ad ipsamet principia pertineant.

Dico 3 : Quoties post pœnitentiam iterum quis peccat, iterum quidem tenetur pœnitere : sunt namque diversa peccata; sed de eodem aut de eisdem peccatis, tenetur tantum semel conteri ac pœnitere: adeoque quoties peccata remissa recogitantur aut memoriæ occurrunt, non tenetur iterum de illis formalem pœnitentiæ aut displicentiæ actum elicere. D. Thomas, Cajetanus, Navarra, etc., contra quosdam antiquos Thomistas, Alensem, Richardum, etc., quorum opinio proprie, ut sonat intellecta, non est vera. Nullum enim tale pœnitentiæ præceptum affirmativum exstat; tantum tenetur, dum peccata illa memoriæ occurrunt, in illis non complacere, nec de pœnitentia seu contritione prius habita displicentiam concipere. Sola quippe peccati recogitatio non habet unde inducat positivam obligationem eliciendi novum ipsius peccati dolorem, nec novam contritionem dum occurrit cogitatio præterita contritionis. Nova tamen hæc contritio ordinarie est utilis, et sæpius cogitare de peccatis remissis sine ulla illorum displicentia, aut sine voluntate illa deinceps cavendi, posset afferre peccandi periculum. Hinc patet quomodo intelligendi sint quidam theologi, dum dicunt pœnitentiam in hac vita debere esse perpetuam; nempe nunquam debere eam displicere, nec retractari. Itaque præceptum pœnitendi semel tantum obligat circa eadem peccata, per unicum enim contritionis actum recipitur homo in Dei amicitiam; et licet per illum non condigne satisfiat pro injuria, tamen Deus hanc remittit, contentus ista non condigna satisfactione. Attamen si quis per solum Dei amorem justificetur, videtur manere adhuc obligatio faciendi formalem contritionis actum; secus vero si per attritionem cum sacramento justificetur, etiam in articulo mortis : quia per amorem remittitur culpa sub onere habendi postea formalem contritionem, per sacramentum autem ex institutione Christi remittitur absolute sine illo onere. Verum in articulo mortis sic per sacramentum cum sola attritione justificatus, tenetur virtualem saltem habere contritionem diligendo Deum super omnia, quia tunc præceptum diligendi Deum super omnia obligat.

Sect. V. — *An præceptum contritionis obliget statim post commissum peccatum.*

Dico : Præceptum contritionis non obligat ad agendam pœnitentiam statim post peccatum commissum, etiamsi opportunitas occurrat, aut facile fieri possit. Durandus, Angelus, Sotus, etc., contra Paludanum, Alensem, etc., qui videntur tamen loqui de necessitate eam statim agendi in casu particulari, v. gr. in hora mortis, aut simili periculo. Probatur, quia si præceptum obligaret ad agendam statim pœnitentiam, homo qui semel peccavit, eam differendo, continuo ac semper peccaret novo ac speciali peccato, quod est falsum. Deinde hoc præceptum est affirmativum; ergo non obligat pro semper. Præterea ostenditur ex tribus capitibus nullam oriri obligationem ad faciendum statim actum contritionis : 1° *Ex lege justitiæ*, obligantis ad reparandam injuriam, et ad satisfaciendum pro illa. Hæc lex, ut est affirmativa, non obligat statim; ut est negativa, obligat tantum ad non addendam novam injuriam, et ad non augendam priorem, quod servatur differendo pœnitentiam. Non potest quidem interdum differri inter homines restitutio pro furto, aut satisfactio pro honore ablato, quia illa dilatio eis damnum affert; per dilationem privantur utilitate suorum bonorum detentorum, et crescit infamatio. Deus autem per dilationem contritionis nec caret re sibi utili, nec crescit injuria. 2° *Ex charitate Dei;* quia præceptum charitatis Dei est affirmativum et non obligat pro semper : adeoque si homo

excitatus ad statim pœnitendum, nec directe velit permanentiam in peccato, nec contritionis carentiam, nihil peccabit, applicando suam voluntatem ad alia objecta honesta; nec ad vitandum novum peccatum mortale gratia habitualis est necessaria, sed sufficit actualis, saltem ad illud vitandum aliquo brevi tempore. Sicut qui inimicitiam cum alio homine gerit, tenetur statim odium formale aut virtuale deponere, ac scandalum tollere, non tamen tenetur statim cum eo amicitiam inire: ita peccator tenetur statim non habere in se Dei odium formale nec virtuale, sive non habere propositum formale vel virtuale iterum peccandi, sed non tenetur statim positive inire novam cum Deo amicitiam, tollendo illius amicitiæ privationem. 3° *Ex charitate propria*: sicut enim non tenemur statim semper curare malum corporis, nisi ubi est gravis vel extrema necessitas; ita nec animæ. Deinde facilius tenemur statim curare malum corporis, quia sumus tantum vitæ nostræ custodes, non domini; nostrorum autem actuum spiritualium sumus aliquo modo domini. Idem quasi dic de correctione fraterna, quæ non semper statim obligat, nisi in necessitate. Atque ita homo ex propria charitate non semper tenetur statim se emendare per contritionem.

Sect. VI, VII. — *Pro quo tempore obliget hoc pœnitentiæ præceptum; et an teneatur homo satisfacere Deo in hac vita pro pœna temporali.*

Dico 1: Cum detur pœnitentiæ præceptum, si ante mortis articulum nondum sit impletum, tum saltem debere impleri, tuncque obligare certum est. An vero ante illum articulum per se et ex natura sua obliget, ac quando obliget, controvertunt auctores. Quare

Dico 2: Hoc præceptum obligat ex accidenti in quibusdam casibus: 1° quando exercenda est actio quæ statum gratiæ in operante requirit, v. gr. administratio sacramenti ex officio, aut illius receptio si sit sacramentum vivorum; 2° juxta quosdam si occurrat vehemens tentatio et occasio peccandi hic et nunc, ad quam vincendam censeatur necessaria Dei amicitia; aut si immineat commune reipublicæ malum, et membra teneantur orare Deum, ut isti malo subveniat.

Dico 3: Ex jure positivo nullum est tempus determinatum in quo obliget præceptum contritionis. Nam quod Judæis præcipitur: *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras; anima quæ non fuerit afflicta die hac, peribit* (*Levit.* XXIII, 27-29), erat tantum pro festo expiationis, in quo illis præcipiebatur aliquis actus pœnitentiæ externæ vel etiam internæ, non tamen pro aliis festis vel Sabbatis; cumque hoc præceptum fuerit cæremoniale, jam cessavit. Unde male inferunt Marsilius, Angelus, etc., peccatorem obligari ad habendam contritionem saltem omnibus diebus festis. Neque ex præcepto annuæ confessionis infertur obligatio habendi singulis annis contritionem, ut vult Sotus.

Dico 4: Hoc contritionis præceptum ex natura sua et ex sola lege naturali, seu connaturali gratiæ et fidei, probabile est non obligare ante periculum mortis titulo justitiæ erga Deum, cui ob peccatum satisfaciendum est pro injuria illata; neque immediate titulo propriæ charitatis, quia pericula æternæ mortis et jactura bonorum spiritualium moraliter non ita apprehenduntur, ut ex speciali propriæ charitatis obligatione teneatur homo illa prævidere et vitare; sed ex titulo charitatis Dei oritur obligatio non ita differendi pœnitentiam usque ad mortem, quia præceptum charitatis seu dilectionis Dei non reservat suam obligationem usque ad mortis articulum, adeoque idem dicendum de pœnitentia seu contritione saltem ex necessitate istius dilectionis: non potest enim, qui est in peccato mortali, dum occurrit tempus quo præceptum diligendi Deum super omnia obligat, illud servare, per se loquendo, nisi etiam habeat peccatorum contritionem, ut constat ex dictis de necessitate medii contritionis; si tunc obliviscatur peccatorum et justificetur, rursus obligabitur ad contritionem, quando obligabitur ad amorem Dei eliciendum.

Dico 5: Ex vi solius naturalis præcepti pœnitentiæ, non tenetur homo satisfacere Deo in hac vita pro reatu pœnæ temporalis (aliud est ex vi præcepti positivi in sacramento pœnitentiæ a confessario impositi, de quo postea). Probatur, quia neque tenetur ex lege justitiæ erga Deum, cum possit sine ulla injustitia differre peccati sui punitionem seu satisfactionem usque ad purgatorium, tanquam reus exspectans pœnam a judice infligendam: neque ex lege charitatis propriæ aut divinæ, cum sic nec divinum amorem, nec suam beatitudinem perdat: nec hujus dilatio sit tam grave damnum, ut teneatur sub mortali illam vitare, et sola anima sine sui corporis consortio, ut nunc fit in purgatorio, possit plene Deo satisfacere. Unde ex vi ejusdem naturalis præcepti non obligatur homo ad externos pœnitentiæ actus quatenus præcise conferunt ad tollendum pœnæ temporalis reatum; ad hos tamen interdum potest aliunde obligari: v. gr. quando sunt ita conjuncti cum contritione, ut ad eam habendam sint moraliter necessarii; aut quando sunt remedia necessaria ad vitandum peccatum, quale posset esse jejunium ad vitandam incontinentiam.

LIBER II.

De pœnitentia ut est sacramentum.

DISPUTATIO DECIMA SEXTA.

De potestate clavium seu remittendi peccata a Christo Ecclesiæ tradita.

SECT. I. — *An Christus dederit suæ Ecclesiæ ministris potestatem remittendi peccata post baptismum commissa.*

Dico 1 : Christus reliquit pastoribus Ecclesiæ supernaturalem potestatem remittendi peccata post baptismum commissa. De fide, contra Novatianos, Wicleffum, Joannem Huss, Lutherum, etc., id negantes. Hoc definitum est conciliis Constantiensi, Lateranensi, Florentino et Tridentino, ac probatur ex Matth. XVI, ubi Christus hanc potestatem Petro tanquam Ecclesiæ capiti, et Matth. XVIII eamdem omnibus apostolis promittit, ac denique Joan. XX, 22-23 suam promissionem adimplet, seu promissam potestatem dat his verbis : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba non possunt intelligi de potestate prædicandi Evangelium, ut volunt hæretici, contra Patrum expositionem et perpetuam Ecclesiæ traditionem ; nec verbum *retinere* potest huic potestati prædicandi applicari ; neque etiam possunt intelligi de sola baptizandi potestate, cum id repugnet Patrum expositioni, Ecclesiæ traditioni, et concilii Tridentini definitioni ; imo proprietas verborum id ostendit, nam sunt generalia, et non limitata ad remittenda tantum peccata infidelium.

Dico 2 : Hæc potestas remittendi peccata, est judiciaria, seu per modum judicii exercenda. De fide, ex concilio Tridentino (sess. 14, cap. 1, et canon. 9) ; est enim sacrum tribunal a Christo in Ecclesia erectum, in quo sacerdotes judicis officio pro Christo funguntur, ut constat ex Patribus et ex Ecclesiæ traditione.

SECT. II. — *An hæc potestas remittendi peccata extendatur ad culpam, an vero ad pœnam tantum.*

Nota : Quidam dixerunt hanc potestatem solum esse ad remittendam pœnam temporalem, quia remittere culpam solius est Dei ; et antequam exerceatur hæc potestas, jam supponitur culpa remissa per contritionem : ita Magister, Alensis, Bonaventura, etc. Alii vero dicunt hanc potestatem esse non solum ad temporalem, sed etiam ad æternam pœnam remittendam, ob rationes jam dictas et quia pœna æterna impedit ingressum cœli, cujus clavis est ista potestas. Sed

Dico 1 : Proprius, primarius ac per se effectus hujus potestatis est remittere peccatum quoad culpam, adeoque quoad pœnam æternam, et insuper quoad pœnam temporalem, juxta pœnitentis majorem aut minorem dispositionem. (D. Thomas, Paludanus, Cajetanus, Durandus, etc.) Probatur ex Scriptura : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX, 23). *Quodcunque solveritis*, etc. (*Matth.* XVIII, 18), remittere peccata, est remittere culpam, et est culpa quæ impedit ingressum cœli. Item : *Posuit in nobis ministerium reconciliationis.* (*II Cor.* V, 18), nempe restaurandæ amicitiæ cum Deo, remittendo culpam. Atque id desumitur etiam ex Ecclesiæ traditione, ex doctrina conciliorum Florentini, Constantiensis, Tridentini, ex decretis Pontificum, et ex Patrum testimoniis. Deinde unde sciretur per sacramentum infundi gratiam sanctificantem si remitteretur sola pœna temporalis ? Et si remittatur simul æterna, ergo etiam culpa, quia non remittitur pœna sine remissione culpæ : quare sicut baptismus est institutus ad remittendam culpam et pœnam, ita et sacramentum pœnitentiæ. Est quidem Dei proprium, ut principalis agentis, remittere culpam ; sed homo remittit tantum ut minister et instrumentum Dei, et juxta hunc sensum exponenda sunt quorumdam Patrum dicta.

Dico 2 : Duplex est hujus potestatis actus : Primus est *remittere* et *solvere ;* nempe remittendo culpam, et solvendo seu pœnam æternam in temporalem commutando. Secundus est *retinere*, seu judicare reum remissionis peccati indignum ; et *ligare* seu obligare ad pœnam temporalem, vel in sacramento, vel extra juxta majorem vel minorem pœnitentis dispositionem.

SECT. III. — *An potestas remittendi peccata, sit potestas ordinis, an vero jurisdictionis ; et quomodo hæ distinguantur ac dentur.*

Nota : Ad remittenda peccata per hoc sacramentum, requiritur duplex potestas, ordinis nempe et jurisdictionis. Potestas ordinis est character sacerdotalis, per quem aliquis ex divina ordinatione deputatur ad sacra ministeria, habetque potestatem in corpus Christi verum et mysticum, id est, potestatem consecrandi et absolvendi. Hæc potestas illi confertur in sacerdotali ordinatione. De hac non est controversia ; sed de potestate jurisdictionis, quærendo quid sit et quando detur, controvertitur. Quare

Dico 1 : Rejicienda est sententia Armacani dicentis potestatem jurisdictionis conferri in ipsa sacerdotis ordinatione, et in re non esse distinctam a potestate ordinis, nec ab ea separabilem ; item aliorum dicentium in ipsa ordinatione eam inchoari tantum, et ut sic nec distingui a potestate ordinis, nec posse per Ecclesiam auferri aut mutari, sed

eam postea compleri per aliquod munus ecclesiasticum vel hominum concessionem, et ut sic posse mutari, augeri, minui aut omnino tolli. Unde quidam dicunt, ut hæc potestas compleatur seu sit completa, ad exercendum suum actum sufficere voluntariam pœnitentis subjectionem, nisi ab Ecclesia impediatur et vetetur. Ita pene Cajetanus. Alii vero, nempe Navarra, etc., dicunt jurisdictionem in *habitu* dari per ipsam sacerdotis ordinationem, et eam esse ab Ecclesia immutabilem, atque a potestate ordinis indistinctam, et stando in jure divino expeditam ad agendum quandiu nulla intervenit Ecclesiæ prohibitio. Dari autem jurisdictionem in *actu*, quando sacerdos eligitur aut deputatur ad munus absolvendi, et hanc dari non a pœnitente per suam electionem aut voluntariam subjectionem, sed ab ipso Christo ex vi istius electionis aut voluntariæ subjectionis. Alii denique, nempe Major, Angelus, etc., volunt sacerdotes accipere quidem in sua ordinatione veram jurisdictionem, sed inchoatam tantum et incompletam ; compleri vero per applicationem seu subjectionem materiæ non a sola pœnitentis voluntate aut ex jure divino, sed a summo pontifice et prælatis Ecclesiæ factam, ita ut nisi ipsi applicent materiam, sive dent subditos, non possint sacerdotes, ex vi solius ordinationis, validum hujus potestatis actum exercere, quamvis hic ultimus dicendi modus in re quam ipsi intendunt, sit verus ; tamen ob verborum ambiguitatem non placet. Ideo

Dico 2 : Potestas ordinis et potestas jurisdictionis distinguuntur essentialiter : potestas enim ordinis datur physice per impressionem characteris in sacerdotis ordinatione, estque indelebilis et immutabilis. Potestas vero jurisdictionis tantum moraliter datur per extrinsecam concessionem, aut muneris ecclesiastici collationem, per quam aliquis constituitur aliorum pastor aut superior, hique efficiuntur subditi ; ideo extra ordinis sacramentum immediate per hominem datur. (D. Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, etc.) Hæc enim sententia est magis consentanea modo loquendi conciliorum, in quibus dicitur posse sacerdotem carere omni jurisdictione, cum tamen non possit carere omni potestate ordinis, nec ex vi suæ ordinationis habere subditos ; ergo ex vi suæ ordinationis non recipit proprie jurisdictionem, ne incompletam quidem aut inchoatam, cum de hac nihil loquantur. Dum ergo Ecclesia dat subditos, tunc vere dat jurisdictionem, ut patet in parocho nondum sacerdote, qui per collationem beneficii recipit integram jurisdictionem, licet nondum habeat potestatem ordinis ad remittenda peccata necessariam ; sed potest alium delegare ad actum suæ jurisdictionis exercendum, atque ita istæ duæ potestates sunt a se invicem separabiles, ac proinde essentialiter distinctæ. Sacerdotes habent quidem ex vi suæ ordinationis aptitudinem ad jurisdictionem ; sed actu eam non habent. Quod attinet ad apostolos, probabilius est eos omnes ex jure apostolatus et extraordinariæ delegationis habuisse immediate a Christo suam jurisdictionem personalem tantum, sine jure eam aliis transmittendi, excepto Petro cui ea promissa est cum jure successionis (*Matth.* XVI), et data (*Joan.* XXI).

SECT. IV. — *An hæc potestas remittendi peccata, sit una vel plures claves regni cœlorum.*

Dico 1 : potestas remittendi peccata recte per metaphoram dicitur clavis regni cœlorum, quia est quædam facultas, cujus actus est aperire et claudere ; sive *est potestas qua judex ecclesiasticus dignos admittere valet ad regnum cœlorum, et repellere indignos*, uti eam definit Joannes XXII.

Dico 2 : Solet a theologis duplex distingui clavis : alia scientiæ, alia potentiæ. Clavis scientiæ in pontifice est ad definiendas veritates fidei ; potentiæ, est ad regendam Ecclesiam. Clavis scientiæ in sacerdote est ad cognoscendam juridice pœnitentis causam ; potentiæ, est ad eum absolvendum, et ad remittenda ejus peccata. Et ad hanc scientiæ et potentiæ clavem pro sacramento pœnitentiæ reducitur potestas jurisdictionis.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA.

De institutione et necessitate sacramenti pœnitentiæ.

SECT. I. — *An Christus in lege nova instituerit sacramentum pœnitentiæ ab aliis distinctum.*

Dico 1 : De fide est Christum reliquisse in sua Ecclesia speciale sacramentum, quod est medium ad obtinendam veniam peccatorum post baptismum commissorum, illudque esse a sacramento baptismi distinctum : contra Lutherum, Calvinum, etc., negantes esse distinctum ; quia, inquiunt, sufficit credere et baptizari : nam baptismus, qui excitando fidem abstulit priora peccata, postea per sui memoriam excitando eamdem fidem, aufert alia post baptismum commissa juxta Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Probatur assertio : Istud definitum fuit in conciliis Constantiensi, Florentino, Tridentino et ab antiquis Patribus Cypriano, Basilio, Ambrosio, Augustino, etc., traditur. Deinde istorum duorum sacramentorum materia, forma, ritus ac finis est omnino diversus ; ergo sunt distincta. Præterea error est dicere sacramentum per solam fidem remittere peccata. Confessio qua Adam confessus est Deo suum peccatum, et qua in oblatione sacrificii pro peccato, confitebantur Judæi sua peccata, uti et qui veniebant ad Joannem, ut in Jordane baptizarentur, non erat sacramentum, sed erat umbra et figura futuri sacramenti pœnitentiæ.

Dico 2 : De fide est hoc sacramentum, quoad suam essentiam seu essentialem ritum, ab ipso Christo fuisse institutum. Id definitum est in concilio Tridentino (sess. 14), non autem illud instituit Christus, dum (*Luc.* VI) misit suos apostolos ad prædicandum, ut vult Armacanus, quia tunc nondum erant sacerdotes : nec in ultima cœna, etiamsi forte

tunc promiserit instituendum et apostolos de hoc instruxerit; sed illud instituit post resurrectionem, quando dixit: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* xx, 22, 23).

Sect. II. — *An hoc sacramentum sit medium necessarium ad remissionem mortalis peccati post baptismum commissi.*

Dico: Hoc sacramentum ex Christi institutione est medium necessarium ad peccatorum post baptismum commissorum remissionem obtinendam, contra Hugonem a S. Victore, Alensem, Bonaventuram, etc., qui licet admittant hoc sacramentum esse necessarium ex præcepto ecclesiastico, negant tamen esse medium necessarium ex vi institutionis Christi, sed tantum utile. Sicut sacramenta confirmationis et extremæ unctionis sunt tantum utilia, non necessaria ad suos fines consequendos, ita sacramentum pœnitentiæ est utile, non necessarium ex vi institutionis, ad veniam peccatorum obtinendam. Sed probatur assertio: 1° ex concilio Tridentino (sess. 14, can. 6) definiente confessionem jure divino esse ad salutem necessariam, adeoque et sacramentum pœnitentiæ; et hanc necessitatem colligit ex eo quod Christus sacerdotes constituit tanquam judices, ad quos pertinet circa peccata sententiam pronuntiare cum potestate ea remittendi aut retinendi. 2° Ex Joan. xx, 22, 23: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 3° Ex Patrum Clementis, Fabiani, Origenis, Tertulliani, Basilii, etc., id indicantium testimoniis. Nectarius patriarcha, Chrysostomi prædecessor, abstulit usum confessionis, non sacramentalis quæ fit secreto, sed publicæ quæ post confessionem secretam interdum publice fiebat de peccatis scandalosis ad agendam publicam pœnitentiam. Unde hoc nihil probat contra necessitatem sacramenti pœnitentiæ, sic etiam varii Patres negant confessionem publicam esse necessariam, sed id non asserunt de sacramentali.

Sect. III. — *An hoc sacramentum pœnitentiæ sufficiat in voto; an vero debeat esse in re susceptum ad remissionem peccati.*

Dico 1: Hoc sacramentum in re ipsa susceptum, non est semper medium necessarium ad justificationem seu ad peccati remissionem, sed sufficit vel in re vel in voto. (D. Thomas, Magister, Gabriel.) Definitumque est in concilio Tridentino (sess. 6, cap. 14; et sess. 14, cap. 4). Ratio est quia veræ conversioni ad Deum per conditionem, promissa est a Deo remissio peccati; et dum sacramentum non potest statim in re suscipi, sufficit contritio cum proposito illud suscipiendi, quia apud Deum voluntas pro facto reputatur. Contritio tamen non remittit peccata sub conditione confitendi, quia absolute ea remittit, sed sub onere seu cum obligatione ea postea confitendi, aut cum proposito ea confitendi. Peccata ergo per hoc sacramentum in voto, remittuntur, quia ita est institutum, ut ejus susceptio pertineat ad integram dispositionem seu satisfactionem ex parte nostra necessariam ad peccati remissionem; atque ita semper remittuntur in ordine ad confessionem. Sed

Dico 2: Votum hujus sacramenti non requiritur necessario ut sit explicitum, sufficit enim implicitum, quale ex natura rei includitur in amore Dei super omnia et proposito servandi omnia mandata, supposita hujus sacramenti institutione et necessitate. (D. Thomas, Richardus, Bonaventura, Navarra, etc., contra Canum requirentem explicitum sine sufficienti fundamento.) Nullum enim de hoc voto explicito habendo colligi potest præceptum sive ex Scriptura, sive ex traditione.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA.

De essentia et ritu hujus sacramenti in communi.

Sect. I. — *Quænam sit materia remota hujus sacramenti.*

Dico: Materia remota circa quam versatur hoc sacramentum est quodvis peccatum post baptismum (non ante) commissum; et mortale quidem est materia necessaria, id est, per se loquendo, non potest remitti sine hoc sacramento. Veniale autem sive nondum confessum, sive jam confessum, uti et mortale jam confessum est sufficiens materia: licet enim forma non possit sæpius cadere in eamdem materiam proximam, potest tamen in remotam, ut patet in baptismo; atque ita dum fit peccati jam confessi et remissi iterata confessio, sacramentum habet suum effectum, id est, confert gratiam peccati, quantum est ex se remissivam, et tollit aliquam, sicut prior confessio, pœnæ temporalis partem quæ solvenda restabat; estque semper culpa (non reatus pœnæ temporalis ex priori confessione relictus) quæ subjicitur clavibus, sine qua non fit hoc sacramentum. Si sit materia dubia, nec possit haberi certa, conficiendum est sacramentum dando absolutionem sub conditione saltem mente concepta.

Sect. II, III. — *An hoc sacramentum essentialiter constet ex materia et forma, et ex qua.*

Dico 1: Sacramentum essentialiter constat ex materia et forma: D. Thomas, Cajetanus, Alensis, etc., contra Scotum dicentem totam ejus essentiam positam esse in verbis formæ, contritionemque et confessionem non esse ejus partes, sed tantum prærequiri ad essentiam. Probatur ex conciliis Florentino et Tridentino designantibus propriam formam et materiam hujus sacramenti: Tridentinum autem eam vocat *quasi materiam*, non quod non sit propria sacramentalis materia, sed quia hujus sacramenti materia tam remota quam proxima non est corpus sensibile, ut in aliis sacramentis; et ideo hanc materiam proximam, ex qua fit sacramentum, vocat *quasi* materiam. Materia autem remota circa quam versatur hoc sacramentum, nempe peccatum, non est pars, sed objectum. Hoc itaque sacramentum componitur essentialiter ex actibus pœnitentis tanquam materia, et ex abso-

lutione sacerdotis tanquam forma, ac parte præcipua et maxime essentiali compositum complente. Hinc dicitur sacerdos absolute ministrare sacramentum, quia ipse est qui introducit formam et perficit sacramentum. Deinde non tantum forma seu absolutio significat effectum sacramenti, sed etiam actus pœnitentis, nempe contritio et confessio, remissionem culpæ, satisfactio remissionem pœnæ. Imo probabilius isti actus pœnitentis habent etiam vim activam ex opere operato, dum moraliter simul concurrunt saltem mediate, cum absolutione ad producendum sacramenti effectum.

Dico 2 : Materiæ sacramenti pœnitentiæ partes, sunt tres : confessio, contritio, satisfactio (D. Thomas, Richardus, Alensis), etc. Cum enim hoc sacramentum fiat per modum judicii, reus debet confiteri suum delictum, et cum dolore quidem ad veniam obtinendam, adeoque requiritur confessio dolorosa, seu confessio et contritio ; et licet contritio ex se et per se non sit sensibilis, per confessionem tamen et signa fit sufficienter sensibilis. Deinde ad integritatem judicii pertinet pœna reo inflicta in delicti ultionem ; ergo satisfactio est etiam pars, saltem integralis.

Sect. IV. — *An hoc sacramentum sit duntaxat unum, sitque iterabile.*

Dico 1 : Hoc sacramentum non tantum est specie unum (alioquin essent plura quam septem sacramenta), sed etiam numero quoad constitutionem ex pluribus partibus ; signa enim partialia, licet heterogenea, concurrunt simul ad componendum unum numero, nec obstat temporis distantia ad unum numero componendum.

Dico 2 : Tripliciter potest iterari hoc sacramentum : 1° quando post susceptum hoc sacramentum, iterum committuntur mortalia peccata : de his et aliis si quæ sint, debet iterari toties quoties sic committuntur. 2° Item debet iterari quando in priori confessione omissum est aliquod peccatum mortale vel per oblivionem, vel ob aliam legitimam causam. 3° Potest etiam iterari de peccatis jam rite confessis et remissis, licet non sit necesse ; sed debent adhiberi dispositiones requisitæ.

Sect. V, VI. — *Quid est in hoc sacramento res et sacramentum simul ; an aliquis ritus particularis sit necessarius.*

Dico 1 : Juxta communem doctorum sententiam, in omnibus sacramentis est aliquod quod sub diverso respectu est res et sacramentum simul, id est, causatur et causat, significatur et significat ; sive est gratiæ effectus a sacramento causatus, et simul illum facit ac significat. In hoc autem sacramento rem et sacramentum simul D. Thomas dicit esse interiorem pœnitentiam, quia interior pœnitentia, sive sit attritio sive contritio, quatenus informis et secundum se, est sacramentum seu pars sacramenti, id est causat ac significat ; quatenus autem per gratiam sacramentalem formata, tunc est res sacramenti, seu effectus sacramenti, gloriæ meritorius.

Dico 2 : Nulla est in hoc sacramento accidentalis cæremonia quæ obliget sub mortali ; adeoque nec tempus nec locus, nec alia circumstantia præscripta est tanquam necessaria ut possit hoc sacramentum licite ministrari ; et quamvis pœnitens ordinarie flexis genibus confiteatur, et soleat præmitti confessio generalis, neutrum tamen est absolute necessarium. Similiter ex parte ministri, verba deprecatoria, quæ formam substantialem partim antecedunt, partim subsequuntur, laudabiliter quidem dicuntur, sed non sub præcepto, saltem gravi. Nec etiam est sub præcepto illa benedictio seu deprecatio quæ in fine confessionis per modum crucis adhiberi solet. Impositio autem manus in hoc sacramento super caput pœnitentis, nunc non est in usu, multo minus de præcepto ; nec expedit eam facere, maxime super feminas. Sola manus extensio sine tactu, dum forma profertur, videtur esse magis in usu, et potestatem clavium modo significare ; liberum est tamen etiam omittere eam.

DISPUTATIO DECIMA NONA.

De forma sacramenti pœnitentiæ.

Sect. I. — *An de essentia hujus formæ sint hæc sola verba voce prolata :* Te absolvo.

Dico 1 : De essentia hujus sacramenti est, ut ejus forma propriis verbis et voce humana proferatur. (D. Thomas, Major, Cajetanus, etc.) *Forma hujus sacramenti*, inquit concilium Florentinum, *sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert*, etc. Christus enim instituendo hoc sacramentum, uti alia etiam sacramenta, voluit ut verbis conficerentur, excepto matrimonio, ad quod requisivit tantum ea quæ ad contractum sunt necessaria. Christus igitur instituendo hoc sacramentale judicium, voluit præter alia specialia, ut in hoc sententia ferretur voce ; contra Paludanum, Navarram, etc., dicentes in aliquo casu posse valere formam scripto missam.

Dico 2 : Ista verba : *Te absolvo*, sunt aptissima et convenientissima ad hanc formam significandam. (D. Thomas, Scotus, Durandus, etc.) Hoc enim sacramentum institutum est per modum judicii in quo judex profert sententiam, non deprecando, sed solvendo, vel ligando ; ideoque eam profert per modum judicativi ad instar actus judicialis, non ut auctor principalis, quod est proprium Dei, sed ut ejus minister. Forma extremæ unctionis est deprecativa, non autem sacramenti pœnitentiæ, quia sic Christo institutori placuit ; et vero hæc forma per modum indicativi prolata, est aptior ad sacramentum pœnitentiæ, quia est tribunal in quo fertur sententia per modum judicii. Christus dedit apostolis potestatem faciendi miracula, sed modum non præscripsit ; nunc enim imperativo, nunc deprecativo modo ea fecerunt, essentialem autem sacramentorum ritum præscripsit. Quod dicit Abu-

lensis istud verbum *absolvo* improprie esse dictum, non habet fundamentum. Non datur forma ad retinenda peccata, quia per talem actum non fit sacramentum, nec iste actus est significativus gratiæ; ideo non fit per formam sacramentalem.

Dico 3 : Verba : *Misereatur tui omnipotens Deus*, etc., quæ formæ præmittuntur, non sunt de essentia formæ, uti nec pronomen *ego;* nec invocatio Trinitatis, *in nomine Patris et Filii*, etc.; nec hæc : *Passio Domini nostri Jesu Christi*, etc. Imo juxta D. Thomam, Cajetanum, Sylvestrum, Navarram, etc., contra Gabrielem, Paludanum, Majorem, etc., nec sunt de ejus essentia ista verba ; *a peccatis tuis,* implicite enim continentur in verbo *absolvo*, quod, supposita peccatorum confessione supra quam cadit, habet satis determinatam sine illis significationem ; non debent tamen omitti, cum nulla ea omittendi possit causa occurrere. Sed non debet addi : *ab omnibus* nempe *peccatis tuis.* Citati auctores Gabriel, Paludanus, etc., putant ista verba : *a peccatis tuis*, requiri ad essentiam formæ; quia, inquiunt, verbum *absolvo* est indifferens ad significandam absolutionem a censura, a pœna, aut a culpa, ideoque requiritur ad complendam formæ significationem ac sensum. Sed

Dico 4 : Hæc duo sola verba : *Te absolvo*, sufficiunt ad formam hujus sacramenti perficiendam ac complendam ; in illis enim formæ et significatio et effectus consummatur; nec tantum sufficiunt, sed etiam formaliter sumpta, absolute sunt necessaria ad essentiam formæ, sicut ego *Te baptizo* in baptismi forma; imo et materialiter sumpta sunt etiam necessaria necessitate præcepti, ita ut non possint in alia mutari sine peccato. Hinc non videtur hæc forma valere : *Mundo te a peccatis;* nec hæc : *Absolvat te Christus*, si dicatur deprecative; secus fortasse, si dicatur imperative, uti et hæc : *Sacramentum absolutionis tibi do*, etc.

Sect. II. — *Quisnam sit sensus hujus formæ :* Ego te absolvo, *et quis ejus effectus.*

Dico : Hæc forma , *Ego te absolvo*, non significat, *Ego te absolutum ostendo et declaro*, ut censent Magister, Bonaventura, Gabriel, Alensis ; nec significat, *Ego te absolvo non a culpis, sed ab obligatione eas subjiciendi clavibus Ecclesiæ ;* nec significat remissionem pœnæ vel æternæ vel temporalis juxta indigentiam pœnitentis, uti volunt Hugo, Richardus, Scotus, sed juxta D. Thomam significat : *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, subintelligendo nempe, uti in aliis sacramentis, si *suscipiens non ponat obicem.* Quod sic explicatur : *Confero tibi gratiam, quantum est de se, peccati remissivam*, nimirum si in homine sit peccatum, cujus remissio postuletur; atque ita si jam per contritionem sit deletum peccatum, semper veritas formæ, et significatio ejus effectus servatur. Ex remissione autem culpæ mortalis, consecutive habetur remissio pœnæ æternæ; atque etiam alicujus partis, aut interdum totius pœnæ temporalis, juxta variam pœnitentis dispositionem.

Sect. III. — *An sacramentalis absolutio possit dari personæ absenti.*

Nota : Multi olim doctores censuerunt in casu necessitatis posse confessionem fieri sacerdoti absenti, et ab eodem absente posse absolutionem dari, adeoque verba absolutionis sufficienter verificari posse circa *personam* absentem : ita Paludanus, Antonius, Sylvester, Tabiensis, etc. Sed

Dico 1 : In nullo casu licitum est confiteri absenti et ab absente absolvi. Ita olim communius theologi, et nunc omnes post decretum Clementis VIII, anno 1602 editum, quo hanc propositionem : *Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, damnat, ad minus ut falsam, temerariam, scandalosam, ac prohibet ne deinceps doceatur, neve unquam in aliquo casu ut probabilis defendatur, imprimatur, aut in praxim quovis modo deducatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Et ratio est quia absolutionis forma exigit pœnitentis præsentiam ; verba enim formæ diriguntur ad personam præsentem; deinde actualis dispositio pœnitentis esset ignota confessario, dum illum absolveret absentem, et sic se exponeret periculo absolvendi indispositum; ac cum sit judex, debet habere præsentem reum, ut eum examinet.

Dico 2 : Non tantum talis confessio absenti facta, et simul ab absente data absolutio, est illicita, sed etiam invalida, quia Clemens VIII in suo decreto vetat ne unquam ullo casu ista opinio ut probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur; ergo censet ejusmodi confessionem esse invalidam. Deinde iste modus confitendi nec nunc, nec unquam fuit in Ecclesia receptus. Quod autem dicitur de sancto Thoma Cantuariensi, misisse Romam pro obtinenda absolutione, id intelligendum de absolutione a censuris ad cautelam petita, vel de obtinenda plenaria indulgentia. Cyprianus non de absolutione sacramentali in loco qui citatur, agit, sed de publica reconciliatione, nec etiam de sacramentali agit capitulum *Qualis* 30, quæst. 5, sed de alia judiciali.

DISPUTATIO VICESIMA.

De interiori dolore ad substantiam et effectum hujus sacramenti requisito.

Sect. I. — *An contritio ad hujus sacramenti effectum sit necessaria.*

Nota : Ad effectum hujus sacramenti Sylvester requirit tantum voluntatem confitendi tanquam virtualem pœnitentiam, sed omnino ab omnibus rejicitur. Magister autem, Hugo, Alensis, Richardus, Bonaventura, etc., requirunt absolute perfectam contritionem. Cajetanus vero, Ferrarius, etc., requirunt etiam per se perfectam contritionem, interdum tamen posse aiunt sufficere attritionem, cujus actus in ipso sacramento et ejus vi mutetur in actum contritionis, faciendo pœnitentem ex attrito

contritum. Victoria, Vega, Cordubensis, idem etiam requirunt; sed si quis putans bona fide se esse contritum, sit tantum attritus, sentiunt eum justificari cum ista attritione et fieri ex attrito contritum, non per mutationem attritionis actus in actum contritionis, sed per solam habituum infusionem. Denique D. Thomas, Scotus, Paludanus, Adrianus, etc., dicunt sufficere veram et integram peccatorum attritionem, sive illa sit cognita, sive non. Quare

Dico 1 : Hoc sacramentum habet vim justificandi peccatorem per solam veram, supernaturalem, et integram attritionem dispositum, sicque efficiendi ex attrito contritum, conferendo attrito immediate gratiam sanctificantem sine ulla intrinseca interioris doloris, seu attritionis actus mutatione aut perfectione. Ac proinde attritio manens attritio, est sufficiens dispositio proxima ad hujus sacramenti effectum; tuncque tantum dicitur homo fieri contritus per gratiæ habitualis informationem seu infusionem. Probatur 1° ex concilio Tridentino (sess. 14, cap. 4) declarante contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, esse donum Dei et impulsum Spiritus sancti, ac postea de hac sic dicente : *Quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Nempe dispositione non remota, sed proxima seu ultima : nam concilium aperte indicat aliter disponere in sacramento, quam extra; extra autem disponit remotè, ergo intra, proxime. 2° Sacramentum pœnitentiæ est institutum ad resuscitandos a morte peccati mortuos baptizatos, sive ad conferendam gratiam et expellendum peccatum mortale, est enim sacramentum mortuorum; sed si requiratur contritio, nunquam habebit suum effectum, sive nunquam conferet primam gratiam, et nunquam expellet peccatum mortale, quia ante ejus susceptionem semper jam erit collata gratia et peccatum expulsum vi præviæ contritionis; et frustra quis dicet conferri gratiam et peccatum expelli in voto sacramenti, tanquam parte sacramenti, quia conferri gratiam et expelli peccatum in voto, est conferri et expelli ex opere operantis, non ex opere operato virtute clavium, adeoque sacramentum non habebit suum effectum, id est ex opere operato. Deinde non esset verum quod Augustinus (epist. 180) dicit æternam peccatoris salutem pendere ex absolutione sacerdotis. 3° Attritio, ex doctrina concilii Tridentini, est ultima et immediata ac sufficiens dispositio ad gratiam impetrandam, non autem dispositio ad contritionem, contritio enim includit attritionem; ergo manente attritione sine sui mutatione, gratia habitualis immediate infunditur in sacramento, et vi sacramenti. Hinc

Dico 2 : Vera et integra attritio est dispositio sufficiens ad hujus sacramenti effectum, etiam cognita ut talis; neque oportet ut reputetur contritio ad istum effectum obtinendum. Nullum enim exstat præceptum quo necessario requiratur contritio; ergo cum attritio sufficiat, sive cognoscatur esse attritio, sive non, dummodo exsistat, effectum obtinebit : est enim detestatio divinæ offensæ sub aliqua ratione honesta et supernaturali.

Sect. II. — *Qualis debeat esse attritio, ut sufficiat ad hujus sacramenti effectum.*

Dico 1 : Ad obtinendam peccati mortalis remissionem per hoc sacramentum, necessario requiritur ut sit attritio vere in reipsa exsistens. Unde si quis sine vera et reali attritione illud recipiat ex quacunque ignorantia invincibili, excusabitur quidem a nova culpa, non tamen illius effectum obtinebit, quia peccatum prius commissum et non retractatum est obex. Sicut baptismus non tollit peccatum mortale sine vera attritione, ita nec hoc sacramentum : existimata enim attritio non est attritio, nec medium quod necessario requiritur. Deinde hæc attritio debet ita esse efficax et absoluta, ut excludat omnem peccandi voluntatem.

Dico 2 : Prædicta attritio debet esse supernaturalis (contra Scotum), quia juxta concilium Tridentinum est donum Dei et impulsus Spiritus sancti. Dispositio enim ad formam semper debet esse proportionata et ejusdem rationis cum forma, a quocunque agente forma introducatur; ergo licet gratia fiat per sacramentum, semper requirit dispositionem supernaturalem, quæ illi disponat et accommodet subjectum. Unde attritio debet esse ex motivo supernaturali et divino, non vero temporali et humano. Præterea

Dico 3 : Debet esse integra, id est, de omnibus peccatis mortalibus, quia unum peccatum mortale non remittitur sine alio. Hinc si quis inculpabiliter omittat unum peccatum mortale, ad quod attritio non se extenderit, licet non sit de novo peccaturus, seu non sit facturus sacrilegium, non tamen justificabitur; secus vero, si attritio se extenderit ad omnia mortalia, adeoque etiam ad illud quod in confessione inculpabiliter omissum est.

Sect. III, IV. — *An voluntas confitendi sine alio peccatorum dolore, sufficiat ad valorem hujus sacramenti, et quisnam ad eum necessario requiratur.*

Dico 1 : Certum est ad valorem hujus sacramenti necessario requiri voluntatem confitendi et peccatorum veniam obtinendi, et si pœnitens confitendo erret in persona, putans esse Petrum cui confitetur cum sit Paulus, valida erit confessio, si absolute velit huic sacerdoti, qui præsens est, confiteri, uti quivis pœnitens judicandus est velle; nisi constaret de expressa et absolute contraria ejus voluntate, qua nollet se et suam causam isti judici seu confessario subjicere, tunc enim foret invalida. Deinde ut sit valida, oportet ut illa voluntas seu motivum confitendi non sit peccatum mortale; veniale tamen non impedit ejus validitatem, dummodo non excludat sufficientem peccatorum mortalium attritionem, quia nihil essentiale tollit, nimirum non tollit dolorem. Unde

Dico 2 : Aliquis dolor internus, præter dictam

voluntatem confitendi, est de necessitate et essentia hujus sacramenti, seu de essentia ejus materiæ (D. Thomas, Navarra, Vega, Cordubensis, etc.), quia dolor est pars essentialis hujus sacramenti; ergo sine illo non potest esse validum, et dolor quidem verus ac supernaturalis, et de omnibus peccatis mortalibus requiritur. Unde iste dolor seu attritio debet esse absolute efficax et includens non tantum velleitatem, sed etiam absolutam voluntatem non peccandi de cætero : ita Gabriel, Major, Adrianus, etc., contra Canum, Ledesmam, Sylvestrum, etc., volentes quamcunque displicentiam cum velleitate non peccandi sufficere ad valorem sacramenti. Probatur, quia talis dolor seu detestatio non avertit voluntatem ab effectu peccati, nec sufficit ad veram peccati accusationem coram Deo. Præterea iste dolor non debet esse existimatus tantum, præsertim existimatione vincibili quæ non excusat a culpa mortali, sed oportet ut sit verus ac realis, alioquin non sufficiet ad valorem; similiter oportet ut sit vere ac realiter supernaturalis, nec sufficit existimatus supernaturalis, etiam invincibiliter, quia ut talis, non est pars sacramenti; ergo ut talis non potest constituere sacramentum. Ut est enim pars sacramenti, juxta Tridentinum, est donum Dei et impulsus Spiritus sancti. Denique cum attritio vera possit haberi de aliquibus mortalibus, et non de omnibus, qua in re differt a contritione, ad valorem sacramenti, per se loquendo, requiritur et sufficit vera attritio de omnibus mortalibus, quæ in confessione aperiuntur, utpote necessaria et sufficiens ad integram formaliter accusationem, etiamsi non se extendat ad ea mortalia, de quibus non fit confessio, quia de his non recordatur. Hæc enim, oblita, non sunt pars actualis et essentialis sacramenti, ergo potest hoc esse validum sine illa : secus vero, si in confessione memor eorum, de iis non doleat, quia tunc ponit obicem sacramento. Similiter confessio erit nulla et invalida, si quis sciens et videns, aut ex ignorantia mortaliter vincibiliter habeat veram attritionem de aliquibus, at non de omnibus mortalibus quæ in confessione aperit; secus autem, si ex ignorantia aut inadvertentia inculpabili.

Dico 3 : Internus dolor, sive contritio, sive attritio debet necessario concurrere ad sacramentalem mortalium peccatorum confessionem. Unde conceptus ex universali motivo, v. gr. ex metu pœnarum inferni, quamvis formaliter terminetur ad unum peccatum particulare mortale, tamen virtualiter se extendit ad omnia mortalia; non ergo oportet ut ad singula peccata specialiter terminetur, sed sufficit dolor universalis de omnibus confuse conceptis, qui virtualiter extendatur ad singula; prout de illis fit accusatio vi istius doloris. Hic autem dolor potest tempore antecedere confessionem, sed oportet ut tunc per formalem vel virtualem pœnitentis intentionem ille referatur ad confessionem, quod fit quoties quis peccata sua recogitat et de eis dolet ut ea confiteatur; vel præbet signum sui doloris in ordine ad faciendam confessionem, seu ad absolutionem obtinendam; aut quoties dolet de peccatis cum expresso illa confitendi proposito, vi cujus postea fit confessio. Hinc si quis ita doluerit de suis peccatis ut postea in ipsa confessione, aut dum absolutio datur, nullum iteret dolorem, confessio est valida, quia moraliter illi conjungitur dolor qui præcessit, et virtute sua illam confessionem informat. Non est tamen necesse, ut tempore dolor confessionem antecedat; sufficit enim ut habeatur ante absolutionem, elicitus post confessionem vel in ipsa confessione, licet antea non fuerit elicitus.

Dico 4 : Propositum saltem virtuale, inclusum in absoluta et efficaci peccati detestatione ac dolore videtur esse de essentia hujus sacramenti; imo addo, si fiat confessio de peccatis mortalibus, per se loquendo, requirit propositum formale illa vitandi; quia si quis sciens et videns confiteatur de peccato mortali sine tali proposito, et in ea dispositione velit absolutionem recipere, sine dubio graviter peccat, adeoque ponit obicem, et sacramentum est nullum. Attamen non videtur formale propositum tam necessarium quam formalis dolor, maxime in materia venialis peccati. Si quis enim bona fide detestetur peccatum quod confitetur, et non advertat ad faciendum formale propositum, existimo sacramentum fore validum, tuncque sufficiens fore virtuale propositum in vera detestatione inclusum. Quoad propositum obediendi confessario, non requiritur aliud quam propositum servandi omnia mandata, adeoque servandi id quod confessarius potest mandare, v. gr. pœnitentiam ab eo impositam.

Sect. V. — *An confessio possit esse informis ex defectu doloris.*

Dico 1 : Probabilius potest dari confessio valida quoad substantiam sacramenti, et invalida seu informis quoad ejus effectum (seu quoad gratiam sanctificantem quæ est velut confessionis forma, sine qua dicitur informis), ex defectu non intensivo, ut vult Petrus Sotus, sed extensivo attritionis proveniente ex inculpabili inadvertentia vel ignorantia : si quis enim cum vera aliquorum, sed non omnium peccatorum mortalium quæ commisit attritione, inculpabiliter confiteatur, ejus confessio erit sufficiens ad validitatem sacramenti, uti supra dictum est, sed non sufficiens ad effectum, seu ad gratiam sanctificantem, quia peccatum commissum non remittitur sine actu pœnitentiæ seu doloris a retractatione, etiam per sacramentum; et sic erit validum sacramentum quoad substantiam, et informe quoad effectum defectu doloris, qui nec formaliter nec virtualiter se extendit ad ista mortalia non confessa. Itaque defectus quidem integritatis confessionis materialis, quando est inculpabilis, nec substantiam nec effectum sacramenti impedit, quia materialis seu exterior confessio non est per se medium necessarium ad remissionem peccati; sed

defectus integritatis interioris doloris, licet non impediat substantiam, impedit tamen effectum, quia ista integritas est medium per se necessarium ad illum.

Dico 2 : Hoc sacramentum validum et informe probabilius habet suum effectum fictione recedente; cum enim peccatum mortale post baptismum commissum, debeat remitti per sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto susceptum, ergo illud a pœnitente inculpabiliter non retractatum, recedente fictione remittetur vi sacramenti, quod fuit informe. Recedet autem fictio seu tolletur per contritionem, vel, per dignam sacramenti susceptionem; vel per solam attritionem extra sacramentum, si nullum mortale sit commissum post istam sacramenti informis susceptionem.

Sect. VI. — *De necessitate doloris pro confessione solorum venialium peccatorum.*

Dico 1 : In confessione solorum venialium requiritur etiam formalis attritio seu dolor cum proposito saltem virtuali vitandi peccata; quia attritio seu dolor formalis est pars essentialis sacramenti. Aliud est de illorum remissione extra sacramentum, ad quam non requiritur formalis dolor. Idem dic de confessione peccatorum mortalium antea confessorum. Quando confessio fit de solis venialibus, non est de ejus substantia aut essentia, ut propositum vel dolor efficax et absolutus sit universalis de omnibus venialibus, quæ simpliciter præbentur ut materia absolutionis (nam venialia quæ in ea aperiuntur non in ordine ad absolutionem, sed ob alium finem, clarum est non pertinere ad hoc sacramentum), quia unum veniale potest remitti sine alio, et veniale non est materia necessaria sacramenti; ergo non erit contra ejus valorem si confessio non sit integre dolorosa de omnibus; non potest tamen id fieri sine aliqua culpa veniali.

Dico 2 : Si quis habens peccatum mortale, cujus inculpabiliter obliviscitur dum venialia sola confitetur, et de solis venialibus quæ confitetur, elicit veram attritionem, ejus confessio erit valida, quia est formaliter integra cum sufficienti dolore de venialibus; et simul informis, quia cum non doleat de isto mortali, istud mortale non remittitur; illo autem non remisso, gratia non infunditur, adeoque nec remittuntur venialia, quæ cum illo conjuncta sunt.

DISPUTATIO VICESIMA PRIMA.

De sacramentalis confessionis, quæ est altera pars materiæ hujus sacramenti, quidditate et qualitate.

Sect. I, II. — *Quid sit confessio sacramentalis; et an de necessitate sacramenti debeat esse auricularis, seu secreta.*

Dico 1 : Hæc confessio sic a D. Thoma et aliis theologis definitur. Est legitima et sacramentalis accusatio de propriis peccatis ad eorum veniam virtute clavium obtinendam, coram sacerdote facta. Variæ ad eam requiruntur conditiones, quarum quædam sunt essentiales, quædam accidentales, ut postea dicetur. Hæ autem conditiones sunt : ut sit simplex, humilis, pura, fidelis, integra, accusans, voluntaria, verecunda, fortis, frequens, accelerata, secreta, discreta, dolorosa, reparare parata

Dico 2 : Modus secretæ confessionis est honestus, sanctus, et ad conficiendum sacramentum sufficiens. De fide. Definitum in concilio Tridentino (sess. 14, cap. 5) contra hæreticos illam respuentes. Probatur ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur soli sacerdoti faciendam esse confessionem, et ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine. Et certe dum olim imponebatur publica pœnitentia, non fiebat nisi ex prudenti confessarii judicio, cui prius facta fuerat secreta confessio, et ob peccatum in ea confessum imponebatur publica pœnitentia. Habetur in cap. *In capite.*, dist. 50, et colligitur ex concilio Agathensi (cap. 15), ex Christi institutione, et ex natura rei. Imo alius confitendi modus non tantum non est necessarius sive ex divino sive ex humano præcepto, sed etiam per humanam legem nequit generatim præcipi, quia res est difficillima, nec necessaria; nec lex humana habet potestatem directivam in actus mere internos, adeoque nec confessarius potest cogere reum ad manifestanda publice sua peccata, nisi forte ad tollendum scandalum, aut ad publicam satisfactionem.

Dico 3 : Hic secretæ confessionis modus non est de necessitate hujus sacramenti : ita theologi. Et sumitur ex concilio Tridentino (sess. 14, cap. 5), ubi docet Christum non prohibuisse confessionem publicam : hæc enim publica potest esse vera et dolorosa sui accusatio. Unde quando fit per interpretem, aut publice in communi mortis periculo, est vera et valida confessio. Neque tantum secreta confessio non est de necessitate sacramenti, sed nec etiam præcepti, præter sigillum confessionis ex parte confessarii: adeoque pœnitens non tenetur ad secretam confessionem; non tamen debet eam aliter facere sine aliqua causa

Sect. III, IV. — *An pœnitens debeat necessario confiteri propria voce et immediate per se ipsum sacerdoti præsenti.*

Dico 1 : Non est de absoluta hujus sacramenti necessitate ut confessio propriis verbis fiat. (D. Thomas et alii.) Probatur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, et Christi institutione. Imo neque est de necessitate præcepti sive divini sive ecclesiastici, adeoque licitum est uti scriptura aut aliis signis sensibilibus ad faciendam confessionem, aut nutibus, quando causa rationalis adest, v. gr. ob impotentiam loquendi, aut ob nimiam verecundiam. Imo quando confessio fit scripto, sufficit ut pœnitens scripturam præsenti sacerdoti offerat loco suæ accusationis, signa doloris exhibendo; nec videtur opus esse pœnitentis nutibus, dum ejus scripturam legit sacerdos. Concilium Florentinum confessionem vocat *oris* confessionem; sed concilium Tri-

dentinum ad tollendam omnem ambiguitatem omisit illud nomen *oris*.

Dico 2 : Non est de essentia confessionis sacramentalis, ut pœnitens per se et immediate loquatur sacerdoti ; potest enim loqui per interpretem ; et tunc interpres est instar vocis aut scripturæ pœnitentis, per quam loqui censetur. Quamvis autem per se loquendo necesse sit ut sacerdos in præsentia pœnitentis, imo ab ipso immediate audiat ejus confessionem si fieri potest, graviterque peccetur si aliter fiat, ob Ecclesiæ consuetudinem, et quia ad dandam absolutionem requiritur cognitio causæ ac actualis dispositionis pœnitentis : id tamen non videtur ita necessarium et essentiale sacramento, ut non possit licite et valide sacerdos dare absolutionem, quando veniens ad absolvendum pœnitentem morti vicinum, invenit illum ita omnium sensuum usu privatum, ut nullum peccati aut doloris signum ab eo obtinere possit, dummodo ex aliorum relatione constet eum dedisse signa pœnitentiæ aut desiderium confitendi ostendisse. (Sylvester, Angelus, Cordubensis, etc.) Probatur ex concilio Arausicano I, (cap. 12), ex concilio Carthaginensi IV (cap. 76), ex Leone I (epist. 89, alias 91), ex cap. *Ægrotantes* De consecr. (dist. 4), ubi id habetur, etc.

DISPUTATIO VICESIMA SECUNDA.

De integritate confessionis ad ejus valorem per se necessaria.

Sect. I. — *An confessio debeat fieri de omnibus peccatis mortalibus, quorum pœnitens sibi conscius est.*

Dico 1 : De necessitate hujus sacramenti est, ut pœnitens omnia sua peccata mortalia post baptismum commissa eidem sacerdoti in eadem confessione, seu in ordine ad eamdem absolutionem, quantum moraliter potest, confiteatur. De fide. Sumitur ex conciliis Cabillonensi, Lateranensi, Florentino, Tridentino, et ex perpetua traditione et consuetudine Ecclesiæ. Ratio est, quia unum peccatum mortale non remittitur sine alio. Deinde sacerdos, uti medicus, debet adhibere medicinam peccatis, etiam in futurum, ut evitentur, adeoque debet pœnitentis conscientiam nosse.

Dico 2 : Si quis habens unum ordinarium confessarium, cui communia peccata levia confitetur, quoties vero aliquod grave commisit, alteri confiteatur ut id suo ordinario confessario occultet, non facit directe contra confessionis integritatem, nec per se loquendo peccat mortaliter : Navarra, contra Sylvestrum dicentem id esse peccatum mortale ob hypocrisim, et virtuale mendacium, etiamsi non faciat directe contra integritatem.

Probatur : Quia ille semper confitetur peccata, quæ non est confessus, ea autem quæ semel confessus est, non tenetur iterum confiteri ; neque etiam tenetur potius huic quam alii confiteri. Deinde in tali actu nulla invenitur gravis deformitas contra charitatem Dei aut proximi, nec fit contra aliquod grave præceptum ; nec ille mentitur, quia nihil dicit falsum, quamvis forte sinat alium decipi, neque omne mendacium in confessione est peccatum mortale. Dixi autem, *per se loquendo*, quia si ille ob hanc causam perseveraret in occasione morali peccandi mortaliter, quam occultaret suo ordinario confessario, tunc posset peccare mortaliter et contra confessionis integritatem.

Sect. II, III. — *An sit necesse ad integritatem confessionis explicare diversas peccatorum species, et circumstantias notabiliter aggravantes, quæ non mutant speciem.*

Dico 1 : Omissis speciebus physicis, necesse est ad confessionis integritatem distincte singulas morales peccatorum species aperire. Hic est enim universalis Ecclesiæ sensus, et antiquissima consuetudo, ut habetur ex conciliis Trullano, Wormatiensi, Florentino, Tridentino, ubi dicitur oportere omnia peccata sigillatim confiteri ; alioqui confessarius nec judicium de peccatis ferre, nec illorum curationem adhibere, prout par est, posset. Hinc ad eamdem integritatem etiam necesse est explicare in unoquoque peccato circumstantias mutantes speciem : v. gr. si quis furatus est, explicandum est an fuerit res sacra, an vero profana, quia in tali peccato reperiuntur plures malitiæ. Quocirca si quis oblitus fuit in confessione circumstantiam, quæ mutat speciem, tenetur postea illam confiteri vel cum repetitione confessionis peccati confessi, si non possit sine illo explicari ; secus vero, si possit sine illo. Actus autem exterior non est circumstantia, sed est ipsum peccatum, unum et idem cum interiori actu, quod totum explicari debet prout ex utroque est compositum ; item explicari debet, si intra eamdem speciem v. gr. furti, ex veniali transeat in mortale, v. gr. ob furti quantitatem.

Dico 2 : Quamvis satis communiter doctores sentiant peccati circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem non esse necessario confitendas, nempe D. Thomas, Paludanus, Durandus, Navarra, etc., contraria tamen sententia videtur verior ac probabilior per se loquendo, quam tenent Alensis, Marsilius, Cajetanus, Canus, etc. Colligitur ex variis conciliis et decretis, ubi ejusmodi circumstantiæ describuntur ut confitendæ. Et certe videntur hæ debere in confessione aperiri, ut possit confessarius peccati gravitatem cognoscere, et proportionatam pœnitentiam injungere, ac remedium adhibere ; hinc si non confiteantur, deerit aliquid confessionis integritati, quam concilia Florentinum et Tridentinum requirunt. Attamen hæ duæ sententiæ contrariæ sic aliquo modo conciliantur : quando circumstantia variat morale confessarii judicium, utraque docet illam esse confitendam, quia tunc, inquit prima sententia, mutat speciem ; se-

cunda autem dicit, quia mutat judicium, ac notabiliter aggravat.

Dico 3 : Quod attinet ad circumstantias notabiliter minuentes peccatum : 1° si hæ variant speciem, v. gr. si quis occiderit hominem, sed in sui justam defensionem ; si quis fecerit aliquid graviter prohibitum, sed sine deliberatione, seu ex subito motu ; si quis occiderit clericum, sed invincibiliter ignorabat esse clericum, etc., tunc in confessione aperiendæ sunt, quia si taceantur, graviter confessarius seu judex in tali causa decipitur et moraliter loquendo, falsum dicitur in re gravi. 2° Si illæ circumstantiæ minuant tantum peccatum intra eamdem speciem, tunc non videntur esse notabiliter minuentes, aut sufficientes ad multum variandum morale judicium confessarii : actus enim peccati habet aliquam latitudinem includentem has circumstantias, juxta quam confessarius potest ferre judicium ; adeoque non sunt confitendæ, imo per se loquendo non expedit eas confitéri, quia non ad accusationem, sed ad sui excusationem conducunt ; et si hoc cadat in gravamen pœnitentis, ipse cedere potest juri suo. Quando autem judicanda sit circumstantia esse notabiliter aggravans, non videtur id certa regula posse definiri, sed prudentis judicio esse relinquendum.

Sect. IV. — *Quomodo singulæ circumstantiæ possint esse de necessitate confessionis.*

Nota : Hæ septem vel octo circumstantiæ solent numerari : *quis, quid* vel *circa quid, cur, quomodo, quibus auxiliis, ubi , quando.* Itaque nunc de singulis.

1. *Quis.* Hæc circumstantia denotat qualitatem peccantis, quæ sæpe auget peccatum mutando speciem ; v. gr. si sit persona sacra, aut publica, mutabit speciem in sacrilegium, aut injustitiam ; intra autem eamdem speciem, raro ita aggravat ut necessario sit declaranda.

2. *Quid.* Hæc denotat vel quantitatem peccati, v. gr. quantum quis furatus sit, quantum nocuerit, etc., dumque hæc quantitas est notabilis, confitenda est ob restitutionem, satisfactionem, etc., vel qualitatem, v. gr. si quis sit furatus rem sacram. Circumstantia *circa quid* reducitur ad hanc circumstantiam *quid :* v. gr. si quis percussit clericum, vel laicum ; si furatus sit a divite, aut a paupere ; et tunc quia mutat speciem aut auget gravitatem, erit confitenda. Amissio virginitatis, si virgo libere consentit, non videtur necessario aperienda, nec mutare speciem, adeoque non est interroganda femina an fuerit virgo. In gradibus consanguinitatis et affinitatis, saltem quoad primum gradum, est circumstantia aperienda.

3. *Cur.* Hæc denotat finem extrinsecum, et electionem medii ad istum finem, v. gr. aliquis furatur ad fornicandum, it in agrum ad occidendum, etc., tunc est ista circumstantia mutans speciem, et confitenda ; secus, si quis utatur tactibus impudicis ad fornicandum ; sufficiet enim explicare solam fornicationem. Illi enim faciunt unum cum ea, qua explicata moraliter illi intelliguntur ; nisi essent extraordinarii et nimium impudici, qui non intelliguntur solo fornicationis actu nude explicato, tunc enim deberent aliquo modo explicari. Sic etiam erit explicandum, si quis proponat sibi quærendas divitias per quæcunque media, sive licita, sive illicita.

4. *Quomodo.* Hæc denotat modum peccati accidentalem, v. gr. si quis infamarit alium mentiendo, tunc clarum est id esse explicandum ; si quis postquam occidit hominem, ejus cadaver in frusta secuerit, cum iste actus exterior indicet notabilissimam interioris actus intensionem, explicanda est ista odii vehementia ; item si quis peccaverit ex scientia aut ignorantia in ordine ad censuras, si quis ex longa consuetudine et cum morali relapsus periculo confiteatur, confessarius debet scire pœnitentis statum, qui tenetur se aperire.

5. *Quibus auxiliis.* Hæc denotat concausam aut instrumentum quibus peccatum est. Instrumentum quo peccatur, non est necessario explicandum, nisi quando illius usus est vetitus sub mortali, aut continet particularem malitiam mortalem contra aliam virtutem, v. gr. contra religionem. Item pœnitens non tenetur explicare circumstantiam inductionis ad peccandum secum, quando persona, quam induxit, erat parata ad istud peccatum, etc.

6. *Ubi.* Hæc circumstantia raro auget notabiliter intra eamdem speciem , interdum autem mutat speciem, v. gr. locus sacer inducet sacrilegium; publicus, scandalum aut injustitiam contra alterius famam seu honorem. Non omnia peccata quæ fiunt in loco sacro, v. gr. desiderium aut fornicandi aut furandi extra ecclesiam, etc., contra hanc circumstantiam necessario in confessione explicandam, sed tantum ea quæ cum malitia mortali directe fiunt contra loci sanctitatem.

7. *Quando.* Hæc circumstantia denotat tempus in quo fit peccatum. Clarum est eam esse declarandam, dum ipsum tempus præscribitur ; v. gr. die festo audiendam missam. Duratio temporis in actu sive exteriori sive interiori non est necessario explicanda, nisi foret extraordinaria et valde notabilis ob actuum multitudinem. Circumstantia diei festi, in quo fit peccatum, v. gr. juramentum, furtum,etc., non est etiam necessario explicanda.

Item quando eodem die occurrunt duo præcepta, si sint ejusdem rationis v. gr. jejunium Quadragesimæ et vigiliæ sancti Mathiæ, violans istud jejunium, non committit duo peccata, adeoque non tenetur istam duplicis præcepti eo die occurrentis circumstantiam explicare ; secus vero si sint diversarum rationum, v. gr. præceptum Ecclesiæ, et obligatio voti.

Sect. V. — *An ad integritatem confessionis necesse sit peccatorum numerum distincte explicare.*

Dico 1 : Per se loquendo, necesse est peccatorum numerum distincte ac definite in confessione

declarare. Desumitur ex conciliis Lateranensi et Florentino dicentibus *omnia peccata* esse confitenda ; et ex Tridentino addente *sigillatim.*

Dico 2 : peccata mere interna in voluntate multiplicantur numero per interruptionem, et tunc tenetur homo omnem illorum numericam multitudinem eo modo, quo potest, confiteri ; si ergo illorum multitudinem declaret per modum unius moræ in peccando, non illa confitetur per modum unius peccati, sed per modum unius confusæ multitudinis in illa mora inclusæ, quæ nec aliter ab homine fieri solet, nec aliter ab homine cognosci aut explicari potest. Hinc quandiu voluntas perseverat in uno actu peccaminoso, unum tantum peccatum committit ; nec in uno et eodem instanti peccatum numero multiplicat.

Dico 3 : Quoad peccata in externam actionem prodeuntia, quando ita omnino interrumpuntur, ut a toto actu tam externo quam interno cessetur, et postea alius similis committatur, tunc multiplicantur, adeoque sigillatim confitenda sunt. Docent autem communiter doctores illud peccatum esse duntaxat unum, quod saltem in externo actu continuatur, licet interna cesset ac reiteretur voluntas, quia licet formalis voluntas cesset et interrumpatur, virtualis tamen semper continuatur ; deinde quia ex externo et interno actu consurgit actus unus humanus compositus quasi ex materia et forma, ideoque ratione unius actus externi quasi ratione unius materiæ, istud peccatum est tantum unum. Ut autem sit unum tantum peccatum, non requiritur physica ejusdem actionis exterioris continuatio, sed sufficit ut multæ actiones externæ, physice etiam diversæ, ad unum consummatum peccatum omnes ordinentur : v. gr. tactus impudici et oscula ad fornicationem, percussiones et vulnera ad homicidium ; quia omnes illæ voluntates, per quas actus externi complentur, tendunt et ordinantur ad unum opus consummandum, et ex illius intentione procedunt. Et quamvis in re et coram Deo possent fortasse tot esse peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis numero distincti, habentes distinctas ex objectis suis malis malitias intrinsecas, tamen in ordine ad confessionem tota illa multitudo sufficienter intelligitur explicato ultimo actu consummato , hoc enim ipso dicuntur media et alia opera quæ cum illo ordinarie conjuncta sunt. Unde colligitur duo homicidia aut duas fornicationes, quæ post unam consummatam, alia statim inchoatur, non esse unum solum peccatum, quia inter illa non est subordinatio et moralis compositio ; unum enim non ordinatur ad aliud, nec est pars illius, et sic nec unio nec unitas ex illis consurgit. Simili modo peccatum non restituendi aut detinendi rem alienam per aliquod tempus, potest intra illud multiplicari vel per interruptionem et iterationem voluntatis non restituendi, vel per externum usum rei alienæ, repugnantem alterius dominio. Quamvis dum quis voluit uno actu, v. gr. occidere tres homines, ista trium personarum circumstantia sit in confessione aperienda, non tamen videtur id provenire, ut vult Navarra, ex numerica plurium malitiarum distinctione, sed ex majori peccati gravitate : nam sicut bona voluntas dandi stipem tribus hominibus, aut actus charitatis, qua simul amat tres homines, non habet tres bonitates numero distinctas ; ita mala voluntas occidendi tres homines, non habet tres malitias numero distinctas, sed unam adæquatam, sive illæ sunt in isto actu per modum unius malitiæ.

Dico 4 : Quando pœnitens certo scit suorum peccatorum numerum, debet uno verbo illum dicere ; si illum certo non sciat, sed tantum sciat præter propter, tunc addat plus minusve; si autem nec possit præter propter scire illum, tunc sufficiet peccandi consuetudinem declarare, et tempus quo in illa perseveravit, ac modum frequentiæ per dies aut hebdomadas quoad fieri potest, quod facilius erit in actibus externis; in internis autem, dicendo se paratum fuisse ad committendum aut desiderandum istud peccatum, quoties illius occasio vel memoria occurrebat, aut aliquid simile.

Sect. VI, VII. — *An aliquando peccata confessa sint iterum confitenda.*

Dico 1 : Si confessio fuerit valida, clarum est peccata confessa non amplius necessarium esse illa confiteri ; si autem fuerit invalida sive ex defectu doloris aut integritatis, sive ex defectu formæ aut intentionis, etc., tunc peccatorum confessorum iteranda est confessio; et quidem si fiat alteri confessario tam distincte ac sigillatim facienda est, quam si nulla alia præcessisset. Si vero fiat eidem confessario qui sufficientem peccatorum confessorum memoriam adhuc retineat, non erit opus singula repetere, sed uno verbo omnia subjicere clavibus, defectum supplendo. Sicut si confessarius noverit extra confessionem peccata omnia pœnitentis, hic uno verbo poterit se accusare de omnibus quæ alter novit. Si autem confessarius peccatorum confessorum non recordetur, sed pœnitentiam imposuerit, tunc juxta Paludanum, Sylvestrum, Antonium, etc., non est necessaria peccatorum distincta repetitio : secus si nec pœnitentiam imposuerit, nec gravitatis peccatorum aut status conscientiæ pœnitentis secundum confusam aliquam rationem recordetur. Si tamen vel sic absolveret, valida foret absolutio, quamvis illicita.

Dico 2 : Si quis bona fide prius absolutus sit a peccatis quam a censura, non est iteranda confessio, sed petenda absolutio a censura. Similiter si quis inculpabiliter omisit peccatum in confessione, aut confessarius illud non satis percepit, istud peccatum postea declarandum est, non autem iteranda confessio. Item nec iteranda est confessio, quando pœnitens oblitus est pœnitentiæ impositæ. In confessione generali non tenetur quis omnia peccata jam rite confessa, licet gravia, repetere, maxime si dicat se nolle omnia exacte dicere ; imo etiamsi ab-

solute dicat se velle confessionem generalem facere, non tenetur sub gravi illa dicere, quia non decipit confessarium in re necessaria ad sacramenti validitatem. Denique non videtur posse imponi ab Ecclesia aut a superiore præceptum confitendi peccata jam rite confessa, nisi quis ad hoc per votum se obligarit, aut ratione status voluntarie assumpti sub ista conditione, v. gr. faciendi confessionem totius vitæ, aut unius anni, etc.

Sect. VIII.—*An sit necesse confiteri peccata venialia.*

Dico 1 : Veritas catholica est non esse necessarium confiteri peccata venialia, ut sit integra confessio : ita definit concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 5, et can. 7). Imo non potest Ecclesia obligare fideles ad ea sic confitenda, sive ob istum finem; quia Ecclesia non potest mutare materiam sacramenti, adeoque nec facere materiam necessariam, quæ juxta Christi institutionem non est necessaria. Multo minus potest obligare ad omnia venialia confitenda. Attamen

Dico 2 : Potest Ecclesia absolute præcipere usum hujus sacramenti, ita ut indifferenter omnes obliget ad illud recipiendum, sive habeant conscientiam peccatorum mortalium, sive venialium tantum. Probatur, quia tale præceptum nihil continet alienum ab institutione hujus sacramenti, nihilque tam difficile ut præcepti materiam excedat, est enim opus religionis, quod frequenter fit a fidelibus; nec tunc præcipitur confessio venialium tanquam materiæ necessariæ, et quamvis aliquis per votum possit se obligare ad confessionem venialium, non ideo potest ab alio obligari ; plura enim possunt sub votum cadere quam sub præceptum.

Sect. IX, X. — *An peccata dubia sint necessario confitenda ; et an mendacium confessioni immistum illam invalidet.*

Dico 1 : Peccata dubia mortalia necessario confitenda sunt, sed confitenda ut dubia et non ut certa, ne decipiatur confessarius in re gravi. Quale autem esse debeat dubium ut hæc obligatio oriatur, sic videtur dicendum : 1° Quando quis probabiliter judicat se peccasse mortaliter, aut nunquam tale peccatum mortale confessum fuisse, et de contrario nullum habet probabile judicium, tunc tenetur illud confiteri ; secus, si contra. 2° Si quis judicet probabiliter se non peccasse mortaliter, vel jam tale peccatum se confessum fuisse, licet in contrarium habeat etiam conjecturas probabiles, juxta Sylvestrum, potest se conformare priori judicio, ita ut non teneatur illud confiteri. 3° Quando habet probabiles rationes judicandi se peccasse, et non potest determinari ad ferendum probabile judicium pro altera parte, tunc juxta communem sententiam, tenetur illud confiteri : quia in dubiis tuta pars est eligenda confitendo dubium ut dubium.

Dico 2 : In confessione omnia quæ ad illam, aut ejus finem non pertinent, etiamsi vera, omittenda sunt, possetque in hoc peccari venialiter. Mentiri autem circa circumstantias quæ ad materiam confessionis non pertinent sive affirmando, sive negando, est peccatum veniale gravius quam esset simile mendacium extra confessionem. Deinde mentiri in materia, quæ non est confessioni necessaria, negando factum, v. gr. negando aliquod peccatum veniale, est etiam peccatum veniale ; imo affirmando aliquod peccatum veniale quod non commisit (modo non sit materia totalis istius confessionis, alioqui tunc nullum foret sacramentum, et confessio esset sacrilega et peccatum), secluso scandalo et contemptu, est etiam tantum peccatum veniale : Angelus, Sylvester, Navarra, etc., contra quosdam qui videntur dicere esse mortale. Probatur, quia est deceptio in re levi, et in materia sacramento non necessaria, et licet sit aliquod sacrilegium, materia tamen ejus levis.

Dico 3 : Mentiri in materia confessioni necessaria, nempe in peccato mortali, sive mendacio negativo negando se fecisse peccatum mortale quod fecit, seclusa ignorantia invincibili, est semper peccatum mortale, adeoque contra substantiam sacramenti. Est enim sacrilegium in materia gravi, et deceptio in materia sacramento necessaria.

Sect. XI. — *De examine conscientiæ ante confessionem necessario.*

Dico 1 : Certum est de necessitate confessionis oportere pœnitentem adhibere moralem diligentiam, ut integre confiteri possit, nempe dum quis habet peccata mortalia, in quibus requiritur integritas; omnia siquidem peccata mortalia oportet confiteri. Non tamen requiritur in omnibus eadem diligentia, sed ea adhibenda est, quæ moraliter sufficiat, spectata pœnitentis capacitate, peccandi consuetudine, diuturnitate temporis, etc. Hinc non tenetur pœnitens extraordinariam adhibere, v. gr. peccata scribendo dum ea recogitat, aut committit, ne obliviscatur.

Dico 2 : Confessarius potest interdum, aut etiam debet supplere ex parte defectum istius diligentiæ, interrogando pœnitentem.

DISPUTATIO VICESIMA TERTIA.

De formali confessionis integritate, ejusque defectu.

Sect. I. — *An in mortis periculo sufficiat confessio formaliter integra.*

Nota : Confessio formaliter integra est illa in qua ob justam causam non dicuntur omnia peccata.

Dico 1 : Si mors pœnitenti immineat, aut ipsi confessario, nec alius adsit confessarius; si commune naufragium instet, si timeatur grave contagium aut mors in audienda longa confessione, tunc vera necessitate interveniente potest dari absolutio ante consummatam confessionem materialiter, sufficietque ea peccata dicere quæ pro temporis opportunitate, et juxta periculi qualitatem dici potuerint, et in specie quidem si possint dici. Si autem statim non sequatur mors, continuetur confessio donec integre fiat si tempus sinat, et iterum detur absolutio.

Dico 2 : Quando moribundus jam loqui non potest et dat signa contritionis, quibus cupit a suis peccatis absolvi, juxta probabiliorem ac practice securam sententiam absolvendus est. Ista enim signa sunt vera in hoc foro sacramentali accusatio, quibus datur confessario specialis notitia quam prius non habebat, nempe istum moribundum peccasse et dolere de suis peccatis : quia ejusmodi accusatio, sive dicenda sit generalis, sive particularis, in tali casu, est sufficiens sacramenti materia. Licet enim ista materia remota (id est peccata), sit generalis, proxima tamen, id est confessio circa quam immediate versatur absolutio, est particularis. Insuper

Dico 3 : Quando infirmus petiit confessionem, et in absentia confessarii signa contritionis exhibuit in ordine ad claves seu confessionem, superveniens postea confessarius qui nihil potest ab illo jam sensibus destituto percipere, si de petitione confessionis et de signis exhibitis sufficiens habeat testimonium, potest imo et practice debet illum absolvere, concepta conditione quæ semper subintelligitur : *quantum possum*, vel *si materia est sufficiens*. Sic enim sacramentum nulli injuriæ periculo exponitur.

Sect. II, III, IV. — *De omissione peccati mortalis in confessione ob periculum gravis damni, vel ob oblivionem, aut ignorantiam.*

Dico 1 : Non tenetur homo confiteri aliquod peccatum cum morali periculo alicujus gravis nocumenti sive proprii, sive alieni. Præcepta enim positiva non obligant cum tanto dispendio proprio aut proximi, et cum tanto periculo. Ut autem possit sic omitti peccatum in confessione, debet esse justa causa hic et nunc eam faciendi et non differendi, nempe necessitas, vel magna utilitas : 1° necessitas articuli mortis ; 2° necessitas servandi præceptum annuæ confessionis, tuncque non tantum posse, sed etiam debere fieri talis confessio videtur ; 3° necessitas suscipiendi Eucharistiam, aut dicendi missam, quando sine gravi scandalo aut alio incommodo omitti non potest ; 4° necessitas vitandi infamiam propriam, vel aliud ejusmodi incommodum ; 5° magna utilitas, quam per se affert hoc sacramentum, et frequens ejus usus auget. Unde si longo tempore esset differendum, consultius erit sic confiteri ; licet non sit sub obligatione. Quando autem quis sic confessus est, tenetur postea istud peccatum in confessione omissum confiteri ; non tamen quam primum potest, seu quam primum occurret confitendi opportunitas, ut vult Sotus sine fundamento sufficienti.

Dico 2 : Quamvis in confessione omittatur aliquod peccatum mortale, non tantum ex inculpabili omnino, sed etiam ex venialiter culpabili sive oblivione sive ignorantia, valida est tamen etiam quoad effectum sanctificationis confessio, nec est repetenda ; secus vero, si omittatur ex mortaliter culpabili, quia tunc deest formalis integritas. Si ista moraliter culpabilis oblivio aut ignorantia non fuerit crassa ac supina, volunt Sotus, Canus, et Victoria eam integritatem formalem sufficere ad valorem sacramenti, non ad effectum sanctificationis. Sed hoc negatur ac rejicitur ; omnis enim confessio ex parte integritatis sufficiens ad valorem sacramenti, etiam sufficit ex hoc capite ad ejus effectum, si aliunde sufficiens dolor non desit ; ac proinde nulla datur confessio valida in ratione sacramenti, et informis quoad ejus effectum ob defectum integritatis (Navarra, Medina, etc.), quia omnis oblivio aut ignorantia mortaliter culpabilis, sive communis, sive crassa, aut supina, est semper contra sacramenti substantiam, illudque invalidat.

DISPUTATIO VICESIMA QUARTA.

De ministro sacramenti pœnitentiæ in communi.

Sect. I, II. — *An solus, et omnis sacerdos sit minister hujus sacramenti.*

Dico 1 : Solus sacerdos est minister hujus sacramenti : de fide contra Wiclefum et Lutherum, dicentes laicum etiam posse esse ministrum hujus confessionis, maxime si sit justus ; utpote qui negant in hoc sacramento dari gratiam et peccatorum remissionem, volentes esse tantum nudum ministerium et externum signum ad excitandam fidem adhibitum. Probatur, quia id definitum est in conciliis Florentino, Tridentino, Constantiensi, etc. ; et ex Joan, xx, 22, 23, ubi Christus ad solos apostolos eorumque successores hæc verba dirigit : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Atque ex perpetuo Ecclesiæ usu, traditione, ac consuetudine, ac denique veterum Patrum testimoniis, Hieronymi, Chrysostomi, Cypriani, Ambrosii, etc. Dum dicitur Jac. v, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra*, vel ibi non agitur de confessione sacramentali, sed de alia quæ fiebat ad sui humiliationem, aut ad consilium petendum ; vel si de sacramentali agitur, sensus est homines non tantum Deo, sed etiam hominibus ad id deputatis, seu sacerdotibus debere confiteri peccata sua.

Dico 2 : Non requiritur necessario, ut sacerdos sit bonus et justus ad administrandum hoc sacramentum ; malus et iniquus potest esse sufficiens ejus minister : de fide, in conciliio Tridentino (sess. 14, can. 10) ; quia hoc ministerium non fundatur in sanctitate ministri, sed in potestate illi a Christo data. Deinde sacerdos solus est ita hujus sacramenti minister, ut nullus alius sive in necessitate sive ex dispensatione possit sufficere ; idque habetur ex Christi institutione. Dum in cap. *Fures*, dicitur : *Si fur presbytero vel diacono confessus fuerit, communione non privetur*, sensus est : si confessus fuerit sacerdoti, vel diacono ostenderit signa contritionis, seque bene esse dispositum per confessionem non sacramentalem, non deneget ei communionem. Deinde istud caput videtur mendosum, quia in concilio Triburiensi (can. 13) ex quo desumptum est loco *vel diacono*, habentur hæc verba : *Deoque et sacerdoti*. Hinc in articulo mortis confessio facta laico,

nec sacramentalis, nec necessaria est, nec consulitur nisi forte ad petendum consilium et auxilium.

Dico 3 : Non omnis sacerdos est sufficiens minister ad conficiendum valide hoc sacramentum circa necessariam ejus materiam ; idque non tantum per accidens ob indispositionem pœnitentis, sed per se ob defectum rei necessariæ ex parte ipsius ministri : D. Thomas, Paludanus, Scotus, Navarra, Cajetanus, etc., contra Armacanum, etc., dicentes omnes sacerdotes jure divino ex vi suæ ordinationis esse sufficientes hujus sacramenti ministros, ita ut quamvis possit Ecclesia aliquibus prohibere ne hoc sacramentum administrent, non possit tamen efficere quin eorum absolutio sit valida quantum est ex parte ipsorum, si ex parte pœnitentis omnia necessaria concurrant, maxime si sit spontanea confessio, non ex præcepto. Probatur, quia concilium Tridentinum (sess. 14), dicit absolutionem datam a sacerdote *qui nec ordinariam nec delegatam jurisdictionem habet*, esse nullius momenti, seu nullam; ergo supponit esse aliquos sacerdotes qui nullam in hoc foro habent jurisdictionem. Unde colligitur validitatem hujus sacramenti pendere ex concessione vel prohibitione Ecclesiæ ; quod est singulare huic sacramento præ cæteris.

DISPUTATIO VICESIMA QUINTA.

De ministro hujus sacramenti habente ordinariam potestatem.

Sect. I, II. — *De ministris ordinariis hujus sacramenti respectu omnium et singulorum fidelium, ac de ministro ordinario seu proprio respectu singulorum fidelium.*

Dico 1 : Summus pontifex habet jurisdictionem ordinariam omnibus aliis eminentiorem : eam enim habet immediate a Christo, independentem ab alio, universalissimam quoad loca, personas, culpas, modum utendi illa vel per se, vel per alios : *Pasce oves meas* (*Joan.* xxi, 17).

Dico 2 : Quoad episcoporum ordinariam jurisdictionem hæc sunt certa : 1° Episcopalis potestas est a Christo ipso instituta, adeoque divino jure introducta, et non ab hominibus. 2° Nulla jurisdictio spiritualis, præsertim ad forum pœnitentiæ pertinens, cum dignitate seu potestate ordinis episcopalis necessario conjuncta est. Dantur enim simplices episcopi, qui nullam habent Ecclesiam sibi commissam, adeoque nullam jurisdictionem. Item dantur abbates qui habent jurisdictionem episcopalem, licet non sint episcopi. 3° Jurisdictio episcopalis saltem in communi, fuit a Christo instituta ac præcepta ; id est, Christus instituit ut Petrus et Petri successores Ecclesiam per episcopos gubernarent, non tanquam per vicarios, sed tanquam per proprios animarum pastores, ad quos veluti jure suo et quasi ex proprio munere pertineret cura ovium ; et sic eos in partem sollicitudinis assumerent ; Christus enim instituit perfectam in sua Ecclesia monarchiam. 4° Ordinaria jurisdictio in hoc foro intrinsece et quasi ex natura rei conjuncta est cum munere episcopali. Episcopus enim ex vi sui officii est pastor et rector animarum. Hoc tamen pastorale et episcopale munus habet per summum pontificem seu dependenter ab illo ; quia ipse est qui creat episcopos, dat illis certæ Ecclesiæ gubernationem, certum illius districtum, aliquam jurisdictionis extensionem vel limitationem ad plures vel pauciores effectus, v. g., ad dispensationes in votis, impedimentis, etc., ad absolvendum a censuris, ad dandas indulgentias, ad absolvendum a peccatis reservatis. Unde

Dico 3 : Jurisdictio non datur episcopis immediate a Christo, sed per summum pontificem, et in hoc sensu non eam habent divino, sed humano jure : D. Thomas, Cajetanus, Medina, etc., contra Castrum, Victoriam, Majorem, etc. Probatur, quia non habent illam jurisdictionem ex vi consecrationis, sed ex vi muneris sui ; munus autem habent a summo pontifice juxta illius institutionem et modum ; ergo etc. Apostoli quidem immediate a Christo suam jurisdictionem acceperunt tanquam speciales delegati in totum mundum ; sed episcopi non successerunt apostolis quoad istam personalem delegationem seu apostolatus dignitatem, sed tantum quoad ordinariam episcopatus jurisdictionem. Archiepiscopus non habet ordinariam jurisdictionem in diœcesibus suffraganeorum, nisi in actuali visitatione. Vicarii episcoporum, abbates generales et provinciales religionum, etc. habent etiam suam jurisdictionem ordinariam.

Dico 4 : Parochi sunt etiam judices ordinarii in hoc pœnitentiæ foro, imo Major et Sotus contendunt eos habere immediate a Christo suam jurisdictionem, sive ex jure divino. Quod certe longe minus probabile est quam de episcopis, ut alii theologi docent.

Dico 5 : Jurisdictio episcopi et parochi terminatur personis, non locabilibus diœcesis aut parochiæ terminis. Unde episcopus potest absolvere subditum suum, si cum illo simul versetur extra suam diœcesim, vel dare illi facultatem eligendi confessarium, ubicunque exstiterit. Item si subditus hujus diœcesis in alia peccavit, nec debet nec potest per se loquendo, absolvi ab episcopo aut ministris ordinariis istius loci in quo peccavit, sed a suo episcopo aut parocho, aut ex ejus licentia.

Dico 6 : In unaquaque parochia parochus est proprius sacerdos omnium, qui intra illius terminos degunt, sive laici, sive sacerdotes sint, nempe per se loquendo, et seclusis privilegiis. Unde dum quis habet plura domicilia in diversis Ecclesiis, in quibus per distincta anni tempora habitat, potest confiteri ei, cui voluerit, ex duobus parochis, sub quibus habet domicilia. Item qui in uno loco habent domicilium, in alio quasi domicilium, id est, habitationem diuturnam pro aliquo anni tempore, quamvis non fixam, v. gr., scholastici, milites, litigantes, mercatores in alienis oppidis commorantes, etiam per illud quasi domicilium subjiciuntur ordinariis parochis illorum locorum in quibus habitant. Vagi autem nullum ha-

bentes domicilium, debent confiteri parocho illorum locorum in cujus parochia inveniuntur ; secus peregrini, qui alibi retinent suum domicilium nisi forte ex tacito parochi consensu ; aut nisi confiteantur habentibus delegatam vel ab episcopo loci vel a papa jurisdictionem. Denique proprius sacerdos parochorum est episcopus, episcoporum et cardinalium est papa, familiæ cardinalitiæ proprius sacerdos est cardinalis pontificiæ pontifex, religiosorum religiosus superior uti et monialium exemptarum, non exemptarum est episcopus, etc.

DISPUTATIO VICESIMA SEXTA.

De sacramenti hujus ministro habente delegatam potestatem.

Sect. I. — *Quibus competat hanc concedere jurisdictionem, et quæ sit forma delegandi.*

Dico 1 : Hæc jurisdictio delegata, potest committi alicui, vel ut ipsemet illa utatur, vel ut aliis eam committat, seu subdeleget. Omnes autem qui habent ordinariam jurisdictionem possunt etiam delegare : papa cuilibet personæ, pro quolibet loco, et pro quibuscunque peccatis ; episcopus, pro suo episcopatu, et pro quibuslibet peccatis, quæ non sunt papæ reservata ; parochus, pro sua parochia. Sub his tribus personis comprehenduntur summus papæ pœnitentiarius, episcopi vicarius, parochi vicarius perpetuus. Hinc

Dico 2 : De fide certum est posse summum pontificem concedere cuicunque fideli facultatem confitendi alteri absque ulla alia sui episcopi vel parochi licentia. Probatur ex multis decretis, usu, traditione, et suprema papæ jurisdictione. Idem dic cum proportione de episcopo respectu parochi. Papa enim et episcopus potest per se audire cujuscunque subditi confessiones sine licentia alterius pastoris inferioris ; ergo et per delegatam. Unde quando papa (et idem est de episcopo proportionaliter) absolute et expresse dat facultatem alicui ad audiendas confessiones, id sufficit ad jurisdictionem delegandam nulla exspectata inferioris sacerdotis proprii licentia, etiamsi hæc in tali privilegio seu facultate non exprimatur, dummodo non apponatur talis conditio. (D. Thomas, Durandus, Paludanus, Sylvester, etc.) Derogatur quidem aliquo modo juri communi, sed hoc est intrinsecum omni privilegio, nec est proprie in alterius præjudicium. Parochus itaque non potest suum parochianum prohibere ut non confiteatur religioso habenti privilegium ad audiendas confessiones, vel alteri sacerdoti ab episcopo jurisdictionem habenti, quia hæc facultas est quasi relativa ; et si uni datur ad audiendas confessiones, simul alteri datur ad confitendum.

Dico 3 : Nulla forma specialis requiritur, ut quis suam potestatem deleget, sufficit ut suam voluntatem sufficienter explicet sive verbis, sive signis, sive scripto ; quia nec ex natura rei, nec ex speciali jure positivo aliud requiritur. Ad hujusmodi autem delegationem habendam non sufficit futura ratihabitio, in præsenti probabiliter præsumpta : sacramentum enim non potest pendere ex futuro eventu ; et quia ratihabitio proprie respicit præteritum. Ad hanc igitur delegationem necessarius est præsens consensus superioris delegantis sufficienter manifestatus, aut in necessitate sufficienter existimatus. Ratihabitio solet tantum esse in iis quæ a principio fuerunt valida substantialiter, aut in contractibus dependentibus a futuro eventu.

Sect. II, III. — *Quibus competat hæc jurisdictio delegata in foro pœnitentiæ ; et quandiu perseveret.*

Dico 1 : Hæc jurisdictio delegata nec ex jure nec ex consuetudine ulli competit, nisi improprie iis qui ex jure habent facultatem eligendi confessarium, et omni sacerdoti in articulo mortis. Per privilegia autem perpetua conceditur religiosis Mendicantibus, per quæ non tantum valide absolvunt pœnitentes a peccatis, sed etiam ab onere iterum confitendi. Nec obstat quod in cap. *Omnes utriusque sexus*, jubeantur fideles omnia sua peccata semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quia licet ibi per proprium sacerdotem intelligeretur parochus, non tamen excluditur ejus superior, papa et episcopus, et is qui de ejus licentia audit confessiones.

Dico 2 : Hæc jurisdictio delegata potest revocari a delegante ; et si data sit ad præfixum tempus, pro illo durat, quo finito cessat. Si autem data sit indefinite absque temporis limitatione, tandiu durat quandiu non revocatur. Difficultas est an sic concessa duret post mortem aut mutationem delegantis ; sed dico posse summum pontificem delegare hanc jurisdictionem perpetuam, ita ut duret post ejus mortem donec a successore revocetur. Hinc privilegia pontificia, in quibus hæc jurisdictio religiosis conceditur, sunt perpetua, uti et aliæ ejusmodi concessiones ; quia jura quæ statuunt, ut jurisdictio delegata etiam a summo pontifice, si causa non est inchoata, censeatur exstingui per mortem concedentis, loquuntur tantum de jurisdictione fori contentiosi, non pœnitentiæ fori, quod est magis forum gratiæ quam justitiæ. Ergo delegatio et duratio hujus jurisdictionis mensuranda est per regulam gratiæ et favoris, de quibus regula juris est, non exspirare per mortem concedentis (cap. *Si super gratia*, De offic. deleg. in 6 ; et cap, *Si cui*, De præbendis in 6). Quinimo probabiliter, juxta Navarram, etiam episcopus potest delegare jurisdictionem perpetuam, ita ut ejus morte aut mutatione non exspiret. Idem quoque cum proportione dic de parocho.

Sect. IV, V. — *De jurisdictione delegata ad dandam absolutionem in articulo mortis, et a venialibus peccatis.*

Dico 1 : Quilibet sacerdos in articulo mortis, si vera adsit necessitas, habet jurisdictionem ad valide et licite administrandum hoc pœnitentiæ sacramentum. Habetur ex concilio Tridentino (sess. 14, cap. 7), et ex antiqua traditione. Per articulum mortis intelligitur morale illius periculum, v. gr. actuale prælium, partus mulieris, etc. : Navarra,

Paludanus, Sylvester, etc., contra Sotum, Canum et Covarruviam, volentes mortis moraliter certæ periculum. Ista autem necessitas sumenda est ex parte sacerdotis, ita ut non sit alius, ad quem ex officio vel delegatione tale munus pertineat. Si ergo adsit parochus, vel alius habens debitam jurisdictionem, non potest simplex sacerdos absolvere, quia non est necessitas comparatione illius. Dixi *quilibet sacerdos*, quia etiam hæreticus, degradatus, nominatim excommunicatus, probabilius tunc potest absolvere : nam concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 7) dicit : *Quilibet pœnitens, a quibusvis peccatis, a quocunque sacerdote*, nempe potest absolvi. Illa autem jurisdictio quam in mortis articulo habent omnes sacerdotes, non est ex jure divino, ut volunt Durandus, Paludanus, Capreolus, etc., sed ex humano seu ecclesiastico, ut verius censent D. Thomas, Bonaventura, Major, etc. Si enim esset de jure divino, omnes sacerdotes in isto articulo essent pares, nec unus posset privari ista jurisdictione, licet alterius sacerdotis copia esset. Unde illa jurisdictio non est ordinaria, sed delegata, et verisimile est eam cœpisse ab ipso Petro, et per tacitam pontificum consensionem ac concessionem prius continuatam, postea per expressam fuisse in ipso jure appositam, v. gr. in cap. *De cætero*, in cap. *Ea noscitur*, De sentent. excomm., ac proinde est ex se perpetua, utpote a summis pontificibus facta, ideoque a nullo inferiori tolli aut limitari potest ; imo nec moraliter ab ipso papa, quia esset intolerabilis error.

Dico 2 : Quoad jurisdictionem ad absolvendum a peccatis venialibus, communis fuit sententia, quam Pater Suarez hic supponit, quemlibet sacerdotem posse ab illis absolvere; sed nunc exstat decretum Innocentii XI, datum anno 1679, quo injungit episcopis *ne permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti, non approbato ab episcopo aut ordinario.* Et certe id antea non competebat sine aliqua tacita jurisdictione delegata ab Ecclesia in omnes Christi fideles respectu venialium. Idem pene dic de jurisdictione ad absolvendum a mortalibus jam confessis.

Sect. VI. — *An liceat hoc sacramentum ministrare cum dubia tantum vel probabili jurisdictione delegata.*

Dico 1 : Qui dubitat dubio proprie dicto, seu negativo circa suam jurisdictionem, id est, qui in neutram partem potest determinari per judicium positivum ac probabile, is non potest ministrare hoc sacramentum, nisi in evidenti necessitate, absolvendo sub conditione et cum onere iterum confitendi ista peccata, habenti certam jurisdictionem, data opportunitate : v. gr. si necessario esset recipienda Eucharistia, et aliter non posset fieri confessio.

Dico 2 : Qui dubitat dubio improprie dicto, id est, qui determinate fert judicium probabile, sed incertum et cum formidine, tunc ad administrandum istud sacramentum, per se loquendo, eligat id quod est probabilius et tutius. Dixi *per se loquendo*, quia si aliqua gravis causa interveniret, posset interdum aliter fieri.

DISPUTATIO VICESIMA SEPTIMA.

De facultate eligendi confessarium.

Sect. I, II, III. — *Quis possit dare facultatem eligendi confessarium ; et quibus a jure, aut a consuetudine concessa sit facultas eligendi confessarium.*

Dico 1 : Omnis ille, qui habet jurisdictionem ordinariam in hoc foro, respectu aliquorum fidelium, nempe papa respectu omnium fidelium, episcopus respectu suorum diœcesanorum, parochus respectu suorum parochianorum, potest illis concedere facultatem eligendi confessarium ; modo hic habeat conditiones requisitas ad suam ei jurisdictionem delegandam. Hinc pastor excommunicatus aut suspensus non potest valide dare alicui istam facultatem (Sylvester, Sotus, Victoria, contra Paludanum et Antoninum) : quia ille habet suspensum jurisdictionis usum, adeoque omnis jurisdictionis actus ab eo factus, est invalidus. Non est autem necessaria specialis causa, ut hæc facultas concedatur.

Dico 2 : Solus papa ex jure divino habet potestatem eligendi confessarium ; sed licet ejus potestas sit ex jure divino, jurisdictio tamen quæ tunc in confessarium transfertur, habetur ab ipso papa. Deinde archiepiscopi, primates, patriarchæ, episcopi, sive confirmati tantum, et nondum consecrati, sive consecrati tantum et nondum habentes episcopatum, ex jure ecclesiastico habent facultatem eligendi sibi confessarium ; non tamen electi tantum, et nondum confirmati. Eodem privilegio videntur gaudere cardinales : ita Angelus et Sylvester, contra Paludanum et Sotum. Item gaudent hoc privilegio prælati exempti, v. gr. aliqui superiores religionum, et probabilius prælati curiæ Romanæ, habentes tantum in foro externo, non interno, jurisdictionem ecclesiasticam. Ista juris privilegia habentur in cap. ult. *De pœnit. et remission.* Hæc autem facultas eligendi sibi confessarium, non exspirat, seu non finitur uno actu; sed qui eam habet, potest pro suo arbitrio eligere plures confessarios, vel sæpe eumdem (Paludanus, Antoninus, Navarra).

Dico 3 : Quod attinet ad cap. *Placuit* 9, quæst. 2 *De pœnit.*, dist. 6, ubi videtur concedi cuilibet fideli facultas eligendi confessarium, si proprius sit ignorans, vide hic varias ejus explicationes apud Patrem Suarez, censentem ejusmodi universalem facultatem nec esse, nec unquam fuisse in Ecclesiæ usu.

Dico 4 : Si constet consuetudinem eligendi confessarium pro aliquibus personis esse introductam, et videntibus ac tacentibus ordinariis pastoribus bona fide exerceri, illa sufficit ut pœnitentes secure possint ista facultate uti ; nam parochi ea utuntur sine speciali episcoporum licentia, qui cum non habeant eam a jure, ergo a consuetudine. Idem

videtur dicendum de simplicibus sacerdotibus, et de quibusdam aliis personis in dignitate constitutis. Attamen hæc facultas non tam datur per ipsam consuetudinem, quam per eam significatur data fuisse a pastoribus et nunquam revocata, sed quasi per tacitum eorum consensum perpetuo durare : ideo in cap. 2 *De pœnit. et remiss.*, dicitur nulla consuetudine introduci posse ut aliquis valeat sibi eligere confessarium sine licentia proprii sacerdotis ; id est, consuetudo per se sumpta, et vi sua non potest dare illam facultatem, sed potest esse sufficiens signum facultatis concessæ a pastoribus, et perseverantis per eorum tacitum consensum ; unde ab illis, non obstante consuetudine, potest semper revocari.

Sect. IV. — *Qualis debeat esse facultas eligendi confessarium ab homine concessa.*

Dico 1 : Ista facultas extenditur ad peccata sive venialia sive mortalia, in quæ delegans habet jurisdictionem ; non tamen ad ea quæ sibi specialiter reservavit, nisi id in particulari exprimatur. Hinc episcopi ex vi illius facultatis non possunt a peccatis papæ reservatis absolvere, uti nec is cui papa generalem concedit similem facultatem ; imo nec a peccatis episcopo reservatis, quia per ejusmodi generalem concessionem non videtur velle episcoporum juri præjudicare, seu derogare. Denique ista facultas se extendit ad absolutionem a peccatis, et ad ea quæ cum illa connexa sunt, v. gr. ad absolutionem ab excommunicatione majore, quatenus ejus absolutio necessaria est ad absolutionem a peccatis, non vero ad dispensationem in votis, etc.

Dico 2 : Quando hæc facultas datur indefinite et sine limitatione, clarum est non finiri uno actu ; secus, si detur ad unum actum : et probabilius non finitur per mortem concedentis, quia non tanquam delegatio, sed tanquam gratia judicanda est : ita Navarra contra Paludanum et Sylvestrum. Cessaret tamen si data tantum fuisset cum hac clausula : *Usque ad beneplacitum nostrum ;* secus vero, si cum hac : *Usque ad beneplacitum sedis nostræ*, sedes enim non moritur, etc.

Dico 3 : Non sufficit facultas interpretativa, seu præsumpta, nisi præsumptio fundetur in aliquibus signis, quæ sufficienter ac moraliter indicent præsentem superioris voluntatem concedendi hanc facultatem ; debet enim haberi actualiter delegata jurisdictio. Unde facultas petita et non obtenta, est insufficiens ut hoc sacramentum fiat, non potest enim fieri valide sine jurisdictione : sola autem facultatis petitio non confert jurisdictionem, adeoque si hæc non possit obtineri ab immediato, debet obtineri a mediato superiore ad hoc sacramentum valide conficiendum.

DISPUTATIO VICESIMA OCTAVA.

De confessarii idoneitate.

Sect. I, II. — *An in confessario requiratur bonitas et scientia, ut sit idoneus ad hoc ministerium.*

Dico 1 : Ut confessarius licite administret hoc sacramentum, debet esse in statu gratiæ, et quidem per se loquendo, in initio confessionis, quia totum istud ministerium est opus sacramenti : sed ut valide tantum illud administret, nulla in eo requiritur specialis bonitas aut sanctitas ; requiritur tamen ut eligens possit sine culpa delegare ei jurisdictionem, alioqui si eam deleget indigno ac peccatori noto participando cum illius peccata, sacramentum erit invalidum, non ex defectu jurisdictionis delegatæ, sed ex defectu dispositionis in eligente necessariæ : nisi forte electus ille confessarius esset nominatim excommunicatus, adeoque privatus usu jurisdictionis, et incapax novæ recipiendæ, tunc enim etiam invalidum esset ex defectu jurisdictionis. Secus vero si tantum esset excommunicatus toleratus, ac proinde non omnino privatus jurisdictione, nec ejus incapax si illi delegetur, aut si in confessarium eligatur. Imo hic interdum sine culpa ac licite eligi posset, ut in seq. tomo fusius dicetur.

Dico 2 : Ut confessarius licite administret hoc sacramentum, debet habere eam scientiam qua possit practice discernere peccatum mortale a veniali : debet nosse species peccatorum, et circumstantias necessario confitendas, requisitam pœnitentis dispositionem, casus reservatos, excommunicationes, quæ ipso facto incurruntur, quando ex peccato oriatur obligatio restitutionis, etc., non semper tamen oportet, ut hæc omnia possit per seipsum discernere, sed satis est ut ea quæ frequentius accidunt, intelligat, et de aliis dubitare sciat, ad consulendum libros, vel viros doctos, ut sciat quid fieri oporteat. Deinde juxta loca et personas diversa requiritur scientia in confessario, in quo maxime prudentia debet prævalere. Hinc sequitur : 1° graviter peccare sacerdotem qui scienter se ingerit huic ministerio sine sufficienti scientia, nisi in extrema necessitate ; uti et graviter peccare episcopum qui ejusmodi sacerdoti suam jurisdictionem committit in hoc foro ; 2° graviter peccare pœnitentem qui scienter eligit confessarium ignorantem respectu ipsius ; et si proprius parochus sit, petat licentiam ad alteri confitendum. Attamen

Dico 3 : Ejusmodi scientia non est de essentia sacramenti ; si quis enim bona fide cum sufficienti dispositione confiteatur tali sacerdoti ignoranti, probabilius absolutio erit valida. (Gabriel, Adrianus, Medina, etc.) Absolvens enim satis cognoscit id quod pœnitens confitetur, esse sufficientem sacramenti materiam ; adeoque peccata confessa fuerunt absolute condonata, ita ut non teneatur amplius pœnitens denuo illa confiteri. Si autem pœnitens confitendo animadvertat certo confessarium putare culpam esse venialem, quam pœnitens clare scit fuisse mortalem, debet aperte illi declarare suam culpam fuisse mortalem, ut recte ac juste judicet.

Sect. III, IV. — *De idoneitate confessarii juxta jus antiquum, et juxta jus novum concilii Tridentini.*

Dico 1 : Parochus ante concilium Tridentinum,

juxta jus commune, poterat et valide et licite suam jurisdictionem committere cuicunque sacerdoti, qui secundum jus naturale seu divinum idoneus esset ad hoc sacramentum administrandum, etiamsi aliam jurisdictionem, vel episcopi approbationem non haberet : ita communiter theologi Paludanus, Gabriel, Cajetanus, Navarra, etc., contra quosdam antiquos. Similiter stando in jure antiquo per generalem facultatem datam ad eligendum confessarium quilibet sacerdos jure divino idoneus poterat eligi absque ulla conditione aut approbatione jure humano requisita. Sed

Dico 2 : Post decretum concilii Tridentini (sess. 23, cap. 15), non sufficit ut sacerdos, cui deleganda est in hoc foro jurisdictio, habeat omnia ex jure divino seu naturali requisita ad hoc ministerium peragendum, sed etiam requiritur ad audiendas sæcularium (non regularium) confessiones, ut etiam habeat vel beneficium parochiale, sive ut sit parochus; vel ut habeat approbationem ab episcopo. Adeoque omnis sacerdos qui non est parochus, etiam licentiati ac doctores in theologia, imo et cardinales aut episcopi consecrati nullum verum habentes episcopatum, non possunt audire confessiones sæcularium etiam sacerdotum, sine approbatione episcopi. Cum autem concilium tantum dicat *confessiones sæcularium etiam sacerdotum*, nihil immutatum est circa confessiones regularium, sub quo nomine regularium, etiam religiosæ feminæ comprehenduntur. Hinc superior regularium potest ad audiendas suorum subditorum confessiones, exponere sacerdotem ab episcopo non approbatum; et religiosus si habeat facultatem eligendi sibi confessarium, potest eligere quem sibi idoneum judicarit, quamvis non sit ab episcopo approbatus.

Dico 3 : Juxta hoc concilii decretum, prælati episcopis inferiores, nullam habentes jurisdictionem episcopalem, non possunt eligere sibi confessarium, nisi approbatum ab episcopo; episcopus vero si velit sibi subditum eligere, potest eum approbare : si autem non subditum eligat, debet eligere approbatum ab episcopo, cui est subjectus.

Deinde quamvis papa delegando suam jurisdictionem, absolute posset eam communicare cuilibet sacerdoti, non servata hac concilii forma, tamen intelligitur eam communicare juxta hanc concilii formam, si nihil aliter exprimat. Sic privilegia a pontificibus concessa religiosis audiendi confessiones, intelliguntur data sub conditione approbationis ab episcopo. Idem dic de facultate eligendi confessarium a papa data, nempe ab episcopo approbatum, uti et de data facultate ab episcopo. Item parochus potest tantum delegare suam jurisdictionem vel aliis parochis, vel sacerdotibus ab episcopo approbatis.

Dico 4 : Hæc approbatio non tantum est necessaria necessitate præcepti, sed etiam sacramenti, ita ut absolutio data a sacerdote non approbato sive per episcopum sive per beneficium parochiale, sit invalida et nulla. Is, qui habet beneficium parochiale, censetur approbatus pro tota Ecclesia, seu pro quocunque loco, ita ut ubique sit proxime capax jurisdictionis, si illi conferatur ab eo qui potest delegare vel mediante bulla, vel simili privilegio eligendi confessarium. Secus vero, si jam non amplius habeat beneficium parochiale, etiamsi ante habuerit, quia concilium expresse dicit : *Nisi parochiale beneficium habeat.* Sub nomine habentis *parochiale* beneficium, comprehenduntur non solum episcopi, sed etiam aliqui abbates, archidiaconi, archipresbyteri, etc., quorum beneficia habent ordinariam in hoc foro jurisdictionem, seu annexam animarum curam.

Dico 5 : Approbatio episcopi non est delegatio jurisdictionis, sed aliquid prævium ad illam, sive authenticum testimonium de sufficientia talis sacerdotis ad audiendas confessiones. Religiosi ergo, quamvis indigeant episcopi approbatione, non tamen ab eo accipiunt jurisdictionem, sed a papa per sua privilegia; sic etiam eam accipit a papa confessarius approbatus, qui eligitur per bullam *Cruciatæ*, per jubilæum, etc.

Sect. V. — *A quo danda sit approbatio, et an sufficiat petita.*

Dico 1 : Episcopus electus et confirmatus, licet nondum consecratus, potest dare approbationem, secus vero electus tantum, aut consecratus non habens episcopatum. Item capitulum, sede vacante, eam etiam potest dare, ut usus probat, quia approbatio est actus jurisdictionis, non ordinis episcopalis. Hinc quidam abbates exempti, habentes jurisdictionem episcopalem, possunt exponere et approbare confessarios intra terminos suos.

Dico 2 : Jure ordinario necesse est, ut hæc approbatio reipsa sit data, non enim sufficit petita, et non obtenta, etiamsi injuste negetur. Concilium siquidem dicit : *Nisi quis sit approbatus ab episcopo, non potest confessiones audire;* non est tamen necesse ut illa in scriptis detur, potest enim solis verbis dari : et licet gratis non daretur contra id quod præceptum est, non tamen foret invalida. Navarra quidem censuit religiosis Mendicantibus approbationem ab episcopo petitam et non obtentam sufficere, sed hoc nec practice probabile, nec verum est : illos enim oportet non tantum eam petere, sed etiam re obtinere ut sit sufficiens. Tenentur tamen episcopi ex justitia illam non negare sine justa causa, ac negando peccarent, quia tenentur juxta cap. *Quanto amplius*, De privilegiis, servare religiosis sua privilegia pontificia.

Sect. VI, VII. — *Cujusnam episcopi requiratur approbatio; et pro quo loco sufficiat.*

Dico 1 : Approbatus ab uno episcopo, non censetur approbatus pro omni loco, ut vult Henriquez, sed tantum pro diœcesi episcopi approbantis; nec semper necessaria est approbatio ab episcopo loci, in quo fit confessio, aut ab episcopo illius pœniten-

tis, sed generaliter possumus dicere necessariam esse approbationem ab episcopo ipsius confessarii, etiam religiosi, qui licet sit exemptus, in ordine tamen ad hoc ministerium subditur episcopo. Episcopus autem non potest approbare alienum sacerdotem, nisi ipsi subdatur vel quoad ministerium, seu alicujus Ecclesiæ servitium, vel quoad domicilium, mutando habitationem.

Dico 2 : Dum quis sacerdos est absolute et sine limitatione approbatus a suo episcopo ad audiendas confessiones, probabiliter potest eligi in confessarium a quovis qui aliunde possit ei jurisdictionem delegare : unde si papa det omnibus fidelibus facultatem eligendi quemcunque sacerdotem approbatum ab ordinario in suum confessarium, poterit hujus diœcesis, v. gr. Conimbricensis subditus eligere sacerdotem alterius diœcesis sæcularem, v. g. Portuensis, ab episcopo tantum Portuensi approbatum absolute et illimitate ; sive expresse tendat ad istam alteram diœcesim, sive fortuito in ea inveniatur. Idem dic de sacerdote religioso, si sit approbatus ab ordinario loci in quo habitat; et per bullam pontificiam eligatur a quovis gaudente illius bullæ privilegio sive sæculari sive regulari. Dum autem religiosi per sua privilegia administrant hoc sacramentum, debent in unoquoque episcopatu in quo habitant, ab illius episcopo approbari ; ita ut discurrendo per alias diœceses, non possint in illis ex vi generali suorum privilegiorum, si non sint ibi approbati, confessiones audire. Ideo Gregorius XIII per privilegium particulare concessit religiosis Societatis Jesu, ut possint confessiones audire, dum iter agunt, etiam ubi non sunt approbati, dummodo alibi fuerint approbati.

Dico 3 : Episcopus dare potest suo subdito facultatem eligendi quemvis confessarium, modo sit approbatus ab episcopo ipsius confessarii. Item dic de parocho dante illimitate suo parochiano facultatem eligendi confessarium. Deinde episcopus potest ex juxta causa approbare aliquem cum limitatione ad tales personas et loca.

Dico 4 : Approbatio absolute seu illimitate data semper durat quandiu non revocatur, ita ut neque per mortem concedentis exstinguatur ; ex justa autem causa potest revocari, secus, sine justa causa. Si vero sine justa causa revocetur, dubium est, an sit valida revocatio. Imo probabile est esse nullam, quia talis revocatio est quasi ablatio juris jam acquisiti, vel quasi sententiæ justa revocatio sine causa ; ergo injusta est et nulla.

DISPUTATIO VICESIMA NONA.

De ministro hujus sacramenti quoad casus reservatos.

Sect. I, II. — *An sit in Ecclesia potestas reservandi peccata, et an tantum censuræ reserventur et non peccata.*

Dico 1 : Est in Ecclesia potestas superioribus judicibus reservandi aliqua peccata ; de fide. Probatur ex conciliis Tridentino, Carthaginensi, Africano, etc., et ex Patribus Cypriano, Augustino, etc., quia cum jurisdictio ad hoc sacramentum conficiendum necessaria, proveniat inferioribus Ecclesiæ ministris a superioribus prælatis, hi pro suo arbitrio possunt eis magis vel minus illam limitare ; idcirco is qui habet ordinariam in hoc foro jurisdictionem, potest reservare peccata respectu inferioris habentis ordinariam jurisdictionem, v. gr. papa respectu episcoporum et quorumlibet aliorum prælatorum, episcopus respectu parochorum sibi subditorum, et cum proportione superiores religionum respectu suorum religiosorum. Qui autem habet hanc potestatem, potest non tantum sibi, sed etiam alteri casus reservare, v. gr. papa non tantum casus sibi reservare, sed etiam episcopis ; sic episcopus posset sibi casum reservare, et postea illum decano committere.

Dico 2 : Certum est papam, aliosque ordinarios prælatos posse non tantum censuras, sed etiam culpas reservare, nec tantum si habeant censuram annexam, sed etiam si non habeant : et de facto constat sæpe reservari peccata quæ nullam habent excommunicationem aut censuram annexam, ut patet ex usu episcopatuum et religionum. Quod autem attinet ad summum pontificem, de facto nunc nullum est peccatum ei reservatum quod non habeat aliquam censuram aut irregularitatem illi annexam, quia ad universale Ecclesiæ regimen censuerunt summi pontifices sufficere tantum graviora crimina habentia sibi annexam pontificiam censuram vel irregularitatem reservare. Attamen per istas reservationes pontificias, etiam ipsæ culpæ in se reservantur, ita ut tam censura quam ipsum peccatum sit reservatum, ut constat ex ipsis pontificum decretis ac verbis, et ex communi Ecclesiæ usu. Vide v. gr. cap. *Si quis suadente diabolo*, cap. *Nuper*, De sentent. excomm.

Sect. III. — *An omnia et sola peccata mortalia reserventur, vel reservari possint.*

Dico 1 : Non repugnat peccatum veniale reservari quoad hoc, ut nequeat sacramentaliter remitti, nisi a tali ministro, quia potest limitari jurisdictio, sine qua non fit sacramentum, ad talem tantum ministrum. Non possunt tamen peccata venialia ita reservari, ut maneat obligatio ea confitendi superiori reservanti, quia simpliciter nulla est obligatio ea confitendi, possuntque remitti sine sacramento, neque hoc potest Ecclesia impedire. Unde talis reservatio non est in usu.

Dico : Quamvis Ecclesia non soleat peccata mortalia mere interna, quæ sola cogitatione aut affectu consummantur, reservare, in rigore tamen non deest illi potestas ea reservandi. (Cajetanus, Ledesma, etc.) Unde quibus dat jurisdictionem ad absolvendum a peccatis mortalibus, simul eis dat absolutam jurisdictionem ad absolvendum ab his internis, quamvis posset eam limitare. A fortiori autem potest quodvis peccatum mortale externum reservare, imo in nullum externum mortale dare jurisdictio-

nem. Quænam autem de facto sint papæ reservata peccata, dicetur postea agendo de censuris. Quædam vero episcopis reservantur per particularia ipsorum statuta, vel per particulares diœceseon consuetudines; quæ cum sint variæ in singulis diœcesibus, nihil determinate de illis potest dici. Sed

Dico 3: Ex solo jure communi et seclusa consuetudine, nullum videtur esse peccatum episcopis reservatum : quia extrav. 5 *Super cathedram*, De sepulturis, in qua ex jure communi vel consuetudine erant reservati episcopis hi quinque casus : peccatum habens ex jure annexam pœnitentiam publicam, habens annexam excommunicationem majorem, habens annexam irregularitatem, peccatum incendiarii, blasphemia publica, præter alia adhuc peccata, omnino revocata est in Clement. *Dudum*, De sepulturis.

Dico 4 : Clemens VIII permisit, ut hi undecim sequentes casus in religionibus possent esse reservati : 1° veneficia, incantationes, sortilegia; 2° apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii seu conventus fiat; 3° nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta; 4° proprietas circa votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale; 5° juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo; 6° procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto; 7° falsificatio manus seu sigilli officialium monasterii seu conventus; 8° furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate quæ sit peccatum mortale; 9° lapsus carnis voluntarius opere consummatus; 10° occisio aut vulneratio seu gravis percussio cujusque personæ; 11° malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores. Deinde prohibet, ne superiores regularium, præter hæc peccata, sibi alia reservent, nisi cum generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provincia, matura discussione et consensu. Hoc tamen non videtur impedire, quominus abbas aut rector domus aliquid vetet sub excommunicatione ipso facto incurrenda, illius absolutionem sibi reservando, quia hic sibi reservat tantum absolutionem a censura; Clemens autem agit de absolutione a culpis, seu peccatis.

Sect. IV. — *An peccata possint reservari pro arbitrio superioris sine legitima causa.*

Dico : Certum est superiorem non licite facere ejusmodi reservationem sine justa causa; respectu tamen ejus qui habet delegatam tantum jurisdictionem, valide illam facit, etiam sine justa causa, quia suam ei committit jurisdictionem prout vult. Imo et respectu ejus qui habet ordinariam jurisdictionem, v. gr. papa respectu episcoporum, omniumque aliorum inferiorum, episcopus respectu parochorum, probabilius eam etiam valide facit sine justa causa; quamvis non sine aliqua probabilitate dicant Major, Sotus, etc., episcopos respectu parochorum non posse eam valide facere sine justa causa.

DISPUTATIO TRICESIMA.

De ministro qui potest directe absolvere pœnitentem a casibus reservatis.

Sect. I, II. — *Quinam possint directe vel per ordinariam, vel per delegatam sive particularem sive generalem jurisdictionem absolvere a peccatis reservatis.*

Dico 1 : Is qui peccata reservavit, et is qui est illi superior jurisdictione in hoc foro, potestatem habet ordinariam ad absolvendum ab his peccatis; quod clarum est. Nota *in hoc foro*, quia archiepiscopus, quamvis in ordine hierarchico sit episcopo superior, non tamen in hoc foro, nisi forsan in actuali visitatione. Deinde potest etiam directe ab illis absolvere, qui accepit potestatem delegatam a reservante, vel ab ejus superiore, v. gr. a papa ad absolvendum a peccatis episcopo reservatis. Sed diligenter advertendum est quamnam facultatem sive papa, sive episcopus det, dum delegat suam jurisdictionem : an det facultatem ad absolvendum a reservatis, an ab omnibus, an a censuris, etc., necne. Dic cum proportione de eo cui datur facultas eligendi confessarium. Hinc iter faciens videtur posse absolvi in alieno episcopatu a peccatis in proprio episcopatu reservatis, sed non in alieno reservatis.

Dico 2 : Ex consuetudine sola nunquam acquiritur jurisdictio ad absolvendum a reservatis, sed ex vi juris a concilio Tridentino (sess. 2, cap. 46) statuti, possunt episcopi a quibuscunque casibus occultis, etiam sedi apostolicæ reservatis, quosvis suos subditos in foro conscientiæ absolvere, etiam a reservatis post concilium per legem novam, si in hac nova reservationis lege non derogetur expresse concilii decreto per has aut similes clausulas : *Etiam in casibus occultis*, aut : *Non obstante quocunque decreto, etiam concilii generalis.* Religiosi autem, etiam Mendicantes, ex vi juris communis probabilius non videntur habere potestatem absolvendi a peccatis episcopo reservatis, contra Gabrielem, Angelum, Sylvestrum, oppositum sentientes.

Sect. III. — *An in casibus extraordinariis sacerdos inferior possit directe absolvere a reservatis.*

Dico 1 : In articulo mortis quivis sacerdos potest absolvere a casibus reservatis non tantum indirecte, sed etiam directe et per propriam jurisdictionem, quam pro tali articulo habet circa talia peccata, ut patet ex concilio Tridentino (sess. 24, cap. 7) sic dicente : *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Si enim nulla sit reservatio, ista peccata tunc sunt sicut alia peccata mortalia non reservata; quilibet autem sacerdos pro illo articulo habet jurisdictionem delegatam ad absolvendum directe a mortalibus, ergo et ab illis quæ extra istum articulum sunt reservata, si nempe non adsit ipse reservans. Hinc in isto articulo quivis sacerdos sive proprius, sive habens communem delegatam jurisdictionem, nullo inter illos servato

ordine (servandus est tamen ordo inter habentem jurisdictionem et non habentem, ita ut præferendus sit approbatus non approbato), per se loquendo potest absolvere a peccatis papæ reservatis sine obligatione ea iterum confitendi reservanti sacramentaliter; sed cum onere comparendi ob excommunicationem coram eo, ut possit convenientem medicinam vel satisfactionem imponere. Unde si tunc adsit sacerdos habens ex privilegio jurisdictionem ad absolvendum absolute sine isto onere a talibus peccatis, consultius erit aut utilius (non tamen necessarium) confiteri illi, quam alteri similem jurisdictionem non habenti. Si autem peccata reservata nullam habeant annexam censuram, juxta communem sententiam, videtur in isto articulo dari ab illis posse absolutio non tantum sine obligatione iterum ea confitendi, sed etiam sine onere comparendi coram superiore (Paludanus, Angelus, Sylvester, etc.).

Dico 2 : Extra mortis articulum nullus inferior sacerdos potest absolvere directe (de indirecta absolutione dicetur postea) a peccatis reservatis ob ullam occurrentem occasionem, nisi vel ex jure vel ex speciali privilegio, aut superioris declaratione constet facultatem illi esse commissam. Generalis enim regula juris est, ut a casibus papæ reservatis possit peccator absolvi ab inferiore sacerdote cum onere comparendi coram papa quotiescunque ad eum, aut ad ejus legatum vel delegatum non patet aditus, nisi cum magna difficultate et mora.

Sect. IV, V. — *An debeat superior dare facultatem subdito petenti, ut possit a casibus reservatis absolvi ab alio.*

Dico 1 ; Tenetur interdum sacerdos ex justitia dare hanc facultatem pœnitenti, ita ut illam negando simpliciter faciat ei injuriam : v. gr. si ex tali confessario timeat revelationem peccati ; si graves cum illo gerat inimicitias; si sit ineptus ad ferendum judicium in tali causa, etc. Non tamen ad eam dandam semper tenetur ; imo non debet eam dare, si id vergat in damnum pœnitentis aut communitatis, aut tertiæ personæ, cui potest superior remedium adhibere servato confessionis sigillo. Verum interdum etiam ex charitate et ex officio tenetur eam concedere, quoties negando timet grave subditi spirituale damnum, quamvis hoc non ex injuria extrinseca, sed ex ipsius subditi defectu eventurum sit : v. gr. si taciturus sit peccatum in confessione, diu dilaturus confessionem, etc. Denique ordinarie debet esse superior potius facilis quam difficilis in hac concedenda facultate : non tamen tenetur generalem facultatem dare pœnitenti, eligendi quemcunque voluerit confessarium, sed potest ei assignare certum confessarium, vel inter aliquos designatos, ei optionem dare, prout judicarit expedire ad ejus bonum.

Dico 2 : Post peccatum reservatum commissum, si ipse pœnitens a superiore petat et accipiat facultatem confitendi alteri, tunc accipit absolutionem sine onere comparendi. Idem dic si alter pro eo illam petat et accipiat. Nec tunc superior debet inquirere pro qua persona petatur. Posset tamen dare cum onere imponendi et acceptandi talem pœnitentiam pro tali delicto, vel tale remedium, si fuerit tale vel tale peccatum. Ante autem peccatum reservatum commissum, potest etiam eodem modo dari facultas accipiendi ab alio absolutionem, vel etiam sub onere comparendi, si peccatum habeat censuram annexam ; imo etiam si non habeat censuram annexam, potest concedi ista facultas sine onere comparendi, si judicatum fuerit id expedire (Henriquez, Angelus, Cajetanus, Navarra, etc.) : non cum obligatione iterum ea peccata reservata confitendi superiori, sed ea illi manifestandi vel extra sacramentum sub sigillo confessionis, cum sint materia confessionis, vel in sacramento, prout voluerit pœnitens, qui ad hoc tenetur, etiamsi ante absolutionem nescierit istam conditionem comparendi postea coram superiore, ut possit illi vel aliquam pœnam imponere, vel remedium dare. Peccata autem reservata sic confessa, absolute et sine ulla conditione sunt remissa, ita ut non opus sit amplius illa confiteri. Imo videtur non posse superior dare facultatem sub onere iterum illa sacramentaliter confitendi, et recipiendi a se absolutionem ; et probabile est hoc onus comparendi coram superiore, non posse imponi in articulo mortis.

DISPUTATIO TRICESIMA PRIMA.

De modo absolvendi a casibus reservatis.

Sect. I. — *An superior, auditis in confessione solis peccatis reservatis, possit sacramentaliter ab eis pœnitentem absolvere, et reliqua inferiori committere.*

Nota : Id per se et ordinarie, et sine alia causa posse fieri dicunt Cajetanus, Richardus, Paludanus, Navarra, et addunt pœnitentem sic absolutum teneri postea confiteri integre sacerdoti inferiori omnia peccata, etiam reservata confessa, ut fiat integra confessio. Sed

Dico : Si superior audiat omnia peccata tam reservata quam non reservata, tenetur absolvere pœnitentem ab omnibus, nec potest alio modo dare absolutionem, seu dare absolutionem a solis reservatis ; quia cum confessio sit integra, etiam danda est absolutio integra. Si tamen superior ex gravi causa et necessitate non possit audire integram omnium peccatorum tam non reservatorum quam reservatorum confessionem, nec pœnitens moraliter possit differre confessionem, et juxta prudens judicium non possit moraliter, vel censeat non expedire causam istam alteri sacerdoti delegare, tunc pœnitente confessionem sacramentalem postulante, poterit auditis solis peccatis reservatis, dummodo pœnitens de omnibus aliis conteratur vel atteratur, absolutionem dare ; quia tunc est confessio formaliter integra, adeoque vere perficitur sacramentum, et habet suum effectum ; nec tenetur pœnitens iterum confiteri ista peccata confessa, sed tantum quæ

non confessus est, sicuti fit dum quis inculpabiliter aliquod peccatum in confessione omisit.

Sect. II, III. — *An sacerdos inferior sine necessitate, aut saltem in casu necessitatis possit absolvere habentem casus reservatos antequam vel a superiore absolvatur, vel coram eo compareat.*

Dico 1 : Non licet sine aliqua necessitate id facere, quia talis sacerdos non est judex competens, nec habet jurisdictionem pro tali causa. Si quis tamen bona fide sic confiteatur sua peccata reservata, et absolvatur, videtur sacramentum fore validum ; adeoque non tenebitur iterum confiteri peccata sua non reservata, quæ jam confessus est, sed tantum tenebitur superiori confiteri reservata, in qua alter non habuit jurisdictionem. Sed

Dico 2 : Si occurrat aliqua necessitas, v. gr., si necesse sit implere præceptum annuæ confessionis, vel communicare, vel missam facere, ita ut non possit omitti sine gravi scandalo aut infamia, nec pro tunc pateat aditus ad superiorem : in tali casu potest pœnitens confiteri sacerdoti habenti jurisdictionem in peccata non reservata, a quibus directe absolvetur, et indirecte a reservatis cum onere comparendi coram superiore ; imo probabilius etiamsi ista reservata habeant annexam excommunicationem, quia cum habeatur formalis integritas confesssionis, et sacerdos habeat jurisdictionem circa aliqua peccata, absolvendo verum conficiet sacramentum, per quod saltem indirecte tollet peccata reservata. Quamvis autem reservata non subsint jurisdictioni istius sacerdotis, tamen D. Thomas et alii dicunt illa simul cum non reservatis esse confitenda, quia illa sunt quasi materia istius confessionis, ut possit judex seu sacerdos cognoscere statum ac dispositionem pœnitentis.

Sect. IV. — *An habens casus reservatos, postquam semel absolutus est a superiore vel per ejus delegatum possit a quocunque inferiore libere absolvi.*

Dico 1 : Si superior vel per se vel per delegatum absolverit sacramentaliter a peccato reservato, jam non tantum non est amplius reservatum, sed nec materia necessaria confessionis, utpote absolute remissum ; si autem non absolverit sacramentaliter, sed audito peccato et imposita debita pœnitentia et data admonitione remiserit pœnitentem ad inferiorem sacerdotem, etiam tunc non amplius manet reservatum. Delegatus autem a superiore non potest, audito peccato, sic pœnitentem ad alium remittere, sed debet ipse sacramentaliter absolvere. Si habens intentionem obtinendi jubilæum absolvatur a peccatis reservatis ex vi jubilæi, et postea omittat alia opera ad illud obtinendum, peccata reservata, quæ confessus est, manent absolute remissa, nec opus est illa amplius confiteri, nec necesse coram superiore comparere.

Dico 2 : Si subditus legitime sit confessus coram superiore, et superior nec eum absolvere, nec alteri ejus causam committere voluerit, peccatum remanebit reservatum ; si autem audita confessione absolverit pœnitentem, sed absolutio fuerit invalida, videtur probabiliter reservatio esse sublata. Item quando pœnitens specialiter confitetur superiori vel habenti ejus jurisdictionem, ad obtinendam absolutionem a peccatis reservatis, illique suam intentionem manifestat, si casu et inculpabiliter aliquod peccatum reservatum ex oblivione non confiteatur, sive habeat annexam excommunicationem, sive non, illud manet solutum et a reservatione et ab excommunicatione. Quando autem confitetur sine ulla mentione vel intentione casuum reservatorum, et eodem modo accipit absolutionem, non videtur id sufficere ut peccatum oblitum, quod antea erat reservatum, postea maneat non reservatum, et sine onere illud superiori confitendi. Sic qui virtute jubilæi absolvitur a peccatis, si obliviscatur inculpabiliter unum reservatum, hoc postea manet non reservatum ; imo si post validam absolutionem non præstet reliqua opera ad lucrandum jubilæum, probabile est illud manere non reservatum. Denique dum plures sunt ejusdem peccati reservationes, si factæ sint ab eodem superiore sine annexa censura, una ablata reliquæ simul auferuntur ; si a diversis superioribus subordinatis, v. gr. ab episcopo et papa, inferior non tollit reservationem superioris, sed contra ; dum sunt annexæ censuræ, una potest tolli sine altera.

DISPUTATIO TRIGESIMA SECUNDA.

De obligationibus ministri hujus sacramenti.

Sect. I, II, III. — *Quis sacerdos teneatur fidelium confessiones audire : quomodo eorum dispositiones scire, et procurare debeat.*

Dico 1 : Pastores ex officio proprie tenentur audire suorum subditorum confessiones ; unde parochus non tantum tenetur ministrare suis subditis hoc sacramentum, quando obligantur illud recipere, sed etiam quando opportuno tempore et justa de causa illud petunt ; nec ulla adest rationabilis causa id denegandi, tunc enim subditus habet jus petendi, ergo et parochus obligationem vel per se vel per alium ministrandi, non tamen semper sub peccato mortali.

Dico 2 : Confessarius debet videre an pœnitens sit bene dispositus ; et si quid sit restituendum, aut relapsus periculum, monere de facienda restitutione, et inspicere quale sit relapsus periculum ; qualisve iterum peccandi occasio : remota, an proxima ; voluntaria, an involuntaria ; ut prudenter judicet de differenda aut non differenda absolutione.

Dico 3 : Confessarius non debet nimias interrogationes facere. Si videat pœnitentem oblivisci aliquod peccatum, tunc interroget. Item si videat pœnitentem tacere aliquod peccatum quod constat commisisse, et interrogatus illud deneget, ordinarie standum est dicto pœnitentis ; secus si sciretur evidenter eum mentiri.

Sect. IV, V, VI. — *Quid agere debeat confessarius in diversis casibus.*

Dico 1 : Si confessarius inveniat pœnitentem la-

borare ignorantia invincibili in statu de se malo, v. gr., in possessione rei alienæ, in matrimonio invalido ob impedimentum dirimens, et probabiliter credat suam admonitionem sine scandalo aut gravi incommodo profuturam, debet eum admonere, ut relinquat istum peccati materialis statum; multo magis debet admonere, si pœnitens de eo interroget, aut dubitet; si autem pœnitens non interroget, nec dubitet, et ipse confessarius nullum speret ex admonitione fructum, quia probabiliter et prudenter timet pœnitentem non effecturum, vel non posse efficere sine gravi incommodo id de quo admonendus est, tunc potest et debet tacere, ac pœnitentem in sua bona fide relinquere (Medina, Cordubensis, Canus, etc.). Innocentius III, in cap. *Quia circa*, De sanguinit. et affin., ob vitandum scandalum mandat dissimulare cum quibusdam qui bona fide putabant se matrimonium contraxisse, cum tamen occultum impedimentum haberent.

Dico 2 : Pœnitentem rite confessum et depositum, tenetur sub gravi peccato confessarius absolvere; si fuerit tamen confessio solorum venialium, poterit teneri tantum sub levi, præsertim si absit scandalum, et pœnitens facile possit illud incommodum resarcire. Quando autem pœnitens adhæret opinioni probabili, quamvis confessarius judicet contrariam probabiliorem, tunc non tantum potest, sed etiam debet illum absolvere. (Sotus, Navarra, D. Antoninus, etc.)

Dico 3 : Quando confessarius absolvit pœnitentem sine sufficienti jurisdictione, aut sine intentione absolvendi, ita ut sacramentum fuerit invalidum, si sine gravi nocumento et scandalo possit admonere pœnitentem de invaliditate absolutionis, tenetur admonere aut procurare ut pœnitens sibi iterum confiteatur de peccatis post priorem confessionem commissis, et tunc illi dicat ut generaliter de omnibus præcedentibus doleat, aut si sit necesse, ea confiteatur; hocque sufficit ut nova absolutio in totam illam præcedentem materiam cadat. Interveniente autem morali periculo scandali, aut gravi nocumento, si pœnitens moneatur, nec possit sic adducere ad sibi iterum confitendum, tunc relinquat pœnitentem ut per contritionem vel alias confessiones valide factas justificetur; per subsequentem enim absolutionem validam peccata quæ non fuerunt remissa per priorem, saltem indirecte tollentur ac remittentur.

Dico 4 : Si absolutio fuit valida, sed si confessarius decipiens pœnitentem reliquerit eum in occasione peccandi, debebit postea juxta regulam charitatis et prudentiæ eum instruere. Si autem fuerit causa ut pœnitens rei alienæ restitutionem non faceret, tunc si ex gravi negligentia aut malitia positive induxit pœnitentem ad non restituendum, aut id ei suasit, tenetur eum monere de restitutione facienda; et si hic sit jam factus impotens ad restituendum, ipsemet tenebitur restituere; si autem ex negligentia omiserit tantum pœnitentem monere de restitutione facienda, tunc non videtur ipse teneri ad restitutionem, quia non peccavit respectu istius tertii contra justitiam, sed peccavit contra religionem respectu sui ministerii.

Sect. VII. — *An sit pœna ipso jure imposita ob indebitam hujus sacramenti administrationem.*

Dico : Nulla pœna est ecclesiastica jure communi imposita sacerdoti, qui ex defectu jurisdictionis, scientiæ, diligentiæ, aut quacunque alia ratione peccat administrando hoc sacramentum. Dixi *sacerdoti*, quia clericus non sacerdos, aut laicus temere, serio ac scienter administrans hoc sacramentum, manet irregularis. Colligitur ex cap. 1 *De clerico excomm. ministr.*

DISPUTATIO TRICESIMA TERTIA.

De sigillo confessionis.

Sect. I, II. — *Quo jure et in quo gradu teneatur confessarius servare secretum confessionis, et ex qua confessione oriatur hoc secretum.*

Dico 1 : Certum est confessarium teneri servare confessionis secretum, quia lex naturalis obligat ad servandum secretum in eis, quæ pertinent ad famam proximi, estque tacitum pactum inter confessarium et pœnitentem servandi tale secretum, et tanta quidem est hujus secreti obligatio, ut in nullo casu, nec ob ullum finem, etiam pro tuenda tota republica ab ingenti malo temporali, aut spirituali, liceat illud violare. (D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Durandus, etc.) Hæcque obligatio oritur maxime ex injuria quæ fieret sacramento, si aliquando revelaretur hoc secretum. Injuria autem in hoc consistit quod fieret odiosa confessio, et homines illam refugerent. Unde hæc tanta secreti obligatio non oritur ex jure humano positivo, utpote fortasse major, quam possit lex humana imponere, et nata cum ipso sacramento; neque ex solo jure naturali puro, utpote altioris ordinis, et superans omne secretum naturale; sed ex jure quasi connaturali et intrinseco ipsi sacramento juxta ipsius institutionem; adeoque est obligatio ex genere suo sub peccato mortali. Tamen potest quis excusari a culpa gravi, imo et ab omni ob indeliberationem aut inadvertentiam : continetque hoc peccatum malitias sacrilegii et injustitiæ, etc. Quædam jura quæ contra hoc sigillum citantur, non loquuntur de confessione sacramentali, sed de exteriore facta alicui interroganti; in publica autem pœnitentia non confessarius, sed ipse pœnitens sua peccata revelabat. Quare

Dico 2 : Nec ob utilitatem pœnitentis, nec ad impediendum alicujus matrimonii invalidi usum, nec ob integritatem propriæ confessionis confessarii, nec ob evidens mortis periculum licet frangere confessionis sigillum.

Dico 3 : Hæc sigilli obligatio ex omni et sola confessione sacramentali oritur. Unde ex confessione quæ scienter fit non sacerdoti, sed vel clerico inferiori, vel laico quacunque occasione vel necessitate, non oritur hoc sigillum, sed tantum secretum naturale, quod liceret revelare ob bonum commune,

quia non est confessio sacramentalis. Secus vero, si audiens pœnitentem, fingeret se esse sacerdotem, et alter bona fide et intentione illi confessus fuisset. Item obligatio sigilli oritur ex confessione facta sacerdoti non habenti jurisdictionem ; est enim sacramentalis, seu fit in ordine ad sacramentum. Si quis autem ad hoc sacramentum accedat sine intentione se accusandi et subjiciendi Ecclesiæ clavibus, tunc non oritur sigilli obligatio, quia re ipsa non est confessio, sed deceptio ; neque est res sacra, adeoque nec ex illa oritur secretum sacrum.

Sect. III, IV. — *In quam materiam cadat hoc sigillum et quas personas obliget.*

Dico 1 : Omne peccatum sive mortale sive veniale, etiam minimum in confessione auditum, gravis est hujus sigilli materia, ita ut sit semper mortale peccatum, si illud reveletur, nisi quis ex ignorantia, aut ex naturali inadvertentia excusetur; quia respectu sacramenti est semper gravis injuria et grave nocumentum. Nec tantum peccata et eorum circumstantiæ, sed etiam omnia illa, quæ dicuntur ad declarandum peccatum, continentur sub hoc sigillo, uti etiam peccata aliunde publica, quatenus per confessionem audita et cognita fuerunt. Quatenus autem per aliam viam illa aut alia confessarius cognovit, non sunt sub sigillo, potestque de illis loqui ; non enim revelat confessionem, utpote de illis loquens perinde ac si non audivisset confessionem ; adeoque nec sacramento, nec pœnitenti ullam facit injuriam.

Dico 2 : Hæc omnia quæ de sigillo dixi, intelligenda sunt cum relatione ad personam, v. gr. hujus pœnitentis, et cum revelatione particulari, quæ sub generali confessionis ratione non contineatur : licet enim loqui de peccatis in confessione auditis non nominando personam ; nec cum periculo ut in illius cognitionem aut suspicionem deveniri possit, quia tunc non revelatur peccator, nec fit illi injuria. Magna tamen hac in re cautela adhibenda est. Hinc licitum est consulere viros doctos de re audita in confessione, quando omnino persona occultatur. Similiter non est contra sigillum, si confessarius dicat Petrum sibi esse confessum (nempe fecisse actum virtutis), aut sua sibi peccata confessum esse aut tantum venialem materiam in sua confessione dedisse, modo hoc non redundet in alios ; talis enim materia ad minimum est necessaria pro confessione. Cætera autem omnia quæ in confessione concomitanter dicuntur, proprie non continentur sub sigillo, si nullo modo inserviant accusationi peccatorum.

Dico 3 : Pœnitens non obligatur hoc sigillo, nisi aliquo secreto naturali, ubi materia id postulaverit; alioqui nulla hic est specialis ratio secreti. Confessarius autem directe obligatur hoc sigillo. Item obligatur interpres, et is quem cum licentia pœnitentis consulit confessarius, uti et is qui vel furtive vel casu audit alterius confessionem secretam, aut in casu necessitatis audit publicam. Item si quis audiret confessarium inique revelantem alterius confessionem, eodem sigillo teneretur.

Sect. V. — *An confessarius possit loqui de rebus in confessione auditis cum ipso pœnitente, vel de ejus licentia.*

Dico 1 : Non licet confessario post perfectam confessionem loqui de rebus in confessione auditis, etiam cum ipso pœnitente sine ejus facultate. Si autem confessarius in confessione commisit defectum emendandum, potest et debet dicere pœnitenti se velle cum illo loqui de re necessaria ad confessionem pertinente, et quidem si ille consentiat, jam habet facultatem ; si autem renuat, dicat tamen si commode possit, quia tunc jam non loquitur extra confessionem, sed supplet et perficit eam quæ inchoata et imperfecta manserat, et pœnitens tunc est irrationabiliter invitus.

Dico 2 : Licet confessario ex facultate pœnitentis loqui de rebus in ejus confessione auditis. Communis et vera est sententia, quam tenent D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Henriquez, Navarra, etc., contra Scotum, Durandum, etc. Probatur, quia usus secreti pendet ex voluntate committentis, sicut depositum ex voluntate deponentis; nec est lex specialis quæ hoc prohibeat, nec est contra hoc sacramentum.

Confessarius enim audita in confessione, non ita scit ut Deus quin vere ea sciat ut homo, et ita possit de iis loqui ; nec hoc est dispensare in præcepto divino, sed est mutare ejus materiam : divinum enim præceptum est, ut servetur secretum juxta voluntatem committentis. Cum hoc secretum sit positum in favorem pœnitentis, hic potest cedere juri suo sine alterius, aut boni publici seu sacramenti detrimento.

Dico 3 : Id quod confessarius narrat ex facultate pœnitentis, manet sub sigillo apud illum, cui narratur; supponendo tamen pœnitentem dando hanc facultatem, non dare confessario novam notitiam extra confessionem. Si enim hanc novam daret, clarum est neque ipsum confessarium secundum illam sigillo teneri ; neque is qui ex tali notitia loquentem audit.

Dico 4 : Ut hac pœnitentis facultate uti possit confessarius, debet esse expressa, clara, certa, spontanea, sine vi, metu, aut deceptione obtenta, non sufficit præsumpta aut ratihabenda.

Sect. VI. — *De modo servandi hoc sigillum.*

Dico 1 : Hoc sigilli secretum servandum est non solum directe, sed etiam indirecte : v. gr. non licet loqui cum periculo cognoscendi pœnitentem, non potest confessarius dicere eum non absolvi ; aliud autem est dicere, non potui perficere confessionem ob impedimentum superveniens, vel pœnitens non dedit sufficientem materiam, tunc nulla est revelatio, ut patet.

Dico 2 : Hoc secretum non tantum verbis, sed etiam factis servandum est : v. gr. non potest parochus negare publice Eucharistiam aut matrimonium

ob scientiam in sola confessione comparatam. Item servandum est non tantum sponte narrando, sed etiam dum respondendum est ad quamcunque interrogationem, sive dicendo : Functus sum meo officio, sive negando responsum, sive si negatio responsi esset indirecta revelatio, aut generaret in alio vehementem suspicionem, simpliciter negando se quidquam scire vel audisse de illa re, subintelligendo *ad dicendum;* et si quis interroget an audierit in confessione, debet etiam simpliciter negare se quidquam audivisse, etiam in confessione. Si autem non interrogetur, non debet ita loqui, nisi interdum occurrente necessitate vel commodo ipsius pœnitentis.

Sect. VII. — *An aliquis notitiæ in confessione habitæ usus sit licitus, et quomodo.*

Dico 1 : Usus hujus notitiæ cum morali periculo revelationis directæ vel indirectæ confessionis, nunquam est licitus : v. gr. superior audiens subditi confessionem, non potest vi illius, ita illum gubernare, ut aliis præbeat occasionem suspicandi de aliquo ejus peccato, sive in specie sive in genere, v. gr. auferendo illi officium, vel mutando locum. Sic non licet imponere pœnitentiam publicam in satisfactionem peccati commissi, si inde sequatur indirecta illius revelatio, id est, suspicio gravis peccati sive in particulari, sive in communi istius pœnitentis, nisi pœnitens eam sponte acceptet : tunc enim non est confessarii revelatio, sed ipse pœnitens se prodit. Similiter Richardus, Navarra, etc., dicunt non licere vitare mortem in confessione cognitam, v. gr. si sacerdos per confessionem sciat venenum in vino esse immissum, et non possit aut omittere sacrificium, aut petere aliud vinum nisi indirecte prodat confessionem, dicunt non licere omittere, contra Scotum, Gabrielem, Sylvestrum, etc., dicentes licitum esse omittere, seu vitare actionem aut fugere.

Dico 2 : Quando ex usu confessionis nulla sequitur indirecta revelatio, nec morale ejus periculum, tunc illius usus non est per se malus ; imo poterit esse sæpe honestus ac licitus, nisi specialiter vetetur : v. gr. confessarius potest orare pro pœnitente post peractam confessionem ; ex confessione unius potest in confessione alterius necessariam vel utilem pœnitenti interrogationem facere tali modo ut alius non intelligat unde confessarius moveatur ad talem interrogationem, potest ipsemet confessarius custodire rem propriam, et aliud ejusmodi, quia in his omnibus nec pœnitenti, nec sacramento fit injuria.

Dico 3 : Ut hic usus sit honestus, non sufficit fieri absque indirecta revelatione, sed etiam requiritur ut fiat sine injusto gravamine pœnitentis, et ob gravem causam seu utilitatem : v. gr. potest superior attentius invigilare suo officio, modo nulla suboriatur suspicio alicujus peccati pœnitentis. Et quando abest periculum hujus suspicionis, ejusmodi usus quamvis non habeat finem adeo necessarium, modo non sit pravus, excusare potest a culpa gravi. Quando quis scitur per solam confessionem indignus aliquo officio, D. Thomas, Bonaventura, Scotus, etc., asserunt debere illi negare suffragium (nempe secretum) quando nullum est periculum revelationis ; probabilius tamen videtur nulla esse culpa eligere dignum in scientia publica, quamvis sciatur per confessionem indignus. Ob sacramenti enim reverentiam potest quis licite non uti ista confessionis scientia.

Sect. VIII. — *Quæ pœna ob fractionem sigilli incurratur.*

Dico : Propter hoc delictum nulla in jure censura aut irregularitas aliave pœna ipso facto incurrenda reperitur ; tantum jubetur ejusmodi delinquentem deponi. Dum autem confessarius asserit se habuisse a pœnitente facultatem loquendi de ejus confessione, et hic negat, pro quo standum sit sat difficile est determinare.

DISPUTATIO TRICESIMA QUARTA.

De secreto servando circa personam complicis.

Sect. I, II. — *An liceat pœnitenti personam et peccatum complicis in confessione aperire ; et an id liceat ob solam suæ confessionis integritatem.*

Dico 1 : Revelare peccatum proximi in particulari et cum ejus infamia, etiam in confessione, ex suo genere est peccatum mortale, si fiat sine rationabili causa, quia infamare proximum extra confessionem est peccatum grave ; ergo etiam in confessione. Sed revelare ex legitima causa, tunc nullum est peccatum : id enim licitum est extra confessionem, ergo multo magis in confessione, quia hoc est tantum detractio materialis. Unde licitum erit, si pœnitens illud revelet ob suam propriam utilitatem, aut si talis notitia necessaria sit ad bonum usum extra confessionem sine hujus directa vel indirecta revelatione, v. gr. ad utilitatem ipsius complicis, vel alterius personæ. Quando revelatio complicis est necessaria ad integritatem confessionis, si persona complicis et culpa sint talis conditionis ut moraliter pro nihilo habeatur talem culpam de tali persona revelare, tunc nullum est peccatum illam revelare. Quando autem respectu complicis ista infamatio potest censeri alicujus momenti, si pœnitens possit vel confiteri ei cui persona complicis non est nota, vel ita confiteri ut non cognoscatur, ac declarare totum suum peccatum sine data illius notitia, tunc tenetur id facere.

Dico 2 : Potest licite pœnitens ad integram suam confessionem faciendam aperire in confessione peccatum ex quo confessarius cogniturus est personam complicis, si non possit, ut jam dixi, aliter aut alteri confiteri. (D. Bernardus, D. Thomas, Bonaventura, Alensis, Durandus, Cajetanus, Gabriel, Sylvester, etc., contra Marsilium, Navarram, etc.) Probatur, quia non est intrinsece malum nec contra legem naturalem dicere alteri occultum proximi peccatum ex rationabili causa et sine in-

tentione illum infamandi, id enim non formalis, sed tantum materialis detractio est. Hic autem adest rationabilis et legitima causa declarandi personam complicis, quia confessarius tanquam judex debet integre cognoscere totum delictum; et ista proximi infamatio, comparatione facta ad bonum et reverentiam sacramenti, est parvi momenti; deinde spiritualis utilitas pœnitentis est magna. Unde

Dico 3 : Non tantum potest licite, sed etiam tenetur pœnitens integre confiteri peccatum vel circumstantiam necessariam, cum prædicta complicis manifestatione, quia præceptum de integritate confessionis per se obligat; ergo quoties nulla legitima excusatio intervenit, tenetur homo illud complere. Hic autem nulla sufficiens excusatio intervenit cum licite id fieri possit, ut dictum est; ergo præceptum de integritate actualiter obligat. Hæc obligatio non tantum in confessione necessaria, v. gr. in articulo mortis, in præcepto annuæ confessionis, aut Eucharistiæ sumendæ, sed etiam in voluntaria habet locum. Si persona non fuerit complex, sed tantum objectum peccati, tunc pœnitens non debet manifestare alienum peccatum : v. gr. si filius dederit venenum matri suæ gravidæ ex pravo concubitu, non debet manifestare pravum ejus concubitum.

Sect. III, IV. — *Quid sit licitum, necne, circa usum notitiæ peccati complicis, in bonum sive pœnitentis sive complicis.*

Dico 1 : Confessarius eodem sigillo tenetur servare secretum circa peccatum complicis, quo circa personam pœnitentis; omnia enim quæ sunt necessaria ad integram confessionem faciendam, cadunt sub sigillum. Aliud est si pœnitens narraret aliena peccata non ut pertinentia ad suam confessionem, nec ut peccata complicis : cum enim non essent pars confessionis, non essent materia sigilli. Deinde non est licitum confessario uti notitia peccati complicis ad aliquem usum, quo possit ejus persona prodi sine licentia pœnitentis; quia sicut sigillum obligat ad non loquendum de peccato pœnitentis cum ipso pœnitente, ita etiam ad non loquendum de peccato complicis cum ipso complice. Si tamen iste usus nullam omnino manifestationem secum afferret sive ipsi complici, sive aliis, v. gr. orare pro illo, impedire occasionem peccandi, aut auxilium spirituale ei conferre sine suspicione manifestationis, etc., tunc licitus foret.

Dico 2 : Confessarius de licentia pœnitentis potest uti notitia quam per confessionem accepit de peccato complicis in bonum ipsius pœnitentis, et maxime in spiritualem ejus utilitatem aut necessitatem : v. gr. ad tuendum pœnitentem a molesta complicis sollicitatione ad peccatum, ad accipiendam debitam satisfactionem, etc.; nec ad id requiritur licentia complicis. Unde

Dico 3 : Per se loquendo ac secluso scandalo, servatisque circumstantiis quas prudentia requirit, licitum est confessario uti notitia confessionis de licentia pœnitentis ad complicem corrigendum, vel ad impediendum ejus delictum in bonum aliorum. (D. Thomas, Antoninus, Adrianus, Alensis, Navarra, etc., contra quosdam oppositum innuentes.) Probatur : 1° quia ista actio non est mala, nec prohibita. Non est contra sigillum, ut patet, nec contra reverentiam huic sacramento debitam, nec ista licentia est injusta cum sit in bonum proximi. 2° Notitia confessionis, licet sit altioris ordinis, potest tamen ordinari ad bonum inferioris ordinis, seu ad fraternam correctionem. Magnam tamen hac in re prudentiam servet confessarius, non interrogando, non se ingerendo, non se offerendo plus quam par est, ad complicis correctionem; et per hanc viam posset quidem procedi ad denuntiationem paternam, nunquam vero ad judicialem.

DISPUTATIO TRICESIMA QUINTA.

De confessionis præcepto divino.

Sect. I. — *An confessio sit divino jure præcepta.*

Nota : Quidam dixerunt confessionem esse de jure naturali divino; quod certe falsum est, si intelligatur de confessione sacramentali, et etiam falsum de alia exteriori confessione facta coram homine. Alii dixerunt esse de jure divino veteris legis, et Christum non dedisse novum præceptum, sed priori specialem modum addidisse. Verum ista confessio antiquæ legis per obligationem certi sacrificii offerendi, non erat sacramentalis, nec de internis peccatis, nec per se ordinata ad justificationem internam. Alii denique dixerunt confessionem non fuisse expresse a Christo institutam, adeoque nec præceptam. Sed

Dico : Confessionem esse jure divino præceptam nunc de fide est, fuitque semper fere omnium theologorum antiqua opinio, Magistri, D. Thomæ, Durandi, Scoti, etc. Probatur : ex Scriptura : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* v, 16). *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* xx, 22, 23). His verbis, ut supra diximus, instituta est a Christo confessio ut pars necessaria sacramenti pœnitentiæ sine qua nequeunt sacerdotes exercere traditam potestatem remittendi peccata; unde habetur non tantum utilitas et efficacia, sed etiam necessitas hujus sacramenti ad veniam peccatorum obtinendam; ex qua necessitate infertur divinum præceptum, tum quia media necessaria ad salutem, in nostris liberis actibus consistentia, cadunt sub præcepto, tum quia ista media procedunt ex libera Dei voluntate, adeoque ex ejus præcepto. 2° Ex usu et traditione Ecclesiæ perpetuæ referentis confessionem ad Christi institutionem. Imo videtur Ecclesia per se non potuisse tam arduum præceptum imponere et introducere, juxta Scotum, Durandum, et alios. Attamen supposita hujus sacramenti institutione, si Christus non imposuisset illius necessitatem, sed

tantum præbuisset utilitatem, uti fecit in sacramento confirmationis, non excessisset Ecclesiæ potestatem imperare illius usum, id est, ponere confessionis præceptum. Cum autem hoc sit præceptum divinum, uti jam dixi, non potest nunc illud tollere, abrogare, immutare, aut in illo dispensare, non enim potest proprie in illo jure divino dispensare, ut traditur 1-2, quæst. 97.

Sect. II, III, IV. — *Quas personas, et quo tempore obliget hoc præceptum prout divinum est; et quomodo impleatur.*

Dico 1 : Non obligat infantes ante usum rationis, nec infideles ante baptismum, quia peccata ante baptismum commissa, non sunt materia sacramenti pœnitentiæ, sed obligat omnes illas personas quæ post baptismum mortaliter peccaverunt, etiam hæreticos, apostatas, et pueros cujuscunque ætatis, dummodo sint capaces peccati mortalis. Hinc qui post baptismum venialiter tantum peccarunt, non obligantur hoc præcepto.

Dico 2 : Ad satisfaciendum huic præcepto, homo conscius peccati mortalis, non tenetur statim confiteri, etiamsi commodissime possit : sed tenetur in articulo seu periculo mortis, si antea non sit impletum. Unde si quis habeat copiam confessarii et sit in eo statu, in quo si nunc non confiteatur, probabiliter ante mortem non poterit habere copiam confessarii, v. gr. in India, vel in aliqua captivitate, tunc tenetur confiteri statim, etiamsi extra mortis articulum sit. Impositum est a Pio V præceptum medicis, ut ultra diem tertium non visitent ægrum, nisi de illius confessione sibi constet per fidem confessarii in scriptis datam. Id videtur intelligi de morbo gravi, et videtur medicus implere istud præceptum, si moneat ægrum vel per se, vel per eos qui illius curam gerunt, si sint timorati ; hæcque videtur esse communis consuetudo, juxta quam non servatur jam ut medicus exigat fidem confessarii in scriptis.

Dico 3 : Tempus quo hoc præceptum divinum per se obligat ante mortis articulum, ab Ecclesia determinandum est ; pro qua re illi a Christo relicta est potestas. Sicut enim habet potestatem judicandi de peccatis, ita et determinandi tempus, in quo debet tale judicium fieri. Per accidens autem obligat : 1° quando confessio censetur medium moraliter necessarium ad superandam aliquam tentationem aut peccandi occasionem sive in ordine ad aliquod peccatum in particulari sive in communi ; 2° quando homo suscepturus est Eucharistiam, si sit peccati mortalis conscius. Non tamen obligat quando alia sacramenta suscepturus est.

Dico 4 : Hoc præceptum divinum non impletur per confessionem invalidam, sed per validam formatam gratia. An possit autem dari confessio valida et informis et per illam, si detur impleri hoc præceptum, controvertunt auctores.

DISPUTATIO TRICESIMA SEXTA.

De præcepto ecclesiastico annuæ confessionis.

Sect. I, II. — *An sit ab Ecclesia latum præceptum de facienda singulis annis confessione, et quos obliget.*

Dico 1 : Ecclesia non tantum potuit determinare, sed etiam determinavit tempus quo divinum confessionis præceptum sit implendum. Ideo ex Ecclesiæ præcepto fideles tenentur ex vi istius præcepti distincti a præcepto annuæ communionis, confiteri semel in anno. Probatur, ex cap. *Omnis utriusque sexus*, in quo habentur duo distincta præcepta, nempe confessionis annuæ et communionis paschalis ; adeoque istud confessionis annuæ præceptum directe et per se obligat. Sed hoc præceptum est solum ecclesiasticum quoad temporis determinationem ; in reliquis divinum est. Unde hoc præceptum quatenus ecclesiasticum, potest a papa tolli vel dispensando cum aliquo in particulari, vel minuendo augendove tempus faciendæ confessionis, tolli inquam licite, ex causa rationabili, valide autem, sed illicite sine causa rationabili, cumque nunquam dari possit causa rationabilis illud omnino tollendi et abrogandi, ideo non videtur posse licite papa illud prorsus abrogare.

Dico 2 : Præceptum ecclesiasticum annuæ confessionis obligat omnes baptizatos, etiam pueros cum primum habent conscientiam peccati mortalis, atque ipsum papam quoad vim directivam, non coercitivam, ad confitendum omnia sua peccata mortalia, etiamsi solummodo forent interna. Quod attinet ad venialia, certum est qui habet mortalia, non teneri venialia simul confiteri. Si autem habeat sola venialia, cum teneatur in Paschate communicare, debet saltem adire suum proprium sacerdotem, et dicere se non habere conscientiam peccati mortalis, ideoque sine confessione ad communionem accedere. Unde hoc præceptum annuæ confessionis non obligat ad sacramentalem confessionem proprie, nisi eum qui habet conscientiam peccati mortalis nondum confessi.

Sect. III. — *An hoc præceptum annuæ confessionis obliget pro determinata anni parte; et quomodo annus computandus sit.*

Dico 1 : Obligatio hujus præcepti non est determinata ad certam anni partem, et licet soleant fideles confiteri in Paschate, non id faciunt ex vi hujus præcepti, sed per accidens ob communionem paschalem, si nempe antea in decursu anni jam illud impleverint. Unde

Dico 2 : Annus, intra quem præceptum confessionis obligat, non est computandus a tempore quo homo peccavit mortaliter, aut ab ultima confessione quam fecit ; sed vel ab initio Januarii usque ad finem Decembris, vel potius a Quadragesima usque ad Quadragesimam, comprehendendo omnes dies in quibus præceptum communionis paschalis potest impleri.

Sect. IV, V. — *An qui non implevit hoc præceptum intra annum, teneatur statim confiteri in sequenti anno: et an interdum teneatur quis anticipare confessionem priusquam annus compleatur.*

Dico 1 : Qui non implevit præceptum annuæ confessionis, tenetur statim confiteri, et quo magis ac magis voluntarie differt confessionem, eo magis ac magis peccat. Major, Sotus, Navarra etc., contra Antoninum, Sylvestrem, etc., dicentes eum non teneri confiteri usque ad sequentem Quadragesimam, sicut qui die Dominico omisit sacrum, non tenetur audire missam usque ad alium diem festum. Probatur assertio ex usu et praxi Ecclesiæ. Iste tamen confitendo in decursu anni sequentis, satisfit quidem pro anno præterito, et simul pro parte anni currentis, sed si in reliqua parte hujus anni currentis peccet adhuc mortaliter, videtur adhuc teneri confiteri isto anno. Si quis autem inculpabiliter sive ob justam causam, sive ex oblivione omisit peccatum in confessionis hujus anni, non videtur teneri, cum primum potest, statim illud confiteri, sed posse differre confessionem donec urgeat obligatio anni sequentis. Ita Navarra et Victoria.

Dico 2 : Ex vi hujus præcepti tenentur fideles anticipare confessionem in quacunque anni parte, si prævideant fore ut, omissa illa occasione, non possint in toto anno confiteri, v. gr. ex penuria confessariorum, ex longa navigatione vel peregrinatione per terras infidelium. (Bonaventura, Gabriel, Durandus, Sylvester, etc.) Qui prævidet fore ut die Dominico non possit audire missam, aut die sequenti nequeat jejunare, non tenetur quidem pridie audire missam, aut jejunare, quia obligatio præcepti nondum tunc incipit, sed in quavis anni parte præceptum annuæ confessionis obligat, sicut in quavis hora diei Dominicæ obligat præceptum audiendæ missæ.

Dico 3 : Si intra annum occurrat mortis periculum, certum est ipsum jus divinum obligare tunc ad confessionem. Ante hunc casum non videtur quis teneri accipere confessionem, ne, v. gr. nonnulla peccata, ubi confitendum erit, memoria excidant.

Dico 4 : Certum est nullum esse præceptum ecclesiasticum per se obligans totam Ecclesiam ad confitendum ante impletum annum. In Clementina quidem prima, *De statu monach.*, præcipitur religiosis sancti Benedicti, ut singulis mensibus confiteantur, quod videtur intelligi non tantum de iis, qui forte peccarint mortaliter, sed etiam de aliis habentibus sola peccata venialia. Incertum tamen est an istud jus obliget sub mortali illos religiosos, an forte tantum sicut aliæ istius religionis regulæ. Id pendet ex ejus instituto et consuetudine. Item concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 10) admonet moniales, ut singulis mensibus confiteantur. Sed cum sit admonitio tantum, non est lex obligans.

Sect. VI, VII, VIII. — *Quæ causa excuset ab hoc præcepto; per quam confessionem impleatur; quæ pœna transgressoribus imposita.*

Dico 1 : Certum est eum excusari ab hoc præcepto et a culpa, cui deest confessarius, aut qui non potest eum habere, nisi faciendo longum iter, aut qui habet tantum venialia, aut tantum quædam mortalia quæ non potest præsenti confessario confiteri. Qui autem non potest nisi per interpretem confiteri, quamvis possit confiteri, si velit, non videtur tamen obligari præcepto ecclesiastico ad sic confitendum, nec divino extra mortis articulum. (Cajetanus, Sotus, Ledesma, Medina, etc.) In mortis autem articulo videtur probabilius et verius teneri. (Sylvester, Canus, etc., contra Cajetanum, Sotum, Medinam, etc., ratos sufficere tunc contritionem perfectam.) Deinde si quis non possit nisi scripto confiteri, vel quia ipse est mutus, vel quia confessarius est surdus, nec potest se aliis nutibus explicare, probabilius nec a divini, nec ab ecclesiastici præcepti confitendi obligatione excusatur. (Sylvester, Cajetanus, Sotus, etc., contra Richardum, Navarram, Medinam, etc.)

Dico 2 : Hoc præceptum non impletur, nisi per veram sacramenti pœnitentiæ susceptionem. (Durandus, Navarra, Sotus, etc.) Unde si sacramentum fuerit invalidum ex quocunque defectu sive culpabili, sive inculpabili, præceptum non fuit impletum. De hoc sacramento valido et informi præcise ob dimidiatam confessionem et attritionem ex naturali oblivione, quod ibi dicitur apud P. Suarez hic omitto.

Dico 3 : Quamvis Ecclesia transgressoribus hujus præcepti possit imponere pœnam seu censuram ipso facto incurrendam, vel per judicem inferendam, in jure tamen communi nulla est imposita quæ ipso facto incurratur. Nam in c. *Omnis utriusque*, solum dicitur : *Arceantur ab ingressu Ecclesiæ, et priventur sepultura*, quod utrumque requirit ferendam judicis sententiam. Verum per constitutiones synodales, seu ex consuetudine episcopatuum solet imponi pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

DISPUTATIO TRICESIMA SEPTIMA.

De satisfactione secundum se spectata.

Sect. I, II. — *An possimus in hac vita remissionem pœnæ temporalis consequi per nostras satisfactiones; et an ad hoc sit necessaria gratia viatoris.*

Dico 1 : Possumus per nostra opera consequi apud Deum remissionem pœnæ temporalis. De fide; definitum est in conciliis Florentino et Tridentino, etc. Est contra hæreticos negantes post remissam culpam manere reatum pœnæ temporalis, et contra Baium dicentem nos non satisfacere pro pœna temporali, sed ad nostrorum operum præsentiam nobis applicari Christi satisfactionem, ita ut nostra opera sint tantum veluti conditiones necessariæ ad obtinendam pœnæ remissionem, non vero propria solutio. Probatur 1° ex Scriptura tribuente bonis operibus peccatorum remissionem : *Si peccata*

vestra fuerint ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (*Isa.* I, 18). *Facite fructus dignos pœnitentiæ* (*Luc.* III, 8). *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna peccatum* (*Eccli.* III, 33). Idque confirmant exempla sanctorum, Adami, aliorumque subsequentium. 2° Ratione : quia oportuit in statu viæ dare homini locum, tempus et modum quo posset animum ab omni culpa et pœnæ reatu perfecte purgare, sic enim magis excitatur ad virtutem, ad crescendum in meritis, ad amorem et reverentiam erga Deum.

Dico 2 : Homo justus per sua bona opera absolute ac simpliciter dicendus est pro suis peccatis satisfacere : ita omnes Thomistæ, contra dictum Baium; sicque Patres et concilia Florentinum ac Tridentinum loquuntur. Et ratio est quia vere per nostra opera coram Deo meremur, adeoque per illa satisfacimus ; et sicut nostrum meritum non repugnat merito Christi, ita nec nostra satisfactio ejus satisfactioni.

Dico 3 : Nemo in peccato mortali exsistens, potest satisfacere pro pœna temporali ob peccatum debita (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus, Alensis, etc., contra Scotum, Gabrielem, Navarram, etc.), quia, inquiunt. pœna temporalis est finita, ergo compensari potest per æqualem pœnam sine gratia. Sed probatur assertio, quia juxta concilium Tridentinum (sess. 14), nostra satisfactio est opus gratiæ per Christum datæ, nempe sanctificantis ad dandum illi valorem supernaturalem. Deinde pœnæ hujus vitæ per se sumptæ sine gratia, non sunt proportionatæ cum pœna vitæ futuræ ; hinc durante culpa mortali, non potest quis satisfacere pro illius pœna ; imo nec pro pœna peccati venialis, culpa illius durante, adeoque potest pro uno veniali remisso satisfacere, et non pro alio nondum remisso. Bona autem opera in peccato mortali facta non tantum non reviviscunt ad meritum, sed nec ad satisfactionem.

Dico 4 : Bona opera extra gratiam facta, licet non valeant ad meritum et satisfactionem, valent tamen ad impedienda peccata per bonum habitum quem generant, ad obtinendum aliquod præmium temporale, ad impetrandum a Deo aliquod auxilium, præsertim si ex gratia fiant.

Dico 5 : Qui in peccato mortali decedit, non potest satispati in vita futura pro reatu pœnæ ex peccatis relicto ; quia in inferno nulla pœna voluntarie acceptatur, nec a patiente refertur ad Dei honorem, vel satisfactionem. Ad propriam autem satisfactionem requiritur gratia viatoris, non vero ad satispassionem, ut postea dicetur.

Sect. III, IV, V, VI. — *An ad satisfactionem requiratur opus liberum, moraliter bonum, supererogatorium, externum, pœnale.*

Dico 1 : Ad satisfactionem requiritur ut opus seu pœna sit aliquo modo voluntaria seu libera, aut saltem libere acceptata, et fundetur in actu moraliter bono, vel per actum voluntatis moraliter bonum ac supernaturalem sive in se, sive ab intentione supernaturali procedentem, acceptetur ; non est tamen necesse ut procedat ex formali intentione satisfaciendi, sed sufficit ut procedat ex quacunque voluntate Deo placendi aut procurandi suam salutem æternam.

Dico 2 : Omnia bona opera, etiamsi de præcepto exercita, valent ad satisfaciendum, non quidem de rigore justitiæ ad æqualitatem, quia nec sic per bona opera de consilio facta potest satisfieri ; sed valent ad satisfaciendum de condigno, ut postea explicabitur. Sicut enim per illa meremur vitam æternam, ita et per illa, si sint pœnalia, satisfacimus (Cajetanus, Sotus, Medina, etc., Paludanus, Almainus, Scotus, etc.). Probatur, quia eleemosyna aut jejunium de præcepto non tantum est opus meritorium, sed etiam satisfactorium : præceptum enim impletur per rei exsecutionem, sed satisfit per pœnam illi adjunctam ; unde obligatio præcepti, et obligatio satisfactionis sunt diversæ, et potest una ab altera separari.

Dico 3 : Opus internum vel per se sumptum, vel conjunctum cum externo, multum valere potest ad satisfaciendum pro pœna temporali ; actus enim interni sunt optimi, liberi, difficiles et laboriosi ac pœnales. Opus tamen externum, quatenus ab interno procedit, etiam valet ad satisfaciendum, ita ut interno addat vim satisfaciendi, quia in ipso actu externo est distincta pœna ab interno et voluntarie assumpta ; ergo sicut major bonitas actus interni confert ad majus meritum, ita major pœna ad majorem satisfactionem : et sic actus externus licet non addat interno bonitatem essentialem, addit tamen accidentalem per pœnam.

Dico 4 : Opus bonum proprie est satisfactorium quatenus aliquo modo est pœnale, quia satisfactio est punitio illatæ Deo injuriæ, quæ fit per tolerantiam pœnæ. Ideo Scriptura hortando ad satisfaciendum pro peccatis, semper proponit opera pœnalia : in *jejunio et fletu* (*Joel* II, 12) ; *In cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI, 21). Hinc actus exterior per se auget satisfactionem, licet per se non augeat meritum. Attamen satisfactio semper requirit, seu semper habet conjunctum sibi meritum : quia requirit actum bonum, liberum, et aliquo modo a gratia manantem, adeoque meritorium. Deinde probabile est quod omne opus bonum et meritorium sit simul satisfactorium, quia omne opus bonum, quatenus homini laboriosum est, v. gr. contritio, est aliquo modo pœnale. Et licet a theologis numerentur tantum tres actus satisfactorii, oratio, eleemosyna, jejunium, non tamen alii excluduntur ; sed isti tres recensentur, quia sunt præcipui. Unde si satisfactio sumatur præcise prout est pœnæ solutio, quodlibet opus pœnale aptum est ad satisfaciendum pro pœna cuilibet peccato debita ; sed si spectetur prout est medicina præservans, curans, et expellens vitia, tunc diversam satisfactionem diversa peccata exigunt, quia contraria peccata contrariis virtutibus expelli debent.

Sect. VII, VIII. — *An per pœnas, quas quis necessario patitur, possit Deo satisfacere; et ad satisfactionem requiratur Dei promissio et acceptatio.*

Dico 1 : Qui voluntarie accipit pœnam ab extrinseco illatam ob Deum, satisfacit pro peccatis, non tantum ratione actus interni, sed etiam per se ac formaliter per ipsam externam passionem, seu pœnam. Probatur : 1° Quia concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 9) dicit ita nos satisfacere per hæc flagella, sicuti per jejunia et alia opera voluntarie suscepta. 2° Patres docent per hæc flagella justos a Deo purgari in hac vita, sicut in alia eos purgat per ignem purgatorii. 3° Licet homo hæc ab extrinseco patiatur, tamen dum ea voluntarie suscipit et Deo offert, moraliter illa facit sua. Unde plus satisfacit, qui majorem patitur pœnam, cum ipsa ad satisfaciendum conducat. Hæc autem satisfactio non fit solum per flagella a Deo immissa ad istum finem, sed etiam per omnia quæcunque illa sint, et a quibuscunque causis profecta, si prædicta voluntate acceptentur; quia hæc omnia potest homo sua voluntate facere moraliter sua. Ideo nulla hujus vitæ flagella, quocunque modo a Deo immittantur, sunt satisfactoria, nisi per prædictam honestam voluntatem acceptentur, et aliquo modo in Deum referantur. Cum enim non sint satisfactoria ex opere operato, sed operantis, debet esse actio hominis, qua illa acceptet et moraliter conjungat cum Christi satisfactione. Deinde hæc satisfactio quam Deus exigit pro peccatis, non tam ordinatur ad aliorum exemplum, quam ad pœnitentis emendationem, et Dei honorem; ergo requirit saltem voluntariam ipsius pœnitentis acceptationem, ut sic satisfaciat vel pro tota vel pro parte pœnæ in purgatorio subeundæ juxta istorum flagellorum qualitatem, quantitatem, durationem.

Dico 2 : Opera, quibus Deo satisfacimus pro peccatis, prout a gratia procedunt et gratia informantur, proportionem et quamdam condignitatem habent ad satisfaciendum, etiam seclusa Dei promissione extrinseca, quia extrinseca promissio non dat illis proportionem. Hæc autem proportio provenit ex ipso actu, statu, ac dignitate operantis, non cum physica æqualitate, sed cum morali valore ad redimendam pœnam peccato debitam. Jam vero qui quod debet, solvit condigne, nulla indiget promissione ut ejus debitum remittatur. Attamen

Dico 3 : Ut hæc nostra opera infallibiliter sint satisfactoria, et pœnarum alterius vitæ remissiva, necessaria est lex et promissio Dei de condonanda tali pœna sub conditione talis operis : quia pœna per se debita peccato, est pœna alterius vitæ, seu purgatorii. Sed nulla hujus vitæ pœna est cum ea comparabilis, nec est ejusdem rationis; ergo non potest esse sufficiens ad satisfaciendum pro illa, nisi ex sola Dei promissione et acceptatione. Deinde si aliqua certa pœna, lege statuta sit alicui peccato imposita, non tenetur judex aliam pœnam loco illius acceptare; sed potest illam in propria specie inferre, maxime si alia quæ loco illius offertur, sit inferior. Sed purgatorii pœna lege justa debetur peccatis nostris; ergo seclusa omni alia lege Dei, nihil est quod obliget ipsum ad remittendam illam pœnam ob opera nostra in hac vita facta.

Sect. IX, X. — *An hæc nostra satisfactio sit de condigno; et talis requiratur ad remissionem pœnæ purgatorii obtinendam.*

Dico 1 : Nostra opera sunt satisfactoria de condigno et de justitia pro illa purgatorii pœna, quæ per se respondet peccato non plene remisso; est enim ex certa divinæ justitiæ lege definita pœna, singulis peccatis respondens, in altera vita sustinenda, si in hac non fuerit plene remissa. Probatur, quia sicut meremur de condigno apud Deum, juxta definitionem concilii Tridentini, ita et satisfacimus. Ad meritum de condigno nil aliud requiritur quam dignitas operantis, proportio operis et promissio Dei sub conditione talis operis; atqui hæc omnia concurrunt in nostra satisfactione; ergo nihil illi deest ut sit de condigno. Sed

Dico 2 : Quando pœna est extraordinaria, sive quando est pœna non alterius, sed hujus vitæ, quam Deus pro sua voluntate immittit, justus non potest pro illa de condigno satisfacere, imo neque aliquid facere, quo infallibiliter illius remissionem consequatur. Atque hæc Dei voluntas qua vult aut minatur infligere aliquam pœnam seu afflictionem, si sit absoluta, nullo modo, nec oratione, nec lacrymis potest impediri aut mutari; si autem sit conditionata, potest oratione, jejuniis aliisve bonis operibus interdum impediri, mutari, pœnæ infligendæ remissio obtineri per modum impetrationis et meriti de congruo : sed non infallibiliter per modum satisfactionis de condigno, quia de remissione hujus pœnæ nulla est certa promissio, nec lex statuta. Itaque

Dico 3 : Excludendo impetrationem, per quam orando potest gratis impetrari aliqua pœnæ peccatis debitæ remissio, et opus meritorium per quod merendo augmentum gratiæ et gloriæ simul minuitur aliquis reatus pœnæ, unica alia via ad consequendam in hac vita remissionem pœnæ peccatis debitæ per propriam operantis actionem (non enim hic loquimur de satisfactionis Christi applicatione per sacramenta, missæ sacrificium, martyrium, indulgentias), probabilius est condigna satisfactio et compensatio delicti, seu satisfactio de condigno, sicuti unica via ad consequendam gloriam, est meritum de condigno. Hanc enim satisfactionem per propriam pœnitentis actionem videtur justitia Dei vindicativa, seu punitiva exigere; ut non gratis, sed cum labore condigno ac dolore, istius pœnæ remissio obtineatur.

DISPUTATIO TRICESIMA OCTAVA.

De sacramenti satisfactione.

Sect. I, II, III. — *An satisfactio sit pars necessaria hujus sacramenti; an habeat effectum ex opere operato; et an confessarius teneatur illam pœnitenti imponere.*

Dico 1 : Certum est posse confessarium imponere

pœnitenti aliquam pœnitentiam in satisfactionem pro peccatis, ut constat ex perpetuo Ecclesiæ usu, Patribus, et conciliis, ac præcipue ex Florentino et Tridentino, ubi hoc expressius definitur. Ratio est, quia hoc sacramentum per modum judicii, in quo non semper tota pœna gratis remittitur, confertur, et per modum medicinæ, per quam intenditur emendatio. Unde hæc satisfactio a confessario imposita et virtute clavium applicata, est pars hujus sacramenti, ut definiunt concilia Florentinum et Tridentinum, quia pertinet ad hujus judicii integritatem, tanquam pars materialis. An vero sit essentialis, vel integralis tantum quæritur. D. Thomas et fere omnes reliqui Thomistæ dicunt esse integralem tantum, non essentialem. Hoc enim sacramentum vere conficitur et confert gratiam ante expletam satisfactionem ; sed nulla res incipit esse absolute sine parte essentiali, ergo, etc. Deinde satisfactio non ordinatur ad primarium hujus sacramenti effectum, id est culpæ remissionem, sed ad secundarium, id est remissionem pœnæ temporalis.

Dico 2 : Satisfactio, cum sit pars sacramenti, habet aliquem proprium effectum ex opere operato ; alioqui non esset majoris efficaciæ quam satisfactio non sacramentalis. Hic autem proprius ac primarius effectus ex opere operato, est remissio alicujus pœnæ temporalis, præter illam quæ posset ex opere aut merito operantis respondere ; imo per ipsammet sacerdotis absolutionem, supposita acceptatione et proposito pœnitentis implendi pœnitentiam impositam, remittitur ex opere operato non tantum culpa et æterna pœna, sed etiam aliquid pœnæ temporalis ; sed si post datam absolutionem maneat alicujus pœnæ reatus, hæc vi satisfactionis impositæ non tollitur, nec minuitur, donec integre aut ex parte exsecutioni mandetur. Hæc autem satisfactio licet forte exsecutioni mandetur ante datam absolutionem, non tamen habet suum effectum nisi post illam datam ; quia sacramentum non incipit habere suum effectum, nisi essentialiter confectum sit per formam. Deinde hæc pars integralis sacramentalis, juxta quosdam, confert etiam ex opere operato aliquam gratiam gratum facientem ; saltem non videtur dubium esse, quin per illam detur aliqua sacramentalis gratia, id est, aliquod auxilium præservans, vel adjuvans ad emendanda peccata. Denique hæc quælibet satisfactio, etiam minima, habet suum proportionatum effectum, vel partem, vel totum pœnæ reatum delendo juxta proportionem quam habet cum isto reatu.

Dico 3 : Per se loquendo, tenetur confessarius imponere pœnitenti satisfactionem, utpote partem sacramenti integralem ; non tamen tenetur eam semper imponere per modum præcepti, sed interdum per modum consilii dicendo ut talem faciat pœnitentiam, vel eam quam pœnitens voluerit assumere, applicando, etiam sine obligatione sub hac forma quasi conditionata : *Si hoc feceris, serviat tibi in satisfactionem*. Denique potest partem pœnitentiæ sub præcepto, aliam sine illo facile imponere. Arbitrarium autem est satisfactionem imponere ante vel post absolutionem, modo enim hæc moraliter conjungantur, et veluti in eodem judicio fiant, non refert si alterum antecedat vel sequatur. Consuetudo tamen fere obtinuit ut ante absolutionem imponatur ; et licet id non cadat sub obligationem, consultius tamen videtur, ut materia quoad fieri potest, supponatur formæ.

Dico 4 : Potest interdum confessarius absolvere nulla imposita satisfactione, quia non est pars essentialis ; v. gr. quando moribundus nihil potest percipere. Si quid vel parum percipiat, dicat, ut proferat nomen Jesu semel bisve ; vel motum bonum eliciat. Item si confessarius sciret pœnitentem integre jam satisfecisse pro peccatis suis, tunc posset nullam pœnitentiam imponere.

Sect. IV, V. — *Quam mensuram servare debeat confessarius in imponenda satisfactione ; an hæc habeat aliquam latitudinem.*

Dico 1 : Quamvis nulla sit certa satisfactionis mensura lege ecclesiastica taxata quam teneatur confessarius imponere, imo nec olim pro interno pœnitentiæ foro fuerit, sed relicta sit confessarii arbitrio et judicio, tamen hoc arbitrium et judicium non est absolute ejus voluntati relictum ; sed spectata peccatorum gravitate et pœnitentis dispositione, ac servata justitiæ ratione debet proportionatam imponere satisfactionem juxta humanæ prudentiæ exigentiam. Ex rationabili causa ob pœnitentis impotentiam aut fragilitatem, potest leviorem imponere, ne ejus salus majori periculo exponatur. Debet tamen confessarius conari dare pœnitentiam curationi et præservationi a peccatis accommodatam.

Dico 2 : Satisfactio, quæ reipsa est sufficiens ad tollendum omnem pœnæ reatum, estque illi æqualis, ac revera illum tollit, probabilius est determinata, ac in indivisibili consistit, ita ut si imposita non pertingat ad ejus æqualitatem pœnitentiæ, quamvis parum deficiat, non tollat totam pœnam ; si autem excedat, licet parum, aliquid etiam satisfactionis supersit. In divino enim judicio omnia sunt definita in pondere et mensura non habente plus, nec minus. Et hanc pœnæ æqualitatem non potest certo attingere confessarius, sed debet maxime attendere emendationem et præservationem a peccato.

Sect. VI. — *Quæ opera in satisfactionem sint imponenda.*

Dico 1 : Opus imponendum debet esse moraliter bonum, et quamvis actus externus magis sit sacramento accommodatus, utpote sensibilis et ordinarie magis pœnalis, potest tamen etiam imponi actus internus ; v. gr. si pœnitens valde infirmus nihil possit externe facere, poterit ei imponi ut actum internum eliciat. Item si confessarius judicet ad bonum pœnitentis expedire ut aliquoties, vel aliquot dies proponat peccatum vitare, id illi poterit imponere. Ut autem iste actus sit pars sacra-

menti, sufficit ut sit per accidens sensibilis, uti contritio ; et fit per accidens sensibilis quando exterius imponitur et acceptatur.

Dico 2 : Ob peccata occulta non debet imponi pœnitentia publica, utpote improportionata et contra bonam pœnitentis famam ; pro peccatis vero publicis imponenda est publica, ad Ecclesiæ satisfactionem et exemplum ; nec tunc revelatio est sigilli, quia fit ex consensu pœnitentis rationabiliter dato. Dicitur autem pœnitentia publica quæ ita fit coram aliis ut ex ea colligi possit ob grave crimen fuisse impositam ; non vero omnis illa quæ fit coram aliis est publica : si enim ita fiat ut persona vel causa maneat occulta, vel si sit talis ut soleat pro levibus peccatis imponi, hæc non dicitur publica, et potest imponi.

Dico 3 : Non est necesse imponere unum opus ex his tribus, jejunio, oratione, stipe stricte sumptis ; nec etiam necesse imponere opus supererogationis ; potest enim etiam imponi opus aliunde præceptum ; sed ordinarie intelligitur impositum fuisse supererogationis opus, dum confessarius nihil explicuit. Potest tamen pœnitens satisfacere, recitando rosarium aut horas eo tempore quo auditur sacrum de præcepto. Denique D. Thomas, Navarra, etc., censent posse imponi opus bonum in communi sic : *Quidquid boni feceris et mali sustinueris.*

Sect. VII, VIII, IX. — *An pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, et implere ; an teneatur implere in statu gratiæ ; an sit personalis.*

Dico 1 : Confessarius obligare potest pœnitentem, ut pœnitentiam impositam acceptet et impleat. (D. Thomas, Magister, etc.) Tenetur enim confessarius illam imponere ; ergo et pœnitens acceptare, et implere sub reatu peccati mortalis, si confessio sit de materia mortali ac necessaria, et imposita pœnitentia sit gravis : nisi forte pœnitens ante absolutionem recuset eam acceptare, cui tamen non est omnino liberum eam recusare, si sit justa. Obligatio autem implendi pœnitentiam impositam, juxta communem theologorum sententiam, erit tantum sub veniali peccato, 1° si confessio sit de solis venialibus. 2° Si de mortalibus jam confessis ; licet enim omittendo hanc pœnitentiam integritas sacramenti non servetur, est tamen in re valde extrinseca et secundaria. 3° Si omittatur levis pars pœnitentiæ in confessione mortalium impositæ. 4° Si in confessione mortalium, levis pœnitentia imposita fuerit, hanc totam omittere non videtur peccatum mortale ; nec erit, juxta Medinam, si confessarius imponendo pœnitentiam gravem, expressis verbis voluerit tantum obligare sub veniali.

Dico 2 : Quoad tempus implendi pœnitentiam impositam, si confessarius istud designarit, debet intra illud impleri, et si intra istud non fuerit impleta, durat adhuc obligatio ; si non designarit, implenda est quam primum commode potest.

Dico 3 : Quamvis per se loquendo nequeat confessarius obligare pœnitentem ad pœnitentiam implendam priusquam eum absolvat, prout pœnitentia est vindicta, tamen, prout est medicina, id interdum potest.

Dico 4 : Pœnitentia in statu peccati mortalis facta sufficit quidem ad sacramenti integritatem et ad obligationem implendam a confessario impositam, quia hic tantum opus, non ejus modum præcipit, sed in illo statu nullum effectum confert ex opere operato, quia iste status ponit obicem. Sublato autem obice, seu recedente fictione, probabilius illum confert, sicut opera mortificata reviviscunt sublata fictione, ita hoc opus incipit habere suum effectum, sublata fictione. Hæc res tamen est satis incerta. Qui autem in peccato mortali implet pœnitentiam sibi injunctam, videtur non mortaliter, sed tantum venialiter peccare, quia partem sacramenti indigne recipit et ejus effectui ponit obicem.

Dico 5 : Quando confessarius absolute imponit pœnitentiam, intelligitur esse personalis, ita ut non possit impleri nisi per pœnitentem, v. gr. injunctum jejunium non potest per alium impleri ; si autem confessarius judicaverit expediens esse, potest imponere pœnitentiam per alium implendam, et tunc satisfit confessarii præcepto, si tali modo fiat, v. gr. si alius jejunet loco pœnitentis : ita D. Thomas, Paludanus, Alensis, Sylvester, etc. Imo hæc satisfactio per alium impleta, non tantum sufficit ad implendum confessarii præceptum, sed etiam ad satisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit (D. Thomas, Bonaventura, Durandus, etc.) ; quia quando pœnitentia imponitur per alium implenda, semper intelligitur facienda ex motione et petitione pœnitentis, et sic aliquo modo est illius, et aliquo modo pars sacramenti ab illo suscepti ; ergo potest habere effectum ex opere operato circa illum.

Sect. X. — *Quis possit impositam satisfactionem tollere vel mutare.*

Dico 1 : Confessarius sine iteratione confessionis quam prius ipse audivit, potest mitigare vel mutare pœnitentiam, si pœnitens ad ipsum recurrat intra tempus adeo breve ut moraliter possit idem judicium censeri. Multo antem magis cum iteratione confessionis id potest. Si pœnitens factus est impotens, sufficit declarare eum excusari ob suam impotentiam ; idem dic, si pœnitentia ab initio fuit injusta imposita. Extra confessionem non potest pœnitentia mutari.

Dico 2 : Si pœnitens recurrat ad alium sacerdotem æqualis auctoritatis cum eo, cui est confessus sua peccata, ille audita eorumdem peccatorum confessione, pœnitentiam ab alio impositam potest mutare non tantum in æqualem, sed etiam in mitiorem prout prudenter judicaverit ; est enim judex causæ ad se a pœnitente delatæ. Et idem dic a fortiori de confessario superioris auctoritatis, et qui possit per indulgentias remittere pœnam peccatis debitam : item dic de confessario minoris auctoritatis quoad peccata non reservata, quia in officio confessionis et absolutionis omnes sacerdotes viden-

tur esse æquales, utpote qui ut immediati Christi ministri ferunt definitivam et ultimam sententiam. Quoad vero peccata reservata, postquam superior directe de illis absolvit pœnitentem et pœnitentiam pro illis imposuit, non videtur, per se et jure ordinario, hæc pœnitentia posse commutari a confessario non habente in ista reservata jurisdictionem; quia in illa spectata quatenus talia sunt, seu quatenus commissa sunt, non habet jurisdictionem, utpote reservata. Ergo non potest mutare sententiam quæ pro illis sic spectatis imposita fuit. Dixi *per se et jure ordinario*, quia dum pia utilitas et necessitas et difficilis recursus ad superiorem qui imposuit pœnitentiam, aliud postulat, tunc poterit eam immutare, modo possit pie præsumere hanc esse superioris intentionem, præsumptione fundata vel in jure vel in consuetudine.

LIBER III.

De sacramento extremæ unctionis.

—

DISPUTATIO TRICESIMA NONA.

De institutione hujus sacramenti.

Sect. I, II. — *An detur verum sacramentum quod vocetur extrema unctio; et an immediate a Christo fuerit institutum.*

Dico 1 : Extremam unctionem esse verum sacramentum, unumque ex septem legis novæ, de fide est; contra Valdenses, Wicleffistas, Calvinistas, Lutheranos. Ad hoc probandum quidam afferunt locum Marci VI, 13, ubi Christus mittit apostolos ad prædicandum, et de illis subditur : *Ungebant oleo multos ægrotos et sanabant.* Sed videtur hæc unctio fuisse tantum quædam instituendi istius sacramenti adumbratio, non sacramentum; quia ibi nullum est indicium sacramentalis unctionis, sed tantum medicinalis, seu curativæ. Deinde apostoli tunc nondum erant ordinati sacerdotes, et ungebant non solum baptizatos, sed quoslibet. Alter ergo Scripturæ locus, in quo hæc veritas catholica potissimum fundatur, est Jac. V, 14, 15, ubi sic dicitur : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Nam in illis verbis continentur omnia quæ sunt de ratione sacramenti novæ legis, nempe ritus externus sensibilis, constans materia et forma, id est, olei unctione et verbo seu oratione sacerdotis; minister, id est presbyter; subjectum, id est fidelis infirmus; effectus cum promissione gratiæ ad remissionem peccatorum et ægroti alleviationem ordinata. Probatur hæc veritas ex Ecclesiæ traditione ac definitione in variis conciliis, Moguntino, Senonensi, Florentino, Tridentino, etc., et ex Patribus Dionysio, Augustino, Chrysostomo, etc. Certe istud sacramentum pro mortis articulo valde congruebat a Christo institui ob pericula, et varias alias causas.

Dico 2 : Hoc sacramentum fuit immediate a Christo institutum : ita semper fuit communior theologorum sententia : D. Thomas, Paludanus, Gabriel, etc., contra Magistrum, Bonaventuram, Alensem, etc., admittentes esse sacramentum, non autem immediate a Christo institutum. Sed nunc de fide definitum est in concilio Tridentino (sess. 14, can. 1). Probatur, quia licet de isto sacramento evangelistæ nihil dixerint, et solus Jacobus de eo meminerit, nihil refert; quia non omnia quæ Christus fecit, sunt distincte ab evangelistis relata, et ideo fortasse Jacobus ut prædicator et doctor, expresse de eo fecit claram mentionem. Videtur autem hoc sacramentum non fuisse reipsa institutum ante noctem cœnæ, sed post resurrectionem simul cum sacramento pœnitentiæ, cujus est quædam consummatio (*Joan.* XX). Attamen verisimile est Christum in nocte cœnæ docuisse apostolos inter alia mysteria, ritum in hoc sacramento servandum.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De essentia sacramenti extremæ unctionis.

Sect. I, II. — *Quæ sit materia remota et proxima hujus sacramenti.*

Dico 1 : De fide est remotam hujus sacramenti materiam esse oleum olivarum, quod de necessitate præcepti debet esse ab episcopo benedictum. Imo juxta communem sententiam theologorum, etiam de necessitate sacramenti : contra quosdam dicentes sufficere simplex oleum ex Christi institutione, ritumque illud benedicendi esse accidentalem ex Ecclesiæ institutione. Probatur ex conciliis Florentino et Tridentino dicentibus hujus sacramenti materiam esse oleum ab episcopo benedictum, et ex Ecclesiæ traditione. Christus igitur sua institutione determinavit ut materia esset oleum benedictum, et quidem, ut verisimilius videtur, determinavit in particulari ut esset ab episcopo benedictum, adeoque non potuerunt apostoli aut Ecclesia hunc ritum immutare; modus autem benedictionis non fuit a Christo definitus. Unde quodcunque oleum olivarum quovis modo ab episcopo benedictum, sufficiens est materia hujus sacramenti, etiamsi episcopus illud benedicendo mutaret benedictionis modum ab Ecclesia præscriptum, dummodo revera sit ac maneat benedictum. Nec est de illius necessitate ut sit simplex oleum; unde chrisma quod balsami mistionem habet, cum sit vere oleum ab episcopo sanctificatum, est sufficiens hujus sacramenti

materia; adeoque seclusa Ecclesiæ prohibitione, nullum foret peccatum illo uti ad conficiendum hoc sacramentum, præsertim si aliud oleum simplex et sanctificatum, quod est ordinaria hujus sacramenti materia, deesset. Non licet tamen propria auctoritate aliquid illi immiscere sine causa.

Dico 2 : Proxima hujus sacramenti materia est unctio ex oleo facta, non vero ipse usus sacramenti jam confecti, uti volebat quædam antiqua sententia, dicens ipsum oleum ab episcopo benedictum esse hoc sacramentum, habens nempe esse permanens uti Eucharistia. Probatur ex verbis Jacobi : *Ungentes eum oleo* (*Jac.* v, 14). Non est de necessitate sacramenti ut hæc unctio fiat in figura crucis; imo nec de necessitate præcepti, saltem sub culpa gravi, secluso contemptu aut scandalo : nullum enim est expresse latum hac de re præceptum, nec constat consuetudinem sub hac existimatione fuisse introductam. Si igitur ex justa causâ omittatur, ut brevius aut securius agatur, nullum erit peccatum; ordinarie tamen debet servari ac fieri.

Dico 3 : Unctiones quinque sensuum non tantum sunt necessariæ necessitate præcepti, sed etiam communius, juxta D. Thomam, Bonaventuram, Durandum, etc., de necessitate sacramenti; non tamen ordo unctionum est de illius essentia, uti nec duplex unctio singulorum sensuum, v. gr. duorum oculorum, duarum aurium, etc., quamvis sit servandus ob consuetudinem. Duæ aliæ unctiones pedum et renum non sunt necessariæ, et plerumque omittuntur, præsertim in feminis ob honestatem.

Sect. III. — *Quæ sit legitima hujus sacramenti forma.*

Dico 1 : Certum est determinatam aliquam verborum formam esse de essentia hujus sacramenti; hacque Ecclesia Romana utitur : *Per istam sacram unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti*, etc., quæ cum errare non possit in ritibus sacramentalibus, omnes aliæ formæ vel revocandæ sunt ad substantialem hujus sensum, vel aliquid eis addendum est, aut additum semper fuisse credendum est, quo prædictus substantialis sensus perficeretur.

Dico 2 : De fide est formam deprecativam esse sufficientem, uti definiunt expresse concilia Florentinum et Tridentinum, habeturque ex perpetua Ecclesiæ traditione. Imo probabilius videtur hanc ita esse necessariam, ut solum indicativum verbum sine ulla formali deprecatione non sufficiat. (D. Thomas, Bonaventura, etc., contra Albertum, Richardum, Durandum, etc.) Aliæ ergo formæ quæ utuntur aut usæ sunt verbo indicativo : *Ungo te*, subjungunt alia verba deprecatoria. Hinc si quis uteretur hac forma : *Ungo te oleo sancto, ut Deus tibi remittat quidquid peccasti*, etc., ista forma esset sufficiens. In aliis sacramentis sufficiunt verba indicativi modi, v. gr. *Te baptizo, te absolvo*, quia per illa sufficienter declaratur actio et effectus sacramentalis; secus in hoc, quod ex sua institutione postulat deprecationem, *orent super eum*; propositio autem indicativi modi : *Ungo te*, proprie non est oratio.

Dico 3 : Non est de necessitate hujus formæ, nec de substantia sacramenti, nec de præcepto, explicare materiam remotam, ex qua fit unctio, dicendo : *Per ipsam sacram olei unctionem;* sicuti nec in baptismo explicatur materia remota, seu aqua. Et quamvis hæ voces : *Istam sacram, et suam piissimam misericordiam*, non videantur etiam esse huic formæ essentiales, tamen sub gravi culpa proferendæ sunt, uti et reliquæ *per visum, per auditum* etc., quæ fortasse sunt essentiales. Invocatio Trinitatis, quam aliqui addere solent in fine omnium verborum, non est necessaria; imo si bene attendatur modus deprecativæ formæ, non bene accommodatur illi : neque in conciliis neque in Cæremoniali Romano id ponitur; neque etiam communis consuetudo id habet.

Sect. IV. — *De definitione, unitate et iteratione hujus sacramenti.*

Dico 1 : Hoc sacramentum, uti alia, potest definiri tum physice dicendo esse quoddam compositum ex tali materia et forma; tum logice dicendo, constare ex tali genere et differentia : v. gr. est sacramentum institutum ad confortandum graviter ægrotantem. Unde non tantum est unum specie, sed etiam numero (D. Thomas, Paludanus, Sotus, etc.); quia licet interveniant plures unctiones et formæ, ex illis tamen omnibus consurgit unum numero sacramentum, nempe unum compositione; seu unum ex illis omnibus integrum sacramentum componitur, quia omnes illæ (sive omnes essentiales sint sive non), ad integram totius hominis unctionem, quam institutio exigit, et ad eumdem integrum effectum obtinendum ordinantur; et quamvis forte per unctionem unius sensus sub propria forma statim daretur aliquis gratiæ effectus, iste tamen non esset integer, nec sufficeret ad totius sacramenti compositionem, sive ad alleviandum infirmum quantum indiget.

Dico 2 : Cum hoc sacramentum non imprimat characterem, hinc fit ut simpliciter sit iterabile; non quidem in eodem ejusdem morbi periculo, sed in diverso morbo, aut in novo diuturni ejusdem morbi periculo. Ad iterandum ergo hoc sacramentum in eodem morbo diuturno, oportet ut periculum mortis cessaverit et novum adsit.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

De effectu et fine hujus sacramenti.

Sect. I. — *Quis sit proprius hujus sacramenti effectus.*

Nota : Aliqui dicunt proprium hujus sacramenti effectum esse remissionem venialium peccatorum; vel dando ex opere operato auxilium ad illa expellenda, vel per se et immediate illa ex opere operato remittendo non invento obice : ita Bonaventura, Richardus, Durandus, et alii communiter. Sed aliud est dicere per hoc sacramentum remitti peccata ve-

nialia, quod omnes admittunt; aliud dicere hanc venialium remissionem esse proprium ejus effectum, et ad hunc finem primario institutum esse. Alii autem asserunt primarium hujus sacramenti finem et effectum esse tollere reliquias præcedentium peccatorum, tam originalis, quam actualium mortalium et venialium; intelliguntque per reliquias peccatorum, vel peccata mortalia in confessione omissa inadvertenter, vel quævis venialia, vel peccatorum reatum pœnæ temporalis, vel propensionem ad malum, et difficultatem ad bonum faciendum. (D. Thomas, Albertus, Antoninus, Sylvester, etc.) Cum hæ omnes sententiæ aliquid veritatis habeant, possunt aliquo modo conciliari, et ex illis omnibus una vera confici sic.

Dico 1 : Hoc sacramentum per se primo institutum est ad juvandum et confortandum ægrotantis animum contra difficultates illi in articulo mortis occurrentes, ut ait Jacobus : *Et alleviabit eum Dominus* (*Jac.* v, 15); pro reliquo enim ante actæ vitæ tempore sufficienter provisum est per alia sacramenta; pro mortis tempore fuit per hoc providendum. Specialis ergo sacramentalis gratia hujus sacramenti non consistit in sola alicujus peccati remissione seu mali expulsione, sed præcipue præter infusionem augmenti gratiæ habitualis, in collatione divinorum auxiliorum ad spem firmandam, ad hilaritatem afferendam, et ad roborandum hominis animum contra dæmonum tentationes. Deinde primario etiam institutum est ut proxime disponat animam ad gloriæ introitum, non tantum per gratiam sanctificantem, sed etiam per ablationem omnis mali ex peccato provenientis, si non inveniat obicem, et per collationem auxiliorum ad perseverandum in bono usque ad mortem. Hinc

Dico 2 : Hoc sacramentum non per se primo nec per accidens, sed ex secundaria propriæ institutionis intentione ordinatum est etiam ad omnia peccata aliquo modo delenda, tum quoad culpam mortalia et venialia, tum quoad eorum reatum pœnæ temporalis, uti indicant verba formæ : *Quidquid peccasti;* et Jacobi : *Si in peccatis est, dimittentur ei* (*Ibid.*); item ad tollendas alias peccatorum reliquias, dando robur et vigorem ad vincendum concupiscentiam ac pravos habitus, confortando debilitatem ex peccatis relictam, non illam in se tollendo, sicut tollit culpam vel reatum pœnæ; sed per divina auxilia addendo vires contra illam. Hinc sequitur hoc sacramentum posse interdum infundere gratiam primam, et ex attrito facere contritum : v. gr., si quis invincibiliter putet se esse contritum cum sit tantum attritus, aut invincibiliter putet attritionem sufficere ad suscipiendum hoc sacramentum, tunc illud suscipiendo, si habeat peccata mortalia, remittentur, et prima gratia infundetur; sicque fiet ex attrito contritus, non per ipsius actus attritionis mutationem in contritionem, sed per solam gratiæ sanctificantis infusionem, ut supra de pœnitentia dictum est. Deinde quando peccata venialia per hoc sacramentum remittuntur, non id fit per solam devotionis excitationem, sed immediate per ipsius sacramenti efficaciam.

Dico 3 : Ad consequendum spiritualem hujus sacramenti effectum, per se necessarius est vel status gratiæ vel contritio; per accidens tamen potest interdum sufficere attritio, ut jam explicatum est. Si quis autem sine attritione male recipiat hoc sacramentum, recedente fictione in eodem morbo, v. gr. per contritionem, probabilius recipiet ejus effectum quoad gratiam tum habitualem tum sacramentalem. Sed habitualem tantum recipiet, si fictio recedat seu tollatur obex post recuperatam sanitatem; quia tunc necessitas vel opportunitas gratiæ sacramentalis jam desiit.

Sect. II, III. — *Quando hoc sacramentum conferat suum gratiæ effectum; et an interdum hunc conferat sine omnibus unctionibus.*

Dico 1 : Quidam non omnino improbabiliter dicunt per singulas unctiones earumque formas dari partialem aliquem gratiæ sanctificantis effectum, et per quinque successivas unctiones earumque formas dari totalem et adæquatum sive consummari : adeoque per primam unctionem mortalia remitti, reatum vero pœnæ temporalis, ac venialia partialiter ac successive remitti, uti et alios effectus dari. Sed probabilior et vera sententia est effectum hujus sacramenti tantum dari eodem instanti, in quo consummatur, nempe eo instanti in quo quinque unctiones essentiales quinque sensuum cum suis quinque formis absolvuntur : communis enim est lex sacramentorum in usu consistentium, ut unicam gratiam conferant in eo puncto et momento in quo complentur. In ultimo igitur instanti, in quo finitur ultima unctio vel ultima forma, vel utraque simul, illa in virtutem omnium præcedentium confert effectum sacramentalem. Per istas autem quinque unctiones et formas, non tantum significatur curatio et expulsio peccatorum quæ fiunt per quinque sensus, sed etiam omnium aliorum quæ fiunt in animo, quia radix omnium peccatorum est cogitatio. Cogitatio autem ducit originem a sensu, et sic sub peccatis per quinque sensus commissis, comprehenduntur omnia alia.

Dico 2 : In casu necessitatis, si unico et brevissimo motu ungendo sine signo crucis unum oculum, unam aurem, unam manum, nares et os sufficiat ad sacramenti substantiam, proferre unicam formam sic : *Per istam sacram unctionem, vel per istas sacras unctiones remittat tibi Deus quidquid per visum, auditum, tactum, odoratum, gustum, deliquisti,* tunc videtur id posse fieri, seu licitum esse.

Sect. IV. — *An hoc sacramentum aliquando etiam corporis sanitatem conferat.*

Dico 1 : De fide certum est corporis sanitatem etiam pertinere ad effectum hujus sacramenti, adeoque interdum illius virtute conferri, dum nempe Deus judicat illam sive integram sive ex parte restitutam expedire ad salutem animæ; quod habetur

in conciliis Florentino et Tridentino, ac maxime sumitur ex verbis Jacobi : *Et oratio fidei salvabit infirmum* (*Jac.* v, 15) ; vel ex his : *Et alleviabit eum Dominus* (*Ibid.*). Unde hic effectus non est simpliciter infallibilis, quia dependet a conditione, *si expediat;* posita autem conditione, est infallibilis, quia jam promissio transit in absolutam. Alius autem effectus confortandi et juvandi infirmum ut morbi labores levius tolleret, est absolutus et infallibilis quoad auxilia a Deo danda, sed eorum usus pendet a libera infirmi cooperatione.

Dico 2 : In hoc sacramento sicut in aliis, tria reperiuntur sic : sacramentum tantum, est illud quod jam satis explicatum est ; res tantum, est gratia sanctificans et remissio peccatorum ; res et sacramentum simul, est ipsa mentis hilaritas ac confortatio : quatenus enim a sacramento manat, est res sacramenti, et quatenus est signum interioris sanitatis animæ, est aliquo modo sacramentum.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De subjecto cui dandum est hoc sacramentum.

Sect. I. — *An solus homo baptizatus ratione utens possit recipere hoc sacramentum.*

Dico 1 : Solus homo viator est capax hujus sacramenti, adeoque si dubitetur an jam sit mortuus, debet dari tantum sub conditione : *Si non est mortuus.* Item solus baptizatus est illius capax, quia baptismus est janua aliorum sacramentorum. Infantes ante usum rationis, cum sint incapaces peccati ac pœnitentiæ, ita etiam sunt incapaces hujus sacramenti quod est consummativum pœnitentiæ. Idem dic de perpetuo amentibus. Recuperatio sanitatis est tantum secundarius hujus sacramenti effectus et quidem fallibilis, qui cessat cessante primario, nempe augmento vel infusione gratiæ.

Dico 2 : Ad ministrandum valide hoc sacramentum, non est necesse ut qui id recipit tunc sit sui compos aut habeat usum rationis ; sufficit quod aliquando habuerit, et peccare actualiter potuerit, sufficientemque hujus sacramenti susceptioni consensum præbuerit. Ac præbuisse censendus est, si aliqua contritionis aut attritionis signa ediderit, vel quacunque ratione præsumatur esse dispositus ; quod semper præsumendum est, quoties non constat de contrario, quia qui malus non probatur, bonus esse præsumitur. Qui autem dispositus præsumitur, etiam creditur habere voluntatem, aut saltem virtualiter intentionem recipiendi hoc sacramentum ; ad hoc, juxta theologos, virtualis seu interpretativa intentio sufficit. Sed si constaret eum amisisse usum rationis in statu peccati mortalis, tunc non liceret administrare ei hoc sacramentum. Ista quidem, quæ dixi, sufficiunt ad substantiam sacramenti ; sed curandum est ut illud detur eo tempore, quo infirmus est adhuc sui compos, ut possit ad devotionem et fiduciam excitari.

Sect. II, III. — *An solus infirmus corpore et animo sit capax hujus sacramenti ; et quæ partes corporis ungendæ sint.*

Dico 1 : Solus homo qui corpore infirmus est, et in eo statu, in quo vita illius periclitatur, est capax hujus sacramenti ita ut infirmitas sit necessaria non tantum necessitate præcepti, sed etiam sacramenti ; et quidem requiritur ut infirmitas ex sua specie vel in hoc individuo, prudentum judicio, sit gravis, et infirmum in gravi mortis periculo constituat. Non tamen in quovis mortis periculo seu occasione dandum est hoc sacramentum, sed tantum in eo quod ex infirmitate corporis provenit : unde damnatus ad mortem, aut periculose navigans, licet mors instet, non est capax hujus sacramenti ; secus tamen si quis ex accepto lethali vulnere versaretur in mortis periculo, utpote vere ægrotans.

Dico 2 : Hoc sacramentum non soli peccatori, sed etiam ei qui nunquam actualiter peccavit potest dari. (Bonaventura, Richardus, etc.) Forma enim ejus est conditionata : *Si in peccatis sit, remittentur ei* (*Jac.* v, 15) ; et licet quis non peccarit actualiter, est tamen debilis ob peccatum originale et ejus reliquias ad vincendas dæmonis insidias. Hinc probabilius est B. Virginem suscepisse hoc sacramentum, tum ob gratiæ fructum, tum ob exemplum.

Dico 3 : Certum est ad conficiendum hoc sacramentum non oportere totum corpus inungi, sed debere inungi quinque organa sensuum, et dum aliquod ex illis deest, inungendam esse partem illi propinquam : et licet tactus per totum corpus sit dispersus, illius tamen unctio fit tantum in manibus, vel in manu una si altera desit, quia dicitur ibi esse organum tactus in majori perfectione ac vigore.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De ministro sacramenti extremæ unctionis.

Sect. I, II. — *An sacerdos sit proprius hujus sacramenti minister, et an possit a multis sacerdotibus confici.*

Dico 1 : Solus sacerdos est minister hujus sacramenti neque ab alio valide confici potest. De fide. Probatur ex verbis Jacobi : *Inducat presbyteros Ecclesiæ* (*Jac.* v, 14) ; licet enim vox *presbyteri* in usu linguæ Græcæ possit significare seniores, uti objiciunt hæretici, tamen in usu Ecclesiæ et præsertim apostolorum, communiter sumitur pro Ecclesiæ sacerdotibus. Hinc Jacobus et Ecclesia sufficienter declarant hanc a Christo potestatem solis sacerdotibus esse datam, maxime cum hoc sacramentum ordinetur suo modo ad sanctificandos fideles. Verisimile est fuisse datam apostolis potestatem ministrandi hoc sacramentum, quando data est eis potestas remittendi peccata (*Joan.* xx, 22, 23). Idcirco ita solus sacerdos est minister hujus sacramenti, ut nullus præter illum sive laicus, sive etiam diaconus in quavis necessitate possit illud valide conficere. Quilibet quidem simplex sacerdos potest

valide hoc sacramentum conficere, sed non licite sine licentia proprii sacerdotis. Si qui olim sancti non sacerdotes unxerunt oleo infirmos ad eos curandos, non erat unctio sacramentalis.

Dico 2 : Non potest hoc sacramentum valide fieri a pluribus personis, seu ministris partialibus, si v. gr. unus faciat unctionem, et alius proferat formam, sive in omnibus unctionibus, sive in singulis, sive in aliqua ex essentialibus. Hoc est enim sacramentis essentiale ut, ab eadem persona proferatur forma a qua fit actio; et contra. Dum ergo dicitur in plurali : *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, intelligitur, *unum* ex presbyteris. Communiter tamen sentiunt theologi hoc sacramentum posse a pluribus sacerdotibus confici, si unus faciat unam vel plures unctiones cum formis quæ illis respondent; sed non omnes essentiales, et alius eas, quæ defuerint, compleat; et quidem in necessitate non tantum valide, sed etiam licite; extra necessitatem autem valide, sed illicite. (Thomas, Richardus, Durandus, Sylvester, etc.) Probatur, quia priores partiales unctiones a priore sacerdote factæ sub propriis formis partialibus fuerunt validæ, id est, ex se sufficientes ad verum sacramentum conficiendum, et in suo gradu ac ordine habuerunt suam significationem ac perfectionem ; adeoque quod validum fuit, non est iterandum, sed quod defuit, tantum addendum est, et sic hoc sacramentum a pluribus personis conficitur : sicuti missa inchoata ab uno sacerdote usque ad consecrationem hostiæ inclusive, perficitur ab alio per solius calicis consecrationem, sine iterata novæ hostiæ consecratione. Idem dic si eodem tempore unctiones fierent a duobus sacerdotibus in diversis sensuum organis cum pronuntiatione suarum formarum illis correspondentium.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De præceptis et ritu sacramenti extremæ unctionis.

Sect. I. — *An fideles teneantur aliquo præcepto ad suscipiendum hoc sacramentum.*

Dico 1 : Nullum est affirmativum præceptum de suscipiendo hoc sacramento, etiam in extremo vitæ discrimine : ita communiter theologi D. Thomas, Paludanus, Sotus, Gabriel, etc. Probatur, quia tale præceptum neque naturaliter sequitur ex hujus sacramenti institutione, cum non sit medium necessarium ad salutem, sed utile tantum, et ad melius esse; neque a Christo aut ab Ecclesia traditum invenitur. In duobus tamen casibus omittendo susceptionem hujus sacramenti, posset intervenire peccatum mortale : 1° si quis per suam omissionem esset causa ut alii fideles contemnerent istud sacramentum ; secus, si tantum foret causa ut illud non reciperent. 2° Si quis omittendo illud expresse contemneret et fructum ejus : non vero, si sciens et videns tantum illud non reciperet. Posset addi tertius casus, quando infirmus non potest recipere aliud sacramentum. Sed hic casus vix potest accidere : vel enim ratione utitur et sentit, et sic potest pœnitentiæ sacramentum recipere, cessabitque extremæ unctionis recipiendæ necessitas ; vel non sentit, nec utitur ratione, et tunc non est capax talis obligationis, nec potest sacramentum postulare, sed alii ex officio tenebuntur ministrare.

Dico 2 : Certum est viaticum non esse dispositionem, per se loquendo, requisitam ad recipiendum extremam unctionem, adeoque ex causa potest dari extrema unctio sine viatico : v. gr. si hoc ob vomitum aliamve causam dari non possit, extrema ei unctio præmitti potest. Sine ulla tamen causa servandus est ordo dandi extremam unctionem post viaticum ob consuetudinem. Imo olim mos erat, et nunc adhuc alicubi esse ferunt, ut viaticum in postremum locum reservetur, quia est finis sacramentorum, et omnia ad illud quodam modo referuntur.

Dico 3 : Qui habet conscientiam peccati mortalis, non tenetur necessario ex vi ordinis sacramentorum præmittere confessionem, sufficit enim esse contritum ; concomitanter tamen potest aliunde sæpe intervenire ejusmodi necessitas, quia in mortis articulo tenetur omnia peccata mortalia confiteri; ideoque confessio, quæ est magis necessaria, ordinarie præmittenda est.

Sect. II, III. — *De obligationibus ad ministrum hujus sacramenti pertinentibus ; et an parochus cum periculo vitæ teneatur illud ministrare.*

Dico 1 : Solus parochus tenetur per se loquendo, ministrare hoc sacramentum ; tenetur enim ex officio suis ovibus ministrare ordinaria salutis a Christo instituta remedia. Alius non potest illud ministrare sine ejus licentia, nisi in extrema necessitate, in qua interdum posset etiam teneri ex charitate. Imposita est excommunicatio ipso facto incurrenda religiosis hoc sacramentum ministrantibus sæcularibus extra casum extremæ necessitatis : nulla autem est imposita pœna aliis sacerdotibus simplicibus illud ministrantibus aut parochis ministrare omittentibus. Ministrans hoc sacramentum tenetur esse in statu gratiæ, nulla censura implicitus, servare præscriptos ritus, indutus superpelliceo et stola.

Dico 2 : Tempore pestis (omissis variorum auctorum varie circa hunc casum opinantibus) pastor Ecclesiæ quoad sacramentorum administrationem habet majorem obligationem quam alius sacerdos qui hoc munus non habet : non solum quia ille tenetur ex justitia, alius tantum ex charitate, sed etiam quia ad plura et in pluribus casibus teneatur pastor quam teneatur alius. Unde isto contagionis, aut tyrannicæ persecutionis tempore tenetur non deserere gregem suum et non fugere, ad quod alius, per se loquendo, non tenetur ; ideoque tenetur per se vel per vicarium sufficientem suis ovibus prospicere pro sacramentorum administratione. Aliud est de episcopo, qui non ita tenetur

per se sacramenta administrare et potest absens gerere curam sui gregis. Hinc

Dico 3 : In tali eventu tenetur parochus, per se loquendo, ad confessionis sacramentum ministrandum suis subditis, etiam cum vitæ periculo, adhibitis tamen convenientibus mediis ad illud vitandum, quia perfecta quidem contritio posset supplere extremam confessionis necessitatem; sed illa est difficilis et incerta. Attamen si parochus moraliter pro certo sciret infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, aut esse bene ad mortem dispositum, et aliunde periculum vitæ esset magnum ac moraliter evidens, tunc posset probabiliter excusari ab illa obligatione, maxime si esset solus, et eo mortuo non facile provideri posset populo de alio, tunc enim bonum commune prævaleret. Insuper

Dico 4 : Parochus absolute tenetur tempore pestis ministrare infirmis viaticum, cum ordinario contagii periculo quod in tali occasione esse solet; quamvis in particularibus casibus excusari possit, si periculum multum augeatur, et proximi necessitas multum diminuatur. Præter enim præceptum divinum quod infirmus tenetur servare quando potest, moralis tum privata tum publica necessitas ejusmodi divini auxilii id postulat. Nec tantum viaticum, sed etiam extremam unctionem tenetur tunc ministrare, si id possit facere sine morali vitæ periculo; et ad hoc periculum vitandum adhibere tenetur convenientia remedia prudentum medicorum judicio, ut sine illo possit huic operi vacare : v. gr. sumendo aliqua præservativa et antidota, procurando ut æger constituatur in loco puro ac libero, et utendo virgula argentea oblongiori ad ungendum e distantiori loco, etc. Absolute tamen non tenetur ministrare hoc sacramentum cum morali vitæ corporalis periculo, quia neque est medium de se necessarium ad salutem, neque necessarium ex præcepto divino.

LIBER IV.

De purgatorio.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

De purgatorio in genere, an et ubi sit.

Sect. I. — *Sitne aliquis locus, in quo, animæ ante mortem non plene purgatæ, post hanc vitam purgentur.*

Dico : De fide est dari post hanc vitam purgatorii locum, contra Lutheranos, Calvinistas, aliosque hæreticos. Probatur 1° ex Veteri Testamento : *Sancta et salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (*II Mach.* xii, 46), id est liberentur a reatu pœnæ temporalis; adeoque ibi agitur de iis qui in statu gratiæ defuncti sunt, licet forte antea peccaverint mortaliter accipiendo idolorum donaria; nam dicuntur ibidem (vers. 45) illi, *qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repositam gratiam.* Deinde I Reg. xxxi, 13, refertur Judæos jejunasse septem diebus pro Saul et aliis qui cum eo mortui fuerant. *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justi constitue* (*Tob.* iv, 18); nempe ea in oblationem Deo præbendo, vel in stipem pauperum pro mortuis. Item : *Sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi* (*Malach.* iii, 3).

Probatur 2° ex Novo Testamento : *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt* (*I Cor.* xv, 29); id est, quid faciunt qui affliguntur, et pœnitentiam agunt pro juvandis mortuis, si mortui non resurgunt? Sic : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* xvi, 9); id est, facite eleemosynas pauperibus qui vos adjuvent cum ex hac vita exieritis, ut in æternam beatitudinem recipiamini. Item : *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 26). Similiter de blasphemia in Spiritum sanctum dicitur : *Non remittetur in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* xii, 32); hinc infertur aliqua peccata remitti in altero sæculo. Deinde hic celebris Pauli locus maxime probat purgatorium : *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificatur, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* iii, 13-14, 15), nempe per purgatorii ignem.

Probatur 3° ex conciliis, Florentino et Tridentino, in quibus hæc veritas definitur; et ex Patribus : « Qui agrum, » inquit Augustinus (lib. ii *contra Manich.*, cap. 2) « non coluerit et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ, et post hanc vitam habebit vel purgatorium ignem, vel pœnam æternam. » Et Hilarius (*In Psal.* cxviii) purgatorium vocat « indefessum ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, per quæ animæ a peccatis expiantur. » Similia habent Gregorius, Basilius, etc.

Probatur 4° ratione, quia dantur peccata venialia, digna quidem pœna apud Deum, sed non æterna, cum quibus potest justus mori. Deinde quando Deus remittit culpam, non semper remittit omnem pœnæ reatum cum quo potest justus ex hac vita discedere, et pertinet ad divinæ justitiæ æquitatem sumere vindictam de peccatis, et nemini præmium

beatitudinis concedere, nisi prius pro illis perfecte debitam pœnam persolverit.

Objicies 1 cum hæreticis : Post hanc vitam non est nisi præmium, vel pœna. Respondeo sic hoc explicandum esse : 1° post hanc vitam, non est amplius merendi locus, vel per propria opera satisfaciendi, sed tantum sustinendi justam judicis sententiam, juxta hæc : *Ut referat unusquisque prout gessit in corpore sive bonum sive malum* (*I Cor.* v, 10). *Nam quæ seminaverit homo, hæc et metet* (*Galat.* vi, 8); et alia similia. 2° Post hanc vitam duo sunt termini ultimi qui perpetuum habent statum, et immutabilem pro iis qui actualiter peccaverunt juxta id : *Si ceciderit lignum vel ad austrum vel ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* (*Eccle.* xi, 3); nempe post hanc vitam non est amplius locus amittendi vel recuperandi divinam amicitiam, sed ubi ceciderit lignum, seu in quo statu homo decesserit, sive ad austrum, id est in Dei amicitia, sive ad aquilonem, id est in Dei odio, ibi perpetuo mansurus est.

Obj. 2 : Justi in morte sua statim sine mora recipiunt beatitudinem æternam, juxta hæc : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal.* cxxvi, 2). Et : *Beati qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos* (*Apoc.* xiv, 13). Respondeo : Scriptura nunquam dicit statim finita hac vita, recipi hominem in gloria si decedat in gratia, et quamvis id significaret, semper tamen intelligendum esset sub hac conditione : si homo inveniatur ex omni parte justus, perfecte mundus, sine impedimento; secus, si non fuerit perfecte purgatus. Deinde dum dicitur, *ecce hæreditas Domini*, non dicitur statim danda, sed præsto est, parata est, nempe post perfectam purgationem danda.

Sect. II. — *Ubinam sit purgatorii locus, et an unus tantum sit.*

Dico 1 : Cum nihil de hoc loco habeatur in Scriptura nec in Ecclesiæ definitione, omnes theologi supponunt hunc esse corporalem locum in quo animæ detinentur, donec debitas pœnas perfecte luant. Licet enim per se non requirant corporalem locum, cum sint spiritus, cum tamen intra hunc mundum contineantur, necessario exsistunt in aliquo loco corporeo, saltem secundum præsentiam substantialem; et ita videmus angelis cœlum empyreum, dæmonibus gehennam æternam, esse loca destinata. Ubinam autem exsistat iste purgatorii locus, non satis conveniunt omnes auctores. Quidam dixerunt non esse unum certum locum purgandis animabus destinatum, sed variis in locis purgari circa occurrentes circumstantias : ita Hugo de Sancto-Victore, qui ait probabilius esse « unumquemque purgari, ubi potissima peccata commisit, sicut multis documentis sæpe probatum est. » Alii putarunt, ut D. Thomas, et quidem alii Thomistæ referunt, purgatorii locum esse situm in quadam regione media inter terram et cœlum. Sed

Dico 2 : Communis opinio est purgatorium esse unum ac determinatum locum sub terra versus ejus centrum, a Deo constitutum. (D. Thomas, Richardus, Bonaventura, Gabriel, etc.) Probatur, quia divina Providentia, sicut peccatis determinatas pœnas certa lege definivit, ita etiam videtur destinasse ac determinasse certum locum in quo illæ essent luendæ, uti certum locum pro beatis et damnatis determinavit; cumque animæ in variis locis peccarint, non est verisimile animas in singula loca illa deferri, ut ibi purgentur. Deinde locum illum esse subterraneum videtur sentire Ecclesia, dum ait : *Libera, Domine, animas fidelium defunctorum de pœnis inferni et de profundo lacu;* uti et insinuat hic locus Eccli. xxiv, 45 : *Penetrabo inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Unde si quæ animæ alibi purgentur, erit præter legem Dei ordinariam.

Dico 3 : Quod attinet ad situm purgatorii, verisimile est illud non procul distare a loco damnatorum qui supponitur in centro terræ constitutus; huicque esse vicinius quam sit limbus infantium sine baptismo defunctorum. Non videntur tamen ista duo loca integrum terræ circulum occupare, ita ut necesse sit transire per locum superiorem, ut descendi possit ad inferiorem, sed probabiliter occupant tantum aliquod spatium terræ (non totam ejus circumferentiam), a se invicem separatum, unum superius, alterum inferius.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

De qualitate et acerbitate pœnarum purgatorii.

Sect. I. — *An animæ purgatorii pœnam damni et sensus patiantur.*

Dico 1 : Animæ purgatorii pœnam damni patiuntur; imo hæc est illarum gravior pœna. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, etc.) Probatur, quia cum jam versentur in statu, in quo sunt capaces visionis divinæ, et patriæ ingressus, ab hoc ingressu arcentur et detinentur ob pœnæ reatum nondum plene persolutum, quæ debetur culpæ remissæ, et quoad aversionem a Deo et quoad conversionem ad creaturam. Atqui hæc est pœna damni, ergo. Se autem hujus pœnæ esse causam agnoscunt et dolent.

Dico 2 : Præter tristitiam provenientem ex apprehensione et cognitione privationis seu retardationis visionis Dei (quæ lata significatione potest dici pœna sensus, cum quivis dolor ex apprehensione alicujus mali proveniens, ad pœnam sensus spectet), animæ tamen purgatorii aliam propriam ac peculiarem pœnam sensus, ab alio dolore quasi externo ortam, similitudinem habenti cum dolore sensibili, qui in nobis ab igne vel ab alia actione naturæ contraria excitari solet, patiuntur : ita communiter theologi, et communis Ecclesiæ sensus. Cum enim peccator ob inordinatam delectationem erga creaturam dignus sit pœna isti delectationi contraria,

id est, sensus pœna, si in hac vita plene non satisfecit, in altera debebit illa pœna sensus puniri et purgari; id æquitas divinæ justitiæ vindicativæ postulat : *Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date illi et tormentum* (*Apoc.* XVIII, 7). Quidam distinguunt duo loca purgatorii : unum inferno damnatorum similem in pœnis tum ignis tum aliis, excepta illarum æternitate; dicuntque purgari in illo animas quæ diu in peccatis mortalibus vixerunt, ac tandem in fine vitæ justificatæ decesserunt. Alium autem magis distantem ab inferno damnatorum, et in pœnis et situ dissimilem, in quo per solam retardationem ab ingressu patriæ et per tristitiam ex illa provenientem purgantur animæ sanctæ, quæ non ita peccatis gravatæ, sed negligenter et imperfecte Deo servierunt, et fundantur in quadam visione de hac re, quam refert Beda. Sed hæc visio seu revelatio videtur esse valde suspecta, maxime cum in illa dicantur istæ pœnæ duraturæ usque ad finem judicii; adeoque ista opinio satis incerta est.

Sect. II. — *An pœna sensus purgatorii a vero igne proveniat, et quomodo.*

Dico 1 : Quod attinet ad ignem inferni damnatorum, certum est illud esse verum ignem elementarem et corporeum; et quamvis non sit res expresse definita de fide, est tamen ita certa, ut oppositum temerarium et errori proximum censeatur. De vero autem igne purgatorii, res non ita certa, nec de fide est pœnam sensus purgatorii esse a vero igne, præsertim cum in concilio Florentino Patres Græci, qui admittebant quidem pœnalem purgatorii locum, sed non ignem, non fuerint existimati in fide aut in doctrina necessaria dissentire. Est tamen certum intra latitudinem opinionis theologicæ, esse in purgatorio verum ignem. Probatur, quia in concilio Florentino Patres Latini sic senserunt, et sic etiam sentiunt theologi; idque indicant verba sancti Pauli : *Salvus erit*; *sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III, 15); particula enim *quasi* non minuit veritatem ignis, sed explicat modum salvationis. Atque idem confirmant multæ visiones et revelationes. An vero præter ignem sint alia pœnarum genera, v. gr. aqua, nix, gelu, etc., incertum est. Hoc supposito,

Dico 2 : Animæ purgatorii non cruciantur per alligationem ad istum ignem sibi involuntariam, et per coactionem ad illum semper intuendum; et cogitandum de illo sive per speciem impressam, sive per ipsammet cogitationem a Deo vel immediate, vel mediante igne immissam, ut volunt Bonaventura, Scotus, Durandus, etc., loquentes de igne damnatorum. Sed nec damnatorum, nec animarum purgatorii pœna, sic sufficienter explicatur : uti nec satisfaciunt alii, qui putant has pati ab igne eumdem dolorem ac tristitiam, quam anima corpori conjuncta patitur, dum igne per ipsum corpus comburitur. Quare

Dico 3 : Ignis vere, realiter ac physice efficit cruciatum in animabus purgatorii (nempe, per potentiam obedientialem, de qua sat alibi); ut ait Augustinus sic : « Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporali ignis affligi? » Iste enim ignis producit in animabus rem aliquam disconvenientem, quæ est objectum doloris et tristitiæ; producit, inquam, non species intelligibiles, aut ipsos apprehensionis tristitiæve actus, ut volunt aliqui, sed rem aliquam positivam in ipsis animabus quæ cruciantur inhærentem, illisque disconvenientem : alioqui non posset esse verum illarum malum, et veri doloris objectum disconveniens, si illas intrinsece non afficeret, sed tantum extrinsece sicut infamia. Itaque per actionem istius ignis fit in animabus quæ cruciantur, qualitas spiritualis illis disconveniens, quæ dolorifera dici potest, quatenus est objectum doloris et tristitiæ, per illam enim actionem fit aliquid; non substantia, quandoquidem substantiæ inhæreat, ergo accidens ac proinde qualitas : non potest enim esse quantitas, duratio, relatio aut aliud accidens. Dicitur autem esse spiritualis, quia corporea qualitas non potest vere inhærere spiritui, illumque afficere, uti alibi probatum est. Deinde qualitas spiritualis est magis proportionata ad excitandum vehementiorem dolorem seu tristitiam.

Ista autem qualitas nec est naturalis, nec supernaturalis, qualis est gratia vel charitas, sed est præternaturalis, sicuti dotes corporis gloriosi, aut calor ut centum. Et ut ista qualitas ab igne impressa spiritui sit illi disconveniens et habeat rationem mali, sufficit illam naturaliter esse ei improportionatam, sicque afflictionem seu mœrorem ac quamdam quasi deformitatem indere, etiamsi nulla re habita eam privet.

Sect. III. — *Quam sit acerba hæc purgatorii pœna.*

Dico 1 : Pœna damni est gravissima ex parte privationis tanti boni, seu cœlestis regni, quæ licet sit temporalis, merito tamen censetur majus malum, quam quodvis temporale præsentis vitæ damnum; ita D. Thomas, Paludanus, Scotus, Richardus, rati etiam tristitiam ex illo malo apprehenso ortam, majorem esse quolibet hujus vitæ dolore seu tristitia, adeoque istam pœnam esse longe graviorem omnibus hujus vitæ pœnis; quia istius tristitiæ magnitudo oritur ex magnitudine summi boni quo anima privatur, et mali præsentis quo torquetur ob sua peccata et negligentias, et ex vehementissima illius apprehensione, et ex grandi, qua Deum desiderat videre, affectione, et ex sero dolore quo pœnitet se amisisse in æternum tot gradus majoris beatitudinis ob suum teporem et venialia peccata.

Dico 2 : Pœna sensus est etiam longe acerbior omni hujus vitæ pœna. (D. Thomas, Bonaventura, etc.) « Exceditque omnes pœnas, » inquit Augustinus, « quas aliquis in hac vita passus est. » Et Anselmus : « Gravior est, » ait, « ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vita. » Idem in *Elucid.*, loquens de istis pœnis ait : « De

quibus minimum, majus est quam maximum quod in hac vita excogitari potest. » Ratio est quia offensio Dei vel minima est altioris rationis, quam omne malum creaturæ; ideoque licet non mereatur pœnam æternam, meretur tamen graviorem et quasi altioris ordinis, quam sit pœna hujus vitæ; et quia homo in hac vita, tempore sibi concesso non est usus ad benigniorem compensationem faciendam, ideo Deus in altera vita illam cum rigore exigit. Hinc si spectetur gravitas essentialis seu specifica pœna purgatorii, minima excedet quamvis pœnam etiam maximam hujus sæculi, quia est alterius speciei seu ordinis in genere mali et doloris. Si vero spectentur utriusque accidentia, non repugnat multa reperiri in aliquibus hujus vitæ pœnis, quæ non reperiantur tam gravia in aliquibus purgatorii pœnis, v. gr. duratio, intensio, multitudo pœnarum seu dolorum.

Dico 3 : Non videntur dæmones ullo modo cruciare animas purgatorii (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, et alii Thomistæ communiter). Non decet enim eas, quæ jam peccare non possunt, dæmonesque vicerunt, illis tradi torquendas, et maxime cum jam dæmones non possint eas provocare ad peccandum ; imo vix est modus aliquis quo possint eas torquere.

Sect. IV. — *De diuturnitate pœnarum purgatorii.*

Dico 1 : Non potest præfigi illarum pœnarum duratio in particulari, quia non est revelatum; certum est tamen non fore æternas nec duraturas ultra diem extremi judicii, in quo omnes homines vel in beatitudinem recipientur, vel in gehennam relegabuntur (*Matth.* xxv, 34 seq.); omnesque ante illud resurgent, et salvandi quidem impassibiles : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione* (*1 Cor.* xv, 42). Nec repugnat perfecta satispassio in sola anima ante corporis resurrectionem, quia est principalis peccati causa. Illarum pœnarum duratio non est æqualis in omnibus animabus, ut patet ex sensu Ecclesiæ credentis eas successive ad beatitudinem transire, prout in eis major vel minor reatus citius vel tardius expiatur. Unde illæ pœnæ non durant in omnibus usque ad diem judicii. Quanto autem tempore maxime diuturnæ durent, incertum est.

Dico 2 : Pœna damni, id est tristitia de dilatione gloriæ, non videtur paulatim successive diminui quoad intensionem in purgatorio, uti nec dolor de aliquo gloriæ incremento in perpetuum amisso; itemque videtur dicendum de pœna sensus secundum se spectata; atque ita Ecclesiæ suffragia probabilius illis imminuunt tantum durationem, non intensionem pœnæ. Hinc displicet opinio eorum, qui asserunt animas prius puniri in quodam loco in quo ignis acrius et intensius urit, deinde transire ad alium amœnum in quo minus puniuntur, postea ad alium amœnum in quo detinentur sine pœna sensus, ac tandem ad cœlum pervenire.

Dico 3 : Juxta legem Dei ordinariam, animæ purgatorii non possunt inde ad tempus exire ante finitam purgationem, non quod anima a corpore separata non possit virtute sua se movere, non minus quam angelus, aut ab angelo moveri, sed quia Deus id non permittit. Interdum tamen ex divina dispensatione exeuntes, probabiliter revera vivis apparent, juxta Augustinum, qui, agendo de animabus defunctorum in communi, censet veras illarum apparitiones sæpe fieri; adducitque in exemplum animam Moysis et Eliæ in Christi transfiguratione apparentem.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

De statu gratiæ animarum purgatorii.

Sect. I. — *An omnes animæ purgatorii careant culpa mortali, et habeant aliquem pœnæ reatum.*

Dico 1 : Omnes animæ purgatorii carent omni culpa mortali et originali; si enim in hac vita peccatum mortale commiserint, oportet ut illius remissionem consequantur antequam hinc decedant, alioquin non purgatorium, sed infernum adibunt. Et hoc est contra varios errores eorum, qui dixerunt per ignem etiam purgari illos qui in mortali peccato post hanc vitam inveniuntur; quod de omnibus tam dæmonibus quam de pravis hominibus sensisse Origenem refert Epiphanius. Si qui autem alii videantur id de pravis hominibus dicere, intelligunt de iis qui vixerunt, sed postea in gratia mortui sunt, aut de habentibus peccata venialia.

Dico 2 : Animæ quandiu in purgatorio detinentur, non sunt liberæ a reatu pœnæ, etiamsi sint liberæ a culpa. De fide; conciliis Florentino et Tridentino definientibus animas sanctas nullum habentes reatum pœnæ, v. gr. animas infantium baptizatorum, martyrum, aliorumque qui hic plene vel per propria opera, vel per indulgentias plene satisfecerunt pro suis peccatis, statim fieri beatas. Dum ergo Patres videntur interdum dicere etiam purissimas animas ad istum ignem deferri, non ut patiantur, sed ut earum puritas comprobetur, intelligendi sunt de virtuali examine per ignem; nempe in Dei judicio examinantur an sint per ignem purgandæ. Quandiu ergo anima ibi est, aliquem habet reatum; et ubi pro eo plene persolvit, statim liberatur et cœlum petit. Pravi autem ejus habitus in appetitu sensitivo exsistentes, deponuntur in morte cum corpore in quo residet appetitus. Habitus vero voluntatis vel in morte auferuntur virtute divina, vel in ingressu gloriæ infunduntur omnes virtutes etiam naturales, quæ expellant habitus sibi repugnantes, sicut infunduntur etiam scientiæ generales quæ expellunt ignorantiam.

Dico 3 : Animæ justæ purgatione egentes, eo momento quo decedunt et a suo corpore separantur, confirmantur in gratia et in bono, ita ut amplius peccare non possint. De fide; contra Lutherum qui dixit illos semper peccare abhorrendo et fugiendo istas pœnas justas. Probatur, quia status

merendi et demerendi in morte finitur; ergo sicut non possunt amplius mereri, ita nec demereri seu peccare. Facile est autem Deo illas in sua gratia confirmare per specialem favorem ac protectionem, aut alio modo.

Sect. II. — *An animæ purgatorii sint extra statum merendi, et omnino extra viam.*

Dico 1 Animæ purgatorii non sunt in statu in quo possint in gratia et charitate, seu in jure ad gloriam crescere, quia tempus merendi gloriam vel gratiæ augmentum in morte finitur, ut constat ex communi totius Ecclesiæ consensu, et ex Scripturæ et Patrum testimoniis; sic enim Deus statuit. Hinc animæ illæ antequam ad purgatorium deferantur, judicium ac sententiam finalem accipiunt, non amplius de ullis novis rebus seu operibus judicandæ : *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare* (*Luc.* XVI, 2). *Nec verearis usque ad mortem justificari, quia tempus justitiæ acquirendæ est ante judicium; nam de his quæ postea sequuntur, nulla judicantur* (*Eccli.* XVIII, 22, seq.). Illæ quidem nondum habent gratiam consummatam per operationem, id est, per claram Dei visionem, adhuc enim in fide ambulant, licet firmiori et præstantiori, sed habent gratiam consummatam quoad intensionem quam unaquæque potest et debet habere, quia quoad intensionem nunquam potest amplius crescere in tali subjecto; gratia enim in mortis instanti habuit omnes gradus quos homo in vita promeruit, nunquam amplius augendos. Idem dic de perfectione charitatis. Hinc

Dico 2 : Animæ purgatorii non sunt in statu satisfaciendi proprie, sed tantum satispatiendi; possunt quidem pœnam culpæ remissæ debitam pati per sufficientem durationem juxta qualitatem seu quantitatem reatus, sed non possunt mereri illius pœnæ remissionem per alias pœnas voluntarias moraliter æquivalentes juxta divinam legem et justam justificationem, sicut justi in hac vita illam merentur. Quia sicut tempus merendi fuit tantum in hac vita, ita etiam status satisfaciendi per voluntarias pœnas aut afflictiones. Item nec possunt de congruo aliquid sibi mereri vel impetrare quod ad earum liberationem seu citiorem exitum pertineat ob eamdem rationem, fortasse tamen possunt impetrare aliquod solatium per angelos sibi dandum, vel quid simile. Pro vivis autem orando, possunt probabiliter aliquid a Deo impetrare, aut de congruo mereri; sunt enim sanctæ, Deo charæ, nos diligunt, norunt in genere nostra pericula, et credibile est angelos multa eis revelare quæ ab amicis viventibus aut propinquis fiunt, adeoque honeste a nobis orari possunt.

Dico 3 : Istæ animæ nec sunt in termino, quia nondum Deum vident; ambulant adhuc in fide, pœnam patiuntur, nec sunt in via, quia conditiones et effectus viatorum ab eis absunt; sunt ergo veluti in statu medio, id est, sunt in termino gratiæ, sed non gloriæ.

Sect. III. — *An animæ purgatorii sint certæ de sua præsenti justitia, et futura salute æterna.*

Dico 1 : Ponere in animabus purgatorii desperationem, est contra fidem; desperatio enim est gravissimum peccatum et saluti contrarium, adeoque damnandi illi, qui olim dixerunt eas interdum desperationis motibus agitari ex gravissimis doloribus quos patiuntur; et certum est illas non ita perturbari doloribus, ut irrationabilem aliquam anxietatem vel impatientiam habeant, utpote confirmatas in omni bono, et certissime scientes istas pœnas esse justissimas, et a Deo ordinatas. Unde

Dico 2 : Certissimum est illas esse omnino securas et certas de sua salute tam quoad præsentem gratiam, quam quoad æternam beatitudinem post istum statum consequendam. (D. Thomas et alii Thomistæ.) Statim enim atque a corpore separantur, ex principiis fidei quæ in hac vita habuerunt ac retinent, et ex effectibus quos in se experiuntur, evidenter colligunt se non esse in statu damnationis; quia evidenter experiuntur se diligere Deum, detestari peccata, nihil mali velle, non audire blasphemias in Deum, se esse in loco in quo Deus honoratur; et de hac salutis certitudine facillime illuminantur et edocentur a suis angelis custodibus. Deinde hanc certitudinem directe et per se recipiunt in judicio particulari, in quo fertur sententia, quæ animæ statim manifestatur; et per eam duo cognoscit, nimirum se esse dignam vitæ æternæ ob bona merita, illamque sibi reddendam in tali ac tanto gradu, sed eam differri; quia tali et tanta pœna digna est ob sua demerita, quæ prius sustinenda est ante adeptionem vitæ æternæ, adeoque Deus illi ostendit seu revelat probabiliter, quanto tempore duratura sit ista pœna; simulque anima videt hanc Dei sententiam esse immutabilem, et infallibiliter habituram effectum. Cum autem sit secura de sua futura beatitudine, ideo potest illam certius sperare; non enim est contra rationem spei, certitudo consequendi bonum speratum, maxime si adhuc sint sustinendi labores et superandæ difficultates ante consecutionem : nec opus est ut spes habeat timorem sibi conjunctum, quæ enim necessitas timoris ad sperandum, cum timor sit de malo futuro?

LIBER V.

De suffragiis.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

SECT. I. — *An inter fideles quorumdam suffragia possint aliis valere ad satisfactionem, seu remissionem pœnæ temporalis.*

Nota : Suffragium est auxilium quoddam, quod unus fidelis præbet alteri ad obtinendum a Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliquid hujusmodi. Suffragium unius potest alteri prodesse vel ex opere operato, nempe per missæ sacrificium, vel per indulgentias, quæ juvant ad modum operis operati, de quibus infra ; vel ex opere operantis sive privata, sive publica totius Ecclesiæ auctoritate. Et de hoc ultimo hic solum agimus.

Dico 1 : Certum est inter fideles esse aliquam bonorum operum communicationem, quibus alii alios juvare possunt, ut patet ex symbolo : *Sanctorum communionem ;* id est, inter fideles qui sunt viva corporis mystici Christi membra, est communicatio aliqua in bonis operibus, quatenus unusquisque potest suis bonis operibus alium juvare tamquam membrum vivum ejusdem corporis ; idque patet etiam ex Scriptura : *Orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* v, 16). *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum* (*Rom.* xv, 30). *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis* (*Job* XLII, 8). In hoc omnes conveniunt, etiam hæretici. Sed hi negant istam bonorum operum communicationem esse inter vivos et mortuos, sed tantum admittunt inter vivos. Deinde negant illius effectum posse esse pœnæ temporalis remissionem, seu pro alio satisfactionem. Quare

Dico 2 : Fideles possunt se mutuo juvare ad satisfaciendum pro peccatis, ita ut opus unius alteri prosit ad remissionem alicujus pœnæ temporalis obtinendam. Si enim quoad alios bonos effectus sese juvant fideles, eccur quoad hunc, non possint sibi invicem suffragium præstare, uti indicat Paulus Coloss. I, 24 : sic : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus quod. est Ecclesia ;* id est, non solum sustineo passiones in carne mea, ut conjunctæ Christi passionibus mihi prosint, sed etiam ut prosint toti Ecclesiæ, pro qua Christus pati voluit non tantum in se ipso, sed etiam in suis membris. Hincque colligitur immensus satisfactionum thesaurus, qui est in Ecclesia coalescens ex infinita Christi satisfactione et ex sanctorum satisfactionibus ac passionibus. Ratio autem hujus mutuæ communicationis sumitur ex unitate corporis Ecclesiæ et membrorum ejus unione ; hæc enim unio fit maxime in charitate, quæ sicut in multis et ex multis efficit cor unum et animam unam, ita bona omnia facit communia seu communicabilia, non tantum corporalia, sed etiam spiritualia quantum rationi consentaneum est. In hoc videtur fundari antiqua hæc Ecclesiæ consuetudo. Solebant olim Ecclesiæ pastores aliquid de pœna seu de debita satisfactione remittere publicis pœnitentibus ob aliorum justorum, et sanctorum confessorum intercessiones et satisfactiones. Denique sicut Christi satisfactio non excludit indigentiam seu necessitatem propriæ satisfactionis, ita nec excludit suffragium unius pro altero.

SECT. II. — *An unus possit alteri suffragari, solvendo pœnam illi debitam, seu pro illo satisfaciendo.*

Nota : Quidam moderni theologi dixerunt non posse unum fidelem præstare alteri suffragium solvendo pœnam illi debitam seu pro illo satisfaciendo, sed solum impetrando ac merendo de congruo ut Deus remittat illi istam pœnam ; sive immediate gratis eam condonando ob alterius orationes, sive dando ob easdem aliquod auxilium, quo alter bene operetur ad hanc remissionem obtinendam ; quia, inquiunt, ista pœna est debitum personale, etc. Atque ita, juxta hanc sententiam, etiamsi unus justus pro alio offerat sua opera satisfactoria ad illi obtinendam pœnæ temporalis remissionem, et revera illam impetret ; per illa tamen æque satisfacit pro peccatis propriis ac si non offerret ; cum enim per suam pœnam pro alio non solvat, ergo pro se solvit. Sed hæc sententia rejicienda est omnino ut falsa et periculosa ; ideoque theologi omnes contrarium tenent. (D. Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus, Bellarminus, etc.) Quare

Dico : Unus fidelis præstando alteri suffragium, potest pro illo pœnam temporalem ejus peccatis remissis debitam revera solvere. Deus enim potuit istam pœnam peccatis debitam ita taxare, ut homo debeat eam vel in purgatorio sustinere, vel in hac vita pro illa satisfacere aut per se ipsum aut per amicos suos. Quod autem ita taxarit, habetur ex communi Ecclesiæ sensu, perpetua traditione, et symboli apostolorum articulo, *communionem sanctorum ;* quem in hunc modum explicat Catechismus Romanus. Deinde omnes admittunt posse unum justum pro alio satisfacere ; satisfacere autem in proprietate sermonis, est debitum solvere. Si sufficeret ad satisfaciendum pro alio, orando impetrare a Deo remissionem pœnæ, etiam possent sancti in cœlo satisfacere pro nobis. Præterea nemo potest gratuito impetrare sibi pœnæ remissionem, ergo neque alter alteri ; imo Christus non illam nobis obtinuit nisi sustinendo pœnam et sic satisfaciendo.

Denique indulgentiæ quæ in Ecclesia dantur, supponunt satisfactionem unius posse alteri applicari, illique prodesse ad solutionem pro debita pœna. Quæ contra hoc

Objiciuntur sic solvuntur. 1° : negatur debitum pœnæ, esse debitum personale ita ut non possit per alterius actionem aut passionem solvi. 2° Quamvis istud debitum non possit contrahi per opus alienum, potest tamen solvi. 3° Non potest debitum culpæ per alium solvi, quia illud requirit intrinsecam dispositionem ad sanctificationem ; sed debitum pœnæ potest per alium solvi, quia hoc requirit tantum extrinsecam actionem seu solutionem alteri applicatam. Ob eamdem causam non potest unus alteri suum gratiæ ac gloriæ meritum applicare, quia hoc requirit propriam dispositionem ; nemo autem intrinsece disponitur per actum alterius. 4° Opus pœnale quatenus est medicinale, prodest duntaxat illi a quo exercetur ; sed quatenus est satisfactorium, potest alteri communicari et prodesse. 5° Dum dicitur : *Unusquisque opus suum portabit* (*Galat.* VI, 5) ; et : *Unusquisque recipiet prout gessit in corpore* (*II Cor.* V, 10), id est, in divino judicio nullus fiet reus pœnæ, nisi ob proprium peccatum, et ipsemet eam solvet, nisi alius eam pro illo solvat aut solverit. Itaque quotiescunque unus pro alio efficaciter satisfacit, seipsum privat fructu illius satisfactionis pro alio oblatæ quoad pœnæ temporalis remissionem ; si enim opus satisfactorium habet effectum integrum in alio pro quo offertur, non potest habere alium in ipsomet operante : Ita D. Thomas.

Sect. III. — *An fidelium suffragia viventibus prosint infallibiliter, et ex justitia quoad pœnæ temporalis remissionem.*

Dico 1 : Opus quod unus pro alio vivente offert in satisfactionem pœnæ temporalis, potest imo et debet ex se habere sufficientem proportionem ac valorem moralem ad illam compensandam, ita ut satisfactio quæ pro alio offertur, habeat sufficientem, et condignam æqualitatem cum debito alterius, sitque justa ac vera illius solutio ob æquale seu æquivalens operis pretium. Hinc opus, v. gr. jejunium oblatum, vel pro alio, vel pro seipso in satisfactionem, per se loquendo, eumdem habet valorem ; si autem cum isto opere seu jejunio præcise sumpto adjungat actum charitatis, qua vult illud offerre in satisfactionem, tunc augebitur valor satisfactionis ob novum istum actum satisfactorium, sed non præcise ob ipsum jejunium.

Dico 2 : Cum non sufficiat ad veram pœnæ, quam unus tenetur pati, solutionem offerre ab alio opus satisfactorium æquivalens tanquam æquale pretium, nisi Deus velit illud acceptare, aut promiserit se acceptaturum esse ; ideo verisimile est Deum sic taxasse pœnam culpæ remissæ debitam, ut in hac vita solveretur vel ab ipsa persona quæ peccavit, vel ab alio qui eam pro illo condigne et ex æqualitate et justitia solveret, seu offerret æquivalentem et condignam satisfactionem, ac proinde fecisse promissionem acceptandi seu remittendi pœnam ab uno debitam ob satisfactionem ejus nomine per alium præstitam ; et sic satisfactio æquivalens pro alio vivente facta, ob Dei ordinationem et promissionem habebit effectum infallibilem, sive iste alius eam postulet, sive non ; item sive sciat sive nesciat.

Sect. IV. — *An viventium suffragia prosint etiam defunctis ad pœnarum remissionem.*

Dico 1 : De fide est suffragia viventium prodesse aliquibus defunctis ad remissionem pœnarum. Probatur 1° ex Scriptura : *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur* (*II Mach.* XII, 46). *In requiem mortui requiescere fac memoriam ejus, et consolare illum in exitu spiritus sui* (*Eccli.* XXXVIII, 24). *Gratia datur in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam* (*Eccli.* VII, 37). *Necessitatibus sanctorum communicantes* (*Rom.* XII, 13), loco *necessitatibus* alii legunt *memoriis*. 2° Ex multis conciliis in quibus hæc veritas definitur, maxime approbando orationem pro defunctis ; idque concilium Tridentinum (sess. 25, decr. 1) expresse definit dicendo *animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari*. Et in litteris unionis concilii Florentini, Patres Græci et Latini in hoc convenerunt, nempe animas justorum, qui in hac vita non plene satisfecerunt, pœnis purgatorii post mortem purgari, et *ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia*. 3° Ex perpetua Ecclesiæ traditione ; in omnibus enim antiquis liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi, et in aliis Latinis officiis semper fit oratio et oblatio pro defunctis,; idque expresse monet Clemens (lib. VIII, cap. 41) ; et Dionysius lib. (*De Eccles. hier.* cap. 7) sic ait : « Preces fundere pro mortuis a magistris nostris, doctis a Deo accepimus. » Idemque docent alii Patres : Nazianzenus, Damascenus, Athanasius, Chrysostomus, etc. 4° Ex antiqua Ecclesiæ consuetudine excludendi a participatione suffragiorum Ecclesiæ morientes in gravi peccato, de qua Cyprianus in epistola 66, et antiqua concilia. 5° Ratione : animæ quæ in statu gratiæ decesserunt, nobis uniuntur in charitate, et sunt nobiscum membra ejusdem mystici corporis Christi ; ergo a nobis possunt juvari. Sed cum sint tres ordines defunctorum, nempe exsistentium in cœlis, in inferis, in purgatorio, quæritur quibusnam illorum possint vivorum suffragia prodesse aut applicari ? Quare

Dico 2 : Suffragia non sunt offerenda pro defunctis cum Christo in cœlo regnantibus, quibus per se ac proprie prodesse non possunt : non ad pœnæ expiationem, quia nihil habent ad expiandum ; non ad gloriam essentialem, quia hæc æterna et immutabilis in morte data est juxta cujusque merita ; non ad gloriam accidentalem, quia honos a nobis exhi-

bitus illis, redundat potius in Dei honorem et in nostrum potius quam in illorum profectum, ut dictum est in tomo superiori. Neque hæc suffragia prodesse possunt exsistentibus in inferis, seu damnatis: non ad expiationem pœnæ mortalibus peccatis in hac vita non remissis debitæ, quia de fide est hanc esse æternam ex immutabili Dei lege, adeoque inexpiabilem; neque ad mitigationem, interruptionem et interpolatam requiem, aut ad aliquam diminutionem, quia si posset diminui pœna, posset etiam paulatim finiri ac consumi, cum sit finita in intensione; neque denique ad expiationem pœnæ sive mortalibus in hac vita remissis, quoad culpam, sive culpis venialibus junctis cum mortalibus in hac vita non remissis debitæ, quia probabilius est culpam venialem nunquam in inferis remitti, nec pœnam quibusvis peccatis debitam finiri; et licet finiri posset per satispassionem, non tamen per suffragiorum communicationem, quia suffragia non prosunt iis qui sunt in peccato mortali, et quia damnati sunt extra statum alicujus beneficii et misericordiæ. Hinc Ecclesia nunquam orat pro illis quos scit esse damnatos; qua de re exstant multa Patrum decreta, 13, quæst. 2, cap. *Quibus*, cap. *Cum gravia*, cap. *Non æstimemus;* et in cap. *Placuit*, decernitur ut pro iis qui se interficiunt, nulla oblatio, nullumque suffragium fiat. Unde

Dico 3: Hæc Ecclesiæ suffragia solis defunctis in purgatorio exsistentibus possunt prodesse non tantum ad aliquam pœnarum mitigationem, sed etiam ad integram earum expiationem: quia cum ista pœna sit finita et extensive, et intensive, non tantum potest diminui et mitigari, sed etiam integre compensari per opus finitum satisfactorium, ac omnino tolli. Infantes cum peccato originali defuncti cum sint extra Dei gratiam, incapaces sunt suffragiorum, nec ullam habent pœnam sensus, quæ expianda sit, sicuti olim sancti Patres in limbo non habebant.

Sect. V. — *Quibus modis viventium suffragia prosint animabus purgatorii.*

Nota: Agitur hic de pœnæ temporalis remissione assequenda, non autem de aliqua consolatione aut bono motu interno recipiendo, quem viventes possunt suis bonis operibus verisimiliter a Deo obtinere animabus purgatorii per modum interpretationis aut meriti de congruo. Quare

Dico 1: Quamvis beati in cœlo orent pro animabus purgatorii, non tamen videntur per suas orationes immediate impetrare gratuitam alicujus pœnæ remissionem; imo nec videntur a Deo hæc postulare, sed orant, vel ut Deus vivorum satisfactiones pro eis acceptet, si hæc acceptatio non sit ex lege divina infallibilis; vel ut Deus præbeat auxilia efficacia viventibus ad satisfaciendum efficaciter pro eis; vel ut aliqua pœnarum intensione compenset ac minuat earum durationem; vel ut suas superabundantes satisfactiones, quas decedendo in thesauro Ecclesiæ reliquerunt, Deus velit illis applicare sufficienter ad pœnarum remissionem. Imo videtur posse unus beatus ab alio impetrare ut ipse suas satisfactiones illis applicet: non tamen a Christo, quia juxta legem ordinariam Christus non applicat suas satisfactiones per se, sed per suum in terris vicarium. Similiter

Dico 2: Ecclesia militans, orando pro animabus purgatorii, potest petere et impetrare ea quæ diximus beatos posse petere et impetrare; excepto quod Ecclesia per suas orationes publicas pro eis fusas, fortassis non intendat eis applicare aliquam satisfactionis partem ex thesauro Ecclesiæ, qui constat ex superabundantibus Christi et sanctorum satisfactionibus, quia hæc applicatio solet solum fieri per indulgentias. Dum autem orat ut liberentur non tantum a pœnis purgatorii, sed etiam a gehenna et pœna æterna inferni, repræsentat sibi illas adhuc in corpore exsistentes, et jam jam ex illo egressuras, ac constitutas sub ancipiti mortis aut salutis æternæ eventu; atque sub hac repræsentatione orat ut a pœnis inferni liberentur, id est, a Deo præveniantur ac disponantur ad incedendum per viam salutis. Idem dic, dum orat ut liberentur omnino a locis purgatorii, nempe debita prius satisfactione, vel per ipsas, vel per alios pro ipsis præstita. Credi ergo potest Deum ob has prævisas orationes juvare fideles in hujus vitæ exitu, ut melius se disponant, magisque satisfaciant; atque ita facilius seu citius a pœnis purgatorii liberentur. Ex his sequitur, quamvis per modum impetrationis suffragium offerri possit pro animabus purgatorii, nunquam tamen habere in eis effectum remissionis pœnæ, nisi interveniat æquivalens solutio per aliquem facta, ad quam faciendam potest oratio conducere, vel etiam per seipsam facere, si sit viatoris oratio; quia per se expedit, ut delicta non maneant impunita, et in hoc modo satisfaciendi elucet Dei et justitia et misericordia.

Sect. VI. — *An hæc suffragia defunctis prosint ex justitia.*

Dico 1: Satisfactio viventium pro defunctis non tantum est justa et condigna quoad æqualem pœnæ compensationem, sed etiam est justa seu ex justitia quoad Dei acceptationem infallibilem juxta totum suum valorem, ita ut teneatur Deus ex justitia ob suam promissionem, illam acceptare. D. Thomas, Gabriel, Navarra, etc.. contra Cajetanum, Canum, Sotum, etc., dicentes Deum eam acceptare tantum ex misericordia, non ex justitia, ratos non haberi ejusmodi divinam promissionem, aut viventium opus satisfactorium esse improportionatum. Probatur, quia videtur ejusmodi Dei promissio facta fuisse respectu viventium sub conditione operis satisfactorii, ut supra dictum est. Ergo etiam respectu mortuorum; eadem enim est lex suffragiorum respectu defunctorum quæ est respectu viventium, ut patet ex traditione et praxi Ecclesiæ. Et non obstante infallibilis acceptationis promissione, possumus Deum rogare ut nostram satisfactionem acce-

ptet, aut potius animas a pœnis liberet. Hinc

Dico 2 : Suffragia hæc pro defunctis oblata infallibiliter prosunt cuilibet exsistenti in purgatorio, si pro eo offerantur. Justitiæ enim effectus apud Deum, qui respicit tantum operis satisfactorii valorem et charitatis unionem, est infallibilis ; imo integre illis prodest juxta totum quem habent valorem prout ab offerente procedunt : v. gr. si satisfactio, quam ego exhibeo, pro me facta valeret ex justitia ad remissionem quatuor graduum pœnæ purgatorii, totidem gradus remittet isti defuncto, pro quo offertur. Unde suffragia æqualia æqualiter operantur in animabus quæ sunt in gratia inæquales, sed suffragium pro pluribus oblatum non habet in singulis tantum valorem, quantum haberet si pro uno tantum offerretur.

Dico 3 : Omnes purgatorii animæ, etiam catechumenorum qui sine reali baptismi susceptione et ejus charactere in gratia decessere, loquendo generatim, sunt capaces suffragiorum ; omnes enim sunt justæ, et habent debitum pœnæ temporalis. Dixi *generatim*, quia dubitatur an possit missa offerri pro catechumeno defuncto ; nec videtur Ecclesia sua suffragia communia pro illo offerre.

Sect. VII. — *Conditiones requisitæ ex parte illius, pro quo offertur suffragium, ut infallibilem habeat effectum.*

Dico 1 : Prima conditio requisita ex parte ejus pro quo suffragium offertur, est ut culpa ob quam meretur pœnam, jam ei sit remissa ; non potest enim remitti pœna ante remissam culpam, quia quandiu remanet culpa, intrinsece homo manet dignus pœnæ. Nec quis potest alteri mereri de condigno remissionem culpæ et pro ea satisfacere, quod solius Christi fuit ob excellentiam personæ ; imo nec eam mereri immediate de congruo, sed tantum potest illi mereri aliquod auxilium quo se disponat ad illam obtinendam. Licet autem contingat justum mori nondum remissa omni culpa veniali, tamen in ipso instanti separationis animæ a corpore, omnis illa remittitur, et sic remanet tantum pœna exsolvenda.

Dico 2 : Secunda conditio est, ut is pro quo offertur suffragium, sit in statu gratiæ, in quo procul dubio sunt animæ purgatorii, quia qui est in peccato mortali, est prorsus indignus omni remissione tam culpæ quam pœnæ, ita ut nec ipsa Christi satisfactio, quandiu est in tali statu, possit habere in eo effectum ex opere operato ; hæc enim suffragiorum communicatio fundatur in unione charitatis. Unde nec suffragium, quod pro exsistente in peccato mortali oblatum est, recedente fictione, seu ipso a peccato resurgente, videtur aliquem effectum habere.

Dico 3 : Tertia conditio est, ut is pro quo offertur satisfactio, ea tunc indigeat, seu sit alicujus pœnæ debitor, ideo non potest offerri suffragium pro beatis, quia nihil debent ; nihil enim ei remitti potest qui nihil debet. Non requiritur autem ut is, pro quo satisfit, satisfactionem acceptet aut cognoscat : sufficit sola Dei acceptatio. An eam in particulari, et a quo facta sit semper cognoscant animæ purgatorii, incertum est.

Sect. VIII. — *Conditiones requisitæ ex parte offerentis suffragium, ut habeat suum effectum.*

Dico 1 : Prima conditio est, ut is qui offert suffragium, sit in gratia quando efficit opus, per quod vult juvare alterum sive viventem sive mortuum : quia opus in peccato mortali factum non est alicujus valoris moralis apud Deum ad satisfaciendum, quando fit privato nomine. Quod attinet ad suffragia seu orationes et divina officia quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris in peccato mortali pro defunctis, valent quidem per modum impetrationis, et habent vim impetrandi, quia sic fiunt nomine Ecclesiæ orantis ac petentis ac habentis vim impetrandi ex opere operantis, utpote sanctæ, immaculatæ, Deo gratæ ; sed non valent per modum condignæ satisfactionis et solutionis, quia ad sic satisfaciendum oportet ut opus sit pœnale, et ista suffragia seu divina officia a malis ministris facta, quatenus sunt pœnalia, referuntur tantum ad personam operantem, non ad Ecclesiam orantem, sive sunt personalia opera ; et quia persona operans est Deo inimica, ejus opus non est satisfactorium ex opere operantis. Neque etiam ex opere operato, quia præter missæ sacrificium et sacramenta, nullum est opus satisfactorium ex opere operato ; nec videtur posse Ecclesia instituere opus satisfactorium ex opere operato ; quamvis autem oratio facta a peccatore in propria persona possit interdum aliquid alteri impetrare ex Dei liberalitate et benignitate : sed non tam efficaciter et infallibiliter quam dum fit ab eo in nomine Ecclesiæ ; facit vero eam in nomine Ecclesiæ, non præcise quando dicit orationes ab Ecclesia institutas, sed quando illas dicit ut deputatus ab Ecclesia.

Dico 2 : Secunda conditio est ut is qui offert suffragium, faciat opus proportionatum ad satisfaciendum prout a tali operante procedit ; non potest enim offerri aliquid in pretium pro alio, nisi habeat in se pretii valorem. Ut opus externum prosit alteri ad pœnæ remissionem, debet ipsemet operans habere voluntatem illud faciendi ad satisfaciendum pro eo. Quando autem opus externum fit nomine alterius, v. gr. quando herus dat pecuniam famulo ut faciat eleemosynam, aut quando homo ante mortem mandat suo hæredi ut post mortem faciat pro sua anima talem eleemosynam, si famulus aut hæres exsequatur istud opus externum, id est eleemosynam, sine ulla interna satisfaciendi pro altero voluntate, quæritur an sic deficiente exsequentis seu proximi operantis voluntate, hoc opus externum sit satisfactorium mandanti ex sua mediata voluntate. Respondetur probabilissime totam satisfactionem istius operis consistere solum in interno actu illud volendi ac præcipiendi, externam autem illius exsecutionem nihil satisfactionis addere mandanti per se loquendo : quia ista exsecutio non se habet ut actio humana ipsius mandantis, utpote quæ jam

non procedit humano modo et libere ab ejus voluntate. Per accidens tamen prodesse potest mandanti, quatenus is qui recipit eleemosynam, excitatur ad orandum aut ad satisfaciendum pro mandante; et quia potest conferre ad aliquid mandanti impetrandum ob ipsius datum mandatum. Quoad restitutionem quæ post mortem fieri præcipitur, certum est, si anima decesserit in gratia et sine ullo pœnæ reatu, statim eam iu cœlum evolare, etiamsi restitutio facta non sit; quia anima non punitur nec detinetur in purgatorio nisi sit debitrix pœnæ. Si autem decesserit in gratia, sed cum aliquo pœnæ reatu, et maxime ob culpam non restituendi ante mortem, remissam in fine vitæ, quamvis exsecutio restitutionis juxta jam dicta, nihil per se conferat ad pœnæ solutionem, per accidens tamen potest juvare, excitando creditores aut alios fideles ad orandum pro defunctis, atque dilatio restitutionis potest esse causa per accidens, cur pœna purgatorii sit diuturnior, et in hunc sensum possunt explicari quædam animarum apparitiones.

Dico 3 : Tertia conditio est ut offerens suffragium intendat per suum opus illud offerre alteri : quia quando operans non intendit suum opus satisfactorium alteri offerre, manet ipsius solius. Itaque per modum satisfactionis de condigno suffragium illi soli prodest, cui operans intendit illud applicare: per modum impetrationis seu meriti de congruo illi etiam soli, vel solis directe aliquid impetrat, cui vel quibus orans seu offerens intendit impetrare; indirecte autem interdum aliquid impetrat illius amicis aut sociis, quamvis ipse operans seu orans nullam de aliqua re eis impetranda intentionem habuerit : Deus enim ratione istius suffragii quasi merito de congruo a justo homine præstiti, id eis confert, quando offertur suffragium pro anima quæ eo non eget, utpote vel damnata, vel beata; item quando justus facit opus satisfactorium quo ipse non eget, utpote nullius pœnæ reus, nec illud alteri applicat, juxta quosdam, Deus pro suo arbitrio illud indigentibus applicat, verisimilius tamen est id reponi in thesauro Ecclesiæ.

LIBER VI.

De indulgentiis.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA NONA.

De potestate concedendi indulgentias.

Sect. I. — *An sit in Ecclesia potestas concedendi fidelibus peccatorum indulgentias.*

Nota : Indulgentia, prout hic accipitur, significat specialem remissionem pœnæ pro peccatis jam remissis quoad culpam debitæ, quæ fit a pastore Ecclesiæ, ad hoc potestatem habente.

Dico 1 : De fide est esse in Ecclesia potestatem a Christo datam concedendi indulgentias, per quas remittitur fidelibus pœna temporalis peccatis remissis quoad culpam, debita sine propria ejus, cui illa remittitur, satisfactione, et sine speciali aliorum fidelium suffragio, contra Waldenses, Wiclefum, Joannem Hussium, Lutherum, aliosque hæreticos eam negantes. Hinc concilium Tridentinum (sess. 25) anathemate ferit eos, *qui indulgentias aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.* Probatur ex Matth. xvi, 19, ubi Christus promittit Petro claves regni cœlorum, subdens : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Sub hac autem universali potestate specialiter Petro, futuro Ecclesiæ summo pastori promissa, comprehenditur indulgentias concedendi potestas promissa, unde soli Petro per se et immediate, ejusque solis successoribus mediate promissa fuit hæc concedendarum indulgentiarum potestas; idque etiam colligitur ex cap. *Cum ex eo*, et ex nostro *De pœnit. et remiss.*, ubi pontifex præscribit ac moderatur indulgentias quas episcopi vel archiepiscopi possunt concedere : quod signum est solum papam immediate habere hanc potestatem a Christo, episcopos autem habere eam tantum per communicationem a papa factam; non ideo tamen est in eis hæc potestas delegata, sed ordinaria, qui prout eis communicatur per se conjuncta est cum illorum munere, et ex vi hujus eis confertur juxta Ecclesiæ institutionem et ordinationem. Quoad tempus quo Christus suam istam promissionem Petro factam exsecutus est, sic videtur dicendum.

Dico 2 : Christus suam promissionem implevit, et istam concedendarum indulgentiarum potestatem reipsa dedit, cum dixit Petro (*Joan.* xxi, 17) : *Pasce oves meas;* tunc enim primatus et universalis in Ecclesiam potestas revera Petro a Christo data est, et in illo verbo *pasce*, includitur omnis actus jurisdictionis, ad claudendum et aperiendum regnum cœlorum conferre potest, qualis est remissio pœnarum per indulgentias.

Sect. II. — *Quam sit antiquus in Ecclesia usus concedendi indulgentias.*

Dico : Hunc indulgentiarum usum esse antiquissimum ac legitimum constat, 1° ex historiis ecclesiasticis, ex concilio Constantiensi, ubi oppositum damnatur erroris, ex Clement. *Unica* De relig. et vener. sanctorum, ex extravag. *Unigenitus*, ex bulla Leonis X contra Lutherum, ex concilio Tridentino, etc. 2° Ex communi catholicæ Ecclesiæ

acceptatione et consensu; universa autem Ecclesia in re tam gravi errare nequit. 3° Ex apostolorum praxi successive continuata. Nam apostolus Paulus II Cor. II, indulgentiam alicujus partis pœnæ concessit isti incestuoso quem prius graviter puniverat, ut patet ex his verbis : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi* (*Ibid.* 10). Dicendo *in persona Christi*, significat veram dedisse indulgentiam. Unde in primitiva Ecclesia antiquus mos fuit remittere interdum aliquid pœnarum pro variis delictis præscriptarum : vel ob intercessionem martyrum, confessorum, aut aliorum fidelium, vel ob dispositionem ipsorum pœnitentium, uti colligitur ex Tertulliano (*Ad martyres*, cap. 1), et ex multis Cypriani epistolis. Licet enim non sit certum istas remissiones fuisse veras indulgentias, possumus tamen sic ratiocinari : sicut episcopi remittebant pœnas ab Ecclesia definitas, quando ad bonum animarum expedire censebant, ita verisimile est remisisse etiam pœnas apud Deum definitas, quando id facere oportebat; cum potestas solvendi et ligandi de se omnia ista comprehendat. Deinde cum illæ pœnæ impositæ essent non solum ad satisfaciendum Ecclesiæ, sed etiam ad compensanda delicta, verisimile est non fuisse remissas illas pœnas, nisi etiam alia via compensaretur satisfactio, seu remissio pœnæ apud Deum debitæ. Denique stationes aliquarum ecclesiarum Romanæ urbis, in quibus plenariæ indulgentiæ conceduntur, quarum initium ignoratur, et a primis pontificibus manasse videntur, confirmant indulgentiarum antiquitatem; uti et indulgentia jubilæi plenissimi quæ in anno sancto, ut vocant, Romæ conceditur omnibus fidelibus, Limina Apostolorum visitantibus, quæ prius tantum centesimo quoque anno, postea quinquagesimo, nunc autem vicesimo quinto conceditur, sicut constat ex extrav. *Antiquorum*, et ex extrav. *Unigenitus*. Antiqui autem Patres non adeo faciunt mentionem indulgentiarum; quia tunc non erant hæretici qui illas impugnarent.

Sect. III, IV. — *An potestas concedendi indulgentias sit potestas ordinis, an vero jurisdictionis; et quomodo definienda sit indulgentia.*

Dico 1 : Potestas concedendi indulgentias non consistit formaliter in potestate ordinis, nec illam prærequirit aut supponit, quia nemo ex vi solius potestatis ordinis habet subditos; nemo autem potest indulgentias concedere nisi suis subditis, ut definitur in c. *Quod autem* De pœnit. et remiss.; remissio ergo pœnæ temporalis, quæ fit ex opere operato per sacramentum pœnitentiæ, non est propria indulgentia, de qua hic, quia non est absolutio per se a pœna, sed a culpa, et consequenter tantum a pœna, vel certe non fit per modum puræ remissionis, sed per modum condignæ satisfactionis. Deinde ad hunc actum non requiri potestatem ordinis sacerdotalis patet : sæpe enim diaconi cardinales, aut alii non sacerdotes ex papæ concessione dant indulgentias. Et ratio est, quia hæc remissio quæ fit per indulgentias, non est actus sacramentalis, sed est quædam thesauri ecclesiastici dispensatio, extra sacramentum facta.

Dico 2 : Hæc potestas concedendi indulgentias, est potestas jurisdictionis spiritualis a Christo data : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17), et quamvis sit opus misericordiæ concedentis indulgentias, potest tamen etiam esse simul opus jurisdictionis non coactivæ, sed voluntariæ erga proprios subditos volentes, imo et erga seipsum sub diverso respectu : v. gr. papa ut vicarius Christi potest sibi ut homini peccatori largiri indulgentiam.

Dico 3 : Indulgentia sic proprie definitur : *Est quidam actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu pœnæ temporalis extra sacramentum :* vel generalius sic : *Est remissio virtute clavium facta, qua mediante liberatur peccator ex opere operato seu ad modum operis operati a reatu pœnæ temporalis extra sacramentum.* Unde indulgentiæ vivis datæ possunt dici veræ absolutiones a reatu pœnæ temporalis; *absolutiones*, inquam, non per modum particularis sententiæ, qualis proferri solet inter partes servato judiciario ordine juxta exigentiam talis fori, quomodo remissio sacramentalis est vera absolutio; sed absolutiones, id est efficaces remissiones ac relaxationes pœnæ, immediate factæ per voluntatem et declarationem vicarii Christi, potestate jurisdictionis sibi a Christo concessa utentis erga subditos viventes, in quos habet directam jurisdictionem; ideoque potest eos absolvere a peccatorum pœnis vel in sacramento, vel extra sacramentum juxta diversas potestates. Indulgentiæ autem pro defunctis concessæ, quia papa in eos non habet directam jurisdictionem, utpote jam constitutos extra statum viæ et extra forum Ecclesiæ militantis, non proprie dicuntur absolutio, sed subsidium quoddam quod per modum suffragii pro illis offertur, desumptum ex thesauro Ecclesiæ. Alii aliis quibusdam verbis definiunt indulgentiam, sed in sensu conveniunt cum jam data definitione, et addunt particulas quasdam, v. gr. : *Remissio pœnæ ex culpis remissis relictæ, pœnæ ordinariæ, non extraordinariæ extra sacramentum et extra sacramentalia, ex thesauro Ecclesiæ;* sed illæ non sunt necessariæ, et satis subintelliguntur in ista definitione, in qua dicitur remissionem pœnæ fieri extra sacramentum virtute clavium, et ad modum operis operati.

Sect. V. — *An usus indulgentiarum repugnet vel justitiæ vel perfectioni.*

Dico 1 : Usus indulgentiarum non repugnat justitiæ; licet enim Ecclesia non imponat nec taxet pœnas in foro Dei debitas, potest tamen eas tollere ex auctoritate a Deo commissa, sicut facit in sacramento et in voto; nec statutam a Deo legem irritam facit, aut præscriptam ejus voluntatem immutat, quia lex ista est conditionata, et voluntas non est absoluta : adeoque optimum et sanctum est recipere indulgentias, et frui thesauro Christi ab

ipsomet concesso, cum illæ non dentur, nec dari possint sine justa causa.

Dico 2 : Usus indulgentiarum non repugnat perfectioni, etiam religiosæ ; nec est opus majoris charitatis velle satisfacere in purgatorio, quam lucrari indulgentias ; purgatorii enim pœnis non crescit charitas, nec utilitas. An autem sit consultius pecuniam in eleemosynam dare, quam dare in subsidium ad consequendam indulgentiam, spectandæ sunt circumstantiæ, finis, necessitas, obligatio, etc.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA.

De effectu indulgentiarum.

Sect. I. — *An effectus indulgentiæ extendi possit usque ad culpam.*

Dico 1 : Indulgentia non potest per se conferre remissionem culpæ mortalis, quia peccatum mortale non remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis ; gratia autem sanctificans non potest infundi per solam indulgentiam seu remissionem factam extra sacramentum, ideoque in formulis indulgentiarum solet dici eas concedi hominibus confessis vel contritis. Non est enim Ecclesiæ data potestas dispensandi thesaurum, seu satisfactiones et merita Christi in eo contenta, ad remissionem culpæ, etiamsi Christus potuisset eam dare. Indulgentia tamen interdum concomitanter aliquid secum affert, quod conducit ad veniam culpæ facilius consequendam, qualis est facultas absolvendi a peccatis reservatis, aut censuris, ad commutanda vota, operum bonorum impositio. Nec concessio indulgentiarum ab Ecclesia facta, valet ad remissionem culpæ per modum impetrationis ; Ecclesia enim eas non dat ad impetrandum peccatori saltem aliquem bonum motum, quo sufficienter se disponat ad remissionem culpæ mortalis, licet ad istum finem posset eas dare, sed tantum dat ad tollendum pœnæ reatum, et sic immediatus ac directus earum effectus, est tantum privativus, non positivus ; *pœnæ*, inquam, temporalis, non æternæ, quia hæc pœna æterna concomitanter remittitur cum culpa mortali, non vi indulgentiæ, quæ culpam non remittit, imo

Dico 2 : Neque indulgentia per se valet ad remissionem culpæ venialis, ut communiter docent theologi, quia culpa venialis deleri non potest juxta legem ordinariam sine actu hominis quo prior voluntas aliquo modo mutetur ; atqui per indulgentiam non datur homini hujus modi actus contra peccatum veniale ; ergo. Manente autem culpa, non potest tolli reatus pœnæ temporalis illi proportionatæ. Unde dum Christus dixit Petro : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17), dedit illi potestatem remittendi culpas tantum per sacramenta, sed non per indulgentias. In concessione igitur indulgentiarum, nomine *peccatorum* intelliguntur peccatorum pœnæ, ut dicitur II Mach. XII, 46 : *Ut a peccatis solvantur*. Et si interdum pontifices in earum concessione, maxime anni jubilæi, dicant absolvi *a culpa et a pœna*, sensus est, per ejusmodi indulgentiam concedi, ut qui eam lucratus fuerit, omnino maneat absolutus a culpa et pœna : non quod indulgentia utramque tollat, sed quia, ut habeat effectum, debet supponere remissam culpam, et tunc ipsa complet totius pœnæ remissionem.

Sect. II, III. — *An indulgentia tollat reatum pœnæ temporalis apud Deum debitæ, an vero tantum remittat pœnitentias in foro sacramentali injunctas ; et an præter has, etiam alias remittat.*

Dico 1 : Videtur de fide certum esse posse Ecclesiam talem indulgentiam concedere, ut per eam remittat extra pœnitentiæ sacramentum reatum pœnæ temporalis apud Deum debitæ, ut patet ex communi totius Ecclesiæ et omnium fidelium consensu ; nec tantum potest remittere hunc pœnæ reatum per indulgentiam, postquam in sacramento est injuncta pœnitentia pro peccatis, ex quibus ortum est tale debitum : sed etiam antequam ulla sacramentalis pœnitentia injuncta sit, seu antequam ista peccata per confessionem sint delata ad sacramentale pœnitentiæ forum, modo fuerint deleta quoad culpam per contritionem, aut alio modo. Deinde per effectum indulgentiæ potest tolli seu relaxari pœnitentia in confessione sacramentali imposita juxta modum seu quantitatem indulgentiæ, nempe vel plenariæ, vel non plenariæ, seu pœnis debitis non adæquatæ : cum enim per indulgentiam tota pœna sit soluta, non ergo restat obligatio solvendi iterum istam pœnam. Unde licet per effectum indulgentiæ cesset obligatio implendi pœnitentiam in foro sacramenti injunctam per modum satisfactionis et vindictæ, non tamen cessat obligatio implendi illam injunctam per modum medicinæ præservantis ; imo ista obligatio implendi pœnitentiam injunctam per modum satisfactionis, etiam tollitur per omnem aliam remissionem pœnæ pro peccatis debitæ, quacunque alia via obtineatur, id est, sive per alia propria opera satisfactoria ; sive per aliorum suffragia aut satisfactiones sibi applicatas, sive ex opere operato per alia sacramenta aut sacrificia. Potestas autem remittendi pœnas peccatorum coram Deo et pœnitentias injunctas in foro sacramentali non est duplex, sed una et eadem, quæ utrumque effectum simul et una eademque actione producit ob connexionem. Denique potestas remittendi pœnitentiam sacramentalem per indulgentiam non dependet a consensu confessarii, qui illam imposuit. Quoad autem indulgentias quæ nunc de facto conceduntur et sunt in usu Ecclesiæ, hæc sequentia videntur dicenda.

Dico 2 : Per indulgentias, quæ de facto sunt in usu Ecclesiæ, remittitur pœna peccatis debita, etiam in foro Dei, aut in foro sacramentali injuncta ; si enim remitterentur tantum pœnæ in foro exteriori impositæ, Ecclesia magis damnificaret quam juvaret fideles, quia absolveret eos a pœnitentiis in foro exteriori injunctis, et remitteret eos ad graviores purgatorii pœnas. Nihil fit autem

contra reverentiam sacramenti, quando per indulgentiam relaxatur seu tollitur pœnitentia in foro sacramentali injuncta ; quia sacramentum non postulat hanc satisfactionis integritatem, nisi ob reatum pœnæ apud Deum, quo soluto jam desiit obligatio istius integritatis per desitionem debiti ; debito enim soluto, jam nihil debetur. Unde indulgentiæ quæ simpliciter sine adjectione particulæ de *pœnitentiis injunctis* dantur, non solum remittunt pœnitentias injunctas, seu pœnas illis correspondentes, sed etiam quaslibet alias, etiam in foro Dei, juxta quantitatem sive largitatem concessionis ; id est sive sint plenariæ, sive non plenariæ. Imo quamvis in tenore indulgentiæ fuerit de *pœnitentiis injunctis,* tamen etiam extenditur ad remittendas peccatorum pœnas, pro quibus pœnitentia non est injuncta : qui enim dat majus, nempe remittere pœnas injunctas, etiam dat minus, id est, remittere non injunctas ; sicut qui dat facultatem absolvendi a casibus reservatis, etiam dat a non reservatis. Ista ergo particula de *pœnitentiis injunctis* est ampliativa, non restrictiva : nulla enim est ratio ob quam papa concedendo remissionem tantæ pœnæ purgatorii pro qua injuncta est pœnitentia, excludat aliam pro qua non est injuncta ; et sic non obstante ista particula, in forma concessionis, intelliguntur quæcunque pœnæ peccatis debitæ.

Sect. IV. — *De indulgentia totali.*

Dico : Indulgentia totalis seu plenaria, est illa quæ totam pœnam remittit ei cui applicatur, sive major sive minor pœna ab eo solvenda inveniatur. Inter plenam seu plenariam, pleniorem, plenissimam indulgentiam, nulla est differentia quoad proprium et per se effectum ut sic : fortasse sic nominantur ob majorem aut maximam causam concedendi ejusmodi indulgentiam. Sic etiam jubilæus non differt ab indulgentia totali quoad proprium indulgentiæ effectum, sed differt quoad varia privilegia seu favores, qui in illis concedi solent in ordine ad consequendam istam indulgentiam, v. gr. absolutio a casibus et censuris, commutatio votorum, etc., ideoque non debet denuntiari sub nomine indulgentiæ, sed sub nomine jubilæi. Si ultra plenariam indulgentiam addantur interdum in bullis aliqui dies vel quadragena indulgentia, juxta Cordubensem, ideo hæc fit additio, ut si forte causa indulgentiæ non fuerit sufficiens ad plenariam indulgentiam, saltem valeat ad illos dies vel quadragenas obtinendas, sed hæc ratio videtur minus probabilis ; ideo vel istæ concessiones referuntur ad diversa tempora et diversas actiones, vel si referantur ad idem tempus, potest dici ultra indulgentiam plenariam quam quis sibi lucratur, concedi istos alios dies vel annos indulgentiæ, quos per modum suffragii possit aliis offerre. Dum dicitur : *Concedimus indulgentiam omnium peccatorum,* aut dum indefinite dicitur : *Concedimus indulgentiam peccatorum,* intelligitur indulgentia plenaria, quia hic propositio indefinita æquivalet universali, cum non possit magis ad unam partem quam ad aliam determinari, sicque esset inutilis concessio.

Sect. V. — *De indulgentia partiali.*

Nota : Indulgentia partialis est illa quæ non absolute, sed cum aliqua additione quæ determinat partem pœnæ remittendæ, non autem ad totam pœnam remittendam, conceditur.

Dico 1 : Indulgentia quæ determinat unum annum, vel unam quadragenam de pœnitentiis injunctis, est partialis. Quæ autem conceditur de peccatis de quibus quis contritus et confessus fuerit, videtur esse totalis, etiamsi in re non sit confessus, sed aliter peccatorum veniam quoad culpam obtinuerit ; in his enim verbis, *et confessus fuerit,* potest intelligi, si confessio necessaria est (v. gr. ob imperfectam contritionem), aut quantum necessaria est, ut peccata sint remissa quoad culpam.

Dico 2 : Quando in indulgentia partiali ponuntur hæ determinationes : *Quadragena,* seu quadraginta dies indulgentiæ ; *septena*, seu septem annorum indulgentiæ ; *carema,* seu utrumque prædictam indulgentiam complectens, non intelliguntur tot dies aut anni remitti de pœna in purgatorio sustinenda, sed sensus est, quod vi talis indulgentiæ remittantur tot dies aut tot anni de pœnitentia, quæ secundum antiquos canones in hac vita fieri debuisset : ac proinde quod tantum de pœnis purgatorii remittatur, quantum quadraginta diebus aut septem annis sibi remitti meruisset, si tandiu in austera pœnitentia vixisset. Hæc autem pœnitentia, juxta varia peccata vel erat determinata per canones, vel prudenter juxta eos injungenda a sacerdote. Hinc probabile est olim consuevisse poni ista verba de *injunctis pœnitentiis,* ut declararetur istos dies aut annos indulgentiæ, qui concedebantur, non esse de diebus aut annis purgatorii, sed de diebus aut annis ecclesiasticæ pœnitentiæ.

Dico 3 : Alia indulgentia partialis est, in cujus concessione dicitur remitti tertia, vel quarta aut ejusmodi pars pœnæ pro peccatis debitæ.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De thesauro Ecclesiæ qui per indulgentias dispensatur.

Sect. I, II. — *An in Ecclesia sit thesaurus spiritualis, qui per indulgentias dispensari possit; et an constet etiam ex satisfactionibus sanctorum.*

Dico 1 : Est in Ecclesia Christi thesaurus, ex meritis et satisfactionibus Christi potissime constans, qui inter alios modos potest per indulgentias dispensari seu applicari, et id videtur esse de fide ; saltem oppositum censetur a theologis erroneum. Hæcque veritas declaratur optime in extrav. *Unigenitus,* De pœnit. et remiss. Cum enim opera et pœnæ Christi fuerint infiniti meriti ac satisfactionis et ob nostram salutem assumpta, sequitur istum thesaurum valoris infiniti sive absolute infiniti, sive secundum quid aut quasi syncathegorematice infiniti, ex istis operibus ac pœnis resultantem, non tam ipsi quam nobis fuisse acquisitum, ac relictum

Ecclesiæ non in loco materiali, cum sit res moralis, sed in Dei acceptatione ac præsentia exsistentem. Et quamvis Christus ob sua opera quatenus meritoria, receperit aliquod præmium inadæquatum, tamen quatenus satisfactoria non potuerunt illi prodesse, utpote nihil habenti quod satisfactionem requireret; ergo debent nobis prodesse, ut non remaneant inutilia. Imo et possent omnibus prodesse in æternum, si darentur homines futuri in æternum, quia istæ satisfactiones sunt valoris infiniti; neque post diem judicii iste infinitus valor erit superfluus, quia sicut Dei potentia non est superflua, quamvis possit operari infinita quæ non operatur, ita ille operum Christi valor. Deinde Christus ad talem tantum satisfactionem obtulit Deo sua opera.

Dico 2 : Iste Ecclesiæ thesaurus non solum constat ex Christi, sed etiam ex sanctorum meritis et satisfactionibus, uti habetur ex dicta extrav. *Unigenitus*, et in bulla Leonis X contra Lutherum. Probatur, quia triplex est effectus bonorum operum a sanctis factorum : primus est meritum de condigno, et hoc est personale, soli operanti competit ejus præmium. Secundus, est impetratio vel alicujus beneficii, vel alicujus remissionis pœnæ temporalis, quæ impetratio est instar meriti de congruo. Hæc ergo opera quatenus habent vim impetrandi non tantum operanti, sed etiam aliis, dum sunt superabundantia, possunt manere reposita in thesauro Ecclesiæ, et applicari ad impetrandam pœnæ remissionem sine propria satisfactione seu solutione. Tertius, est satisfactio : ista enim sanctorum opera quatenus pœnalia, pro peccatis sunt satisfactoria; sed plures sancti habuerunt satisfactiones superabundantes, quæ nec ipsis fuerunt utiles, nec aliis probabiliter applicatæ, v. gr. B. Virgo per sua plurima opera pœnalia acquisivit plurimas satisfactiones, quæ ipsi non profuerunt, utpote nullum peccatum habenti pro quo oporteret satisfacere; item multi sancti plus satisfactionem acquisierunt quam erat necesse ad satisfaciendum pro suis peccatis, v. gr. Job, qui ait : *Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas quam patior, in statera, quasi arenæ maris hæc gravior appareret* (*Job* VI, 2, 3). Idem potest dici de Abele, Joanne Baptista, et aliis. Satisfactiones autem unius sancti quæ ipsi non sunt necessariæ nec utiles, tunc non applicantur aliis nisi ex ejus voluntate et intentione; atqui multi sancti dum vivunt, eas aliis non applicant : et si applicent, potest fieri ut is, cui eas applicant, illis non egeat, aut habeat obicem peccati mortalis. Ergo illæ satisfactiones superabundantes, neque in operante, neque in alio habent tunc ullum effectum; ideo dicimus has reponi in thesauro Ecclesiæ, ut per publicam ejus potestatem Petro a Christo concessam, fidelibus applicentur ac per indulgentias dispensentur : ita theologi, excepto Durando admittente tantum istorum operum superabundantium vim impetratoriam, non satisfactoriam; atque ita explicata manet prædicta extrav. *Unigenitus* et bulla Leonis X. Quamvis autem ad istum effectum sufficerent solæ Christi satisfactiones, non sunt tamen inutiles sanctorum additæ satisfactiones, quia id redundat et in eorum honorem, et in Christi gloriam tribuentis suis sanctis istam vim satisfaciendi, quorum satisfactiones augent istum Christi satisfactionum thesaurum, non intensive utpote infinitum, sed extensive per additionem novarum satisfactionum. Iste satisfactionum thesaurus jam erat ante Christum ab initio mundi, sed tantum a Christo data est ipsius in terris vicario potestas illum dispensandi.

Sect. III. — *An indulgentiæ concedi tantum possint ex thesauro Ecclesiæ.*

Dico 1 : Indulgentiæ semper necessario fiunt ex thesauro Ecclesiæ, sive per modum absolutionis, sive per modum auxilii vel suffragii concedantur, ita ut hujus thesauri divitiæ in suo genere sint semper causa necessaria ac per se moraliter concurrens ad hunc effectum. (D. Thomas, Bonaventura, etc.) Indulgentiarum ergo vis et efficacia necessario pendent ex hoc thesauro, saltem ut constante ex Christi meritis, propriam meriti rationem habentibus : nulla enim remissio culpæ aut pœnæ conceditur hominibus, nisi ob Christi merita. Deinde per indulgentias non remittitur pœna nisi per potestatem a Christo datam Petro; hanc autem potestatem ipse Christus meruit. Ergo remissio pœnæ nititur Christi meritis relictis in thesauro Ecclesiæ, et indulgentiarum concessio fundatur necessario in hoc thesauro ut continente merita Christi, uti et in his fundatur omnis efficacia sacramentorum ad delendam culpam et pœnam. Sed quia Christus non tantum operatus est nostram salutem, per modum meriti, sed etiam per modum satisfactionis; ejus enim passio sufficiens et abundans fuit, ad satisfaciendum pro omnibus nostris peccatis tam quoad culpam, quam quoad pœnam omnem; ideo tam per indulgentias quam per sacramentum remissio etiam fit ex Christi satisfactionibus, ac proinde thesaurus Ecclesiæ quatenus constans ex Christi satisfactionibus, est etiam ut simpliciter necessarius ad indulgentiarum valorem et efficaciam. Quoties ergo fit remissio pœnæ temporalis, sine nostræ satisfactionis interventu, illa fit semper per applicationem satisfactionis Christi tanquam condigni et superexcellentis pretii seu condignæ solutionis, sive fiat per sacrificium et sacramenta, sive per indulgentias. Itaque in remissione pœnæ semper interveniunt et Christi meritum, et Christi satisfactio : satisfactio ad condignam ac proportionatam pœnæ debitæ compensationem; meritum vero ad obtinendam ut talis applicationis modus esset efficax, et ut potestas clavium, a qua manat, acceptaretur a Deo. Dixi sine *nostræ satisfactionis interventu*, quia dum nostra satisfactio intervenit, non est necessaria Christi satisfactionis applicatio, sive quis pro se ipso, sive pro alio satisfaciat, utroque

enim modo exhibetur condigna et æqualis solutio : adeoque non requiritur altera Christi satisfactio, quæ fit immediata solutio. Quia autem nostra satisfactio et meritum, licet habeant condignam proportionem, non sufficiunt ad perfectam justitiam nisi conjungantur cum Christi satisfactione et merito, ideo hæc Christi satisfactio et meritum remote et quasi radicaliter semper influunt in prædictam remissionem per modum causæ universalis in suo genere. Quod attinet ad remissionem pœnitentiarum externarum publicarum ad externum Ecclesiæ forum spectantium, illa non fit ex thesauro Ecclesiæ, sed per aliam potestatem ecclesiasticam, uti et absolutio a censuris.

Dico 2 : Ex dictis patet thesaurum Ecclesiæ prout constantem ex satisfactionibus sanctorum, non esse absolute necessarium ut indulgentiæ concedantur, suumque habeant effectum ; solæ enim satisfactiones Christi sunt sufficientes ad indulgentiarum efficaciam etiam secundum legem ordinariam ; postquam tamen in hoc thesauro inveniuntur etiam illæ sanctorum satisfactiones, fit quoque ex illis indulgentiarum concessio ac pœnæ remissio, ut patet ex extrav. *Unigenitus*. Licet enim sancti non absolvant alios, sed Christus aut ejus vicarius, dant tamen pretium solutionis, saltem cum Christi satisfactionibus, juxta intentionem applicantis. Quod attinet ad merita sanctorum sub propria et formali ratione meriti distincta a satisfactione, sive maneant in thesauro Ecclesiæ, sive non, nihil per se conferunt ad indulgentiæ effectum ; nec ad hunc requiruntur, quia indulgentiæ non illis nituntur sub ista ratione spectatis. Non enim meruerunt sancti potestatem dandi indulgentias sicut Christus ; nec meruerunt ut nobis remitteretur pœna gratis sine ulla satisfactione vel propria vel aliena nobis applicata. Deinde eorum merita de condigno sunt tantum personalia.

Sect. IV. —*An Ecclesiæ thesaurus solum per indulgentias dispensetur.*

Dico : Thesaurus Ecclesiæ ut constans ex Christi meritis et satisfactionibus, potest aliter dispensari quam per indulgentias, nempe per sacramenta, per missæ sacrificium, per alia bona fidelium opera ; sed ut constans ex sanctorum satisfactionibus, potest solum dispensari per indulgentias, quia satisfactiones sanctorum non applicantur nisi per homines, et non privata auctoritate sed publica, adeoque per potestatem clavium a Christo concessam. Hæc autem potestas non operatur remissionem peccatorum quoad culpam aut pœnam apud Deum, nisi per sacramenta vel per indulgentias ; ergo neque applicat seu dispensat satisfactiones sanctorum nisi per sacramenta aut per indulgentias. Sed non potest per sacramenta, quia per ea solus Christi sanguis operatur ; ergo per solas indulgentias. Aliud est per eorum merita ut a satisfactionibus condistincta, aliquid a Deo impetrare ; sed hoc non est eorum dispensatio.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De fidelibus viventibus quibus possunt prodesse indulgentiæ.

Sect. 1. — *An indulgentia solis hominibus concedi possit ; et quomodo dividatur.*

Dico 1 : Soli homines baptizati et ratione utentes sunt capaces indulgentiarum, si illis indigeant ob reatum pœnæ temporalis non remissum. Et in horum favorem concessa indulgentia triplex assignatur : 1° est personalis, quæ ita personæ conceditur, ut illi quasi inhæreat, talis favor seu gratia, secum eam, quocunque pergat, deferendo. 2° Localis, quæ quodammodo inhæret loco in ordine ad personas, quia conceditur hominibus in isto loco orantibus, aut aliud pium opus ibi exercentibus, et tantum ibi obtineri potest. 3° Realis, quæ imaginibus, granis, rosario, numismati, etc., inhærere, et quasi cum eis deferri censetur, et per ea hominibus communicatur, ita ut omnes qui coram tali imagine orant, vel ista rosaria, grana, etc., gestant, aut recitant, talem remissionem pœnæ consequantur.

Dico 2 : Ad lucrandam indulgentiam pio loco concessam, præstandum est id quod et quomodo in forma concessionis præcipitur, et standum est in verbis concessionis : v. gr. ingredi ecclesiam, visitare ecclesiam, orare in ecclesia. Quando indulgentia concessa est alicui templo, destructo prorsus templo perit indulgentia ; si autem in eodem loco aliud ædificetur, videtur manere prior indulgentia ; sed si in alium locum transferatur, valde incertum est an maneat. Ratio cur determinetur indulgentia ad talem locum, talem imaginem, talia grana, etc., est ad excitandum majorem pietatem, venerationem, devotionem. Dum indulgentia generaliter conceditur alicui oppido, non tantum laici, sed etiam clerici et religiosi comprehenduntur. Clerici enim sunt pars Christiani populi, et religiosi exempti in favorabilibus censentur episcopo subditi, quia degunt in diœcesi istius episcopi. Denique prælatus, qui indulgentiam concedit, potest eam sibi concedere ac lucrari, vel dando facultatem alteri ut eam ipsi concedat, vel directe eam concedendo communitati, ac concomitanter sibi tanquam parti communitatis ; vel directe ac primario sibi aut etiam sibi soli concedendo ac lucrando, dum rationabilis causa subest : quia in prælato seu pontifice non deest jurisdictio, et iste jurisdictionis actus non requirit per se et intrinsece distinctionem personarum agentis et patientis, sive concedentis et lucrantis indulgentiam, adeoque potest ab eodem exerceri circa se et per seipsum, ut patet in aliis rebus : v. gr. pontifex ex rationabili causa potest secum dispensare in voto, aut in lege ecclesiastica sub diverso respectu et secundum diversam potestatem ac conditionem ; dispensat enim ut papa, et dispensatur ut homo.

Sect. II. — *De habituali dispositione ad indulgentiam lucrandam.*

Dico 1 : Ad indulgentiam lucrandam necessaria

est interna fidei unio cum Ecclesia, et externa communicatio. Unde hæretici, seu apostatæ, et excommunicati sunt incapaces indulgentiæ qua tales. Item necessarius est status gratiæ seu gratia habitualis ; non potest enim remitti pœna nisi prius sit remissa culpa (quod etiam intellige de peccato veniali) : quandiu enim durat culpa venialis, non potest remitti pœna illi debita. Deinde homini Dei inimico quandiu in peccato manet, nulla fit remissio utpote indigno neque quoad culpam neque quoad pœnam, ac proinde nec quoad pœnam peccatorum, quorum culpa prius remissa fuit. Effectus autem indulgentiæ confertur in primo instanti in quo opus requisitum consummatum est, v. gr. vel in intrinseco, vel in extrinseco instanti mortis, quando data est indulgentia morientibus in tali religione.

Dico 2 : Dum effectus indulgentiæ impeditur ob defectum gratiæ, recedente fictione non tantum non recuperatur seu obtinetur de facto ille effectus, sed etiam videtur non esse in Ecclesia potestas dandi indulgentiam, quæ recedente fictione conferat effectum ; nec unquam dari ejusmodi indulgentia visa est. Probatur, quia thesaurus Ecclesiæ habet suum effectum quando applicatur juxta concedentis intentionem. Intentio autem concedentis est tantum pro præsenti tempore in quo homo est in gratia ; nec potest esse pro futuro sublati obicis tempore, quia ista intentio esset irrationabilis et contra jus divinum. Ergo si homo non sit in gratia quando fit applicatio thesauri, nunquam illi applicabitur ; aliud est de sacramentis, quæ recedente fictione reviviscunt, quia sacramentum fuit applicatum, seu fuit validum, indulgentia autem non fuit applicata, seu non fuit valida ; ergo non potest reviviscere.

Sect. III. — *An ad indulgentiæ effectum sit necessaria confessio.*

Dico 1 : Non est necessaria confessio, quando in forma indulgentiæ non exprimitur, etiamsi in ea postuletur communio ; sufficit enim status gratiæ, sive per veram contritionem, sive per attritionem cum quovis alio sacramento obtentus, dum dicitur *contritis et confessis*, id est, si confessio sit necessaria ad statum gratiæ. Deinde dum expresse postulatur confessio, intelligitur non venialium, sed mortalium peccatorum confessio. Si ad lucrandum jubilæum expresse requiratur confessio, et homo intra tempus præscriptum semel confiteatur, postea ante momentum in quo fructus indulgentiæ obtinendus est, iterum peccet mortaliter, non videtur necessario iteranda actualis confessio de hoc posteriori peccato ad lucrandum jubilæum ; sed contritio poterit sufficere.

Dico 2 : Quando indulgentia conceditur sub hac forma : *Vere pœnitentibus ac confessis*, non videtur necessaria præmittenda esse actualis confessio ; securius tamen erit illam præmittere. Non enim videtur papa illam exigere ut speciale opus necessarium ad lucrandam indulgentiam, sicut jejunium, aut eleemosynam, sed ut dispositionem ad statum gratiæ ; adeoque status gratiæ quomodocunque habitus, sufficiet sine actuali confessione, qui etiam requiritur ad obtinendum non tantum proprium indulgentiæ effectum seu remissionem pœnæ temporalis, sed etiam ad alios favores, qui interdum cum indulgentia conceduntur, ut sunt absolutio a censuris, dispensationes votorum, etc.

Sect. IV, V, VI. — *De actuali dispositione et opere requisito ad lucrandam indulgentiam.*

Dico 1 : Non est absolute et simpliciter de necessitate indulgentiæ ut concedatur sub conditione alicujus operis præstandi ad effectum indulgentiæ consequendum ; potest enim dari indulgentia per modum gratitudinis ob obsequia Ecclesiæ exhibita, in quibus potest esse sufficiens ratio dandi remissionem pœnæ temporalis sine impositione novi operis, supposito nempe gratiæ statu in recipiente ; item potest sic dari per modum medicinæ ad erigendam recipientis spem aut fervorem excitandum, aut per modum liberalis donationis ex rationabili causa aut occasione, v. gr. ob aliquam solemnitatem, factæ. Attamen quando causa dandæ indulgentiæ talis est, ut sine pii operis interventu vel non sit sufficiens, vel non possit convenienter ad finem indulgentiæ applicari, tunc injunctio pii operis est necessaria ad valorem indulgentiæ : ut enim indulgentia valeat, debet esse justa causa, adeoque istud opus injunctum tenet se ex parte causæ finalis.

Dico 2 : Quoties indulgentia conceditur sub tali forma, ut certum opus requirat, nemo illam lucratur nisi istud opus exsequatur, etiamsi ex oblivione aut impotentia omissum sit ; nisi in ipsa concessione talis exceptio exprimatur, aut sub alia forma personis impeditis idem indulgentiæ effectus tribuatur. Imo nec videtur aliquid indulgentiæ consequi, qui tantum aliquam injuncti operis partem, v. gr. unum jejunium ex tribus injunctis, implevit, quia concessio est unica et quasi indivisibilis sub tali conditione. Si tamen minimam ex injuncto opere partem omisisset, videtur consecutus indulgentiam, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Opus injunctum non est necesse ut sit æternum, item non est necesse per se loquendo et ex vi talis operis, ut fiat in statu gratiæ, quando opus præcedit indulgentiam vel omnino, vel ex parte : si enim consummetur opus quando indulgentiæ fructus dandus est, tunc necessaria erit gratia non propter opus, sed propter indulgentiæ fructum. Id intellige, nisi concedens indulgentiam expresse velit ut opus injunctam fiat in statu gratiæ. Imo

Dico 3 : Probabilius videtur non requiri necessario, ut opus injunctum sit honestum in individuo ; potest enim pontifex solum designare opus bonum ex genere suo ut conditionem necessariam ad consequendam indulgentiam, non exigendo omnes circumstantias ad bonitatem moralem actus in individuo requisitas (non tamen eas excludendo), ne

difficiliorem indulgentiæ consecutionem reddat, dummodo is qui illud opus facit, habeat intentionem formalem vel virtualem in eo faciendo lucrandi indulgentiam; adeoque cum imperative procedat a voluntate quatenus fidei lumine illustrata, requiritur saltem remote aliquod gratiæ auxilium ad istud opus exsequendum ut indulgentia obtineatur.

Sect. VII. — *An quis vivens possit lucrari indulgentiam per alium.*

Dico : Ad lucrandam indulgentiam sufficit opus injunctum fieri ministerialiter per alium, v. gr. eleemosynam per famulum, aut per alium, nomine volentis lucrari indulgentiam, nisi tenor indulgentiæ expresse aliud petat; nec necesse est ut ille ministerialiter operans nomine alterius, sit in gratia. Opus tamen injunctum non potest fieri per alium ut causam principalem et proximam, v. gr. jejunare, orare, visitare templum, etc., nisi hoc permittat expresse tenor indulgentiæ; nec tunc operans nomine alterius debet esse necessario in gratia, ut alter lucretur indulgentiam, sed hic alter debet esse in gratia eo tempore quo ei applicandus est fructus indulgentiæ. Unde iste principaliter operans nomine alterius, potest huic inscio lucrari indulgentiam.

Sect. VIII. —*An omnes æqualiter et statim post opus impletum, quod injunctum erat, consequantur indulgentiæ fructum.*

Dico 1 : Omnes qui opus injunctum sufficienter perficiunt, æqualem statim indulgentiæ effectum formaliter consequuntur, si eo indigeant, v. gr. plenariam peccatorum sive plurium sive pauciorum pœnæ remissionem. Effectus enim indulgentiæ per se et quasi ab intrinseco nullam dispositionem requirit in recipiente præter ablationem culpæ et statum gratiæ, ideoque major vel minor devotio, seu dispositio actualis per se non confert ad inæqualem indulgentiæ effectum, qui datur per modum cujusdam liberalis donationis prudenter factæ, sive factæ ex justa et sufficienti causa. Quando indefinita injungitur eleemosyna, sufficit minima ad lucrandam indulgentiam; et sufficit etiam minima juxta statum personæ, si forma concessionis virtualiter vel formaliter postulet diversam pro diversis pœnis.

Dico 2 : Quando plures indulgentiæ, v. gr. unius anni, conjunguntur in una persona diversis viis, id est, per distincta privilegia aut diversa grana benedicta, non videntur omnes acquiri uno actu, sed singulis actibus; quia unaquæque postulat talem actum applicatum ad talem finem vel effectum, ut partialem saltem concessionis causam.

Sect. IX. — *An præter gratiæ statum et opus injunctum requiratur alia dispositio actualis vel habitualis in recipiente indulgentiam ad eam lucrandam.*

Respondeo negative, quia in indulgentiæ concessione per se non attenditur actus recipientis tanquam ejus dispositio, sed tanquam complens causam sufficientem ad indulgentiæ concessionem; alioqui non est necessarius iste actus, nisi quatenus voluntarie et superabundanter a dispensatore indulgentiæ postulatur tanquam conditio sine qua non. Unde indulgentia absolute concessa omnibus quamtumvis negligentibus prodest, quantum est ex se et ex potestate ac voluntate concedentis; et probabilius quoque est illam causam, quæ sufficiens est respectu diligentium, etiam esse sufficientem respectu negligentium, si sint in statu gratiæ; ac proinde non sint indigni indulgentiæ beneficio, contra Cajetanum oppositum sentientem.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA TERTIA.

De defunctis quibus indulgentiæ prodesse possunt.

Sect. I, II. — *An animæ defunctorum sint capaces fructus indulgentiarum, et quomodo; per modum absolutionis, an suffragii tantum.*

Dico 1 : Quamvis olim non ita fuerit ab Ecclesia declaratum animas defunctorum esse capaces fructus indulgentiarum eumque posse illis applicari ac prodesse, ideoque tunc potuerint viri etiam catholici hac in re opinionibus dissentire, nunc tamen res adeo est clara eas posse sic juvari, ut sine errore negari non possit. Probatur ex communi theologorum et Ecclesiæ consensu, ex antiquo Ecclesiæ usu, ex auctoritate multorum pontificum, qui ex facto et doctrina id comprobarunt. Deinde certum est animas quæ sic juvari possunt, duntaxat esse animas purgatorii, nullas vero alias, uti supra de suffragiis dictum est. Sed ut indulgentia illis prodesse possit, id debet expresse declarari in forma concessionis concedi indulgentiam pro omnibus fidelibus, quia nemo potest lucrari indulgentiam pro alio, nisi id expresse concedatur in forma concessionis, sed tantum pro seipso.

Dico 2 : Theologi communiter docent pontificem non posse pro defunctis concedere indulgentias per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii; sive non posse principaliter et directe, sed tantum secundario et indirecte (D. Thomas, Alensis, Bonaventura, Bellarminus, etc.), quia concedere indulgentiam per modum absolutionis, est auctoritate judiciaria, quæ solum exercetur erga suos subditos, remittere pœnam. Animæ autem purgatorii, non possunt dici subditæ summo pontifici, sed tantum homines viatores et super terram degentes juxta hæc : *Quidquid solveris super terram* (*Matth.* XVI, 19); nec ullum jurisdictionis actum potest vere ac directe exercere in illas papa. Potest ergo tantum pro illis per modum suffragii concedere indulgentias : sicut unusquisque fidelis potest privata auctoritate illis succurrere per modum suffragii de suis propriis satisfactionibus, sic papa auctoritate publica potest eisdem succurrere per modum suffragii ex communi satisfactionum Ecclesiæ thesauro, cujus dispensatio penes ipsum est, juxta potestatem a Christo datam.

Sect. III. — *Quid sit concedere indulgentiam pro defunctis per modum suffragii, et non per modum absolutionis.*

Dico 1 : Effectus indulgentiæ per modum suffragii

concessæ videtur esse æque infallibilis ac concessa per modum absolutionis, quia in utraque offertur æquale pretium pro solutione debitæ pœnæ, nempe Christi et sanctorum satisfactiones superabundantes; et in utraque est divina promissio, et quasi pactum acceptandi unam pœnam pro alia ablatam a papa juxta hæc verba : *Quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Non ergo istæ duæ indulgentiæ hac in re differunt, neque etiam illarum differentia in hoc præcise consistit quod indulgentia per modum absolutionis conferatur immediate ac directe ei in quo habitura est effectum; indulgentia autem per modum suffragii conferatur immediate alicui viventi cum facultate eam applicandi defuncto, et illi offerendi per modum suffragii satisfactionem jam quasi sibi donatam ex communi Ecclesiæ thesauro : posset enim papa sine interventu actionis et applicationis alterius viventis indulgentiam lucrantis, ipsemet immediate offerre Deo satisfactionem de thesauro Ecclesiæ, applicando illam defunctis vel generaliter omnibus vel specialiter aliquibus, ut Deus illis remitteret tantam vel tantam pœnam; si nempe spectetur nuda dispensantis potestas, et defunctorum capacitas : deinde

Dico 2 : Neque differunt si cætera sint paria, vel in infallibilitate effectus, vel in ejus quantitate, sed in modo eum causandi moraliter; concedens enim indulgentiam per modum absolutionis proxime et immediate remittit pœnam tanquam Dei minister ac judex locum Dei tenens, concedens autem per modum suffragii non remittit pœnam, sed pretium æquale offert ut ipse eum remittat : unde fit ut in utroque interveniat ratio justitiæ sed diverso modo. Nam in absolutionis indulgentia intervenit justitia quasi vindicativa ex parte absolventis; in suffragii indulgentia tantum intervenit justitia per modum æquivalentis commutationis, fundatæ in pacto et promissione divina, etiamsi in absolutionis indulgentia includatur etiam æquivalens commutatio, adeoque se habent ut includens et inclusum. Unde oritur alia differentia, quod indulgentia per modum suffragii potest concedi non subditis, si concedens habeat talem potestatem in thesaurum; indulgentia autem per modum absolutionis potest tantum concedi subditis, quia est actus judiciariæ potestatis. Denique istæ ambæ indulgentiæ possunt dici veræ ac propriæ indulgentiæ.

Sect. IV. — *Quæ conditiones requirantur ad valorem indulgentiæ pro defunctis.*

Dico 1 : Ad lucrandam indulgentiam pro defuncto, debet vivens facere et implere opus injunctum cum intentione ac voluntate obtinendi defuncto indulgentiam; non est tamen necesse, ut istius operis satisfactionem sive ex opere operantis, sive ex opere operato provenientem, in particulari offerat pro defuncto, nisi id expresse in forma concessionis postuletur; nec requiritur ut lucrans indulgentiam pro alio sive defuncto, sive vivo, sit in statu gratiæ dum opus injunctum adimplet : sufficit ut is cui obtinet seu applicat indulgentiam, sit in gratia.

Dico 2 : Ex parte defuncti ad obtinendam indulgentiam probabilius requiritur character baptismalis, quia sicut missæ sacrificium, juxta Patres, non offertur pro catechumeno defuncto ad remittendam illi pœnam temporalem ex opere operato, ita videtur non posse papa pro illo defuncto dare indulgentiam per modum suffragii, qui non poterat dare vivo per modum absolutionis. Itaque in defuncto ad obtinendam indulgentiam præter characterem baptismalem et gratiam sanctificantem, nulla alia dispositio requiritur : v. gr. non requiritur speciale meritum de congruo, quod in hac vita præcesserit, ut vult Cajetanus; non notitia aut acceptatio beneficii sibi collati, nec actus spei aut fiduciæ obtinendi fructum indulgentiæ.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

De causa finali ob quam concedi possunt ac debent indulgentiæ.

Sect. I, II. — *An ad dandam licite ac valide indulgentiam requiratur causa legitima.*

Dico 1 : Ad dandam licite indulgentiam requiritur causa honesta, pia ac proportionata, quæ sit distincta ab intrinseco indulgentiæ fine seu effectu. Summus enim pontifex, qui est tantum Christi minister, non potest pro suo libitu sine causa indulgentias dispensare, cum id foret non in ædificationem, sed in destructionem Ecclesiæ. Imo

Dico 2 : Ut indulgentia sit valida, debet esse causa legitima, ita ut concedens indulgentiam agat juxta Christi intentionem ac voluntatem, quæ non ex speciali revelatione, sed ex ipsa rei natura ac circumstantiis colligenda est. Quamvis enim in jure humano multa illicite fiant quæ facta tenent, seu quæ sunt valida, non est tamen hic idem, quia hic est jus divinum, contra quod agitur in obligatione satisfaciendi Deo pro peccatis. Supposita igitur alicujus indulgentiæ invaliditate ob causam insufficientem, non tolleretur quidem in re obligatio satisfactionis exsequendæ a confessario impositæ; sed cum non constet pœnitenti de ista invaliditate, posset ab illo in conscientia excusari. Quoad alias autem facultates quæ cum ejusmodi indulgentia invalida conceduntur, v. gr. facultas eligendi confessarium, recipiendi absolutionem a casibus reservatis, dispensationem in votis, etc., videntur ea omnia quæ ex vi talium facultatum valide fieri; quia hæc omnia præcise pendent ex jure humano, seu ex voluntate pontificis, nempe quod hic sacerdos possit hujus vel illius confessionem audire, quod possit dispensare in votis, quod tales casus sint reservati, etc. Hæc enim omnia per voluntatem pontificis limitari, extendi, delegari possunt; sunt ergo valida, etiamsi ex sola ejus voluntate sine alia causa fiant.

Sect. III. — *An ad valorem indulgentiæ requiratur non tantum causa justa seu legitima, sed etiam proportionata.*

Dico : Ad valorem indulgentiæ non sufficit causa solummodo honesta, pia, justa seu legitima, sed etiam requiritur proportionata effectui seu quantitati indulgentiæ. Talis enim causa requiritur ad dandam licite indulgentiam ut dictum est ; ergo etiam ad dandam valide, quia id videntur significare decreta pontificum. Hinc si causa proportionata sit æqualis quantitati indulgentiæ concessæ, aut si illam excedat, operabitur integrum indulgentiæ effectum ; si autem totam indulgentiæ quantitatem non æquet, operabitur duntaxat effectum sibi proportionatum. Concedens enim indulgentiam intendit concedere quantum potest ; atqui ista causa, quam sibi proponit, meretur dictum effectum proportionatum ; ergo illum confert, id est æqualem tali causæ non adæquanti totam indulgentiæ quantitatem. Hæc autem æqualitas seu proportio desumenda est non præcise ex re ipsa, sed ex prudenti concedentis existimatione ac dispensatione prout videtur illi a Christo data potestas. Dum D. Thomas ait causam piam, quæcunque illa sit, sufficere ad integrum indulgentiæ effectum, nomine *causæ piæ*, intelligit causam convenientem ac proportionatam toti effectui ; atque hæc causa proportionata non consistit in indivisibili, sed patitur latitudinem.

Sect. IV. — *An oporteat ut causa indulgentiæ sit publica, seu ad bonum commune pertinens.*

Dico 1 : Privata indulgentiæ causa sufficit, dummodo pia sit, et indulgentiæ quæ conceditur, proportionata, ut sæpe dicunt theologi. Sed hoc varie intelligendum est. Quocirca indulgentia, quæ toti Ecclesiæ conceditur, ordinarie requirit causam communem immediate pertinentem ad totius Ecclesiæ, vel saltem alicujus ejus principalis partis, v. gr. unius regni vel provinciæ utilitatem. Si indulgentia sit concessa personis mediante loco, v. gr. in jubilæo visitantibus Limina Apostolorum, in dedicatione templi illud visitantibus, sufficit ut causa immediate attingat locum. Deinde utilitas non est opus ut immediate sit semper spiritualis, potest enim interdum etiam esse temporalis, v. gr. defensio Ecclesiæ, expulsio famis aut pestis a Deo impetranda ; nec necessario requiritur ut causa oriatur ex malo imminenti, sed sufficit boni augmentum, v. gr. pietatis, usus sacramentorum, etc.

Dico 2 : Quando indulgentia est particularis, v. gr. pro una provincia, una religione, una confraternitate, persona, sufficit causa illi proportionata, nempe causa extrinseca præter intrinsecum indulgentiæ finem. Imo potest interdum sufficere causa particularis seu personalis, v. gr. impetratio salutis, regis, prælati, aut alicujus viri reipublicæ utilissimi, ut detur indulgentia universalis ; et interdum etiam intercessio seu postulatio alicujus personæ potest conferre ad cohonestandam intelligentiæ causam ; illa tamen sola non est causa sufficiens. Ad honestam autem et proportionatam indulgentiæ causam, non est semper necesse ut aliquod opus exsequendum a recipiente exigatur, quod ad istam causam aliquo modo concurrat.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

De causa sufficiente indulgentiarum.

Sect. I. — *An solus papa habeat divino jure potestatem concedendi indulgentias.*

Dico : Solus papa jure divino habet potestatem concedendi indulgentias in universa Ecclesia ; totam enim habet sibi subjectam, et soli Petro dixit Jesus : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Unde concilium generale acephalum, sive sine capite sede vacante, non potest concedere indulgentias, uti nec ferre leges pro tota Ecclesia. Præsente autem papa, vel per se, vel per ejus legatos, utrumque potest ex vi sui capitis consentientis et potestatem dantis, nempe si legati habeant a papa istam commissionem ; ac proinde nullo jure ordinario humano concilium generale habet potestatem concedendi indulgentias.

Sect. II. — *An inferiores sacerdotes, vel saltem episcopi habeant jure divino potestatem dandi indulgentias aliquibus personis, aut locis.*

Dico : Probabilius videtur solum summum pontificem habere immediate a Christo potestatem concedendi indulgentias tam in universa Ecclesia, quam in qualibet ejus parte ; imo et in singulis ejus personis. (Richardus, Durandus, Paludanus, etc., contra Sotum, Cordubensem, etc., dicentes unumquemque episcopum jure divino habere potestatem concedendi indulgentias in sua diœcesi seu suis subditis ; et contra Marsilium, etc., dicentes omnes sacerdotes jure divino habere potestatem concedendi indulgentiam etiam plenariam, licet nunc non possent, quia papa id sibi reservavit.) Probatur, quia Christus soli Petro dixit : *Tibi dabo claves : Quodcunque solveris ;* et *Paces oves meas* (*Matth.* XVI, 19 ; *Joan.* XXI, 17). Deinde alibi ostendimus jurisdictionem episcoporum, etiam in foro sacramentali, non esse immediate a jure divino, sed mediante papa ; ergo a fortiori idem dicendum de jurisdictione ad dandas indulgentias. Concessio enim indulgentiarum non est actus characteris, ordinis aut consecrationis episcopalis ; ergo pendet ab alia jurisdictione, nempe papæ, qui congruenter, juxta episcoporum munus, communicat illis aliquam in hoc foro jurisdictionem. Falsum est ergo episcopum jure divino posse omnia in suo episcopatu quæ papa potest in universa Ecclesia, nisi prohibeatur, ut patet in multis rebus.

Sect. III. — *An episcopi possint indulgentias concedere ordinario jure humano.*

Nota : Jurisdictio ordinaria dicitur illa quæ alicui convenit ex vi sui muneris et officii. Hinc

Dico 1 : Episcopi habent non delegatam, sed ordinariam potestatem concedendi aliquas indulgentias, quia per jus commune ecclesiasticum, atque adeo ex vi muneris sui eam habent ab Ecclesia definitam, ideoque eam delegare alteri possunt ; cumque sit tantum unus Ecclesiæ communis thesaurus, suas

indulgentias ex eo desumunt singuli episcopi, non vero ex aliquo particulari cujusvis episcopatus thesauro. Attamen istam potestatem habent limitatam juxta juris dispositionem : Primo *in quantitate;* nam episcopi tantum possunt concedere unum annum indulgentiæ in dedicationem alicujus Ecclesiæ; in anniversario autem die istius dedicationis, solum modo quadraginta dierum indulgentiam, quam etiam concedere possunt in quocunque casu, in quo eis occurrit causa sufficiens ad concedendas indulgentias : ita statutum est in cap. *Cum ex eo*, De pœnitent. et remiss. Istas indulgentias possunt concedere plures episcopi in eodem episcopatu sibi succedentes : v. gr. successor potest alicui loco concedere indulgentiam, quamvis similem habeat a prædecessore; item archiepiscopus in loco sui suffraganei potest eamdem indulgentiam concedere, quamvis episcopus loci aliam similem tribuat; et subditi istius episcopi possunt utramque lucrari. Secundo, *in personis ;* nam episcopi possunt solum concedere indulgentias suis subditis, sed non possunt concedere pro defunctis.

Dico 2 : Si episcopi contra limitationem ipsis factam, concedant majorem indulgentiam, non tantum est illicita, sed etiam invalida. Valebit tamen pro illa quantitate quæ non excedit juris limitationem utpote illi proportionata : *Utile enim per inutile non vitiatur*, ut habet regula juris. Hæc indulgentia non tantum in foro exteriori, sed etiam in interiori pœnitentiæ foro videtur esse irrita quoad excessum. Episcopus potest exercere hanc suam jurisdictionem concedendi indulgentias suis subditis in omni loco, sive hi exsistant intra sui episcopatus territorium, sive extra. Nomine *episcopi* intelligi potest episcopus electus et confirmatus, licet nondum sit consecratus, modo non habeat jurisdictionem aliqua censura impeditam, peccatum mortale non impedit illius jurisdictionem. Archiepiscopus non tantum in suo episcopatu, sed etiam in tota sua provincia potest indulgentias concedere; legati pontificis solent habere hanc potestatem intra fines suæ legationis ex commissione papæ.

Sect. IV, V. — *Quid prælati episcopo inferiores, sacerdotes, prælati religionum possint jure ecclesiastico circa indulgentiarum concessionem.*

Dico 1 : Nullus prælatus episcopo inferior habet potestatem ordinariam, etiam jure ecclesiastico, ad concedendam aliquam indulgentiam, nec illis sufficit, per se loquendo, consuetudo præscripta ad hanc potestatem tanquam ordinariam habendam; attamen præscripta consuetudo est indicium jurisdictionis aliquando a papa concessæ. Similiter abbates, aut prælati sæculares exempti et immediate summo pontifici subjecti, jurisdictionem episcopalem habentes, non possunt etiam suis subditis, aut in locis sibi subditis, jure ordinario indulgentias concedere, nisi consuetudine vel alia sufficienti ratione constet fuisse alicui specialiter a summo pontifice concessam istam potestatem. Unde nec capitulum sede vacante, nec vicarius episcopi hanc potestatem habent jure ordinario, multo autem minus parochi, aut alii sacerdotes simplices. Hinc

Dico 2 : Prælati religionum sive locales, sive provinciales, sive generales jure ordinario seu ex vi muneris sui nullam etiam habent potestatem concedendi indulgentias. Quando igitur aliqua religio vel ejus prælatus admittit aliquem ad consortium seu participationem bonorum operum istius religionis, non concedit indulgentiam; sed offert suffragium admittendo illum ad communicationem meritorum et operum maxime per modum impetrationis. Deus enim ob pia totius religionis opera benefacit non tantum propriis ejus membris, sed etiam iis qui cum ista religione sunt conjuncti; et si velit etiam illam admittere ad participationem operum satisfactoriorum, tunc requiritur ut singuli subditi referant sua opera satisfactoria ad istam superioris intentionem, vel ipsi juxta illius intentionem directe aut saltem implicite sua alteri applicent : nulla enim privata fidelium congregatio potest habere privatum ex superabundantibus satisfactionibus suorum membrorum thesaurum, qui sit quasi sub dominio istius congregationis, et cujus dispensatio ad illam, seu ad ejus prælatum speciali potestate pertineat. Et quamvis prælatus probabilius possit præcipere subdito ut tale opus faciat ad satisfaciendum pro alio, non potest tamen istud opus immediate applicare alteri ad satisfaciendum sine subditi operantis intentione et quasi cooperatione; hoc enim non est sub ejus dominio. Deinde ista suffragiorum communicatio, præter participationem meritorum de congruo et bonorum operum impetratoriorum et satisfactoriorum, potest etiam deservire ad participandas indulgentias isti religioni a sede apostolica concessas; sed ad hoc requiritur specialis ejusdem sedis apostolicæ facultas quæ extendat datas indulgentias ad ejusmodi personam vel personas; et tunc non prælatus, sed ipse papa eas dat.

Sect. VI. — *In quibus sit vel esse possit potestas delegata ad indulgentias concedendas.*

Dico 1 : Potestas dandi indulgentias est delegabilis, adeoque papa eam delegare potest, v. gr. suis legatis, generalibus religionum, etc.; episcopus, suis subditis. Et is cui illa delegatur, non debet necessario esse sacerdos, quia ordo sacerdotalis non est per se necessarius ad hunc effectum, et papa de facto illam delegat interdum cardinalibus nullum sacrum ordinem habentibus; jure tamen ordinario debet esse clericus, quia est potestas ecclesiastica. Dum conceditur alicui, ut in articulo mortis obtinere possit indulgentiam plenariam a confessario, potest intelligi de confessario sive actu sive munere, non tamen de alio. Episcopus respectu suorum subditorum ad dandam indulgentiam potest delegare suum vicarium, aut alienum episcopum, vel simplicem sacerdotem, vel clericum inferiorem. Item dic de archiepiscopo.

Dico 2 : Quinam de facto habeant hanc potesta-

tem delegatam, id noscendum est ex voluntate papæ aut episcoporum, quæ manifestatur per eorum rescripta aut privilegia concessa.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEXTA.

De forma in indulgentiarum concessione servanda.

Sect. I. — *An ad indulgentiam concedendam seu efficiendam sit necessaria aliqua forma, eaque determinata.*

Dico 1 : Duplex est forma concedendi indulgentias : una continens indulgentiam ferendam, alia latam. Forma continens indulgentiam ferendam, est quando papa concedit alicui, ut in articulo mortis, v. gr., possit a confessario absolvi non tantum a culpa, sed etiam ab omni pœna ; tunc ipse papa non absolvit, sed concedit alteri ut absolvat, ideoque dicitur indulgentia ferenda. Per articulum autem mortis, non intelligitur præcise ille in quo posset confiteri cuicunque sacerdoti et absolvi a casibus reservatis ; ideoque consultius est non exspectare mortem jam instantem. Forma continens indulgentiam latam, est quando papa concedit alicui plenariam indulgentiam pro illo momento, quo quis in gratia et omnibus culpis remissis moritur, tuncque est ipse papa qui immediate absolvit. Utraque hæc indulgentia postulat sibi proportionatam formam diversam.

Dico 2 : Ad indulgentiam ferendam requiritur ut illius exsecutor utatur aliqua forma concessæ indulgentiæ expressiva, v. gr. : *Auctoritate apostolicæ sedis mihi commissa, concedo tibi talem vel talem remissionem ; vel simpliciter concedo tibi tot annos indulgentiæ ; vel remitto tibi, absolvo te*, etc., sine expressa indulti mentione. Imo hæc sola verba : *Ego te absolvo*, sub intentione et faciendi sacramentum, et dandi indulgentiam prolata, ad utrumque effectum possent sufficere ; aut si pœnitens interrogetur a confessario : *Concedis mihi indulgentiam juxta tale indultum*, et confessarius verbo uno aut signo annuat, sufficit. Deinde non est necesse ut is, cui indulgentia datur, sciat sibi dari.

Dico 3 : Quod attinet ad formam delegationis, debet fieri verbis significantibus specialiter concessionem indulgentiæ ferendæ. Ex his ergo quanta et qualis sit indulgentia, colligenda est. Generalis concessio indulgentiæ a papa data non se extendit ad defunctos, nec ad indulgentiam plenariam, si id non exprimatur specialiter in indulto.

Dico 4 : Circa indulgentiam latam, requiritur ut etiam detur humano modo per actum sensibilem, et quando in indulgentiæ indulto conceduntur alii favores, diligenter animadvertendum est, an hi dentur tanquam res requisitæ ad lucrandam indulgentiam, an vero tanquam beneficium post indulgentiam jam obtentam ; aut saltem res hanc concomitans.

Sect. II, III. — *An forma indulgentiæ stricte sit interpretanda, et tantum duntaxat valeat quantum sonat.*

Dico 1 : Potestas concedendi indulgentias videtur esse stricte interpretanda, quia in communi jure omnis dispensatio est odiosa, adeoque potestas dispensandi in jure divino, qualis est potestas dandi indulgentias, est etiam odiosa, ac stricte interpretanda. Hinc qui habet istam potestatem, moderate debet illa uti, et inclinare potius ad rigorem et strictum jus quam ad relaxationem ; quique non solum indiscrete, sed etiam infideliter indulgentias denuntiant, ultra veritatem eas extendenda turpis lucri gratia, gravius peccant. Actualis autem indulgentiarum concessio latissime interpretando intra latitudinem potestatis concedentis interpretanda est, quantum verborum veritas ac proprietas patitur : est enim beneficium sine præjudicio tertii, estque opus charitatis et misericordiæ erga eum cui conceditur. Cum ergo in forma indulgentiæ duo soleant haberi, impositio alicujus operis, et concessio alicujus remissionis, illa impositio est stricte interpretanda utpote pertinens ad potestatem ; hæc autem concessio late, quia pertinet ad beneficii donationem ; quare dum jura videntur indulgentias restringere, de potestate solent loqui.

Dico 2 : Concurrentibus omnibus causis necessariis, indulgentiæ valent quantum sonant, id est, totum illum effectum quem ex vi suæ significationis promittunt, conferunt. In particulari autem non est certum et infallibile hanc indulgentiam tantum operari, quantum sonat ; quia potest fieri ut causa non sit sufficiens aut non proportionata, ac legitima. Ubi tamen non constiterit causam esse illegitimam et improportionatam, indulgentia efficax judicanda est ; speciale enim auxilium Dei ad gubernandam Ecclesiam etiam in practicis ac particularibus rebus summum pontificem dirigit. Deinde multæ causæ possunt movere juste pontificem ad dandam indulgentiam, quæ non exprimuntur, et ab aliis ignorantur.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

De duratione et revocatione indulgentiarum.

Sect. I. — *An indulgentia perpetua sit, vel an cessare possit.*

Dico 1 : Quando datur indulgentia ad certum tempus, non durat ultra illud ; et intra illud potest a concedente revocari. Quando autem expresse datur in perpetuum, ex vi concessionis semper durat, v. gr. quando sub hac forma : *Usque ad beneplacitum hujus sedis ;* semper tamen potest revocari et auferri.

Dico 2 : Quando indulgentia datur indefinito sine ulla formali aut virtuali temporis seu durationis limitatione, quales sæpe sunt indulgentiæ concessæ religionibus, aliisve communitatibus aut familiis, quæ successione continua perseverant, si non sit facta limitatio per aliquam clausulam generalem seu legem, v. gr. cancellariæ, curiæ Romanæ, etc., tunc ex vi verborum censetur esse perpetua ; secus si limitetur ad unum tantum actum, aut duos in vita, aut si limitetur ad unum locum, v. gr. templum, quo pereunte peribit indulgentia.

Dico 3 : Indulgentiam indefinite concessam visitanti, v. gr. ecclesiam infra octavam ejus dedicationis, videtur juxta quosdam posse quis sæpius lucrari diversis diebus ; an etiam eodem die valde incertum est.

Sect. II. — *Quibus modis possit indulgentia cessare.*

Dico 1 : Indulgentia tam lata quam ferenda, sive papæ, sive alterius prælati inferioris, non exstinguitur per solam concedentis mortem, nisi in ipsa concessione hic terminus illi præfigatur ; est enim gratia, et gratia non exstinguitur morte concedentis. Hinc

Dico 2 : Indulgentia desinit per revocationem ejus qui illam concessit vel successoris, qui moraliter idem cum ipso censetur, vel ejus superioris ; et per se loquendo, ad faciendam licite hanc revocationem nulla causa requiritur, fuit enim beneficium gratuitum. Per accidens tamen et ab extrinseco potest hæc revocatio illicita esse, si fiat sine causa : 1° si possit scandalum generare, v. gr. si sit signum alicujus odii ; 2° si concedens promisit se non revocaturum ; 3° si ista indulgentia creditur esse animabus valde fructuosa sine tertii nocumento; 4° si usus indulgentiæ jam sit inchoatus, v. gr. si quis jam jejunarit, eleemosynam fecerit, etc. Dum fit Romæ revocatio alicujus indulgentiæ, ut habeat suum effectum ac cessare censeatur, juxta communem sententiam debet esse ita sufficienter promulgata, ut per se loquendo, potuerit pervenire ad notitiam Ecclesiæ vel provinciæ pro qua fit et probabiliter illius personæ, quæ ista gaudebat indulgentia ; et quamvis concedens indulgentiam absolute posset illam revocare per solum actum internum, nunquam tamen eam revocat sine actu externo, v. gr. per specialia aut generalia verba, sufficienter ejus voluntatem declarantia.

Dico 3 : Cessat indulgentia per destructionem rei aut mortem personæ pro qua concessa est. Loco enim pereunte seu destructo, perit indulgentia localis, et mortua persona, perit indulgentia personalis. Deinde una indulgentia interdum destruitur per adventum alterius, quando ambæ simul in eodem loco exsistere non possunt : v. gr. per regulam quinquagesimam septimam cancellariæ, duæ indulgentiæ sunt incompatibiles in eodem loco, si nulla facta sit mentio prioris in posterioris impetratione ; nam tunc hæc posterior nulla est, utpote subreptitia. Item potest exstingui indulgentia per renuntiationem ejus, cui concessa est, v. gr. per non usum. Per hanc tamen renuntiationem seu non usum, non potest quis irritare aut mutare concedentis voluntatem a qua pendet indulgentia ; ideoque quoties ipse suam voluerit mutare voluntatem, poterit ea indulgentia uti, utpote non exstincta. Si autem concedens renuntianti consentiat, tunc non per renuntiationem, sed per revocationem, exstinguetur.

Dico 4 : Indulgentia exstinguitur per cessationem causæ propter quam concessa est ; quia cessante causa, cessat effectus, et indulgentia sine causa est nulla Sed si causa a principio spectata fuerit sufficiens et proportionata pro tali indulgentia et pro tanto tempore, licet physice postea desierit, subsistet tamen adhuc moraliter, ac proinde etiam indulgentia subsistet.

TOMUS DECIMUS OCTAVUS.

DE

CENSURIS ET IRREGULARITATE.

DISPUTATIO PRIMA.

De censura in communi.

Sect. I, II. — *Quid sit censura ecclesiastica, et an sit in Ecclesia potestas ad ferendas censuras.*

Dico 1 : Censura in usu Ecclesiæ (nam apud Latinos idem est ac censoris dignitas derivata a verbo *censeo*) est pœna spiritualis et medicinalis, privans usu aliquorum bonorum, per ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eamdem ordinarie absolvi possit. Hinc irregularitas non est censura, quia non est pœna, sed inhabilitas ; nec depositio ac degradatio est censura, quia non est medicinalis, sed perpetua pœna : censura enim est ligamen dissolubile moraliter, includens conditionem, *donec resipiscat.*

Dico 2 : De fide est esse in Ecclesia potestatem jurisdictionis in foro externo seu contentioso, a Christo datam. Hæc potestas promissa est Petro Matth. XVI, 19 : *Quæcunque ligaveritis super terram.* etc. ; dein promissa est omnibus apostolis Matth. XVIII, 18 : *Quæcunque alligaveris super terram*, etc.; et patet Christum loqui de potestate non solum fori interni, sed etiam externi ex his ejus verbis (*Ibid.*) 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*, id est, separetur, ut indignus, ecclesiastica communicatione et fructu. Hac pote-

state usus est Paulus I Cor. v, 3, 5, ubi dicit : *Ego quidem absens corpore*, etc. ; *judicavi ut præsens cum qui sic operatus est*, etc. ; *traderé hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini ;* item I Tim. I, 20, ubi Hymenæum et Alexandrum blasphematores tradidit etiam Satanæ. Et creditur etiam Petrus hac potestate usus cum dixit Simoni Mago : *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto* (*Act.* VIII, 21). Ratio datæ hujus potestatis est, quia in omni republica, ut possit bene regi, necessaria est potestas jurisdictionis tam coercitiva quam directiva. Hanc autem potestatem, quam Christus, ut vidimus, promiserat, videtur ipse immediate eam omnibus apostolis tanquam delegatam ac personalem reipsa dedisse, quando dixit Joan. XX, 21 : *Sicut me misit Pater meus, et ego mitto vos ;* et rursus eam immediate dedisse seorsim soli Petro, tanquam ordinariam cum jure successionis, dum illi, ut Ecclesiæ capiti, dixit Joan. XXI, 17 : *Pasce oves meas*, etc. Itaque

Dico 3 : De fide etiam est in Ecclesia esse potestatem instituendi ac ferendi censuras ; ut constat ex citato Pauli et Petri usu, et ex antiquissimorum pontificum ac Patrum testimoniis, Alexandri, Fabiani, Cœlestini I, Urbani I, Augustini, Chrysostomi, etc. Potestas enim coercitiva a Christo data Ecclesiæ, est generalis juxta rectam rationem. Aliquid quidem præ se fert rigoris censura, sed est medicina, et aliquantulum amara, ut spiritus salvus fiat ; hominis enim emendationem quærit et salutem.

SECT. III. — *Quotuplex sit censura.*

Dico : Tres sunt species censuræ, excommunicatio, suspensio, interdictum, ut habetur in cap. *Quærenti*, De verb. signif. ; præter has tres nulla est alia, quia Ecclesia nullam aliam instituit, nec ulla alia est necessaria ad effectum seu finem censurarum. Cessatio ergo a divinis, contra Sotum, non est censura ; nec irregularitas, quæ cum crimine contrahitur. Unde qui habet potestatem absolvendi a censuris et pœnis, non potest absolvere ab ulla irregularitate, tum quia irregularitas non est censura nec venit sub pœnæ nomine, tum quia non datur absolutio ab irregularitate, sed dispensatio ; seu in ea dispensatur.

DISPUTATIO SECUNDA.

De efficiente causa censuræ, et de modis illam ferendi.

SECT. I. — *An sit aliqua censura ex jure divino ; an vero omnis censura immediate sit ex jure humano.*

Dico 1 : Potestas instituendi ac ferendi censuras, est de jure divino, adeoque et ejus usus, quatenus isti juri conformis ; est enim a Christo immediate data Petro, non sicut potestas regia quæ immediate ab hominibus ducit originem. Sed

Dico 2 : Institutio censuræ est de jure humano, nullaque censura jure divino instituta est ; quia institutio censuræ fit tantum quando in particulari præscribitur modus talis pœnæ seu privationis talium actuum, aut spiritualium bonorum, quod Christus nunquam immediate per se ipsum institut. Hinc nullum est peccatum cui sit annexa censura ex jure divino ; atque ita omnis censura, etiam quoad applicationem ad tale delictum, est ex humano jure. Dum ergo dicitur : *Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita* (*Tit.* III, 10), non intelligitur ibi aliquam censuram divino jure latam, uti volunt Almainus, Eckius, etc., sed Paulus dicit Tito episcopo, ut eum vel excommunicet, vel ex obligatione naturali devitet ob periculum peccandi. Idem dic de his verbis II Joan. 10 : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, neque Ave ei dixeritis.*

Dico 3 : Imposita servandi censuram, seu non operandi contra illam obligatio, est simpliciter de jure humano, quamvis remote trahat originem a divino ; imo et a naturali, juxta illud : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* XIII, 1); ac proinde Ecclesia potest dispensare in prohibitione actuum per censuram declaratorum, v. gr. dare facultatem communicandi in rebus sacris cum quovis excommunicato.

SECT. II. — *Quinam homines possint instituere ac ferre censuras.*

Dico : Potestas instituendi censuras proprie apud summum pontificem residet : censuræ enim sunt veluti quidam ritus generales Ecclesiæ universæ, quibus particulares ejus pastores uti debent ad coercendos subditos inobedientes ; ac proinde debuit a summo pontifice pro omnibus ac pro tota Ecclesia eadem illorum forma statui, siquidem soli Petro hæc potestas immediate a Christo, duratura in solis illius successoribus, concessa est. Ferendi autem censuras potestas, primario ac per se etiam in summo pontifice residet. Deinde potest etiam in aliis residere, vel ut ordinaria ex vi proprii officii ac muneris, vel ut delegata ex speciali commissione. Unde episcopi habentes proprios episcopatus, illam habent jure ordinario in ordine ad suos subditos, nempe radicaliter a Christo ; formaliter a papa. Eamdem ordinariam habent archiepiscopus, primas, patriarcha, legatus a latere, vicarius episcopi, capitulum sede vacante, cardinales in propriis Ecclesiis, multi abbates, archidiaconi et archipresbyteri. Ac proinde hi habentes ordinariam istam potestatem per ipsam sui muneris ecclesiastici collationem, possunt eam alteri delegare. Interdum autem hæc potestas consuetudine aut præscriptione obtinetur. Non sufficit tamen consuetudo aut præscriptio ferendi unam censuram ; v. gr. excommunicationem, ut quis censeatur potestatem habere ferendi alias censuras.

SECT. III. — *Cui et quomodo potestas ferendi censuras delegari possit.*

Dico : Cum potestas ferendi censuras sit communicabilis, hæ requiruntur conditiones in recipiente istam potestatem delegatam : 1° debet esse homo viator ; 2° rationis compos ; 3° vir, non fe-

mina : hæc enim incapax est jurisdictionis spiritualis, etiam si sit capax mandandi, et domesticam disciplinam curandi ; 4° baptizatus ; 5° clericus, saltem prima tonsura initiatus, quamvis papa de potestate absoluta (non autem de ordinaria) possit et laico et feminæ istam delegare potestatem ; 6° nec tantum singulari homini, sed etiam hominum congregationi, cujus singulæ personæ prædictas habeant conditiones, ista potestas potest delegari. In delegante autem potestas delegandi, non debet esse per aliquam censuram impedita ; et si cesset jurisdictio in delegante, etiam in delegato cessat, causa exsistente integra. Denique ad hanc potestatem requiritur sincera tam dantis quam recipientis jurisdictionem voluntas.

Sect. IV, V, VI. — *Quid requiratur ad valide et convenienter ferendam censuram ; et an per metum lata sit valida.*

Dico 1 : Ut quis possit valide ferre censuram, non debet esse excommunicatus aut suspensus publice ; aut non debet habere potestatem ferendi censuras ab excommunicato vel suspenso publico. Excommunicatio autem vel suspensio occulta non tollit istam potestatem. Deinde quamvis ferens censuram, non possit illam exercere in seipsum, v. gr. collegium non potest illam ferre in totum ipsum collegium ; potest tamen illam ferre in aliquem ejusdem collegii : et quamvis non possit in propria causa illam ferre per modum judicii, potest tamen per modum defensionis, v. gr. potest episcopus ferre censuram in eum qui sibi violentiam infert. Insuper censura debet inferri per voluntatem liberam, et cum intentione illam ferendi ; et licet interveniat metus, etiam cadens in constantem virum, videtur tamen esse valida, sive in jure naturali, sive positivo, modo adsit consensus voluntarius et liber quantum ad actum simpliciter humanum et moralem sufficit.

Dico 2 : Ad censuram recte ferendam debet abesse pravus affectus odii, vindictæ aut alius ejusmodi, qui tamen defectus, non est substantialis ; item servari debet justitia sive legalis, sive commutativa, sive distributiva.

DISPUTATIO TERTIA.

De modis ferendi censuras et de censura quæ vel a jure vel ab homine fertur.

Sect. I, II, III. — *An bene dividatur censura in eam quæ fertur a jure, et quæ ab homine fertur ; et de forma eam ferendi.*

Dico 1 : Censura quæ a jure fertur, est illa quæ per legem stabilem ac permanentem imponitur, obligantem ad istam pœnam, quam ipso facto incurrit ejus transgressor. Censura autem ab homine lata, est illa quam homo personaliter imponit proferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in actione aut negotio singulari, in quo non stabilitur jus permanens, sed datur transitorium mandatum. Itaque pœna non solum per sententiam sed etiam per legem potest inferri, ita ut possit lex humana obligare reum ad exsequendam in se pœnam ipsa lege latam, sive talis exsecutio requirat physicam actionem, sive actionis carentiam, dummodo talis modus ferendi pœnam prudenter judicetur expediens ad bonum commune, et non excedat gravitatem delicti, et non sit in re tam difficili, ut vel naturæ repugnet quale foret se occidere, aut mutilare, vel supra vires humanas moraliter esse videatur, v. gr. publice se flagellare, etc., sic ergo legitime per legem potest ferri censura, seu imponi pœna ab ipso reo statim subeunda.

Dico 2 : Ad censuram ferendam requiritur sufficiens exterior manifestatio sive verbis, sive scripto ; imo et nutus, si quis ferre volens censuram, foret mutus, sufficeret. Nec ulla determinata verborum forma requiritur ; debet tamen ferri censura per verba quæ speciem censuræ significent : v. gr. *Te excommunico, suspendo, interdico ;* et si sub harum trium censurarum specie contineatur species infima, debet hæc exprimi, v. gr. : *Suspendo te ab officio*, vel *a beneficio*, vel *ab utroque simul*. Dum dicitur, *excommunico*, intelligitur semper de excommunicatione majori. Unde verba generica non sufficiunt ad ferendam censuram, qualia essent : *Qui hoc fecerit, maneat censura ligatus.* Censura sub disjunctione lata, v. gr. : *Maneat excommunicatus vel suspensus ; suspendo te ab officio vel beneficio*, probabiliter obligat ad alterutram partem, quam reus elegerit, contra Ugolinum, etc., dicentes ad nihil obligare. Deinde censura debet ferri in personam determinatam vel in singulari, v. gr. eam nominando distincte, seu dicendo : *Excommunico eum, qui hoc fecit, nisi satisfaciat ;* vel in generali, v. gr. *excommunicamus percussores clericorum, hæreticos*, etc. Denique forma censuræ debet significare de præsenti ac practice effectum : unde non fertur censura si dicatur, *excommunicabo, aut excommunicandus erit*, aut *præcipio excommunicari*, item si *excommunicetur*, *suspendatur*. etc., non infertur censura ipso jure, sed præcipitur judicibus ut eam inferant ; nisi fortasse quis intenderet dicere : *Excommunicetur mea potestate, seu excommunicatus maneat vel sit.* Attamen quoties in censura ferenda ponitur particula *ipso facto, ipso jure, aut latæ sententiæ*, etiamsi verbum sit de futuro, significat tamen effectum præsentem, v. gr. : *Volumus eo ipso, seu ipso facto fore suspensos.* Idem dic quando particula *ipso facto, aut ipso jure* non ponitur in actu signato, sed tantum in actu exercito, v. gr. : *Excommunicationis sententia duximus innodandum ; sententiam excommunicationis incurrat ; ecclesiastico subjaceat interdicto ; anathema sit ; excommunicatus sit ; sub interminatione anathematis ; sub pœna excommunicationis, cui statim subjaceat.* Non videtur autem esse censura latæ sententiæ, si dicatur tantum : *Excommunicationem aut suspensionem te noveris incursurum.*

Sect. IV, V, VI. — *De censura lata sub conditione.*

Nota : Censura potest duobus modis intelligi sub

conditione ferri : 1° sub conditione ad causam ferendæ censuræ pertinente, id est, sine qua causa ad ferendam censuram non est completa ; sed completa conditione, causa etiam censuræ completur. 2° Sub conditione impertinente ad causam censuræ, v. gr. : *Excommunico qui tale delictum fecerit, si est ignobilis.* Hinc

Dico 1 : Forma ferendi censuram potest esse conditionalis priori modo, sive ab homine, sive a jure feratur ; imo raro fertur censura, nisi sub ejusmodi forma conditionata. Ac proinde nec naturali, nec divino, nec ecclesiastico jure vetitum est ferri censuram ab homine sub conditione peccati in futurum committendi, v. gr. : *Si quis commiserit tale peccatum, excommunicatus sit*, monentur tamen indices in cap. *Romana*, § *Caveant*, De sent. excom. in 6, ut non facile hujusmodi sententias ferant. Censura autem ipso jure lata differt præcipue ab ea quæ fertur ab homine per generalem sententiam sub prædicta conditione de futuro, in hoc, quod censura jure seu per statutum lata respiciat territorium seu diœcesim ferentis illam, et intra eam obliget, non extra ; lata vero ab homine respiciat personas, adeoque illas, ubicunque sint, obliget. Deinde fieri potest ut censura a jure fiat seu ligare incipiat, quando præcipua ejus causa seu legislator jam non exsistit ; secus censura ab homine. Si nempe judex ante impletam sententiæ conditionem vel moriatur, vel amittat jurisdictionem ; si tamen expleta conditione jam sit incursa censura ante illius mortem aut amissionem jurisdictionis, tunc post mortem aut amissam jurisdictionem permanet ; non enim in conservari pendet a judice, qui illam tulit.

Dico 2 : Si quis ante impletam conditionem fiat non subditus, mutando v. gr. domicilium, jam non tenetur censura sive lata per generale statutum, sive per generalem sententiam ab homine, aut per speciale præceptum aut prohibitionem ; quia jam non est subditus. Si tamen censura lata sit sub conditione respiciente factum præteritum, et commissum tempore prioris domicilii et subjectionis, tunc licet mutetur subjectio cum domicilio, censura tamen prius incursa permanet.

Dico 3 : Per appellationem non solum suspenditur censura conditionata, nondum impleta conditione, sed etiam præceptum seu obligatio exsequendi id quod sub censura præcipitur, ita ut expleto termino præscripto in tali sententia, non tantum non incurratur censura, sed etiam non peccetur, mandatum non exsequendo. Dixi *conditionata*, quia a censura absolute lata non datur appellatio ad eam suspendendam. Dixi *nondum impleta conditione*, quia impleta conditione non potest appellari. Hæc autem appellatio debet esse legitima, id est, facta ex causa sufficienti ac probabili, et intra tempus legitimum ; nempe, non quidem necessario intra decem dies a die latæ censuræ conditionatæ, ut jura requirunt pro aliarum sententiarum appellationibus, sed quocunque die ante expletum conditionis tempus. Suspenditur etiam censura per recursum ad papam seu superiorem ; item per consensum ejus, in cujus favorem lata est, v. gr. si adæquate in favorem creditoris præcipiatur debitori sub censura, ut intra tres menses solvat debitum, et creditor contentus sit exspectare usque ad quatuor aut quinque menses, tunc debitor non incurret censuram in termino per sententiam præscripto ; dummodo non subsistat alia causa istius termini præscripti. Si vero non solvat post expletum terminum a creditore præfixum, tunc incurret censuram, quia tunc vere expletur conditio, sub qua lata est. Quamvis id negent Angelus, Sylvester, etc.

Sect. VII, VIII, IX, X. — *De censura lata sub conditione ad causam impertinente, et de admonitione ante censuram ferendam facienda.*

Dico 1 : Censuræ sententia sub conditione ad causam impertinente lata, si hæc conditio sit de præsenti aut de præterito, ac jam exstet, quamvis imprudenter et male feratur, simpliciter tamen est valida ; secus vero juxta probabiliorem opinionem, si sit de futuro contingenti, quia continet intolerabilem errorem. Spiritualis enim potestatis actus non debet pendere a casuali conditione, quæ ad talem actum omnino impertinens sit. Si autem conditio de præsenti aut de præterito non exstet, tunc etiam nulla est censura.

Dico 2 : Juxta canones sufficiens admonitio debet antecedere censuram quæ fertur ab homine ob culpas præteritas seu jam commissas, ut constat ex cap. *Romana* supra citato ; non autem illam quæ vel a jure, vel ab homine per generalem legem pro peccatis futuris fertur. Quamvis papa ex lege naturali teneatur etiam censuræ ferendæ præmittere admonitionem, ex causa tamen potest interdum juste agere ferendo censuram sine ulla prævia admonitione, supposita delicti gravitate, ac publica facti evidentia, urgenteque aliqua necessitate. Deinde dum censura fertur in propriam defensionem, et non per modum judicii, v. gr. dum episcopus parochum denegantem sibi injuste locum visitandi, excommunicat ; probabilius non videtur alia admonitio necessaria quæ censuram præcedat, nisi præceptum quo jubeatur ab incœpto desistere sub pœna excommunicationis.

Dico 3 : Prædicta admonitio juxta canones ecclesiasticos, debet esse canonica, id est trina. Non est tamen necesse, ut hæ tres admonitiones tribus distinctis temporibus fiant ; sed una pro tribus fieri potest sic : *Admoneo te, ut intra tres dies satisfacias, singulos dies pro singulis admonitionibus tibi concedendo ;* et hoc modo frequentius fieri consuevit. Hæc autem admonitio vel trina formaliter, vel trina virtualiter, id est una pro tribus, videtur requirere tantum temporis intervallum, quantum et ad moralem interruptionem, et ad humanam consultationem deliberationemque sufficere possit.

Dico 4 : Varii sunt casus in quibus non videtur requiri trina admonitio : 1° censura imposita per modum puræ pœnæ vindicativæ ob peccatum commissum, non eget admonitione ; secus vero per modum medicinæ. 2° Merus censuræ exsecutor non debet admonitionem facere, si eam judex prius fecerit ; alioqui si eam judex non fecerit, potest tantum ferre censuram sub hac aut simili conditione : *Nisi comparueris*. 3° Cum est periculum in mora ; sed tunc admonitio includitur in præcepto conditionato. 4° Quando contumacia jam est manifesta, ita ut sciatur certo reum non pariturum, nec spes est obtinendæ obedientiæ, tunc non opus est admonitione, nisi illa quæ includitur in præcepto conditionato censuræ ferendæ ; præsumpta contumacia multo minus sufficit ut non præmittatur admonitio. 5° Juxta quosdam, dum delictum est publicum et notorium simul cum ejus auctore, sed hoc non sufficit, ut non fiat admonitio. 6° Quamvis sit delictum cui in jure sit annexa censura, non tamen potest nova ferri ab homine sine prævia admonitione. Imo declaratio seu denuntiatio istius censuræ ipso jure incursæ fieri non debet sine citatione et probatione ; nec facienda est denuntiatio, si reus statim agnoscat suam culpam, paratus satisfacere. Unde nec ob delictum, cui in jure imponitur censura ferenda, potest judex illam inferre sine prævia admonitione. 7° Quando datur absolutio censuræ sub conditione, si non impleatur conditio, ipso jure incurritur censura, ideoque nulla requiritur admonitio. Censura quæ in mortuum fertur, est tantum declaratio censuræ in vita ab illo incursæ, adeoque non fit nova censura. Denique propria censura, quæ est medicinalis pœna, nunquam fertur sine aliqua prævia admonitione.

Sect. XI. — *A quo et cui facienda sit admonitio.*

Dico 1 : Admonitio debet fieri auctoritate judicis a quo ferenda est censura ; et quidem ad partis instantiam, si privata sit utilitas. Insuper debet fieri in scriptis et coram testibus ; sed non est necesse in admonitione inseri ipsius causam.

Dico 2 : Quando censura contra personam incertam fertur, sufficit fieri in loco publico. Si autem admonitio domi facta pro particulari persona, deveniat ad ejus notitiam, hoc sufficiet in foro interno et externo. Admonitio debet fieri sub comminatione talis censuræ. Cæterum potest Ecclesia, utendo sua potestate absoluta, sine prævia admonitione, censuram ferre ; sicuti videtur fecisse Paulus I Cor. v, incestuosum absentem excommunicando.

Sect. XII, XIII. — *An censura sit valida, quando admonitio non præcessit ; et quæ servandæ circumstantiæ in censura ferenda.*

Dico 1 : Censura quæ sine trina seu canonica et competente admonitione fertur, est quidem injusta, non tamen est nulla ; sed erit nulla, si etiam feratur sine illa admonitione, quæ includitur in omni mandato quod respicit futurum, et non cedit in præteritum, nisi in ordine ad futurum. Attamen excommunicatio lata sine canonica seu trina admonitione in participantes cum excommunicato, si utraque excommunicatio sit ab eodem judice, est nulla juxta cap. *Statuimus*, De sent. excom. in 6, item censura a delegato, qui accepit jurisdictionem sub hac expressa conditione, ut canonicam præmitteret admonitionem, lata sine illa præmissa, est nulla.

Dico 2 : Censuræ ab homine ferendæ forma sic in cap. 1 *De sentent. excom.* in 6 statuitur : 1° Judex debet eam in scriptis proferre, non tamen necessario per se illam promulgare, ac publice legere, maxime si sit episcopus, quod non convenit ejus dignitati. Nec opus est ut scriptura sit fide notarii publici vel etiam testibus munita. 2° In censuræ scriptura debet contineri ejus causa. 3° Judex debet scripturam reo tradere, si intra mensem fuerit requisitus. 4° Judex ferens censuram non servata hac forma, ipso jure suspenditur. Attamen censura lata contra tenorem harum conditionum, non est nulla.

Sect. XIV, XV. — *An judex post latam censuræ sententiam debeat ejus denuntiationem facere ; et an teneatur aliquando eam non denuntiare.*

Dico 1 : Post censuram ac præsertim post excommunicationem ab homine latam contra certam personam, debet fieri ejus denuntiatio, saltem in propria illius qui excommunicatur, parochia, aut in Ecclesia matrice, aut ad minimum scripta censuræ sententia in foribus Ecclesiæ, aliisve locis publicis affigi, ut eum vitandum esse constet. Censuram autem jure incursam non debet sequi denuntiatio nisi post sententiam declaratoriam. Ut autem denuntiatio licite fiat, debet fieri ab habente jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam.

Dico 2 : Clarum est, si judex injustam censuræ sententiam tulerit, ipsum non posse illius denuntiationem facere ; uti nec potest merus judicis exsecutor, si certo sciat illam non tantum injustam, sed etiam nullam esse, seu invalidam. Si autem censura seu excommunicatio sit justa secundum allegata et probata, licet exsecutor certo sciat illam revera esse injustam et contra causæ veritatem, potest tamen et debet, si superior ei præcipiat, eam denuntiare ; superioris enim præceptum est justum. Item si noverit sententiam esse quidem injustam per comparationem ad rem ipsam, privata omnino notitia, sed ignorat an secundum allata et probata sit justa, etiam potest ac debet denuntiationem excommunicati facere, dum ipsi ab habente potestatem præcipitur, si non possit commode se excusare, vel superiorem a sententia lata dimovere ; dum enim inferiori non constat superioris præceptum esse injustum, debet præsumere esse justum. Si autem sufficienter ipsi constet sententiam esse injustam secundum allegata et probata, quia damnatur ut nocens, qui in litis processu revera non probatur nocens, tunc non debet nec potest licite eam denuntiare ; alioqui cooperaretur alterius in

justitiæ. Denique si censuræ sententia et in re ipsa et secundum allegata et probata valida sit ac justa secundum justitiam commutativam et causæ æquitatem, sed injusta quoad modum aut ordinem juris non servatum, vel alium ejusmodi defectum accidentalem a judice commissum, merus exsecutor potest ac debet eam denuntiare, licet ipsi constet de tali injustitia, modo per denuntiationem non fiat nova injustitia ipsi exsecutori per se nota ac clara.

Dico 3 : Interposita appellatio non impedit quominus censura juste ab homine lata denuntiari possit ; imo quamvis foret lata contra ignorantem, si ejus ignorantia non excuset a censura. Denuntiatio autem censuræ a jure latæ potest per appellationem impediri, uti et potest appellari a sententia declaratoria censuræ ab homine latæ ipso facto incurrendæ.

DISPUTATIO QUARTA.

De causa ob quam ferri possit censura.

SECT. I, II.—*An censura possit solum ferri ob culpam ; et an possit ferri ob peccatum mere internum.*

Dico 1 : Censura potest solum ferri ob culpam, excommunicatio solum ob culpam propriam, suspensio ob culpam propriam et communitatis, interdictum ob culpam communitatis sine propria. Unde culpa debet esse bene cognita ab eo qui censuram laturus est.

Dico 2 : Censura ferri non potest ob peccatum solum interius mente consummatum, nisi in actum externum prodeat. Habetur ex theologis D. Thoma, Cajetano, Paludano, etc., ex cap. *Tuas nos*, ex cap. *Erubescant*, dist. 32, etc., quia Ecclesia de sibi manifestis, non de occultis judicat. Unde non potest censura etiam ipso jure lata cadere in peccatum mere internum, quia est omnino extra forum Ecclesiæ : contra Adrianum Cordubensem, Medinam, etc. Ecclesia enim est visibilis et sensibilis ; ideoque sicut non habet directe potestatem nisi in homines sensibiles, et in animas nonnisi ut corporibus unitas, ita non habet directam potestatem in actus pure internos, sed in eos qui ex internis et externis componuntur ; in internos autem nonnisi ut externos informant. Irritatio voti, quod est actus mere internus, facta a parente vel prælato, non est proprie actus jurisdictionis, sed dominii. Dispensatio autem non cadit proprie in actum internum qui præcessit, sed in ejus effectum qui moraliter manet, id est in obligationem quæ jam non est actus internus, sed morale quoddam vinculum, quod manet in homine, et auferri potest ex justa causa a superiori habente potestatem ; hic enim vice Dei cedit juri quod ob promissionem seu votum suo modo fuerat Deo acquisitum.

Dico 3 : Non potest Ecclesia ferre censuram in eum, qui actum externum essentialiter bonum ex prava intentione facit, seu non potest prohibere ejusmodi actum externum sub pœna censuræ. Potest tamen prohibere et per censuram ipso facto seu jure incurrendam punire actum externum ex se malum, ut procedentem ex prava intentione aut affectu ; aut ex simili interiori dispositione. Deinde quando actus internus est veluti de substantia actus interni quatenus moralis, tunc potest Ecclesia eodem præcepto quo præcipit aut prohibet actum externum quatenus moralem, præcipere aut prohibere internum : sic præcipit jejunium et simul voluntatem jejunandi ; sic prohibet esum carnium, et voluntatem eas edendi. Quia tunc actus internus et externus non sunt duo, sed unus actus quasi compositus ex spirituali forma, et materia sensibili, ideoque contentus sub ecclesiasticæ potestatis objecto. Hinc Ecclesia præcipiendo recitationem horarum seu orationem vocalem, potest simul præcipere internam attentionem aut devotionem ; quia interna attentio est de essentia orationis vocalis. Idcirco si sit imposita censura facienti actum externum sine interno qui sit de externi substantia, faciens externum istum actum sine interno, censuram incurret; contra vero, si actus internus non sit de substantia actus externi, sed illi accidentalis.

SECT. III. — *An actus externus per quem censura incurritur, debeat esse in sua specie perfectus et consummatus.*

Nota, hic agi præsertim de censuris a jure impositis, aut ab homine per generales sententias seu mandata latis.

Dico 1 : Quando lex absolute imponit censuram ob delictum sub verbis includentibus aliquem effectum ultimum, non incurritur censura donec talis effectus consummetur. Unde quamvis perfecta sit actio ex parte delinquentis, si effectus impediatur etiam miraculose, censura etiam impeditur ; v. gr. fit excommunicatio contra homicidam, quamvis sufficienter ad mortem aliquis alium vulneret, ita ut naturaliter desperetur de vulnerati vita, ille tamen non fit excommunicatus, donec alter vivit; et si miraculose sanetur, etiam censura impedietur.

Dico 2 : Quando externa actio est de se imperfecta, et insufficiens ad effectum lege prohibitum, v. gr. inflictio levis vulneris, tunc licet effectus aliunde sequatur per accidens, v. gr. mors, aut præter illum modum, quem lex peculiariter prohibet, non tamen incurritur censura, etiamsi mala sit operantis intentio.

Dico 3 : Quando peccatum fuit imperfectum ex parte voluntarii perfecti, tunc perpendenda sunt verba legis, et natura censuræ. Si enim verba legis talia sunt ut postulent perfectum ac directum voluntarium, v. gr. hæc : *Qui præsumpserit hoc facere, qui temere hoc fecerit*, etc., tunc imperfectio actus includens tale voluntarium excusabit etiam a censura. Si autem lex nullum speciale verbum addat, sed absolute præcipiat et censuram ferat contra transgressores, tunc voluntarium, quod sufficit ad peccandum deliberate contra legem, etiam sufficiet ad incurrendam censuram ipso jure latam, modo

voluntaria transgressio sit simul ad contumaciam sufficiens. Quando vero talis est metus ut excuset a culpa, etiam excusabit a censura : censura enim supponit culpam. Si autem lex ecclesiastica prohibeat sub censura id quod jure naturæ est prohibitum, v. gr. incestum cum consanguinea, poterit metus excusare a censura incurrenda, licet non excuset a culpa; quia istud voluntarium secundum quid non erit sufficiens ad contumaciam propter quam censura ponitur, et per illam incurritur.

Dico 4 : Quando externum peccatum procedit ita ex animo ficto, ut actus externus non sit simpliciter in specie completa actus moralis, cui est annexa censura ex vi et proprietate verborum legis, v. gr. fictus hæreseos actus, tunc istud peccatum non est sufficiens censuræ materia : secus vero, si non obstante simulatione aut fictione, illud peccatum externum revera esset in sua specie consummatum, v. gr. si quis animo hæretico proferat amphibologice verba hæretica ut abscondat suum errorem. Denique qui actum externum sub censura præceptum facit integre quoad substantiam, licet aliunde ex defectu interiori accidentali, v. gr. ex animi evagatione, vanitate, etc., peccet, non incurrit censuram latam contra istius præcepti transgressorem : secus autem, si iste defectus interior pertineat ad substantiam actus externi, et externus fiat sine illo interno.

Sect. IV. — *An censura possit ferri, etiam ob peccatum veniale.*

Dico : Culpa debet esse censuræ proportionata, adeoque gravis censura, ut juste inferatur, requirit culpam gravem : ad levem censuram sufficit levis culpa. Sed quamvis censura gravis non possit ferri nisi ob peccatum mortale, non tamen omne peccatum mortale, etiam externum, est dignum tali censura; ideo concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 3), statuit ut si peccatum aut peccatoris contumacia aliis pœnis quam censuris, possit curari, impediri, vel corrigi, illis prius utendum sit. Itaque excommunicatio major non potest imponi nisi ob peccatum mortale; idemque videtur dicendum de suspensione gravi et interdicto.

Sect. V. — *An ad ferendam censuram requiratur contumacia; an vero sufficiat peccatum commissum et præteritum.*

Dico 1 : Censura quæ fertur per legem, aut præceptum superioris prohibentis vel præcipientis aliquid sub censura ipso facto incurrenda, semper includit conditionem requirentem contumaciam et inobedientiam erga Ecclesiam, ut incurratur, sufficientemque monitionem, ut illius transgressor censeatur inobediens et contumax.

Dico 2 : Censura quæ fertur per sententiam judicis condemnantis reum ad talem pœnam ob peccatum commissum, non fertur absolute et pure, nisi prius interveniat contumacia in isto peccato contra Ecclesiæ præceptum ; nec potest esse valida censura, si aliter feratur : ita communiter theologi D. Thomas, Gerson, Sotus, Victoria, Navarra, etc., contra Cajetanum, Almainum et Cordubensem, dicentes posse ferri ob peccatum commissum, quamvis sit contra jus divinum aut naturale, absque alia contumacia præter eam quæ est in transgressione istius præcepti divini aut naturalis. Probatur 1° ex Matth. XVIII, 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*, ubi jubetur inobediens et contumax excommunicari post Ecclesiæ monitionem seu præceptum. 2° Multa decreta dicunt ante censuram esse præmittendam admonitionem. 3° Censura est pœna medicinalis; si autem pure ferretur pro delicto præterito, non esset medicina, sed pura vindicta; ideoque censura non est pœna perpetua. Deinde si quis statim post peccatum commissum resipisceret, et exhiberet satisfactionem, non posset censura ligari; ergo contumacia prærequiritur.

Objicies 1 : Multa sunt jura in quibus videtur ferri censura præcise pro peccato præterito. Respondeo : Nego assumptum. Nam 1° in cap. *Quidam*, ubi jubetur auctor cujusdam libelli, nisi se prodat, abstinere a communione sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, non fertur excommunicatio pro peccato præterito, sed pro futuro. 2° In cap. *Inter querelas* et in aliis capitibus fertur censura non præcise pro peccato præterito, sed pro præterito adhuc perseverante et exigente aliquam satisfactionem, vel restitutionem vel ablationem scandali, etc. 3° In cap. *Tanta* non fertur censura, ut censura est, sed ut pura pœna est, qua quidam privantur communione per duos menses; sic etiam in aliis capitibus non propria censura, sed tantum pura punitio, qua quis privatur communicatione aliorum fidelium, aut communione altaris, imponitur : censura enim proprie dicta essentialiter emendationem, adeoque et monitionem; pura autem pœna vindictam et punitionem peccati spectat.

Obj. 2 : Ecclesia potest aliis pœnis punire peccatum præteritum ; ergo et censura proprie dicta, ut censura est. Respondeo : Nego consequens, quia hoc specialiter rationi et institutioni censuræ, quæ est ut sit pœna medicinalis, repugnat; ex primario enim fine suo instituta est ad comprimendam contumaciam, et extorquendam, ut sic dicam, ab homine obedientiam Ecclesiæ debitam, et hac mediante resipiscentiam a peccato commisso, vel satisfactionem, aut aliquod simile.

Sect. VI. — *De invaliditate censuræ per legem seu generalem sententiam latæ ob defectum justæ causæ.*

Dico 1 : Quotiescunque lex vel ob injustitiam nulla est, vel ob aliam causam non obligat, censura per talem legem lata nulla est, sive de facto non incurritur; accessorium enim sequitur naturam principalis. Censura autem in tali lege est quid accessorium ; ergo si lex sit nulla, etiam et censura. Potest vero lex esse nulla vel ex defectu jurisdictionis in eo qui illam tulit, vel ex indubitata ac moraliter

certa rei præceptæ injustitia. Deinde quamvis lex foret justa, posset tamen aliunde non obligare, nempe vel quia non est sufficienter promulgata, vel quia non est acceptata seu usu recepta, vel quia jam est abrogata tacite vel expresse consentiente superiore; atque ita nec censura incurri.

Dico 2 : Ut censura lata per legem valida sit, non satis est legem esse honestam ac justam, quoad id præcipit aut prohibet; sed etiam debet esse justa quoad proportionem censuræ cum talis præcepti materia. Lex enim debet servare æquitatem non tantum in eo quod præcipit, sed etiam in pœna quam imponit, nempe ut sit proportionata delicto; bonum ex integra causa. Unde si materia præcepti sit levis, ita ut ejus transgressio non excedat culpam venialem, et illi adjungatur censura major, seu gravis, non erit valida; quia non habet sufficientem materiam in qua fundetur. Sæpe tamen potest accidere ut materia præcepti seu legis ex se sit indifferens aut videatur levis, relata tamen ad bonum commune quod lex seu præceptum respicit, sit gravis; ideoque si præcipiatur sub censura, hæc erit valida. Quamvis ergo gravis censura non possit ferri pro culpa veniali, et si feratur, sit invalida, non tamen potest etiam ferri pro quavis culpa mortali; sed si feratur, præsumendum est in justitia legali et validitate censuræ, nisi fortasse talis lex esset in detrimentum boni communis.

Sect. VII. — *De invaliditate censuræ latæ ab homine per sententiam particularem ob defectum justæ causæ.*

Dico 1 : Dum sententia est injusta ex defectu jurisdictionis in ferente, et sententiam et censuram nullam esse liquet. Dum autem est injusta contra justitiam legalem (quia nempe in ea ferenda non fuit servatus debitus juris ordo sine alia injustitia), si iste defectus servati ordinis juris fuerit substantialis, v. gr. si non præcesserit legitima partis citatio, si censuræ causa non fuerit juridice probata, etc., tunc censura non tantum est injusta, sed etiam invalida; secus si iste defectus fuerit tantum accidentalis.

Dico 2 : Dum sententia est injusta contra justitiam commutativam, vel quia licet causa exsistat, non est tamen probata in judicio, vel quia neque revera exsistit, neque sufficienter probata est in judicio, tunc censura per talem sententiam lata, est invalida; idem dic si feratur absque prævia monitione. Censura autem lata ex causa quæ in re est falsa, juridice tamen probata est, an sit valida, controvertunt auctores : censent esse validam Richardus, Paludanus, Durandus, etc.; alii autem sentiunt eam in foro conscientiæ ad nihil obligare, sive esse in re invalidam, in foro tamen externo servandam esse ratione scandali, quia saltem in illo foro ista sententia rite probata est : ita Alensis, Gabriel, Cajetanus, Adrianus, etc. Sed incedendum media via inter istas diversas opiniones.

Dico 3 : Hujusmodi censura non est valida quoad omnes ejus effectus, seu quoad omnia damna quæ infert : sic enim ligatus, non privatur participatione communium Ecclesiæ suffragiorum et orationum : item potest secreto sacramenta suscipere, missam audire, aut eam dicere : non tamen palam et in publico, quia id caderet in contemptum clavium Ecclesiæ, cum in publico ejus præceptum, quo harum spiritualium rerum usus prohibet, sit justum et excusatio sit occulta. Atque hæc obligatio abstinendi in publico ab actionibus per censuram prohibitis, videtur esse proxime ob vitandum scandalum; sumendo nomen *scandali*, non solum quatenus est contra charitatem, sed etiam quatenus est contra obedientiam Ecclesiæ debitam, cui multum derogaretur, si talis censura publice contemneretur; adeoque obligatio hæc vitandi scandali oritur ex vi præcepti inclusi in ista sententia quæ est justa in foro externo, et obligat in interno ad vitandum istud scandalum. Si quis tamen in publico et cum scandalo hujusmodi censuram violaret, in re non incurreret pœnas jure impositas contra violantes censuram; v. gr. si sic excommunicatus, celebraret in publico, in re non fieret irregularis, quia ipse vere et in re non est excommunicatus; attamen in foro externo haberetur irregularis, et ad vitandum scandalum teneretur se gerere publice ut irregularem, et dispensationem procurare.

Dico 4 : Hujusmodi censura, quæ in solo foro externo justa est, non videtur privare hominem jurisdictione spirituali quoad forum internum seu in re ipsa; adeoque absolutio sacramentalis data ab hujusmodi excommunicato vel suspenso erit valida. Idem dic de absolutione a censura, dispensatione in voto, etc., non est enim cur Ecclesia potestate velit efficaciter illam jurisdictionem auferre ab innocente. Similiter hæc censura non privat hominem communicatione conversationis humanæ secreto et sine scandalo factæ, nec reddit in interno foro inhabilem ad beneficia aut dignitates ecclesiasticas; secus tamen in externo, in quo collatio beneficii potest declarari irrita, seu efficaciter irritari. Denique sententia injusta, tum ex causæ justæ defectu, tum injusta in re ipsa, tum ex modo et ratione eam ferendi, quia nempe judex nullam causatur rationem eam ferendi, sed solum pro suo arbitrio ex sua absoluta potestate illam fert, sicque continens *intolerabilem errorem*, ut jura loquuntur, est prorsus nulla.

Sect. VIII. — *An invincibilis ignorantia præcepti impediat censuram per illud impositam.*

Dico 1 : Inculpabilis seu invincibilis ignorantia præcepti ecclesiastici, cui est annexa censura, excusat ne ea incurratur. Hæc enim ignorantia excusat culpam, utpote tollens omnino voluntarium, sine quo non est culpa; ergo et censuram, quia hæc solum ferri potest ob culpam. Idem dic de mere naturali oblivione absque gravi negligentia, seu de inconsideratione. Hoc autem intelligitur tam de ignorantia facti quam juris, si utraque sit invin-

cibilis, utpote utraque excusans a culpa : nam ignorantia facti reddit actum involuntarium ; ignorantia juris reddit actum involuntarium ut malum, seu ut prohibitum, et ita tollit inobedientiam et contumaciam quæ est fundamentum censuræ. Invincibilis ignorantia facti potest dici, quando quis juxta negotii qualitatem et occurrentes circumstantias adhibuit sufficientem diligentiam ad prudenter et recte operandum ; et si quid postea præter intentionem et cognitionem succedat, censebitur invincibiliter ignoratum, adeoque inculpabiliter factum ; unde fit ut hæc ignorantia duntaxat excuset tantum quantum de ipso effectu ignoratum est. Invincibilis autem ignorantia juris erit, si quis post adhibitam sufficientem diligentiam juxta præcepti, officii et suæ personæ qualitatem ad sciendas leges quæ ad se suumque officium pertinent, aliquam illarum ignoret ; ac proinde hæc ignorantia excusabit illum a censura per istam legem lata. An vero fuerit adhibita sufficiens diligentia quoad istam facti et juris invincibilem ignorantiam, ex his duobus potest colligi : 1° si nunquam venerit in mentem tale præceptum, vel dubitatio de ejusmodi obligatione ; aliudve simile quo homo posset excitari ad inquirendam istius præcepti scientiam, est invincibilis ignorantiæ sufficiens signum. 2° Is qui tenetur aliquid scire, sufficiensque habuit principium cogitandi vel dubitandi de istius scientiæ obligatione, moralem fecerit diligentiam juxta accommodatam operis vel ministerii qualitatem, et juxta probabile judicium sufficientem ut illam scientiam seu notitiam acquireret, v. gr. si indoctus consuluerit viros doctos, ignorantia ex qua operabitur, erit invincibilis. Hinc

Dico 2 : Invincibilis ignorantia præcepti ecclesiastici ita excusat a censura, ut quamvis actus sit contra jus divinum et naturale, peccetque homo contra illud, censuram tamen non incurrat : v. gr. si quis invincibiliter ignoret prohibitum esse ab Ecclesia sub excommunicatione, percutere violenter clericum, non incurret excommunicationem illum percutiendo, quamvis contra jus divinum et naturale peccet, non enim est contumax præcepto Ecclesiæ : cessante contumacia respectu Ecclesiæ, cessat censura. Unde non tantum ignorantia, sed etiam omnis alia causa quæ excusat a mortali culpa, legis ecclesiasticæ, cui gravis censura annexa est, transgressionem, excusat quoque a censura, quia censura non incurritur sine proportionata culpa. Itaque si vis aut metus tam gravis sit, ut rationabiliter excuset ab observatione legis humanæ, etiam poterit excusare a censura, quæ istius legis transgressioni annexa est.

Sect. IX. — *An invincibilis ignorantia ipsius censuræ eam excuset.*

Dico 1 : Quandocunque intervenit invincibilis ignorantia legis ecclesiasticæ præcipientis aliquid sub censura, sive sit lex papæ, sive aliorum inferiorum ; sive de materia jure naturæ prohibita, sive de quavis alia re, excusat a censura : quando autem intervenit tantum ignorantia solius censuræ : v. gr. episcopus sub censura præcipit, ut omnes tali die missam audiant, aliquis autem subditorum scit quidem episcopum imposuisse præceptum audiendi missam, sed nescit invincibili ignorantia, impositam esse censuram transgressoribus istius præcepti ; an tunc incurratur ab istius præcepti transgressore censura, necne, nihil circa hoc in jure positivo explicite statutum est. Ideo

Dico 2 : Ista invincibilis ignorantia solius censuræ sufficit, ut quis ab incurrenda censura excusetur, quamvis aliunde simplicem Ecclesiæ seu superioris prohibitionem non ignoret. (Sylvester, Navarra, Sotus, etc.) Probatur, quia censura est pœna, quæ peculiarem inobedientiæ et contumaciæ modum requirit ; hic autem contumaciæ modus non invenitur in eo qui ignoravit censuram, quamvis legem noverit. Contrariam tenet sententiam Covarruvias, sed sine firmo fundamento.

Sect. X. — *An vincibilis ignorantia excuset ab incurrenda censura.*

Dico 1 : Dum lex adhibet aliquam particulam quæ ex proprietate suæ significationis requirit scientiam, tunc, etiamsi ex vincibili ignorantia id fiat, non incurritur censura. Verumtamen ignorantia affectata non excusat ab incurrenda censura lata in eos qui ausu temerario vel ex præsumptione legem violaverint. Item nec ignorantia crassa et supina excusat a censura lata per legem absolute prohibentem aliquem actum sub censura ; multo magis non etiam excusabit ignorantia affectata In ejusmodi enim actu ex tali ignorantia facto, sufficiens contumacia et inobedientia reperitur ad contrahendam censuram.

Dico 2 : Vincibilis ignorantia sive facti, sive juris, quæ non excusat a culpa mortali, non excusat a censura quæ ob istam culpam formaliter lata est, sive per legem pontificiam, sive per quamcunque aliam. (Navarra, Covarruvias, etc.) Si enim sufficit ad culpam mortalem, etiam sufficit ad censuram.

Sect. XI. — *An ignorantia excuset censuram ab homine latam.*

Dico : Censura potest ab homine ferri in absentem et ignorantem, statimque est valida et habet suam vim seu ligat antequam reo sit intimata ; quamvis quoad illas actiones, quæ requirunt ejus notitiam non obliget, donec intimata sit. Sed ut sic feratur in ignorantem, debet præcessisse sufficiens admonitio. Si autem contingeret eo tempore quo fertur in illum censura, jam eum resipuisse et satisfecisse seu Ecclesiæ paruisse, cujus rei est nescius judex, quamvis in praxi censeatur censura valida, speculative tamen videtur dubia ; sed quandiu is contra quem lata est censura, illam ignorat, excusatur a transgressione ejus, licet exerceat actus per illam prohibitos ; quia horum respectu cen-

sura habet vim præcepti, et sicut ignorantia præcepti excusat a culpa, ita etiam a censura. Nec præcise suspicio latæ censuræ post sufficiens tempus sufficit ut ab illis actibus abstineat; secus si certa fama ipsi innotesceret illam latam fuisse. Attamen ante censuræ notitiam probabilius jam redditur incapax beneficii, et aliarum rerum similium.

DISPUTATIO QUINTA

De iis in quos potest ferri censura.

SECT. I. — *Quæ conditiones in aliquo requirantur ut sit censuræ capax.*

Dico 1 : Solus homo viator potest proprie censura ligari : est enim solus capax delicti et emendationis ejus. Dum ergo aliæ res, v. gr. locustæ, dæmones, etc., dicuntur excommunicari et anathematizari, sumuntur ista verba pro *exsecrari, detestari* et *abigere* illas a nobis tanquam aliquid noxium et detestabile. Dum autem mortui dicuntur excommunicari, non fertur proprie in eos censura, sed declaratur illos eam in vita incurrisse, promulgatur, et jubetur observari, privando eos suffragiis et ecclesiastica sepultura ; ac vivis præcipitur, ne hoc vel illud erga eos præstent, atque ita ista promulgatio et exsecutio prioris sententiæ ordinatur non ad emendationem defuncti, sed ad terrorem viventium, et ad condignam delicti punitionem ob commune bonum ; similiter dum defunctus a censura absolvitur, tantum declaratur illum ante mortem Ecclesiæ satisfecisse. Hinc si quis moriatur ante contractam censuram sub conditione impositam, post mortem non potest illam contrahere. Ideo si quis præcepisset occidi clericum, et ante exsecutionem mortuus fuisset, non incurreret censuram ; et sic de aliis ejusmodi casibus.

Dico 2 : Ut homo viator possit censura ligari, debet esse adultus, ratione utens, baptizatus, et habens in terris superiorem quoad potestatem spiritualem. Hinc infantes et perpetuo amentes cum sint incapaces peccati, etiam sunt incapaces censuræ. Jura loquentia de censuris impuberum, intelliguntur de rationis capacibus, et de ea utentibus. Quamvis autem censura a jure non possit ferri in impuberes, potest tamen ab homine, uti et in amentem ad tempus, qui antea fuit contumax. Sic ebrius omittens aliquid præceptum sub censura, in ebrietate eam contrahet, si ante ebrietatem culpabiliter istam omissionem præviderit. Deinde ut quis possit censura ligari, debet esse baptizatus : unde catechumenus non potest censura affici ; denique solus qui habet superiorem, est censuræ capax, ideoque solus papa non potest censura ligari.

SECT. II. — *An qui censura afficitur debeat esse persona certa, et nondum per censuram ligata.*

Dico 1 : Ut censura actu liget, debet ferri in personam determinatam ; non est tamen necesse ut feratur in personam cognitam aut distincte significatam. Eadem persona non tantum potest affici pluribus censuris diversarum rationum, v. gr. excommunicatione et interdicto, sed etiam ejusdem rationis ob diversas causas, v. gr. excommunicari ob aliam ; non tamen ob eamdem causam. Sed

Dico 2 : Ob diversas causas multiplex censura ejusdem rationis ferri potest etiam ab eodem judice in eamdem personam. Imo a diversis judicibus seu superioribus possunt in eamdem distinctæ numero censuræ ferri ob causam quodammodo eamdem, et quodammodo diversam ; id est materialiter eamdem, et quasi formaliter diversam, v. gr. quando una censura est a jure, et alia ab homine ; potest enim quis pro eodem delicto simul et a jure et ab homine excommunicari.

SECT. III. — *An multiplicatis transgressionibus legis ipso jure censuram ferentis, multiplicentur censuræ.*

Dico 1 : Quot sunt numero distinctæ ejusdem legis transgressiones, tot incurruntur censuræ, v. gr. qui bis morali interruptione, seu in diverso tempore percutit clericum, bis excommunicatus fit. Unde autem colligatur unitas vel multiplicitas transgressionis seu peccati, alibi demonstratum est.

Dico 2 : Quando quis violat legem uno actu habente plures circumstantias, quarum singulæ sub censura prohibentur : v. gr. si lex prohiberet sub censura comedere in die jejunii ante talem horam et talem cibum, etc.; si illæ circumstantiæ mutent speciem actus moralis, tunc tot incurrentur censuræ, quot circumstantiæ violantur; secus si non mutent speciem, tunc enim tantum una incurretur censura.

SECT. IV, V. — *Quinam ligentur censura per legem lata ; et an agens in aliena diœcesi contra sententiam generalem sui prælati, ejus censura ligetur.*

Dico 1 : Censuræ jure canonico latæ, omnes baptizatos ubique ligant quantum verba sonant. Episcopi tamen lege generali suspensionis et interdicti non ligantur. Subditus episcopo, ejus statutum cui annexa est censura, violans in alieno episcopatu seu extra ejus territorium, vel intra territorium in parochia aut oppido exempto ab episcopi jurisdictione, non incurrit illam censuram. In Ecclesiis autem seu monasteriis religiosorum exemptorum, quæ nonnisi ratione talium personarum vocantur exempta, si aliæ personæ episcopo subditæ intra ea frangerent illius statuta, horum censuras certo incurrerent. Qui inchoat in proprio territorio delictum, et extra illud consummat, v. gr. si quis per tactus intra proprium territorium inchoet stuprum, et extra illud consummet, non incurrit censuram statuti proprii territorii, quia in ordine ad censuram ibi committitur delictum, ubi exterius consummatur. Qui tamen alium vulneravit in territorio in quo censura pro homicidio imposita est, et iste vulneratus extra illud moritur, probabilius videtur incurrere censuram.

Dico 2 : Subditus alicujus episcopi agens in alia diœcesi contra sententiam generalem sui prælati, per quam censura fertur in eos qui hoc agunt vel omittunt, si episcopus habeat jus imponendi ei præceptum quod eum obliget etiam extra territorium exsistentem, vel præceptum quod extra territorium exsecutioni mandandum sit, tunc ratione istius præcepti contra quod est contumax, incurret censuram. Et in hoc differt statutum a sententia generali seu præcepto, quod statutum obliget omnes qui versantur in territorio ratione territorii, nec obliget subditos extra territorium exsistentes, quia respicit territorium; sententia vero solum obligat personas secundum se in quas directe fertur, illasque afficit ubicunque exsistant. Unde exsistens in alieno episcopatu, si istius episcopatus statutum frangit, illius censuram incurret; est enim quoad hoc subditus istius loci episcopo.

DISPUTATIO SEXTA.

De censuræ effectibus in communi.

Sect. I, II. — *Quinam sint et quot effectus censuræ, et quibus modis impediri possint.*

Dico 1 : Duplex est censuræ effectus : alius remotus, alius proximus. Remotus, est fructus bonus quem intendit ferens censuram, estque vel temporalis, v. gr. restitutio, et damni reparatio; vel spiritualis, v. gr. emendatio, obedientia, pœnitentia rei. Proximus, est privatio aliquorum bonorum spiritualium, seu rerum sacrarum quæ sunt in communi ac publico Ecclesiæ usu, qualia sunt sacramenta, sacrificium, orationes publicæ, etc. Effectus censuræ de se non est perpetuus, sed talis ut jure ordinario possit auferri, imo ea intentione infertur ut aliquando auferatur.

Dico 2 : Remoti censuræ effectus impediri possunt per solam pravam peccatoris voluntatem, v. gr. nolentis restituere, obedire, etc. Interdum tamen possunt etiam impediri sine nova culpa, vel ex impotentia morali, vel ex brevitate temporis, v. gr. non potest quis restitutionem facere, damnum resarcire, hic et nunc bonum propositum exsequi. Proximi autem effectus a censura manantes, nullo modo possunt impediri, ipsa manente, immediate enim fiunt ab ipsa censura, seu obligatio oritur ex ipsa censura; sed obligationis exsecutio potest impediri vel cum culpa ejus qui ligatus est censura, vel sine culpa ob ignorantiam aut impotentiam sive physicam sive moralem.

Sect. III. — *An metus impedire possit censuræ effectum mediatum, seu obligationis exsecutionem, ita ut sine culpa omittatur.*

Dico 1 : Quando ex censura resultat in actione circumstantia intrinsece mala, v. gr. si quis per censuram privatus jurisdictione, compelleretur ad administrandum pœnitentiæ sacramentum, aut quando metus infertur in odium aut contemptum Ecclesiæ, tunc nunquam licet ob metum agere quod per censuram prohibitum est; ista enim non tantum mala sunt quia per censuram sunt prohibita, sed quia ex se et ex sua natura sunt intrinsece mala. Verum

Dico 2 : Quando non est intrinsece malum quod per censuram prohibetur, non tantum ex sufficiente metu extrinsecus illato, sed etiam sine illo ad vitandum grave damnum, seu detrimentum, est licitum exercere actionem per censuram prohibitam, nempe secluso scandalo, injuria religionis, et similibus. Lex enim positiva, præsertim humana, non obligat cum tanto rigore, ut cum gravissimo detrimento vel periculo servanda sit : tota autem prohibitio, qua homo censura ligatus prohibetur hos vel illos actus facere, est mere positiva et ecclesiastica; ergo. Similiter ob vitandum grave scandalum seu peccatum aliorum, licitum est prætermittere vel agere aliquid præter obligationem censuræ, v. gr. audire sacrum, vel aliquid simile, ex cujus omissione grave aliquod scandalum seu peccatum timetur (Navarra, Castro, etc.) Non videtur tamen licitum, cessante scandalo gravi aut infamia, ob publicam populi necessitatem exercere actionem per censuram prohibitam, v. gr. facere sacrum per censuram prohibitum.

Sect. IV. — *Quomodo effectus censuræ suspendatur.*

Dico : Censura lata, non potest per appellationem suspendi ejus effectus. Habetur in cap. *Pastoralis*, et in cap. *Ad hæc*, De appellat., etc. Papa tamen ex justa causa potest dispensare, ut, manente censura, effectus per illam prohibitus licite fiat, v. gr. ut aliquis communicet in sacris cum excommunicato : quia hæc prohibitio est tantum de jure humano, in quo papa et cum aliis et secum potest dispensare; sed alii prælati papa inferiores, v. gr. episcopi, probabilius non habent hanc potestatem. Hinc non potest episcopus dispensare ut collatio beneficii facta excommunicato sit a principio valida. Denique excommunicatus ab uno episcopo, in tota Ecclesia vitandus est, sive ubique vitandus ob institutionem censuræ, quæ auctoritate totius Ecclesiæ ita facta est, ut a quocunque imposita fuerit hanc vim universalem habeat, ut in concilio Nicæno, cap. 5, aperte dicitur, etc.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De absolutione et modis quibus censura tolli potest.

Sect. I. — *An censura per solam absolutionem tolli possit.*

Dico : Censura proprie et perfecte non tollitur nisi per absolutionem. Tolli per absolutionem clarum est ex his verbis : *Quodcunque ligaveritis* vel *solveritis* (*Matth.* XVIII, 18). Aliter autem non tolli, probatur, quia : 1° non tollitur per mortem ejus qui ligatus erat : vel enim in articulo mortis fuit ab ea absolutus per sacerdotem, vel si discedens in gratia per contritionem coram Deo fuerit absolutus, debet tamen in foro Ecclesiæ absolvi quoad actus a vivis exercendos erga ecclesiasticam ejus sepulturam, et orationum atque suffragiorum communium participationem; seu declarari in foro Dei absolu-

tum decessisse. 2° Nec tollitur per solam emendationem seu resipiscentiam aut datam satisfactionem legati, quia hoc non sufficit; si autem censura lata sit sub hac conditione, *donec satisfeceris*, tunc istius censuræ absolutio sub conditione fertur, et postea expleta conditione operatur sine nova absolutione. 3° Neque etiam exstinguitur per mortem ferentis, sive sit a lege lata, sive ab homine, ut aperte constat ex cap. *Si episcopus ante*, quæst. 21, et ex cap. *Pastoralis;* ergo semper tollitur per absolutionem.

Sect. II. — *Quis possit a censuris ab homine latis absolvere.*

Dico 1 : Censura ab homine lata jure communi et ordinario tollenda est per absolutionem ab eo qui illam tulit, vel ab eo qui illi in munere et officio succedit, in quo comprehenditur etiam capitulum, sede vacante. Nec tantum episcoporum successores, sed etiam aliorum prælatorum, v. gr. abbatum, et qui eorum loco substituuntur, eamdem cum illis potestatem habere censentur pro absolutione censuræ; idem de delegatis judicibus, ita ut successor possit absolvere ligatos a prædecessore, si succedat super eadem causa et cum eadem potestate. Habetur in cap. *Pastoralis :* Qui habet potestatem delegabilem non tantum potest per se, sed etiam per alium absolvere a censura quam ipse tulit. Eamdem habet potestatem quilibet sacerdos in articulo mortis. Ut autem superior possit absolvere censura ligatum ab inferiore, debent habere inter se subordinationem, quales sunt papa respectu omnium prælatorum inferiorum, archiepiscopus in causa appellationis, respectu episcopi, etc.

Dico 2 : Censuram latam ab homine per generalem sententiam pro peccato futuro, non tantum a ferente, vel ejus superiore, sed etiam ab aliis per absolutionem tolli posse, eodem modo quo a jure lata tollitur, asserunt Navarra, Covarruvias, etc.; verius autem ac tutius negant Cajetanus, Ugolinus, etc. Qui tamen per generalem sententiam fuit a suo episcopo excommunicatus, potest probabiliter absolvi ab alio episcopo in cujus diœcesim suum domicilium transtulerit; secus vero, si per specialem sententiam excommunicatus fuerit. Qui versatur in alieno episcopatu, licet non incurrat censuram ab episcopo illius loci per generalem sententiam latam, incurrit tamen eam quæ per statutum lata est pro culpis futuris, a qua potest absolvi eodem modo, quo absolvitur a censura quæ jure lata est; ac proinde a suo proprio episcopo tolli potest. Ordinarii Mendicantium superiores per sua privilegia possunt absolvere ab omni censura lata ab homine et ante religionis ingressum contracta, dummodo ista censura generaliter lata sit, etiam pro particulari delicto occulto quoad personas, in quas confuse lata est per sententiam generalem; non autem ab ea quæ in certam personam nominatim fertur. Non tantum judex ad quem appellatum est, potest tollere censuram latam ab inferiori, sed etiam ipse qui eam tulit, post appellationem, potest illam tollere; quoad hoc enim per appellationem non amisit suam jurisdictionem. Consensus partium non sufficit, ut quivis sacerdos possit a censura absolvere.

Sect. III. — *Quis possit a censura juris absolvere.*

Dico 1 : A censuris latis a jure, si pontifex earum absolutionem expresse sibi non reservavit, potest unusquisque ex vi istius juris communis seu concessionis in eo declaratæ, absolvi a proprio episcopo, seu episcopalem jurisdictionem habente, imo etiam a proprio parocho vel qui ejus vices gerit. Colligitur ex cap. *Nuper*, De sent. excomm. Etiamsi aliquis in alieno episcopatu deliquerit, potest tamen a proprio episcopo absolvi, nempe a censura juris in alieno episcopatu contracta. Religiosi non exempti possunt, ut alii subditi sæculares, per proprium episcopum absolvi a prædictis censuris: secus vero exempti in quos episcopus non habet jurisdictionem. Sub nomine *episcopi* comprehenditur ejus vicarius, capitulum, sede vacante, et vicarius a capitulo electus, sede vacante; item comprehenduntur abbates exempti, et ipsius Ecclesiæ capitulum, item prælati religionum respectu suorum subditorum.

Dico 2 : Omnes qui jure communi possunt absolvere a censuris jure pontificio seu communi latis, etiam possunt absolvere a censuris per statuta aut constitutiones particulares alicujus provinciæ vel episcopatus latis, si non sint reservatæ.

Dico 3 : Parochi ex vi prædicti cap. *Nuper*, possunt etiam absolvere a censuris jure latis, non reservatis, ubi non est contraria consuetudo. (D. Thomas, Bonaventura, Sotus, Sylvester, etc., contra Covarruviam, Ugolinum, Cajetanum, etc.) Citantur varia jura pro utraque parte

Sect. IV. — *Cur censura juris non reservata potest ab inferioribus tolli.*

Dico : Potestas absolvendi a censura juris non reservata, præsertim ab excommunicatione, est conjuncta muneri episcopi et parochi, quia ex se est talis pœna, ut ex intentione Ecclesiæ auferenda sit, quoties reus fuerit dispositus et satisfactionem obtulerit, cap. *Qua fronte*, De appellat. Ideoque facilius et generalius potestas absolvendi quam dispensandi datur ob bonum animæ. Unde omnis sacerdos, qui potestatem jurisdictionis habet ad absolvendum a peccatis mortalibus, potest etiam absolvere ab excommunicatione juris non reservata: non autem omnis qui dat potestatem ad absolvendum a casibus seu peccatis sibi reservatis, dat etiam potestatem a censuris sibi reservatis, excepto papa qui dando potestatem absolvendi a casibus sibi reservatis dat etiam a censuris sibi reservatis, quia casus pontificii semper annexam habent censuram reservatam. Cæterum dum episcopus absolute et sine distinctione concedit omnes casus sibi reservatos, licet inter illos quidam habeant censuram annexam, alii non, videntur tamen sub illa generali clausula omnes comprehendi, maxime cum recepto

loquendi more, nomine casuum reservatorum, intelligantur etiam illi qui habent annexam censuram. Si ergo utrique casus sub illa generalitate comprehendantur, etiam censuras illis annexas comprehendi necesse est: principali enim concesso, concedi censetur accessorium, sine quo illud exerceri non potest; alioqui foret inutilis concessio.

Secus, si foret sola censura reservata, et non peccatum cui esset annexa, quod moraliter nunquam fit: tunc requireretur specialis concessio ad absolvendum ab ejusmodi censura. Parochus autem delegans suam jurisdictionem ad absolvendum a peccatis, etiam delegat ad absolvendum a censuris juris non reservatis. Atque hæc facultas a dictis censuris absolvendi ex vi prædicti, cap. *Nuper* habetur; vult autem Ugolinus eam abrogatam esse per contrariam consuetudinem, sed de hoc non constat; ac proinde ubi non de hoc constat, standum prædicto communi juri.

Sect. V. — *Quis possit absolvere a censura per canonem, seu jus canonicum reservata.*

Dico 1: A censuris per canonem reservatis solus auctor canonis vel ejus superior, vel qui ab eis habuerit potestatem delegatam, potest absolvere. Hinc illa delegatur omni sacerdoti pro articulo mortis: aliis delegatur per decreta juris aut conciliorum pro certis casibus, aliis per bullas, per diplomata pontificis, per jubilæa, etc. Per solam tamen indulgentiæ plenariæ concessionem non datur facultas, ut quis a censuris absolvatur; imo quamvis in jubilæo soleat concedi ista facultas, vox tamen *jubilæum* non hoc significat. Deinde dum conceditur generalis facultas absolvendi a casibus papæ reservatis, sub ea concessione non comprehenduntur casus reservati in bulla *Cœnæ;* imo in concessione generali omnium censurarum papalium, etiam contentarum in bulla *Cœnæ*, non intelligitur, maxime juxta modernos scriptores, excommunicatio propter peccatum hæresis. Attamen videtur usu esse receptum, ut dum papa generali clausula concedit facultatem absolvendi a censuris sibi reservatis, censendus sit etiam concedere facultatem absolvendi a censuris, quas episcopi specialiter sibi reservant. Vide tamen hac super re varia decreta a tempore P. Suarez edita.

Dico 2: Dum quis volens absolvi ab omnibus censuris, confitetur habenti potestatem eas tollendi, et confitendo omittit inculpabiliter aliquam ex illis, si confessarius generaliter eum absolvat ab omnibus censuris cum intentione omnes tollendi, quas pœnitens incurrit, manebit absolutus etiam ab illa censura quam in confessione omisit, adeoque peccatum, cui illa erat annexa, non erit amplius reservatum: secus si confessarius absolverit tantum ab eis quas pœnitens declaravit. Absolutio autem a censuris per privilegia aut jubilæum data, valet in utroque foro, si facultas sit data absolute et sine ulla limitatione. Si vero data sit cum restrictione ad forum conscientiæ, tunc tantum in illo valet; vere tamen manet absolutus, potestque libere ac permanenter se gerere ut absolutus non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, dummodo in hoc foro externo sufficienter constet de ejus absolutione, et debitus ordo servatus sit.

Dico 3: Qui cum intentione lucrandi jubilæum accepit absolutionem a censuris reservatis, licet postea et ex aliqua negligentia culpabili, non faciat ea quæ ad lucrandum jubilæum sunt necessaria, probabilius non reincidit in easdem censuras, sed manent vere absolutæ ac sublatæ. Dum facultas absolvendi a censura datur absolute, ita ut in foro interno et externo valeat, tunc signum est dari independenter a sacramento confessionis, ita ut extra illud possit exerceri; secus vero, si detur pro foro conscientiæ.

Dico 4: Dum facultas absolvendi datur sub hac conditione: *Satisfacta parte:* licet per se loquendo debeat ante absolutionem conditio expleri, tamen si moraliter non possit pœnitens prius cum effectu satisfacere, quam absolvatur a censura, et det cautionem vel juratoriam vel pignoratitiam, magnumque animæ detrimentum per absolutionis dilationem accepturus esset, tunc probabilius potest dari absolutio ante datam satisfactionem; secus autem, si possit ante satisfacere, etiamsi promittat aut juret se satisfacturum. Dum in concessione non ponitur ista conditio, *satisfacta parte*, aut simili, tunc probabilius non requiritur necessario satisfactio ante absolutionem, ut hæc sit valida. Si autem sit dubium debitum, tunc non est necessarium ut satisfactio partis antecedat absolutionem, etiamsi in ipsa concessione expresse illa requiratur. Denique dum censura talis est, ut nullam partis læsæ satisfactionem requirat, tunc potest per ejusmodi privilegia tolli absque alia satisfactione.

Sect. VI, VII. — *Conditiones requisitæ in absolvente a censura, et in eo qui absolvendus est.*

Dico 1: Is qui absolvit a censura etiam in articulo mortis, debet esse clericus habens jurisdictionem necessariam; non enim invenitur quod Ecclesia unquam, etiam in articulo mortis, hanc potestatem laico concesserit. Et quidem pro articulo mortis, non tantum quivis clericus, sed solus sacerdos potest absolvere: quia jura, quæ de hac concessione loquuntur pro mortis articulo, semper nominant sacerdotem. Sic etiam quando hæc potestas conceditur per jubilæa, bullas, aut privilegia, concedi solet solis sacerdotibus, quia conceditur in ordine ad pœnitentiam et absolutionem sacramentalem, quæ a solis sacerdotibus dari potest. Deinde qui absolvit, debet ex libera voluntate, et ex præcedente causæ notitia proportionata absolutionem conferre. Non tamen semper necesse est, ut absolvens cognoscat in particulari illum esse censura ligatum; potest enim, si vult, absolvere ratione dubii seu periculi sub conditione, *si indiges;* ad quod sufficit generalis cognitio quod quis possit esse ligatus, etiamsi ignoret; et quod velit tollere illud vinculum, si fortasse adsit. Unde, ut definitur in cap. *Unico*,

De iis quæ vi, in 6, absolutio data per vim aut metum gravem ab extrinseco illatum ad illam extorquendam, ipso jure est nulla, nempe jure positivo ecclesiastico.

Dico 2 : Persona quæ absolvitur, debet esse distincta ab absolvente ; non tamen debet esse necessario præsens, sed sicut potest ferri censura in absentem et in invitum, ita et dari absolutio absenti et invito. Censura enim est pœna quæ ab invito potest tolli ; modo non perseveret jus ob quod censura lata est, nec peccatum tractu successivo, v. gr. hæresis. Itaque censura lata ab homine, potest licite ab eo qui eam tulit relaxari, etiamsi in sua contumacia remaneat : interdum etiam censura a jure lata potest auferri permanente contumacia, dum nihil speciali jure circa hoc præscriptum est.

Sect. VIII. — *Quotuplex sit absolutio a censura.*

Dico 1 : Licite datur absolutio censuræ sub conditione de præsenti, v. gr. *si indiges*, vel *quantum indiges ;* et sub conditione de præterito, v. gr. *si satisfecisti*, vel *si vere et ex corde a contumacia recessisti.* Absolutio autem a censura data sub conditione de futuro, v. gr. *si satisfeceris*, *si parueris*, etc., quamvis expleta conditione probabiliter sit valida, ista tamen conditio ad minimum suspendit effectum, seu absolutionem ; sed ordinarie loquendo, est illicita, quia neque in jure, neque in usu prælatorum Ecclesiæ invenitur adhibitus ejusmodi absolutionis modus, etiamsi in necessitate aut ex magna utilitate, spectatis circumstantiis, posset non esse illicitus.

Dico 2 : Datur absolutio censuræ ad cautelam vel ob periculum alicujus censuræ incursæ et ignoratæ, ante absolutionem sacramenti pœnitentiæ, ante susceptionem ordinis, ante collationem beneficii, etc. ne valor actus impediri possit per censuram, si fortasse adesset ; vel ob dubium incursæ censuræ. Deinde datur etiam interdum absolutio censuræ ad reincidentiam, per quam vel tollitur censura tantum ad aliquem actum valide efficiendum, v. gr. ad collationem beneficii, ad dicendum testimonium, etc., post quem remanet eadem censura quæ erat ante ; vel tollitur absolute, sed sub conditione de futuro, satisfaciendi aut aliquid faciendi intra certum tempus, intra quod, si non impleatur conditio, reinciditur in censuram, quæ fuerat ablata pro isto certo tempore, non autem pro reliquo conditione non impleta ; impleta autem conditione, tunc omni tempore ablata est : at videtur quis in illam reincidere, etamsi non potuerit inculpabiliter intra præfixum tempus implere conditionem, quia hæc non est nova censura, sed eadem moraliter ; ideoque non requirit novam contumaciam seu culpam.

Sect. IX, X. — *An in absolutione censuræ certa forma ac solemnitas servanda sit.*

Dico 1 : Nulla est in jure præscripta verborum forma, quæ sit de illius substantia ad absolvendum a censuris. Hæc tamen absolutio fieri debet aliquo verbo aut signo sensibili, quo sufficienter significetur eum qui censura erat ligatus ab illa absolvi, v, gr. : *Absolvo te*, *reconcilio te Ecclesiæ*, etc. ; et in illa debet exprimi, saltem implicite persona absolvens, v. gr. *Ego absolvo te*, vel *absolvo te*. Deinde si ex iis quæ proxime antecedunt absolutionem, liqueat qua de re sit sermo, non est necessaria determinatio censuræ, aut talis censuræ, a qua absolvitur ; v. gr. si reus petat absolvi ab excommunicatione, sufficit dicere : *Ego te absolvo.* Secus vero, si nihil præcedat ex quo possit ista determinatio moraliter fieri. Neque necesse est, generatim loquendo, explicare in absolutione causam ob quam incursa est censura dicendo v. gr.: *Ego te absolvo ab excommunicatione*, *quam ob talem causam incurristi.* Hinc absolutio simpliciter petita et concessa ab eo qui potest omnes censuras tollere, omnes tollit, nisi ad aliquam aut aliquas tantum tollendas suam intentionem restringat ac determinet. Absolutio autem petita pro determinata censura simpliciterque concessa, illam tantum tollit : uti et simpliciter petita, sed concessa pro determinata censura, eam etiam tantum tollit.

Dico 2 : Sive voce, sive scripto potest censura tolli, sed non tollitur præcise per aliquas actiones ab eo factas, qui aliunde potest absolvere, etiamsi tales actiones videantur repugnantes cum censuræ perseverantia, nisi is qui eas facit, sit summus pontifex.

Dico 3 : Quoad solemnitatem in absolutione censuræ servandam : 1° præmittitur absolutionis petitio, sed non necessario nec semper, et interdum satisfactio partis læsæ, si fieri possit ; vel cautio sufficiens, si non possit. 2° In dandæ absolutionis modo, nihil speciale in jure præscribitur ; servetur ergo recepta consuetudo. 3° Post datam absolutionem, si censura fuerit publica, debet publice denuntiari ejus absolutio ; sive, si censura fuerit publica, absolutio debet esse publica ; si occulta, sufficiet occulta absolutio.

DISPUTATIO OCTAVA.

De excommunicatione.

Sect. I, II, III. — *Quid sit excommunicatio, et quotuplex.*

Dico 1 : Excommunicatio est censura, qua quispiam separatur ab ecclesiastica fidelium communione, vel communicatione, nempe excommunicatione abstracte sumpta ; id est, sive ista communicatio qua privat hominem, sit magna sive parva, sive totalis sive partialis, dummodo sit ecclesiastica, et talis, ut sub Ecclesiæ prohibitionem cadere possit. Ista autem communicatio ecclesiastica est duplex ; alia civilis, quæ consistit in externis actionibus ad humanam societatem pertinentibus, qualis est confabulatio, mutua salutatio, communis mensa, etc.; alia spiritualis seu religiosa in sacris actionibus consistens, qualis est participatio eorumdem sacramentorum, ejusdem sacrificii, communium Ecclesiæ suffragiorum et orationum, etc.

Dico 2 : Excommunicatio dividitur in majorem et minorem. Excommunicatio major est quæ a com-

munione fidelium totaliter separat, et vocatur etiam anathema, quando anathema refertur ad personas; quamvis interdum anathema ab ea accidentaliter distinguatur sive in gravitate sive in cæremoniis denuntiationis et acclamationis publicæ. Excommunicatio minor est quæ per se ac directe a sola perceptione sacramentorum separat.

Dico 3 : Excommunicatio simpliciter dicta, intelligitur de excommunicatione majore; excommunicatio enim minor censetur tantum excommunicatio secundum quid : et comparantur inter se tanquam pars et totum; major enim privat pluribus bonis, magisque ligat quam minor; et illa respicit per se culpam mortalem; hæc autem venialem.

DISPUTATIO NONA.

De primo effectu excommunicationis majoris, qui est privatio orationum et suffragiorum Ecclesiæ.

Sect. I, II. — *An sit grave peccatum offerre pro excommunicato communes Ecclesiæ orationes, vel suffragia; et an his sint privati omnes excommunicati.*

Nota : Per suffragia intelliguntur quædam spiritualia subsidia, quibus Ecclesiæ membra se invicem juvant, vel quoad satisfactionem pro pœna temporali, vel quoad meritum de congruo pro impetratione bonorum maxime spiritualium; vel quæ ad spiritualia conducunt. *Subsidia*, inquam, per sacrificium missæ, orationes, pia opera præstita sive in privata sive in publica persona, nomine totius Ecclesiæ.

Dico 1 : Certum est excommunicatum majori excommunicatione hisce omnibus suffragiis ex intentione et voluntate Ecclesiæ esse privatum; hanc enim Ecclesia habet et potestatem et voluntatem. Ergo

Dico 2 : Etiam certum est prohibitum esse ab Ecclesia publice pro excommunicatis orare, seu Ecclesiæ suffragia illis applicare; cum autem hæc prohibitio sit tantum ecclesiastica, ideo excipit unam diem, id est sextam Parasceves, in qua orat publice pro excommunicatis, nempe pro hæreticis et schismaticis, repræsentans sibi mortem Christi, cujus meritum quoad sufficientiam, ad omnes homines sine ulla exceptione extenditur.

Dico 3 . De vitandis excommunicatis hæc habentur : D. Antonius hanc extravagantem tanquam ex concilio Constantiensi refert : *Ad evitanda scandala, et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque divinis vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, seu suspensionis aut prohibitionis ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam aut locum certum a judice publicata et denuntiata specialiter et expresse; salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in clericum, sententiam latam a canone, adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque uliquo suffragio excusari : nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones.* Hoc decretum seu hæc extravagans non habetur in concilio Constantiensi, sed habetur in concilio Basileensi (sess. 20) hisce ultimis verbis paulo mutatis : *Aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari : nam a communione illius abstineri vult juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen ejusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Sed concilium Basileense, saltem quoad hoc non fuit approbatum. Si ergo in sola illorum conciliorum auctoritate sisteremus, vix ullam vim ista extravagans haberet, sed quiá ab universali Ecclesia recepta est, usuque probata, imo, ut creditur, a papa emanavit, nempe a Martino V, ideo non est dubium, quin obligatio vitandi excommunicatos juxta moderationem in illa factam observanda sit, et quidem juxta tenorem concilii Constantiensis, ita ut in utraque extravagante, excipiatur duntaxat notorius clerici percussor, et nominatim excommunicatus tanquam vitandi : ita Antoninus, Gabriel, Adrianus, Sotus, etc. Unde

Dico 4 : Solus nominatim excommunicatus, aut nominatim alia censura ligatus, vitandus est; non autem ille qui censuram ipso jure latam, aut ab homine per sententiam generalem impositam incurrit; nec sufficit per sententiam particularem censuram in aliquem latam esse, ut sit vitandus, sed hæc debet esse publicata vel denuntiata (quæ duo verba pene idem significant) specialiter et expresse, ut habetur in dicto decreto. Nam excommunicatus a jure, quantumvis publicus, non est vitandus donec sit denuntiatus, excepto casu percussionis clerici; neque etiam est vitandus excommunicatus per sententiam generalem, ergo nec excommunicatus per specialem, donec persona per illam declaretur et denuntietur excommunicata; nec sufficit ut declaretur aut denuntietur excommunicata sub conditione de futuro, ad eam vitandam.

Dico 5 : Notorius percussor clerici notorietate facti, seu tali facti evidentia, ut nulla tergiversatione possit celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari, est excommunicatus etiam vitandus, ut patet ex dicto decreto. Ex eodem etiam patet quoscunque excommunicatos etiam toleratos semper teneri a fidelium communione sese abstinere, quantum in ipsis est, eodem modo quo ante hoc decretum tenebantur, cum per illud nullus ipsis favor sit concessus.

Dico 6 : Quamvis per istam extravagantem permittatur communicatio externa cum excommunicato tolerato seu non denuntiato tam in divinis officiis, v. gr. in audienda missa, et in horis canonicis publice recitandis, quam in negotiis humanis, non vi-

detur tamen concedi interna communicatio per participationem suffragiorum et orationum publicarum; adeoque non licet Ecclesiæ ministris illa specialiter pro eis offerre, quia etiam nunc Ecclesia intendit omnes illos ab horum suffragiorum participatione excludere, cujus intentioni non debet contrariari intentio ministri.

Sect. III, IV. — *An liceat communia suffragia offerre pro excommunicatis jam contritis et justificatis, sed nondum a censura absolutis; an saltem valide offerantur, etiamsi illicite, ut illis prosint.*

Dico 1 : Non videntur posse offerri directa intentione communia Ecclesiæ suffragia pro excommunicatis, etiamsi contriti ac justificati sint, nisi prius a censura sint absoluti. (Adrianus, Sotus, Alanus, contra Navarram, Covarruviam, Richardum, Antoninum). Probatur, quia censura adhuc manet, ergo habet adhuc suum effectum, seu privat participatione suffragiorum; et quamvis jam fruantur communione sanctorum, quæ in charitate fundatur, utpote quæ non dependet ex aliqua operantis intentione, sed ob charitatis naturam ex solo bonorum consortio ac societate consequitur : non tamen adhuc fruuntur suffragiorum, quæ Ecclesia per suos ministros pro suis membris offert, directe pro illis orando, et illis applicando sua merita de congruo, suas satisfactiones communes, sacrificia, etc., participatione. Unde

Dico 2 : Sacrificium missæ oblatum pro ejusmodi excommunicato, nihil illi prodesse ex parte intercessionis Ecclesiæ sive ad impetrandum, sive ad aliud; id est, talis oblatio ex ista parte est illi invalida, quia sacerdos nomine Ecclesiæ sic offerens, non solum male facit, sed etiam quoad hoc nihil facit, cum ipse tanquam Ecclesiæ legatus faciendo istam oblationem non possit extendere suam intentionem ultra intentionem principalis agentis, id est Ecclesiæ, quæ sua suffragia ejusmodi excommunicato ante censuræ, seu pœnæ impositæ absolutionem applicare non vult; itaque sacerdos ut minister Ecclesiæ pro illo orans, aut alia quævis suffragia offerens, nihil efficit, quod ei apud Deum possit esse alicujus fructus aut utilitatis spiritualis. Attamen,

Dico 3 : Si sacerdos in persona Christi, et ut minister a Christo deputatus ad hoc sacrificium offerendum et ad applicandum ejus fructum, illud sua propria intentione pro prædicto excommunicato jam justificato offerat, etiamsi peccet et illicite faciat, ejus tamen applicatio erit efficax etiam quoad fructum satisfactionis, si alter nullum aliud impedimentum habeat præter censuram : quia quando aliquis operatur ut minister alterius, propria ministri malitia non impedit actionis effectum, ut patet in administratione sacramentorum. Si autem ipse excommunicatus sic sacrificium pro se ipso offerret, fructum non perciperet, quia peccaret et peccando poneret obicem; secus si ex invincibili ignorantia id faceret.

Sect. V. — *An liceat privatas orationes, piaque opera seu privatas satisfactiones pro excommunicato offerre.*

Dico : Licitum est privatim pro excommunicato orare, propriam ac personalem satisfactionem pro illo offerendo eo modo quo inter Ecclesiæ membra fieri potest (D. Thomas, Durandus, Richardus, etc.) : quia Ecclesia id non prohibuit, ut praxis et consuetudo ostendunt, estque pietati ecclesiasticæ consentaneum. Unde licitum est sacerdoti, ut est privata persona, orare in missa pro excommunicato, nempe in illis partibus in quibus vel mentaliter orat, v. gr. in *Memento;* vel occulte et secreto. (Sylvester, Angelus, Sotus, Navarra, etc.) Probatur, quia sacerdos licet ministerium publicum exerceat, non desinit tamen esse privata persona, nec tenetur toto illo tempore ita gerere munus publicum, ut nequeat tanquam privata persona sive successivis morulis sive simul diversa intentione operari. Sicut ergo potest pro amicis vel aliis privatim orare; ita etiam pro excommunicatis, dummodo eos nominatim non exprimat in canone, vel in aliis orationibus publicis. Hoc enim prohibitum est ab Ecclesia; imo addunt Sylvester et Angelus licitum esse sacerdoti, dum publice orat nomine totius Ecclesiæ, simul intentione privata, et in propria persona eamdem petitionem facere pro excommunicato, dummodo exterius illum specialiter non nominet; quia non repugnat eamdem orationem duplici intentione et quasi in duplici sensu exterius proferre. Præterea Navarra ait licitum esse sacerdoti totum pium opus dicendi missam, cantandi vel orandi horas canonicas quatenus est proprium opus istius personæ privatæ, per quod habet suum meritum vel satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis, offerre privata intentione pro excommunicato; quia secundum illum respectum, illa oratio vel satisfactio est privata cujus applicatio voluntaria est, et de illa nulla facta est prohibitio. Hujusmodi autem oratio privata pro excommunicato, non est communicatio ex vi censuræ, nec proprie est communicatio cum illo, sed est quoddam opus eleemosynæ spiritualis ex privatis bonis.

DISPUTATIO DECIMA.

De secundo excommunicationis effectu, qui est privatio passivæ communicationis sacramentorum.

Sect. I. — *An graviter peccet excommunicatus quodlibet sacramentum suscipiendo, et quam pœnam incurrat.*

Dico 1 : Excommunicatus suscipiens sacramentum peccat mortaliter (D. Thomas, Bonaventura, Navarra), etc., quia id est graviter prohibitum in pœnam culpæ. Atque hæc assertio comprehendit quemlibet excommunicatum sive toleratum, sive non toleratum.

Dico 2 : Excommunicatus recipiens aliquod sacramentum nullam censuram aut inhabilitatem ecclesiasticam ipso facto incurrit, excepto sacramento

ordinis, excommunicatus enim ordinem recipiens, manet suspensus.

Sect. II. — *An ministri Ecclesiæ peccent dando sacramentum excommunicato, et quam pœnam incurrant.*

Dico 1 : Administrare excommunicato sacramenta, nulla interveniente excusatione justa, est ex suo genere peccatum mortale; sed quoties excommunicatus excusatur a culpa illud recipiendo, v. gr. ob necessitatem, etc., etiam minister excusatur a culpa illud ei administrando.

Dico 2 : Administrans excommunicato sacramentum, ob communicationem cum illo in sacris, incurrit excommunicationem minorem ; ex vi tamen excommunicationis nunc potest ; extrav. *Ad vitanda scandala*, non prohibentur ministri illud administrare excommunicato tolerato, adeoque sic administrantes nullam pœnam seu censuram incurrent; sed ordinarie peccabunt graviter contra jus divinum ac naturale, illud administrando indigno seu indigne petenti, utpote excommunicato; si tamen hic excommunicatus non peccet petendo ob justam causam, nec illi peccabunt administrando.

Sect. III. — *An sacramenta ab excommunicato recepta, rata et valida sint.*

Dico 1 : Omnia sacramenta, excepta pœnitentia, excommunicato data, valida sunt quoad substantiam; ac proinde ordo et confirmatio imprimunt characterem, sive cum peccato, sive absque peccato illa recipiantur. Imo si excommunicatus suscipiat sacramentum absque culpa cum justa excusatione, etiam gratiam recipiet. Sed excommunicatus ordinem suscipiens, est suspensus ab ejus usu; suscipiens tamen matrimonium non suspenditur ab ejus usu sive quoad cohabitationem, sive quoad petendum aut reddendum debitum, sed prius quam a censura absolvatur, non potest solemnem in ecclesia benedictionem recipere, ut habetur in cap. *Significasti.*

Dico 2 : Certum quidem est peccatum mortale in confessione, seu in susceptione sacramenti pœnitentiæ commissum, esse contra ejus substantiam, adeoque illud invalidum reddere; sed si excommunicatus ante censuræ absolutionem illud suscipiat sine peccato sive ob ignorantiam, sive ob necessitatem, confessario non potente ab ista excommunicatione absolvere, probabilius in isto casu sacramentum est validum, ita ut non oporteat confessionem iterare, habeatque suum effectum : ita Adrianus, Medina, Navarra, etc., contra Sylvestrum, Gabrielem, Sotum, etc. Probatur, quia per excommunicationem nihil tollitur quod sit de substantia sacramenti, non enim materia nec forma, nec intentio, nec jurisdictio tollitur. Ergo si ex parte suscipientis non interveniat aliud impedimentum, sola censura non potest sacramentum reddere irritum. Deinde uti dicitur in cap. 2 De constitut. : *Res quæ culpa caret, in damnum vocari non debet.*

Objicies 1 : Excommunicatus est præcisus ab Ecclesia; ergo non potest ab Ecclesia judicari aut absolvi. Respondeo : Distinguo antecedens. Est præcisus ab Ecclesia, id est, privatur communicatione bonorum et membrorum Ecclesiæ, concedo antecedens; est præcisus ab Ecclesia, id est Ecclesia amittit in illum jurisdictionem, nego. Est enim adhuc subjectus Ecclesiæ ratione characteris baptismalis.

Obj. 2 : Ecclesia illum separat a susceptione sacramentorum. Respondeo : Distinguo assumptum. Separat a susceptione sacramentorum, prohibendo, concedo; illa irritando aut tollendo jurisdictionem, nego.

Obj. 3 : Electio aut collatio beneficii facta excommunicato, est irrita; ergo multo magis sacramentum illi collatum, est irritum. Respondeo : Nego consequens. Potest in electione inveniri lex irritans; in sacramentali autem confessione non invenitur, quia fortasse electio non est ita necessaria ad salutem, sicut confessio.

Obj. 4 : Absolutio data ab excommunicato est irrita; ergo et recepta. Respondeo : Nego consequens, quia dum minister est excommunicatus, directe privatur jurisdictione; ideoque absolutio ab illo data, irrita et nulla est, etiamsi pœnitens sit bene dispositus : sed per excommunicationem pœnitentis, minister non est privatus sua jurisdictione; ideoque ejus absolutio est valida.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De tertio effectu excommunicationis, qui est privatio activæ administrationis sacramentorum, et sacrificii missæ.

Sect. I. — *An excommunicatus vitandus mortaliter peccet administrando sacramentum, vel sacrificium offerendo.*

Dico 1 : Generaliter loquendo excommunicatus peccat mortaliter administrando sacramentum aut celebrando, nisi excusetur ob invincibilem ignorantiam, aut naturalem oblivionem seu inadvertentiam. An autem etiam id possit ob necessitatem ortam ex parte ipsius administrantis, v. gr. ob gravem metum, ob infamiam, ob periculum mortis vicinæ, etc., dictum est supra, agendo de censuris in communi.

Dico 2 : Ob necessitatem provenientem ex parte proximi, si sit extrema, qualis est in parvulo non baptizato animam agente, quivis excommunicatus potest illi sacramentum baptismi administrare, ut omnes asserunt. An vero in aliqua alia proximi necessitate, possit illi aliud sacramentum conferre, controvertunt auctores. Quare

Dico 3 : Excommunicatus vitandus licite potest proximo in articulo mortis exsistenti administrare sacramentum pœnitentiæ, si nullus alius adsit sacerdos non excommunicatus. (Sylvester, Angelus, Durandus, Major, etc., contra Adrianum, Paludanum, Marsilium, etc.) Probatur, quia, licet excommunicatus vitandus sit privatus jurisdictione, tamen pro illo articulo ea non privatur : *ideo omnes*

sacerdotes, ait concilium Tridentinum (sess. 14, cap. 7), *quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt*. Nempe in illo articulo. Deinde adest tunc sufficiens necessitas, quæ ab ecclesiastica prohibitione excusat : sacramentum enim pœnitentiæ est per se medium necessarium ad salutem, et jure divino præceptum ; ergo præferendum est ecclesiasticæ prohibitioni. In casu autem in quo parochus sit excommunicatus, et adsit simplex sacerdos non excommunicatus, probabilius est hunc parochum tunc non posse pœnitentem absolvere. Et quamvis sacerdos foret hæreticus seu excommunicatus ob peccatum hæresis, potest tamen valide in isto articulo sacramentum pœnitentiæ administrare, ac licite, si conteratur. Hinc pœnitens constitutus in ea necessitate, secluso scandalo, licite petit absolutionem a tali sacerdote, quia non tenetur tunc illum vitare ; et aliunde petit actum quem ille exercere potest, tum valide, quia retinet jurisdictionem, tum licite si velit, quia potest ad fidem et pœnitentiam converti : ita communiter Paludanus, Sylvester, Durandus, etc., contra Glossam, Abbatem, etc. Ille enim sacerdos nec ob hæresim ut sic, nec ob excommunicationem in isto articulo privatur jurisdictione. Similiter

Dico 4 : Ob necessitatem articuli mortis hujusmodi excommunicatus potest homini in extrema illa necessitate exsistenti ministrare Eucharistiam, quando non est alius qui illam ministret ; tunc enim urget necessitas implendi præceptum divinum, quod est præferendum humano, et spitualis indigentia hominis in eo articulo constituti. Hermenigildus noluit accipere Eucharistiam ab episcopo excommunicato et hæretico, ne videretur tum illi tum patri in hæresi consentire ; deinde Hermenigildus non supponebatur in articulo mortis. Et dum generaliter prohibetur communicatio cum excommunicatis, excipitur semper sufficiens utilitas, etc., ut habetur in hoc versu :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Quod attinet ad alia sacramenta, cum non sint ita necessaria, vix aut nunquam potest accidere casus, in quo ob necessitatem suscipientis licitum sit excommunicato vitando illa administrare, nisi forte quod possit in articulo mortis assistere matrimonio, quo quis ducat concubinam in uxorem ad vitanda magna mala.

Sect. II. — *An sacramenta illicite ab excommunicato administrata, valida sint, et effectum habeant.*

Dico 1 : Omnia sacramenta, præter pœnitentiam, ab excommunicato collata, servato Ecclesiæ ritu, ita ut nullus alius defectus interveniat nisi ministri excommunicatio, rata sunt ac valida, et per se loquendo conferunt totum suum proprium effectum, si ex parte recipientium non ponatur obex : v. gr. baptismus, confirmatio, Eucharistia ac missæ sacrificium, matrimonium, sunt valida uti et extrema unctio ac ordo. Unde dum Gregorius (lib. III, epist. 20), agens de ordinatione facta ab excommunicato dicit : « Consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicato est hominibus celebrata, » non intelligit hominem sic ordinatum, non esse vere ordinatum et consecratum, sed eum non admitti ab Ecclesia ad gradum et exsecutionem ordinum susceptorum. Quia pro his omnibus non requiritur jurisdictio, sed sola ordinis potestas. Sic solemnis nuptiarum benedictio et alia ejusmodi sacramentalia ab Ecclesia introducta, quæ non requirunt jurisdictionem, sed solum potestatem ordinis, dum fiunt ab excommunicato habente ordinem requisitum, et servante ritum præscriptum, sunt rata et valida. Sed

Dico 2 : Sacramentum pœnitentiæ ab hujusmodi excommunicato vitando collatum extra casum extremæ ipsius pœnitentis necessitatis, non est validum (Covarruvias, Navarra, etc.) ; quia si minister hujus sacramenti non habeat jurisdictionem, non conficit illud. Iste autem excommunicatus est privatus omni jurisdictione, ut postea dicetur ; ergo, etc. Si quis tamen ob ignorantiam invincibilem ortam ex communi et publica existimatione, qua creditur illum non esse excommunicatum, bona fide suscipiat ab eo sacramentum pœnitentiæ, tunc videtur esse validum, quia Ecclesia in tali casu ob bonum commune illi supplet seu confert jurisdictionem ; secus si ista ignorantia oriatur ex solo privato ac particulari errore : tunc enim iteranda est confessio.

Sect. III. — *Quam pœnam incurrant excommunicati ministrantes sacramenta, vel qui ab illis ea recipiunt.*

Dico 1 : Excommunicatus ministrans ex officio quodvis sacramentum, aut missæ sacrificium celebrans, ipso facto fit irregularis. Habetur ex cap. *Si quis* 4, 11, quæst 3, et cap. 15 *Cui*, De sent. excom., in 6. Excipe si administrando sacramentum aut celebrando non peccet mortaliter ob sufficientem excusationem, v. gr. ob ignorantiam inculpabilem. Si tamen hæc ignorantia aut quæcunque alia occasio non excusat a culpa mortali, non impedit quominus hæc irregularitas contrahatur. Dum quis autem est dubius de sua excommunicatione ministrando sacramentum, si postea constet non fuisse excommunicatum, certum est non incurrisse irregularitatem : sed si postea constiterit fuisse excommunicatum, et cum tali dubio peccarit mortaliter ministrando sacramentum, tunc incurrit irregularitatem, secus vero si non peccarit mortaliter.

Dico 2 : Excommunicatus mortaliter peccando, ministrans quodvis sacramentum, ad quod requiritur aliquis ordo, fit irregularis ; cum ergo ad baptismum privatum conferendum non requiratur ordo, ideo privatim illum conferendo non fit irregularis. Conferendo autem sacramentum pœnitentiæ, si valide absolvat, et absolvendo peccet, fit irregularis ; si vero invalide et habeat intentionem absolvendi, licet non conficiatur sacramentum, pro-

babilius tamen fit etiam irregularis : sicuti fieret irregularis, si absolutio esset nulla ex defectu contritionis pœnitentis; quia fungitur quantum in se est sua potestate ordinis et jurisdictionis contra prohibitionem sub pœna irregularitatis. Sic fit irregularis, qui intendit rebaptizare, licet nullum efficiat baptismum. Non fit tamen irregularis qui assistit matrimonio, quia ibi nullum ordinis sacerdotalis actum exercet; sed fit irregularis, qui solemnem dat benedictionem nuptialem, quia illa requirit ut detur a sacerdote tanquam proprio ministro ratione sui ordinis; similiter fit irregularis qui solas baptismi solemnes cæremonias sine ejus substantia administrat, uti et ille qui dispensat Eucharistiam vel communicantibus in ecclesia, vel eam deferendo ad ægros. Ista enim sunt propria sacerdotis ministeria graviter excommunicatis prohibita. Idem dic de diacono Eucharistiam ministrante. Ab hac irregularitate jure communi solus papa potest dispensare; si autem proveniat ex occulto delicto per episcopum potest tolli.

Dico 3 : Qui sacramentum suscipit ab excommunicato vitando, peccat graviter et incurrit excommunicationem minorem ob communicationem cum illo in divinis; non tamen irregularitatem, excepta susceptione sacramenti ordinis, in qua præter minorem excommunicationem incurritur vel irregularitas vel suspensio, de qua postea.

Sect. IV. — *An excommunicatus non vitandus, valide et licite possit sacramentum ministrare.*

Dico 1 : Ex vi excommunicationis excommunicatorum toleratorum seu non vitandorum, non est nunc prohibitum fidelibus, ne ab ipsis sacramenta recipiant, prout ex his extrav. *Ad evitanda* verbis habetur : *Indulgemus ut nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscunque divinis vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, vel censuræ*, etc., *teneatur abstinere, aut aliquem vitare* (Sotus, Covarruvias, Victoria). Nec tantum licitum est ab eis recipere, sed etiam licitum est petere, seu non est prohibitum ex vi istius censuræ, aut juris positivi. Unde

Dico 2 : Hujusmodi excommunicatis ex vi suæ censuræ non est simpliciter prohibitum ministrare sacramento eo modo quo excommunicatis vitandis prohibitum est. Cum enim fidelibus sit concessum ut licite possint sacramenta ab illis recipere et petere, cumque non possint id licite facere simpliciter, nisi illi possint etiam ministrare (frequenter enim hoc esset malum ob cooperationem vel inductionem ad malum), hinc fit ut istis excommunicatis tolerandis sit etiam concessum, ut licite possint sacramenta ministrare, non quidem in ipsorum favorem, sed aliorum fidelium ; quia si nunquam illi licite possent sacramenta ministrare, nunquam etiam fideles possunt licite ab illis ea petere aut recipere, quamvis essent ad ministrandum expositi. Sacerdotes igitur habentes jurisdictionem ad sacramenta ministranda, non illa privantur absolute ob ejusmodi excommunicationem non denuntiatam. Quod patet in administratione sacramenti pœnitentiæ ad quod requiritur jurisdictio ; hoc enim sacramentum pœnitentiæ ab ejusmodi excommunicato tolerato collatum, per se loquendo, est validum, id est, dummodo non habeat defectum essentialem in forma, vel materia, vel intentione ministri : ita communiter theologi Covarruvias, Adrianus, Cajetanus, Navarra, etc. Cum enim Ecclesia juxta extrav. *Ad evitanda*, concedat fidelibus ut non teneantur vitare hujusmodi excommunicatos in usu sacramentorum, sequitur ipsum istis excommunicatis relinquere potestatem necessariam ad sacramenta conficienda ; atqui jurisdictio est necessaria ad conficiendum sacramentum pœnitentiæ ; ergo illam relinquit. Attamen non licet hujusmodi excommunicatis sese ingerere, aut quasi invitare ad sacramenta ministranda : quia non illis concessum est ut non teneantur alios vitare, cum per illam extrav. nullus favor sit eis concessus, sed solum aliis concessum est ut non teneantur illos vitare ; ideoque excommunicati possunt eos admittere ut secum communicent, si velint. Unde

Dico 3 : Quando excommunicatus toleratus non se ingerit, sed alius ab ipso petit sacramentum, si hoc ita pertineat in favorem petentis, ut sit vel necessitas vel magna utilitas ab eo conferri sacramentum, tunc poterit illi sacramentum sine peccato conferre, supposito quod non possit prius hic et nunc censuræ suæ absolutionem habere, et sit in statu gratiæ; nec adsit sacerdos alius non excommunicatus qui id præstet : v. gr. si parochus qui ex officio tenetur ministrare sacramentum subdito qui ab illo petit illud, nec vult alteri confiteri ob justas causas, tunc parochus, licet sit excommunicatus toleratus, poterit petenti licite sacramentum dare ; quia petit ille suum jus, ideoque in favorem ejus pertinet ut ei detur. Similiter sit sacerdos qui ex officio non tenetur ministrare sacramentum, si alius ab ipso illud petat cum sufficienti necessitate, tunc licitum est etiam illi dare. Idem probabilius dic de parocho et non parocho pro celebratione missæ, dum id ab ipsis petitur. Dum isti licite celebrant aut sacramentum ministrant, nullam pœnam aut irregularitatem incurrunt ; secus vero, si illicite, non minus quam excommunicati vitandi.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De quarto effectu excommunicationis, qui est privatio divinorum officiorum et aliarum rerum sacrarum.

Sect. I. — *An excommunicatus privetur omni participatione externa sacrificii missæ, et sub qua pœna.*

Dico 1 : Excommunicatus ex vi censuræ directe prohibetur, ne sacro intersit aut inservire possit, casu tamen quo sacerdotem oporteat celebrare, et non habeat ministrum nisi hujusmodi excommunicatum toleratum, tunc videtur licitum esse isti sa-

cerdoti inducere alium ut sibi ministret, quia non tenetur illum vitare, et aliunde habet sufficientem causam petendi ab eo tale ministerium ; ac proinde iste excommunicatus tunc non peccabit ministrando, cum ministret in alterius favorem. Excommunicatus communicans cum aliis in celebratione missæ, nullam pœnam nec excommunicationem minorem incurrit, neque eam incurrit ipse audiendo missam ; juxta communem tamen sententiam, quando ipse non tantum audit, sed etiam auctoritate sua efficit ut missa coram ipso celebretur, probabilius irregularitatem incurrit, si nempe sit sacerdos.

Dico 2 : Sacerdos non excommunicatus celebrans coram excommunicato vitando graviter peccat ob communicationem cum illo in divinis graviter prohibitam, ac excommunicationem minorem incurrit. Potest autem celebrare coram excommunicatis toleratis, non enim tenetur illos vitare, et quamvis ipsi peccent assistendo, qui celebrat non peccat, nec communicat illorum peccato, nisi forte illos induceret sine necessitate aut gravi causa.

Dico 3 : Si ante missæ inchoationem adveniat excommunicatus vitandus, omittenda est missa ; si post inchoatam missam, urgendus ut exeat, aut etiam expellendus ; si expelli nequeat, et canon nondum sit inceptus, omittenda est missa. Si jam sit inceptus, aut juxta quosdam si sit incepta consecratio, perficiendum est sacrificium usque ad sumptionem specierum inclusive, omnesque assistentes debent exire excepto solo ministro qui sacerdoti inservit, ut in divinis cum excommunicato non communicent ; si nempe audiatur cum illo eadem missa, secus si diversa : peracta sumptione sacramenti, recedat sacerdos in sacristam aut in alium locum convenientem, ut reliquum missæ ibi perficiat.

Sect. II. — *Quænam sint alia divina officia quibus excommunicatus privatus est, et sub qua pœna.*

Dico 1 : Hæc alia divina officia, sunt horæ canonicæ, quæ in ecclesia publice recitantur, publica supplicatio, publica oratio, solemnis benedictio candelarum, olivarum, aquæ, etc. Sacra autem concio non venit sub nomine divini officii, eique adesse potest excommunicatus ; concionari tamen prohibetur, nempe excommunicatus vitandus, quia toleratus concionari poterit in aliorum favorem illis petentibus, non in suum favorem se ingerendo. Quoad sacram theologiæ aut sacræ Scripturæ lectionem, est excommunicato prohibita. Itaque

Dico 2 : Prohibetur sub peccato mortali excommunicatis clericis ne solemniter et tanquam ministri proprii ministrent in aliquo officio sacro ad suum ordinem spectante, neque in aliqua ejus parte, aut laicorum more ad ejusmodi officia cooperentur. (D. Thomas, Gabriel, Durandus, etc.) Si ista exerceant solemniter ut ministri ex officio, incurrunt irregularitatem, si tantum more laicorum ad illa concurrant, incurrunt duntaxat excommunicationem minorem. Sub nomine *clericatus*, hic non comprehenditur prima censura. Deinde cum clerici in solis minoribus ordinibus constituti vix aliquid tam in substantia quam in modo faciant quod a laicis fieri non consueverit sine culpa, ideo dum excommunicati sunt, suum ministerium exercendo raro vel nunquam hanc irregularitatem incurrunt. Sed subdiaconus et diaconus exercendo suum officium in missa solemni, sacerdos benedicendo ritu præscripto, cereos, olivas, etc., incurrunt hanc irregularitatem.

Dico 3 : Excommunicatus, qui antea tenebatur horas canonicas recitare, ob excommunicationem non liberatur ab illarum recitatione ; non potest tamen illas recitare publice, sed tantum private, et loco *Dominus vobiscum*, debet dicere, *Domine, exaudi orationem ;* alioqui fieret irregularis, si nempe illud diceret ex culpa mortali. Et probabilius non potest illas privatim recitare cum alio, nisi fortasse esset ejus famulus, quocunque antea solebat illas recitare, sic tamen recitando, non incurrit irregularitatem, nec videtur esse hoc materia gravis peccati. Hinc episcopus vel abbas benedictus, exercendo actum sui ordinis, v. gr. benedicendo calices, vestimenta sacra, patenas, etc., fiunt irregulares. Denique in omnibus officiis divinis prohibita est quævis communicatio cum prædictis excommunicatis vitandis, sive coram illis publice ea celebrando, sive coassistendo, etc.

Sect. III. — *An excommunicatus omni sacrarum rerum aut sacramentalium usu sit privatus.*

Dico : Excommunicatus, non obstante censura, potest licite uti rebus sacris, v. gr. imagine, sacris reliquiis, aqua benedicta, etc., quatenus privatæ devotioni ac cultui deserviunt, item potest ingredi templa quando officia ecclesiastica non celebrantur, ibique privatim orare ; sed quatenus res sacræ ad specialem fructum spiritualem ex merito vel applicatione Ecclesiæ percipiendum ordinantur, earum usu privatus est : v. gr. si ex concessione pontificis per orationem coram tali imagine factam, applicentur ultra omne opus operantis tot anni indulgentiæ, est privatus seu non fruitur ista gratia, etiamsi coram ea oret ; et si res sacra non haberet alium usum nisi ad lucrandam indulgentiam, non posset licite illa uti.

Sect. IV. — *An excommunicatus privetur sepultura ecclesiastica et omni alio honore ecclesiastico.*

Dico 1 : Si excommunicatus moriatur ante censuræ suæ absolutionem, ejus corpus non potest licite ecclesiasticæ sepulturæ tradi, seu in sacro loco tumulari ; si sit mortuus cum magnis contritionis signis, debet absolvi a censura, antequam corpus in sacro loco tumuletur, si excommunicati corpus in sacro loco tumulatum fuerit, debet exhumari, et locus reconciliari aspergine aquæ solemniter benedictæ ; ante hanc reconciliationem non possunt ibi fideles sepeliri, nec divina officia celebrari. Hæc quidem assertio, juxta antiqua jura, de quibusvis excom-

municatis procedit ; sed nunc post extrav. *Ad evitanda*, solum habet locum in excommunicatis vitandis : quia prohibitio non cadit proprie in excommunicatos, ipsi enim non possunt se sepelire, sed cadit in alios fideles ne corpora eorum sepeliant ; quod non aliter eis prohibetur, quam omnis alia communicatio cum excommunicato. Jam vero post dictam extrav. non tenentur fideles vitare excommunicatos toleratos etiam in rebus sacris, ideoque nunc non polluitur ecclesia per eorum sepulturam : nec olim privandi erant sepultura ante sententiam declaratoriam. Per *locum* autem *sacrum* intelligitur templum cum ejus cœmeterio, imo et quivis locus non benedictus auctoritate pastorum destinatus fidelium sepulturæ, uti et quivis in quo solet dici missa, licet non sit benedictus.

Dico 2 : Qui excommunicatum vitandum scienter ausu temerario præsumunt sepulturæ ecclesiasticæ tradere, aut tradendum sua auctoritate et imperio curare, non tantum graviter peccant, sed etiam excommunicationem majorem ipso jure incurrunt : non videntur tamen hanc incurrere qui solum funus comitantur, vel etiam qui cantant, crucem aut lumina deferunt, vespiliones, fautores, etc. Hinc ejusmodi excommunicatus privatur, seu privandus est omni ecclesiasticæ sepulturæ honore ; nec clerici pro eo possunt eleemosynas seu oblationes recipere.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA.

De quinto effectu excommunicationis, qui est inhabilitas ad ecclesiastica beneficia percipienda vel eorum fructus.

Sect. I. — *An aliquis per excommunicationem fiat incapax beneficii et dignitatis ecclesiasticæ.*

Dico 1 . Excommunicatus non privatur ipso facto beneficiis jam obtentis, dignus tamen ob contumaciam privari ; sed fit inhabilis ad ea postea obtinenda, ita ut beneficii collatio excommunicato facta excommunicatione durante sit omnino invalida, in cap. *Postulastis*, De cleric. excomm., etiamsi suam excommunicationem ignoravisset ac bona fide illud accepisset : quod intelligendum est de quovis officio et dignitate ecclesiastica, etiamsi ad tempus solummodo concedatur, v. gr. de munere administratoris episcopatus, de triennali munere prælati in religione, etc. Sub nomine collationis beneficii, comprehenditur electio, præsentatio, nominatio, commenda et pensio perpetua quæ datur in titulum beneficii ; quin et juxta probabiliorem sententiam pensio temporalis, quam sine spirituali titulo superior pro sua auctoritate concedit ob diversas causas. Unde illicitum est dare excommunicato pensionem sive temporalem sive perpetuam, ac proinde huic illam recipere illicitum, quia assignatio pensionis ecclesiasticæ est quædam ecclesiastica et spiritualis cum excommunicato communicatio, et istius pensionis fructus sunt relative aliquid spirituale quatenus sunt bona Ecclesiæ et Deo dicata. Unde

Dico 2 : Resignatio beneficii in favorem excommunicati facta, est nulla, excommunicatus enim est incapax acquirendi beneficii, et juris ad illud : uti et impetratio beneficii ab excommunicato obtenta, ipso jure, est etiam nulla, est enim inhabilis ad illud impetrandum. Imo etiam si papa proprio motu absque petitione beneficium conferat alicui qui excommunicatus est, collatio est invalida, si ignorabat eum esse excommunicatum, quia tunc non censetur cum eo dispensare, nec eum absolvere.

Dico 3 : Excommunicatio post beneficii collationem et ante acceptationem subsecuta, non tollit nec minuit præcedentis collationis efficaciam, seu quodcunque jus ad rem, quod potuit sola collatio ante acceptationem dare. Sed excommunicatus acceptans beneficium ante excommunicationem sibi collatum, durante excommunicatione non acquirit plus juris quam antea habebat ; conferens autem excommunicato beneficium , et excommunicatus illud acceptans, uterque peccat mortaliter. Hic nomine excommunicati intelligitur non tantum vitandus, sed etiam non vitandus cujuscunque conditionis ac dignitatis sit ; collatio enim beneficii facta excommunicato non vitando, est nulla tam ex parte excommunicati quam ex parte collatoris, eligentis indignum et incapacem, et cui extrav. *Ad evitanda* nullum favorem tribuit ; ipseque conferens incurrit suspensionem in cap. *Postulastis*. Quod attinet ad dispensandum in collationis defectu, generaliter loquendo, videtur is posse istum defectum dispensando supplere, qui potestatem habet beneficium conferendi cum jurisdictione episcopali conjunctam, ita ut si papa aut episcopus beneficium contulerit, ipse qui contulit, possit dispensare, etc.

Sect. II. — *An excommunicatus ecclesiasticis fructibus sit ipso jure privatus.*

Dico 1 : Excommunicatus sive vitandus sive toleratus, quandiu in excommunicatione perseverat, beneficii vel beneficiorum legitime ante excommunicationem possessorum fructus non facit suos, ipso facto ante omnem judicis sententiam, ita ut teneatur in conscientia seipsum spoliare his fructibus, eos non recipere, acceptos restituere, etiamsi neque a judice spolietur, neque per ullam sententiam id declaretur, quia nemo potest accipere aut retinere quod suum non est ; per legem enim ecclesiasticam illis ipso facto privatur, sic enim habetur in cap. *Pastoralis*, De appellat. : *Illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur cui Ecclesiæ communio denegatur*. Imo neque propter indigentiam, durante contumacia, potest se istis beneficii fructibus alere, nec tunc tenetur superior ex illis eum alere, nec debet ; secus vero, dum cessat contumacia, et procurat absolutionem, quæ differtur. Circa restitutionem istorum bonorum seu fructuum injuste usurpatorum, servandæ sunt generales regulæ de obligatione restituendi aliena ; interdum tamen facilius in his, quam in aliis rebus,

interveniunt causæ excusantes a tanto rigore restitutionis.

Dico 2 : Sub nomine fructuum restituendorum intelliguntur omnes fructus qui spirituali titulo annexi sunt, aut ex propriis Ecclesiæ bonis proveniunt, nempe principalis præbenda, quotidianæ distributiones, fructus decimarum, oblationes a fidelibus factæ, pensiones et alia ejusmodi. Reliqui autem proventus quos habere potest sine titulo beneficii, vel ex patrimonio vel aliunde, sub illis non comprehenduntur : hi autem fructus restituendi sunt juxta eorum institutionem et Ecclesiæ consuetudinem, v. gr. si canonicus horis canonicis non assistat, ejus portio solet aliis qui assistunt, accrescere, et inter eos dividi ; quanto ergo magis id faciendum est, dum quis ob excommunicationem neque adesse, neque distributiones potest accipere. Hinc concilium Tridentinum (sess. 22, cap. 3, *De reform.*) statuit, ut qui non residerit, distributiones illius diei amittat, et fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarii applicentur. Ubi ergo id observatur, idem dic de distributionibus quas excommunicatus amittit ; atque ita generaliter hujusmodi distributionum fructus, quos excommunicatus amittit, applicandi sunt ei, cui applicari solent, quotiescunque amittuntur a non residente ob quamcunque aliam causam, etc.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA.

De sexto effectu excommunicationis, qui est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ.

Sect. I. — *An excommunicatus ita sit privatus spirituali jurisdictione fori contentiosi, ut omnis ejus actio ipso facto irrita sit.*

Dico : Usus prædictæ jurisdictionis est prohibitus excommunicato ; habetur ex cap. *Audivimus* 24, quæst. 1, ubi dicitur excommunicatus non posse alium excommunicare ob defectum jurisdictionis ; ac proinde omnes istius jurisdictionis actus sunt illi prohibiti, v. gr. præcipere, leges ferre, in votis dispensare, facultatem dare ad exercendum munus ecclesiasticum, indulgentias dare ; adeoque peccat graviter eos exercendo, etiam excommunicatus toleratus. Jurisdictio autem delegata ante excommunicationem delegantis, ob supervenientem excommunicationem, suspenditur si res sit integra ; secus vero, si res jam sit inchoata. Hi actus exerciti ab excommunicato vitando, non tantum sunt illiciti, sed etiam invalidi ; secus vero ab excommunicato tolerato, et licite quidem, si fiant in favorem alterius jus suum petentis. Imo et validi etiam sunt actus excommunicati vitandi, si sit occultus, aut ignoretur illum esse excommunicatum ; idque concessum est ob publicam reipublicæ vel Ecclesiæ utilitatem. Colligitur ex cap. *Ad probandum*, De re judic., et ex cap. *Audivimus* 24, quæst. 1.

Sect. II. — *An excommunicatus sit privatus beneficiorum collatione, et omnibus actibus illam concernentibus.*

Dico 1 : Quivis excommunicatus publicus, juxta jus antiquum, non potest licite nec valide conferre beneficium ecclesiasticum ; secus vero juxta jus novum extrav. *Ad evitanda*, excommunicatus toleratus etiam publicus, si id conferat ad petitionem alterius, et in ejus favorem tantum ; et tunc non tantum valide, sed etiam licite conferet. Nomine *beneficii* intelligitur omne id, quod proprie hac voce significatur.

Dico 2 : Electio ad beneficium ab excommunicato vitando facta, irrita est ac nulla. Hinc quando ad valorem electionis, requiritur certus eligentium numerus qui completur per excommunicati suffragium, aut quando requiritur omnium eligentium consensus inter quos est unus excommunicatus, tunc electio est invalida ac nulla. In electionibus autem, quæ nec certum numerum eligentium, nec omnium consensum requirunt, sed solum majorem, aut duas partes suffragiorum, tunc si excessus suffragiorum ex parte electi tantus sit, ut, licet eis adjungantur suffragia excommunicatorum, adhuc tamen supersit sufficiens numerus ad electionem complendam, tunc videtur electio esse valida non obstante excommunicatorum interventu. Si autem excessus seu numerus suffragiorum non est tantus, ut, ablato uno vel altero suffragio juxta numerum excommunicatorum, reliqua non sufficiant ad complendam electionem, si sit publica electio, scietur pro quo excommunicati dederint suffragia ; si sit secreta, tunc est invalida. Atque hæc intellige de solis excommunicatis vitandis. Cum enim electores non teneantur alios vitare, si eos voluntarie admittant ad simul eligendum, non solum erit valida electio, sed etiam ipsi nihil in eo peccabunt ob extrav. *Ad evitanda*. Nota electionem summi pontificis, licet foret facta ab excommunicatis, esse validam (Clem. *Ne Romani*, *cæterum*, De elect.).

Dico 3 : Præsentatio ad beneficium non tantum est illicita cuivis excommunicato, sed etiam invalida ab excommunicato vitando clerico facta ; a laico facta autem videtur ita esse sufficiens, ut, si episcopus velit illam admittere, præsentatumque instituere, institutio et collatio sit valida : potest tamen illam rejicere, nec tenetur admittere. Et quamvis præsentans esset excommunicatus toleratus, non potest tamen cogere episcopum, ut admittat ab ipso præsentatum, quia extrav. *Ad evitanda*, nullum favorem illi tribuit : potest tamen episcopus licite illam admittere, quia non tenetur vitare excommunicatum toleratum. Imo quamvis excommunicatus sit vitandus, si episcopus acceptet ejus præsentationem, nempe illicite ob communicationem cum illo, valide tamen præsentatum instituet, seu beneficium illi conferet ; deficiente enim patroni præsentantis jure ac potestate, totum jus ac potestas ad episcopum devolvitur. Idem dic de nominatione, postulatione, etc.; sed actus quo beneficii possessio præcise datur, ab excommunicato factus, si ad hunc non sit opus jurisdictione, est validus ; quia per istam possessionem non datur aliquod jus, sed tantum datur alicui id quod suum est. Similiter si excommunicatus resignet suum

beneficium, ita ut prælatus libere possit illud dare ei cui voluerit, ista resignatio est valida, quia sic non concurrit ad beneficii collationem, sed tantum se spoliat suo bono, quod facere potest. Si autem resignet determinate in favorem tertiæ personæ, illam designando, ita ut alteri nequeat dari, tunc quia aliquo modo concurrit ad collationem beneficii, ista resignatio est invalida, nempe facta ab excommunicato vitando ; de non vitando, suum beneficium resignante idem esto judicium ac de excommunicato non vitando præsentante, ut jam diximus.

DISPUTATIO DECIMA QUINTA.

De septimo effectu excommunicationis, qui est privatio civilis communicationis, in quo plures includuntur.

Sect. I. — *An excommunicatus privatus sit omni civili communicatione.*

Dico : Excommunicatus est privatus omni civili communicatione aliorum fidelium per se loquendo, exceptis tantum casibus in jure expressis. Actiones ad hanc communicationem spectantes, quæ sunt prohibitæ, in hoc versiculo continentur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *os* intelligitur osculum pacis, et quodvis amicitiæ signum, confabulatio, communicatio per litteras, per nuntium, per nutus. De voce *orare*, id est, de communicatione spirituali, jam dictum est supra.

Per *vale* intelligitur omnis salutatio honorifica, salutatio autem vel resalutatio sine verbis juxta Angelum, Sotum, etc., non prohibetur. Hoc consuetudo fortasse obtinuit. Collocutio autem facta qua excitatur excommunicatus ad resipiscentiam, licita est.

Per vocem *communio* intelligitur cohabitatio, et operatio aut societas in negotio gerendo, conversatio, contractus.

Per vocem *mensa* intelligitur simul comedere aut bibere, simul dormire, simul hospitari.

Sect. II, III, IV. — *An et quale sit peccatum civilis communicatio cum excommunicato; et quibus modis a peccato excusetur.*

Dico 1 : Certum est, per se loquendo, hanc communicationem tam ex parte excommunicati cum alio, sive non excommunicato, sive excommunicato, quam ex parte non excommunicati cum excommunicato, esse aliquod peccatum ; videtur tamen ordinarie esse tantum veniale, quia materia levis. Qui tamen in crimine criminoso, id est in contumaciæ excommunicati quæ est crimen mortale, communicaret, eique cooperaretur, peccaret mortaliter, et incurreret excommunicationem majorem ex constitutione juris in cap. *Nuper*, De sentent. excomm. Deinde peccaret etiam mortaliter, si quis communicaret cum excommunicato ex contemptu clavium Ecclesiæ, si communicaret animo communicandi perseveranter et quasi ex habitu ac semper, si communicaret dum censura specialiter lata est contra participantes seu communicantes. Ex his exponi et solvi possunt quidam textus juris canonici qui volunt esse peccatum mortale communicare cum excommunicato.

Dico 2 : In prædicta communicatione, causæ quæ a culpa excusant, hoc versiculo comprehenduntur :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Itaque 1° est ignorantia inculpabilis sive facti sive juris ; qui autem dubitat aliquem esse excommunicatum, regulariter loquendo non tenetur illum vitare, in dubio enim melior est conditio possidentis ; imo qui scit esse excommunicatum, sed dubitat an denuntiatus sit, non tenetur illum vitare. 2° Necessitas simpliciter, sive illa ad animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad alia temporalia bona non parvi momenti pertineat. 3° Est utilitas sive necessitas ad melius esse : v. gr. si æger indigeat morbi curatione, potest medicum excommunicatum advocare, si eum magis idoneum judicet. Item potest ab illo stipem petere, si egeat, aut necessaria emere, si aliunde habere nequeat vel certe non æque utilia ; similiter ab eo debitum petere. Nec tantum ob nostram, sed etiam ob ipsius excommunicati utilitatem seu necessitatem ad melius esse licitum est cum illo agere, v. gr. eum hortando ad resipiscentiam, dando ei stipem, etc. Licitum est etiam ipsi excommunicato ob suam similem necessitatem cum aliis agere.

Dico 3 : Uxor non tantum licite potest, sed etiam tenetur cohabitare cum marito excommunicato et ei debitum reddere ; nec tantum quoad actum conjugalem, sed etiam quoad alias actiones et obsequia, ac denique quoad totam hanc usualem communicationem ; nisi juxta probabiliorem sententiam matrimonium cum jam excommunicato, scienter contraxisset. Si autem bona fide contraxisset ignorans esse excommunicatum, potest cum eo cohabitare, sicut jam dictum est. Similiter quæ nupsit excommunicato non vitando seu tolerato, postea si denuntietur et fiat vitandus, debet illi cohabitare. Hinc uxor non solum reddere, sed etiam petere debitum a marito excommunicato potest ; similiter hic non tantum reddere, sed etiam petere probabilius potest, et in judicio exigere ut secum cohabitet. Omnia quæ dixi de uxore non excommunicata erga maritum excommunicatum, eadem dic de marito non excommunicato erga uxorem excommunicatam. Denique si uterque sit excommunicatus, non privantur mutua communicatione, modo per hanc alter alterius non foveat contumaciam.

Sect. V. — *An personæ subjectæ excusentur a culpa communicando civiliter cum suis superioribus excommunicatis, et contra.*

Dico 1 : Filii sive legitimi, sive illegitimi, nondum emancipati, possunt communicare cum parentibus excommunicatis, uti gener et nurus cum socero et socru excommunicatis si sint commensales ; et idem dic de nepote et pronepote respectu avi, et de adoptivis filiis si sint sub cura parentum et commensales. Cum autem isti filii et similes sunt emancipati, nec amplius commensales, videntur non posse amplius communicare cum parentibus excommunicatis in iis quæ sunt propria filiorum sub patria potestate

exsistentium; sed tantum in iis quæ sunt propria filiorum, ut sic, v. gr. salutare, obedire, signum amoris exhibere. De pupillo respectu tutoris qui patris vicem gerit, idem dic ac de filiis, sive quando est sub ejus cura ac commensalis, sive quando est separatus.

Dico 2 : Servi et ancillæ, aliique servientes ac coloni possunt communicare cum dominis suis excommunicatis. Item superior excommunicatus cum inferiori non excommunicato, uti et superior non excommunicatus cum inferiori excommunicato communicare potest. Item dic de communicatione inferioris cum superiore. Similiter inferiores ejusdem familiæ, si quis eorum sit excommunicatus, possunt eam inter se habere communicationem, quæ moraliter non potest vitari, supposita cohabitatione et communicatione cum eodem superiore, etiamsi in jure, seu in cap. *Quoniam multos*, id privilegium non sit illis directe et per se concessum.

Sect. VI, VII. — *An subjecti temporali aut spirituali alicujus excommunicati jurisdictioni possint cum illo licite communicare.*

Dico 1 : Temporaliter subditi non possunt, per se loquendo, communicare cum suis dominis excommunicatis, nisi in iis quæ spectant ad ejus dominium et ad tributa aut servitia, quæ illi respondent, exhibenda.

Dico 2 : Spiritualiter subditi, per se loquendo, non possunt cum suis superioribus excommunicatis communicare, v. gr. clerici cum episcopo excommunicato; nec superiores excommunicati cum illis, quia prælati excommunicati sunt privati omni spiritualis jurisdictionis usu, et tunc subditi privantur omni proportionatæ subjectionis usu. Hinc monachi quatenus subditi cum suo prælato excommunicato quatenus prælato, communicare non possunt, quia ipse nullum prælati actum exercere potest, possunt tamen sine dubio cum illo quatenus est talis persona, cohabitare, sed non aliter communicare cum illo, quam cum alio ejusdem domus religioso, si foret excommunicatus. Hæc autem omnia intellige de excommunicando vitando. Superior excommunicatus non vitandus retinet tantum suam jurisdictionem in iis quæ pertinent ad subsidium aut levamen eorum qui cum eis communicare et ad eos recurrere volunt, v. gr. in foro pœnitentiæ, non vero in iis quæ ad eorum onus et gravamen pertinent.

Sect. VIII. — *An ratione cujusvis contractus licita sit communicatio externa cum excommunicato.*

Dico 1 : Dum contractus factus est ante excommunicationem, licita est creditori excommunicati omnis actio etiam in judicio et communicatio, quæ ad debitum exigendum necessaria est, etiamsi debitor sit denuntiatus vel utilis est; adeoque contractus societatis et similes cum aliquo initi ante excommunicationem, ob supervenientem excommunicationem non impediuntur quominus impleantur. Creditor vero excommunicatus, licet privetur actione petendi suum debitum in judicio, non videtur tamen illi prohibitum ne privatim et communi modo illud a suo debitore exigat, quando tempus est expletum, pro quo alter solvere tenetur. Non enim privatur suo jure ob excommunicationem; unde probabilius tenetur debitor tunc illi debitum persolvere.

Dico 2 : Non licet contractum ullum inire cum eo qui jam est excommunicatus denuntiatus, exceptis necessitatis casibus, de quibus supra; secus vero, cum eo qui non est excommunicatus denuntiatus, quia, quamvis non liceat excommunicato contractum inchoare vel ad illum invitare, aliis tamen non excommunicatis licet illum invitare, et tunc ei licitum est etiam contrahere. Contractus vero initi cum excommunicato denuntiato, licet illiciti sint, videntur tamen validi esse quoad eorum substantiam et mutuam habili tempore obligationem, si alium defectum non habeant : ita communiter canonistæ Covarruvias, Castro, etc. Sed videntur esse aliquo modo suspensi, ne ad effectum seu exsecutionem durante excommunicatione pertrahi possint quoad usus qui communicationem cum excommunicato includunt.

Sect. IX. — *An sit prohibita excommunicato communicatio per testamentum.*

Dico : Quivis excommunicatus, generaliter loquendo, non potest licite testamentum vel codicillum condere; si condiderit tamen, servata juris forma, est validum. Habetur ex variis juris capitulis. Unde personæ isti testamento condendo intervenientes, v. gr. tabellio, testes, etc., etiam peccant, si testator sit excommunicatus vitandus, ob communicationem cum illo; secus vero, si non sit vitandus, cum non videatur ibi esse cooperatio, sed tantum permissio illius peccati. Imo si quis sperans se instituendum esse hæredem, inducat illum ad testandum in suum, non in testatoris commodum aut favorem, tunc excommunicatus poterit etiam licite testari, supposito quod non possit prius habere absolutionem excommunicationis : habetur ex extrav. *Ad evitanda*. Ideoque etiam licitum est instituere hæredem excommunicatum non denuntiatum.

DISPUTATIO DECIMA SEXTA.

De octavo effectu excommunicationis, qui est privatio forensis communicationis.

Sect. I, II. — *An excommunicatus possit esse judex in sæculari judicio aut in judicem eligi.*

Dico 1 : Omne ministerium ad forum sæculare pertinens interdictum est excommunicato et aliis respectu excommunicati, nisi ut reus assistere in judicio compellatur. Unde certum est excommunicatum non posse esse judicem in sæculari judicio, cum ab humana communicatione exclusus sit, et alii a communicatione cum illo. Imo, juxta communem omnium consensionem, acceptationem, consuetudinem, est privatus seu suspensus sua jurisdictione, ita ut omnia acta a tali judice, v. gr. sententia ab illo lata, leges, privilegia, dispensationes, delegationes, electiones, et alia cuncta quæ a jurisdictione essentialiter pendent, ab eo profecta, sint invalida ac nulla. Hæc autem intelliguntur de judice excommunicato vitando; de non vitando autem, qui habet

jurisdictionem toleratam, dicendum est ut supra, juxta extrav. *Ad evitanda*. Attamen judex excommunicatus, etiam non vitandus, videtur peccare graviter contra prohibitionem Ecclesiæ, si hoc judicis ministerium exerceat.

Dico 2 : Non potest licite quivis excommunicatus assumi seu eligi ad munera vel dignitates temporales qua temporalem seu sæcularem jurisdictionem habent annexam ; cum enim sit ab actionibus jurisdictionis temporalis prohibitus, ergo etiam est prohibitus, ne ad illam jurisdictionem accipiendam eligatur. Unde talis electio ad minimum irritanda est. An vero ipso facto irrita sit, controvertitur, probabiliter videtur valida. Quamvis enim de spiritualibus dignitatibus ac muniis jura canonica directe statuant, ut nulli excommunicato directe conferantur, de temporalibus tamen nullum est tale generale statutum : ex principiis enim juris canonici tantum colligitur istorum munerum temporalium jurisdictionem includentium collationem excommunicato factam esse irritandam, non vero irritam.

Sect. III, IV. — *An excommunicatus possit esse actor in judicio, aut ad judicium cogi ut reus.*

Dico 1 : Excommunicatus in propria excommunicationis causa admittitur in judicio ut actor, volens probare se vel non esse excommunicatum vel esse absolvendum : in cap. *Cum inter*, De except. et in cap. *Per tuas*, De sentent. excomm. Sed extra suæ communicationis causam non potest esse actor sive in judicio sæculari, sive ecclesiastico, non tantum per se, sed nec etiam per alium seu procuratorem ; datur tamen ei locus defensionis, si aliqua de re in judicio male conveniatur. Hæc omnia tam de excommunicato tolerato quam de vitando procedunt.

Dico 2 : Ita prohibitum est cuivis excommunicato in judicio agere, ut tamen si agat et non repellatur ceu excommunicatus, valida sint omnia quæ in tali judicio acta fuerint. Habetur ex cap. 1 De except., in 6, etc. Hinc videtur excommunicatus non peccare mortaliter si jus suum petat cum justitia in judicio, illudque prosequatur donec repellatur tanquam excommunicatus; imo posset ita gravis et urgens causa occurrere, ut non peccaret.

Dico 3 : Excommunicatus potest compelli esse in judicio tanquam reus, non solum in ipsius excommunicationis causa, sed etiam in quacunque alia, in qua fuerit postulatus. Habetur in cap. *Intellexi-mus*, De judiciis. Unde ipsi excommunicato etiam licita sunt in tali judicio omnia quæ cuilibet reo agere licet ad sui defensionem, adeoque admittendus est ad exceptiones objiciendas sive contra ipsum actorem, ut ejus petitionem esse injustam ostendat, sive contra ipsum judicem, si eum suspectum habeat, sive contra testes, et ad alia ejusmodi præstanda ; imo potest appellare a sententia contra se lata ad justam sui defensionem : in cap. *Inter omnes*. Nec cogendus est ut per alium seu per procuratorem causam suam agat, sed potest per seipsum, si velit, respondere. debetque admitti antequam absolvatur, etiamsi in ejus potestate sit prius absolvi, nec sit quod impediat. Nam jus canonicum illi absolute concedit, ut se defendere possit in judicio, cap. *Cum inter*, et cap. *Dilecti filii*. Potest tamen judex qui excommunicationem tulit, nolle eum audire, donec a contumacia recedat. Deinde si ad instantiam seu petitionem actoris fuit excommunicatus, citatus in alia causa tanquam reus, ab eodem actore, probabiliter potest se excusare et nolle comparere, donec actor ab excommunicatione desistat, seque absolvi sinat ; maxime si excommunicatio fuerit injusta. Denique qui non ex necessitate comparere cogitur, sed vocatur sub hac conditione, si voluerit, aut si commodum ei fuerit, potest non comparere, nec respondere.

Sect. V, VI. — *An excommunicatus possit in judicio munus tabellionis aut testem agere.*

Dico 1 : Tabellio, quandiu est excommunicatus, non potest licite munus suum exercere ob generalem prohibitionem, quam habet non communicandi cum aliis ex vi suæ excommunicationis ; imo juxta communem canonistarum sententiam, si sit publice excommunicatus, illud non exercet valide in foro exteriori ; ita ut si instrumenta aliqua conficiat, sint invalida, nec eis fides, quæ publicis instrumentis debetur, adhibenda sit. Quia acta a publico excommunicato, ratione publici muneris, sunt ipso jure nulla ; scriptura tamen ab ejusmodi excommunicato facta ex mutuo partium, scientium illius excommunicationem consensu, videtur in interiori conscientiæ foro obligationem inducere, ita ut si sit testamentum, valida sit institutio hæredis in eo facta quoad forum conscientiæ, quia nullum est jus illud irritans ; adeoque partes non possunt illam rejicere ut invalidam aut insufficientem, quia jam cesserunt juri suo. Nunc tamen per extrav. *Ad evitanda*, acta a tabellione excommunicato non denuntiato sunt valida in utroque foro, modo partes excommunicationem scientes voluntarie illum admiserint. Collatio muneris tabellionis facta excommunicato est valida, adeoque acta ab eo post censuræ absolutionem, sunt valida ; acta autem ab eo, excommunicatione durante, an sint valida, jam explicatum est.

Dico 2 : Excommunicatus non potest licite esse testis in judicio, nec ab aliis admitti, excepta causa fidei ; in favorem enim fidei admittitur ad probandum contra hæreticos, fautores, receptatores et defensores eorum, ut habetur in cap. *In fidei*, De hæreticis, in 6. Atque hoc intelligendum est de excommunicato vitando; nunc autem post extrav. *Ad evitanda*, is qui non est vitandus, quamvis possit recusari seu repelli, ex consensu tamen partium et judicis potest etiam admitti. Imo si vitandus ex consensu utriusque partis, judice non repugnante admitteretur, validum esset ejus testimonium ; si autem, repugnante illo contra quem producitur, admittatur, erit invalidum. Atque id quod diximus de teste in judicio, idem dic de teste extra judicium in con-

tractibus, in testamentis, aut aliis scripturis efficiendis, etc. Excommunicatus dicens testimonium in judicio, in contractu, etc., si ejus testificatio sit falsa, aut aliquam includat injustitiam, peccabit mortaliter; si autem faveat veritati et justitiæ, ob violatam excommunicationem in materia levi, peccabit tantum venialiter.

Sect. VII, VIII. — *De advocato, procuratore, tutore, curatore excommunicato.*

Dico 1 : Advocatus excommunicatus non potest quidem licite patrocinari, sed si faciat, factum tenet; ergo repellendus est, si sit excommunicatus vitandus; si autem sit toleratus, repelli etiam potest; admitti tamen licite potest etiam, si partes et judex consentiant. Deinde acta ab excommunicato vitando ad patrocinium admisso sunt valida; et iste potest condignum stipendium accipere, nisi patrocinium petens ignoret ejus excommunicationem.

Dico 2 : Excommunicatus, per se loquendo et secluso casu necessitatis, non potest procuratoris officium agere, et illud agendo peccat eo modo, quo dictum est de actore et advocato, et illum admittentes, et cum eo causam agentes si sit excommunicatus vitandus. Secus vero, si non sit vitandus, non vitandus tamen etiam nunc recusari ac repelli potest. Si excommunicato procuratori non objiciatur exceptio ipsius excommunicationis, neque a judice repellatur, ejus acta juxta communem canonistarum sententiam, sunt valida; non amittit enim suam priorem potestatem ob supervenientem excommunicationem, sed prohibetur illa uti. Si tamen illa objecta sit et probata excommunicatio, quod aget, erit invalidum. Deinde non potest extra casum necessitatis conferri munus procuratoris excommunicato vitando; si vero collatum sit, talis collatio non tantum erit valida quoad actus extrajudiciales, sed etiam probabilius quoad actus judiciales seu quoad lites, multo autem magis erit valida, si collatum sit excommunicato non vitando, ac proinde acta ejusmodi procuratoris, quandiu officio non privatur et ab ejus exsecutione non repellitur, erunt valida. Denique omnia quæ jam dicta sunt de procuratore, conveniunt etiam tutori, curatori, et cuivis temporalem administrationem assumenti; atque id omne quod jam dictum est de uno, etiam dic de alio.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA.

De aliis omnibus remotioribus excommunicationis effectibus.

Sect. I, II. — *De effectibus tam in ipso excommunicato quam in participantibus cum illo causatis.*

Dico 1 : Hæc sunt mala quæ affert homini excommunicatio : 1° eum privat communibus Ecclesiæ suffragiis ; 2° communicatione sacramentorum ; 3° activa eorum administratione; 4° omni jurisdictionis usu; 5° suspendit ab officio et beneficio ecclesiasticos ; 6° eos reddit incapaces ecclesiastici beneficii ; 7° eos reddit ineligibiles ad beneficium ecclesiasticum ; 8° excludit hominem ab omnibus actibus forensibus, excepta sui defensione ; 9° excludit eum ab omni pactione et contractu ; 10° reddit eum ineligibilem ad dignitates sæculares et munia civilia ; 11° privat omni civili communicatione ; 12° litteræ apostolicæ a quovis excommunicato impetratæ, et processus virtute illarum habitus, ipso facto irritus est : habetur in cap. 1 De rescript., in 6, etc. ; 13° causat irregularitatem clerico in excommunicatione officium alicujus ordinis exercenti ; 14° excommunicatus insordescens per annum in sua excommunicatione, fit suspensus de hæresi ; et si sit ecclesiasticus ac habeat beneficia, censetur dignus illorum privatione, eumque judex ecclesiasticus potest ista pœna punire.

Dico 2 : Speciali præcepto ab Ecclesia prohibitum est fidelibus, ne participent cum excommunicato in crimine ob quod excommunicatus est, neve cooperentur ei ad continuandam suam contumaciam in tali crimine, sub pœna incurrendi ipso facto eamdem excommunicationem majorem, quam prius incurrit ille excommunicatus, a qua non possunt absolvi nisi ab eo a quo ipse criminosus excommunicatus absolvi potest; adeoque hæc participatio non est tantum intrinsece ac per se mala, sed etiam mala, quia specialiter prohibita est ab Ecclesia.

Dico 3 : Quoad participationem in divinis cum excommunicato, quando licitum sit aut illicitum ; quando incurratur excommunicatio minor aut irregularitas, jam satis supra dictum est, uti et de externa ac vulgari communicatione.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA.

De causis excommunicationis majoris.

Sect. I, II. — *Quis possit excommunicare, et excommunicari.*

Dico 1 : Causa efficiens excommunicationis est homo et jus ; est enim excommunicatio ab homine et a jure. In ferente excommunicationem requiritur potestas jurisdictionis ecclesiasticæ fori contentiosi. Hinc parochi non possunt excommunicare; sed tantum episcopi jure quasi proprio. Episcopus non potest quidem instituere censuras seu excommunicationem, sed potest hanc imponere juxta institutionem ab Ecclesia factam, quæ imposita ubique ligat excommunicatum, et quocunque tendat, secum excommunicationem defert instar lepræ, quæ ubique leprosum sequitur ; ideoque ubicunque exsistat, omnes excommunicationis effectus ab Ecclesia institutos et statutos semper suffert, inter quos unus est ut obliget omnes fideles ad eum vitandum tanquam alienum et ab Ecclesia præcisum. Unde hi effectus proveniunt ex Ecclesiæ institutione, non præcise ex impositione excommunicationis ab episcopo factæ, qui non potest suam jurisdictionem ubique extendere.

Dico 2 : Subjectum capax excommunicationis est homo viator, et vivens in hac vita mortali, adultus, baptizatus, et qui in terris habeat superiorem, ac debet esse persona aliqua singularis. Unde non potest ferri excommunicatio in communitatem sine personarum distinctione, quia bona, quibus privat

principaliter excommunicatio, sunt personalia, seu pertinent ad singulas personas. Et actus quos interdicit, regulariter loquendo, sunt etiam personales. Deinde excommunicatio generaliter lata non tantum ligare potest laicos omnes et clericos inferiores, sed etiam episcopos, dummodo canonis et sententiæ auctor sit illis superior, et verba sint ita universalia, ut eos comprehendant. Nam in cap. *Quia periculosum*, De sent. excomm., in 6, excipiuntur episcopi tantum quoad suspensionem et interdictum, non vero quoad excommunicationem.

Sect. III. — *Ob quam causam ferri possit aut debeat excommunicatio.*

Dico 1 : Secundum Ecclesiæ jus ordinarium non debet neque potest ferri excommunicatio major, nisi ob culpam mortalem, cum inobedientia erga Ecclesiam et cum contumacia commissam. Imo neque ab ipso papa. Ubi enim Scriptura, Patres ac pontifices loquuntur de causa aut potestate ferendi excommunicationem, semper ad id requiri culpam gravem indicant; et ratio est, quia pœna debet esse culpæ proportionata. Excommunicatio est pœna gravissima, ergo sola culpa gravis seu mortalis est illi proportionata, nec aliter Christus hanc excommunicandi potestatem dedit Ecclesiæ; adeoque excommunicatio lata pro culpa quæ mortalem gravitatem non attingit, non solum est injusta, sed etiam ipso jure nulla, a quocunque feratur. Unde quotiescunque aliquis excusatur a culpa mortali in alicujus legis aut præcepti transgressione, excusatur etiam ab excommunicatione contrahenda, quamvis omnibus istius legis aut præcepti transgressoribus illa fuerit imposita : v. gr. si imposita fuerit excommunicatio omnibus qui aliquid furantur, et aliquis furtum leve faciendo, excusetur a culpa mortali, etiam excusabitur ab excommunicatione contrahenda. Quædam jura quæ contra hoc objiciuntur, v. gr. cap. *Odoardus*, De solutionibus, cap. *Pervenit*, De sent. excomm., cap. *Episcopi* 11, quæst. 3, nihil faciunt ad hanc rem. Hinc

Dico 2 : Quoties per legem prohibetur aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, si lex sit justa et valida quoad talem pœnam, est peccatum mortale ejus transgressio; si enim pœna ista justa est, supponit causam proportionatam, nempe culpam mortalem. Notandum autem est pro solvendis quibusdam objectionibus, peccatum ex se veniale, vel ob scandalum, vel ob periculum proximum in quo constituit hominem peccandi mortaliter, posse esse mortale; deinde quamvis ista circumstantia per se et ex natura rei non sufficeret ad constituendum peccatum mortale, posset tamen interdum sufficere, ut prælatus posset prohibere graviter illum actum, ut subditum removeat non tantum a dispositione proxime proxima peccandi mortaliter, sed etiam a dispositione utcunque proxima, seu parum distanti a proxime proxima. Et tunc ille actus, qui per se non foret peccatum mortale, adjuncto superioris præcepto sufficienter declarantis se velle obligare quantum potest, fiet peccatum mortale. Si enim superior potest interdum præcipere vel prohibere sub mortali actum de se indifferentem, quanto magis de se venialiter peccaminosum, si gravis causa occurrat; quia per ordinem ad talem causam fit materia gravis. Præterea ista jura sæpe monent transgressores excommunicandos, non autem ipso facto excommunicant, relinquendo judicis arbitrio judicare de peccati gravitate; aut loquuntur de quadam excommunicatione minore. Cæterum

Dico 3 : Quoties lex vel præceptum justum sub pœna excommunicationis majoris a judice tantum inferendæ aliquid prohibet, illius transgressio ex suo genere est peccatum mortale : id est, actus transgressionis in ista materia per legem aut præceptum prohibita, est sufficiens ad peccatum mortale; ideo non dicitur quod omnis ejus transgressio sit peccatum mortale, sed quod aliqua possit esse, et hæc est apta ad excommunicationis pœnam, quando habuerit materiam completam ad constituendum peccatum mortale sufficientem.

Dico 4 : Ut ferri possit excommunicatio, debet esse peccatum mortale cum inobedientia et contumacia respectu Ecclesiæ commissum, quod aliqua vel hominis vel legis monitio ecclesiastica præcessit sub propositione vel comminatione talis censuræ. Hæc autem inobedientia debet esse contra præceptum aut legem ita latam ut includat adjunctamve habeat admonitionem sub censura; quævis enim inobedientia et contumacia non sufficit, uti nec quodlibet peccatum mortale, sed tantum illud quod committitur ex contumacia erga Ecclesiam.

Sect. IV. — *Quænam forma servanda sit in ferenda excommunicatione.*

Dico : Quænam forma sit servanda, sive in ferenda excommunicatione a jure, sive ab homine, ex iis quæ supra diximus de forma censuræ in communi, sat patet : v. gr. homo ferens excommunicationem potest hac forma uti : *Innodamus illum vinculo excommunicationis*, *vel illum excommunico*. Et ex quibusdam circumstantiis posset hæc esse sufficiens : *Denuntio te excommunicatum*, judice per ista verba satis sum voluntatem explicante : uti et hæc : *Nullus communicet cum Petro*. Solet enim Ecclesia tantum prohibere communicationem cum alio ob solam censuram. Aliæ cæremoniæ quæ in excommunicatione ab homine interdum servantur, sunt accidentales, nec de essentia formæ; qualis est dum in solemni promulgatione seu denuntiatione sententiæ excommunicationis aliquis minister accensam lucernam manu tenet, et in fine exstinguit, ac tintinnabulum pulsat.

DISPUTATIO DECIMA NONA.

De absolutione ab excommunicatione.

Sect. I, II. — *An excommunicatio per solum absolutionem possit auferri, et de causis ad hanc necessariis.*

Dico 1 : Omnis excommunicatio per absolutionem solam tolli potest, etiam ista quæ sub hac

conditione fertur : *Sis excommunicatus donec satisfacias vel restituas ;* expleta enim conditione excommunicatio non tunc desinit aut tollitur per se, ut vult Covarruvias et Alciatus, sed eget adhuc absolutione ; jura enim hanc requirunt. Adeoque solus papa, qui solus potest in jure communi dispensare, de sua potestate absoluta potest, si velit ita aliquem excommunicare, donec certam conditionem impleat, ita ut ea impleta, ipso facto liber maneat ab excommunicatione sine absolutione.

Dico 2 : Quisnam possit absolvere ab excommunicatione tum a jure tum ab homine, dictum est supra in disput. 7, sect. 2 et 3, etc., agendo de absolutione censuræ in genere. Forma ad absolvendum ab excommunicatione non requirit certa verba, sed solum ea quæ proprium hujus absolutionis effectum sufficienter significent, qui est excommunicationem tollere et communicationi fidelium separatum restituere. Solet autem hæc forma a doctoribus assignari : *Absolvo te a vinculo majoris excommunicationis ob talem causam incursæ, et restituo te sacramentis Ecclesiæ et communioni fidelium in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Sed solum prima verba : *Absolvo te a vinculo excommunicationis*, sunt necessaria ; reliqua possunt omitti.

Dico 3 : In solemni excommunicationis absolutione hæ quatuor cæremoniæ accidentales solent recenseri : Prima est, ut ab excommunicato exigatur juramentum parendi Ecclesiæ in ea re ob quam excommunicatus fuit, quando nempe sunt enormia crimina ; vel satisfaciendi, si crimen requirat satisfactionem quæ nondum facta sit. Secunda, ut sacerdos, priusquam absolvat, psalmum aliquem e pœnitentialibus recitet super absolvendum (in cap. *A nobis* 2, De sentent. excomm.) : solet recitari psal. L, Addunt doctores sacerdotem absolventem debere esse indutum superpellicio et stola, nempe in publica ac solemni absolutione, non in privata ; ac pœnitentem genuflexum nudatis scapulis, dumque psalmus recitatur, flagello percuti debere, quod, licet nullo jure scripto sit cautum, consuetudine tamen receptum dicunt. Addit tamen Navarra id in feminis omittendum, et ob justam causam posse omitti in quavis absolutione. Tertia, ut finito psalmo, recitetur oratio Dominica. Quarta, ut alia consueta serventur, nempe dicatur : *Salvum fac servum tuum*, etc. (*Psal.* LXXXV), cum oratione : *Deus cui proprium est*, etc. Quamvis juxta omnes hæ cæremoniæ non sint de substantia formæ, et hæc valida sit sine illis, dicunt tamen sacerdotem qui absolvit (secus, si non sit sacerdos) teneri in conscientia eas non omittere, nisi adsit rationabilis causa eas omittendi, aut sit tantum absolutio ad cautelam ; sed hæc obligatio, si quæ fit juxta circumstantias prudenter spectatas aut consuetudinem, non videtur esse sub gravi peccato.

DISPUTATIO VICESIMA.

De quibusdam excommunicationibus in particulari, quæ ab homine ferri solent.

SECT. I. — *An judices ecclesiastici possint licite et valide pro causis temporalibus excommunicationem ferre.*

Dico 1 : Non est per se malum, nec extra potestatem ecclesiasticam ferre excommunicationem, ordinando eam aliquo modo ad fines temporales, v. gr. ut restituantur ablata, solvantur debita, revelentur occulta, etc., adhibitis quibusdam circumstantiis quas concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 3) ponit : nempe ut soli episcopi aut episcopalem jurisdictionem habentes ejusmodi excommunicationes decernant et ex re non vulgari, causa prius mature perpensa, ac quando realis aut personalis exsecutio fieri non potest. Hinc

Dico 2 : Potest judex ecclesiasticus valide et servatis prædictis circumstantiis, etiam licite in istis causis et actionibus quæ proxime ad fines temporales ordinari videntur, excommunicationem ferre, vel ut aliquod malum commissum emendetur, vel ut malum quod committi aut timeri potest, præveniatur ; interdum respiciendo ad crimina, offensiones aut scandala commissa : non præcise quatenus præterita sunt, sed quatenus aliquo modo tractum successivum habent, ut postea tollantur aut resarciantur ; interdum vero respiciendo solum ad futura crimina, ut vitentur, et ecclesiastica obedientia severius observetur. Quamvis regulariter loquendo non liceat hujusmodi excommunicationem ferre contra personam determinatam, ac maxime quando cognita est, sed tantum generatim ac confuse contra personam indeterminatam quæ tale debitum commisit aut committet, attamen, si feratur, factum tenebit, et excommunicatio ligabit, si revera sufficiens ratio et spiritualis causa interveniat. Imo, interveniente causa rationabili licite etiam feretur, v. gr. si judex sæcularis nolit remedium adhibere, neque ejus qui injuriam passus est, accusationem suscipere aut in causa progredi ; tunc enim ad commune bonum, et ad fidelium pacem spectat, ut ad judicem ecclesiasticum possit haberi recursus, saltem ut peccata publica corrigantur. Item si persona tantæ sit dignitatis ut non habeat superiorem in temporalibus, nec velit arbitrorum judicio rem committere, tunc etiam potestas spiritualis per excommunicationem potest eum cogere ad servandam justitiam ; vel si res sit dubia, ad standum aliquorum judicio. Hoc enim spectat ad commune bonum spirituale.

SECT. II. — *An excommunicatio lata ut solvatur debitum, aut restituatur alienum, semper liget.*

Dico 1 : Qui excusatur a peccato mortali, excusatur etiam ab incursione excommunicationis, præsertim in foro conscientiæ. Hinc si quis furatus sit rem levem, aut leve damnum intulerit, non incurret excommunicationem latam ob furtum, nisi fortasse rem istam retinendo, postea peccet mortaliter ; quamvis autem non esset obligatio restituendi

sub mortali, si tamen interveniret ita gravis causa spiritualis, aut sufficeret ad gravem obligationem inducendam, tunc præceptum sub excommunicatione latum posset peccantem obligare ac ligare. De excommunicatione cameræ apostolicæ ipso facto incurrendæ ab eis qui Romæ pensionem aut debitum intra certum terminum non solverint, etiamsi fuerint tunc impotentes ad solvendum, vide hic apud P. Suarez; nempe declarantur in foro exteriori tanquam excommunicati.

Dico 2 : Quando excommunicatio fertur, ut solutio debiti fiat intra certum tempus, si quis illo tempore sit impotens, excusatur quidem tunc a culpa, adeoque et ab excommunicatione ; sed adhuc perseverat præceptum sub excommunicatione latum, ita ut ille veniens postea ad pinguiorem fortunam, si non solvat debitum, aut restituat, tunc excommunicationem incurrat. Deinde si voluntarie et ex malitia, aut ex gravi negligentia cum sufficienti prævisione futuræ impotentiæ, fiat impotens; tunc nec a culpa, nec ab excommunicatione excusabitur

Sect. III. — *An excommunicatio lata ut reveletur secretum, denuntietur crimen occultum, aut prodatur scriptura, semper liget.*

Dico 1 : Quoties excommunicatio fertur ad hunc finem ut manifestetur veritas aut prodatur scriptura, si quis ante latam excommunicationem vel jure naturali, vel quovis alio ad hoc tenebatur, excommunicatio ligat; v. gr. si quis ob commune bonum teneatur occultum hæreticum, aut seditiosum superiori denuntiare; et postea si præcipiatur sub excommunicatione, ut intra certum tempus denuntietur, inobediens illam incurrit. Idem dic de prodenda scriptura, in qua non solum agitur de alieno titulo vel jure, sed etiam de dominio aut usu ad alium pertinente.

Dico 2 : Quamvis non supponatur aliunde obligatio manifestandi veritatem aut prodendi scripturam antequam prælatus ecclesiasticus sub excommunicatione ipso facto incurrenda id præcipiat, potest tamen ejusmodi præceptum esse justum et obligare, adeoque excommunicatio erit valida, et post trinam monitionem juste lata ; ideoque qui isti præcepto non obedierit, excommunicationem incurret. Sæpe enim est hoc necessarium ad commune fidelium bonum et ad justitiæ exsecutionem; ac proinde ob motivum spirituale potest sub spiritualem potestatem cadere. Sed

Dico 3 : Quando hujusmodi excommunicatio ab homine lata non supponit gravem culpam in tacenda veritate vel occultanda scriptura commissam, neque etiam supponit priorem obligationem ad ejusmodi actum, neque illam potis est inducere, simpliciter sive in tali casu, tunc quamvis aliquis non respondeat, seu non obediat isti sententiæ, non incurret excommunicationem : nimirum, 1° si præceptum sit injustum vel excedens humanam potestatem, v. gr. si jubeatur revelare rem occultissimam, quæ cadat in grave damnum illius, contra quem nec semiplena probatio, nec publicus rumor, nec infamia præcessit. 2° Si id quod præcipitur, non possit exsequi sine gravi detrimento. 3° Si testimonium ferendum sit contra personam sibi valde conjunctam, v. gr. contra patrem, matrem, filium, maritum, uxorem, fratrem, etc. ; id enim est quasi ferre testimonium contra se ipsum, nec est sine aliqua propria infamia, vel alio gravi incommodo. 4° Si ita rem novit ut licite non possit eam revelare; v. gr. qui novit in confessione, aut per consultationem secretam aut ratione officii, quales sunt advocati, et procuratores qui tenentur tueri jus istius partis. 5° Si isti homines sub verbis præcepti in proprietate sumptis non comprehendantur, vel licet verborum cortice comprehendi videantur, re tamen ipsa per legem intenta, seu quæ intendi debuit, non comprehenduntur : v. gr. si præcipiatur ut, qui habet talem scripturam, eam prodat, habens solummodo ejus transsumptum, non vero scripturam authenticam, non tenetur illud prodere, quia ista duo non sunt idem; neque in judicio transsumptum facit æqualem fidem cum autographo. Deinde cum hæc præcepta soleant fieri sub certo dierum numero, v. gr. ita ut intra sex dies reveletur quod præcipitur, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, tunc isti dies numerari debent ab eadem die et hora, qua præceptum profertur, neque incurretur excommunicatio donec tot dies naturales integre completi sint; elapso tamen ipsorum dierum termino, per se loquendo, non exstinguitur præcepti obligatio; quamvis in hoc attendenda sit præcepti intentio et usus.

DISPUTATIO VICESIMA PRIMA.

De excommunicationibus papæ reservatis in bulla *Cœnæ Domini.*

Sect. I, II. — *Quales sint censuræ in bulla* Cœnæ, *et quænam sint delicta ob quæ in illa fertur excommunicatio.*

Dico 1 : Excommunicationes bullæ *Cœnæ*, quamvis olim censerentur esse tantum ab homine, adeoque exspirare per mortem papæ; nunc tamen post bullam Pii V, in qua vult eas durare semper quoad usque a papa revocentur, aut aliquid contrarium statuatur, induerunt naturam statuti per modum generalis sententiæ lati. Attamen ob multiplicitatem harum bullarum quæ singulis annis renovantur, non multiplicantur numero excommunicationes circa idem crimen, quia, adveniente posteriore excommunicatione, priores omnes cessant; imo per alia jura latæ non etiam multiplicantur.

Dico 2 : Prædicta bulla continet viginti casus seu delicta, ob quæ fertur excommunicatio.

1. Excommunicatio est contra omnes hæreticos cujusvis sectæ (non hæc incurritur ob hæresim pure mentalem); item contra veros interius a fide Christiana apostatas, non contra exterius apostasiam simulantes; contra credentes doctrinæ hæreticorum; contra hæreticorum receptatores, fautores,

defensores, quatenus tantum sunt hæretici, non vero quatenus tales homines, v. gr. amici, pauperes, etc., nec etiam quatenus sunt excommunicati; item contra illos qui eorum libros aliquam hæresim continentes, vel de religione tractantes, v. gr. De Scriptura sacra, de fidei mysteriis, de theologia scholastica (non autem de philosophia, artibus inferioribus, historia, etc.) sine sedis apostolicæ auctoritate scienter legunt aut retinent, imprimunt, seu quomodo libet defendunt, ex quavis causa publice vel occulte quovis ingenio vel colore. Item contra schismaticos recedentes pertinaciter ab Ecclesiæ obedientia absque errore in fidei doctrina. Hinc non quicunque a papa excommunicatus, est schismaticus, sed qui pertinaciter se ejus obedientiæ subtrahit, non recognoscendo illum ut superiorem.

2. Est contra quasvis personas appellantes a papa ad concilium generale, et contra eos qui auxilium aut favorem dederunt ad appellandum effectu secuto.

3. Est contra omnes piratas et maritimos latrunculos, ac præcipue eos qui mare pontificium discurrunt, eorumque fautores, receptatores, et defensores. Videntur autem tantum ii incurrere hanc excommunicationem qui Christianos, non vero qui infideles et Turcas deprædantur; item non videntur eam incurrere, qui titulo belli licet injusti, depræ-dationes in mari exercent. Et idem videtur dicendum de iis qui incidenter semel aut bis spoliant navigantes Christianos; quia ista lex, juxta communem sententiam, intelligitur de iis qui quasi ex officio nauticum latrocinium exercent; non vero de iis qui casu et incidenter furtum committunt, nec hi solent vocari piratæ seu latrunculi maritimi.

4. Est contra naufragantium Christianorum bona spoliantes injusta acceptione, similis excommunicatio, sed nulli reservata lata fuerat in concilio Lateranensi sub Alexandro III, habeturque in cap. *Excommunicationi*, De raptor. Occupant autem hæc bona, bona fide ignorando esse naufragantium vel cum animo ea conservandi et restituendi domino (quod certe potest licite et sine censura fieri), si postea voluntatem mutet, et incipiat illa sibi vindicare, iisque uti tanquam propriis, tunc incurret excommunicationem bullæ, uti et ille qui naufragantium bona a raptore accipit ex antecedente pacto ista inter se dividendi; secus si nullum pactum intercesserit, aut præcesserit.

5. Est contra imponentes inique tributa, et contra ministros illa exigentes.

6. Contra falsarios litterarum apostolicarum, id est, immutantes verum earum sensum a pontifice intentum (secus si quid tantum leve et accidentale in eis mutetur), et contra fabricantes falsas litteras apostolicas. In hac excommunicatione non comprehenduntur illis utentes, neque fautores, aut præcipientes. In cap. tamen *Dura*, § *Adjicientes*, De crim. fals., fertur in eos, qui falsas litteras apostolicas se habere cognoscentes, intra viginti dies eas non destruunt aut resignant.

7. Est contra subministrantes arma aut auxilium infidelibus hostibus in damnum Christianorum; et contra eos qui illos faciunt certiores de statu Christianæ reipublicæ in ejus perniciem. Christiani autem coacti remigare in triremibus Turcarum, non videntur hanc censuram incurrere: hoc enim præceptum non videtur obligare cum tanto periculo et rigore; aliud vero est, an ipsi peccent in actuali certaminis aggressu injusto adversus Christianos, cooperando infidelium peccato.

8. Est contra impedientes victualia ad curiam Romanam deferri. Nempe intelligendæ sunt hæ actiones si injuste fiant; nam si princeps aut respublica utens jure suo, vel suæ utilitati prospiciens, prohibeat ne triticum vel quid simile ex suis terris extrahatur ut Romam deportetur, licite aget, nec hanc censuram incurret.

9. Est contra afficientes injuriis eos qui accedunt ad sedem apostolicam, nempe ob negotia apud illam tractanda, non vero ad urbem Romam, aut temere sibi vindicantes jurisdictionem in eos qui in ea curia morantur.

10. Contra inferentes injurias iis qui Romam devotionis causa petunt.

11. Contra lædentes aut persequentes personas ecclesiasticas in dignitate constitutas.

12. Contra percutientes aut spoliantes eos qui in curia Romana causas agunt occasione illarum earumdem causarum.

13. Contra appellantes ad laicam potestatem in causis ecclesiasticis ad impediendum litterarum apostolicarum exsecutionem.

14. Contra eos qui spirituales causas prætextu litterarum apostolicarum ad se evocant, ut illarum exsecutionem impediant.

15. Contra trahentes ad tribunal sæculare personas ecclesiasticas, aut statuta facientes ex quibus libertati ecclesiasticæ derogetur.

16. Contra impedientes prælatos ecclesiasticos ne sua jurisdictione utantur.

17. Contra usurpantes jurisdictionem aut fructus ad personas ecclesiasticas, ratione beneficiorum etc., pertinentes.

18. Contra recipientes aut imponentes decimas, aliave onera personis vel bonis ecclesiasticis absque Romani pontificis licentia.

19. Contra se interponentes in causis capitalibus adversus personas ecclesiasticas.

20. Contra destruentes, invadentes, occupantes, etc., terras Romanæ Ecclesiæ subjectas.

Sect. III. — *Quis possit ab his censuris absolvere.*

Dico: Extra mortis articulum nullus præter papam aut eos quibus specialiter id commiserit, potest a prædictis censuris absolvere; neque etiam tunc nisi reus paratus sit parere Ecclesiæ mandatis, et det cautionem vel pignoratitiam, vel fideijussoriam, vel saltem juratoriam. Ad absolvendum ab his casi-

bus reservatis non sufficit generalis concessio absolvendi ab omnibus casibus papæ reservatis, sed in ea fieri debet expressa mentio casuum bullæ *Cœnæ*, qua detur facultas ab eis absolvendi. Imo nec videntur nunc episcopi posse absolvere ab occulta hæresi. Qui autem sine facultate legitima absolvit ab eis casibus, ipso facto incurrit excommunicationem non reservatam.

DISPUTATIO VICESIMA SECUNDA.

De juris excommunicationibus papæ reservatis.

SECT. I. — *Quæ et quot sint excommunicationes juris, quas in canonibus decreti papæ reservavit.*

Nota : sic habetur prædictum decretum : *Si quis, suadente diabolo, in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum præsumat illum absolvere :* cap. *Si quis suadente* 17, quæst. 4.

Dico 1 : Hujus decreti tenor sic explicatur :

1. Per nomen *clerici* intelligitur quicunque non solum ordinem clericalem, sed etiam qui solum habet primam tonsuram, etiamsi conjugatus, dum modo cum unica virgine, ac deferat habitum clericalem ac coronam gestet; intelligitur etiam excommunicatus, suspensus, interdictus. Sed clericus criminosus, declaratus per sententiam incorrigibilis ac post trinam monitionem perseverans in sua incorrigibilitate, privatur hoc clericali privilegio.

2. Per nomen *monachi* intellige quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, quod idem intellige de monialibus ; etiam Tertiariis sancti Dominici et sancti Francisci, si gestent habitum et vivant in communi ; item eremitas subjectos alicui regulæ aut superiori.

3. Per *manus violentas injecerit* intelligitur quævis graviter contumeliosa actio exterior mortaliter peccaminosa circa clerici personam aut res ei adhærentes, sive fiat manu, sive baculo, gladio, etc. Ac proinde qui per vim et injuriam aliquid de clerici corpore avellit, v. gr. pileum, pallium, etc., ita ut actio sit graviter injuriosa, item qui eum includit aut violenter detinet in carcere, vel in loco, ex quo non potest sine gravi dedecore exire, hanc excommunicationem incurrit ; non tamen eam incurrit, qui in sui aut alterius tertii justam defensionem percutit clericum incontinente, vim vi repellendo ; nec is qui inveniens clericum turpiter peccantem aut turpes actus exercentem cum propria uxore, matre, filia aut sorore, incontinente eum percutit, etiamsi a culpa non excusetur apud Deum ; item potest quis sine illius incursione detinere violenter clericum in sui ipsius defensionem : uti nec illam incurrit a sede apostolica expellens illum qui sine canonica electione eam occupat. Præterea non etiam eam incurrit qui alio justo vel licito titulo clericum percutit. Unde superior ecclesiasticus potest licite percutere aut jubere percuti clericum sibi subjectum ad justam correctionem et debito modo factam ; superior tamen regularis juxta cap. *Universitatis*, De sent. excomm., debet in propria persona verberare subditum, id est per se et non per alios, nisi urgeat necessitas, in qua non debet id facere per laicum, sed per clericum, vel monachum, etiam conversum. Captura autem ordinarie fieri potest per laicum auctoritate ecclesiastici superioris, ut habetur in cap. *Ut fama*, De sent. excomm. Sic etiam juxta consuetudinem, si talis habeatur, fieri potest tortura clerici per laicum : imo non videntur etiam abbates seu prælati regulares obligari sub gravi ad verberandum sibi subditum per se ipsos extra gravem necessitatem, quandoquidem ejusmodi verberatio personalis aut percussio dicatur interdicta non solum episcopo, sed etiam presbytero et diacono (Cap. *Episcopum*, dist. 45). Præterea non incurrit hanc excommunicationem judex sæcularis qui clericum in crimine inventum capit ac detinet in casibus et modo a jure sibi permissis, id enim non fit, *suadente diabolo*. Item judex laicus potest jussu ecclesiastici clericum capere et in carcerem includere. (Cap. *Si clericus*, De sent. excomm., in 6.) Idemque erit, quando, licet non præcesserit expressum prælati ecclesiastici mandatum, habetur tamen interpretativa voluntas et necessitas moralis exercendi talem actum, non exspectata alia facultate cum proposito remittendi quam primum illum ad suum superiorem. Similiter disciplinæ et correctionis causa potest moderate ac leviter percutere seu verberare præceptor discipulum, pater filium, herus servum, etc.

Dico 2 : Prædictam censuram etiam incurrunt mandantes, consulentes, hortantes, etc., clericum percutere, imo et non impedientes, quando in non impediendo peccant mortaliter. Non tamen eam incurrit clericus qui suæ percussioni aut vapulationi consentit ; clericus autem percutiens sic consentientem clericum, si ejus percussio sit injuriosa seu contumeliosa statui clericali, illam incurret juxta communem sententiam ; secus, si non sit injuriosa, v. gr. si jocosa, si religiosa ad punitionem peccatorum coram Deo, etc.

Dico 3 : Etsi hæc excommunicatio sit papæ vel ejus legatis reservata, excepto mortis articulo, potest tamen episcopus ab ea absolvere in his casibus : si percussor sit impubes, mulier, senex, pauper, servus, æger, homo nimis delicatus ; si adsit legitimum aut canonicum impedimentum eundi ad papam ; si sint clerici in eodem collegio cohabitantes, qui se invicem percusserint, modo percussio non sit enormis. Idem dic de religiosis ejusdem monasterii se invicem percutientibus qui a suo prælato possunt absolvi. Hi qui sic absolvuntur, fere omnes manent sine obligatione comparendi postea coram papa. Dicitur autem hic percussio levis respectu enormis in ordine ad facultatem absolvendi, utraque enim debet esse sufficiens ad peccatum mortale, alioqui censura non incurreretur. Jam vero percussionis enormitas seu gravitas petitur tum ex quantitate læsionis : v. gr. si sit

mutilatio, aut sufficiens sanguinis effusio, erit percussio enormis ; tum ex dignitate personæ percussæ : v. gr. grâvis percussio abbatis facta a subdito, aut episcopi a quovis facta poterit esse enormis spectatis circumstantiis.

Sect. II, III. — *De excommunicationibus ipso jure latis et papæ reservatis in antiquis libris* Decretalium, *et in* VI *libro* Decretalium.

Dico : Hæ sunt excommunicationes in istis libris papæ reservatæ : 1. in falsarios litterarum apostolicarum (cap. *Ad falsariorum*, De crim. fals.) ; et in habentes litteras apostolicas falsas, intra viginti dies eas non destruentes aut resignantes (cap. *Dura*, De crimine fals.); 2. in effringentes vi et spoliantes templa (cap. *Conquesti*, De sent. excomm.) ; 3. in incendiarios (cap. *Tua nos*, De sent. excomm.), quorum excommunicatio est papæ reservata, ubi per generalem sententiam est denuntiata ; 4. in clericos communicantes in eodem crimine cum excommunicatis a papa (cap. *Significavit*, De sent. excomm.); 5. in vexantes eos qui censuram in alios tulerunt (cap. *Quicunque*, De sent. excomm., in 6); 6. in eos qui post acceptam absolutionem ab excommunicatione papæ reservata sub conditione comparendi coram papa, vel satisfaciendi parti læsæ, istam conditionem non implent debito tempore (cap. *Eos qui*, De sent. excomm., in 6) ; 7. in eos qui in cardinalem Romanæ Ecclesiæ violentas manus injecerint, aut illum hostiliter insecuti fuerint (cap. *Felicis*, De pœnis, in 6); 8. in principes sæculares imponentes tributa personis ecclesiasticis (cap. *Clericis*, De immunit. Eccles., in 6). Hæc tamen excommunicatio non videtur fuisse postea reservata.

Sect. IV, V. — *De excommunicationibus ipso jure latis et papæ reservatis in libris* Clementinarum *et* Extravagantium.

Dico : Hæ sunt excommunicationes in hisce duobus libris papæ reservatæ : 1° in inquisitores suo in officio delinquentes (Clem. 1 De hæretic.). 2° In religiosos, *qui sacramentum unctionis aut Eucharistiæ ministrare* (nempe sæcularibus), *vel matrimonia solemnizare sine parochialis presbyteri licentia speciali ;* vel qui excommunicatos a canone (nempe ab excommunicatione reservata in jure) *præterquam in casibus eis a pontifice concessis* (vel per privilegia sedis apostolicæ concessa), absolvunt ; *vel etiam a sententiis per statuta synodalia aut provincialia promulgatis, seu a pœna et culpa, ut aiunt, absolvere*, id est, concedere indulgentiam plenariam, *præsumpserint* (Clement. De privileg.). 3° In temerarios violatores constitutionis Bonifacii, cap. De sepult., in 6, vetantis, *ne quis clericus sæcularis aut religiosus inducat quempiam ad vovendum , jurandum vel fide interposita, seu alias promittendum, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent* (Clem. *Capientes*, De pœnis). 4° In violatores interdicti papalis quatuor illis modis qui in Clem. *Gravis*, De sent. excomm., explicantur. 5° In dilacerantes et exenterantes corpora defunctorum hominum, ut conserventur, vel ut decoquantur, ut ossa possint in alia loca deferri (extrav. 1 De sepult.). Si hæc fiant chirurgiæ causa, vel in pœnam ex publica justitia, non incurritur ista censura. 6° In eos simoniacos, qui dant vel recipiunt aliquid ob ingressum religionis per modum pacti et conventionis (extrav. 1 De simonia) ; id est, in eos qui ponunt actionem Simoniacam ex reali pactione dandi vel accipiendi aliquid temporale pro spirituali admissione ad statum seu habitum religionis. Hinc dum aliquid mera sponte, et ex pura liberalitate, omnique pactione cessante, datur et accipitur in religionis ingressu, nulla incurritur censura : id enim per se bonum est, nec ulla lege vetitum, imo permissum est. Item nec incurritur dum aliquid datur vel accipitur in ingressu religionis, non pro ipso ingressu seu receptione, sed in sustentationem ejus qui ingreditur, si monasterium non habeat sufficientes redditus ad illum alendum, etiamsi pactum interveniat ; imo Sotus et Sylvester non tantum protenui ac paupere monasterio, sed etiam pro divite, per se loquendo, hoc admittunt. 7° In religiosos Mendicantes ad aliam religionem, nempe sancti Benedicti, Cisterciensis, Camordulensis, Vallis Umbrosæ, canonicorum regularium sancti Augustini, vel aliorum monasticorum ordinum religionem transeuntes, excepta Carthusiensi, absque sedis apostolicæ licentia speciali, tam in recipientes quam in receptos (extrav. 1 De regul.). Sed pro hac re consulenda etiam sunt variarum religionum privilegia. 8° In Simoniacos reales in ordinatione vel beneficio (extrav. 2 De Simon.). 9° In male absolventes a casibus papæ reservatis. Sed cum hanc excommunicationem Sixtus IV tulisset tantum ob sola privilegia a se ipso concessa, nunc cessat quoad alia privilegia ac facultates. 10° In eos, qui alterutram opinionem de conceptione B. Virginis damnant vel peccati vel hæreseos ; item in eos, qui asserunt esse aliquod peccatum Conceptionis officium celebrare, aut conciones eorum qui eam immaculatam prædicant, audire (extrav. *Grave nimis*, De religione et venerat. sanctorum. 11° In eos qui in Romana curia pro negotiis tam gratiæ quam justitiæ dant aliquid vel promittunt, ut quod prætendunt, obtineant ; comprehendendo et *dantes et recipientes, vel quoquo modo intercedentes dando favorem, auxilium.*

Sect. VI. — *De excommunicationibus ipso jure latis et papæ reservatis extra corpus juris.*

Dico : Hæ recensentur : 1° in eos qui per Simoniam post mortem unius papæ, in ejus successorem eligi procurant (Julii II const. 2, etc.). 2° In delegatos sedis apostolicæ circa causas alienationis rerum ecclesiasticarum delinquentes, etc. (extrav. Pauli II : *Cum in omnibus*). 3° In officiales Romanæ curiæ aut papæ munera in suis terris accipientes, etc. (extravag. 3 Pauli II : *Munera*). 4° In

concionatores evangelicæ veritati contrarium prædicantes, adventum Antichristi et finem mundi determinantes, futura vana prædicentes, scandalosa detractione superiores infamantes (Leo X, in conc. Later., sess. 11, etc.). 5° In accedentes ad sepulcrum Christi devotionis causa sine papæ licentia, ex libro Pœnitentiali. Sed hæc videtur communiter ignorari, aut forte per contrariam consuetudinem derogata. 6° In feminas ingredientes monasteria virorum religiosorum (in motu proprio Pii V : *Regularium personarum*). Quomodo et ubi et quos obliget hæc prohibitio, alibi explicata est. 7° In committentes Simoniam confidentialem (const. 87 Pii V : *Intolerabilis*). Non incurritur autem hæc excommunicatio si intentio dantis ita sit interna et occulta, ut a recipiente nullo modo cognosci queat. 8° In violantes suspensionem contractam per indebitam resignationis beneficii admissionem (const. 58 Pii V : *Quanta*).

DISPUTATIO VICESIMA TERTIA.

De excommunicationibus non reservatis papæ.

Sect. I, II, III. — *An habeantur excommunicationes ipso jure latæ, episcopo reservatæ ; et de excommunicationibus non reservatis in* Decreto, *ac in priscis* Decretalium *libris.*

Dico 1 : Nullæ videntur esse ipso jure latæ excommunicationes episcopo reservatæ ; vel si quæ sint, nunc ob posteriores leges vel privilegia vim non habent. Sed aliud est de excommunicatione quam aliquis episcopus per statutum particulare sibi reservat. Quæ a quibusdam afferuntur, jam superius tactæ et explicatæ sunt.

Dico 2 : Hæ sunt excommunicationes non reservatæ quæ in prædictis libris continentur : 1. in principes sæculares in sui officii functione negligentes, post triplicem admonitionem (cap. *Administratores*, 23, quæst. 5. etc.). 2. In omnes Ecclesiæ Romanæ inobedientes, qui apostolicis decretis contraire audent vel per hæresim vel per schisma ; sed hæc spectat ad bullam *Cœnæ ;* uti et illa, quæ habetur cap. *Licet*, De election. 3. In eos qui ratas habent ordinationes, beneficiorum collationes, rerum ecclesiasticarum alienationes a schismaticis factas (cap. 1 De schismat.). 4. In religiosos qui e claustris exeunt ad audiendas leges, sive civilis juris prudentiam, vel medicinam, intra duos menses ad claustrum non redeuntes. Probabilius autem eam non incurrunt ii, qui exeunt ad eas scientias docendas ; multo magis nec magistri ac doctores, qui illas docent religiosos, vel clericos sæculares, vel ad illas audiendas eos admittunt. 5. In sacerdotes assumentes officium gubernationis sæcularis habentis annexam jurisdictionem temporalem, illud exercendo tanquam alicujus principis ministros (cap. *Ne clerici*).

Sect. IV. — *De excommunicationibus non reservatis in libro* VI Decretalium *latis.*

Dico : Hæ in dicto libro habentur : 1. In mittentes ad cardinales in conclavi pro eligendo summo pontifice conclusos nuntium, vel secrete cum aliquo eorum loquentes (cap. *Ubi periculum*, De elect.). 2. In rectores civitatis, in qua papa moritur, si negligenter aut fraudulenter sibi præscripta egerint (in eodem cap.). 3. In gravantes personas ecclesiasticas, eo quod non elegerint eum, pro quo rogabantur (cap. *Sciant*, De elect.). 4. In occupantes jura aut bona ad ecclesias vacantes pertinentia (cap. *Generali*, De elect.). 5. In eos qui dum electioni monialium intersunt, aliquid faciunt, unde possit oriri discordia inter eas super electione (cap. *Indemnitatibus*, De electione). 6. In extorquentes per vim aut metum ab ecclesiastico judice absolutionem a censura (cap. *Unicum*, De his quæ vi). 7. In eos qui per fraudem efficiunt, ut judex personaliter feminam adeat, ejus testimonium per se ipsum interrogaturus. 8. In laicos compellentes prælatos ecclesiasticos ut immobilia bona, vel jura suarum ecclesiarum laicis subjiciant, et in eos qui res sic habitas non dimiserint (cap. 2 De rebus eccles. non alienandis). 9. In eos qui imponunt vel exigunt ab ecclesiis aut ab ecclesiasticis personis pedagia, quidagia, et similia tributa per se vel per alium suo vel alieno nomine pro personis ipsis aut rebus suis propriis, quas non deferunt vel transmittunt negotiationis causa, quæ tunc censetur fieri quando res emitur in uno loco, ut in alium deferatur ad eum ibi vendendum cum aliquo lucro. Hinc si clericus transmittat vel sui beneficii, vel sui patrimonii fructus, ut alibi eos vendat, non possunt ab illo exigi vectigalia seu pedagia ; idemque erit si ea quæ emit ad usus suos bona fide et sine animo negotiandi, postea transmittat, ut vendantur, quia illis non indiget. 10. In religiosos suæ religionis habitum sine rationabili vel saltem apparenter rationabili causa dimittentes, cum regulæ seu legis contemptu, et in eos religiosos qui accedunt ad studia extra claustrum sine prælati licentia ; et extenditur hæc excommunicatio ad magistros seu doctores legum vel medicinæ, qui præsumunt in suis scholis retinere religiosos, qui habitu dimisso istis scientiis vacant (cap. *Ne clerici*, vel *monachi*). 11. In eos *qui scienter præsumunt corpora hæreticorum, credentium, receptorum et defensorum eorum, ecclesiasticæ tradere sepulturæ* (cap. 2 De hæret.). 12. In rectores aut dominos temporales impedientes promotionem officii inquisitionis (cap. *Ut inquisitionis*, De hæret.). 13. In mandantes aliquem Christianum interfici per assassinos, sive sequatur mors, sive non (cap. 1 De homicidio). 14. In locantes domum usurariis (cap. 1 De usuris). 15. In personas sæculares concedentes represalia, aut pignorationes adversus personas ecclesiasticas, aut earum bona, nisi intra mensem hanc præsumptionem revocaverint.

Sect. V. — *De excommunicationibus non reservatis ipso jure latis in libris* Clementinarum.

Dico : Hæ sunt quæ in dictis libris continentur : 1. In impedientem quamdam bonorum ecclesiasti-

corum sequestrationem, aut ista bona occupata sequestrare (Clem. unica De sequestr. poss. et fruct.). 2. In sepelientes in loco sacro publice excommunicatos, publice interdictos, publice usurarios aut alios tempore interdicti (Clem. 1 De sepult.). 3. In religiosos occupantes decimas vel earum solutionem impedientes in casibus ibi prohibitis (Clem. 1 De decimis). 4. In monachos nigri habitus et canonicos regulares accedentes ad curias principum sine licentia, ut suis prælatis aut monasteriis damnum aliquod inferant ; et in eosdem monachos intra septa monasteriorum sine licentia abbatum arma tenentes (Clem. *Ne in agro*, De statu monach.). 5. In eos qui non obstante admonitione impediunt visitatores monialium in suo munere (Clem. *Attendentes*, De statu monachorum). 6. In contrahentes matrimonium (utrumque contrahentem comprehendendo) cum consanguinea aut affine in gradibus prohibitis, aut cum moniali ; item in religiosum aut clericum in sacris constitutum ineuntem matrimonium (Clem. unic. De consang. et affin.). Femina autem cum hoc clerico aut religioso contrahens matrimonium, non incurrit hanc censuram, quia in illam non est directe lata. 7. In inquisitores, etc., qui prætextu officii pecuniam extorquent, aut bona Ecclesiæ fisco applicant (Clem. 3 De hæret.). 8. In potestates, capitaneos, rectores, judices, etc., foventes usuras per statuta præcipientia, ut solvantur usuræ, vel impedientia ne repetantur (Clem. *Unic.* De usur.). 9. In religiosos transgredientes id quod statutum est in cap. unico De excessibus prælat., in 6 (Clem. *Cupientes*, De pœnis). Hæc autem Clementina per specialia Mendicantium privilegia jam abrogata est.

Sect. VI, VII. — *De excommunicationibus non reservatis in libris Extravagantium, et extra corpus juris latis.*

Dico : Hæ in dictis libris habentur : 1. In impugnantes litteras a papa nondum coronato concessas (extrav. ultim. De sent. excomm.). Statim enim atque papa eligitur, est vere episcopus ac papa a Christo constitutus. 2. In alienantes bona ecclesiastica contra Pauli II prohibitionem (extrav. unic. De rebus Ecclesiæ). Sed hæc non est usu recepta, et maxime quoad pœnas. 3. In impedientes legatos papæ ab exsecutione sui muneris, vel non recipientes illos (extrav. unic. De consuetud.). Sed hæc in bulla *Cœnæ* continetur. 4. In fratricellos (extrav. *Sancta Romana*) ; sed nunc subjectum non exstat. 5. In eos qui librum vel scripturam imprimunt vel imprimere faciunt absque approbatione præscripta (*Conc. Later.* sub Leone X, sess. 10, decr. 3). Hujus autem concilii censuræ non sunt usu receptæ ; sed pro hac re vide *Concilium Tridentinum* (sess. 4), et indicem librorum prohibitorum, aut bullam *Cœnæ*. 6. In eum qui præsumpserit docere, prædicare, vel pertinaciter aut disputando defendere non esse necessarium habenti conscientiam peccati mortalis, confessionem sacramentalem præmittere ante communionem, si sit copia confessarii (*Conc. Trid.*, sess. 13, can 11, 7). In raptores alicujus feminæ et in omnes illi auxilium, consilium aut favorem præbentes (*Conc. Trid.*, sess. 4, cap. 6, *De reform. matrim.*). 8. In eos qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogunt, quominus libere matrimonium contrahant (*Conc. Trid.*, sess. 24, cap. 9 *De reform. matrim.*). 9. In sæculares magistratus, qui requisiti a prælatis ecclesiasticis auxilium suum non dederint ad clausuram monialium instaurandam aut conservandam ; item in omnes personas quæ intra septa monasterii ingressæ fuerint absque legitima facultate episcopi vel superioris in scriptis obtenta (*Conc. Trid.*, sess. 25, cap. 5 *De regul.*). 10. In cogentes feminam ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, exceptis casibus in jure expressis ; item in dantes ad id favorem, auxilium, aut consilium. Item in eos omnes qui quamcunque feminam volentem religionem profiteri, absque justa causa quoquo modo impediunt (*Conc. Trid.*, sess. 25, cap. 18 *De regul.*). 11. In omnes temporales dominos qui locum ad monomachiam in suis terris concesserint, et in eos qui in duello pugnant ; item in eos qui consilium dederint aut suaserint et in ipsos spectatores (*Conc. Trid.*, sess. 25, can. 19, *De reform.*). 12. In edentes commentarios, seu interpretationes in decreta concilii Tridentini absque pontificis auctoritate (bulla Pii II). Istud intelligitur de propriis commentariis aut glossis ; non est enim vetitum illius decreta interpretari, ut constat ex usu et necessitate. Præter has relatas excommunicationes, sunt adhuc aliæ variæ, quas non constat esse receptas ; vel revocatæ sunt, vel nunquam etiam in usum redactæ.

DISPUTATIO VICESIMA QUARTA.

De excommunicatione minori

Sect. I, II. — *An una tantum sit excommunicatio minor, quid sit, et quos effectus habeat.*

Dico 1 : Excommunicatio minor est censura quæ privat participatione omnium sacramentorum, et prout nunc est in usu Ecclesiæ, tantum est unius speciei, quamvis olim quædam pœnæ, v. gr. separatio a communione quorumdam fidelium, et privatio solius Eucharistiæ, vocarentur etiam excommunicatio, sed nunc iste loquendi modus et usus exolevit.

Dico 2 : Proprius et adæquatus excommunicationis minoris effectus est privare hominem usu et participatione sacramentorum non minus quam excommunicatio major ; sed excommunicatio major, præter hunc effectum, longe plures alios habet. Hinc ligatus excommunicatione minore peccat graviter si suscipiat sacramenta, quamvis ipsa sacramenta sint valida. Attamen illa suscipiendo aut celebrando nullam incurrit irregularitatem. Quare præter dictam sacramentorum privationem, omnes alii ecclesiasticæ jurisdictionis actus, tam sacri quam

civiles, sunt illi liciti, v. gr. missam audire, absolvere alium ab excommunicatione, communibus Ecclesiæ suffragiis participare, civilibus negotiis tam in judicio quam extra judicium interesse, ac denique quacunque aliorum communicatione uti potest.

Dico 3 : Ligatus excommunicatione minori non peccat, ne venialiter quidem, ministrando sacramenta, contra quosdam volentes eum peccare. Dum ergo Innocentius, in cap. ult. De cleric. excomm. minist., sic dicit : *peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*, loquitur de episcopo ordinante, qui, communicando seu recipiendo Eucharistiæ sacramentum in missa, peccat ; similiter peccabit sacerdos consecrando Eucharistiam, quia oportet ut illam recipiat. Si tamen illam ministret tantum ex præconsecratis hostiis, non peccabit.

Dico 4 : Is qui excommunicatione minori ligatus est, non potest eligi ad gradus, dignitates vel beneficia ecclesiastica (secus autem ad temporalem dignitatem vel ministerium, aut ad regnum, ad cathedram etiam sacræ lectionis) : cum enim excommunicatio minor usum passivum sacramentorum impediat, consequenter impedit quoque electionem ad illud munus quod istum usum requirit. Et si eligatur scienter a quavis parte, ejus electio irritanda est (cap. ultim. De elect. excom. minist.). Unde ista electio est quidem valida, sed per sententiam irritari potest ac debet. Scienter autem eligentes ejusmodi excommunicatum, ob talem electionem, nullam juris pœnam incurrunt, sed pro ea vice non privantur jure eligendi. Deinde quamvis munus aut beneficium ecclesiasticum, ad quod ille excommunicatus eligitur, non ordinetur per se ad alicujus sacramenti susceptionem, neque in exercendo suo munere illam requirat, talis tamen electio videtur irritanda ; quia juris decisio generaliter procedit de electione ad quodvis beneficium ecclesiasticum, sive obliget ad celebrationem missæ aut sacri ordinis susceptionem, sive non. Denique prædicti effectus excommunicationis minoris, etiam nunc post extrav. *Ad evitanda*, locum habent respectu excommunicati qui sic eligitur, quia per illam extrav. nullus favor fit ipsis excommunicatis.

Sect. III, IV. — *Quibus modis et causis incurratur excommunicatio minor ; et quis possit ab ea absolvere.*

Dico 1 : Etsi excommunicatio minor possit ferri ab homine per sententiam sive particularem sive generalem, sicut major excommunicatio, tamen iste modus eam ferendi nunc non est in usu, sed tantum fertur a jure, et quidem ob unicam causam; nimirum ob indebitam participationem cum excommunicato majori excommunicatione ; et ad eam incurrendam requiritur culpa, non quidem necessario mortalis, sed venialis etiam sufficit, modo sit deliberata, quia venialis ex imperfecta deliberatione et advertentia probabiliter non sufficit. Varii alii casus, ad quos videtur excommunicatio minor in jure imponi, minime hoc probant. Ea quæ requiruntur ad ferendam excommunicationem majorem ab homine per sententiam sive particularem, sive generalem, eadem etiam requiruntur ad ferendam minorem. Hinc

Dico 2 : Si excommunicatio minor sit lata ab homine per sententiam particularem, solus, qui eam tulit, potest ab ea absolvere vel ejus superior, vel qui ab eo delegatam habet potestatem. Ab illa vero quæ est lata a jure, et probabiliter ab illa etiam quæ est lata ab homine per sententiam generalem, potest absolvere omnis sacerdos qui habet potestatem absolvendi a peccatis mortalibus. Imo parochus nondum sacerdos, videtur posse ab ea absolvere, quia ex vi sui muneris habet ordinariam in foro animæ jurisdictionem, adeoque sufficientem ad hunc actum absolutionis a censura. De forma absolvendi ab hac censura nihil habetur particulare, sufficit ut verbis quibusvis aut alio modo sufficienter declaretur absolvi reum ab ista censura in particulari.

DISPUTATIO VICESIMA QUINTA.

De suspensione quoad essentiam et species ejus.

Sect. I, II.—*Quid sit suspensio, et quotuplex.*

Dico 1 : Suspensio est censura quædam ecclesiastica, qua minister Ecclesiæ impeditur ne functiones ecclesiasticas exerceat, aliquave ecclesiastica potestate utatur. Dum autem suspensio imponitur tantum ut delictum puniatur, non vero ut a contumacia recedatur, tunc non habet rationem censuræ seu suspensionis, quia est tantum pœna ad certum tempus imposita, quo elapso per se cessat sine alia absolutione, nec requirit præviam admonitionem ; censura vero non potest habere terminum præfixum, nec per se cessat, sed requirit absolutionem et monitionem ad eam imponendam. Hinc habetur dari suspensionem, quæ sit pure pœna vindicativa et improprie dicta suspensio, et dari aliam quæ sit censura medicinalis et proprie dicta suspensio. Ex dicta definitione suspensionis, patet quomodo ab excommunicatione majore et interdicto distinguatur.

Dico 2 : Omissis variis suspensionis divisionibus impropriis, illa dividitur præcipue in suspensionem a beneficio tantum seu a jure percipiendi fructus ecclesiasticos ; et ab officio tantum, seu ab omni potestate spirituali ad spiritualem actum sive ordinis sive jurisdictionis, sive administrationis ecclesiasticæ exercendum ; et ab utroque simul. Atque hæc suspensio potest esse vel a jure, vel ab homine. Quando autem fertur suspensio ab officio et beneficio simul, sunt duæ distinctæ censuræ. Et suspensio ab officio potest esse totalis ab ordine et jurisdictione ; vel partialis ab ordine tantum, vel a jurisdictione tantum. Imo et partialiter quoad ordinem, potest quis esse suspensus a collatione presbyterii vel a celebratione missæ, vel a munere confessarii : similiter quoad jurisdictionem potest quis esse suspensus a collatione beneficiorum, vel ab electione, etc. Idem dic de suspensione a beneficio : potest enim aliquis esse suspensus ab omnibus ejus pro-

ventibus, vel a dimidia parte, vel a quotidianis distributionibus.

DISPUTATIO VICESIMA SEXTA.

De suspensione ab officio, quid sit, et quos effectus habeat.

SECT. I. — *An suspensio ab officio simpliciter lata, privet omni usu ordinis et jurisdictionis spiritualis.*

Dico 1 : Hæc suspensio non privat hominem ipsomet officio, a quo illum suspendit, neque tollit ipsam potestatem quasi radicalem, sed tantum impedit ejus usum. Imo illum qui habet tantum jurisdictionem delegatam, non privat ea in habitu, sed tantum in actu ; officium autem consistit non tantum in actu jurisdictionis, sed etiam in habitu, ideoque non privat illum officio, sed ejus usu.

Dico 2 : Suspensio ab officio absolute prolata privat omni ordinis et jurisdictionis ac muneris ecclesiastici usu, quantum persona capax est ; habetur ex cap. *Cum dilectus*, De consuetud. (D. Thomas, Innocentius, etc.) : nisi contineantur in suspensione quædam verba quæ illam limitent ad partem tantum, seu ad privationem certi tantum alicujus usus jurisdictionis aut ordinis. Hinc suspensus ab officio, si durante suspensione divina celebret, incurrit irregularitatem ; non tamen illa recipiendo aut aliud faciendo. Deinde si suspensio ab officio sit absolute lata sine loci determinatione, universaliter pro quolibet loco lata esse intelligitur. Sicut enim excommunicatus in uno loco, est excommunicatus pro omni loco, ita suspensus in uno loco, si absolute ac simpliciter sit suspensus, etiamsi ab episcopo, pro omni tamen loco est suspensus ; secus vero si fuerit tantum pro aliquo loco determinato suspensus. Idem dic de duratione suspensionis : si enim suspensio proferatur absque temporis limitatione, semper durat donec auferatur ab habente potestatem ; secus vero si ad certum tempus feratur, uti sæpe sit ; finito enim termino designato per se definit absque absolutione, quia dum sic fertur, non est proprie censura, ad quam necessario requiratur absolutio, sed est pura pœna, quæ non transgreditur fines lege præscriptos. Si autem suspensio nec absolute nec ad certum tempus feratur, sed sub conditione, v. gr. . *Donec satisfaciat, vel restituat, vel a contumacia recedat*, tunc durat quandiu conditio non impletur ; impleta autem conditione quomodo cesset, et an ad eam tollendam requiratur absolutio, dicetur postea. Sed si feratur suspensio sub hac conditione : *Usque ad beneplacitum meum*, impletur conditio per mortem ferentis, et cessat suspensio ; secus, si feratur : *Usque ad revocationem*, quia tunc durat post mortem ferentis.

SECT. II. — *Quale sit peccatum violare suspensionem ab officio, et talis actio quantum valeat.*

Dico 1 : Graviter peccat is qui, dum suspensus est ab officio, aliquid officii ecclesiastici exercet, utpote transgrediens gravem Ecclesiæ prohibitionem. Non est tamen ille suspensus a recitatione officii canonici ; tenetur enim illud privatim recitare, quia hoc est onus, non honor, et illud per pœnam non tollitur. Actus ordinis, quos ille exercet, sunt validi ; secus vero actus jurisdictionis, nisi suspensio sit occulta, aut non denuntiata. Imo nunc post extrav. *Ad evitanda*, quando suspensio non est denuntiata, hujusmodi suspensus non solum valide, sed etiam licite actus jurisdictionis potest exercere, quando non potest prius absolvi, nec ipse se ingerit, sed alius ab ipso exigit debitum.

Dico 2 : Suspensus ab officio, si actum ordinis ante absolutionem exerceat, fit irregularis ; habetur ex cap. 1 De sent. et re judic., in 6, et ex cap. 1 De sent. excomm., ibid., etc. Si vero actum solius jurisdictionis usurpet, v. gr. conferendo beneficium, etc., nullam habet pœnam ipso jure impositam, sed arbitrio judicis puniri debet, quia agit contra censuram et Ecclesiæ prohibitionem. Hanc autem irregularitatem incurrit non tantum denuntiatus suspensus, sed etiam non denuntiatus, si peccet actum ordinis exercendo, etiamsi suspensio esset solum lata in puram pœnam.

Dico 3 : Suspensio non privat suspensum communicatione fidelium, in quo maxime differt ab excommunicatione, nec ulla fidelibus prohibita est participatio cum illo, præter participationem seu cooperationem cum illo in delicto vel in malo usu officii, a quo est suspensus ; non tamen participans ob id incurrit aliquam pœnam, seu excommunicationem minorem, aut suspensionem, in quo etiam differt ab excommunicatione.

SECT. III. — *An suspensus ab officio, sit etiam suspensus a beneficio, vel ab aliquo alio actu sive sacro, sive profano.*

Dico 1 : Ex vi suspensionis ab officio, non privatur quispiam beneficiis quæ possidebat ; cum nec per suspensionem a beneficio privetur quis titulo et proprietate suorum beneficiorum, imo variis varia opinantibus ; quando suspensio ab officio præcise fertur sive a jure, sive ab homine, per se non includit suspensionem a beneficio, adeoque non privat sic suspensum fructibus beneficii, exceptis distributionibus, quæ non conferuntur nisi iis qui per se assistunt, seu ministrant in divinis officiis : ita communiter doctores, et colligitur ex Clem. *Cupientes*, De pœnis ; et ex cap. *Apostolis*, De except. Nec in illa particula ab *officio*, virtualiter comprehenditur beneficium, quod licet propter officium detur, non tamen semper necesse est, ut is qui habet beneficium, per se aliquod ecclesiasticum ac publicum munus exerceat ad percipiendos valide et interdum licite beneficii fructus ; deinde suspensus tenetur semper officium canonicum, saltem privatim recitare, quod est præcipua vel magna pars oneris quod per beneficium imponitur. Nec refert quod suspensio lata sit vel ob crimen vel ob aliam causam, vel ob crimen grave aut leve ; est enim semper suspensio. Præterea suspensio ab officio impedit adeptionem novi beneficii. Colligitur ex cap. ultim. De cleric. excomm. ministr., ubi statuitur

eum, qui privatus est aliquo munere vel actu, etiam esse privatum susceptione eorum quæ ad talem actum vel munus ordinantur. Attamen electio ejusmodi suspensi non est irrita, sed tantum irritanda ; non est enim persona inhabilis, sed prohibita.

Dico 2 : Per suspensionem ab officio non prohibetur quis participatione sacramentorum, fidelium suffragiis, indulgentiis, ecclesiastica sepultura, ingressu Ecclesiæ, aut alio spirituali opere, quod non est officium ministerii ecclesiastici ; præter susceptionem sacramenti ordinis, quia hæc est via ad ecclesiasticam functionem peragendam. Denique hæc suspensio ab officio simpliciter lata non impedit alia munia, vel usum aliarum functionum quæ non ad ecclesiastica, sed ad sæcularia officia spectant : est enim tantum suspensio ab officio ecclesiastico, non sæculari.

Sect. IV. — *Quos effectus habeat suspensio ab officio, quæ non simpliciter, sed ex parte fertur.*

Dico 1 : Suspensio quæ ex parte fertur, suspendit clericum ab ea tantum parte officii quæ per verba suspendentis significatur, et ab omni superiore functione quæ illam intrinsece supponit ; non vero ab inferiore, neque a qualibet alia omnino diversa, seu disparata. Unde suspensus ab ordine sine alia limitatione, est quidem suspensus ab omni usu ordinis, sed non a jurisdictione, aut quavis functione ecclesiastica, quæ ab ordine per se non pendet, v. gr. non est suspensus a jure eligendi. Contra suspensus ab officio sacerdotali, suspenditur ab episcopali ordine seu consecratione, quia superior et nobilior functio est, inferiorem supponens ; non tamen suspenditur ab usu inferiorum ordinum. Sic suspensus ab officio celebrandi, alios sacerdotalis officii actus licite potest exercere. Denique in hac materia standum est sententiæ aut legis verbis, ita ut solus ille ordinis actus sit prohibitus, qui in suspensionis determinatione exprimitur vel qui cum eo sit necessario connexus.

Dico 2 : Dum quis suspenditur simpliciter a jurisdictione, tunc suspensio est a tota spirituali jurisdictione, non autem ab ordinis actibus qui nullam requirunt jurisdictionem, v. gr. sacrum facere. Quando vero suspensio fertur tantum cum certi actus determinatione, seu partis jurisdictionis, v. gr. a collatione beneficiorum, tunc tantum suspenditur ab eo actu seu parte jurisdictionis, quæ per verba suspensionem determinantia significatur, nisi fortasse habeat necessariam cum alio actu connexionem, ita ut sine illo fieri nequeat. Hinc sequitur suspensum partiali suspensione graviter peccare exercendo functionem ullam spiritualem a qua suspensus est, non vero aliam. Denique si sit suspensio a jurisdictione, nulla irregularitas incurritur, aut alia specialis pœna ipso jure lata ob ejus transgressionem, sed puniri debet arbitrio judicis ; si sit autem suspensio ab ordine, incurritur irregularitas exercendo ex officio actum ordinis contra talem suspensionem respective.

DISPUTATIO VICESIMA SEPTIMA.

De effectibus suspensionis a beneficio.

Sect. I. — *Quid sit suspensio a beneficio simpliciter lata, et quos effectus habeat.*

Dico 1 : Suspensio a beneficio simpliciter lata, non tollit ipsum beneficium, sed impedit solum jus beneficii, ne quis possit illo uti ad fructus beneficii percipiendos ; ita ut nihil aliud sit a beneficio suspendi quam fructus beneficii non facere suos. Ista autem suspensio a beneficio, non operatur suspensionem ab officio, nec impedit aliquem ejus actum ; imo nec tollit obligationem quæ antea inerat tale officium exercendi, v. gr. dicendi missam ob beneficium simplex, quia licet detur beneficium propter officium, in pœnam tamen potest quis privari beneficii emolumento ; et quia non privatur beneficii titulo, potest cum priori obligatione ipsi beneficio annexa relinqui ; deinde quod non recipiat illius fructus, ipsius culpa est. Potest tamen superior seu episcopus permittere, cum rationabili causa, ut ad satisfaciendum suspensi muneri, alius loco illius substituatur, qui de beneficii fructibus alatur.

Dico 2 : Ex genere suo graviter peccat is qui, cum suspensus est a beneficio, fructus beneficii usurpat, et tenetur ad illos restituendos absque alia judicis sententia ; usurpat enim quod non est suum : non incurrit tamen irregularitatem, nec aliam pœnam ipso jure impositam. Dum quis generaliter suspenditur a beneficio, intelligitur de omni beneficio (non tamen de omnibus ejus beneficiis) : hæc enim locutio absoluta et indefinita virtualiter includens negationem, æquivalet universali, nisi aliunde determinetur ad aliquam tantum partem. Atque hujusmodi suspensio comprehendit quodvis beneficium sive simplex, sive dignitatem aut rectoriam habens, etiamsi pensiones ex titulo spirituali datas, imo ipsum episcopatum : denique omne beneficium in quocumque loco exsistat aut possideatur, etiamsi suspensio sit solum lata ab episcopo. Attamen in usu nonnulli sentiunt sententiam ab episcopo prolatam, si nihil amplius declaretur, interpretandam esse ut suspendat solum a beneficiis in suo territorio sitis ; cæterum in hoc certius esse videtur consulere consuetudinem.

Dico 3 : Suspensio simpliciter et sine ulla temporis determinatione lata, semper et continue durat, privatque hominem fructibus beneficii aut beneficiorum, quæ obtinebat quando lata est, donec per superiorem tollatur. *Fructibus,* inquam, futuris beneficii seu jam possessi, seu possidendi ; collatio enim novi beneficii suspenso non est omnino irrita, sed irritanda tantum. Si autem suspensus nullum prius habebat beneficium, an sit privatus fructibus beneficii tempore suspensionis acquisiti, pro et contra potest responderi. Per fructus quibus suspensio privat hominem, intelliguntur omnes reditus

temporales qui ratione beneficii conferuntur, sive sint pecuniæ, sive sint terræ fructus, sive animalia se moventia, sive etiam distributiones quotidianæ; non tamen voluntarie a fidelibus oblata tanquam eleemosynæ ratione missæ, aut alterius divini beneficii ob opera personalia; secus vero si aliquo modo ratione beneficii. Item per istos fructus intelliguntur etiam quædam actiones quæ ad fructus percipiendos, augendos aut pertractandos ordinantur, quales sunt locare beneficium aut ejus bona, vendere fructus, et quævis beneficii administratio; ista enim sunt illi prohibita, et juxta quosdam invalida, si fiant in præjudicium Ecclesiæ. Episcopus autem suspensus a beneficio episcopatus, potest beneficia conferre, quia istud non ad fructus, sed ad officium episcopatus pertinet. Similiter suspensus a beneficio, potest eligere, quia electio non est fructus beneficii, neque ejus actus, ut beneficium est, sed actus officii spiritualis, cui annexum est beneficium.

Sect. II. — *De effectu suspensionis partialis a beneficio.*

Dico: Suspensio partialis, alia est qua quis privatur parte fructuum beneficii ejusdem; alia qua quis habens plura beneficia, aliquibus tantum, et non omnibus privatur. Utraque est vera censura, et habet effectum quem verba ipsa suspensionem determinantia declarant, et non alium. Suspensus, licet egens sit, non est alendus ex fructibus ejus beneficii, sua enim culpa patitur istam indigentiam; nec fructus amissi tempore suspensionis, si sententia fuerit valida ac justa, recuperari possunt, seclusa dispensatione, non enim ad illos habet jus; secus vero, si sententia fuerit nulla aut injusta.

DISPUTATIO VICESIMA OCTAVA.

De causis suspensionis.

Sect. I, II.— *Quis possit suspensionem ferre, et in quas singulares personas.*

Dico 1: Qui potest excommunicationem ferre, etiam potest suspensionem; et hæc potestas alia ordinaria, alia delegata: suspensio autem alia est a jure, alia ab homine. Non licebat olim episcopo ferre in presbyterum suspensionem ad puram delicti vindictam sine judicio capituli; sed nunc consuetudine id abrogatum est, ideoque episcopi possunt libere uti sua jurisdictione.

Dico 2: Suspensio non potest ferri nisi in clericum; sub nomine *clerici* comprehendo etiam primam duntaxat tonsuram habentem. Dum in extrav. unica De censibus, laicus suspenditur a communione, id intelligitur de prohibitione communicandi, seu sumendi Eucharistiam, non de propria censura.

Dico 3: Omnes clerici, excepto papa, sunt capaces suspensionis, etiam episcopi et cardinales. Qui autem sunt recepti in speciales Romanæ Ecclesiæ filios, juris privilegio excipiuntur quidem ut non possint ab aliis interdici et excommunicari, sed non dicuntur non posse suspendi. Episcopi non possunt per generalem sententiam suspendi (habetur in cap. *Periculosum est*, De sent. excomm., in 6); possunt vero omnes reliqui inferiores clerici. Denique sub suspensione generatim in omnes clericos latæ comprehenduntur non tantum sæculares clerici, sed etiam religiosi, nisi ex tenore et aliis circumstantiis canonis vel sententiæ alia limitatio colligatur.

Sect. III. — *An et quomodo suspensio in communitatem ferri possit.*

Dico 1: Capitulum aut communitas juxta jus potest suspendi, quia est capax culpæ et capax officii et beneficii ecclesiastici; ergo etiam capax privationis seu suspensionis ab hujusmodi officio et beneficio. Unde

Dico 2: Suspensio ferri potest in communitatem præcise ut est communitas, seu quatenus est unum corpus politicum, habens actiones proprias: et bona etiam propria, quæ ita pertinent ad totam communitatem, ut ad singulas personas per se non spectent. Suspensio enim ab officio quoad actus collationis beneficiorum habetur ex cap. unico *Ne sede vacante*, in 6; et quoad ordinis actus potest suspendi a delegandis confessariis, sede vacante; item suspendi a beneficiis, quæ tota communitas interdum habet sibi unita.

Dico 3: Potest etiam capitulum seu communitas suspendi distributive, ita ut singulæ illius personæ a suis propriis ac personalibus officiis aut beneficiis suspendantur; quando enim totum capitulum ita delinquit ut sit suspensione dignum, istud delictum ita est totius corporis, ut tamen per singulas personas exerceatur: delictum enim potest esse et omnium et singulorum, adeoque dignum suspensione. Attamen, juxta frequentem usum, solum fertur suspensio in capitulum præcise quatenus est capitulum, nisi aliud in jure vel sententia expresse declaretur. Capitulum enim in rigore non significat singulas personas de capitulo, sed ipsam universitatem; ergo suspensio capituli solum communitatem ligat quatenus unum corpus est. Et hæc communitas debet esse ecclesiastica, seu clericorum, utpote qui soli sunt capaces suspensionis.

Sect. IV, V. — *An suspensio solum ferri possit ob culpam, eamque mortalem; et quis modus servandus in ea ferenda.*

Dico 1: Potest interdum late dici suspensio de omni prohibitione utendi aliqua potestate, et sic non semper requirit culpam ejus qui suspenditur, sed causa justa potest sufficere, ut colligitur ex cap. *Vel non compos*, De temp. ordin., ubi puer ordinatus in ætate tredecim annorum sine sua culpa ut apparet, suspenditur ab exsecutione officii diaconi usque ad ætatem legitimam. Suspensio autem, prout dicit propriam censuræ vel saltem pœnæ ecclesiasticæ speciem, requirit aliquam culpam ejus qui per illam directe ac per se suspenditur. Imo prior suspensio late dicta, seu prohibitio requirit semper aliquam causam sufficientem, ut dum sacerdos ob lepram vel quid simile removetur ab officio altaris.

Dico 2: Suspensio gravis, v. gr. ab omnibus be-

neficii fructibus, et quales ordinarie sunt quæ a jure communi latæ sunt, requirit culpam mortalem, sine qua peccans ex imperfecta advertentia aut ex levitate materiæ eam non incurret : si autem suspensio sit levis, v. gr. ab uno electionis actu, ab unius horæ vel diei distributionibus, ob culpam venialem potest incurri.

Dico 3 : Quoad formam servandam in suspensione ferenda, si sit suspensio a jure, nulla alia opus est forma præter verba legis, quibus sufficienter significetur talem suspensionem ipso facto incurrendam a faciente id quod prohibetur. Si autem sit ab homine ob contumaciam, debet præcedere monitio ; secus autem, si sit tantum in puram delicti pœnam : nec ad eam ferendam opus est aliis verbis præter illa quæ sufficienter significent modum et speciem seu effectum suspensionis. Ista tamen verba non sola voce, sed scripto exhibenda sunt juxta cap. 1 De sent. excom., in 6, quamvis hoc non sit de substantia, sed de præcepto tantum. Nullum suspensum vitare tenentur fideles nisi in iis, in quibus id ex natura rei consequitur, vel ob cooperationem in re illicita, vel ob modum operandi ex se indebitum, quale peccatum foret illicite inducere suspensum ab officio ad celebrandum, aut ad dandam absolutionem sacramentalem, vel suspensum a beneficio facere participem fructuum ecclesiasticorum.

DISPUTATIO VICESIMA NONA.

De ablatione seu absolutione suspensionis.

Sect. I. — *Quomodo et a quo auferatur suspensio ; quæ est pura pœna ob delictum commissum.*

Dico 1 : Suspensio ad certum tempus lata, lapso tempore ipso jure tollitur. (Glossa, Innocentius, Navarra, Angelus, etc.) Cum enim suspensio vim suam habeat ex prohibitione Ecclesiæ, elapso ergo prohibitionis tempore, illa per se cessabit ; ac proinde is, qui sic suspensus erat, potest tunc suo fungi officio, vel fructibus sui beneficii frui sine alia facultate vel declaratione superioris, cum sit impedimentum sublatum. Istud autem suspensionis tempus incipit currere ab eo momento ex quo sententia suspensionis lata est, si sit suspensio ab homine ; vel ex quo delictum contra jus commissum est, si sit a jure : et iste lapsus temporis juxta physicum et naturalem cursum continuum computandus est, finiturque ultimo die completo ; si sit suspensio ad annum, finitur ultimo die completo anni computati ex trecentis sexaginta quinque diebus, etiamsi foret bissextilis, nisi aliter constet de mente suspendentis. Et quamvis suspensus in decursu istius temporis præscripti violet vel casu vel malitia latam suspensionem, atque aliquid faciat contra prohibitionem ipsi factam, præscriptum tamen suspensionis tempus ob id non interrumpitur, sed continue fluit a momento in quo inchoatum est, quo finito cessat suspensio ; nec tenetur tot diebus aut vicibus abstinere a suspensionis actibus, quot illos male exercuit tempore suspensionis : sicut non jejunans aliquot diebus in Quadragesima, elapso Quadragesimæ tempore non tenetur illos recuperare seu tot dies postea jejunare.

Dico 2 : Suspensio ad certum tempus vel etiam in perpetuum explicite lata, per superioris dispensationem tolli potest nondum elapso termino, aut quamvis illum non habeat ; et simpliciter lata ob delictum commissum sine adjecta conditione, aut temporis designatione, potest per absolutionem ab habente potestatem tolli. Quæ autem a jure est, sive perpetua, sive ad certum tempus, tantum ab auctore canonis ante tempus elapsum potest auferri (habetur ex cap. *Cupientes*, De elect., in 6) ; secus vero probabilius illa quæ lata est, pro delicto tantum præterito indefinite sine temporis determinatione, et sine perpetuitatis etiam determinatione. Hinc si lex ob certum delictum præcipiat imponi suspensionem, v. gr. triennalem, et episcopus juxta istud jus illam imponat, non potest episcopus illud tempus minuere, nec in illa imposita dispensare, nisi delictum sit unum ex iis, in quibus episcopus potest dispensare.

Sect. II. — *Quomodo et a quo tollatur suspensio ob contumaciam lata.*

Dico 1 : Suspensus ob contumaciam, durante contumacia, non debet a suspensione absolvi, nisi forte aliud expedire prudenter judicaretur, attentis personæ ac negotii circumstantiis : quamvis, si tunc illicite aut injuste absolveretur, factum tamen teneret. Si hæc suspensio sit ab homine, ab eo qui illam tulit, vel ab ejus superiore tolli potest ; si autem sit a jure, durante contumacia, solum ab auctore canonis, vel a superiore, si habeat, tolli potest, sive sit reservata, sive non : aliud est de excommunicatione a jure non reservata, quam ab episcopo vel alio tolli posse jus permittit, quia est magis necessaria ad salutem. Sed postquam hic suspensus recessit a contumacia et satisfactionem congruam præstitit, quidam dicunt, nempe Innocentius, Felinus, Covarruvias, eum ipso facto absolutum esse, ac proinde hominis absolutione non indigeret. Verior tamen est sententia talem suspensionem non tolli posse nisi per absolutionem, sicut non tollitur excommunicatio minor, et interdictum personale, nisi per absolutionem : alioqui nunquam esset necessaria absolutio a suspensione ob contumaciam lata, quod falsum est ; nam quando non recessit a contumacia, non debet absolvi per se loquendo. Ergo si quando recessit a contumacia, jam non indigeat absolutione, nunquam ea indigebit. Deinde hæc suspensio ob contumaciam, interdum fertur cum reservatione ; ergo supponit requiri absolutionem ad eam tollendam. Imo quamvis suspensio lata foret sub hac conditione : *Donec resipiscat, satisfaciat, restituat*, postquam impleta est conditio, etiam vel tunc videtur requiri absolutio ad eam tollendam.

Dico 2 : Supposita ergo absolutionis necessitate, in suspensione ab homine lata, absolutio tantum dari potest ab eo qui illam tulit, vel ab ejus supe-

riore ; in suspensione autem a jure lata, si reservata sit, absolutio tantum dari potest ab auctore canonis vel a superiore ; si non sit reservata, ab ordinario tolli potest juxta communem sententiam, practice et usu receptam.

Sect. III. — *De forma absolutionis a suspensione.*

Dico 1 : Pro absolutione suspensionis nulla verborum forma est præscripta, sufficit illa quæ declaret sufficienter effectum, hæcque usitata est : *Ego te absolvo a vinculo suspensionis in quam incurristi, et restituo te exsecutioni tui muneris, vel ordinis, vel tuo beneficio ;* hæc tamen verba : *In quam incurristi,* et reliqua non sunt necessaria nec de præcepto; nec opus est in ista absolutione exprimere causam, nec speciem absolutionis.

Dico 2 : Nulla solemnitas est ab Ecclesia instituta pro hac absolutione, et quando quis aliquem generaliter absolvit a suspensione, intelligitur de omni suspensione, modo habeat requisitam potestatem.

DISPUTATIO TRICESIMA.

De differentia suspensionis a depositione et degradatione.

Sect. I. — *Quomodo suspensio a depositione differat.*

Dico 1 : Suspensio et depositio in hoc quidem conveniunt, quod utraque sit pœna ecclesiastica, clericorum propria, privet ecclesiasticis functionibus, et possit esse ab officio et beneficio ; sed in hoc differunt, quod depositio a beneficio privet in perpetuum beneficio, et reddat inhabilem ad novum beneficium, nec in ea dispensari possit : sed si detur novum beneficium vel idem, non est proprie dispensatio, sed prioris damni reparatio. Suspensio autem non privat beneficio, sed tantum illius usu, nec de se est perpetua nec privat beneficii radice, estque dispensabilis ; deinde depositio a jurisdictione privat ipso munere et dominio jurisdictionis, suspensio privat tantum usu. Depositio autem ab ordine et suspensio ab ordine, quamvis in hoc conveniant, quod utraque non privet ipso ordine per characterem indelebilem impresso, nec validitate actuum ordinis, v. gr. consecrandi, ungendi, etc., nec privilegio clericali seu canonis, nec onere clericali, seu recitandi officium canonicum, si clericus sit in sacris : tamen in hoc differunt quod depositio significet privationem perpetuam et irremissibilem usus ordinis, suspensio vero minime. Denique suspensio perpetua et depositio ab officio, si sint a jure, privant ipso facto beneficiis possessis, et ad futura inhabilitant ; secus vero probabiliter, si depositio sit ab homine.

Dico 2 : Duplex est depositio : alia absoluta quæ fertur sine ordine ad degradationem ; alia respectiva quæ fertur in ordine ad degradationem per quam reus traditur brachio sæculari ad mortem, atque hæc depositio respectiva aliquam solemnitatem requirit; absoluta autem non. Requirit ergo 1° ut fiat a consecrato episcopo proprio, vel ab alio episcopo aut sacerdote de ejus licentia; 2° juxta concilium Tridentinum (sess. 13, cap. 4, *De reform.*), requirit ut episcopus per se vel per vicarium suum prædictam depositionem (nempe sacerdotum et inferiorum clericorum), loco episcoporum assistentium qui ex jure communi præscribuntur, possit exsequi adhibitis tantum abbatibus usum mitræ ac baculi ex privilegio sedis apostolicæ habentibus, si commode possit; si non possit, aliis personis gravibus et in dignitate ecclesiastica constitutis, in eodem numero, in quo episcopi assistentis requiruntur; nempe ad deponendum presbyterum, et tres ad diaconum vel subdiaconum, atque hi episcopi vel prælati assistentes postulantur tanquam judices assessores, ita ut a singulis sint suffragia petenda, et condemnari non possit clericus, nisi pars major consentiat.

Sect. II. — *Quomodo degradatio a suspensione et depositione differat.*

Dico 1 : Degradatio est verbalis depositionis exsecutiò, ac proinde non minus quam depositio, non privat hominem charactere ordinis ejusque actuum validitate nec illius onere, v. gr. recitandi horas canonicas, servandi castitatem, etc., atque hæc degradatio solum videtur fieri posse pro gravissimis criminibus, seu in casibus in quibus post degradationem statim clericus traditur brachio sæculari morte plectendus. Deinde degradatio reddit hominem infamem et inhabilem ad quosvis ordines.

Dico 2 : Degradatio in sua solemnitate differt a depositione sic : post factam depositionem verbalem in præcedenti sectione explicatam, degradandus sacris vestibus indutus et portans sacra instrumenta, id est vasa vel librum, seu ea quæ pertinent ad illum ordinem a quo degradatur, ad episcopi præsentiam adducitur, et ab eo publice illis exuitur, ac tandem raditur seu tondetur illius caput cum aliqua forma ac terrore verborum, quæ effectum hujus degradationis declarant. Deinde brachio sæculari seu judici sæculari traditur, a quo examinata et cognita ejus causa, pœna mortis afficitur. Finita tamen degradatione et traditione, prælatus ecclesiasticus debet efficaciter pro degradato intercedere apud judicem sæcularem, *ut citra mortis periculum sententiam circa eum moderetur* (cap. 2 De pœnis, in 6; et cap. *Novimus,* De verb. sig.). Unde degradatus privatur privilegio clericali, ita ut eum percutiens non incurrat censuram canonis, *Si quis, suadente diabolo ;* et simul privatur privilegio fori, ita ut judex sæcularis possit contra eum procedere, in quibus duabus rebus differt a deposito tantum aut suspenso.

DISPUTATIO TRICESIMA PRIMA.

De suspensionibus in particulari, quæ ipso jure latæ sunt.

Sect. I. — *Ob quas causas clericus maneat suspensus in sua ordinatione.*

Dico 1 : Hæ causæ sequentes in jure habentur, ob quas clericus manet suspensus.

1. Suscipiens ordinem sacrum ab episcopo qui episcopatui renuntiavit quoad locum et dignitatem, adeoque non potest illum licite dare, manet suspensus ab officii exsecutione (cap. 1 De ordinat.) ab episcopo qui renuntiavit episcopatui.

2. Qui ab alieno episcopo sacrum ordinem, imo et probabiliter minores tantum, sine licentia proprii suscipit, juxta concilium Tridentinum (sess. 23, cap. 8, *De reform.*), a *susceptorum ordinum exsecutione suspensus sit, quandiu proprio ordinario videbitur.* Idem probatur ex eodem Tridentino (sess. 14, cap. 3, *De reform.*) et ex variis juris capitibus. Non incurritur autem hæc suspensio in eis casibus, in quibus potest quis legitime ab alieno episcopo sine licentia proprii suscipere ordines; et hi sunt : 1° si proprius episcopus eo quod ordinarit alienos, sine legitima facultate, si ipse suspensus, ejusque suspensio sit manifesta, tunc ipso jure conceditur ejus subditis, ut possint ab alieno episcopo sine proprii licentia ordinari (cap. *Is qui*, De temp. ordinat., in 6). 2° Qui per triennium commoratur cum alio episcopo tanquam de ejus familia, potest ab eo ordinari sine proprii licentia (*Conc. Tridentinum*, sess. 23, cap. 9) ; et addit : *Dummodo dent illis statim beneficium.* 3° Quando unus episcopus ordinat alterius subditum sub spe ratihabitionis, interdum ista ratihabitio potest censeri vim legitimæ facultatis habere.

3. Suspensio lata est ipso jure in concilio Tridentino (sess. 7, cap. 10, *De reform.*) in eum qui vacante episcopatu et non arctatus occasione beneficii recepti vel recipiendi, infra annum cum litteris dimissoriis a capitulo receptis, ordinatur in sacris ; et suspenditur usque ad futuri prælati beneplacitum.

4. Eodem jure concilii Tridentini (sess. 6, cap. 5, *De reform.*) lata est suspensio in eum qui suscipit ordines sine licentia sui episcopi ab alio episcopo ministrante non habente debitam licentiam.

5. Lata est in eum qui ante legitimam ætatem sacrum ordinem suscipit, nisi inculpabilis ignorantia sive facti sive totius juris eum excuset. Hæc autem suspensio non extenditur ad eum qui consecratur episcopus ante legitimam ætatem, seu ante tricesimum ætatis annum (cap. *Vel non est compos*, De tempor. ordin.).

6. Lata est in eum qui sciens sacros ordines suscipit extra tempora ad hoc designata ab Ecclesia sine legitima dispensatione (cap. 2 De temp. ordin.). Hæc suspensio impedit tantum usum ordinis suscepti, non inferiorum, et ab episcopo post sufficientem punitionem probabiliter potest tolli.

7. Lata est in eum qui ficto et ementito titulo ordines suscipit, etiam minores (cap. *Neminem*, dist. 70). Antiquo autem jure non prohibetur ut quis patrimonium aut beneficium, ad cujus titulum ordinatus est, post ordinationem renuntiet ; sed concilium Tridentinum (sess. 21, cap. 2) prohibet hæc bona alienari aut remitti sine licentia episcopi, donec aliunde habeat ordinatus unde vivere possit.

8. Lata est in promotos ad sacros ordines non servatis temporum interstitiis (cap. *Litteras*, De tempor. ordin., etc.).

9. In promotos per saltum (cap. *Sollicitudo*, dist. 52).

10. Lata est in eum, qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, suscipit sacrum ordinem, nisi in casu in quo sacri canones permittunt (extrav. *Antiquæ*, De voto).

11. Lata in eum, qui censura aliqua ligatus, ordines, etiam minores suscipit (cap. 1 De eo qui furtim ordin. suscepit, etc. ; cap. 1 De tempor. ordin., in 6).

12. Lata in eum, qui ab episcopo excommunicato vel suspenso denuntiato recipit sacros ordines, etiam sine culpa ob ignorantiam ; non enim recipit ordinum exsecutionem, ideoque ipso jure manet suspensus : secus vero, ab episcopo excommunicato vel suspenso non denuntiato (cap. 1 De schismat.) ; quia nemo dat quod non habet. Talis autem episcopus non habet usum ordinum, utpote ab Ecclesia illi prohibitum. Idem dic, si episcopus consecretur ab episcopis excommunicatis aut suspensis non toleratis.

Dico 2 : Prædictæ suspensiones ipso jure latæ incurruntur non tantum ob delicta publica et manifesta, sed etiam ob occulta per accidens saltem in foro conscientiæ, id est, ob externa delicta, quæ probari non possunt ; illa enim externa, licet occultissima, potest Ecclesia per legem punire pœna suspensionis, uti punit homicidium occultum pœna irregularitatis. Qui suscipiendo ordinem incurrit suspensionem, dum in sua ordinatione episcopo ministrat, solemniter cantat Epistolam aut Evangelium , aut cum episcopo consecrat, non incurrit irregularitatem ; quia ista ministeria, moraliter loquendo, non sunt actus distincti ab ipsa ordinatione. Ergo cum ob ordinationem incurratur suspensio, non potest incurri irregularitas ob ista ministeria quæ sunt illius actus circumstantiæ. Unde omnia jura antiqua quæ irregularem faciunt eum, qui suspensus ministrat, semper loquuntur de suspensione prius contracta, et de usu ordinum subsequente per actum omnino distinctum, ut patet ex cap. 1 et ex cap. *Is cui*, De sent. excomm., in 6.

Sect. II. — *An aliqua suspensio ipso jure lata sit ob pravum ordinis usum.*

Dico : Clericus faciens actum ordinis in peccato mortali, aut eum faciens invalide, v. gr. baptizando cum vino, nullam incurrit suspensionem ; qui autem in loco interdicto eum contra prohibitionem facit valide, licet fiat irregularis ob censuræ violationem, nullam tamen incurrit aliam suspensionem præter eam quæ in ipsa irregularitate includitur ; uti nec ille, qui celebrat coram excommunicato vel interdicto vitando. Specialiter autem lata est suspensio in clericum qui tradit Christianæ sepulturæ corpus

usurarii publici nominatim declarati ut talis, et in isto peccato morientis; et in eum qui ecclesiasticas illius oblationes, v. gr. in missa ad offertorium, aut alias retributiones tanquam ministro Ecclesiæ datas, habetur in cap. *Quia in omnibus*, De usuris.

Sect. III. — *De suspensionibus quas clerici ipso jure incurrunt ob peccata contra alia munera vel obligationes sibi proprias.*

Dico : Hæ in jure habentur :

1. In clericos beneficiatos indecenti contra suum statum vestitu utentes (Clem. 1, De vita et honest. *cleric.*).

2. In clericos suam ecclesiam alienis debitis gravantes (cap. *Quia periculosum*, De sent. excomm., in 6).

3. In occupantes bona prælati defuncti (cap. *Quia* cleric, De election., in 6).

4. In dantem magisterii gradum sine recepto prius juramento, quod non expendat accipiens ultra summam taxatam (Clem. 2 De magistris).

5. In delinquentes in electione episcopi (cap. *Cupientes*, De election., in 6).

6. In compromissarium eligentem indignum ad episcopatum, aut dignitatem superiorem (cap. *Si compromissarius*, De election., in 6).

7. In clericos eligentes indignum ad episcopatum, aut inferiora beneficia, curam animarum annexam habentia (cap. *Cum injunctis*, De election.).

8. In clericos postulantes ad ecclesiam cathedralem eum, qui nondum attigit vicesimum septimum ætatis annum, etc. (extrav. unic. De postul. prælat.).

9. In eum qui defecit in probatione eorum, quæ contra electum objecerat (cap. 1 De elect., in 6).

10. In eum qui voluntarie consentit electioni per potestatis sæcularis abusum factæ (cap. *Quisquis*, De elect.).

11. In clericos episcopis inferiores, qui pro visitatione ecclesiarum aliquid recipiunt (cap. *Romana*, De non recipiend., etc.).

12. In eos, qui conferunt vel recipiunt beneficia eorum, qui pro suis negotiis ad Romanam curiam profecti sunt, etc. (extrav. 3 De privilegio).

13. In judices ecclesiasticos in judicio delinquentes (cap. De sent. et re judic., in 6).

14. In conservatores se ingerentes in iis quæ non sunt sui muneris (cap. ultim. De offic. deleg., in 6).

15. In parochum vel alium sacerdotem, qui alterius parochiæ sponsos sine proprii parochi licentia, matrimonio jungit (*Conc. Trid.*, sess. 24, cap. 1, *De reformat. matrim.*).

Sect. IV. — *De suspensionibus quas clerici incurrunt ob alia peccata, cæteris hominibus communia.*

Dico : Hæ ab auctoribus afferuntur :

1. In clericum publice concubinarium; sed varii varie illam explicant; et probabiliter nullo jure sive antiquo sive novo est lata ipso facto in eum suspensio proprie dicta.

2. In clericum ex consuetudine peccatum Sodomiæ committentem; sed nec ob crimen reperitur suspensio ipso jure lata, quamvis Pius V, in sua quinta constitutione gravissimas alias pœnas pro illo statuat.

3. In conferentem Simoniace ordines, qui per extrav. 2 Pauli II excommunicatur ipso facto excommunicatione papæ reservata, adeoque manet suspensus indefinite ab omni officio et beneficio. Præterea, juxta cap. penult. De Simonia, incurrit ipso facto triennalem suspensionem. Item in eum qui Simoniace alium præsentat ut ordinetur; per idem enim cap. incurrit ipso facto etiam triennalem suspensionem ab omnium ordinum, quos habet, exsecutione. Denique in eum qui Simoniace ordines recipit, qui per idem caput manet ipso jure suspensus ab illo solo ordine sic suscepto, nempe Simoniace, sed juxta novum jus extrav. 2 Pauli II De Simonia, probabiliter manet suspensus ab omnibus ordinibus quos habet.

4. In eum qui ab episcopo Simoniaco, id est qui est publicus Simoniacus adeoque excommunicatus, scienter ordines recipit, quamvis in ipsa ordinatione nulla committatur Simonia. Si quis autem Simoniace præsentet aliquem ad ordines, et hos recipiens illud inculpabiliter ignoret, non incurrit suspensionem. Item suscipiens beneficium Simoniace, cum ille ipso facto incurrat excommunicationem, etiam incurrit simul suspensionem ab omni officio, beneficio et ordine; imo Simoniaca beneficii collatio est nulla (cap. *Si quis a Simoniacis* 1, quæst. 1).

5. In eum qui sponte juramentum præstat de tenendo schismate (cap. 1 De schismate). Item in clericos raptores (*Conc. Trid.*, sess. 24, cap. 6, *De reform. matrim.*).

Sect. V. — *Quas suspensiones incurrant ipso jure episcopi et ecclesiarum capitula.*

Dico : Hæ in jure continentur :

1. In episcopum qui Simoniace confert ordines (*Si quis a Simoniacis* 1, quæst. 1). Item qui ordinat ante legitimam ætatem, aut ordinat non suum sine licentia proprii, aut irregularem, aut illegitimum, aut agentem publicam pœnitentiam; aut illitteratum (cap. *Nullus*, De tempor. ordin., in 6). Item ex capite. *Eos qui*, De temp. ordin., in 6. Et in Tridentino (sess. 23, cap. 8, *De reformat.*), suspenditur episcopus a collatione ordinum per annum, qui non subditum ordinat sine licentia sui ordinarii.

2. In episcopos committentes defectus vel in electionibus, vel in usu jurisdictionis, vel in administratione rerum ecclesiasticarum, vel in aliis rebus ad pastorale munus pertinentibus (cap. ultim., dist. 18; cap. *Provida*, De electione, in 6; cap. *Hoc consultissimo*, De rebus eccles. non alienandis, in 6; cap. *Præsenti*, De offic. ordin., in 6; extrav. 2 Pauli II, etc.).

3. In episcopos locantes domos suas publicis

usurariis alienigenis (cap. 1 De usur., in 6). Item in episcopos inquisitorum munere abutentes (Clem. 1 De hæreticis). Item in prælatos Ecclesiæ, procurantes clericos capi a dominis temporalibus, ut beneficiis renuntient, vel ut citati ad apostolicam sedem ire nequeant (Clem. 2 De pœnis).

4. In episcopos non servantes normam percipiendi fructus primi et secundi anni sui episcopatus, quam Joannes XXII ponit in sua extrav. 1 De electione.

5. In episcopos, abbates, etc., recipientes suarum Ecclesiarum administrationem sine authenticis sedis apostolicæ litteris (extrav. 1 De election.).

6. In episcopos concubinarios (*Conc. Trid.*, sess. 25, cap. 14, *De reform.*).

Ex his præcedentibus suspensionibus, colliguntur illæ quæ in Ecclesiarum capitula latæ sunt.

Sect. VI. — *De suspensionibus ipso jure latis specialiter in religiosos.*

Dico : Hæ in jure habentur :

1. In religiosos apostatas, qui in sua apostasia perseverantes, sacrum ordinem suscipiunt (cap. ult. De apostatis). Suspenduntur ab ordine sic suscepto, et impediuntur ab ascensu ad superiorem.

2. In religiosos Mendicantes admittentes aliquem ad professionem ante completum probationis annum (cap. *Constitutionem*, De regular., in 6).

3. In religiosos bona religionis administrantes, qui sine superioris consensu et sine necessitate aut utilitate de eis disponunt (Clem. 1 De rebus Eccles. non alien.).

4. In religiosos qui sibi inique decimas ad se non pertinentes usurpant, etc. (Clem. 1 De decimis).

5. In monachos nigros, id est ordinis sancti Benedicti, non utentes habitu præscripto, etc. (Clem. 1 De statu monach.).

6. In prælatos non restituentes bona Ecclesiis aut personis ecclesiasticis læsis seu damnificatis, postquam ab eis requisiti fuerint (Clem. 1 De privileg.).

7. In religiosos confessarios requisitos ab ecclesiarum rectoribus, scienter non onerantes pœnitentium conscientias de solvendis decimis, etc. (Clem. *Cupientes*, De pœnis).

Aliæ suspensiones in religiosos, quæ cum aliis non religiosis sunt communes, supra indicatæ sunt.

DISPUTATIO TRICESIMA SECUNDA.

De interdicto in communi quoad ejus essentiam et species.

Sect. I, II. — *Quid sit interdictum, et quotuplex.*

Dico 1 : Sic proprie definitur interdictum : *Censura ecclesiastica prohibens usum quarumdam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenus talis est.* Atque ita interdictum generice sumptum abstrahit a loco, et a personis, ab usu activo et passivo, per hæc verba : *Ut fidelibus communem*, distinguitur a suspensione quæ privat aliquo usu quatenus solis clericis proprio. Et per hæc, *Quatenus talis est*, seu quatenus est usus rei sacræ, distinguitur ab excommunicatione, quæ privat usu rei sacræ, non quatenus est communicatio cum aliis fidelibus.

Dico 2 : Interdictum dividitur in locale et personale : locale est, quod directe in locum fertur, quia in eo interdicitur fieri divina officia, et sic per locum in personas redundat. Personale est, quod immediate fertur in personam, eique interdicit certum quemdam divinarum rerum usum ; nec terminatur ad certum locum, ut locale. Huic divisioni quidam addunt interdictum mistum, id est locale et personale simul. Deinde

Dico 3 : Interdictum locale aliud universale, quod in aliquem locum quasi generalem et plura loca partialia complectentem dirigitur, v. gr. in regnum, provinciam, diœcesim, urbem, etc. ; aliud particulare, quo particularis locus, v. gr. hæc vel illa ecclesia interdicitur, dum interdicitur parochia, si per parochiam intelligatur solum parochialis ecclesiæ templum, erit interdictum particulare ; si autem intelligatur totus parochiæ districtus, ut solet intelligi, tunc erit universale. Sic, dum interdicuntur præcise omnia civitatis templa, non erit universale, quia non fertur directe ac per se in totum locum generalem, sed in plura loca particularia, et sic divina officia in necessitate possent celebrari extra templa. Similiter

Dico 4 : Interdictum personale dividitur etiam in personale universale quod fertur contra aliquam communitatem, v. gr. civitatem, oppidum, etc., et in particulare quod in singularem personam fertur, sive illa sit una, sive plures ; et sive certa sive incerta. Interdictum alicujus collegii, est interdictum non particulare, sed universale ; non enim fertur in determinatam personam, unam, vel plures, sed in totum ejus corpus politicum : per interdictum universale manent interdictæ singulæ personæ quæ sunt partes istius communitatis in quam fertur, et nullæ aliæ. Dum interdicitur populus, non comprehenduntur clerici, nisi aliud in ipsa sententia declaretur (cap. *Si sententia*). Cum autem clericus interdicitur, an comprehendantur religiosi et religiosæ, nihil certi dici potest.

Dico 5 : Interdictum universale habet suum effectum in suis locis particularibus, adeoque interdicto aliquo loco communi, interdicuntur omnia particularia vel partialia loca sub illo comprehensa ; at nulla alia. Hinc dum tota diœcesis, vel ejus civitas in qua est ecclesia cathedralis interdicitur, ipsa etiam ecclesia cathedralis interdicta esse censetur ; item dum interdicitur civitas, loca extra muros seu suburbia et ædificia ad civitatem pertinentia, v. gr. sacella, monasteria, etc., interdicta censentur (cap. *Si civitas*). Similiter dum interdicitur templum, ejus sacella ac cœmeterium interdicta sunt. Sic, dum aliqua civitas interdicitur a suo episcopo, si in ea sit aliqua parochia, aut ecclesia religiosorum exemptorum, alii superiori immediate subjecta, etiam sub ipso interdicto universali comprehenditur

non minus quam alia loca episcopo subjecta ob connexionem (cap. *Si civitas*); et pro religiosis exemptis id statuitur a concilio Tridentino (sess. 25, cap. 12 et 22, *De regular.*). Non potest tamen episcopus ejusmodi parochiam aut ecclesiam exemptam per particulare interdictum singulariter interdicere, utpote non habens directam in illam jurisdictionem, nec jus concessum. Deinde in interdicto universali attendenda est maxime proprietas vocis ac locutionis qua utitur interdicens, ut sciatur quid interdicat.

Dico 6 : Ut cognoscatur quomodo interdictum personale conjungatur cum locali, et contra; aut non conjungatur, hæ traduntur regulæ : 1° interdictum universale locale non infert universale personale; nec contra. 2° Interdictum particulare personale non infert particulare locale; contra autem ex particulari locali recte infertur particulare personale, saltem quoad effectum. 3° In interdicto universali locali virtualiter semper includitur personale particulare; sed non contra. 4° In interdicto universali personali non includitur virtualiter locale, etiam particulare; nec contra.

Dico 7 : Interdictum, aliud iterum totale, quod continet omnes ejus effectus; aliud partiale, quod unum alterumve ejus effectum continet, v. gr. interdictum ab ingressu ecclesiæ, a Christiana sepultura, etc. Item aliud a jure, aliud ab homine. Denique aliud per modum censuræ latum ob contumaciam; aliud per modum puræ pœnæ ob commissum delictum.

DISPUTATIO TRICESIMA TERTIA.

De primo interdicti effectu, qui est privatio sacramentorum.

Sect. I. — *Quorum sacramentorum usus per interdictum prohibetur.*

Dico 1 : Dum cap. *Si sententia*, absolute dicit personas interdictas non debere ecclesiastica accipere sacramenta, intelligendum est exceptis casibus aut sacramentis a jure expressis : ita doctores communiter. Quare

Dico 2 : Tempore interdicti sive universalis sive particularis, potest baptismus solemniter in ecclesia conferri. Unde non tenetur parochus, cujus parochia est specialiter interdicta, aliam adire ad baptizandum suum subditum. Ipsa autem persona, quæ est interdicta, si sit tantum generaliter, et sine propria culpa interdicta, potest etiam baptismum solemniter ministrare; si autem sit singulariter interdicta, potest tantum privatim in necessitate, et non solemniter. Similiter

Dico 3 : In loco interdicto potest etiam ac debet confirmatio solemniter conferri, ut et chrisma potest ibidem confici. Nec quis per interdictum universale personale prohibetur a receptione sacramenti confirmationis, nisi causam dederit; qui enim sua culpa illi causam dedit, non potest se ingerere, nec admitti ad recipiendum hoc sacramentum, nisi prius vel satisfecerit, vel cautionem saltem juratoriam dederit. Similiter qui est particulari personali interdicto ligatus, non potest ad hoc sacramentum admitti, nec illud licite recipere potest, donec Ecclesiæ satisfaciat, et per formam ab ea præscriptam admittatur. Quoad activam autem hujus sacramenti administrationem, ligatus universali interdicto cui causam sua culpa non dedit, potest solemniter confirmationem conferre; secus, si ei causam dedit. Qui vero specialiter est interdictus, sive directe per proprium particulare interdictum, sive indirecte per generale cui causam dedit, videtur non posse illud administrare (cap. *Clerici*, et cap. *Latores*, De clerico excomm. ministr.).

Dico 4 : Tempore interdicti sive localis tam particularis quam universalis, sive personalis generalis, licitum est omnibus recipere sacramentum pœnitentiæ, non tantum in loco per interdictum generale interdicto, sed etiam probabilius in loco specialiter seu particulariter interdicto, v. gr. in aliquo templo particulariter interdicto, quando interdicto causam non dedit; quando autem interdicto dedit causam, non est concedenda absolutio, priusquam Ecclesiæ satisfecerit, ut supra. Imo tempore interdicti non prohibetur absolutio ab excommunicatione non reservata privatim concessa, si nil aliud præter interdictum interveniat. Quod attinet ad activum ministerium hujus sacramenti, illi qui causam interdicto locali non dederunt, possunt illud administrare, uti et probabilius ii, qui in personali interdicto universali sunt innocentes. Qui autem sunt specialiter interdicti vel directe, vel indirecte, quia interdicto universali causam dederunt, id non possunt. An vero hoc sacramentum a nominatim interdicto administratum, et bona fide receptum, sit validum, res est valde dubia.

Dico 5 : In omni loco sive universaliter sive particulariter interdicto, potest is qui illi causam non dedit, recipere viaticum; qui autem causam dedit, aut personali interdicto particulari interdictus est, debet prius Ecclesiæ satisfacere et a censura atque a peccatis absolvi, quam illud recipere. Idem dic de adeunti longam et periculosam navigationem. Hinc quilibet sacerdos, habens jus administrandi viaticum, qui non dedit causam interdicto, nec particulari interdicto ligatus est, potest illud ministrare. Qui autem personaliter interdictus est vel directe vel indirecte quia causam dedit interdicto, non potest illud ministrare antequam a sua censura absolvatur. Deinde tempore interdicti deferendum est viaticum omni cum honore, comitatu et solemnitate consueta, ac campanulæ pulsatione. Quoad ordinariam Eucharistiæ receptionem seu communionem, tempore interdicti prohibita est; unde in toto loco interdicto, sive universali, sive particulari, extra mortis articulum non potest recipi Eucharistia a quibusvis personis, exceptis iis quæ vel habent privilegium, vel in jure excipiuntur. Quæ autem nec directe nec indirecte sunt personaliter interdictæ, possunt extra illa loca Eucharistiam susci-

pere; sed quando interdictum est universale personale, omnes qui sub illo comprehenduntur, prohibentur absolute sumere Eucharistiam in quovis loco. Ab hac vero prohibitione generali communiter exempti sunt religiosi et moniales, personæ privilegiatæ, uti sæpe multi viri nobiles; imo dum permittitur clericis interesse officiis divinis in ecclesia interdicta, multi sentiunt eos ibi posse etiam Eucharistiam sumere. Unde infertur, dum laicis conceditur ut possint in quatuor festis Nativitatis Christi, Paschæ, Pentecostes et Assumptionis B. Virginis, divinis officiis interesse, eos etiam posse tunc Eucharistiam sumere. Cum ergo cap. *Alma*, De sent. excomm., in 6, permittat omnibus laicis in festo Paschatis interesse officiis divinis, juxta istorum sententiam, et juxta hoc novum jus, licebit tunc sumere Eucharistiam ad implendum annuæ communionis præceptum, quæ jure antiquo, tempore interdicti est prohibita.

Dico 6 : In toto loco interdicto nulli sive laico sive clerico aut religioso licitum est extremam unctionem recipere (cap. *Quod inter*, De pœnit. et remiss.). Item in loco interdicto nulli licitum est quemvis ordinem suscipere. Quod autem ad matrimonium attinet, tempore interdicti sponsalia de futuro fieri non prohibentur sive in loco interdicto, sive inter personas interdictas, quia id nec est sacramentum, nec quid sacrum; sed tantum humanus contractus. Nuptiales autem benedictiones omnino prohibitæ sunt; computantur enim inter divina officia, et habent adjunctum missæ sacrificium et preces solemnes. Ipsum vero matrimonium tempore interdicti celebratum, quamvis sit validum, videtur tamen esse illicitum; contra Sylvestrum, Innocentium, Covarruviam, Navarram, sentientes esse licitum; et probatur, quia in cap. *Responsio*, De sent. excomm., generaliter prohibetur tempore interdicti usus sacramentorum, et in cap. *Alma* generaliter dicitur nulla esse ministranda sacramenta, certis casibus et sacramentis exceptis; atqui matrimonium nec ibi nec alibi excipitur. Ergo est prohibitum, nisi fortasse prævaluerit aliqua consuetudo, quæ tamen non videtur posse esse pro personis personaliter ac specialiter seu directe seu indirecte interdictis. Unde non licet parocho assistere ejusmodi matrimonio per interdictum prohibito.

Sect. II. — *Quale sit peccatum violare interdictum in materia sacramentorum, et quæ pœna incurratur.*

Dico 1 : Violatio cujusvis interdicti in materia sacramentorum, maxime interdicti personalis particularis, est peccatum ex suo genere mortale, quia materia sacramentorum est gravissima, et prohibitio Ecclesiæ est absoluta; adeoque ministri Ecclesiæ peccant mortaliter dando sacramenta in loco interdicto.

Dico 2 : Clerici violantes interdictum in sacramentorum ministerio incurrunt irregularitatem, et alias pœnas quas incurrunt ii qui violant interdictum celebrando ex officio divina officia, sive causam dederint interdicto, sive non; exceptis privilegiatis. Hinc : 1° si quis interdictus sacramentum alteri non interdicto nec in loco interdicto conferat ex officio extra casus permissos, incurrit irregularitatem. 2° Item si quis non interdictus alteri etiam non interdicto illud conferat in loco interdicto, eamdem incurrit; non videtur tamen hanc incurrere is, qui non interdictus confert sacramentum alteri nominatim interdicto in loco non interdicto, violando ipse interdictum, et manendo suspensus ab ingressu ecclesiæ, donec satisfecerit. 3° Si quis autem interdictus conferat sacramentum in loco interdicto, duplicem incurrit irregularitatem; et si simul id conferat interdicto, incurrit insuper interdictum (nempe triplicatum) ab ingressu ecclesiæ.

Dico 3 : Prædictæ pœnæ non tantum incurruntur ob administrationem sacramenti quoad substantiam, sed etiam ob publicam et solemnem alicujus sacramenti cæremoniam seu ritum, sive illud antecedat, ut est collatio primæ tonsuræ; sive comitetur, ut sunt cæremoniæ baptismi; sive subsequatur, ut est nuptiarum benedictio. Attamen propter usum sacramenti, qui nullum proprium alicujus ordinis clericalis ministerium requirit, nulla pœna ipso jure incurritur sive a clericis, sive a laicis, uti nec propter ullam sacramentorum receptionem præter Eucharistiæ sumptionem, quæ fit a sacerdote in missa, et a diacono in missa papali. Item interdictus recipiens ordines aut in ipsa ordinatione ministrans, v. gr. cantando Epistolam aut Evangelium, nullam incurrit irregularitatem, quia nullibi in jure id expressum est.

Dico 4 : Religiosi ac moniales non servantes interdictum universale, ipso jure excommunicantur (Clem. 1 De sent. excomm.). Item domini temporales, qui in terris suis cogunt aliquem ad divina facienda tempore interdicti, excommunicantur (Clem. 2 De sent. excomm.).

DISPUTATIO TRICESIMA QUARTA.

De secundo effectu interdicti, qui est divinorum officiorum prohibitio.

Sect. I. — *An et quomodo missæ sacrificium per universale loci interdictum prohibeatur.*

Dico 1 : Prohibitio divinorum officiorum tempore interdicti, congruit cuivis interdicto, sed cum proportione et limitatione. Unde

Dico 2 : Missæ sacrificium permittitur, sicut prius, celebrari, singulis diebus sive festivis sive feriatis, toties quoties a quovis sacerdote tam proprii quam alterius loci personaliter non interdicto, in omnibus ecclesiis et monasteriis, comprehendendo omnia loca ad missæ sacrificium perficiendum approbata, cum hisce conditionibus in cap. *Alma*, De sent. excomm., in 6; positis : 1° ut fiat submissa voce et omnibus templi januis clausis. Non tamen debent ita esse clausæ, ut aperiri nequeant, cum multi de populo habeant facultatem ingrediendi; sed debent ita esse, ut visum, auditum et transitum impediant, nisi aperiantur; et quamvis laudabile sit adhibere ostiarium, non est tamen necesse. 2° Ut non pulsen-

tur campanæ ad convocandum populum; imo neque campanula, seu cymbalum, quod tempore missæ solet pulsari. Non tamen prohibetur dari signum tubæ canonicis aut iis qui debent interesse divinis officiis, neque prohibetur pulsus campanæ ad concionem, ad salutationem angelicam, ad significandas horas, etc. 3° Ut excludantur a missa non tantum personaliter interdicti, et qui universali interdicto causam dederunt, aut aliquid contribuerunt, sed etiam, juxta communem sententiam et consuetudinem receptam, omnes laici rationis usum habentes, exceptis iis qui habent privilegium ad divinis officiis tunc assistendum. Et quidem cum persona habente privilegium, admitti et adesse possunt divinis officiis ejus familiares domestici qui illam comitantur (cap. *Licet*, De privileg.). Deinde laicus in necessitate, si nullus alius adsit qui ministret, potest ministrare facienti sacrum. Præterea quamvis auditio missæ sit prohibita, non tamen ingressus ecclesiæ, v. gr. quando venerabile sacramentum est expositum ad populi orationem, aut quando defertur ad ægrum. 4° Deinde excipiuntur festa Nativitatis Christi et Assumptionis beatæ Virginis; ipse dies Paschæ et ipse dies Pentecostes, in dicto cap. *Alma;* et ab Eugenio IV festum Corporis Christi cum tota sua octava, in quibus permittuntur celebrari missæ cum tota solemnitate consueta, etiam admissis quomodolibet interdictis, quorum tamen oblationes ad altare et in missa factæ prohibentur ac rejiciendæ sunt, cum supponantur adhuc esse contumaces in suo delicto. Idem privilegium a Leone refertur concessum soli toti Hispaniæ pro festo Immaculatæ Conceptionis B. Virginis cum sua octava.

Sect. II. — *Quomodo missæ sacrificium per alia interdicta prohibeatur.*

Dico 1 : In speciali loco, in quo asservatur Eucharistia, interdicto licitum est semel in hebdomada dicere missam privatam debitis cum circumstantiis ad Eucharistiam renovandum (cap. *Permittimus*, De sent. excomm.). Reliqua omnia quæ in cap. *Alma* concessa sunt pro interdicto universali, locum hic non habent.

Dico 2 : Omnibus personis tam generatim quam speciatim interdictis, prohibitum est celebrare missæ sacrificium, illi ministrare, illi interesse in quocunque loco sive interdicto, sive non interdicto (cap. *Si civitas*). Unde sacerdos interdictus nullibi celebrare potest etiam cum circumstantiis præscriptis (in dicto cap. *Alma*). Quia jura loquuntur non de personali, sed de locali interdicto. Si autem interdictus non sit nominatim denuntiatus, juxta extrav. *Ad evitanda*, non est aliis prohibitum audire ejus missam : imo probabilius etiamsi foret nominatim denuntiatus, modo non cooperetur illius missæ celebrationi, sed præcise eam audiat. Deinde dum sacerdos non interdictus celebrat, si adsit persona interdicta, excludi debet (cap. *Permisimus*, De sent. excomm.). Dum autem non vult exire nec potest per vim expelli, si celebret in loco interdicto, missam omittat; si in loco non interdicto probabiliter non debet propter hoc missam omittere, secluso scandalo aut alio accidentali incommodo.

Sect. III. — *Quænam alia divina officia prohibita sint per interdictum.*

Dico 1 : Loco generaliter interdicto, non tantum missæ sacrificium, sed etiam alia divina officia in ecclesia, aut extra illam in toto terræ spatio, quod includit interdictum, fieri et audiri a quibusvis personis cujuscunque loci et conditionis prohibentur, seclusis privilegiis et exceptionibus juris, de quibus infra. Eodemque modo prohibentur in loco specialiter interdicto. Per personale autem interdictum sive universale sive particulare prohibentur personæ interdictæ ne hæc officia faciant vel illis intersint ubique locorum eodem modo quo de missa dictum est. Quænam autem sint ista divina officia, et quomodo prohibeantur mox dicemus. Quocirca

Dico 2 : Officia divina per interdictum prohibita, sunt quæ proprie dicuntur ecclesiastica, id est, quæ in sua substantia sunt divina, et in suo modo includunt publicam illam et communem ab ecclesiæ ministris fieri solitam orationis, aut deprecationis rationem, qualia sunt publica horarum canonicarum, officii defunctorum, officii B. Virginis, etc., recitatio, publicæ quorumdam sacramentalium cæremoniæ, etc. Dum ergo aliquod officium fit in ecclesia ab ejus ministris, tali modo ut non possit sic fieri nisi *a clerico* ad istud munus specialiter consecrato aut deputato, tale officium ex vi interdicti prohibitum est (Sylvester, Navarra, Angelus); et hinc officia quæ ex suo modo non sunt deputata ordini clericali, non sunt prohibita tempore interdicti, sive secreto, sive palam fiant : ac proinde benedictio mensæ, pulsatio campanæ statutis horis ad salutandam B. Virginem, etc., non prohibentur. Item

Dico 3 : Jure antiquo, per cap. *Quod in te*, De pœnit. et remiss., permittebatur, ut in ecclesia generatim interdicta, clerici possent recitare has horas canonicas bini tantum vel tres simul voce ita demissa, ut exterius audiri non possent; extra vero ecclesiam plures quam tres aut quatuor privatim et secreto. Nunc autem jure novo in cap. *Alma*, possunt quotidie recitare ut prius; cum illis tamen conditionibus quas supra in sectione prima declaravi, uti et alia divina officia quæ tempore generalis localis interdicti permittuntur. Item permissa est solemnis sine restrictione celebratio seu recitatio istorum divinorum officiorum in quatuor festivitatibus, et festo Corporis Christi cum octava, etc., in sectione prima relatis, sicuti de missa diximus. Atque hæc festa incipiunt pridie a primis Vesperis inclusive, usque ad secundas Vesperas sequentis diei; et juxta communem sententiam usque ad Completorium inclusive, post quod non licet facere aliud officium divinum, v. gr. supplicationem solemnem, litanias publice dicere. An autem tunc liceat recipere aut ministrare sacramenta,

patet ex dictis in disput. 33, sect. 1, non licere, nisi in casibus exceptis ; sed assistere Eucharistiæ sumptioni extra missam non est illicitum.

Dico 4 : In locali interdicto particulari ista omnia prædicta divina officia, nec fieri nec audiri possunt. Idem dic cum proportione de personali interdicto tum universali tum particulari.

Sect. IV. — *De peccato et pœna clericorum seu ecclesiasticorum violantium interdictum.*

Nota : sub nomine *clerici* aut *ecclesiastici* hic comprehendimus etiam clericos conjugatos, omnesque religiosos, licet nullo ordine initiatos, ac moniales.

Dico 1 : In ecclesiastica persona violare quodcunque interdictum, sive locale sive personale, celebrando divina officia, ex genere suo est peccatum mortale. Hinc exercens actum non tantum sacri, sed etiam minoris ordinis : canens in choro divinum officium cum aliis, benedicens solemniter aquam, aut ea aspergens solemniter populum, omittens cæremoniam præceptam, qua v. gr. jubetur ut dicatur missa, januis clausis, etc., censetur peccare mortaliter ; est enim materia gravis et prohibitio gravis.

Dico 2 : Clericus sive sæcularis sive religiosus qui violat scienter per culpam mortalem interdictum locale tam universale quam particulare, exercendo proprium sui ordinis actum, eo modo quo a clericis exerceri non potest, fit irregularis, privaturque electione passiva et activa ecclesiastica, atque fit obnoxius aliis pœnis, si sit in delicto pertinax, per locorum ordinarios imponendis ; eamdemque irregularitatem incurrit qui violat personale interdictum tum generale tum particulare, etiamsi hoc non fuerit latum ob propriam culpam. Attamen, ut eam incurrat, debet illud facere cum solemnitate vel modo, qui ordinem ecclesiasticum requirat ; ideoque communis sententia est ad illam incurrendam tria requiri : 1° ut is, qui ministrat, sit ordinatus ; 2° ut actus quem exercet, requirat aliquem ordinem ; 3° ut talis actus in interdicto comprehendatur. Hinc religiosi cantantes in choro tempore interdicti, non fiunt irregulares, nisi vel sacerdotale officium in choro, vel in altari proprium alicujus ordinis officium exerceant ; quo etiam fit, ut monachi, qui nullum habent ordinem, nunquam incurrant hanc irregularitatem ob quodcunque ministerium in celebratione divinorum officiorum ab eis exhibitum ; nec eam incurrunt celebrantes coram aliis personaliter interdictis, si ipsi interdicti non sint.

Sect. V. — *De peccato et pœna laicorum interdictum violantium.*

Dico 1 : Laici violando quodvis interdictum, sive personale sive locale, tam universale quam particulare ex suo genere graviter peccant : est enim materia et prohibitio gravis illis imposita ; sed ut hæc culpa nunc habeat locum, oportet ut interdictum sit denuntiatum, ob extrav. *Ad evitanda*, et ut servetur ab eis, in quorum favorem seu gratiam positum est. Deinde excipiuntur casus in quibus licitum est laico interesse divinis officiis tempore interdicti, sive ob privilegium, sive ob aliud.

Dico 2 : Ob meram interdicti transgressionem, quam laici committunt officiis divinis se ingerendo, nullam pœnam aut censuram incurrunt. Dixi *ob meram transgressionem*, quia ipso facto excommunicantur laici, qui in loco interdicto cogunt quempiam celebrare divina officia, vel prohibitos publice vocant, ut divinis officiis in loco interdicto celebratis intersint, vel prohibent ne interdicti, qui missæ intersunt exeant postquam a celebrantibus admoniti sunt, et tandem ipsi interdicti, qui post similem admonitionem non exeunt, etiam excommunicantur. Unde laicus nunquam fit irregularis immediate ob violationem interdicti.

DISPUTATIO TRICESIMA QUINTA.

De tertio effectu interdicti, qui est ecclesiasticæ sepulturæ, vel ingressus ecclesiæ privatio.

Sect. I. — *An omne universale loci interdictum privet ibi ecclesiastica sepultura.*

Dico 1 : Per universale loci interdictum prohibetur, ne aliquis, etiam infans, ecclesiasticam sepulturam in illo loco (extra illum licet) accipiat, nisi sint personæ quæ a jure vel ab homine privilegium super hoc habent (cap. *Quod in te*, De pœnit. et remiss.). Quo privilegio gaudent omnes personæ ecclesiasticæ, comprehendendo etiam clericos conjugatos, si non vigeat contraria consuetudo, cum his conditionibus : 1° ut sepultura detur in cœmeterio ecclesiæ, non intra ecclesiam ; 2° ut fiat sine pulsatione campanarum ; 3° ut fiat sine solemnitatibus ecclesiasticis, quibus divina officia peragi et corpora defunctorum deferri solent ; 4° ut cum silentio tumulentur. Ex vi tamen juris novi cap. *Alma*, licite possunt intra ecclesiam dici missa et quælibet alia divina officia sacra pro clerico sepeliendo, cum limitationibus ibi requisitis ; ac proinde pro laicis etiam defunctis nunc possunt dici missæ tempore interdicti, licet ipsi non possunt sepeliri in loco sacro, quia, cap. 1 *Alma*, concessio est generalis de omnibus divinis officiis, et pro quacunque causa justa ac persona non excommunicata. Non tamen per viam in deferendo corpore, nec in cœmeterio dum sepelitur recitari possunt officia vel psalmi, quia ex vi cap. *Quod in te*, istud est prohibitum, et per cap. *Alma* non est concessum.

Dico 2 : Si sit præcise privilegium tempore interdicti ad audienda divina, ex vi verborum non extenditur ad ecclesiasticam sepulturam, sed quamvis ad ecclesiasticam sepulturam requiratur speciale privilegium, nullum tamen nunc est necessarium privilegium ad dicendum officium, vel ad differendum sacrificium pro quocunque defuncto non excommunicato ; et probabiliter ex vi dicti privilegii audiendi divina officia, poterit ejus corpus post mortem deferri ad ecclesiam, ut in ejus præ-

sentia fiant exsequiæ et divina officia, dummodo illis finitis extra locum sacrum sepeliatur ; imo absque privilegio id poterit fieri servata divinorum officiorum moderatione seu limitatione capituli *Alma*, quia corporalis præsentia cadaveris ad dicenda divina officia nullibi prohibetur ex vi interdicti, sed sola ecclesiastica sepultura quæ est res diversa et separabilis ab altera.

Dico 3 : Qui violat interdictum quoad hunc sepeliendi effectum, peccat graviter; quia in Clem. 1 De sepult., ipso facto excommunicatur is qui in loco interdicto aliquem sepelit. Hinc vivus hanc excommunicationem incurrit, non mortuus, utpote qui jam non est culpæ capax, adeoque nec pœnæ. Idcirco si quis fuerit sepultus in loco sacro interdicto, sive bona sive mala fide sepelientium non est exhumandus nec post sublatum interdictum, nec durante interdicto.

Sect. II, III. — *An particulare loci interdictum, et personale privet ecclesiastica sepultura.*

Dico 1 : Prohibitiones quoad ecclesiasticam sepulturam tempore universalis interdicti loci factæ, etiam habent locum tempore particularis interdicti loci : imo privilegium clericis concessum pro sepultura ecclesiastica in universali loco interdicto, an habeat locum in loco particulari interdicto, controvertitur. Quare sic videtur distinguendum : si omnes civitatis ecclesiæ sint particulariter interdictæ cum suis cœmeteriis, verisimile est clericos posse in illis sepeliri; sed si una alterave tantum sit interdicta, et aliæ non sint interdictæ, videntur tunc clerici sive proprii sive alterius loci, non posse in interdictis sepeliri, cum dentur aliæ non interdictæ in quibus facile possunt sepeliri.

Dico 2 : Personale interdictum particulare quo quis personaliter et nominatim est interdictus, privat eum ecclesiastica sepultura ; secus vero, personale universale, maxime post extrav. *Ad evitanda.* Hinc peccat graviter, et ipso facto excommunicatur is qui personam nominatim interdictam, seu declaratam aut denuntiatam per judicem interdictam, sepelit in loco sacro; secus autem, si non sit nominatim interdicta, seu declarata personaliter per judicem interdicta, ob extrav. *Ad evitanda.*

Sect. IV. — *De prohibitione ingressus ecclesiæ per interdictum.*

Nota : Hic tantum de interdicto personali agitur; nam per locale interdictum non prohibetur absolute ingressus ecclesiæ interdictæ, v. gr. ad concionem audiendam, ad privatim orandum, etc., sed tantum ad divina officia audienda vel participanda. Itaque

Dico 1 : Prohibitio seu suspensio ab ingressu ecclesiæ est quoddam peculiare genus interdicti partialis, quod privat hominem omni participatione divinorum in ecclesia tantum, ita ut sic interdictus, nec celebrare, nec sepeliri, nec dare aut recipere sacramenta, nec aliquod ministerium sacrum exercere, missam aut aliud divinum officium audire in ea possit, fiatque irregularis, si in ea celebret. Extra ecclesiam autem omnia quæ ante hanc prohibitionem illi erant licita, post illam adhuc ei licita sunt, v. gr. facere sacrum extra ecclesiam in privato oratorio, recipere in domo sua sacramentum extremæ unctionis, et quælibet alia sacramenta extra ecclesiam. An autem sic interdictus possit extra ecclesiam exsistens audire missam quæ intra illam celebratur; videtur id non esse illi licitum : ideo enim prohibetur ingressus ecclesiæ, ut divinorum quæ intra illam fiunt, non fiat particeps; ac proinde diaconus v. gr. sic interdictus, si ipse exsistens extra ecclesiam solemniter cantet Evangelium ministrando sacerdoti celebranti intra ecclesiam, fiet irregularis : imo sic interdictus non videtur posse dicere vel audire missam in contiguo cœmeterio. Sub nomine enim *ecclesiæ* cœmeterium comprehenditur, tanquam accessorium sub principali. Et ex vi cap. *Is cui*, prohibetur sic interdicto ecclesiastica sepultura non tantum in cœmeterio contiguo, sed etiam in separato.

Dico 2 : Hæc suspensio ab ingressu ecclesiæ differt ab aliis interdictis in hoc quod omnem omnino formalem ingressum in ecclesiam quatenus ecclesia est, prohibeat; id est ad utendum ea tanquam loco sacro, et solemniter instituto ad Deum orandum vel alia sacra facienda : in aliis enim interdictis, quando divina officia non celebrantur, potest quisque, non obstante interdicto, ingredi ecclesiam et in ea privatas orationes fundere. Ita Sylvester, Abbas, Innocentius, etc., contra Covarruviam, Navarram, etc., dicentes solum prohiberi ingressum ecclesiæ ad celebranda, audienda, vel recipienda divina; non vero ad privatas orationes fundendas, vel ad alias orationes. Dixi *formalem ingressum*, quia non videtur prohiberi materialis ingressus præcise ad transeundum per eam, ad loquendum aut disputandum in ea, etc.; imo nec prohiberi ad audiendam concionem.

DISPUTATIO TRICESIMA SEXTA.

De causis interdicti.

Sect. I, II. — *Quis possit interdicere, et interdici.*

Dico 1 : Interdictum potest et a jure et ab homine sive per ordinariam sive per delegatam potestatem ferri; isque qui potest excommunicare vel suspendere, potest etiam interdictum ferre, exceptis religionum prælatis, qui, ut in usu est, non possunt ferre, interdictum locale, maxime universale. Istam ordinariam potestatem habent episcopi et episcopis superiores, ac quidam alii jurisdictionem quasi episcopalem habentes. Capitulum autem, sede non vacante, non habet jure ordinario istam potestatem ferendi interdictum; sed episcopus nunc ex præscripta jurium contrariorum consuetudine potest sine capituli consensu illud ferre.

Dico 2 : Quoad interdictum locale, papa potest divisive in quamlibet ecclesiæ partem interdictum ferre; in totam autem ecclesiam collective moraliter non potest, quia id esset in destructionem, non

in ædificationem. Idem potest, sede vacante, concilium generale rite congregatum. Episcopus potest illud ferre in totam suam diœcesim; atque ut non contemnatur, per jus commune cap. *Si civitas*, De sent. excomm., in 6, potest aliquantulum illud extendere ultra propriæ diœcesis terminos.

Dico 3 : Quoad interdictum personale, omnes qui excommunicari possunt, generaliter loquendo, etiam interdici possunt. Episcopi autem per sententiam seu legem generalem, per quam omnes interdicuntur, qui hoc vel illud delictum fecerint, non possunt interdici, ut statuitur in cap. *Periculosum*, De sent. excomm., in 6. Dein interdictum non tantum in personam certam, aut plures, sed etiam confuse et generatim in personarum multitudinem potest ferri, singulas ligando quoad proprias et personales actiones, imo et sine earum culpa; sub hoc tamen interdicto non comprehenduntur perpetuo amentes, neque infantes quandiu nondum habent usum rationis, nec tunc ecclesiastica sepultura privandi sunt; sed quando ad usum rationis pervenerint si adhuc duret interdictum, tunc incipiunt comprehendi, utpote capaces præcepti ac interdicti, et communitatis universim interdictæ partes. Dum autem aliquis interdicit communitatem, cujus ipse videtur esse pars sub aliqua ratione, v. gr. episcopus totum clerum, cujus ipse est quasi pars, non interdicit seipsum; quia non interdicit illam quatenus ipsummet comprehendit, sed illam interdicit sub alia particulari ratione, respiciendo illam ut corpus a se ipsa distinctum.

Sect. III, IV. — *Ob quam causam potest ferri interdictum; et quæ forma servanda in eo ferendo.*

Dico 1 : Interdictum personale particulare non potest in aliquem ferri nisi ob propriam culpam, et mortalem quidem si absolute feratur; sufficeret tamen venialis, si valde leve et limitatum interdictum imponeretur. Interdictum autem personale generale longe graviorem causam ac culpam requirit, cum pœna sit gravior: non tamen eam exigit in omnibus personis quæ tali interdicto ligantur, ut habetur in cap. *Si sententia*, De sent. excomm., in 6; sed *vel in corpore* morali qua tale est, nempe quando delictum provenit a communitate qua talis est, v. gr. a capitulo, collegio, etc.; *vel in magna* parte personarum ejus, etiamsi non fiat nomine communitatis, sed tantum non resistente principe seu republica; *vel in capite*, quando nempe rector vel princeps populi causam dedit.

Dico 2 : Interdictum locale universale, ut juste feratur, requirit causam gravissimam, quæ non solum contineat peccatum mortale, sed etiam sit generalis ob peccatum aliquo modo publicum, v. gr. principis seu gubernatoris aut totius communitatis. Unde judex pontificis delegatus, si ei episcopus obedire nolit, potest ob ejus contumaciam, terram ejus jurisdictioni subjectam interdicere; imo quando episcopus vel princeps est contumax in non solvendo debito temporali, potest ob hoc auctoritate summi pontificis poni interdictum locale, sed non potest sine ejus licentia, ut habetur in extrav. *Provide*, De sent. excomm.; nempe non potest poni interdictum locale universale, secus particulare, ut sentit Navarra, Sylvester, etc. Quod attinet ad interdictum locale particulare, ut juste possit poni, requirit etiam culpam gravem et aliquo modo communem, quamvis minorem, quam interdictum universale. Nec refert quod in istis interdictis pœna etiam in innocentes redundet, tum quia satis est quod sint istius communitatis partes, tum quia publicum Ecclesiæ bonum privato incommodo prævalet.

Dico 3 : Substantialis ferendi interdicti forma solum in verbis aut signis æquivalentibus consistit, quibus ista censura cum sufficiente specificatione et determinatione fertur, v. gr. dicendo *interdico*, *suspendo*, *separo*, *prohibeo*, etc. Accidentalis ejus solemnitas, alia est antecedens, quæ est prævia monitio; alia concomitans, quæ in ferenda sententia statuitur in cap. De sentent. excomm., in 6; alia subsequens, quæ est hujus censuræ denuntiatio.

DISPUTATIO TRICESIMA SEPTIMA.

De omnibus interdictis ipso jure latis.

Sect. I. — *Quæ et quot interdicta ipso jure lata reperiantur.*

Dico : Hæc reperiuntur : interdictum *personale particulare*, 1° contra judices non servantes formam præscriptam in censuris ferendis (cap. 1 De sent. excomm., in 6); 2° contra excommunicantem non præmissa monitione (cap. *Sacro*, De sent. excomm.); 3° contra episcopos usurpantes bona ecclesiastica, etc. (cap. *Præsenti*, De offic. ordin., in 6); 4° contra violantes interdictum (cap. *Episcoporum*, De privileg., in 6); 5° contra prælatos recipientes aliquid contra constitutionem Innocentii III (cap. *Exigit*, De censibus, in 6); 6° contra judices ecclesiasticos, qui in Romana decuria degentes privant beneficiis, etc.; 7° contra eum, qui de manu laici ecclesiasticam dignitatem recipit (cap. *Si quis deinceps*, 16, 7, etc.).

Interdictum *personale universale :* 1° in cap. De usuris, in 6; 2° in cap. unic. De injur., in 6; 3° in extrav. *Salvator*, De præbendis; 4° in extrav. *Ne sede vacante ;* 5° in cap. *Si clericus*, De immun. Eccles., in 6; 6° contra appellantes ad concilium generale. In bulla *Cœnæ*, etc.

Interdictum *locale generale :* 1° contra hostiliter insequentes cardinales (cap. *Felicis*, De pœnis, in 6); 2° contra inferentes episcopo injuriam (Clem. De pœnis; 3° contra non observantes modum in electione papæ præscriptum; 4° contra admittentes alienigenas ad habitandum et exercendum usuras in suis terris (cap. 1 De usuris, in 6).

Interdictum *locale particulare :* 1° contra locum in quo per vim et injuriam detinetur episcopus (cap. 1 De pœnis); 2° contra locum sepulturæ, vetitum, etc. (cap. 1 De sepult., in 6). Varia alia omitto.

SECT. II. — *An interdictum a jure latum obliget ante judicis denuntiationem.*

Dico 1 : Quamvis olim interdictum a jure latum statim ante quamcunque denuntiationem videatur omnes obligasse, nunc tamen post extrav. *Ad evitanda*, istud interdictum personale sive particulare sive generale, statim quidem personam aut personas in quas fertur, obligat, sed non obligat alios ad eas vitandas, donec denuntientur ; ut autem vitari debeant, non est opus ut singulæ personæ nominatim denuntientur, sed probabilius sufficit et requiritur, ut ea communitas, in quam latum est interdictum, nominatim et in particulari denuntietur, dummodo constet talem personam esse membrum istius communitatis ; ipsæ autem personæ communitatis interdictæ, ante denuntiationem statim atque delictum et factum est publice notum, tenentur interdicto ; secus, si sit occultum, nec sufficienter promulgatum generale interdictum.

Dico 2 : Interdictum locale, tam generale, quam particulare, nunc post dictam extrav. nullum est donec denuntietur ; quia nemo tenetur se abstinere a tali loco quoad divina officia ante sufficientem denuntiationem. Deinde oportet illius loci adæquate interdicti fieri denuntiationem in particulari et nominatim.

DISPUTATIO TRICESIMA OCTAVA.

De interdicti relaxatione.

SECT. I. — *An semper sit necessaria relaxatio, vel absolutio interdicti, ut cesset.*

Dico 1 : Interdictum pro delicto præterito absque ulla conditione et temporis limitatione latum, non tollitur nisi per relaxationem aut absolutionem, sed latum ut pura pœna pro peccato præterito et pro tempore definito, v. gr. ab ingressu ecclesiæ per mensem, tunc elapso isto tempore, non est necessaria ejus absolutio, sed ipso facto cessat ; ante vero elapsum id tempus requirit relaxationem. Quando autem interdictum fertur, ut recedatur a contumacia, vel sub hac conditione sive expressa sive tacita : *Donec satisfaciat*, vel *restituat*, etc., tunc probabilius non aufertur, nisi per absolutionem seu relaxationem ; quod etiam supra diximus de suspensione : ita Abbas, Innocentius, etc., contra Sylvestrum, Covarruviam, etc. Probatur, quia excommunicatio recedente contumacia requirit absolutionem, ergo et interdictum ; alioqui censura interdicti nunquam egeret absolutione : hæcque absolutionis necessitas colligitur ex variis juris textibus.

Dico 2 : Interdictum locale universale cum per se primo feratur in totam aliquam civitatem vel provinciam, ac proinde in partialia ejus loca, moraliter loquendo, non potest per ejus destructionem auferri, quia vel totus omnino locus, utpote amplus, non potest destrui ; vel quamvis civitas aut villa destrueretur, maneret tamen adhuc ejus solum, quod interdicto subjacet. Unde si iste terræ locus interdictus alienetur ab ejus domino, adhuc retinebit interdictum, quia transit cum suo onere : et contra, locus de novo acquisitus a domino, cujus territorium est interdictum, non erit interdictus. Eodem modo dicendum est de interdicto locali particulari ; quia per destructionem, v. gr. templi interdicti, remanet adhuc solum, in quo probabilius durat adhuc interdictum : atque ita si reædificetur in eodem solo templum durante interdicto, manebit interdictum ob solum, quia semper est moraliter idem locus qui interdictus fuit.

Dico 3 : Dum interdicto personali universali aliquis populus aut collegium interdictum est, si dissolvatur populus aut collegium, ipso facto cessat interdictum ob destructionem subjecti, in quod per se primo latum erat. Unde si quis desinat esse membrum istius collegii, aut populi, v. gr. mutando domicilium, liberatur ab interdicto nisi auctor illius aut causam illi dederit. Si autem populus ob peccatum domini interdictus fuerit, licet desinat esse istius domini, non tantum cessat interdictum ; quia per se primo est interdictus, est talis populus, et ille manet idem sub ratione corporis politici, quamvis non maneat sub eodem domino.

Dico 4 : Dum quis interdicto personali particulari ligatus moritur vere pœnitens ante obtentam interdicti absolutionem, non ideo videtur ipso facto cessare interdictum, ut possit ecclesiastica sepultura donari ; sed juxta cap. *Is sui*, De sent. excomm., in 6, debet illud relaxari ; a quolibet autem sacerdote potest relaxari, ut corpus sacra sepultura donetur.

SECT. II, III. — *Quis possit interdictum relaxare, et quæ forma servanda in eo relaxando.*

Dico 1 : Interdictum ab homine latum, potest relaxare solus ille, qui id tulit, vel ejus superior, vel ejus delegatus ; a jure autem latum, si sit latum in puram delicti pœnam usque ad certum tempus (hoc enim solet ferri sine temporis limitatione), elapso illo tempore per se finitur ac cessat : si vero latum sit ob contumaciam, nec sit reservatum, dum est interdictum locale sive universale sive particulare, uti et personale universale, solus istius loci episcopus, aut qui in illo participat jurisdictionem episcopalem, videtur posse illud relaxare ; sed dum est personale particulare, probabilius ab eo sacerdote, qui ab excommunicatione juris non reservata potest absolvere, relaxari aut auferri potest.

Dico 2 : Quod attinet ad formam substantialem in relaxando interdicto, nulla sunt verba determinata, sed sufficiunt et necessaria sunt illa quæ voluntatem tollendi illud in habente potestatem significant aut aliquid illis æquivalens. Accidentalis autem solemnitas pro hac re, nulla habetur in jure. Absolutio interdicti ad cautelam, sicut in aliis censuris habet locum in omnibus interdictis excepto locali generali. Interdictum post latam ejus sententiam non suspenditur per appellationem ; sed quodvis interdictum potest ab illo qui illud tulit, suspendi.

DISPUTATIO TRICESIMA NONA.

De cessatione a divinis.

SECT. I. — *Quid et quotuplex sit cessatio a divinis, et quomodo ab interdicto differat.*

Dico : Cessatio a divinis est quoddam vinculum, quo astringuntur ministri ecclesiæ et tenentur cessare a publica divinorum officiorum celebratione, et sacramentorum administratione. Hæc cessatio nunquam fertur directe et absolute in personas, sed in loca tantum. Unde duplex est, sicut interdictum locale : alia generalis, v. g. in tota civitate ; alia particularis, in aliqua tantum ecclesia. Sed neutra est interdictum, contra quosdam volentes cessationem generalem esse speciem interdicti, quia non incurritur irregularitas celebrando in loco, in quo cessatur a divinis, quamvis peccetur ; nec directe in personas fertur, sicut interdictum ; adeoque non est censura, sed simplex prohibitio non inducens proprios illos juris effectus, quos censura inducit ; unde nec per se ac directe est pœna uti censura, quia, licet nunquam ponatur nisi occasione culpæ, tamen cum æque comprehendat innocentes ac nocentes quoad suam proximam obligationem, magis poni videtur, ut signum afflictionis Ecclesiæ, et ut generale quoddam gravamen per modum præcepti impositum, quam per modum pœnæ, quamvis inde etiam resultet aliqua pœna in personas nocentes.

SECT. II. — *Quos effectus habeat cessatio a divinis.*

Dico 1 : Per cessationem a divinis, prohibentur publica divinorum officiorum celebratio ac publicæ Ecclesiæ orationes. Privatæ autem, etiam in templis, non prohibentur, imo nec censentur prohiberi horæ canonicæ privatim dictæ, etiam quatenus a personis ecclesiasticis ex obligatione et officio dicuntur ; præterea hujusmodi publicæ divinorum ac precum celebrationi etiam laici prohibentur interesse. Circa autem istam generalem prohibitionem nulla moderatio aut limitatio in jure sive antiquo sive novo invenitur ; ac proinde privilegia et exceptiones circa celebrationem vel auditionem divinorum, quæ tempore interdicti, tam per jus antiquum (in cap. *Quod in te*) quam per jus novum (in cap. *Alma*), concedi supra diximus, non videntur extendi ad cessationem a divinis, adeoque nec privilegium capituli *Alma* pro quatuor anni festivitatibus ad illam extendi, probabilius videtur ; atque hæc prohibitio intelligenda est de omnibus officiis divinis tam missæ quam aliis. Pulsatio autem campanarum quatenus est quid pertinens ad divinum officium, videtur tunc etiam prohiberi.

Dico 2 : Tempore cessationis a divinis, prohibetur etiam administratio sacramentorum. Sacramenta enim et eorum usus divina sunt ; non prohibetur tamen parvulorum et probabilius etiam adultorum solemnis baptismus, nec sacramentum pœnitentiæ pro morientibus, nec Eucharistiæ per modum viatici. Unde tempore istius cessationis potest dici missa semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, imo quovis die, si opus sit, dare viaticum, et non sit Eucharistia pro infirmis reservata : sacerdos enim tenetur naturali charitatis jure subvenire proximo in ea necessitate exsistenti, si commode potest ; et juxta quosdam potest tunc etiam administrari confirmatio. Sacramentum pœnitentiæ extra mortis periculum videtur verius in rigore juris contra Covarruviam et Salmanticenses doctores non posse tunc administrari, nisi consuetudo recepta aliud permitteret. Quoad ordinem, extremam unctionem, Eucharistiam extra viaticum, et matrimonii solemnitatem, certum est non posse tunc administrari.

Dico 3 : Quamvis tempore cessationis a divinis non possit in depositione cadaveris sive ejus sepultura fieri ecclesiasticum officium, id est officium defunctorum ; nullo tamen jure videtur prohiberi illud tunc tumulari in loco sacro sine ullo officio ecclesiastico, sive sit clerici, sive laici cadaver. Interdictum quidem privat ecclesiastica sepultura ; sed id non probat etiam cessationem a divinis illa privare, nisi interdictum sit etiam latum cum cessatione a divinis, quod sæpe fit.

Dico 4 : Quivis religiosi (non clerici sæculares nec laici) non servantes cessationem generalem a divinis, a quocunque legitimo superiore lata sit, dum sciunt eam a cathedrali, aut parochiali loci ecclesia servari, ipso facto incurrunt excommunicationem ; in Clem. 1 De sent. excomm.

SECT. III. — *Ob quas causas et quomodo ferenda sit cessatio a divinis.*

Dico 1 : Qui potest ferre interdictum, potest etiam cessationem a divinis ponere ; nempe episcopi, capitulum, sede vacante, concilium provinciale, et interdum aliquod capitulum vel collegium ex privilegio aut consuetudine. Ut autem hæc cessatio juste ponatur, debet supponi et intervenire gravissimum ac publicum peccatum. Forma substantialis in ea ferenda, est quæ requiritur in censura, aut in quavis sententia recte ferenda. Solemnitas accidentalis, licet nulla sit pro ea in jure præscripta, ex consuetudine servari solet illa quæ in censura ferenda servatur. In cessatione, quæ ab aliquo capitulo vel collegio ponitur, hæ decem conditiones juxta cap. *Si canonici*, et cap. *Quamvis*, De offic. ordinis, in 6, servandæ assignantur, quarum aliquæ conveniunt etiam cessationi quæ ab episcopis seu ordinariis judicibus fertur : 1° ut causa cessationis, antequam feratur, in scriptura authentica exponatur ; 2° ut hæc scriptura tradatur ei, contra quem cessatio intenditur ; 3° ut hoc fiat ab habente ad hoc potestatem ; 4° ut causa sit manifesta ; 5° ut sit rationabilis ; 6° ut omnes qui sunt de capitulo, advocentur ; 7° ut diligenter deliberent ; 8° ut suffragia ferantur ; 9° ut persona ob cujus injuriam facienda est cessatio, moneatur de reparanda injuria vel offensa ; 10° ut si intra mensem cessatio non cesset per partium concordiam, recurrant ad sedem apostolicam per se vel per alium, ut statuat quid agendum. Satis autem probabiliter

hæ decem conditiones sunt de substantia cessationis positæ ab ejusmodi capitulo vel collegio; sed non de substantia cessationis positæ ab ordinariis prælatis.

Dico 2 : Qui sine causa legitima cessationem ponit, tenetur restituere damna aliis inde exorta; uti et is qui isti cessationi causam dedit, tenetur reparare omne damnum personis et Ecclesiæ, cui ejus culpa debitum officium substractum est, et arbitrio superioris condemnandus, ut certam pecuniæ quantitatem expendat in augmentum divini cultus.

Sect. IV. — *A quo et quomodo tollenda sit cessatio a divinis.*

Dico : Hæc cessatio solum tolli potest ab eo qui illam posuit, vel ab ejus successore, vel superiore; cumque ponatur semper ut a contumacia recedatur sine ullo determinato tempore sive sub hac conditione tacita vel expressa : *Donec detur satisfactio*, ideo videtur probabilius nunquam per se cessare, sed a judice revocari debere. Appellatio antecedens cessationem, potest illam impedire, sed non subsequens : qui autem illam posuit, ille potest eam suspendere quoad aliquod tempus, vel quoad aliquos effectus aut personas, non tollendo totam, sed tantum partem, nempe pro talibus personis aut effectibus, non pro aliis, ex causa tamen rationabili.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA.

De irregularitate in communi.

Sect. I, II. — *Quid sit irregularitas et quos effectus habeat.*

Dico 1 : Irregularitas est inhabilitas seu impedimentum canonicum ex se directe ac primario impediens acceptionem ordinum ecclesiasticorum, et consequenter etiam eorum usum. Quamvis irregularitas non sit censura, est tamen actus clavium, et habet similitudinem cum ea, a qua differt, quod ex se directe ac primario impediat susceptionem et usum ordinum ecclesiasticorum, in quibus includitur prima tonsura; censura autem non ita. Dicitur impedimentum canonicum, quia jure canonico, non divino, institutum est.

Dico 2 : Primarius irregularitatis effectus est impedire susceptionem ordinum, ita ut irregularis non quidem invalide, sed illicite eos suscipiat; unde quamvis ordinem suscipiendo sive majorem, sive minorem, peccet mortaliter, quia agit contra Ecclesiæ præceptum in re sacra et valde gravi, non tamen incurrit novam irregularitatem aut aliam pœnam; similiter ministrans in ordine ex officio peccat quidem graviter, sed nullam censuram incurrit aut novam irregularitatem. Atque hæc omnia locum habent in omni irregularitate, sive sit contracta ob delictum, sive absque delicto.

Dico 3 : Irregularis non prohibetur actum quamtumvis sacrum, qui per laicum exerceri potest, et prout ab eo fieri potest, exercere, v. gr. quæcunque sacramenta recipere, excepto ordine et Eucharistia in missa, dum ipse eam celebrat, non enim licet illi celebrare. Potest ergo sacramentum pœnitentiæ recipere, quia potest absolvi a peccatis, manente irregularitate. Item nullum ei prohibetur sacrum ministerium, etiam activum, quatenus per laicum exerceri potest, v. gr. conferre baptismum sine solemnitate in necessitate, non cum solemnitate; recitare privatim divinum officium, secus in choro cum publico et solemni cantu; privatim inservire missæ, eam audire, aut jubere eam celebrari.

Dico 4 : Irregularis per se loquendo non privatur potestate jurisdictionis, neque ab ejus usu impeditur. Hinc qui post legitimam beneficii collationem incurrit irregularitatem, non privatur ipso jure suo beneficio aut dignitate, quæcunque illa sit, ex vi ipsius irregularitatis : ita Innocentius, Felinus, Navarra, etc., communiter.

Probatur : Quia nulla lex est ecclesiastica, quæ ipso jure privet clericum irregularem beneficiis quorum legitimum titulum et dominium jam habebat ante incursam irregularitatem; et si quæ sint delicta specialia, v. gr. hæresis, homicidium, etc., quæ simul cum irregularitate habent annexam beneficii privationem, ista privatio non oritur immediate ex irregularitate, sed ex illis delictis concomitantibus; nec tunc irregularis clericus tenetur dimittere beneficium ante sententiam judicis, nec ante illam ex vi irregularitatis privatur beneficii fructibus, cum adhuc licite retineat beneficium. Unde clericus per irregularitatem, seu ex vi illius non privatur administratione sui beneficii, quominus etiam per se ipsum illam exercere possit in iis omnibus quæ ordinis exercitium non includunt, aut per alium in iis quæ ordinis exercitium requirunt, retinetque omnem fori contentionem, si jurisdictionem sibi ob beneficium competentem et ejus usum; adeoque omnes istius jurisdictionis actus facti a tali irregulari sunt validi, v. gr., excommunicatio, absolutio, etc.; sic parochus irregularis omnia illa potest, quæ antea poterat, seclusa administratione sacramentorum, quam per se ipsum facere non potest licite, licet facta etiam teneant; potest tamen licite adesse præsens matrimonio. Item irregularis non privatur jure eligendi aut confirmandi electionem, ejusque usu, nec delegata jurisdictione.

Dico 5 : Irregularis non potest licite accipere novum beneficium sine dispensatione, quia multa jura satis probant hoc esse prohibitum; et sic certum est peccare graviter qui irregulari illud confert, utpote secundum jura indigno, et agens contra gravem prohibitionem. Insuper talis collatio est irritanda a judice, qui potest juste non solum auferre beneficium, sed etiam ejus fructus in pœnam saltem commissi criminis in talis beneficii receptione; imo practice probabilius est ejusmodi collationem ipso facto irritam esse ac nullam, ita ut irregularis teneatur in conscientia dimittere beneficium, licet irregularitas sit occultissima, ac proinde in conscientia non faciat fructus suos, peccando contra justitiam tam accipiendo quam retinendo illos : ita

Navarra, Covarruvias, etc., communiter, contra Sylvestrum, etc., dicentes istam collationem esse validam, quamvis per judicem possit cessari. Probatur, quia varii textus juris possunt et videntur intelligi de collatione irrita ; et conferens beneficium non habet potestatem conferendi illud ob Ecclesiæ prohibitionem. Quædam objectiones quæ contra hoc afferuntur, nihil solidi habent. Unde juxta hanc sententiam clericus irregularis non potest recipere et possidere fructus beneficii post irregularitatem obtenti, nec exercere administrationem ob hoc sibi competentem, v. gr. eligere, præsentare, conferre beneficium, etc. Secus vero, juxta aliam contrariam sententiam. Idem dic de potestate jurisdictionis.

Dico 6 : Is qui habebat jurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ, v. gr. parochus, per irregularitatem non amittit illam absolute ipso facto ; sed non potest de novo illam in irregularitate accipere ; nec potest licite jurisdictione prius habita uti in irregularitate, absolvendo sacramentaliter per se ipsum a peccatis. Absolutio tamen ab illo data, probabilius est valida, si pœnitens fuerit dispositus ; nec enim ordinis, nec jurisdictionis potestas illi deest : et licet usus potestatis ordinis sit illi prohibitus, hæc tamen prohibitio non est contra sacramenti substantiam, ut supra dictum est. Eadem dic de sacerdote habente jurisdictionem delegatam in hoc pœnitentiæ foro ; idem dic etiam de suspensione ab ordine, aut de interdicto personali sacerdotis absolventis a peccato ; prohibetur enim tantum actus, non vero irritatur.

Sect. III. — *Ob quam causam incurratur irregularitas, et quotuplex illa sit.*

Dico 1 : Irregularitas non semper ob peccatum incurritur, sed interdum sufficit indecentia sine culpa, interdum etiam ob culpam imponitur. Ratio est quia irregularitas non est primo ac per se introducta in pœnam, sed ob reverentiam ecclesiasticorum ordinum ac eorum functionem, ut omnia religiose ac decenter fiant ; quam decentiam non solum culpa, sed etiam alii defectus impedire possunt, potestque subiri aliquod gravamen aut privatio boni sine culpa, maxime ob bonum commune. Hinc irregularitas alia est ob indecentiam tantum, alia ob culpam ; et hæc quæ ob culpam incurritur, a quibusdam dicitur censura, sed male, ut supra dictum est in principio hujus dispositionis.

Dico 2 : Irregularitas, alia est quæ contrahitur sine actu proprio, v. gr. ex corporis aut natalium defectu ; alia quæ per proprium actum incurritur. Et hic actus pure mentalis non sufficit, sed debet esse externus ; jura enim quæ irregularitatem ob culpam imponunt, semper loquuntur de opere seu facto, id est, de actu externo ; et probabilius est non posse Ecclesiam pro actu mere interno irregularitatem imponere ; unde dum interdum dicitur dari facultas dispensandi in irregularitate mentali, intelligitur de irregularitate contracta ob delictum occultum. Culpa mentalis est quidem indecentia coram Deo, sed non apparet in foro humano : et quidem si verba juris, per quæ irregularitas imponitur, significent opus externum consummatum, v. gr., homicidium, non incurritur irregularitas nisi quando est consummatum ; adeoque si quis tantum velit aut attentet occidere, aut letalia vulnera infligat, nisi mors sequatur, non fiet irregularis ; secus autem, si verba tantum requirant actum inchoatum, seu attentatum. Atque iste externus actus debet esse voluntarius, moralis, liber et voluntarie positus sub ea ratione, ob quam imposita est irregularitas.

Dico 3 : Irregularitas non imponitur nec videtur posse imponi ob culpam de se venialem, quia ob hanc nulla lex canonica imponit pœnam ; et hæc pœna esset nimia et improportionata. Unde probabilius videtur, quotiescunque intervenit excusatio a culpa mortali, licet adsit venialis, non incurri irregularitatem, ob actum mortaliter peccaminosum impositam ; nec necesse est, ut in isto actu externo interveniat contemptus aut dolus ad incurrendam irregularitatem, sed sufficit ut sit mortaliter peccaminosus cum ea integritate et malitia, quæ requiritur ex vi verborum legis, etiamsi foret omnino occultus, nec in judicio probari possit.

Dico 4 : Irregularitas, alia est quæ per actum licitum contrahitur, vel ex defectu sacramenti, v. gr. ex bigamia, vel ex defectu lenitatis, v. gr. ex judicio criminali ; alia quæ per actum illicitum incurritur, nempe vel ex homicidio, vel ex administratione ordinis contra Ecclesiæ prohibitionem, vel ex iteratione baptismi. Alia totalis, quæ privat toto ordine clericali, v. gr. homicidium et bigamia ; alia partialis, quæ privat tantum aliquo ordine, non omnibus ordinibus, v. gr. ordine suscipiendo, non suscepto : vel alicujus ordinis usu, non alterius, v. gr. celebratione missæ ob defectum oculi, aut digitorum ; non autem administratione alterius sacramenti.

Sect. IV. — *An irregularitas solo jure ecclesiastico imponatur.*

Dico 1 : Nulla propria irregularitas est jure divino introducta. Probatur ex cap. *Is qui*, De sent. excomm., in 6, ubi dicitur nullam incurri irregularitatem, nisi in casibus a jure, nempe canonico, de quo ibi est sermo, expressis. Cæremoniales namque prohibitiones seu quædam irregularitates veteris legis ad sacerdotes pertinentes, v. gr. : *Qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo* (*Levit.* XXI, 17), in lege nova cessarunt ; et in lege nova nulla a Christo irregularitas instituta est. Irregularitas ergo bigamiæ successivæ juxta illud : *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum* (*I Tim.* III, 2), jam erat jure ecclesiastico tempore apostolorum lata, uti et quædam aliæ eodem jure latæ sunt ad quamdam moralis congruentiæ similitudinem cum aliis antiquis irregularitatibus, seu legalibus cæremoniis.

Dico 2 : Omnis irregularitas ita immediate a jure imponitur, ut neque hominis sententia indigeat, neque per illam solam imponi possit : ita fere omnes

doctores. Probatur ex dicto cap. *Is qui*, ex quo etiam colligitur, ubi jus imponit irregularitatem, hominem seu judicem non posse eam imponere. Irregularitas ergo quæ ab ipso jure fertur, statim independenter a judicis exsecutione et sententia, etiam criminis declaratoria, incurritur, sive obligationem inducit.

Dico 3 : Nullum videtur particulare alicujus diœcesis, provinciæ, aut nationis jus sufficere ad ferendam irregularitatem, quia, juxta cap. *Is qui*, debet esse in jure expressa ; istud autem jus particulare non est proprie jus, seu jus canonicum, sed statutum. Imo irregularitas solummodo fertur jure scripto ; adeoque ob solam allegatam consuetudinem, quorumvis auctorum opinione confirmatam, nulla admittenda est irregularitas, nisi exhibeatur jus canonicum scriptum in quo contineatur. Probatur ex eodem cap. *Is qui*. Jus antiquum tamen canonicum non solum comprehendit corpus juris, sed etiam omnia alia decreta pontificia et concilia approbata; ideoque ut irregularitas incurratur, sufficit ut in quolibet horum decretorum contineatur, quia hæc omnia habent vim legum obligantium universam Ecclesiam, et constituentium commune jus, supposito quod sint sufficienter promulgata et recepta. Sed de facto nulla irregularitas est imposita extra corpus juris. Deinde ut irregularitas contrahatur, non sufficit quod in simili aut minori casu posita sit, sed oportet ut in propria talis causæ vel delicti specie lata sit ; nam cap. *Is qui* dicitur *expressum in jure*. Hinc iterans active vel passive sacramentum confirmationis, aut ordinis ; irregularis celebrans aut aliis celebrans, sine sacris vestibus, aut violans ecclesiam per voluntariam sanguinis aut seminis effusionem, etc., non incurrit irregularitatem, quia non est in jure expressa.

Sect. V. — *An ad incurrendam irregularitatem oporteat jus ita esse expressum ut dubium excludat.*

Dico 1 : Quando in jure est dubium, an sit lata irregularitas, judicandum est non esse latam tam in interno quam in externo foro. Probatur ex dicto cap. *Is qui*, requirente ad irregularitatem ut sit in jure expressa ; quæ enim ita occulta est, ut sapientes nequeant ferre judicium, an in jure contineatur, necne, nequit dici in jure expressa, adeoque judicanda nulla ; imo quamvis non foret ita dubia, quin sub opinionum varietate versaretur, videtur tamen etiam tunc probabiliter esse nulla. Non potest autem haberi dubium de juris exsistentia ; quia tantum in corpore juris irregularitates inveniuntur, et non alibi.

Dico 2 : Dum quis operatur cum dubio, an per suum actum sit incursurus irregularitatem, istud dubium nil facit ad eam incurrendam, vel non incurrendam ; quia, si postea constiterit istum actum, quem cum dubio exercuit, non esse sufficientem ad incurrendam irregularitatem, non erit incursa ; secus vero si constiterit esse sufficientem, quia quævis ignorantia, et multo minus dubium, non impedit irregularitatis incursionem, si vere sit lata ; et contra non infert, si revera non sit lata. Quando vero post actum intervenit vel manet dubium an contracta fuerit irregularitas, si facta sufficiente diligentia constet nullum esse tale jus ferens dictam irregularitatem, tunc omne dubium cessat, nec opus est dispensatione, cum non fuerit contracta irregularitas. Si vero, post adhibitam diligentiam, manet adhuc dubitatio, videtur tunc practice posse istud dubium deponere, et se gerere perinde ac ille qui nullam habet irregularitatem, quamvis nactus opportunitatem, teneatur adhuc majorem diligentiam adhibere. Illa enim ignorantia quæ manet, involuntaria est : quia, cum non potuerit facta sufficienti diligentia dubitationem deponere, ignorat sibi esse tale præceptum impositum, et quidem ita ignorat, ut non potuerit ignorantiam depellere ; ergo invincibiliter ignorat, adeoque hic et nunc non obligatur tali præcepto ; unde nulli peccandi periculo se exponit sic operando.

Sect. VI. — *An ex dubio facti irregularitas juris contrahatur.*

Dico : Certum est interdum irregularitatem contrahi etiamsi factum sit dubium, ita ut qui dubitat, teneatur abstinere donec dispensetur ; idque habetur in cap. *Ad evidentiam*, et in cap. *Significasti* 2. Pro casu dubii homicidii, et quamvis ibi pontifex addat hujus decisionis rationem in dubio tutius esse eligendum, idque posset, juxta Navarram et Gersonem, magis habere locum in foro exteriori quam in interiori ; et tantum fortasse obligari quis in foro interiori post judicis declarationem seu sententiam, tamen etiam quando res non est devoluta ad forum externum, unusquisque tenetur in conscientia, ut sentiunt communiter doctores, abstinere ab usu ordinum tanquam irregularis ; quia pontifex in isto casu per dicta capita declarat servandam esse irregularitatem ; ergo intendit docere obligationem illam oriri eo modo quo irregularitas nasci solet, nempe ex ipso facto absque alia judicis sententia. Hæc tamen pontificis decisio pro casu dubii homicidii non est extendenda ad omnes alios juris aut facti dubii casus, obligando homines ut in eis semper teneantur in conscientia ad judicandum contra seipsos et ad suscipiendum quodcunque onus eo quod speculative sit tutius, quia non semper habent locum omnes rationes illæ quæ in casu homicidii moverunt pontificem.

Sect. VII. — *Qui possint irregularitatem contrahere.*

Dico 1 : Nullus est capax irregularitatis, qui per se et juxta Christi institutionem non est capax sacramenti ordinis. Hinc femina non est nec potest esse capax cujusvis irregularitatis, quia ex jure divino est incapax sacramenti ordinis, et ejus characteris. Item qui non est baptizatus, non est etiam capax ullius irregularitatis, v. gr. homicida, aut bigamus ante baptismum non est irregularis, quia tunc non comprehenditur sub Ecclesiæ legibus, utpote non ei subditus. Postquam autem hi post re-

ceptum baptismum incipiunt esse Ecclesiæ subditi ; an tum sint irregulares, dicetur postea. Perpetua amentia facit incapacem et ordinis et irregularitatis ; sed membris truncus, v. gr. manibus, oculis, etc., privatus, fit incapax ordinis et simul irregularitatis.

Dico 2 : Quicunque est capax ordinis, est capax irregularitatis, si habeat in terris superiorem, quem cum non habeat papa, ideo est incapax contrahendæ irregularitatis : v. gr. si committeret homicidium, non fieret irregularis, quia irregularitas est de jure pontificio, et pertinet ad vim legis coactivam, ad quam papa non potest obligari. Si autem ante papatum esset irregularis, v. gr. bigamus, illegitimus, homicida, ejus quidem electio esset illicita, sed valida, et statim post electionem ipso facto tolleretur omnis irregularitas ; quia tunc mox desinit ligari jure pontificio quoad vim coactivam. Omnes alii baptizati, cum sint capaces ordinis, sunt etiam capaces irregularitatis ; imo unus solus potest contrahere multiplicem, v. gr. ob bigamiam, ob ortum illegitimum, ob homicidium, etc. Ipsi etiam episcopi sunt illius capaces, et sub lege generali ferente irregularitatem ipsi quoque comprehenduntur, sive non excipiuntur.

Sect. VIII. — *Quæ sit verborum forma, per quæ inducitur irregularitas.*

Dico 1 : Quoties verba legis non significant pœnam ipso facto impositam, sed requirunt hominis actionem ut imponatur, tunc in tali lege non est sermo de irregularitate ; nec opus est, ut irregularitas posita exprimatur per verbum præsentis aut præteriti modi, quod ordinarie, licet non semper, requiritur in aliis pœnis, aut censuris, ut sint ipso jure latæ : sed sufficit ut exprimatur etiam per verbum futuri modi, v. gr. *irregularis erit*, vel *irregularis fiet*. Et quamvis canones, præsertim antiqui, raro utantur nomine irregularitatis, sed per effectus aut circumlocutiones illam indicent, tamen si pœna imponatur per verbum futuri modi, non autem præsentis aut præteriti, et nisi ex legis verbis satis expresse constet esse sermonem de irregularitate, signum est ibi eam non imponi, sed aliquam censuram, vel aliam pœnam.

Dico 2 : Quamvis ex vi verborum legis dicatur ferri ipso jure privatio ordinum, non tamen semper intelligitur ferri irregularitatem, nisi vel ex verbis expressis vel ex aliis sufficientibus indiciis id colligatur ; depositio enim et suspensio perpetua est etiam ordinum privatio. Indicia autem ex quibus colligitur irregularitas esse in jure lata, quamvis non semper certa, hæc sunt : 1° si talis pœna dicatur auferenda esse per dispensationem ; suspensio tamen etiam tolli potest per dispensationem. 2° Si talis ordinum privatio feratur sine culpa, quamvis non sine causa ; sed hoc signum non est adæquatum, quia non omnis irregularitas incurritur sine culpa. 3° Si per legem imponatur ordinibus impedimentum, quod post peractam pœnitentiam manet, et sit non tantum clericis, sed etiam laicis commune, maxime si sit totalis. Deinde quamvis in jure inveniantur quædam dicendi formulæ, quæ per se potius diriguntur ad prælatos Ecclesiæ quam ad ipsos reos, ideoque videantur non continere pœnam ipso jure latam, sed ferendam, v. gr. : *Non potest esse clericus ; ne sit clericus, deponatur ; abstinere convenit, cessare debet ; ad clerum non provehatur ; ne fiat clericus ; nunquam ordinetur*, etc., sunt tamen sufficientes, ut indicent irregularitatem ipso facto latam, quia supponunt pœnam jam incursam, et præcipiunt illius exsecutionem, non impositionem. Idem dic de his : *Non aspiret ad ordines ; repellendus est ; non potest esse in numero sacerdotum ; sacerdotio privatus*, etc. ; per hanc sacerdotii privationem sæpe in jure intelligitur irregularitas. Alias adhuc juris formulas refert Majolus ; sed non rite.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

De modis quibus irregularitas tollitur, præsertim de dispensatione.

Sect. I. — *An possit irregularitas aliter tolli, quam per dispensationem.*

Dico 1 : Defectus in homine ante baptismum existens ita illum reddit ab irregularitate immunem post baptismum, ut in eo nulla remaneat irregularitas ratione præcedentium actionum aut conditionum, nisi ubi oppositum esse in jure sufficienter constiterit. An vero in casu bigamiæ, aut alio admittenda sit exceptio, postea dicetur.

Dico 2 : Irregularitas ante religionis ingressum contracta, quænam per illius ingressum tollatur, consulenda sunt jura vel consuetudo.

Dico 3 : Irregularitas tolli potest per propriam dispensationem, non per absolutionem, quia absolutio est actus justitiæ ; irregularitas autem est tantum quædam prohibitio, in quam non cadit actus justitiæ. Ut autem dispensatio in irregularitate locum habeat, oportet ut causa irregularitatis duret ; nam cessante illius causa per se cessat irregularitas sine dispensatione, sive non est necessaria dispensatio.

Sect. II. — *Penes quos sit potestas dispensandi in irregularitate, et quæ forma servanda in dispensatione.*

Dico 1 : Certum est papam ex jure divino et immediate a Christo habere ordinariam, universalem ac supremam potestatem dispensandi in irregularitate : illicite quidem faceret, si sine causa dispensaret ; valide tamen. Nullus autem episcopus jure ordinario potest dispensare in irregularitate generatim sumpta, sed tantum in iis quæ illis conceduntur, uti ex variis juris textibus liquet, v. gr. ex cap. *At si clerici*, De judiciis, et ex cap. *Cum illorum*, De sentent. excomm. Hinc concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 6 *De reform.*) concedit episcopis ut possint dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ ex homicidio voluntario oritur, et exceptis aliis in forum contensiosum deductis, nempe ubi est receptum concilium Tridentinum. Sub illa con-

cessione non comprehenduntur prælati inferiores, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, nec capitulum cathedralis ecclesiæ, sede vacante; apostolica tamen sede vacante videtur collegium cardinalium posse dispensare in alicujus particularis irregularitate, ut licite queat eligi in summum pontificem. Episcopi autem pro dictis casibus possunt quomodocunque subditos, v. gr. exemptos aut domicilium in suis diœcesibus habentes, dispensare, etiam absentes, seu in aliena diœcesi versantes, per se vel per alium; et si ipse episcopus incidat in irregularitatem occultam, deputare potest confessarium, ut cum ipso dispenset juxta facultatem episcopis datam. Ad sciendum quinam habeant delegatam sive particularem sive generalem dispensandi potestatem in irregularitatibus, consulenda sunt privilegia specialia aut facultates aliquibus concessæ.

Dico 2 : Nulla est forma vel solemnitas præscripta ad dispensandum in irregularitate; sufficit signum verbis vel alio modo expressum, quo voluntas dispensantis sufficienter ostendatur sive pro aliqua tantum, sive pro omni irregularitate, prout petens eam indicat. Deinde potest etiam irregularitas dispensari vel ex parte, vel totaliter : v. gr. quoad usum ordinis suscepti, et non quoad ordinem suscipiendum, vel quoad unum ordinem, et non quoad omnes; quoad minores, et non dispensari quoad majores ordines. Dispensatus tamen in majori ordine virtualiter censetur dispensatus in omni minori, v. gr. dispensatus in usu sacerdotii, censetur dispensatus ad usum omnium ordinum inferiorum; et dum quis absolute dispensatur, intelligitur totaliter dispensari. Imo dum papa sciens aliquem esse irregularem, illi confert ordinem, vel litteras dimissorias dat, etiamsi nil verbis exprimat, censetur ipso facto cum illo dispensare; non est enim credendus papa velle agere contra jus, cum possit in jure dispensare : idem probabiliter dic de episcopo conferente ordinem ei, quem scit esse irregularem, modo supponatur in eo potestas dispensandi; idemque de quocunque prælato habente potestatem dispensandi, et mittente ad suscipiendos ordines subditum, quem scit esse irregularem.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

De irregularitate contracta ex delicto ob usum sacramentorum.

Sect. I. — *An contrahatur irregularitas per iteratam baptismi susceptionem.*

Dico 1 : Qui iterato recipit baptismum, cum intentione eum recipiendi, quamvis sit nullus, adeoque cum culpa gravi, incurrit irregularitatem, et quidem quoties toties intendit sic eum recipere. Non tamen eam incurrit qui eum recipit sub intentione conditionata, si forte prior baptismus non fuit validus; quamvis contingat id fieri imprudenter, et sine sufficienti dubitandi ratione, ac denique cum culpa gravi.

Dico 2 : Extra rebaptizationem non contrahitur irregularitas per baptismi susceptionem cum quacunque culpa, modo a catholico ministro suscipiatur. Attamen qui, dilato baptismo usque ad mortis periculum, tunc tantum baptizatur quasi necessitate compulsus, ut promoveatur ad ordines indiget dispensatione tanquam irregularis, ex cap. 1, dist. 57, quia fides hujus hominis sic baptizati non videtur fuisse omnino voluntaria, sed quasi ex necessitate; nec videtur expedire, ut is, de cujus vera fide dubium fuit, ad clericatum admittatur sine dispensatione ab episcopo data. Idem dic de adulto baptizato ab hæretico, ob culpam tali baptismi susceptione commissam.

Sect. II, III. — *Per cujusnam alterius sacramenti illegitimam susceptionem contrahatur irregularitas.*

Dico 1 : Per nullam indignam et peccaminosam sacramenti confirmationis quamvis iteratæ, nec per ullam indignam pœnitentiæ etiam publicæ (nisi ex hac oriretur gravis infamia faciens irregularem) Eucharistiæ, extremæ unctionis, matrimonii, præcise sumpti in primis nuptiis, susceptionem contrahitur irregularitas. Quia nulla talis irregularitas est in jure expressa. Sed

Dico 2 : In ordinum susceptione fit irregularis qui eos accipit ab episcopo qui episcopatui renuntiavit quoad locum et dignitatem : item qui ordinatur ante legitimam ætatem; qui ordinatur ab alieno episcopo, sine proprii licentia; qui recipit ordines extra tempora sine dispensatione; qui ordinatur non servatis interstitiis; qui ordinatur per saltum. Qui autem ligatus censura ordinatur, suspensionem incurrit, non irregularitatem; nec novam irregularitatem incurrit qui in irregularitate ordinatur. Item qui ordinatur ab episcopo censura ligato aut irregulari, suspensionem, non irregularitatem incurrit; et idem dic de eo, qui sine titulo, vel sine veris dimissoriis litteris ordinatur. Sed qui furtive ac dolo se ordinandis ingerens, ordines suscipit, irregularitatem incurrit papæ reservatam. Is tamen qui ordinem semel susceptum iterum recipit, probabilius non contrahit irregularitatem, uti nec ille qui cum peccato mortali publico ordinatur, aut qui ordinatur ab episcopo non baptizato, vel non sacerdote, vel non consecrato; et multo minus is, qui ordinatur ab episcopo omnino illitterato, aut ab episcopo idiomatis diversi, v. gr. Græcus a Latino, aut Latinus a Græco. Si quis autem a duobus episcopis simul ordinetur, uno proferente formam substantialem, et alio ministrante substantialem materiam, ista divisio non irregularitatem, sed sacramenti nullitatem inducit. Si vero istius ministerii divisio sit tantum quoad accidentalem solemnitatem, id est, si unus episcopus omnia quæ sunt de substantia ordinis quoad formam et materiam rite perficiat, licet alteri episcopo solemnitatem aliquam accidentalem committat faciendam, valida erit ordinatio, et nulla incurritur irregularitas. Qui autem ordinatus fuit sine aliqua solemnitate acciden-

tali juxta Ecclesiæ ritum necessaria, v. gr. sine aliqua unctione, non debet nec potest licite uti ordine suscepto, donec iste defectus suppleatur; nulla tamen est ibi irregularitas, nec opus est dispensatione, suppleatur tantum defectus secreto ab episcopo. Denique qui nondum suscepto confirmationis sacramento ordinatur, nullam irregularitatem incurrit, nec novum impedimentum usus ordinis suscepti, aut ascendendi ad superiores ordines; valida enim fuit ordinis susceptio, et nullo jure tale impedimentum latum est. Majolus in his prædictis plerisque casibus docet dari irregularitatem, sed frustra.

Sect. IV. — *An per indignam ordinis usurpationem incurratur irregularitas.*

Dico 1 : Minister qui non est consecratus ad tale munus, administrans baptismum in necessitate, etiamsi indigne, non fit irregularis. Sed minister consecratus ministrans in superiori ordine quem non habet, incurrit irregularitatem quoad promotionem ad ordines superiores, ita ut ad illos perpetuo promoveri non possit (ex cap. De cleric. non ordin. ministr.), et incurrit etiam suspensionem temporalem unius ordinis jam suscepti, id est supremi inter susceptos. Sic etiam clericus per saltum promotus, qui in prætermisso ordine ministrat, fit irregularis, etc. Laicus autem usurpans quodcunque sacrorum ordinum ministerium, excluditur omnino a clericatu, ita ut nullum vel minimum ordinem recipere possit. Colligitur ex dicto cap. 1, dist. 57.

Dico 2 : Qui recipit ordinem cum substantiali defectu, ut potest contingere, fit irregularis, non vero qui cum accidentali; sed hic defectus accidentalis debet caute suppleri, et si antequam suppleatur, ministret in isto ordine, peccat quidem graviter, sed non incurrit irregularitatem, quia non erat proprie ab illo suspensus per censuram sed tantum prohibitus.

Dico 3 : Nullum ordinis ministerium quod aliquo modo per laicos exerceri potest, sufficit ad prædictam irregularitatem incurrendam; v. gr. laicus baptizans sine solemnitate extra necessitatem et peccando graviter, non fit irregularis. Deinde clericus ob usurpatam jurisdictionem, si exerceat actum ordinis quem habet, non fit etiam irregularis, v. gr. sacerdos absolvens sacramentaliter non subditum, aut simplex sacerdos sine licentia parochi baptizans solemniter, aut ungens, non fit irregularis : uti nec episcopus ordinans sibi non subditum, vel in aliena diœcesi sine licentia diœcesani; sed hic tamen suspensionem incurrit. Quod attinet ad minores ordines, dum quis aliquem ex eis exercet tanquam in eo ordinatus, quem tamen non habet, fit etiam irregularis : secus vero, si eum tantum exercet eo modo quo per laicos exerceri solet. Hæc autem irregularitas sine culpa non incurritur, nec per actionem ludicram. Ubi in his habetur licentia papæ, cessat irregularitas.

Sect. V. — *An per indignam ordinis administrationem incurratur irregularitas.*

Dico 1 : Clericus, qui exercendo ordinem, violat censuram, incurrit irregularitatem; sic excommunicatus majori excommunicatione, vel suspensus ab ordine, vel interdictus personaliter, fit irregularis ministrando in suo ordine, sicut prius; idem dic de celebrante in loco interdicto aliter quam illi concessum est. Quæ omnia constant ex toto titulo *Cleric. excomm. minist.*, etc.

Dico 2 : Per ordinis administrationem quantumvis illicitam quæ non fit contra censuras, nunquam irregularitas incurritur; nulla enim talis irregularitas invenitur in jure expressa : ideoque novem casus quos affert Majolus, in quibus dicit irregularitatem incurri contra dictam assertionem, rejiciuntur, v. gr., episcopum qui ordinat aliquem per saltum, aut sacerdotem qui, omisso toto sacrificandi ritu ab ecclesia servato, corpus Christi et sanguinem conficit, etc. dicit fieri irregulares, sed sine fundamento.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

De irregularitatibus, quæ ex aliis delictis vel ex eorum infamia contrahi possunt.

Sect. I, II, III. — *An per crimen hæresis incurratur irregularitas, et ad quas personas hæc extendatur.*

Dico 1 : Ob crimen hæresis externæ, non pure mentalis, incurritur irregularitas, ita ut qui semel lapsus est in hæresim, neque dum permanet in hæresi, neque post ejus detestationem et absolutionem, possit ordinari sine dispensatione; et juxta communem sententiam solus papa potest ea dispensare quoad promotionem ad ordines; quoad usum vero susceptorum, excepto probabilius sacerdotii usu, episcopus potest.

Dico 2 : Hæc irregularitas extenditur etiam ad veros apostatas, imo et probabilius ad eos qui tantum exterius ob metum sunt apostatæ, horumque irregularitatis dispensatio est papæ reservata quoad promotionem ad quosvis ordines; quoad vero usum susceptorum (excepto usu sacerdotii cujus dispensatio est etiam papæ reservata) potest episcopus ex gravi causa dispensare; multo autem magis est papæ reservata dispensatio irregularitatis vere apostatarum. Insuper

Dico 3 : Hæc irregularitas ad hæreticorum fautores, receptatores, consilium, opem aut favorem eis dantes extenditur, et in suspectos ob hæc de hæresi; ac in schismaticos qui sunt simul hæretici, non vero si sint tantum schismatici sine hæresi. Item extenditur ad filios et nepotes hæreticorum in suo errore morientium, et in eorum fautorum filios. Denique in fide neophyti sunt etiam aliquo modo irregulares, donec cognita eorum fide solida, judicentur habiles ad ordines; sed eorum filii qui ante usum rationis baptizantur, irregulares non sunt.

Sect. IV, V. — *An ob Simoniam, sacrilegium, aliave crimina incurratur irregularitas.*

Dico 1 : Nulla propria irregularitas ob hæc cri-

mina, per se loquendo, ac seclusa infamia (infames enim in jure, sunt irregulares), incurritur; quia hæc pœna non invenitur expresse in jure lata ob ista crimina : contra Majolum, qui ponit irregularitatem in Simonia tam ex parte dantis quam recipientis, in venditione rerum sacrarum, in fornicatione cum moniali aut sacra virgine, in sortilegiis, in apostasia a religione aut clericatu, in blasphemia, ac denique in omni sacrilegio ; sed sine vero fundamento ac male. Quamvis enim ista crimina habeant in jure annexas pœnas seu censuras vel ferendas vel ipso facto latas, ex quarum violatione potest oriri irregularitas , nulla tamen pro ipsismet criminibus immediate fertur irregularitas. Unde

Dico 2 : Nec illa supra dicta crimina, nec alia, præter homicidium sub quo mutilatio comprehenditur, et de quo in disputatione sequenti, ullam de se inducunt irregularitatem ; quia nulla pro illis legitur in jure imposita irregularitas ; adeoque si, postquam commissa sunt, deleantur per pœnitentiam, non impediunt ordinum susceptionem aut usum ; neque ad hunc et illam est necessaria dispensatio, sed absolutio, si habeant annexam censuram ; nec ob istorum criminum impœnitentiam, seu perseverantiam, vel ob eorum frequentiam vel consuetudinem ulla in jure habetur irregularitas. Quandiu durant, impediunt quidem ordinum exsecutionem et suspensionem, sed jure tantum divino et naturali, non autem canonico seu non per irregularitatem.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

De irregularitate, quæ contrahitur ex delicto homicidii voluntarii.

Sect. I, II. — *De voluntaria homicidii intentione, et effectu secuto ad incurrendam irregularitatem necessario.*

Dico 1 : Ob homicidium voluntarium incurri irregularitatem passim in jure habetur. Sed in præsenti materia vocatur tantum homicidium voluntarium, quod ex proposito occidendi fit. Unde quando quis cum directa voluntate vulnerandi tantum aut percutiendi, sed non cum proposito occidendi, vulnerat alium, licet mors sequatur, in rigore et in foro conscientiæ non est homicidium voluntarium ; in foro tamen externo aliud forte judicabitur. Quare ad hanc irregularitatem contrahendam requiritur expressa ac directa, imo et spontanea (ut excludatur voluntas necessaria se defendendi) voluntas occidendi in actu signato vel exercito : talis autem censetur haberi, quando vel mors ipsa, vel saltem actio illa, quæ est causa proxima ac per se mortis inevitabilis, v. gr. propinatio veneni mortiferi, ita intenta est ; quia tunc velle talem actionem, est velle mortem in actu exercito, etiamsi in actu signato et expresso non concipiatur.

Dico 2 : Certum est ad hanc incurrendam irregularitatem non sufficere solam internam occidendi voluntatem, si homicidii effectus revera non sequatur, quocunque modo etiam miraculoso impediatur, præterquam in casibus a jure expressis, v. gr. in mutilatione, de qua jam ; quia pœna ipso jure imposita non incurritur nisi per delictum consummatum, nec sufficit inchoatum, licet pervenerit ad actum propinquum.

Dico 3 : Altera irregularitas distincta a præcedenti incurritur per gravem mutilationem consummatam, et non tentatam aut inchoatam tantum, seu per alicujus membri corporis humani abscissionem. Habetur ex Clem. *Unica*, De homicidio. Per membrum autem intelligitur quælibet pars organica, qua oblata non manet corpus integrum, juxta moralem æstimationem, et communem loquendi modum, v. gr. pes, manus, aures, digitus; adeoque ad prædictam mutilationem videtur sufficere vel integra abscissio, vel gravis diminutio alicujus membri principalis. Unde per auriculæ, principalis digiti, mamillæ mulieris abscissionem, probabilius incurritur irregularitas. Idem etiam dic de mutilante seipsum. Item de abscindente membrum aridum, debilitatum, impeditum, si sit adhuc anima informatum; secus, si sit omnino mortuum. Item de procurante abortum fœtus animati, ex quo sequatur mors ; secus, si nondum sit animatus.

Sect. III, IV. — *Quænam personæ ad homicidium concurrentes, irregularitatem contrahant ; et qualis sit.*

Dico 1 : Quicunque baptizatus (secus, non baptizatus) per se seu propriis manibus occidit alium, etiam non baptizatum, fit irregularis, excepto papa qui juri communi quoad pœnas non subjicitur ; et idem est de eo qui dat causam morti cum effectu secutæ, licet remote ad illam concurrere videatur, v. gr. dans venenum quod tantum post longum tempus mortem affert.

Dico 2 : Qui mandat fieri homicidium per alium, etiam fit irregularis, nisi revocaverit suum mandatum, eique vi mandarit, intimarit, antequam homicidium fieret ; et ad hoc impediendum tenetur, quantam potest, adhibere diligentiam. Idem dic de consilium dante cum effectu secuto, etiam indirectum, nisi ante homicidium effectum fortiter retractarit suum consilium, si consulendo tantum moverit voluntatis affectum; si autem consulendo, etiam ratiocinio intellectum moverit, debet insuper rationibus contrariis ac specialioribus persuasionibus suum consilium retractare. Deinde videtur etiam incurrisse irregularitatem is, qui alteri consilium dedit, ut illicite ac temere se mortis periculo exponeret, si mors ejus inde secuta fuerit.

Dico 3 : Quoties aliquis consentit homicidio dum actu fit vel suo nomine seu occasione, vel propter ipsum, iste consentiens fit homicidii reus, adeoque irregularitatem incurrit; iste enim consensus censetur moralis cooperatio, nam exterius debebat repugnare. Consensus autem in homicidium, quod nullo modo consentientis nomine fit, si absque ulla ejus cooperatione fiat et purum sit, non inducit irregularitatem , etiamsi ipse consensus exterius

manifestetur : quia non influit in alterius occisionem, adeoque non incurrit pœnam homicidii. Imo qui consentit in homicidium suo nomine jam factum ab alio, sine ulla sua cooperatione, probabilius eam non incurrit (Covarruvias, Tabianus, Angelus, etc., contra Sylvestrum, Majolum, etc.) ; quia nulla invenitur posita irregularitas ob solam ratihabitionem, nisi in casibus a jure expressis. Et sunt hi : 1° qui ratam habet clerici percussionem suo nomine factam, etiamsi illam non mandarit, nec cogitaverit (cap. *Cum quis*, De sent. excomm., in 6). 2° Qui ratam habet percussionem cardinalis (in cap. *Felicis*, De pœnis, in 6). 3° Dein habetur in Clem. 1 De pœnis contra ratihabitionem percussionis episcopi. Ad hanc tamen ratihabitionem non sufficit approbatio vel complacentia mere interna, sed requiritur externa. Denique si quis casu et sine culpa alium occidat, et postea ratum habeat suum factum, non contrahit irregularitatem.

Dico 4 : Is qui cooperatur aut quovis modo opem præbet homicidio perpetrando, incurrit etiam prædictam irregularitatem (ex cap. *Sicut dignum*, De homicidio). Qualis autem cooperatio sufficiat ad hanc irregularitatem, postea, agendo de casuali homicidio, dicetur.

Dico 5 : Quod attinet ad effectus irregularitatis ex homicidio quolibet voluntario contractæ, habet illos omnes supra generatim positos de irregularitate, et nullum alium specialem, adeoque nec privat beneficiis jam obtentis, nec inhabilitat ad nova obtinenda : ejus dispensatio, ex quantumvis occulto homicidio contractæ, est papæ reservata, qui in eo difficillime solet dispensare. Sed in irregularitate ex mutilatione occulta contracta potest episcopus dispensare; in quavis autem alia, quæ non est occulta, solus papa.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

De irregularitate ex homicidio casuali contracta.

Sect. I, II. — *An et quomodo per homicidium indirecte voluntarium contrahatur irregularitas.*

Dico 1 : Certum est per hujusmodi homicidium incurri irregularitatem ; est enim voluntarium, etiamsi non perfecto modo ; adeoque quando est occultum, in ejus irregularitate potest simpliciter dispensare episcopus. Quando autem est publicum et deductum ad forum contentiosum, non dispensare potest, nisi prius causa cognita preces narratæ ac probatæ fuerint.

Dico 2 : Homicidium censetur indirecte voluntarium ac casuale, adeoque per illud incurri irregularitatem ; 1° quando quis exercet actionem ex qua immediate sequitur homicidium, attentis variis circumstantiis. 2° Quando quis dat causam, ex qua homicidium sequitur. Hinc qui detinet alium ne fugiat, et occiditur, fit irregularis. 3° Quando quis injuste imperat verberationem, ex qua homicidium sequitur, etiamsi cum limitatione imperium dederit, et alter imperium excesserit; secus vero, si juste imperarit. Unde qui mulierem prægnantem ita percutit, ut inde sequatur abortus prolis jam animatæ, quamvis ab ipso non intentus, fit irregularis, quia id homicidium est in causa voluntarium ; sic etiam fiet irregularis, qui consulit actionem injuriosam seu vindictam ex qua homicidium sequatur.

Sect. III, IV. — *Quando incurrunt hanc irregularitatem aliquo modo cooperantes eum homicida, aut eum non impedientes.*

Dico 1 : Si quis directe cooperetur actioni, per quam scit alterum intendere homicidium, secuto homicidio, fit irregularis, modo non interveniat ignorantia inculpabilis; hæc enim irregularitas non contrahitur, nisi adsit culpa. Hinc si quis consulendo minus malum, v. gr. minorem vindictam, ita ut non peccet sic consulendo morte secuta, ab alio patrata, non fiet irregularis, quia patrata est sine sua culpa Idem dic de dante ejusmodi consilium. Ista autem cooperatio potest esse vel remota vel proxima : remota, v. gr. si quis det instrumenta homicidii ignorans, et non intendens alterius rixam aut percussionem, nempe si det ensem, aut quid simile; proxima, dum quis immediate applicat causam quæ ad mortem inservit, v. gr. si quis daret infirmo cibum cooperantem ad ejus mortem, quæ sine illo fortasse vel non secuta fuisset, vel non tam cito. Hinc

Dico 2 : Dum plures cum aliquo rixantur, non ex proposito occidendi, sed ex repentina occasione, modoque ordinario, si ille occidatur, omnes cum illo rixantes fiunt irregulares; quia omnes cooperantur ad ejus mortem vel directe vel indirecte, et non sine culpa : ita communiter doctores.

Dico 3 : Quando quis non impediendo homicidium peccat solum contra charitatem, non fit irregularis : ita Innocentius, Antoninus, etc., contra Navarram, etc., quia is nec physice nec moraliter censetur cooperari ad homicidium. Quando autem quis tenetur ex justitia impedire homicidium, tunc per voluntariam defensionis seu impediendi omissionem incurrit irregularitatem (Angelus, Sylvester, Navarra, etc.) : quia illa est moralis causa homicidii et contra justitiam ; ergo illa omissio transit moraliter in commissionem homicidii, ob quam juxta varia jura incurritur irregularitas. Ille enim est moraliter homicida qui privat alium jure suo et re sua sibique necessaria ad sui defensionem; adeoque habet moralem influxum positivum in ejus mortem.

Sect. V, VI. — *An propter homicidium casuale, ex opere tam licito quam illicito secutum, contrahatur irregularitas.*

Dico 1 : Ob homicidium casuale ex opere licito secutum, si sufficiens diligentia ad vitandum mortis alterius periculum adhibita fuerit, non contrahitur irregularitas : quia tunc homicidium est omnino involuntarium, et sine culpa, nec ob hoc ulla in jure invenitur expressa irregularitas. Si autem in-

tervenerit negligentia vitandi periculum, quæ ad culpam mortalem pervenerit, tunc etiamsi opus fuerit licitum et bona intentione factum, secuto homicidio incurritur irregularitas. Istud enim est aliquo modo voluntarium, et licet opus sit licitum, non fit tamen licite; si autem negligentia pervenerit tantum ad culpam venialem, probabiliter non incurritur irregularitas, quia tunc est levis aut levissima negligentia, ac homicidium valde diminute et secundum quid voluntarium.

Dico 2 : Ob homicidium omnino casuale ex opere illicito secutum, non contrahitur irregularitas, nisi in casibus a jure expressis; casus autem censetur sufficienter in jure expressus, quando actio est specialiter prohibita ac illicita ob homicidii periculum : v. gr. in cap. ult. *De homicidio*, in 6, ubi declaratur fieri irregularem, qui jussit injuste alium tantum percuti, non occidi, si is, qui jussus fuit, jussum excedens, alium occidat, etiamsi jubens omnem adhibuerit diligentiam, ne percussio foret lethalis; quia jus in tali casu nullam diligentiam tanquam sufficientem admittit, supposito jussu injusto. Pene similis casus habetur in cap. ult. *De homicidio*. Item habetur alius in cap. *Sicut*, De homicidio, ubi quidam presbyter declaratur irregularis, quia dedit occasionem abortui (nempe fœtus animati); quamvis enim ista occasio non videbatur sufficiens, tamen quia iste presbyter dabat operam rei illicitæ, juris declaratione reputatur sufficiens. Atque ita in jure quædam actiones ob homicidii periculum, quod in se continent, prohibentur cum adjuncta pœna et conditione, ut si homicidii effectus sequatur, irregularitas incurratur ob solam ejusmodi actionem sic prohibitam sub tali effectu; sive negligentia interveniat, sive non. Unde generaliter potest dici : Quoties ex injusta et periculosa alicujus actione homicidium sequitur, quantumvis casuale sit, irregularitas incurritur, utpote satis in jure expressa. Si igitur actus sit illicitus in materia castitatis et religionis, nec sit specialiter jure humano prohibitus ob homicidii periculum, non incurritur irregularitas ob homicidium ex casu omnino fortuito inde subsecutum. Quare ut incurratur irregularitas ob homicidium omnino casuale, debet provenire ex actione injusta et periculosa respectu illius, qui occiditur; et quamvis tale homicidium, quatenus homicidium, non sit reipsa voluntarium, est tamen legis interpretatione voluntarium punientis istam actionem injustam ac vetitam pœna irregularitatis.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEXTA.

De irregularitate contracta ex homicidio necessario, seu in defensionem patrato.

Sect. I, II. — *An ob homicidium patratum in defensionem propriæ personæ, vel bonorum temporalium, incurratur irregularitas.*

Dico 1 : Qui occidit alium in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis. Constat ex Clem. unica, De homicidio; secus vero qui excedit in modo defensionis, quia tunc cessat ratio et dispositio juris. Deinde si quis possit fugere sine ullo mortis aut mutilationis periculo, et sine dedecore vel infamia, v. gr. clericus aut religiosus (ei enim non est ignominiosa fuga, nec decet pugna ejus statum) tenetur fugere, si enim tunc occidat alium, fit irregularis; secus vero, si quis alius non possit fugere sine gravi nota et amissione famæ. Signa autem moderaminis inculpatæ tutelæ, sunt : 1° Si is, qui occidit, fuerit aggressus ab alio; alioqui non esset defensio, sed aggressio. 2° Si defensio fieri non possit cum minori proximi lædsione; si enim sufficeret mutilare, aut aliud vulnus infligere, occisio esset immoderata defensio. 3° Si defensio non facta fuerit cum culpa gravi, aut mortali; si enim defensio transierit in aggressionem, v. gr. si quis jam fugientem insecutus fuerit, aut jam desistentem a pugna, eum ad illam excitarit, tunc fit irregularis. Si autem iste excessus tantum ad culpam venialem pervenerit, non inducet irregularitatem. Quando est dubium an sit incursa irregularitas, et res deducta est ad forum contentiosum, tunc pertinet ad episcopum judicium ferre. Atque hæc irregularitas contracta ex homicidio ob immoderatam defensionem, non est papæ reservata.

Dico 2 : Supposita communi sententia theologorum, quod interdum liceat ad defensionem bonorum temporalium, concurrentibus omnibus circumstantiis necessariis, alium occidere : quamvis in isto casu satis communiter sentiant doctores ejusmodi hominem, qui alium juste occidit ad defendenda sua bona temporalia, incurrere irregularitatem, nempe Panormitanus, Navarra, etc., contraria tamen aliorum opinio videtur satis probabilis et practice tuta, et in rigore juris vera; quia talis irregularitas nec in jure novo Clem. unic. De homicidio, nec in antiquo invenitur expressa aut comprehensa.

Sect. III. — *An ex homicidio ob licitam proximi defensionem patrato incurratur irregularitas.*

Dico 1 : Quamvis adhuc aliqui in hoc casu putent ejusmodi occisorem incurrere irregularitatem, nempe Sylvester, Navarra, etc., verior tamen videtur esse sententia negantium incurri irregularitatem, quando homicidium non solum fit licite, sed etiam ex obligatione defendendi interdum proximi vitam, quia tale homicidium non est culpabile, nec moraliter voluntarium, sed aliquo modo necessarium, et per accidens secutum ex tali defensione. Insuper

Dico 2 : Idem videtur sentiendum, quando ista proximi defensio est tantum licita sine obligatione, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia ejusmodi irregularitas nec ex Clem. De homicidio, nec ex antiquiori jure colligitur imposita. (Covarruvias, Majolus, etc.)

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.

De irregularitate ex homicidio licito ob defectum lenitatis contracta.

Sect. I. — *An judex ferens sententiam in causa sanguinis, fiat irregularis.*

Dico 1 : Judex ferens sententiam in causa sanguinis, effectu secuto, fit irregularis. Constat ex multis juris capitibus. Dicitur *in causa sanguinis*, id est mortis vel mutilationis; minus enim nocumentum, v. gr. flagellatio, ad triremes damnatio aut alia vulneratio, sanguinisque effusio sine morte vel mutilatione, non sufficit. Deinde dicitur, *effectu secuto*, quia, licet quis proferat et promulget sententiam, si effectus mortis vel mutilationis quocunque modo impediatur, ne exsecutioni mandetur, non fit irregularis (in cap. *Sententia sanguinis, ne clerici*). Sub nomine autem *judicis*, comprehenditur assessor, consultor, exhortator, et omnis alius cum judice ad ferendam sententiam concurrens. Dum princeps aut dominus temporalis delegat pure alicui suam jurisdictionem, judicisque officium committit, non determinate ad aliquam punitionem faciendam per mortem aut mutilationem, sed indifferenter ad examinandam, ad inquirendam causam, et ad justitiam agendam, sive id committat in generali quoad omnia crimina, sive in particulari quoad tale factum, non fit irregularis : in cap. ult. *Ne clerici, vel monachi*, in 6, ubi pontifex ait clericos habentes temporalem jurisdictionem, posse et debere illam delegare sine ullo metu irregularitatis. Hinc

Dico 2 : Inquisitores non fiunt irregulares, quando reos mortis convictos de crimine tradunt brachio sæculari, sive clericos post degradationem et privilegii clericalis exspoliationem, sive laicos; quia non tradunt proprie judici sæculari suam jurisdictionem, sed in ejus manibus derelinquunt seu tradunt talem personam, ut in eam exerceat suam jurisdictionem, et morte eum plectat. Monetur tamen, in cap. *Novimus*, De verb. signif., judex ecclesiasticus *efficaciter debere pro eo intercedere ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Quæ intercessio sive sit absolute necessaria ad vitandam irregularitatem, quod est fortasse probabilius, sive non sit, fit ut judex ecclesiasticus non videatur petere supplicium mortis a potestate sæculari, nec illud desiderare, utque, quantum est in se, ostendat animum absolvendi potius, quam damnandi, et sic dicitur *efficaciter* intercedere, non quidem absolute petendo, ut ita fiat, sed quoad juste et licite fieri potest; quod sane ex animo et vere peti potest. Atque hæc intercessio tam est necessaria in tradendo reo laico, quam in clerico tradendo.

Sect. II. — *An accusator in causa sanguinis fiat irregularis.*

Nota hic agi de justa accusatione; si enim accusatio sit injusta, clarum est incurri irregularitatem, non ex defectu lenitatis, sed ex delicto.

Dico 1 : Clericus (idem dic de laico), juxta cap. *De homicidio*, in 6, non fit irregularis per justam accusationem, etiam secuta accusati morte vel mutilatione, dummodo duo servet : 1° ut tantum petat compensationem damni sibi illati, provideaturque ne imposterum simile quid sibi eveniat; 2° ut protestetur se pœnam sanguinis non intendere, sive exterius habeat talem affectum, sive non (de internis enim non judicat Ecclesia), et sive mors sit certo secutura, sive non. Unde accusatio non debet directe fieri ad postulandam vindictam, sed ad reparationem præsentis damni, et ad obviandum futuro : sive debet tantum agi de reparatione illati damni per tale delictum, non vero de vindicta delicti; adeoque si reus sponte paratus sit satisfacere, non potest fieri accusatio. Deinde ex dicto capite liquet posse tantum in causa propria accusationem fieri, non in aliena; posset tamen in aliena interdum fieri denuntiatio ex charitate, si hæc denuntiatio sit medium moraliter necessarium ad impediendum grave malum imminens, obligansque ex lege charitatis erga proximum; fiatque protestatio expressa, quod denuntietur non ad vindictam sanguinis, sed solum ad cautelam et proximi defensionem. Sub *propria causa* comprehenduntur parentes, filii et fratres inter se. Accusans autem reum juste coram judice ecclesiastico in causa sanguinis non eget protestatione, quia judex ecclesiasticus non potest procedere ad sanguinis sententiam; neque ea eget accusans coram judice sæculari, si crimen non est dignum pœna deformationis.

Dico 2 : Potest quis sine irregularitate detinere furem suorum bonorum, donec capiatur; aut indicare locum ubi latet ut capiatur, aut vociferari ut capiatur, non ut occidatur; debetque postea, si capiatur, protestari se non vindictam aut sanguinis pœnam, sed solum damni reparationem petere. (Covarruvias, Sylvester, etc.) Si autem, ob vociferationem, statim in ipsa fuga aut captura occideretur a privatis hominibus, tunc irregularitas incurreretur (in cap. *Significasti*, De homicidio).

Sect. III, IV. — *An testes et ministri justitiæ in sanguinis justa causa, secuto effectu, fiant irregulares.*

Dico 1 : Testis in causa criminali, effectu secuto, fit irregularis : ita communiter doctores. Cooperatur enim rei morti aut mutilationi; imo etiamsi cogatur præcepto vel comminatione judicis ad testimonium ferendum : quia illa actio semper participat moralis concursus ad sanguinis effusionem per se et directe intenti decentiam; varia jura in contrarium citata agunt de causa civili, seu de causa in qua non agitur directe de pœna sanguinis, sed de damnificationis reparatione, in qua ferens licitum testimonium, maxime si id ferat ex

præcepto aut coactione superioris, non incurrit irregularitatem, etiamsi per accidens ex ejus testimonio sequatur condemnatio ad mortem vel mutilationem.

Dico 2 : Ministri in quacunque curia sæculari, ad causam sanguinis quovis modo cooperantur, v. gr. tabelliones, procuratores, sollicitatores, et inferiores etiam ministri, sive denuntiantes sive scribentes sententiam, aliudve ejusmodi munus exhibentes, effectu secuto, fiunt irregulares. Idem dic de advocato agente contra reum in causa sanguinis, si inde sequatur effectus deformationis ; secus, si non sequatur. Quod autem attinet ad advocatum agentem pro reo contra accusatorem ; si accusatio sit justa, et advocatus rite fungatur officio, etiamsi sequatur accusati deformatio, non erit irregularis; si vero accusatio sit injusta, accusatusque absolvatur, et accusator deformetur, advocatus qui defendit hunc accusatorem, fiet irregularis ; secus, si tantum defendit accusatum, nihil agendo contra accusatorem : sed si defendendo accusatum, egit etiam contra accusatorem, tunc fiet irregularis. Multo autem minus accusatus qui se defendit contra injustum accusatorem, secuta hujus deformatione, fiet irregularis.

Dico 3 : Clericus, qui est in loco supplicii, per puram assistentiam sine ullo cooperationis genere, non fit irregularis ; sed si sit in sacris, peccat : venialiter tamen tantum, secluso scandalo. Hinc religiosi aliique qui causa pietatis assistunt hujusmodi suppliciis, omnino cavere debent ne aliquid faciant vel loquantur quo supplicium accelerare, aut illud aliquo modo juvare videantur.

Sect. V, VI, VII. — *An omnes militantes in bello injusto, et omnes mutilantes in bello justo, fiant irregulares.*

Dico 1 : Omnes militantes in bello injusto, si in eo fiant homicidia, vel mutilationes, licet propriis manibus sanguinem non fundant, sed tantum cum fundentibus commilitent, cooperentur, aut arma præbeant, aut eos excitent, hortenturve, fiunt irregulares : quia omnes homicidio cooperantur. In hac autem irregularitate cum clericis, solus papa potest dispensare, uti et cum laicis, qui propriis manibus occiderunt vel mutilarunt ; sed cum laicis, qui sanguinem propriis manibus non fuderunt, at tantum per alios facta sunt homicidia aut mutilationes, potest episcopus dispensare. Quando vero in bello injusto ex neutra parte secuta est deformatio, tam per se, quam per alios, militantes sive clerici sive laici nullam videntur incurrisse irregularitatem.

Dico 2 : In bello justo quando bellum seu prælium est necessarium ad defensionem propriæ vitæ, patriæ, aut boni communis, nullus sive clericus sive laicus fit irregularis, etiam secuto homicidio per propriam actionem. Quid in hoc sit licitum ad defensionem alicujus innocentis, aut bonorum temporalium sine irregularitatis incursione, patet ex dictis supra.

Dico 3 : Militantes in bello justo aggressivo, si propriis manibus sanguinem non fundant, etiamsi alii mutilent aut occidant, non fiunt ipsi irregulares. (Sylvester, Covarruvias, Navarra, etc.) Ex hoc enim solum quod juste militant, non censentur aliis cooperari, illos adjuvare aut animare ad occidendum, sed tantum ad strenue militandum ; uti nec illi, qui iis vendunt interminate arma. Occidens autem eum quem vocant *bannitum*, fit irregularis ex defectu lenitatis.

Dico 4 : Clerici in hujusmodi bello aggressivo, etiam justo, non possunt licite militare ; licite tamen possunt illi interesse ex pia causa, et legitima superioris licentia (etiam in bello injusto) : ac sine irregularitatis periculo possunt ante actualem conflictum animare milites ad se strenue gerendum, imo et in actuali conflictu, supponendo quod bellum sit justum, quia sic exhortando nec contra justitiam, nec contra prohibitionem agunt ; nec directe excitant ad homicidium, sed ad fortiter pugnandum, adeoque valde, remote et per accidens se habent ad homicidium, ita ut hoc eorum voluntati imputandum non sit ; nec ergo inde contrahitur irregularitas. Imo quamvis in ejusmodi bello militarent, si propriis manibus neminem mutilarint aut occiderint, nec fuerint causa proxima ut alii mutilarent aut occiderent, non incurrent irregularitatem, etiamsi multa homicidia facta fuerint, et ipsi militando peccaverint, quia hoc peccatum est quid extrinsecum, respectu irregularitatis. In hac autem irregularitate solus papa potest dispensare.

Dico 5 : Medici, chirurgi, eorumque ministri, aut infirmarii, si debitam diligentiam et peritiam adhibuerint in suo munere, etiamsi mors sequatur, non incurrunt irregularitatem (cap. *Ad aures*, De ætate et qualit.). Incurrent autem, si ex eorum negligentia aut imperitia mors sequatur. Clericis tamen ars chirurgiæ est prohibita (in cap. *Tua nos*, De homicidio) : adeoque si ex eorum actione sequatur mors, etiam sine eorum culpa, fiunt irregulares.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

De irregularitate, quæ ex infamia contrahitur.

Sect. I, II. — *Quid et quotuplex infamia ; et quomodo infamia ex crimine resultans, inferat irregularitatem.*

Dico 1 : Infamia est quædam bonæ famæ privatio vel diminutio. Alia est legalis, seu ex vi alicujus legis, alia popularis, seu ex populi opinione manans. Legalis, alia civilis seu a jure civili lata, alia canonica, id est a jure canonico imposita, aut a jure civili lata, et per canonicum acceptata : legalis iterum alia juris, quæ per ordinem judiciarium fertur ; alia facti, quæ per facti evidentiam sine actu judiciario generatur.

Dico 2 : Certum est infamiam inducere irregularitatem, quia infamis ad ordines ecclesiasticos non est admittendus, in cap. *Infamis* 6, quæst. 1, etc.

Atque hæc irregularitas incurritur per omnem et solam infamiam canonicam tam juris quam facti : hæc enim irregularitas est impedimentum canonicum, ergo non potest incurri nisi per infamiam canonicam ; adeoque quodvis delictum, quantumvis grave sine juris humani institutione et lege mandante, non reddit hominem infamem infamia canonica, ex qua inducitur irregularitas. Lex enim canonica, sive quod idem est, lex civilis canonizata, ob crimen imponit vel infamiam ferendam, vel ipso jure latam. Si sit infamia ferenda, non contrahitur ante sententiam infamia sive juris sive facti, quamvis crimen fuerit publicum et grave ; sed post latam sententiam de tali crimine, fit persona infamis, adeoque irregularis. Dum autem lex ipso jure imponit infamiam ob delictum, ante sententiam jam incurritur irregularitas ex vi ipsius facti, juxta legis exsistentiam.

Dico 3 : Quoad durationem et ablationem prædictæ irregularitatis, hæc sint : quodlibet peccatum mortale publicum, quandiu homo in eo statu publice perseverat, constituit hominem, canonice infamem adeoque irregularem ; et per pœnitentiam seu emendationem proportionatam ac æque publicam deletur. Quando autem infamia per judicis sententiam vel per legem ipso facto imposita est, v. gr. ob hæresim, tunc irregularitas quæ ex illa nascitur, non aufertur per pœnitentiam, sed requiritur dispensatio ; secus vero, quando lex non imponit ipso facto infamiam, nec per judicis sententiam lata est : tunc enim per pœnitentiam deletur irregularitas, quæ ex infamia perseverantis publice in peccato proveniebat.

Dico 4 : Quando hæc irregularitas per pœnitentiam non aufertur, solus papa potest per dispensationem directe eam auferre. Quando tamen infamia est juris tantum civilis indirecte a jure canonico recepti, tunc irregularitas orta ex ista infamia, per famæ restitutionem seu infamiæ ablationem a potestate civili, v. gr. a rege factam, videtur indirecte auferri ac cessare.

Infamia meri facti per baptismi susceptionem tollitur ; non tamen juris civilis, dum quis ante baptismum subditus est temporaliter in loco in quo jus civile servatur. Infamis tamen per civiles infidelium leges, si baptizetur, non videtur manere infamis post baptismum, nec irregularis.

Sect. III. — *An sufficiat ad irregularitatem inducendam infamia ex alieno delicto orta.*

Dico 1 : Ex pura infamia facti, quæ non fundatur in proprio ipsius personæ peccato, nunquam quis fit irregularis, secluso speciali jure : quia, secluso humano jure, nullus sine propria culpa notatur tali infamia, ut eum reddat inhabilem, vel moraliter impeditum ad aliquos actus legitimos vel honores ; ergo nec ad ordines. Unde

Dico 2 : Sunt aliqui casus, in quibus infamia juris, adeoque et irregularitas incurritur absque proprio peccato, sed ob parentum scelus, v. gr. filii eorum, qui violentas manus in cardinales injecerunt (cap. *Felicis*, etc.). Quamvis filii hæreticorum fiant irregulares, nullo tamen jure esse videntur infames. Deinde nulla conditio aut munus quantumvis vile, nisi in jure exprimatur, reddit hominem infamem.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA NONA.

De irregularitate quæ ex bigamia nascitur.

Sect. I, II. — *An ex propria bigamia, et etiam ex interpretativa, contrahatur irregularitas.*

Nota : Propria ac vera bigamia est, qua quis post mortem primæ uxoris contraxit secundas nuptias, easque consummavit.

Dico 1 : Ex vera ac propria bigamia contrahitur irregularitas. Habetur in cap. 1 et 2 De bigamis, quia ex hujusmodi iterato matrimonio exsurgit defectus sacramenti non in validitate, sed in significatione : matrimonium enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, seu unius viri cum sponsa una. Deinde ista sacramenti iteratio est signum incontinentiæ, et quamdam indecentiam ad clericatus statum inducit. Ut autem sit vera bigamia, debet utrumque matrimonium esse validum et consummatum.

Dico 2 : Is, qui vivente prima uxore sive scienter, sive ignoranter bona fide contraxit secundas nuptias, easque consummavit, fit irregularis ; est enim bigamia interpretativa, ex qua juxta jus irregularitas contrahitur ; hæc enim non necessario ob culpam, sed ob indecentiam contrahitur. Eademque contrahitur, etiamsi unum ex istis duobus matrimoniis fuerit invalidum vel ob impedimentum dirimens, vel ob defectum consensus ; imo probabilius etiamsi utrumque fuerit invalidum ac nullum, dummodo in utroque fuerit affectus intentionis exterius contrahendi cum opere subsecuto seu affectu matrimoniali consummato.

Sect. III, IV. — *An ex unico matrimonio sive valido sive invalido, interdum contrahatur irregularitas.*

Dico 1 : Ob vilem conditionem uxoris, etiamsi illa sit virgo, v. gr., quia est serva, scurrilis, seu mima, vir illam ducens interdum contrahit irregularitatem ex personæ infamia provenientem (cap. *Si quis viduam*, dist. 34); censetur enim talis vir indignus ordinibus.

Dico 2 : Ob unicum matrimonium consummatum cum vidua, quæ prius matrimonium etiam consummavit, irregularitas contrahitur ex defectu sacramenti (cap. ult., dist. 34, etc.) ; est enim bigamia interpretativa : imo etiamsi, ut probabilius censetur, matrimonium fuisset nullum ob impedimentum dirimens sive ignoratum, sive cognitum. Similiter eadem irregularitas incurritur ob matrimonium etiam invalidum cum corrupta ab alio ; secus si fuerit corrupta ab eo qui illam duxit. Item incurritur per matrimonium consummatum cum repudiata a vivente marito : quamvis enim hoc matrimonium sit invalidum, quia tamen de facto intentatum

fuit cum opere subsecuto, sufficiens ad irregularitatem contrahendam reputatum est, supposito primo istius uxoris matrimonio consummato (cap. 1 De bigamis). Denique vir accedens ad propriam uxorem, quæ adulterium commisit, etiamsi oppressa fuisset per vim, aut ipse illius adulterium ignorarit, irregularitatem incurrit ob bigamiam interpretativam, seu defectum sacramenti.

Dico 3 : Religiosus qui post substantialia religionis vota, matrimonium contrahit cum virgine, licet invalide, illudque consummat, fit irregularis ob bigamiam similitudinariam : in cap. *Quotquot* 27, quæst 1. Idem dic probabilius de clerico sacris initiato : ex cap. *Super eo*, De bigamia.

Sect. V, VI. — *Quo jure introducta sit, et quos effectus habeat hæc irregularitas ; et quis in ea possit dispensare.*

Dico 1 : Irregularitas ob veram bigamiam probabiliter jure apostolico, non autem divino, introducta fuit, ut colligitur ex verbis Pauli I Tim. III, 2 : *unius uxoris virum*. Variæ aliæ irregularitates paulatim postea ab Ecclesia impositæ sunt. Bigamiæ irregularitas privat hominem omnium ordinum susceptione et usu ; et quidem veræ et interpretativæ bigamiæ irregularitas privat etiam privilegio clericali, ita ut bigamus ipso facto subjiciatur correctioni fori sæcularis, prohibeaturque deferre tonsuram aut habitum clericalem. Hoc tamen privilegium clericale non amittitur per bigamiam similitudinariam. Hæc enim tantum contrahitur a religioso, vel a clerico in sacris.

Dico 2 : Papa in omni bigamia potest dispensare, non autem episcopi, et hi quidem probabilius nec quoad minores ordines ; possunt tamen dispensare in bigamia similitudinaria, uti habetur in cap. 1 *Clerici vel voventes*. Dum ergo dicitur in cap. 2 De bigamis : *Cum bigamis contra apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros ordines promoveri*, etc, id est difficillime, et ob graves causas dispensatur ac raro ; sed non est impossibile, quia, licet defectus sacramenti semper maneat, non tamen manet in ratione impedimenti ecclesiastici ad ordines ; quod impedimentum potest a Papa auferri dispensando. Hæc irregularitas tollitur tantum per dispensationem ; adeoque nec per baptismum, nec per professionem religiosam ipso facto aufertur ; nec prælati religionum sine speciali privilegio possunt in ea dispensare, nempe in vera et interpretativa bigamia : quia in bigamia similitudinaria, uti episcopi possunt, ita etiam ipsi cum suis subditis possunt dispensare.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA.

De irregularitate quæ oritur ex natalium defectu.

Sect. I. — *Quot modis filii nascantur, vel fiant legitimi.*

Dico 1 : Legitimi filii sunt proprie illi qui ex parentibus vero matrimonio conjunctis, sive baptizatis, sive non baptizatis nascuntur ; et inter legitimos numerantur ii, qui quamvis fuerint ex illicito concubitu nati, per sequens tamen matrimonium facti sunt legitimi : quod contingit quoties parentes tempore generationis soluti erant et ad matrimonium inter se contrahendum habiles ; quia tunc subsequens matrimonium quasi retrotrahitur usque ad tempus conceptionis talium filiorum ex quadam juris canonici benignitate, in cap. *Tacita*. Sed si tempore conceptionis non erant habiles ad contrahendum ob impedimentum dirimens, et tempore nativitatis id fuit sublatum, tunc probabilius filii censendi sunt illegitimi ; secus si non fuerit impedimentum tempore conceptionis, et fuit tempore nativitatis.

Dico 2 : Ut filius sit legitimus jure canonico, sufficit matrimonium esse aut validum aut bona et probabili fide tale reputatum, licet contingat ex occulto impedimento esse invalidum. Habetur in cap. *Ex tenore*, Qui filii sint legitimi. Ratio est quia de matrimonii valore tunc inest ignorantia invincibilis ; adeoque copula, quæ subsequitur, est legitima et matrimonialis in inculpabili existimatione ; et si qua in isto matrimonii contractu aliunde misceatur culpa, illa erit accidentaria ad hunc effectum. Hinc si matrimonium coram parocho et testibus bona fide sit contractum, proles ex eo nata erit legitima, licet per ignorantiam inculpabilem contigerit istud matrimonium fuisse nullum ob impedimentum dirimens. Sed non videtur filius ille, qui ante matrimonium natus est, legitimari per subsequens matrimonium invalidum bona fide ab utraque parte reputatum validum.

Sect. II, III. — *Quot sint species filiorum illegitimorum, et an sint irregulares.*

Dico 1 : Omnes filii qui non sunt legitimi, aliquo ex prædictis modis appellantur illegitimi quoad præsentem irregularitatis effectum, v. gr. filii naturales, spurii, nothi, adulterini, incestuosi, sacrilegi.

Dico 2 : Filii qui nascuntur ex legitimo matrimonio, sed postquam uterque parens fecit solemne continentiæ votum, sunt canonice illegitimi. Colligitur ex cap. *Ministri*, dist. 81, et ex cap. *Litteras*.

Dico 3 : Omnes filii illegitimi, in quocunque gradu vel specie exsistant, sunt irregulares : in cap. De filiis presbyt., etc.

Sect. IV. — *De filiis expositititiis et aliis.*

Dico 1 : Filios expositititios, quorum parentes ignorantur (si enim postea scientur, licet filii fuerint expositititii, modo nati sint ex legitimo matrimonio, non sunt irregulares), aliqui esse irregulares affirmant, alii negant, utrinque probabiliter ; securius tamen erit petere ab episcopo dispensationem, quia videtur in hoc incertitudinis casu posse ille dispensare.

Dico 2 : Filius propter subortam infamiam et conjecturas, quibus fertur natus esse ex matre adultera, non tenetur se reputare illegitimum, quamvis mater id ipsi asseveret, etiam in fine vitæ

(Navarra, Castro, Sotus, etc.); est enim in possessione filii legitimi. Si autem mater asseveraret illum esse filium suppositititium, facilius interdum posset illi credere; non tamen ideo præcise se credere illegitimum, quia hoc non obstante, potuit esse progenitus ex legitimo matrimonio. Denique quando reperitur postea matrimonium fuisse invalidum, si non constat de mala fide parentum, filius ex isto matrimonio natus, credendus est legitimus, adeoque non irregularis.

Sect. V.— *Quibus modis possit tolli hæc irregularitas.*

Dico 1 : Papa in omnium illegitimorum irregularitate potest quoad ordines, dignitates et beneficia ecclesiastica dispensare : episcopi autem quoad minores ordines tantum, si aliud impedimentum non adsit (ex cap. 1 De filiis bresbyt., in 6); sed non quoad usum subdiaconatus aut diaconatus bona fide suscepti, contra Navarram. Item possunt dispensare ad obtinenda beneficia simplicia curam animarum non habentia.

Dico 2 : Hæc irregularitas etiam tollitur per canonicam legitimationem, id est, a potestate ecclesiastica, non civili, factam, per quam tollitur impedimentum non tantum ad ordines, sed etiam ad promotionem beneficiorum aut dignitatum ecclesiasticarum. Item tollitur per professionem religiosam. In cap. 1 De filiis presbyt., Gregorius XIV constitutionem Sixti V, qua faciebat illegitimos ad religionem inhabiles, reduxit ad terminos juris communis (ann. 1588) in dicto cap. 1 expressi; in hoc autem capite tollitur tantum irregularitas quoad ordines suscipiendos, non vero quoad prælationem habendam sive intra sive extra religionem, aut quoad dignitatem ac beneficia, maxime curam animarum habentia. Hoc Navarra etiam ad feminas extendit. Per solam autem personæ illegitimæ probitatem, scientiam, aliasque dotes quæ illam sat dignam ordinibus reddant, nullo modo tollitur prædicta irregularitas.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA PRIMA.

De irregularitate quæ ex personali defectu inculpabili contrahitur.

Sect. I. — *An aliqua irregularitas ex animæ defectu inculpabili contrahatur.*

Dico 1 : Irregulares sunt, rationis usu carentes, perpetuo amentes, furiosi, et amentes ad tempus; imo hi amentes et furiosi, cessante amentia et furia, non possunt promoveri ad ordines suscipiendos, possunt tamen uti susceptis. Item dic de arreptitiis qui a dæmone vexantur; et pene idem de epilepticis, sive qui morbo caduco laborant.

Dico 2 : Illitterati sunt etiam irregulares. Quæ autem scientia requiratur ad primam tonsuram, ad minores ordines, ad majores seu sacros ordines, subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum suscipiendum, vide in tract. *De sacramento ordinis.* Hæc litterarum ignorantia non tantum ordinis susceptionem, sed etiam usum suscepti impedit, quandiu durat; cessante vero, illa et hic licitus est, nisi suspensio contracta sit per indignam ordinis susceptionem : hujus enim absolutio erit necessaria antequam ordinis usus fiat licitus. Papa potest dispensare, in eo quod est juris ecclesiastici, v. gr. in ætate, in imperfecta scientia, etc., ad suscipiendum ordinem; sed non potest in eo quod est juris divini et naturalis, nempe ad utendum ordine suscepto sine scientia necessaria.

Sect. II. — *Qui defectus corporis irregularitatem inducant.*

Dico 1 : Hermaphroditi sunt perpetuo irregulares; item qui nondum habent requisitam ætatem, sunt etiam aliquo modo irregulares, id est, habent impedimentum canonicum impediens ordinis susceptionem et usum; et si ordinatus ante legitimam ætatem exerceat actum ordinis, incurrit suspensionem et irregularitatem : obtenta autem suspensionis absolutione, et irregularitatis dispensatione, potest post acquisitam legitimam ætatem exercere actus sui ordinis sine alia dispensatione.

Dico 2 : Qui voluntarie se mutilat sive ante sive post ordinationem, sive abscissio sit membri principalis, sive partis ejus, sive notabiliter impediat aut deformet, sive non, incurrit irregularitatem, dummodo ea sit mutilatio, quæ per se et seclusa inadvertentia, fieri non possit sine peccato mortali; secus vero esse videtur, dum illa abscissio ab alio fit, ipso patiente, directe ad eam non cooperante : sed dum culpa ipsius patientis fit abscissio ista ab alio juxta communem sententiam, incurrit irregularitatem, quamvis probabiliter interdum ab illa possit excusari, cum jura omnia semper loquantur de propria culpa se ipsum abscindendi aut mutilandi ex indignatione aut zelo indiscreto.

Dico 3 : Quoties mutilatio seu defectus alicujus membri corporis non impedit decentem ordinis usum, nec indecentem affert deformitatem, per se ac seclusa culpa, non inducit irregularitatem; secus autem si impediat decentem ordinis usum, et magnam afferat deformitatem : in laico enim simpliciter impedit ne ordines possit suspicere, et in clerico ne ascendere possit ad ordinem nondum susceptum. Quando talis defectus sine culpa supervenit ordinationi, inducit tantum irregularitatem ad eum ordinis usum qui sine scandalo aut periculo exerceri non potest. Denique hæc irregularitas contrahitur ex qualibet corporis aut membrorum deformitate, licet sit sine membri aut partis ejus mutilatione, aut sine ulla ægritudine vel proprio morbo. Hinc qui non potest videre oculo sinistro, fit irregularis ad celebrandum ob difficultatem seu deformitatem in legendo missæ canone, nisi forte tanta polleat virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere canonem; secus autem si dextro tantum nequeat videre. Denique hæc irregularitas potest etiam induci ex virium debilitate, aut gravi deformitate perpetua moraliterque incurabili in ordinum usu.

SECT. III. — *An ex defectibus bonorum temporalium contrahatur aliqua irregularitas.*

Dico 1 : Servitus quandiu durat, aut quandiu dominus non consentit, inducit irregularitatem : quia homo per ordinationem ministeriis ecclesiasticis mancipatur, servus autem cum non sit sui juris, non potest sic se mancipare ; sed quacunque ratione redimatur, et a servitute liberetur, desinit esse irregularis, sine alia dispensatione, uti et per quamcunque liberam domini manumissionem aut licentiam etiam tacitam, quæ aliquo modo antecedat ordinationem. Atque hæc manumissio, quæ ad ordines suscipiendos fit, si simpliciter et absolute a domino nullum sibi servi obsequium spirituale, v. gr. celebrandi in suo sacello, aut aliud reservante fiat, nullam includit conditionem saltem sub obligatione justitiæ. Si autem servus inscio domino, minores ordines recipiat, ordinatio quidem est valida, sed non liberatur ob illam a servitute ; contra, si sacros ordines recipiat ab episcopo sciente eum esse servum, liber efficitur : sed episcopus, juxta cap. *Si servus*, dist., 4, debet restituere domino vel duos servos æquales, vel duplicatum pretium ; idemque tenetur restituere, etiamsi tantum minores ordines contulisset. Sed si ignorans conditionem servitutis, in sacris servum ordinet, tunc, juxta idem caput, ad dictam satisfactionem tenebuntur ii, qui illum vel negando vel falsum testimonium ferendo ad ordinationem induxerunt ; sed si hi bona fide id fecerint, nec peccarint, tunc ipse servus obligatur ad istam satisfactionem, vel saltem ad dandum per se vicarium. Si autem id nequeat, et sit tantum diaconus vel subdiaconus, tunc remanet servus. Debet tamen dominus intra annum, postquam scivit servi ordinationem, illum repetere ; alioqui censetur consentire, et eum manumittere. Interim servus manet irregularis et incapax usus ordinum, donec a servitute liberetur. Si autem factus sit sacerdos, non est amplius servus, licet nequeat domino plene satisfacere, sed cogitur amittere peculium suum, et domino dare ; si autem non habeat, satisfaciet si in suo sacerdotali ministerio domino suo ministret, aut celebret.

Dico 2 : Omnes qui publicas ac forenses bonorum temporalium sæcularium (non ecclesiasticorum) administrationes gerunt, seu qui, ut in jure appellantur, ad ratiocinia obligantur, v. gr. procuratores, actores, curatores pupillorum, etc., exceptis principum consiliariis, durante tali munere sunt irregulares ad suscipiendos ordines. Cessante autem munere et obligatione ad ratiocinia, cessat inde orta irregularitas ; imo post reddita ratiocinia, quamvis adhuc restaret debitum pecuniarium nondum solutum, sine lite vel infamia, probabiliter tunc etiam cessaret dicta irregularitas, maxime si consentiat creditor.

Dico 3 : Laicus qui non habet unde congrue sustentetur, impeditur ab ordinum susceptione, sive non potest ordinari sine legitimo titulo congruæ sustentationis. Item dic de eo qui talia et tanta debita contraxit, ut non sit iis solvendis par : ideoque ob illa, juxta jura, posset in creditoris obsequium aut servitutem redigi, vel sine litibus et magnis contentionibus non possit ab eis expediri. Hoc enim est quædam obligatio ad ratiocinia reddenda, seu ad sæcularia negotia peragenda, inducens irregularitatem.

APPENDICES

AD

SUMMAM R. P. FR. SUAREZ

A. R. P. FRANCISCO NOEL SOCIETATIS JESU CONCINNATÆ.

AD LECTOREM.

Quamvis P. Suarez vastissima sui sublimis ingenii eruditione omnes pene theologiæ partes perscrutatus fuerit atque exhauserit, duæ tamen sunt quæ in ista immensa scientiæ theologicæ silva desiderantur, nimirum tractatus prope totus *De justitia et jure* ac *De matrimonio*. Cur autem illos præterierit, non satis liquet; an forte quia morte præreptus fuerit, aut quia assuetus sublimioribus speculationibus, noluit rebus istis magis practicis, magisque vulgaribus animum applicare, incertum. Cæterum cum isti duo tractatus soleant passim in scholis agitari, ut nihil desit, opusque ex omni parte absolutum habeatur, judicavi eos succincte et dilucide ex recentioribus auctoribus, præcipue ex Lessio et Sanchez collectos, per modum brevis Appendicis ad præfati Patris *Summam* apponere; compendiariam igitur Appendiculam boni consule, Lector, et ea fruere si placet.

APPENDIX PRIMA.

DE JUSTITIA ET JURE.

CAPUT PRIMUM.

De justitia generatim.

1. *Quid sit justitia.* Resp. tribus modis accipi: 1° pro complexione omnium virtutum; 2° pro ipsa charitate; 3° pro particulari virtute, quæ sic definitur a jurisconsultis: *Constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi* Dicitur *constans voluntas*, quia est propositum habituale deliberatum et firmum; dicitur *perpetua*, quia est voluntas ad perpetuo reddendum; dicitur *jus suum*, id est, id quod cuique stricte est debitum.

2. *Circa quid justitia versetur.* Resp. Versatur primario circa actiones rite ad alterum disponendas, et circa harum materiam; secundario circa passiones, moderando iram, amorem pecuniæ, timorem, ne alicui fiat injuria; atque ita ista moderatio est quid necessarium ad intrinsecum ipsius finem, qui est reddere cuique jus suum; unde justitia attingit medium rei, aliæ autem virtutes medium rationis.

3. Justitia, alia *legalis* seu *generalis*, alia *particularis*; *particularis*, alia *commutativa*, alia *distributiva*. Justitia legalis est virtus intuens ac procurans commune reipublicæ bonum; dicitur *legalis*, quia versatur circa leges, et *generalis*, quia spectat bonum generale communitatis. Est virtus specialis, quia velle et procurare bonum reipublicæ, est specialis ratio honesti et laudabilis, quæ non invenitur in aliarum virtutum functionibus; adeoque probabilius distinguitur a pietate. Juxta Aristotelem videtur esse complexio omnium virtutum: in subdito, quatenus legibus obtemperat, et in superiore, quoniam eum inclinat ut curet leges servari; et sic quasi convenit cum virtute obedientiæ.

4. *Justitia commutativa* est virtus, quæ partes communitatis dirigit in commutationibus et cæteris actionibus, quibus inter se communicant, ut in eis ponatur æqualitas rei ad rem, v. gr. pretii ad rem venditam, vel ad jus venditoris. *Distributiva* vero est virtus, quæ totum bene disponit ad partes in ordine ad distributiones sive commodorum sive onerum communium, ut in eis servetur æqualitas proportionis rei distribuendæ ad proportionem dignitatis

seu idoneitatis personarum quibus facienda est distributio, ita ut qua proportione quisque dignior aut ad onera potentior est, eadem proportione plus aut minus commodi vel oneris sentiat. Unde primario residet in principe vel magistratu, ad quem pertinent hujusmodi distributiones; et secundario in privatis personis, quatenus eas disponit ut justam distributionem ament, eique legitime factæ acquiescant.

CAPUT II.

De jure in genere.

1. Jus sumitur tribus modis: 1° jus, id est justum, tum generale pro eo quod est lege statutum, tum speciale, pro eo quod est æquale et alteri debitum; 2° jus, id est lex, quæ est regula *justi* in generali; 3° jus, id est legitima potestas a lege concessa ad rem aliquam obtinendam vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem, cujus violatio injuriam constituit. Hæc potestas habet se vel per modum potentiæ activæ, v. gr. jus ad aliquid agendum vel retinendum; vel potentiæ passivæ, v. gr. jus ut nutriaris, tibi serviatur, etc.; vel potentiæ resistendi, v. gr. jus, ne quis ædificet in tali loco, ne aperiat fenestram in hortum tuum, etc. Itaque

2. *Jus sumptum pro justo*, dividitur in justum per *æqualitatem rerum*, et in justum per *æqualitatem proportionum*. Jus sumptum *pro lege*, dividitur ut lex, ac proinde jus aliud naturale, aliud positivum: positivum, aliud divinum, aliud humanum; divinum, aliud Veteris, aliud Novi Testamenti; humanum, aliud jus gentium, id est, quod passim apud omnes gentes servatur, aliud civile, aliud canonicum. Denique jus sumptum *pro potestate* legitima, ex parte termini quem respicit, dividitur in *jus ad rem*, et *jus in re*. Jus ad rem est, quod tribuit tantum actionem in personam, ad aliquid tradendum vel præstandum; jus in re est quod tribuit actionem in ipsam rem, ad eam sibi vindicandam; illa parit actionem tantum personalem, hæc realem actionem. Actio est jus prosequendi in judicio quod sibi debetur.

CAPUT III.

De variis speciebus juris realis.

1. *Quid sit dominium.* Resp. Dominium in genere est jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tanquam sua; quale Deus habet in omnem creaturam. Dominium aliud jurisdictionis, quod est potestas gubernandi suos subditos, præcipiendo, vetando, judicando, puniendo, etc.; estque tum sæculare, quod est potestas gubernandi eos in rebus sæcularibus; tum ecclesiasticum, quod est potestas eos dirigendi ac regendi in rebus sacris. Aliud proprietatis, quod est jus disponendi de re aliqua tanquam sua in proprium commodum: et hoc rursum dividitur in dominium perfectum seu plenum, quod est jus in re ad quemvis usum, seu dispositionem, nisi lege prohibeatur; et in dominium imperfectum, quod habet tantum vel proprietatem rerum sine emolumentis, vel emolumenta sine proprietate rei. Ideoque hoc dominium imperfectum subdividitur in directum, quod habet solam proprietatem rei, qualem habet supremus princeps in feudis; et in utile, quod habet sola emolumenta sine proprietate, quale est dominium feudatarii et usufructuarii.

2. Dominium perfectum continet tria: 1° nempe *jus in re*, non vero ad rem tantum; 2° ad *quemvis ejus usum*, quod non habet dominium imperfectum; 3° *nisi lege prohibeatur;* uti pupillus, qui est verus dominus, prohibetur alienare rem suam usque ad certum tempus.

3. *Quæ requiruntur ad dominii acquisitionem.* Resp. 1° Quando dominium ab uno in alium transferendum est, ad acquisitionem dominii ordinarie duo requiruntur, titulus et traditio. Ut habetur ex legibus, titulus est id, in quo jus primitus fundatur, v. gr. exemptio, donatio, etc. Per hæc tamen habetur tantum jus ad rem, non in re, seu non habetur adhuc plenum dominium; ad hoc enim requiritur etiam traditio, quæ est velut conditio necessaria, ut ex vi emptionis vel donationis resultet dominium. Hinc si Petrus vendiderit tibi prædium, domum, pannum, equum, et ante traditionem idem alteri vendat ac tradat, secundus emptor capiet ejus dominium, nec tenebitur illud tibi cedere; sed solum habetis actionem damni in venditorem, nisi esset alteri tradita titulo gratuito. Dixi *ordinarie*, quia, cum traditio sit tantum requisita jure civili, non naturali, ideo in variis casibus, v. gr. in beneficiis, hæreditate, legato, etc., non requiritur. 2° Quando dominium non transfertur ab uno in alium, ad ejus acquisitionem sufficit apprehensio; sic acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt.

4. *Quid ususfructus.* Resp. Ususfructus est jus alienis rebus fruendi, salva earum substantia. Dicitur *fruendi*, id est omnem earum fructum percipiendi, quales fructus sunt in fundo fenum, segetes, arbores cæduæ, non pomiferæ; in animalibus lana, lac, fœtus. Fructus non sunt fructuarii nisi postquam collecti sunt. Fructuarius tenetur substituere fœtus pro demortuis pecudibus; alias arbores serere pro demortuis, etc.

5. *Quomodo amittatur ususfructus.* Resp. Amittitur morte naturali et civili usufructuarii, destructione rei, præscriptione, etc.

6. *Quid sit usus.* Resp. Est jus utendi re aliena, salva ipsius substantia; qui habet usum rei tantum, non potest eam alteri locare, aut gratis concedere.

7. *Quid sit servitus apud juris peritos.* Resp. Sumpta pro *jure*, est jus fruendi vel utendi re aliena, vel aliquid circa eam impediendi; sumpta pro obligatione seu *subjectione rei*, est obligatio realis qua res est alteri adstricta, estque triplex: 1°. est mere personalis, quæ immediate debetur personæ, v. gr. ut habeat usum servi sui ad tempus. 2° Est mere realis, quæ a re debetur immediate rei, v. gr. ut jumentum meum possit transire per tuum agrum in meum. 3° Est mista, quæ a re debetur immediate personæ, v. gr. ut possis tali re uti immediate.

8. *An usus possit distingui et separari a dominio*

in rebus quæ ipso usu consumuntur. Hæc quæstio movetur occasione Franciscanorum, qui dicunt ne quidem in communi se ullius rei habere dominium, sed solum usum eorum quæ usu absumunt, dominio penes papam aut donatorem remanente. Resp. Probabilius est usum revocabilem rerum quæ unico actu utendi consumuntur, vel alienantur, sive usum facti qui continuo pendet a voluntate concedentis, ita ut possit illum revocare sine injuria usuarii, qualem habent religiosi in suas vestes, libros, cibos, etc., posse distingui et separari a dominio; atque ita Franciscanos habere nudum istarum rerum usum absque dominio manente vel apud donatores vel apud sedem apostolicam. Ita plures pontifices in suis bullis et doctores, contra Joannem XXII, qui vel loquitur ut doctor privatus in re ad fidem non pertinente, et licet dicat se renuntiare ejusmodi dominio, alii tamen pontifices rursus illud admiserunt; vel forte voluit duntaxat usum juris stricte sumptum, absolutum et irrevocabilem, non posse separari a dominio, utpote illi æquivalentem.

9. *Quid sit possessio.* Resp. Possessio, alia *facti* quæ est detenti rei, *corporis et animi et juris adminiculo:* id est, occupatio seu apprehensio rei facta pedibus aut manibus cum animo eam tenendi ac possidendi tanquam suam, sic ut jus positive ei non resistat, aut eum impediat. Alia *juris* quæ est *jus insistendi rei tanquam suæ*, non prohibitæ possideri; id est, jus eam pacifice tenendi ac tuendi juris remediis contra perturbatores.

10. *Possessio dividitur* in *naturalem*, qua res corpore et animo retinetur, ut dum quis corporaliter insistit alicui rei tanquam suæ: censetur autem corporaliter insistere is, qui rei in suo conspectu positæ ita vicinus est, ut ei continuo possit adesse; et in *civilem*, quæ solo animo retinetur, v. gr. dum quis est absens. Dixi *retinetur*, quia requiritur adminiculum corporis ad possessionem inchoandam, non tamen ad eam continuandam.

11. *Quibus modis acquiratur possessio.* Resp. Tribus modis. 1. *Apprehensione vera*, quæ fit manibus vel pedibus, v. gr. apprehensio fundi, gemmæ, thesauri, equi per capistrum, domus. 2. *Apprehensione ficta*, quæ est dum capitur possessio ex prioris domini voluntate, aut judicis auctoritate; v. gr. dum prior possessor tradit claves domus in qua sunt merces tradendæ; aut scripturam, qua constet de titulo et jure quo rem possidebat; dum ostendit fundum dicens se tradere tibi illius possessionem; dum post contractum, consentiente priore possessore, apponitur custodia nomine ejus ad quem res transfertur. 3. *Legum dispositione*, qua acquiritur possessio sine ulla apprehensione, dum leges ita statuunt, ut in regno Castellæ majoratus possessio.

12. *Quomodo amittatur possessio.* Resp. *Possessio rerum mobilium*, tum civilis, tum naturalis amittitur: 1° sola voluntate possessoris, saltem exterius manifestata; 2° per furtum aut rapinam alterius; 3° si alterius custodiæ subsit, qui eam incipiat detinere tanquam suam; 4° per amissionem rei, v. gr. bursæ, annuli, etc., per fugam animalium quæ non habent redeundi consuetudinem, ut aves, lepores, etc., secus si habeant redeundi consuetudinem ut columbæ. *Possessio* autem *rerum immobilium* tum civilis tum naturalis amittitur: 1° si possessor sit longo tempore absens, v. gr. decennio; nec per alium rei insistat, nec protestetur se velle ejus possessionem retinere, aut negligat eam repetere sciens ab alio naturaliter possideri; 2° si res ita sit occupata, ut non sit possibilis ejus recuperatio; v. gr. per aquæ inundationem.

13. *Quid privilegii conferat possessio.* Resp. Possessio bonæ fidei parit præscriptionem; jus in dubio rem retinendi etiam in foro conscientiæ; eam tuendi contra invasorem, v. gr. furem fugientem persequendi, eique rem furto ablatam vi eripiendi, quandiu non est transportata extra domini custodiam; invasorem domus armis expellendi, etc.

CAPUT IV.

Quibus et in quæ competat dominium.

1. *An soli naturæ rationali competat dominium.* Resp. affirmative, quia sola et omnis natura rationalis seu intellectualis habet potestatem disponendi libere de rebus tanquam suis, utpote habens intellectum et voluntatem, per quæ immediate habet potestatem in suos actus et per hos in alias res. Hinc 1° Deus ratione creationis et conservationis habet perfectissimum et altissimum dominium respectu omnium rerum creatarum. 2° Angeli habent dominium suarum actionum liberarum, cum de illis possint disponere. 3° Homines habent dominium in res externas, cum hæ sint illis concessæ, ut de illis libere disponant in sua commoda.

2. *Etiam pueri ante usum rationis habent verum dominium*, ut patet ex Galat. IV, 1: *Quanto tempore hæres parvulus est, nil differt a servo, cum sit dominus omnium;* quia, etsi ad usum dominii requiratur usus rationis, non tamen ad dominium habituale, quod fundatur in potentia intellectus et voluntatis, quibus præditi sunt, licet ab extrinseco impediti; idem dic de amentibus.

3. *Filii familias sub patria potestate constituti qualium rerum habant dominium.* Nota: Quadruplex bonorum genus illis competit: 1° *bona castrensia*, quæ sibi acquirunt occasione militiæ, v. gr. stipendia militis, prædæ ex hostibus, donativa ducum, etc. 2° *Quasi castrensia*, id est, quæ acquirunt ratione beneficii ecclesiastici, officii publici, ut judicis, advocati, medici, professoris, quod datur ipsis ut sit tantum ipsorum, non patris. 3° *Adventitia*, id est, quæ non sunt castrensia vel quasi castrensia, neque proveniunt ex patre, sed aliunde: v. gr. liberali alicujus donatione, vel legato, vel fortuito, v. gr. inventus thesaurus. 4° *Profectitia*, id est, quæ proveniunt ex bonis paternis. His positis, resp. filiusfamilias habet plenum dominium de bonis castrensibus et quasi castrensibus, et potest de illis disponere uti vult. De adventitiis habet

tantum proprietatem, non usumfructum : hunc habet pater ; de profectitiis nec proprietatem, nec usumfructum. Egreditur autem e patria potestate per promotionem ad quamdam dignitatem, per matrimonium, per lapsum patris in hæresim, per emancipationem coram judice factam ; et variis in locis per ætatem viginti annorum.

4. *An servi habeant aliquarum rerum dominium.* Resp. Spectato jure communi non videntur habere ullius rei dominium, quia servus secundum se totum, quidquid est, domini est ; ergo etiam ea quæ habet, domini sunt ; accessorium enim sequitur principale. Ex consuetudine tamen juris rigorem mitigante, vel ex imperfecto dominio secundum Lessium, in variis casibus habet servus aliquarum rerum dominium : 1° si dominus expresse vel tacite consentiat ut possit habere aliquod peculium ; 2° si quid ei donetur aut legetur ea conditione ut ad dominum non perveniat ; 3° si quid ei relinquatur non intuitu domini, ob industriam vel officium exhibitum ; 4° cum dominus aliquid ei debet ob illatam injuriam ; 5° si quid lucretur sua pecunia, aut sibi substrahat sine domini incommodo, quod libere poterat consumere.

Quod autem attinet ad uxorem, per se loquendo habet proprietatem bonorum dotalium, id est, quæ ipsa, vel alius nomine ejus dedit viro ad sustinenda onera matrimonii ; sed maritus habet eorum usumfructum et administrationem. Habet tamen uxor proprietatem, usumfructum et administrationem bonorum paraphernalium, id est eorum quæ ultra dotem ab uxore afferuntur. Maritus et uxor habent dominium bonorum communium, id est, eorum quæ tempore matrimonii acquiruntur utrique conjugi, v. gr. per donationes utrique communes : sed administrationem solus habet maritus, nisi quatenus ratio et consuetudo aliquid hac in re uxori permittat juxta utriusque statum et conditionem.

5. *An religiosi habeant aliquarum rerum dominium.* Resp. 1° : Religiosi possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita ut ipsa congregatio seu communitas vero dominio illa possideat. Concilium enim Tridentinum (sess. 35, cap. 3) permittit eis bona immobilia possidere : et doctores passim dicunt, monachum, quidquid acquirit, non sibi, sed monasterio acquirere. 2° Religiosi professi solemniter, in particulari sunt omnino incapaces omnis dominii, ususfructus et possessionis rerum temporalium, tam immobilium quam mobilium, ita ut nemo ex illis possit aliquid suo nomine seu tanquam proprium tenere, ut habetur in concilio Tridentino (sess. 25, cap. 2 *Nemini regularium*, etc.). Ratio est quia religiosus per solemnem professionem seu per votum solemne se spoliavit omni dominio, et insuper se incapacem omnis dominii et juris temporalis fecit. Dixi per *votum solemne*, quia per solum votum simplex quidam religiosi, ut in Societate Jesu, non fiunt incapaces dominii, sed illud retinent quandiu superiori videtur ; non possunt tamen habere istorum bonorum suorum aut aliorum ullum usum, sine superioris consensu, ex bulla Gregorii XIII : *Ascendente Domino.* 3° Religiosi beneficiarii, v. gr. abbates, priores, præpositi, commendatores, etc., habentes beneficia regularia vel sæcularia, etsi nullum habeant dominium, habent tamen jus administrandi et dispensandi fructus suorum beneficiorum, tum ad sui status congruam sustentationem, tum ad alias pias causas : id enim jure et consuetudine eis concessum est. 4° Superiores religionum non possunt alicui regulari concedere ulla bona stabilia, v. gr. agros, ædium locationes, etc. ; ad usum aut usumfructum, administrationem, etc. Sed hæc administratio pertinet ad officiales a superioribus amovibiles (*Conc. Trid.*, sess. 25, cap. 2). Possunt tamen concedere aliqua mobilia suis subditis ad usus necessarios, et etiam ad opera pia.

6. *An clerici non religiosi habeant aliquorum bonorum dominium et quorum.* Resp. 1° : Habent verum dominium bonorum patrimonialium, qualia sunt quæ hæreditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, quo laici solent, sibi acquirunt ; et de illis, ut laici, possunt disponere ad quosvis usus honestos. 2° Habent etiam absolutum dominium bonorum *quasi patrimonialium*, qualia sunt quæ sibi, ut clerici, acquirunt ministeriis clericorum absque beneficio, v. gr. celebrando, concionando, canendo, etc. Item quæ assignantur ab episcopo vel pontifice ad honestam sustentationem ; neque tenentur ea magis in usus pios expendere quam bona patrimonialia. Hæc enim dantur ut stipendia sustentationis, et veluti merces ratione præstiti operis, ut de eis disponant pro arbitrio. Unde si de eis vivant, vel expendant in usus pios, possunt tantumdem accipere ex reditibus beneficii, et de eo tanquam patrimonialibus disponere. 3° Quoad bona mere ecclesiastica, qualia sunt quæ recipiuntur ratione canonicatus, decanatus, vel alterius beneficii, episcopi, canonici, et alii beneficiarii, partis fructuum, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fiunt domini, ut non magis teneantur ex ea erogare ad opera pietatis, quam ex bonis patrimonii : ita theologi communiter. Hæc enim pars est juxta eorum merces qua vivant, ideoque si quid velint ex hac parte sibi detrahere, possunt de eo disponere sicut de bonis sæcularibus. 4° Quod attinet ad partem fructuum quæ congruæ sustentationi est superflua, seu non est necessaria, aut illius latitudinem excedit, juxta Navarram et alios theologos, clerici non sunt domini istius partis, seu portionis redundantis, sed solum dispensatores, ita ut ex justitia teneantur expendere in causas pias ; et si secus fecerint, teneantur ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno jure possident. Quamvis hæc sententia sit valde probabilis et in praxi consulenda, attamen videtur verius, post erecta nunc beneficia, certosque proventus singulis titulis assignatos, effici beneficiarios absolute dominos om-

nium illorum proventuum, ita ut quamvis partem superfluam profane expenderint, ad restitutionem tamen pauperibus, vel aliis piis causis faciendam non teneantur; verum peccant mortaliter, si hanc partem in pia opera non expenderint : ita passim doctores hujus temporis, Sotus, Covarruvias, etc. 1° Probatur eos fieri absolute istorum proventuum dominos : id enim colligitur ex cap. *Unico* de clerico non residente : *Qui divinis officiis*, etc. ; ex Tridentino (sess. 22, cap. 3 et sess. 25, cap. 1), etc. 2° Probatur eos non teneri ad restitutionem : si enim sint absolute domini, cur tenerentur ad restitutionem, cum quisque rei suæ sit moderator? Deinde nemo cogendus est ad restitutionem alicujus rei, nisi constet esse alienam, vel lege justitiæ esse alteri debitam, cum in dubio nemo spoliandus sit jure quod possidet. Atqui nulla ratione, sive ex modo donationis, sive ex ordinatione Ecclesiæ, constat beneficiarios vel non habere omnium proventuum suorum dominium, vel aliquam horum partem lege justitiæ alteri debere; ergo non sunt ad restitutionem cogendi. 3° Probatur eos peccare mortaliter si istam partem redundantem expendant in usus profanos, vel ad ditandos amicos ; quia est contra districtum Ecclesiæ præceptum ut habetur in Tridentino (sess. 25, cap. 1), hocque Ecclesiæ præceptum ex multis canonibus convincitur. Deinde beneficiarii sunt veluti patres et tutores pauperum et orphanorum.

7. *An clerici habeant dominium bonorum immobilium Ecclesiæ et sacræ supellectilis.* Resp. Hoc dominium residere in cœtu ecclesiasticorum, non in aliquo particulari; pontifex autem supremam habet illorum administrationem, ut caput omnium Ecclesiarum.

8. *An omnes res sublunares cadant sub hominis dominium.* Resp. Cadere eas, quæ sunt humanis usibus accommodatæ, v. gr. agros, montes, flumina, plantas, bestias, metalla, etc. ; quia illa potest homo sibi acquirere, et de illis tanquam suis disponere. Sol autem, stellæ, et cætera cœlestia non cadunt sub ejus dominium; non potest enim de his disponere.

9. *An homo cadat sub dominium alterius hominis.* Resp. Hominem posse habere dominium alterius hominis, non solum jurisdictionis, sed etiam proprietatis, ut patet ex Scriptura ; sed non tam plenum quam bruti. Non potest enim dominus servum, sicut alias res suas, destruere ; habet tantum jus in ejus opera, et in ejus personam pro lubitu retinendam vel alienandam. Objicies : dicitur servitus esse contra naturam ; l *Libertas*, ff. *De statu personarum.* Resp. Contra præceptum naturæ, nego ; contra conditionem naturalem, qua, seclusis extrinsecis, homo non nascitur subditus homini, sed liber, concedo.

10. *An homo sit dominus vitæ suæ et membrorum.* Resp. negative ; sed custos et quasi usufructuarius, seu habens utile dominium, solus Deus est horum dominus : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem* (*Sap.* XVI, 18) ; quia vita et substantia hominis est fundamentum omnis ejus dominii ; ergo ipsa non cadit sub ejus dominium. Hinc neque princeps, neque respublica est dominus vitæ subditorum suorum, aut servorum ; et dum eos morte plectit, id facit ut custos boni publici.

11. *An homo sit dominus suæ famæ.* Resp. affirmative, contra Cajetanum : quia homo famam et honorem, post vitam divinitus acceptam, sibi acquirit et auget, sicut res cæteras ; ergo est dominus illius, sicut rerum cæterarum ; et in multis casibus potest seipsum infamare, v. gr. ad petendum consilium, ad vitandum peccatum, ad reparandam alterius famam. Tenetur tamen sine causa non se infamare ; et interdum quidem sub gravi, si ejus infamia redundaret in grave damnum tertii, aut ejus bona fama esset pro aliis valde necessaria.

CAPUT V.

De modo acquirendi dominii in res quæ nullius sunt, vel communes.

1. *Quomodo facta sit prima rerum divisio, seu dominii distinctio.* Resp. factam esse partim privata occupatione, partim publica sortitione. Filii Adæ initio mundi, et filii Noe post diluvium fecerunt suum, quidquid unusquisque prior occupavit; deinde, crescente hominum multitudine, cum in rerum occupatione cœperunt oriri dissidia, tum publica sortitione, vel alicujus arbitrio sua singulis bonorum portio attributa est.

2. *An hæc divisio dominiorum utilis et licita fuerit.* Resp. affirmative. Quod licita fuerit, patet ex Scriptura passim dicente, aliquid tanquam proprium posse haberi ; et contrarium est hæresis Apostolicorum asserentium hominem non posse salvari, nisi viveret instar apostolorum nudus ab omni divitiarum proprietate. Quod autem fuerit utilis, probatur : Si enim possessiones mansissent communes, supposita naturæ corruptione, agricultura, artes, commercia, negotia neglecta fuissent, et quotidianæ exarsissent rixæ, contentiones et bella.

Dices : Jure naturæ sunt omnia communia. Resp. Positive, quasi jus naturæ præcipiat ut omnia sint communia, nego ; negative, quatenus jus naturæ non præscribit rerum divisionem, concedo.

3. *Quo jure facta sit hæc divisio.* Resp. Non est facta jure divino, quia nullibi exstat tale Dei præceptum ; neque jure naturali, quia jus naturæ nec fecit nec præcepit eam fieri, sed facta est jure gentium, id est communi hominum judicio et consensu.

4. *Quot modis acquiritur dominium in homines seu mancipia.* Resp. Quatuor modis 1° *Jure belli*, communi enim gentium consuetudine receptum est, ut capti in bello juste possint fieri servi ; apud Christianos tamen consuetudine introductum est, ut Christiani capti a Christianis in bello non fiant servi, sed loco servitutis in captivitate ingenua retineantur, idque ob honorem Christiani nominis et

libertatis in quam Christus nos asseruit. 2° *Nativitate;* sic natus ex matre serva in partu fit servus; nam *partus sequitur ventrem* (l. *Partum*, cod. *De rei vindicatione*). 3° *Justa condemnatione;* sicut enim quis potest morte damnari, ita et servitute, quæ est mors civilis. Sic deferentes arma ad Turcas aut Saracenos, sunt servi Christianorum, eos capientium. 4° *Emptione et venditione;* homo enim, utpote dominus suæ libertatis, potest justis de causis seipsum vendere; uti et possunt patres jure naturæ vendere ob gravem necessitatem et victus causa, suas proles non emancipatas.

5. *An servi possint fugere a suis dominis.* Resp. Posse fugere : 1° si injuste sint rapti in servitutem; 2° si inhumaniter tractentur, aut si a domino incitentur ad peccatum, nolente desistere ; 3° si dominus sit hæreticus, vel paganus, Judæusve, Christiani principis jurisdictioni subjectus : secus si a se vel a parentibus juste sit venditus, aut juste condemnatus ad servitutem ; 4° servi justo bello capti possunt licite ad suos fugere, non ad alios ; nisi dederint fidem de non fugiendo, et ea conditione vita sit eis condonata, quia tunc tenentur stare promissis. Non possunt tamen dominis persequentibus vi resistere, quia domini habent jus illos intercipiendi et detinendi, quandiu ad suos non pervenerint ; adhuc enim subsunt potestati suorum dominorum. Licite autem possunt fugere, quia cum ista nobilior servitus sit, communi tantum gentium consuetudine introducta, ita et eadem fuga permissa est. Attamen si a fuga retrahantur, poterunt eos domini castigare gravi pœnalitate, isti privilegio fugiendi annexa ad terrorem.

6. *Quænam animalia venatione, piscatione, aucupio licite occupentur.* Resp. 1° : Animalia natura mansueta et domestica, ut gallinæ, oves, sues, etiamsi dominorum potestatem longius evaserint, non licet capere. 2° Animalia silvestria, usu mansuefacta, quæ consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in domini potestatem, ut sunt cuniculi et cervi domi nutriti, pavones, anates et columbæ domesticæ, non licet capere. 3° Si hæc animalia amiserint consuetudinem redeundi, licet occupare et fiunt occupantis ; tunc enim censentur se in naturalem libertatem recepisse, nec amplius esse in prioris domini potestate. 4° Si animalia omnino fera fugerint, et in naturalem libertatem se vindicaverint, ubicunque reperiantur, licet prosequi et capere, et fiunt occupantis. Unde apum examen, cum silvestris naturæ sit, si ita avolet ut dominus illud prosequi desinat, potest a quolibet capi, etiamsi ex tua arbore dependeat. Si in tuum alveare involet, tuum efficitur. In his tamen omnibus videnda consuetudo locorum.

7. *An principes possint juste prohibere venationem, piscationem et aucupium in locis publici juris.* Resp. posse ex consensu populi, aut si judicetur id necesse ad conflandam pecuniæ vim officio et administrationi principis necessariam ; imo ad solam suam recreationem potest princeps reservare sibi jus venandi in quibusdam locis, non tamen omnibus, nisi populum in alia re compenset ; et si feræ multiplicatæ agris inferant damna, tenetur ad restitutionem ; aut si quis princeps, vel dynasta injuste prohibeat alicui venationem, tenetur ad restitutionem probabilis lucri sperati.

8. *An quis possit venari in prædio aut saltu alieno contra justam prohibitionem.* Resp. non posse in loco parvo ita clauso, ut feræ non possint egredi, et tenetur ad restitutionem ; si autem in aperto, tenetur ad solam damni illati compensationem, quia in eo loco feræ retinent suam libertatem, adeoque nullius sunt ante capturam, adeoque transeunt in dominium primo occupantis ; non sunt fructus fundi.

9. *Quomodo peccet qui contra justam prohibitionem venatur, aucupatur, piscatur.* Resp. 1° : Jure canonico illicita est venatio ecclesiasticis, saltem clamosa et frequens ; si autem sine strepitu, modeste, raro, et absque scandalo ab iis fiat, non videtur esse peccatum ne veniale quidem, quod ex Rebello ait P. Pratelius non est extendendum ad religiosos quibus ex Clem. 1 gravius prohibita est venatio. 2° Qui venatur contra publicam prohibitionem, peccat graviter, si grave damnum inferat communitati ; secus, si non inferat grave damnum. Animalia tamen capta, illius sunt, nec restituenda. Idem dic de eo qui venatur in fundo non clauso personæ privatæ contra prohibitionem ; tenetur tantum ad damni, si quod intulerit, compensationem.

10. *An fera a me vulnerata, et postea ab alio capta, mea sit an capientis.* Resp. esse capientis, si a me non ita fuerit vulnerata quin effugere potuerit.

11. *An fera meo laqueo capta, mea sit, an ejus qui supervenicns laqueo eam exemit et abstulit.* Resp. Videtur esse ejus qui laqueum posuit, si facile non esset evasura, quia eam apprehendit et occupavit per suum instrumentum, adempta ei libertate naturali ; secus autem, si fuisset facile evasura. Si fera quam Titius insequitur, incidat in laqueum a Caio positum, videtur esse Caii, vel ejus qui prior eam occupaverit. Pisces in nassa a Titio in flumine posita, sunt Titii, non Caii illos eximentis.

12. *An venæ metallicæ auri et argenti sint nullius domini, et fiant primo occupantis.* Resp. 1° : Gemmæ, lapilli, corallium, etc., quæ in maris littore, aut fluminum ripis reperiuntur, sunt primo occupantis. Fodinæ cretæ, salis, carbonum, etc., sunt domini fundi, quia sunt pars fundi. 2° Venæ autem metallicæ auri et argenti probabiliter sunt nullius domini, et erutæ fiunt primo occupantis, nisi eas princeps servet sibi uti fieri solet. Jus tamen illas effodiendi tantum competit domino loci, seclusa omni lege et consuetudine particulari, nempe privato domino, si sit privatus locus ; reipublicæ, si sit publicus.

13. *An juste prohiberi possit pastio et liguatio in pascuo et silva reipublicæ.* Resp. rempublicam id

posse prohibere juxta quemdam modum et mensuram ; non vero in totum, quia singuli habent jus sumendi inde sibi necessaria.

14. *Quale peccatum sit contra justam prohibitionem pascere vel ligna cædere.* Resp. Si quis id faciat in loco publico communitatis cujus est pars, peccat tantum venialiter, nisi valde magnum damnum inferat ; nec tenetur ad restitutionem. Si autem id faciat in loco alieno aut alteri elocato, peccat pro ratione rei ablatæ, vel damni illati, et tenetur ad restitutionem si hæc soleat curari ; vel ad mulctam pecuniariam, si apprehendatur.

15. *Quomodo acquiratur dominium in thesaurum.* Nota : Thesaurus est vetus depositio pecuniæ cujus non exstat memoria, sic ut jam dominum non habeat : ubi nomine pecuniæ, intelliguntur quævis opes mobiles, v. gr. gemma, torques, etc. *Nunc* resp. Thesaurus, jure naturæ et gentium, nullius est, et transit in dominium inventoris occupantis, jure tamen civili multa sunt constituta circa dominium thesauri acquirendum ; et quidem jure communi, ubi receptum est, hæc observantur : 1° thesaurus in proprio fundo inventus, totus est inventoris. 2° Si inventus sit fortuito in alieno fundo licet principis, dimidium est inventoris, et dimidium domini fundi ; si autem de industria quæsitus sine consensu domini, totus est domini, nempe post judicis sententiam ; quæsitus autem cum consensu domini, si nullum sit pactum, totus est inventoris. 3° Qui scit alicubi thesaurum latere, et emit locum antequam eruat, fit dominus totius thesauri ; nec ideo tenetur pluris locum emere, quia thesaurus non est pars fundi, adeoque nec in bonis venditoris.

16. *Cui cedat thesaurus, si in loco publico vel sacro inveniatur.* Resp. Si in publico, v. gr. in flumine, platea, via publica, etc., totus videtur esse inventoris ; si in sacro et fortuito sit repertus, probabilius est totus etiam inventoris ; si autem data opera, dimidium cedet Ecclesiæ.

17. *Quid si per magiam thesaurus inventus sit.* Resp. Totus est fisci, nempe post sententiam judicis.

18. *Quænam dicantur haberi pro derelictis, ita ut eorum dominium concedatur primo occupanti.* Resp. 1° esse ea quæ dominus abjicit, nolens amplius esse sua. Hinc ea quæ in tempestate, levandæ navis causa, projiciuntur, non habentur pro derelictis ; quia dominus ea libentissime servaret, si posset. 2° Videtur tamen haberi pro derelicto ea res quæ fluctibus procul abrepta est, et dominus, sciens ubi sit quærenda, non curat eam recuperare ; vel quia eam parvi facit, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ.

CAPUT VI.

De modo acquirendi dominii per præscriptionem.

1. *Quid sit præscriptio et usucapio ?* Resp. Nunc in hac materia, utraque ista vox fere pro eadem accipitur sicque definitur : est adeptio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Dicitur *usucapio*, eo quod dominium ipso usu capitur ; dicitur *præscriptio*, eo quod per possessionem tempore præscripto continuatam acquiritur. Per usucapionem unus ditatur cum jactura alterius, sed ex justa causa et auctoritate publica, adeoque sine injuria, cum nullum jus violetur ejus qui jacturam patitur. Itaque præscriptio transfert verum dominium etiam in foro conscientiæ, sic, ut si is qui aliquid legitime præscripsit, postea advertat fuisse alienum, illud licite retineat : ita communis doctorum. Unicuique enim licet retinere id cujus dominium in se valide et licite translatum est ; atqui per præscriptionem transfertur valide et licite dominium, quia in republica aut in principe est potestas, et jus disponendi de bonis privatorum ad bonum commune, adeoque transferendi eorum dominia, ut litibus et incertitudini dominiorum obvietur, pacique consulatur ; ergo, etc. Aliud est de eo qui deprehendit rem sibi adjudicatam per sententiam materialiter injustam ; ille non potest in conscientia eam sibi retinere, quia judex per suam sententiam non confert jus, sed tantum declarat quis videatur habere ; princeps autem legibus præscriptionum, causa boni publici, istud jus vere et realiter confert.

2. *Quot conditiones requirantur ad præscriptionem?* Resp. requiri quatuor : 1ª est possessio ; ut habet regula juris in 6, sic : *Sine possessione præscriptio non procedit.* Possessio, inquam, civilis tantum, qua etiam absentes solo animo rei nostræ insistimus, sufficit. Hinc religiosus professus non potest quidquam temporale præscribere, nec laicus res sacras, v. gr. decimas clericales ; quia non possunt ea civiliter possidere. 2ª *Bona fides*, quæ est credulitas qua quis prudenter sibi persuadet rem esse suam, aut saltem nescit esse alienam ; possessor enim malæ fidei, ut habet regula juris in 6, nullo tempore præscribit. Requiritur autem bona fides quandiu currit præscriptio, ita ut hæc interrumpatur quamprimum desinit bona fides. 3ª *Titulus probabiliter præsumptus*, id est, qui bona fide putetur validus, v. gr. donationis, testamenti successionis ab intestato emptionis, permutationis, etc. Non est autem opus ut sit verus aut validus ; validus enim sine præscriptione sufficit ad transferendum dominium secuta traditione, sed satis est, ut probabiliter putetur verus. 4ª *Tempus lege definitum*, nempe *breve*, id est, decennio minus ; *longum*, id est, decem annorum inter præsentes, et viginti inter absentes ; *longissimum*, id est, triginta aut quadraginta annorum ; *immemoriale*, id est, cujus initii non exstat memoria apud senes. Secundum jus commune præsentes censentur qui habitant in eadem provincia, absentes qui in diversa

3. *An dubitans utrum sit res sua, censeatur bona fide possidere.* Resp. Ad inchoandam possessionem, non censetur habere bonam fidem quandiu manet dubitatio ; adeoque non procedit præscriptio, quia

ut incipiam mihi vindicare rem quam antea non habebam, requiritur ut determinate judicem eam esse vel nullius vel esse meam. Quando autem tale dubium oritur post inchoatam bona fide possessionem, non tollit bonam fidem, nec præscriptionis continuationem ; modo facta inquisitione non deprehenderit esse alienam, tunc enim melior est conditio possidentis.

4. *Si quis dubitando an res sit sua, simul dubitet an eam liceat sibi retinere, et tamen retinet*, utrum bona, an mala fide continuet possessionem. Resp. Mala fide continuare, quia non licet operari cum conscientia dubia. Unde non procedit præscriptio.

5. *Si quis ex ignorantia juris rem usurpet ut suam, v. gr. emptam per usuram, suamque esse existimet : an talis habeat bonam fidem ad præscribendum sufficientem.* Resp. 1° : Juris clari ignorantia, etiamsi inculpata, non sufficit ad præscribendam rem ; sufficit tamen ad præscribendos fructus ex illa re perceptos, quia error circa fructus videtur esse error facti ; putat enim possessor se eos percipere ex re sua. 2° Ignorantia tamen vel error juris valde dubii sufficit ad præscriptionem ipsius rei : ita Lessius cum aliis. Quia, inquit, error juris dubii perinde prodest ad præscriptionem, sicut error facti. 3° Ignorantia facti causat bonam fidem sufficientem ad præscribendum : ita habetur expresse in jure ; et doctores communissime. V. gr. si accepisti rem a fure, nesciens esse furem, illam tenes bona fide. Sic, si emisti rem a pupillo, nesciens esse pupillum, a prælato, putans capitulum consensisse, potes præscribere.

6. *An procedat aliquando præscriptio cum mala fide.* Resp. nego. Nam leges civiles statuentes præscriptionem triginta aut quadraginta annorum, etiam cum mala fide procedere sunt abrogatæ per jus canonicum. Unde ut præscribam, contra debitum pecuniarium vel contra actionem ad tale debitum, quam habet Petrus in me, non sufficit ut Petrus toto tempore non exigat debitum aut non meminerit ; sed requiritur ut ego certo temporis spatio bona fide putem me nil debere Petro. Cum enim peccem non solvendo, non potest mihi procedere præscriptio. Sic, etsi famulus, intra biennium ex quo desiit famulari, non petat stipendium a domino, non potest tamen dominus præscribere contra istud debitum, nisi bona fide putet solutum. Dum quis autem habet jus servitutis transeundi per meum agrum, pascendi in meis prædiis, etc., cum non requiratur ullus actus in me ut ego contra illud præscribam, sed sufficiat ut ipse suo jure non utatur certo tempore, uti habetur l. *Hæc autem jura*, etc., non sum in mala fide, etsi sciam eum istud jus habere, quia nihil facio illicitum, nec teneor eum monere ut suo jure utatur (Lessius, lib. II, cap. 6, dub. 6).

7. *Quantum temporis requiratur ad præscribendum res mobiles.* Resp. 1° : Ad præscribendum res mobiles privati hominis, vel etiam Ecclesiæ, cum titulo saltem æstimato, v. gr. putando bona fide rem solutam, emptam, legatam, donatam, etc., requiritur et sufficit possessio per triennium bona fide continuata : ita communiter doctores ex variis locis juris. 2° : Ad præscribendum res mobiles sine titulo, requiruntur triginta anni, sive illæ sint privatæ sive Ecclesiæ : ita doctores, ut supra.

8. *Quantum temporis requiratur ad præscribendum res immobiles.* Resp. 1° Ad præscribenda bona immobilia privatorum, cum titulo, requiritur spatium decem annorum inter præsentes ; viginti inter absentes. Sine titulo requiruntur anni triginta : ita doctores communiter. Ex jure, pro præscriptione autem triginta aut quadraginta annorum ordinarie non requiritur titulus. 2° Si privatus fuerit pupillus, quandiu est in ea ætate nulla contra eum datur præscriptio, sive rerum mobilium, sive immobilium, si non sit pupillus ; sed minor, id est, nondum habens viginti quinque annos expletos, requiruntur triginta anni. 3° Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni ; contra aliam Ecclesiam vel hospitale, vel monasterium, vel contra pias causas requiruntur anni quadraginta : ita communiter doctores (Lessius, lib. II, cap. 6, dub. 7).

9. *Quanto tempore præscribantur servitutes, et amittantur, id est usucapione acquiri*, l. De finali, *cap.* De longi temporis præscriptione ; *idque verum est, etiam si bona fide putans esse servum, emeris. Ratio est quia non patitur æquitas hominem liberum fieri servum ex errore opinionis.* Resp. 1° : Servitus mere personalis, id est, quæ immediate debetur personæ, nullo tempore præscribi potest ; servus tamen præscribit libertatem contra herum, si per viginti annos bona fide putaverit se liberum, etsi titulum libertatis non habeat. 2° Servitus mista, quæ a re debetur personæ, v. gr. usufructus, præscribitur cum titulo decem annis inter præsentes, et viginti inter absentes ; sine titulo annis triginta, etc. 3° Servitus mere realis, sive sit continua aut quasi continua, v. gr. tigni immittendi, stillicidii, aquæductus ; sive discontinua, v. gr. eundi per tuum agrum ; cum titulo et bona fide præscribitur decem annis, præsente eo contra quem agitur ; viginti autem annis, eo absente. Imo mere realis continua etiam sine titulo cum scientia et patientia adversarii præscribitur decem annis inter præsentes, viginti inter absentes ; discontinua vero sine titulo non præscribitur nisi tempore immemoriali. 4° Usufructus et omnis servitus quæ non usu seu non utendo amittitur, exstinguitur decem annis inter præsentes, et viginti inter absentes.

10. *Quanto tempore præscribatur jus patronatus et ipsum beneficium.* Resp. 1° : Si constet Ecclesiam olim fuisse liberam, jus patronatus seu præsentandi a laico præscribi nequit sine titulo ; jus autem patronatus in Ecclesia, etiam parochiali, de quo dubitatur an olim fuerit libera, potest præscribi a parochianis cum titulo quadraginta annis, sine titulo tempore immemoriali. 2° Jus nominandi re-

ctorem aut prælatum in Ecclesia collegiata, præscribi potest a laico contra Ecclesiam, quadraginta annis cum titulo, aut tempore immemoriali sine titulo. 3° In Ecclesia non libera, jus patronatus a laico contra verum patronum præscribi potest cum titulo colorato decem annis inter præsentes, viginti inter absentes; sine titulo autem, triginta annis. 4° Beneficium ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem vere pertinebat, decem annis inter præsentes, viginti inter absentes. Sine titulo non potest præscribi, quia nonnisi institutione canonici acquiritur ejus possessio. 5° Qui pacifice aliquod beneficium, sine Simoniaco ingressu, triennio possidet, præscribit contra actionem cujusvis impetitoris, ex regula cancellariæ 33.

11. *Quanto tempore præscribantur debita, actiones, hypothecæ, legata, majoratus*, etc. Resp. 1°: Debita rerum mobilium et immobilium præscribuntur cum bona fide triginta annis contra creditores, et ad ea petenda excluditur actio: ita communiter (l. *Sicut*, cap. *De præscript.*). Multæ tamen actiones breviori tempore excluduntur seu præscribuntur; v. gr. actio redhibitoria ad temperandum pretium ob rem vitiosam emptam, præscribitur sex mensibus a die qua vitium cognitum fuit; actio quanti minoris ad recuperandam partem pretii rei male emptæ, præscribitur uno anno, uti actio injuriarum; actio ad reclamandum contra professionem religiosam exstinguitur quinquennio, et sic de aliis. 2° Si res hypothecata possideatur bona fide a debitore vel ejus hærede, non exstinguitur actio hypothecaria quam creditor habet, nisi quadraginta annis. 3° Quando bona alicujus ob non solutum vectigal vel quid simile ipso facto sunt fisco addicta, præscribitur a reo et ejus hæredibus, contra actionem fisci, quinquennio; ob aliud crimen reus non potest præscribere, sed possunt istorum bonorum hæredes quinquennio. 4° Legata et fideicommissa non possunt præscribi contra legatarium et fideicommissarium nisi triginta annis. Idem dic de majoratu et primogenio.

12. *Quanto tempore præscribit qui rem accipit a possessore malæ fidei vel ab eo qui mala fide tradidit.* Resp. Qui accipit rem ut hæres immediatus, non potest eam præscriptione ordinaria præscribere, etsi bona fide acceperit et possederit: ita doctores communiter. Ratio est, quia hæres immediatus juris fictione censetur una eadem persona, cum de furto quem repræsentat, et eorum possessio quasi una continuata possessio. Dixi *præscriptione ordinaria*, quia non est improbabile eum posse præscribere spatio triginta annorum. Hæres autem mediatus, seu hæres hujus hæredis potest eam (modo non sit furtiva aut vi possessa) præscribere tempore ordinario, si tam ipse quam hæres a quo immediate accepit, fuerint in bona fide; quia illa fictio de mala fide non transit ad secundum: uti enim umbra non parit umbram, ita nec fictio fictionem. Idem dic de donatario, legatario, emptore, cum personam sui auctoris multo minus repræsentent, ideoque possunt præscribere tempore ordinario. Excipe duos casus: 1° si res sit immobilis, et is, contra quem præscribitur ignoret eam ab alio possideri, v. gr. fuisse alteri venditam, etc.; 2° si res sit furtiva vel vi possessa, tunc enim requiruntur triginta anni. Idque ex juris dispositione

13. *Quantum temporis requiratur ut consuetudo præscribat contra legem.* Resp. 1°: Si consuetudo vigeat sciente et tolerante principe, non requiritur certum tempus, ut ea legem tollat; tollit enim legem dum passim agitur contra eam, sciente et tolerante principe, quia dum tunc silet princeps, censetur consentire ut lex non servetur ob bonum publicum, adeoque tollere legis obligationem; quod ante spatium decem annorum potest accidere. 2° Si consuetudo vigeat ignorante principe, ut censeatur legitime præscripta, possitque legem tollere, requiruntur decem anni quibus ista consuetudo a subditis bona fide promiscue sit servata; eosque sufficere 1° ad civilem legem tollendam, probatur, quia consuetudo longa, id est decem annorum, habet vim legis civilis, eamque instar legis jubet servari; 2° etiam ad ecclesiasticam legem tollendam, nondum usu receptam, decem annos sufficere docet Navarra cum multis aliis doctoribus: quia cum non obliget lex quæ non est recepta, facilius invalescit adversus eam consuetudo, ita ut post decennii consuetudinem non sit obligatio ad eam admittendam, nisi princeps de novo eam constituat. Imo licet usu fuerit recepta, non improbabiliter etiam decem anni sufficiunt; tutius est tamen in hoc sequi sententiam communem quæ requirit quadraginta annos. Denique si consuetudo sit aliquo modo contra jus Ecclesiæ, ad præscriptionem requiruntur quadraginta anni.

14. *Quænam res non possunt præscribi.* Resp. Multa quæ dicuntur in jure non posse præscribi, intelligenda sunt de tempore ordinario, non de extraordinario triginta aut quadraginta annorum, aut immemoriali. Sed quæ nullo modo præscribi possunt, hæc sunt: 1° exemptio ab obedientia superioris; 2° res publicis usibus deputatæ, v. gr. forum, via publica, pons; 3° jus primævum et fundamentale decimarum a laico percipiendarum; 4° limites provinciarum, episcopatuum, parochiarum, si de eis constet; si autem non constet, possunt præscribi.

15. *Quando præscriptio dicatur non procedere, dormire, interrumpi.* Resp. 1°: Dicitur *non procedere*, dum ob aliquam causam non incipit, vel non potest incipere; v. gr. si desit bona fides, possessio civilis, titulus pro præscriptione temporis ordinarii. 2° Dicitur *dormire*, dum inchoata cessat, et postea currit cum priore tempore, v. gr. tempore pestis, ætatis pupillaris, etc. 3° Dicitur *interrumpi*, dum inchoata cessat, et postea de novo inchoatur ita ut non currat cum priore tempore.

16. *Quid sit restitutio in integrum.* Resp. Est remedium juris, quo judicis auctoritate dominium præscriptione amissum recuperatur. Conceditur minoribus viginti annis, piis locis et ecclesiis, et interdum majoribus in præscriptione decem et viginti annorum. Habent hi quatuor annos ad repetendas suas res, postquam sciverint completam præscriptionem.

CAPUT VII.

De injuria et restitutione in genere.

1. *Quid sit injustitia et injuria.* Resp. Injustitia sumitur dupliciter : 1° generice, estque quævis legis violatio, et dicitur *iniquitas ;* 2° specifice, estque vel *actualis*, quæ alieni juris violatio seu *injuria* dicitur ; vel *habitualis*, quæ est non tantum realis pravæ voluntatis dispositio, sed etiam moralis, et imputativa, ex actibus injustis relicta ; fit autem alteri injuria, tum commissione, tum omissione.

2. *An dicatur aliquis injustus eo ipso quod fecit aliquid injustum.* Resp. affirmative. Si id faciat sciens et sponte, vel saltem ex ignorantia culpabili, aut ex vi externa resistibili ; secus vero, si ex ignorantia inculpata, aut ex vi externa irresistibili, non consentiendo.

3. *An quis volens possit pati injuriam.* Resp. Proprie loquendo nego. Pati enim injuriam est violari jus patientis ; si ergo velit, non violatur ejus jus, quia jam cedit jure suo, seu illud a se abdicat. Hinc potest quis inferre injuriam, et alter eam non pati, v. gr. detrahens famæ alterius, illi infert injuriam ; sed si iste cedat jure suo, volendo injuria affici, non patitur injuriam. Contra potest quis injuriam pati, et alter non inferre ; v. gr. si quis emat rem vitiosam, quam alter putavit esse bonam.

4. *Quid sit restitutio.* Resp. Est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio.

5. *Unde restitutionis obligatio nascitur.* Resp. : Nascitur 1° ex *injusta acceptione*, sive per furtum, sive per damnum inique illatum ; quicunque enim damnum alteri infert, aufert aliquid ab eo, et violat æqualitatem quam postulat justitia commutativa ; ergo ex lege justitiæ commutativæ ob injustam acceptionem tenetur ad restitutionem. 2° *Ex re accepta sive juste sive injuste*, id est, tum ex ea quæ a domino ablata est, v. gr. equus, vestis, pecunia ; tum ex ea quæ alteri debetur, et apud me retinetur, v. gr. res vendita quæ apud me est. Quicunque enim habet rem alterius, etsi nullam injuriam intulerit, habet tamen plus quam suum, et verus dominus tantumdem habet minus quam suum. Ergo ut fiat æqualitas justitiæ commutativæ, per quam tribuitur unicuique quod suum est, ista res debet domino restitui.

6. *An nascatur obligatio restitutionis ob damnum illatum sine culpa, aut ex levi culpa extra officium et contractum.* Resp. 1° : Quando non intercessit contractus, non oritur obligatio restitutionis, saltem in foro conscientiæ, ob damnum ex culpa levi vel levissima, id ex omissione diligentiæ et circumspectionis, quam solent diligentiores vel diligentissimi illius artis vel professionis adhibere. Nemo enim tenetur diligentiam adhibere majorem, ne suo opere ut non noceat alteri quam isti homines adhibent ; ergo damnum eveniens non debet illi, utpote involuntarium, imputari. Deinde non tenetur ratione contractus, cum nullus intervenerit, nec ratione rei acceptæ, cum ea non exstet ; neque ratione injustæ acceptionis cum non fuerit peccatum ; ergo, etc. Si autem damnum acciderit ex culpa lata, id est, ex omissione diligentiæ et circumspectionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent, tunc tenebitur ad restitutionem ; censebitur enim illi damnum voluntarium, quia non fecit quod potuit et debuit. Si tamen hoc damnum evenerit ex ejus omissione ob naturalem illius inconsiderationem, v. gr. si egrediens domo alia cogitatione abreptus non clausit ostium, et hinc fures multa subripuerunt ; aut non exstinxit candelam, et hinc exarsit incendium, etc., nihilque in hoc peccaverit, non tenebitur ad restitutionem, quamvis in foro externo, diceretur hoc ex lata culpa provenisse. 2° Ut quis ex culpa lata teneatur sub mortali ad restitutionem, debet fuisse commissum peccatum mortale in damno illato ; quando autem damnum fuit grave, ordinarie negligentia seu culpa qua commissum est, censetur gravis seu mortalis, nisi aliunde constet non fuisse ; præcipue si fuit actio externa : quia inconsideratio imperfecta rarius accidit circa opera externa, quam circa subitos internos animi motus. Quando autem in damno inferendo intervenit tantum venialis culpa, licet quidam dicant esse obligationem sub veniali restituendi ; verius tamen videtur nullam esse : Sylvester et alii doctores, quia cum id ex quadam inconsideratione et animi præcipitatione evenit, censetur quasi fortuito accidisse.

7. *An nascatur obligatio restituendi ex damno, culpa levi vel levissima, in officio aut consilio dando commissa.* Resp. 1° : Nemo tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem ex culpa levi vel levissima in officio commissa ; v. gr. advocatus, medicus, architectus, magistratus, princeps, sed tantum ex culpa gravi. Non enim tenetur in suo officio esse prudentior et diligentior quam passim homines ejusdem conditionis esse solent. 2° Si dans consilium sit parochus, confessarius, concionator, theologus, etc., tenetur ad restitutionem damni secuti ratione ignorantiæ crassæ vel culpæ latæ : quia talis ex officio et professione tenebatur scire quid erat respondendum, et credebatur ad hoc capax ; ergo male respondendo fuit causa damni secuti. Non tamen tenetur, si respondit juxta opinionem vere probabilem ; aut simpliciter aperuit suam opinionem, dicens ita sibi videri ; non autem suasit ut alter eam sequeretur, aut tantum dubitare se indicavit, tunc enim, si alter sequatur, suæ temeritati ascribat. 3° Si dans consilium, erat parum peritus rerum,

de quibus consulebatur, utpote ad ejus professionem non pertinentibus, et alter sciens ejus inscitiam petat consilium, consultor non tenebitur illi ad restitutionem; quia debet sibi imputare, si ex illo consilio damnum accipiat; scienti enim et volenti non fit injuria.

8. *An nascatur obligatio restitutionis damni ex culpa levi vel levissima quando aliquis contractus intercessit.* Resp. 1° : Si res commodata, locata, oppignorata pereat fortuito apud commodatarium aut locatorem, ad nullam ipse restitutionem tenetur, nisi sit conventum de restituendo, quomodocunque periret, aut fuerit in mora rem depositam restituendi, aut culpabiliter casui fortuito dederit occasionem. Probatur, quia res quæque domino suo perit, si nulla intervenerit culpa aut pactio, ratione cujus tenearis ad damnum sarciendum. 2° Jure naturali nemo tenetur de damno in re alterius, licet apud ipsum sit ex contractu, nisi ob dolum aut culpam latam; quia jure naturæ nemo tenetur adhibere majorem diligentiam in custodia rei commodatæ, conductæ, etc., quam in re propria, et quam ipse dominus adhibuisset, si apud ipsum mansisset. Ergo si hac adhibita pereat, perit sine culpa, adeoque sine injustitia, et sine obligatione in conscientia restituendi damnum, cum nulla hic sit commissa injustitia. Jure tamen positivo humano sic statutum est : si res alterius, v. gr. equus, liber, etc., sit apud te per contractum, qui in tuam solius utilitatem tendat, et pereat non tantum ex lata, sed ex levi, et levissima tua culpa, teneris ad restitutionem; si autem contractus tendat in solam domini utilitatem re pereunte, teneris tantum ad restitutionem, ex dolo aut culpa lata; si tendat in utriusque utilitatem, teneris tantum ex culpa lata et levi; non autem ex levissima; atque hæc videntur obligare in conscientia ante sententiam judicis juxta communiorem sententiam, contra Sotum et quosdam alios putantes non obligare ante sententiam.

9. *An sit obligatio restitutionis ex damno causato cum ignorantia comitante, v. gr. si occidas inimicum putando esse feram.* Resp. negative. Si fuerit ignorantia inculpata; illa enim hominis occisio fuit involuntaria.

10. *An restitutio sit ad salutem necessaria.* Resp. Ipsa restitutio externa est necessaria ad salutem, si facultas suppetit; si autem non suppetit, quamvis ista externa restitutio non sit necessaria, tamen propositum restituendi est necessarium. Hinc animæ defunctorum, qui vel defectu potentiæ, vel ex ignorantia inculpabili non fecerunt restitutionem, aut non solverunt debita, non detinentur in purgatorio donec pro illis fiat restitutio aut debitorum solutio ab hæredibus; quia ista restitutio et solutio est tantum necessaria necessitate præcepti ad salutem, non medii, adeoque cum fieri nequit, non obligat.

Hoc restitutionis præceptum est partim affirmativum, seu positivum, quatenus explicite præcipit actionem positivam restituendi; partim negativum, quatenus implicite prohibet detentionem rei alienæ. Unde obligat semper pro semper; nempe dum spectatis omnibus circumstantiis, rei dominus censetur rationabiliter invitus, ne diutius differatur.

CAPUT VIII.

De restitutione pro injuriis in res spirituales illatis.

1. *An qui privavit aliquem per injuriam aliquo sensu, vel usu rationis, teneatur ad restitutionem.* Resp. præcise pro damno sensuum, vel usus rationis, probabilius eum non teneri ad restitutionem, quia ista bona sunt superioris ordinis, nec pecunia compensari possunt; sed tantum tenetur resarcire damnum temporale, quod inde sequitur.

2. *An qui metu vel fraude pertraxit alium in peccatum, teneatur ad restitutionem.* Resp. 1° : Qui minis aut vi traxit alium ad peccatum, tenetur ex justitia vim tollere, eumque suæ libertati restituere; item qui falsa doctrina alium decepit et deduxit in errorem circa fidem, mores, etc., tenetur ex justitia eum dedocere, nisi jam sit dedoctus. Non tamen tenetur ex justitia curare ut hic et ille convertatur, sed tenetur præ cæteris ex charitate id curare, et quidem in necessitate sub mortali. 2° Si is qui fraude inductus est in errorem, faciat opus malum, antequam veritatem agnoverit, imputatur ei qui eum decepit; quamvis qui fecit, ob ignorantiam inculpatam non peccasset.

3. *An qui avertit aliquem a religione, teneatur ad aliquam restitutionem.* Resp. 1° : Is qui novitium sine vi aut fraude a religione extraxit, non tenetur ex justitia aliquid religioni restituere; quia ante vota religio non habet jus ad illum. 2° Si autem vi vel fraude illum abduxit a religione profitenda, tenetur ex justitia monasterio compensare damnum juxta spem quam habebat ex ejus donatione, hæreditate, industria : quia licet monasterium non habeat jus ad illa, habet tamen jus, ne vi aut fraude eum, qui statuit ingredi, et ex quo aliquid sperabatur, avertas. 3° Qui vi vel fraude abduxit professum a religione, tenetur monasterio compensare valorem emolumenti temporalis perditi ob ejus egressum. Secus autem, si tantum consilio aut precibus sine vi et fraude eum abduxit.

CAPUT IX.

De restitutione pro injuriis in corpus proximi illatis homicidio vel mutilatione.

1. *An liceat malefactores occidere.* Resp. licere auctoritate publica, non privata, quod intelligo de occisione ad punitionem, non ad necessariam sui defensionem; nec obstat quod interdum permittatur, ut quivis possit occidere publicos reipublicæ hostes, v. gr. latrones, aut proscriptos, quos *bannitos* vocant, quia tunc non occiduntur auctoritate privata, sed publica concessa a principe, qui illam dare potest ad bonum publicum, probabiliter etiam extra territorium proscribentis.

2. An liceat parenti filiam, aut marito adulterum in adulterio deprehensos occidere. Resp. Nego, quia

hoc nullo jure divino concessum est, et leges quædam civiles contrarium significantes reprobantur per canones; aut solum sic intelligendæ sunt, ut liberent interfectorem a pœna in foro civili ob justum in tali casu dolorem et efferventem iræ motum. Exponitur enim sine necessitate manifesto damnationis æternæ periculo anima eorum, qui sic interficiuntur. Post sententiam autem legitime latam, tunc possunt, ut fit in quibusdam regnis.

3. *An aliquando liceat seipsum occidere aut mutilare.* Resp. 1° : Nunquam licet propria auctoritate seipsum directe occidere, quia hoc repugnat charitati erga se; tum justitiæ legali erga rempublicam, cujus membra sumus, tum subjectioni erga Deum, qui dominus est vitæ. Dixi *propria auctoritate*, quia ex Dei præcepto aut ejus instinctu id licet; ut patet in sancta Apollonia quæ se ultro in ignem projecit, et in aliis martyribus; quamvis possint etiam excusari ob ignorantiam invincibilem. Dixi *directe*, quia ex justa causa potest quis interdum aliquid facere vel omittere, unde sciatur certo vel fere certo mors indirecte secutura; v. gr. reus potest non fugere ex carcere, etsi certo sciat se morte plectendum; miles potest et debet non deserere stationem, licet prævideat se occidendum; juste damnatus (non autem injuste) ad fame moriendum, potest abstinere a cibo clam oblato; potest quis se objicere telo ad conservandam vitam principis aut amici; potest quis in naufragio alteri permittere tabulam nondum a se occupatam, imo juxta varios, etiam occupatam; potest quis omittere remedia nimis pretiosa, aut nimis dolorifera ad conservandam vitam; et juxta varios, ignem navi injicere, ne in hostium potestatem veniat; desilire ex turri incensa ad vitandam mortem atrociorem, etc.; sic excusantur Samson et Eleazarus.

Resp. 2° : Non licet extra casum necessitatis seipsum mutilare, seu aliquo membro privare; in necessitate licet, v. gr. ad servandam vitam, aut ad graves vitandos dolores, etc.

Resp. 3°: Qui seipsos occidunt, jure canonico privantur sepultura ecclesiastica et suffragiis, nisi ante mortem secutam dederint signa pœnitentiæ; in dubio donantur sepultura.

4. *An liceat aliquando interficere innocentem.* Resp. Directe interficere nunquam licet : *Insontem et justum non occides* (*Exod.* XXIII, 7), quia solus Deus est vitæ humanæ dominus. *Indirecte* tamen aliquando licet, non intentando ejus mortem, ut quando in bello subruenda est turris in qua aliqui innocentes cum nocentibus conclusi sunt. Item si tyrannus, toti urbi minetur excidium, nisi quispiam innocens ei tradatur ad occidendum; probabile est quod respublica possit præcipere ei ut adeat tyrannum, cum ipse tunc teneatur vitam suam postponere bono publico.

5. *An liceat alterum occidere ad vitæ propriæ defensionem.* Resp. licere cum moderamine inculpatæ tutelæ : id est, si serves eam defensionis moderationem, ut non magis noceas invasori, quam necesse sit ad injuriam propulsandam; quod etiam verum est, licet prævideas alterum fortasse inde damnandum, eo quod sit in malo statu; non enim idcirco privaris jure te ipsum defendendi. Invasus tamen debet fugere potius quam occidere invasorem, si possit sine dedecore et magno incommodo, sicut possunt religiosi et clerici, etc. qui, saltem ex charitate ad id tenentur; aliud est de viro militari et nobili cui fuga foret ignominiosa.

6. *An liceat dare pharmacum matri gravidæ de vita periclitanti, si proles putetur inde moritura.* Resp. 1° ; Si pharmacum directe tendat ad fœtus, quamvis nondum animati, expulsionem, non licet; ut habetur ex propositione 34, inter sexaginta quinque damnatas ab Innocentio XI; 2° si fœtus nondum sit animatus, aut jam animatus non putetur ad baptismum perventurus, tunc licet matri præbere pharmacum directe tendens ad ejus curationem, etsi videatur abortus per accidens forte secuturus; 3° si sit spes, morente matre, prolem ad baptismum perventuram, non potest mater tale pharmacum sumere, quia tunc tenetur æternam prolis salutem vitæ suæ corporali anteponere; non licet tamen secare ventrem matris, ex illa sectione certo morituræ, ad servandam prolem.

7. *An liceat furem occidere, in defensionem facultatum suarum.* Resp. licere si sint res magni momenti, nec sit probabilis spes aliter illas recuperandi aut servandi. Requiritur autem ut fur rem tuam adhuc invadat, aut saltem eum fugientem ita persequaris, ut censearis adhuc esse in civili ejus possessione; si enim rem tuam jam in tuto posuerit, et possessionem acquisierit, non tibi licet amplius ad eam recuperandam vim inferre, sed debes ad juris remedia recurrere. Atque hæc responsio maxime vera est de fure nocturno effringente fores, etc., quia tunc sæpe etiam subest vitæ periculum. Non licet autem occidere, quem sufficienter potes monitis aut verberibus multatum expellere; alioquin non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ.

8. An liceat alterum occidere in defensionem pudicitiæ. Resp. affirmative. Hoc enim bonum est longe majoris momenti quam opes; si qui aliquando videantur contrarii, intelligendi sunt de interficiente ex odio aut alio pravo affectu, aut non servato moderamine inculpatæ tutelæ. Quamvis persona sollicitata ad impudicitiam sufficienter repellat sollicitantem, sæpe tamen potest verbis adjungere alapas et similia, imo id sæpe expedit; nec scrupulose hac in parte agendum est, ut monet Lugo, præsertim dum sollicitans venit ad tactus aut oscula, quia homines lascivi non facile desistunt propter sola verba, et talis percussio in hisce circumstantiis semper habet sufficientem rationem justæ defensionis aut fraternæ correctionis sive pro præsenti sive pro futuro.

9. *An liceat pro defensione alterius occidere invasorem, et an sit obligatio.* Resp. licere aliquando pro tuenda vita innocentis occidere invasorem, saltem quando opem nostram implorat, aut nobis specialiter conjunctus est, imo tenemur interdum ex charitate, non tamen cum gravi nostro incommodo aut periculo, insuper nonnulli ad hoc tenentur ex justitia, ut prætores, magistratus, etc., adeoque ad damnum ex ista omissione secutum.

10. *Quando homicidium casuale est peccatum, et quando non.* Resp. Homicidium quod omnino casu fit non est peccatum; dicitur autem casu fieri, quod nec in se, nec in causa sua est voluntarium; v. gr. si causa illius non fuit efficax, ut læsio levis, si dando operam rei licitæ, aut illicitæ, adhibita est sufficiens cautio ne quid damni inde sequeretur. Quando occisio autem non omnino casu fit, eo quod in opere periculoso, non est adhibita cautio necessaria, tunc erit peccatum homicidii et injustitiæ, mortale vel veniale pro ratione negligentiæ majoris vel minoris; quia est voluntaria in causa, nempe in omissione debitæ cautelæ et circumspectionis. Idem dicendum de læsione facta a tuo animali, quod antea noveras pronum ad lædendum, nec domi, ut oportebat, religasti.

11. *Quantum teneatur injustus homicida vel mutilator restituere.* Resp. 1° teneri solvere integras expensas factas in curationem læsi, ipse enim fuit earum causa efficax. Item tenetur restituere, non quidem quantum erat lucraturus, sed quantum spes lucri valebat, deductis quæ consumere solebat. 2° Si homicida, aut qui læsit, moriatur, tenentur hæredes ex ejus bonis damna compensare.

12. *An quando homicida sustinuit pœnam talionis, debeat fieri damnorum compensatio.* Resp. Quamvis in rigore omnia damna ex homicidio secuta, debeant resarciri ex bonis homicidæ, probabiliter tamen homicidæ hæredes in conscientia non tenentur quidquam solvere, nisi hæredes occisi hoc exigant; ita enim fere usus habet ut pœnæ talionis censeantur acquiescere, et injuria illata videatur sic esse compensata.

13. *An pro ipsa vita, membro, cicatrice hominis liberi sit aliquid restituendum.* Resp. Nego; ut habetur ex variis legibus, eo quod vita et corpus hominis liberi natura sua sint supra omne pretium, utpote bona ordinis superioris quam sit pecunia. Unde ex natura rei non possunt ad æqualitatem compensari, adeoque cessat obligatio ea compensandi; ubi enim ex natura rei non potest poni æqualitas, ibi non habet locum obligatio justitiæ commutativæ. Solum ergo damnum pecuniarium, ex homicidio secutum, compensandum est.

Dixi *hominis liberi.* Quia, cum servus ratione operarum sit pretio æstimabilis, pro ejus vita et mutilatione exigi potest compensatio ad æqualitatem juxta prudentum æstimationem. Sic etiam exigi potest pro vita et mutilatione bruti.

14. *An aliquid restituendum pro expensis funeris.* Resp. negative, quia æque postea erant faciendæ; nisi forte per accidens aliud damnum inde emerserit.

15. *An animæ occisi aliquid restituendum ex justitia.* Resp. Nego. Bonum enim spirituale non potest esse pretium rei temporalis: ergo non potest deberi ex justitia, pro damno vitæ temporalis; æquitas tamen naturalis videtur exigere ut injustus occisor aliqua subsidia spiritualia, v. gr. preces, eleemosynas, sacrificia illi impendat, et a confessario pro satisfactione sacramentali injungi possunt.

16. *An homicida teneatur aliquid restituere occisi uxori, liberis, creditoribus,* etc. Resp. solum teneri restituere parentibus, filiis, et uxori, non autem creditoribus aut fratri defuncti, quia parens et filius censentur una persona, uti uxor et maritus; adeoque interficiens Petrum, damnum infert ejus parenti, filio et uxori. Damnum vero quod obvenit creditoribus, aut fratri, est tantum per accidens, nec censetur una persona cum occiso.

CAPUT X.

De restitutione pro injuriis in corpus proximi per stuprum et adulterium illatis.

Nota: Stuprum hic sumitur pro defloratione virginis, præsertim si ipsa violetur invita.

1. *Ad quid teneatur, qui corrupit virginem.* Resp. Ad nihil teneri, si ipsa consensit, etiamsi precibus inducta: quia consentiendo cedit jure suo pro compensatione, adeoque nulla ei debetur, quamvis foret sub parentum potestate; nihil enim minuitur eorum potestas. Hinc defloratio virginis consentientis de se non continet malitiam specialem a simplici fornicatione distinctam, in confessione explicandam.

2. *Ad quid teneatur qui virginem vi vel fraude aut minis corrupit sine promissione matrimonii.* Resp. teneri ad reparanda omnia damna ei aut ejus parentibus inde obvenientia; imo si non possent aliter reparari nisi ducendo eam in uxorem, ad hoc teneretur, alias non. Si autem potita sit nuptiis æque commodis ac si nihil detrimenti accepisset, eo quod res manserit occulta, tunc ad nihil tenetur, nisi forte ad petitionem veniæ, si exigatur.

3. *Ad quid teneatur, qui promissione matrimonii seduxit ac violavit puellam.* Resp. Tenetur eam ducere si ipsa velit, sive promissio fuerit vera sive ficta. Si enim fuerit vera, hoc ipso est verus contractus et quidem onerosus, cui promissor stare tenetur, cum puella ex parte sua illum impleverit; si autem ficta, adhuc tamen tenetur eam ducere, quia fictus promissor tenetur verum elicere consensum, et eo mediante facere promissionem validam, qua obligatur ex justitia. Verum non tenetur eam ducere in his casibus, si puella potuit advertere fictionem ex verbis ambiguis aut aliunde, v. gr. ex

magna disparitate in nobilitate, divitiis; si illa finxit se esse virginem, et non erat; si postea fornicetur cum alio: in quo casu nulla debetur compensatio, uti nec in casu quo puella nolit ei nubere, aut parentes nolint eam illi tradere; item si ex tali matrimonio timeantur gravia scandala, aut pessimus exitus.

4. *Ad quid teneatur adulter et adultera partu non secuto.* Resp. ad nihil teneri; quia pro injuria separata a damno, nihil debetur ex justitia, nisi satisfactio honoraria, per petitionem veniæ, si conjux resciat, et illam exigat.

5. *Ad quid teneatur partu secuto.* Resp. 1°: Ad nihil tenetur adulter, si dubitet et non constet moraliter esse suam prolem aut certe prudenter judicet non esse suam. Si autem constet, tenetur eam alere a tertio ætatis anno exclusive, et uterque tenetur compensare omnia damna quæ ex spuriæ prolis suppositione obveniunt marito et legitimis liberis; quia uterque est illis causa efficax istorum damnorum. 2° Mater tenetur, quantum fieri potest sine famæ dispendio et vitæ periculo, procurare ne legitimi hæredes ratione hujus illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant. Unde si habet paraphernalia, aut alia ipsi libera, debet liberis relinquere in compensationem; item alio modo eos compensare, v. gr. diligentius curando rem familiarem, parcius vivendo quantum sinit ejus status, inducendo ad statum religiosum, etc. Similiter adulter tenetur, quantum potest compensare damnum, v. gr. clam donando pecuniam aut aliud, legando aliquid sub aliquo prætextu, etc. 3° Si adultera non possit damnum compensare, ad nihil aliud tenetur, sed potest permittere ut illegitimus hæreditati succedat, nec tenetur prodere suum crimen marito aut proli, nisi moraliter sit certa de damno avertendo; quod vix potest accidere. Nam spurius non tenetur credere matri suæ, etiam in articulo mortis, quod sit spurius, nisi ejus assertio certis aliis indiciis comprobetur; imo quamvis certa spes foret per criminis revelationem occursum iri hæredum damnis, non tenetur tamen crimen suum prodere, si inde periculum vitæ aut famæ immineat: hæc enim bona sunt longe superioris conditionis quam pecuniaria hæreditas; præterquam quod sæpe potest accidere, ut maritus et filii legitimi malint facere jacturam portionis hæreditatis sibi debitæ, quam cum adeo gravi probro rescire uxoris aut matris crimen non sine periculo evulgationis.

CAPUT XI.

De restitutione pro injuriis per detractionem et contumeliam illatis.

1. *Quid sit fama et honor.* Resp. Fama est multorum existimatio de alterius excellentia, v. gr. virtute, doctrina, etc.; honor est externa testificatio de alterius excellentia. Unde fama consistit præcipue in anima, honor vero in signis externis.

2. *Quid detractio, contumelia, calumnia: et qualia sunt peccata.* Resp 1°: Detractio est alienæ famæ injusta diminutio. Contumelia est diminutio honoris sive factis sive dictis in os vel coram eo cui infertur. Calumnia est falsi criminis vel defectus impositio. 2° Ista tria ex genere suo sunt peccata mortalia, quia per ista injuste privatur homo bonis famæ et honoris, quæ sunt longe pretiosiora divitiis; sæpe tamen sunt tantum venialia, sive ex levitate materiæ, sive ex imperfectione deliberationis et advertentiæ; præsertim si absit intentio nocendi. Levitas materiæ non tam spectanda est secundum se, quam respective ad personam; quia quod respectu vilis personæ est leve, respectu personæ valde gravis, v. gr. episcopi, potest esse grave, ut si dicatur esse mendax.

3. *An auditor detractoris peccet mortaliter.* Resp.: Qui ita audit, ut inducat et excitet ad detrahendum, non minus peccat quam ipse detractor, imo magis; idem dic de animante ad prosequendum. Qui autem nec lætatur audiendo detractorem, nec inducit ad detrahendum, sed nec resistit cum facile possit, aliquando peccat venialiter, aliquando mortaliter; mortaliter, si res gravis sit et teneatur impedire; v. gr. uti tenetur superior; venialiter, si res sit levis, si infamia non sequatur, etc.; non peccas autem si putes tuam monitionem non profuturam, aut metuas damnum, etc. Debes tamen, si commode possis discedere, vel displicentiam ostendere, vel alio sermonem divertere.

4. *An liceat seipsum infamare.* Resp. licere quidem per se loquendo, quia quisque est dominus suæ famæ; per accidens tamen potest esse peccatum grave, v. gr. si infamia redundet in infamiam alterius, cujus famam tenemur conservare: si fama mea sit necessaria ad rite obeundum officium, v. gr. si sim superior. Item probabiliter non erit mortale si quis ad vitandos atrocissimos cruciatus, falsum sibi crimen imponat, quamvis prævideat ob hoc se morte plectendum, modo non sequantur inde gravia damna reipublicæ, propinquis, etc.

5 *In quibus casibus licet alterius occultum crimen et defectum revelare.* Resp.: In his: 1° ad petendum consilium vel auxilium; 2° ad correctionem et bonum delinquentis; 3° ad avertendum malum commune, aut etiam notabile damnum tertii; 4° ad propriam defensionem, v. gr. si tibi alterius crimen sit attribuendum nisi verum auctorem detegas; 5° si quis aliquam dignitatem, beneficium, aut officium postulat, cujus est incapax; 6° si vir et uxor invicem narrent peccata, etiam gravia, filiorum aut famulorum; quia id necessarium est ad regendam bene familiam, cujus sunt judices domestici; 7° ad vitanda gravia tormenta, modo illud sine vi et fraude, et extra confessionem acceperis.

6. *An sit peccatum revelare publicum alterius crimen grave.* Nota, crimen dici tripliciter publicum seu notorium: 1° *publicum jure*, id est de quo con-

stat per juridicam sententiam, vel per confessionem rei in judicio, vel per legitimam testium depositionem. 2° *Publicum facto*, id est, quod in præsentia multorum est perpetratum, v. gr. in foro, in publica platea, etc. 3° *Publicum fama*, id est, cujus fama ex sufficientibus indiciis orta, pervenit ad multos, ita ut major pars civitatis, vel pagi, vel parœciæ, vel viciniæ illud noverit. Resp. 1° : Revelare crimen publicum jure seu notum per juridicam sententiam in loco ubi ignoratur, non est contra justitiam ; quia judex per hanc privat reum jure ad famam, cum hæc sit una ex pœnis judiciariis reorum crimina publice manifestari, et evulgari. Idem sentit Cajetanus, Navarra et Lessius, contra multos alios de crimine quod est publicum facto aut fama ; quia tunc reus videtur cessisse jure suo, quod habebat ad famam, non veritus facere hoc publice aut tali modo. Debet tamen istud crimen publicum esse absolute ; si enim tantum sit publicum in aliqua parva communitate, v. gr. monasterio, conventu, collegio, etc., non censetur publicum respectu aliorum. 2° Detegere tale crimen in loco, ad quem fama ejus ob commercia brevi erat perventura, non videtur esse peccatum saltem mortale ; at si non brevi est perventura, sæpe erit mortale contra charitatem, si ille erat ibi bonæ famæ, nisi ipsemet parum curet se alibi infamari, dum procul abest ; deinde si ob grave crimen fuerit publice per sententiam punitus, tunc illius revelatio videtur esse quædam justæ sententiæ exsecutio, adeoque licita ad aliorum exemplum. 3° Infamem in uno crimine, infamare de alio valde affini vel connexo, apud eos qui primum norunt, non est peccatum grave ; secus, si non sit affine.

7. *An fama cum periculo vitæ sit restituenda.* Resp. neg. ; quia nemo tenetur damna inferioris ordinis reparare per damna superioris ordinis.

8. *An si fama restitui nequeat, compensanda sit pecunia.* Resp. Nego, per se loquendo ; quia bona superioris ordinis, uti est fama respectu pecuniæ, quæ est tantum mensura rerum venalium, non debent nec possunt compensari per bona inferioris ordinis. Aliud est, si infamator a judice condemnetur ad pecuniariam satisfactionem pœnam criminis, quam pœnam ex justitia tenetur exsequi.

9. *An totum damnum quod sequitur ex infamia, sit compensandum.* Resp. affirmative : ita Lessius et alii.

10. *An hæredes injusti detractoris teneantur ad restitutionem famæ, si ipse eam non restituit.* Resp. Nego; quia ista obligatio est personalis ; tenentur tamen ad reparationem damnorum, quæ ex ista infamia secuta sunt, quia hæc obligatio est realis, adeoque transit ad hæredes.

11. *Quæ restitutio facienda sit in materia detractionis.* Resp. 1° : Qui dicendo falsum, alium infamavit, tenetur efficaciter id revocare, dicendo expresse, etiam jurando, si opus sit, se fuisse mentitum ; ad id tamen per se loquendo, non tenetur cum vitæ periculo nisi infamato simile ei periculum imminens ex calumnia, aut ingens reipublicæ vel communitatis damnum id exigat. 2° Qui verum alterius crimen, sed occultum, injuste evulgavit, tenetur ad restitutionem famæ et damnorum inde secutorum, dicendo v. gr. se male fuisse locutum, sine sufficienti fundamento et imprudenter id retulisse, se deceptum fuisse ; passim de illo cui detraxit, honorifice loquendo, maxime apud illos coram quibus detraxit. 3° Qui sine culpa evulgavit occultum alterius crimen, quod v. gr. credebat esse publicum, tenetur probabiliter ex justitia, certo ex charitate, errore deprehenso, ad famam reparandam, si possit fieri sine suo gravi incommodo.

12. *Quænam excusent a famæ restitutione.* Resp. : Hæc ; 1° justa condonatio, id est quæ fit ab eo cujus fama non redundat in alios : hinc non potest religiosus condonare, si ejus infamia redundet in ejus monasterium; 2° justa compensatio, si ab eo quem infamasti, pari modo es infamatus ; 3° si fama jam alio modo sit recuperata; 4° si infamia prudenter existimetur abiisse jam in oblivionem ; tunc non teneris, sive falsum imposueris, sive verum dixeris ; 5° si crimen occultum, quod aliquibus dixisti, fiat alia ratione publicum : tunc enim amisit jus restitutionis; 6° si restitutio sit impossibilis; 7° si non possit fieri sine periculo vitæ; 8° si non possit fieri sine amissione famæ quæ sit longe majoris momenti: v. gr. si prælatus, aut vir illustris infamaverit vilem personam, non tenetur cum jactura sui nominis ad bonum commune necessarii, ejus famam reparare. Tunc enim sufficit infamatum laudare, amice coram aliis excipere, eique velut in compensationem dare aliquam pecuniam ; 9° si nulla fuit secuta infamia, eo quod infamator nullius est fidei, vel quia auditores jam aliunde idem aut similia sciebant.

13. *An honor sit restituendus, et quomodo.* Resp. 1° : Qui injuste alterius honorem læsit ; v. gr. contumeliis, sannis, irrisione, alapa inflicta, tenetur ad satisfactionem sive id publice coram aliis, sive privatim coram ipso solo fecerit. 2° Honoris læsi restituendi varii sunt modi : 1. Restitui potest honor amica et honorifica salutatione aut compellatione ; et hic fere sufficit prælatis et superioribus, erga inferiores, et viris nobilibus erga plebeios. 2. Adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinando, etc. Hic modus sæpe sufficit, etiam inter eos qui sunt paris conditionis. 3. Petendo veniam : hoc modo uti debent inferiores erga superiores, et sæpe etiam æquales inter æquales.

CAPUT XII.

De restitutione pro injuriis per furtum illatis.

1. *Quid furtum et quomodo differat a rapina.* Resp. Furtum est occulta rei alienæ acceptio invito domino ; differt a rapina, quæ non fit occulte, sed vidente et retinente domino.

2. *An fur et raptor continue peccent donec restituant.* Resp. Fur et omnis iniquus rei alienæ vel debitæ alteri detentor, continue actu peccat, toto

eo tempore quo, cum possit, non restituit. Continue enim et voluntarie detinet rem alienam.

3. *An dum quis utitur re aliena, quam detinet invito domino, peccet novo peccato quotiescunque id facit.* Resp. Non esse novum, sed unum idemque peccatum continuatum.

4. *Quæ quantitas requiratur ad mortale peccatum furti.* Resp.: Ut furtum sit peccatum mortale, requiritur ut materiæ quantitas sit notabilis, non respectu omnium, sed respectu ad personam cui fit injuria. Spectata ergo opinionum varietate, quidam putant posse pro hisce partibus materiam sufficientem ad peccatum mortale moraliter loquendo, sic determinari : 1° a rege, principe, vel quovis alio opulentissimo furari unum circiter aureum ; 2° a divite mercatore triginta aut quadraginta asses ; 3° ab artifice ordinario, quindecim asses ; 4° ab operario paupere decem asses, vel quantum illi valet merces operæ diurnæ ; 5° a mendico quinque vel quatuor asses, uti a femina paupere quæ nendo vel alia opera diurna nonnisi quatuor asses lucratur ad vitam ægre sustentandam. Pro filiis autem familias, qui a parentibus furantur, major quantitas ad faciendum peccatum mortale requiritur : tum quia bona quæ subripiunt, sunt minus aliena ; tum quia parentes censentur minus inviti. Unde videtur facile duplum ejus, quod jam taxavimus, requiri ad constituendam respectu eorum materiam gravem. Deinde in his attendendum est maxime ad parentis facultates, liberalitatem, indulgentiam in liberos, etc., et an sit omnino et absolute invitus respectu tantæ summæ ; tunc enim erit mortale et obligatio restituendi, vel parenti vel cohæredibus, nisi censeatur parens remittere, et nolle obligare ad restitutionem. Hæc etiam adhuc magis habent locum in furtis esculentorum, factis a filiis aut famulis, in quibus domini non tam sunt inviti ratione rei acceptæ, quam modi accipiendi, ac proinde raro est mortale, nisi res illas accipiant ut aliis dent, vendant, etc.

Idem cum proportione dicendum de uxore subripiente bona mariti, imo et juxta quosdam de religiosis bona sui monasterii subripientibus, probabilius tamen et verius negatur ; tum quia religiosi profitentur majorem perfectionem, et voto paupertatis obstricti sunt, tum quia non sunt hæredes in spe bonorum monasterii, sicuti filii bonorum paternorum ; cæterum cum religiosi sint pars communitatis, penes quam residet dominium bonorum communium, videtur requiri pro illis etiam major quantitas ad constituendum peccatum mortale, quam pro externis subripientibus ejusdem monasterii bona ; minor tamen quam pro filiis familias.

5. *An plura furta levia possunt constituere peccatum mortale.* Resp. affirmative. 1° Qui per furta levia sæpe repetita intendit rem notabilem paulatim furari, sive ab eodem, sive a diversis, peccat mortaliter in singulis furtis ; quia singula sunt exsecutio voluntatis mortaliter malæ. Hinc qui ex tali fine utitur ponderibus et mensuris injustis, est semper et habitualiter in peccato mortali. 2° Qui absque intentione furandi rem notabilem, sed tantum ex occasione data successive furatur varia minuta, sive ab eodem sive a diversis, sic ut tandem deveniat ad quantitatem notabilem, peccet mortaliter in ea acceptione, qua complet summam notabilem ; quia statim atque ad notabilem quantitatem pervenit, nisi per inadvertentiam excusetur, jam incipit voluntarie detinere alienum in notabili quantitate. Et quamvis hæc ultima acceptio de se sit etiam venialis, ut conjuncta tamen cum iniqua detentione reliquæ quantitatis, est voluntaria illatio damni notabilis, adeoque ista detentio peccatum mortale : plus tamen requiritur in ejusmodi furtis minutis ad rem notabilem, quam si simul et semel res acciperetur, quia tunc dominus censetur minus invitus ; unde Lessius requirit circiter duplum. Deinde major quoque quantitas requiritur dum quis a diversis furatur, quam si ab eodem, et major, dum per longa intervalla, quam si per brevia : denique furta esculentorum et poculentorum, quæ fiunt a famulis et ancillis, et si sensim veniant ad notabilem quantitatem, non sunt peccata mortalia, si ea subripiant ut ipsimet consumant, non vero ut vendant, sintque ordinaria, quæ non solent accurate concludi.

6. *Dum plures uni per minuta furta grave damnum inferunt, quomodo peccent et ad restitutionem teneantur.* Resp. 1° : Si id fiat communi consilio, peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem in solidum, juxta multorum sententiam, ut in cap. 13, infra dicetur. 2° Si id casu fiat, ita ut alter alterius non sit conscius, nemo peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem totius : ita Lessius, Navarra, etc., quia nemo est causa notabilis damni. 3° Is qui alteri suo exemplo aut hortatione non est causa furandi, etsi sciat alios furari, non peccat ipse mortaliter modicum furando, neque sub mortali tenetur ad restitutionem. Quia ipse parum damni infert, et non est causa aut occasio ut alii furentur, ut supponitur.

7. *An liceat uti occulta compensatione, clam vindicando rem suam aut sibi debitam, quæ apud alterum est.* Resp. talem compensationem esse licitam his conditionibus : 1° ut res tua sit apud alium injusto titulo ; si enim justo titulo eam detineat, v. gr. pignoris, locationis commodati, etc., non potes eam occulte tibi vindicare seu recuperare, et si facis, teneris eam restituere. 2° Ut rem tuam aut tibi debitam alia via, v. gr. in judicio, vel sine magnis expensis recuperare non possis. Putant tamen varii qui hanc conditionem non observarit, non teneri in conscientia restituere. 3° Ut moraliter certum sit rem tuam esse, vel tibi ex justitia deberi ; si enim id esset dubium, non posses eam accipere ; nam in dubio melior est conditio possidentis. Similiter si non esset debita ex justitia, sed solum ex gratitudine. 4° Ut fiat ex rebus, quæ certo sunt debitoris. 5° Ut creditor sufficienter prospiciat, ne debitor bis solvat.

8. *An in extrema vel etiam valde gravi necessitate liceat aliena subripere.* Resp. : Quivis in extrema necessitate constitutus, potest accipere rem alienam, qua extreme indiget ad vitæ suæ conservationem ; in extrema enim necessitate omnia sunt communia. Imo probabile est non solum in extrema, sed etiam in gravissima necessitate, morbi, etc., posse te clanculum subripere ab opulentis, si aliter gravissimum illud malum avertere nequeas , adeoque non erit furtum, quia dominus consentire tenetur, nec potest esse rationabiliter invitus circa substantiam acceptionis, nisi forte circa modum accipiendi.

9. *Quomodo peccat aut non peccat filius expendendo vel subripiendo bona paterna.* Resp. 1°: Peccat si pecuniam quam parens ei dedit ad certos usus, v. gr. ad libros emendos, ad vestes, etc., expendat in alios, v. gr. in res turpes, in compotationes, etc. Non peccat autem, saltem graviter, si putet parentem rogatum facile consensurum, ut accipiat aut expendat certam pecuniam in usus honestos. 2° Si, dum versatur in studiis, vel extra domum paternam, expendat pecuniam juxta suum statum in ludum, eleemosynas, honestas recreationes, etc., non peccat.

10. *Quid liceat uxori circa bona domestica.* Resp. 1° : Non peccat, si det ex suis bonis quorum habet liberam administrationem. 2° Ex bonis communibus potest facere donationes et eleemosynas juxta consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis ; quod si maritus vetet, videtur vetare excessum. 3° Potest dare ad impediendum damnum, sive spirituale sive temporale. 4° Item non peccat, si pro rebus familiæ vel sibi necessariis, v. gr. pro vestibus, victu, medicamentis, ista bona expendat ; non potest enim maritus juste ea recusare. 5° Si maritus sit amens, vel absens, tunc ad eam pertinet administratio. 6° Si maritus est dissipator, potest sibi prospicere. 7° Si pater vel mater uxoris sint pauperes, nec maritus velit illis succurrere, potest aliquid ex bonis communibus vel ex dote sua subtrahere, ut illis det ; idem dic, si habeat proles ex alio matrimonio, et probabiliter etiam de fratre vel sorore uxoris.

11. *Si res furtiva pereat, an fur teneatur ad restitutionem.* Resp. 1°: Si res furto vel inique parta, casu pereat, fur tenetur ad pretii restitutionem ; secus vero, si casu vel justa hostium incursione certo erat peritura apud dominum. 2° Sed si rem vendidit, vel eam consumendo factus est ditior, etsi apud dominum certo fuisset peritura, tenetur tamen ad restitutionem, quatenus factus est ditior.

12. *Quomodo rem furtivam debeat fur restituere deductis tamen expensis quas dominus facturus fuisset.* Resp. 1° : Si res furtiva sit effecta melior; vel majoris pretii apud furem, et adhuc exstet, tota domino restituenda est, etiam cum illo incremento. 2° Si manserit in eodem statu, sufficit eam restituere uti est : lucrum tamen cessans, et damnum emergens ob istam detentionem, domino faciendum est, deductis expensis et laboribus. 3° Si autem effecta sit deterior et minoris pretii, quam erat antea, et idem eventurum erat apud dominum, qui eam ad hoc usque tempus erat servaturus, sufficit illam reddere ut nunc est. 4° Si dominus erat venditurus in optimo statu, tenetur fur restituere domino valorem totius pretii, quo eam vendidisset.

13. *Ad quid fur aut possessor malæ fidei teneatur.* Resp. 1° : Possessor malæ fidei tenetur restituere non solum rem alienam, sed etiam fructus ex ea perceptos, nempe fructus rei, non autem nudæ industriæ. 2° Non solum fructus perceptos, sed etiam non perceptos, quos dominus singulari sua diligentia percepisset, tenetur sarcire.

14. *An is qui impediendo est alteri causa damni, teneatur ad restitutionem.* Resp. 1° : Qui impedit ab aliquo bono obtinendo eum, qui habet jus in re vel ad rem, tenetur ad restitutionem quanti istud jus et ista spes ei valebat. 2° Qui impedit vi vel fraude eum qui tantum bene meritus est vel dignus, v. gr. a consequendo beneficio, officio, hæreditate, legato, donatione, etc., tenetur ad restitutionem quanti judicio viri prudentis ista spes ei valebat. Sed si solis precibus, blanditiis, muneribus, sine vi aut fraude, talem impedit ab obtinendo beneficio, officio, etc., licet id faciat ex odio, non tenetur ad ullam restitutionem. (Navarra, Sotus, et alii passim contra Cajetanum, etc.). Ratio est, quia iste non habet jus nisi in libera collatoris voluntate, cui relinquitur tota sua libertas, adeoque jus non violatur. 3° Si fraus vel injuria non censeatur vera causa damni secundum æstimationem moralem, sed tantum occasio, tunc non tenetur ad restitutionem, quia tunc damnum non sequitur ex vi actionis injuriosæ, sed aliunde.

15. *An qui in tempestate ejicit merces alienas, teneatur ad sarciendum damnum.* Resp. : Si is qui ejicit alienas, habeat suas, tenetur restituere alteri pro sua parte; sed si ipse nullas habeat non tenetur, quia jure naturæ quivis potest a se repellere id, quod ipsi afferret mortem.

CAPUT XIII.

De restitutione ob cooperationem ad furtum vel damnum.

Nota : numerantur novem hi modi cooperandi ad damnum alterius :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex priores modi sunt positivi ; tres posteriores negativi, Itaque

1. *An qui cooperantur positive ad injustum alterius damnum, semper teneantur ad restitutionem.* Resp. 1° : Si malum eodem modo erat patrandum absque tali cooperatione, non tenentur ad restitutionem : ita doctores communiter. Quia licet ista cooperatio fuerit criminosa, non tamen fuit efficax ; nec damnum ex illa tanquam ex causa secutum est; adeoque non fuit in actu secundo efficax damni causa. 2° *De jussione.* Cum jubens sit causa præci-

pua, tenetur de toto damno ante omnes : sufficit autem mandatum tacitum : v. gr. si dominus coram subdito declarat hoc obsequium sibi gratum fore ; non sufficit tamen ratihabitio, qua post patratum in sui gratiam crimen, sed sine ullo prævio jussu, illud approbet tanquam sibi gratum. 3° *De consilio.* Si consultor precibus tantum aut promissis damnum alterius suaserit, sed ante damni illationem sua dicta sufficienti modo revocaverit, ad nihil tenetur; excipe, 1. nisi ejus suasio, quamvis revocata fuerit in actu ; 2. causa efficax damni : ut si suasor modum faciendi furti excogitavit et indicavit, uti nec tenetur qui consuluit minus damnum inferri alicui, ne eidem majus inferretur ; utiliter enim gessit ejus negotium. 4° *De consensu.* Quando alicujus consensus aut suffragium requiritur, ut res aliqua fiat cum injusto alterius damno, v. gr. bellum, etc., consentiens tenetur de toto damno, si sine ejus consensu non est inferendum damnum ; secus, si sine tali consensu damnum erat æque inferendum. 5° *De palpone.* Quando aliquis ex alterius vel laudatione vel exprobatione impellitur ad inferendum damnum, hic tenetur de damno. 6° *De recursu.* Qui ad se dat furi recursum, tenetur ad restitutionem totius damni, si sua protectione est causa, non per accidens, sed per se, cur damnum jam factum non reparatur, vel novum committatur. Dixi *per se*, id est scienter et sine justa causa. 7° De participante. Qui est tantum participans furti, hic tenetur ad restitutionem, pro ea parte quæ ei obvenit ; qui autem est particeps injustæ acceptionis aut damnificationis adjuvando ad ipsam exsecutionem, v. gr. scalam furi applicando, excubias agendo, instrumenta suppeditando, etc. : hic tenetur ad restitutionem in solidum ; nisi metu gravis mali compellatur facere aliquid, quod de se est indifferens et non per se malum, v. gr. injustas militum prædas abigere.

2. *Qui cooperantur negative, ad quid teneantur.* Resp. Si obligabantur ex justitia impedire damnum, tenentur ad damni restitutionem ; secus, si obligabantur tantum ex charitate. Potest autem quis obligari ex justitia, vel ratione officii, v. gr. si princeps, magistratus, etc., omittant impedire latrocinia, dum possunt ; vel ex contractu aut quasi contractu, v. gr. tutores vel curatores, quoad damna pupillorum et minorum ; custodes pecorum, etc.

3. *An cooperantes teneantur omnes restituere in solidum.* Resp. 1° : Qui ita cooperantur ut sint causa efficax totius damni, tenentur restituere in solidum ; id est, solvere totum damnum non absolute, sed velut conditionate, et in defectum sociorum. Qui autem sic cooperati sunt, ut fuerint tantum causa partialis damni, hi solum tenentur pro parte. Hinc milites, qui communi consensu et consilio, et mutua cohortatione spoliant domum, pagum, oppidum, etc., tenentur in solidum ; tenentur autem solum pro parte, qui tantum participant de præda injusta jam capta, uti et ii, qui independenter ab invicem furantur, conculcant sata, domum spoliant, licet forte eodem tempore, et eadem occasione id ab aliis fiat. 2° Ex iis qui tenentur restituere in solidum, alii tenentur primario, alii secundario ; si is qui tenetur primario, damnum restituat, vel condonationem a domino obtineat, cæteri omnes liberi sunt. Si autem unus ex iis qui secundario tenentur, totum restituat, habet jus repetendi ab eo qui primario tenetur, et in ejus defectum ab aliis secundario obligatis pro rata, aut etiam a quovis illorum in aliorum defectum. 3° Inter eos qui obligantur in solidum, hic ordo servandus est : 1. ante omnes tenetur is apud quem res in se, aut in æquivalenti ; 2. mandans, vel qui fraude, vi aut minis induxit ; 3. exsecutor : in horum defectum tenentur cæteræ secundariæ causæ positivæ, et probabiliter nullo inter se ordine ; denique cooperantes negative.

CAPUT XIV.

De restitutione rei acceptæ.

1. *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, qui rem alienam habet, aut consumpsit, aut vendidit.* Resp. 1° : Qui habet rem alienam putans esse suam, statim ac scit esse alienam, tenetur domino restituere : nec potest pro ea datum a se pretium exigere, si eam, licet bona fide, sibi emerit ; si tamen animo restituendi exiguo pretio eam emerit, potest pretium a se datum exigere, teneturque rei dominus illud reddere, quia utiliter rem ejus gessit. 2° Si is qui rem alienam bona fide possidebat, eam consumpsit aut alienavit, solum tenetur restituere id, quo inde factus est ditior. 3° Si rem alienam alteri bona fide vendiderit, tenetur, domino comparente, contractum venditionis rescindere, et pretium acceptum reddere emptori ; quia quilibet venditor tenetur emptori suo de evictione ; unde non satisfacit cedendo et solum actionem adversus furem, a quo ipse rem emerat. Si autem domino rem suam repetente, non reperiatur is cui res vendita fuit, non tenetur venditor bonæ fidei, pretium acceptum, licet adhuc totum illud habeat, restituere, nisi quatenus ex eo factus est ditior ; quia pretium illud est venditoris, non domini rei venditæ : ita doctores communiter.

2. *An possessor bonæ fidei teneatur etiam, fructus perceptos restituere.* Resp. 1° : Tenetur restituere exstantes fructus *naturales*, *mistos et civiles*, deductis tamen expensis et laboris sui æstimatione : res enim quælibet domino suo fructificat ; 2° si non exstent ejusmodi fructus, restituere solum tenetur, quantum ex iis factus est ditior ; 3° non tenetur ad restitutionem fructuum, quos ob suam negligentiam non percepit, et quos sola sua industria acquisivit, v. gr. negotiando.

3. *An qui bona fide a fure accepit rem alienam, possit eam furi, et non domino restituere.* Resp. 1° : Si gratis eam a fure accepit, sciens esse alienam,

tenetur domino restituere, non furi; nisi moraliter certum sit furem eam domino redditurum. Tunc enim expedit eam furi reddere, ut sic facilius consuli possit ejus honori. 2° Si autem titulo oneroso, v. gr. emptionis, eam a fure accepit, nec potest pretium datum aliter recuperare quam reddendo furi rem acceptam, an tunc possit rem furi reddere et recipere pretium, quamvis ipsi constet furem eam domino non restituturum, utrimque fere æquali probabilitate alii affirmant alii negant. Affirmantes dicunt non teneri innocentem cum tanto suo incommodo, quale est amissio pretii, rem alienam ita indemnem reddere, ut non liceat illam in eodem statu in quo erat, reponere. Negantes, suas etiam habent rationes. Sed nota emptorem non posse istam rem furtivam alteri vendere ad se reddendum indemnem.

4. *An qui dubitat utrum si res aliena, possit eam accipere, retinere, alienare.* Resp. 1° : Si post acceptam rem, incipiat dubitare, et post diligentem inquisitionem maneat in dubio non tenetur eam restituere; quia manet in possessione bonæ fidei adeoque potest illam alienare, seu vendere, donare, etc. 2° Si dubitet antequam eam accipiat, potest illam emere animo illam reddendi domino, quando poterit inveniri; non vero animo eam absolute retinendi.

5. *An, et cui restituenda sint bona incerta.* Nota : Bona incerta dicuntur, quæ alicujus sunt, vel alicui debentur, sed facta diligenti inquisitione nescitur cujus sint; non censentur tamen incerta, quæ constat deberi cuipiam parvæ communitati, v. gr. pago ab hostibus spoliato. Incerta autem, alia sunt quæ habentur ex delicto, v. gr. furto, usura, etc.; alia, quæ habentur ex licito contractu, v. gr. ex deposito, commodato, dum resciri nequit illorum dominus. Nunc

Resp. 1° : Bona incerta habita ex delicto, restituenda sunt in pauperes aut in pias causas, si non jure naturali, saltem jure positivo; 2° habita ex licito contractu, juxta communissimam doctorum sententiam et piorum consuetudinem, etiam in pauperes vel pias causas expendenda sunt. Si is qui habet hæc bona, sit vere pauper, potest ea tanquam unus e pauperum numero retinere. Si autem postea dominus comparuerit, tenetur rem restituere si adhuc exstat; si non exstet, ut illam aliis pauperibus dederit ad nihil tenetur.

6. *An acceptum ob turpem causam, v. gr. pro fornicatione, homicidio, aliove crimine sit necessario restituendum.* Resp. 1° : Si solum jus naturæ spectetur, acceptum ob turpem causam, opere impleto, non est necessario restituendum, sive istud opus sit contra justitiam, sive non sit : quia qui dedit libere et libenter dedit; ergo nil ei restituendum, 2° Verius etiam videtur neque jure positivo id necessario restituendum; quia leges, quæ pacta turpia rescindunt, non ideo reddunt irritam rei acquisitionem ex tali causa.

CAPUT XV.

De restitutionis ordine servando, loco, expensis.

1. *Quis ordo servandus in solutione certorum debitorum.* Resp. 1° : Inter debita ex delicto et debita ex justo contractu, juxta veriorem sententiam, nullus videtur ordo servandus; 2° si res aliena exstat in specie apud debitorem, ante omnia restituenda est domino; quia solus habet jus in re; 3° Si non exstat, prius solvenda sunt debita certi creditoris, quam incerti; 4° debita titulo oneroso præferuntur debitis titulo gratuito, v. gr. promissionis; 5° inter debita titulo oneroso, præferuntur debita facta pro funere, testamento, et inventario; 6° debita hypothecata; 7° debita privilegiata v. gr. quæ debentur reipublicæ, etc.

2. *Quo loco et cujus expensis facienda est restitutio.* Resp. 1° : Possessor malæ fidei, debet rem restituere suis sumptibus eo loco in quo dominus illam possessurus erat, si ablata non fuisset; vel ejus pretium, si sumptus essent majores faciendi quam ipsa res valeret. 2° Possessor bonæ fidei non tenetur ad ullos sumptus, sed debet tantum rem restituere ubi habetur, vel mittere ad Dominum, sed expensis Domini; si missa pereat aut non tradatur domino, perit domino, non mittenti. Secus in possessione malæ fidei.

CAPUT XVI.

De causis excusantibus a restitutione.

1. *Causa, impotentia debitoris, sive physica, sive moralis quandiu durat :* v. gr. si ex restitutione secutura sit extrema vel gravis ejus aut parentum necessitas, magnum animæ vel suæ vel suorum periculum, eversio status honorifici juste acquisiti (si esset rapinis, vel usuris injuste acquisitus, a facienda statim restitutione non excusaret), notabile ejus detrimentum in rebus non debitis : ut si deberet vendere prædium suum multo minoris quam valeat, modo eadem incommoda aut par necessitas non immineant creditori ex dilatione aut omissione restitutionis.

2. Remissio creditoris, modo sit omnino libera, nec fraude nec metu, nimiave debitoris exagitatione extorta.

3. Cessio bonorum coram judice facta, per quam debitor retentis ad tenuem sustentationem necessariis, profitendo suam impotentiam, renuntiat suis bonis, ut ex iis, quantum fieri potest, satisfaciat creditoribus, et non ulterius ab his inquietetur. Sed si debitor postea ad pinguiorem fortunam pervenerit, tenetur integre satisfacere.

4. *Damnum ipsi creditori,* aut alicui tertio probabiliter eventurum ex restitutione; ut si gladius sit restituendus homini furioso aut irato, quo putetur sibi aut alteri nociturus.

5. *Solutio facta creditori ipsius creditoris :* v. gr. si tibi debeam centum florenos, et tu tantumdem debeas fratri meo; si solvam fratri, tibi non amplius obligor in conscientia; nempe si in utroque debitore par fuerit obligationis æqualitas.

6. *Rei debitæ interitus;* id est, si res aliena debita in specie, v. gr. equus interierit, ejus interitu excusaris a restitutione, modo tamen nec delictum, nec mora debitoris intervenerit, nec pactum de præstando casu fortuito, etc.

Aliæ causæ, quas hic affert Lessius, apud ipsum videri possunt.

CAPUT XVII.

De contractibus in genere.

1. *Quid contractus et pactum; quot modis fit.* Resp. 1° : Contractus est ultro citroque obligatio, id est pactum utrinque obligationem pariens : pactum autem est duorum pluriumve in idem placitum consensus; unde est quid latius quam contractus, qui est ejus species; distinguitur ab eo per hoc, quod contractus importet utrinque obligationem, pactum vero ab eo abstrahat. 2° Contractus quatuor modis fit, nimirum re (sive rei traditione, v. gr. pignore), scriptura, verbis, consensu. 3° Obligatio proveniens ex contractu est triplex : *naturalis*, id est, quæ urget in conscientia, sed non parit actionem in foro externo; *civilis*, quæ in conscientia non ligat, parit tamen actionem in foro externo; *mista*, qua civilis conjungitur cum naturali; seu quæ ligat et in conscientia, et in foro externo.

2. *Quomodo dividitur contractus in genere.* Resp. 1° : In *nominatum*, qui habet speciale nomen, v. gr. emptio; et in *innominatum*, qui non habet speciale nomen, sed genericum tantum; suntque hæ quatuor species : Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. 2° In *gratuitum*, in quo nihil rependitur, ut donatio; et in *onerosum*, in quo aliquid rependitur, ut locatio. 3° In *pactum nudum*, quod sistit intra terminos meræ conventionis, nec ullum habet a jure civili fundamentum quo pariat actionem in foro externo, ut simplex promissio acceptata; et in *pactum vestitum*, quod præter conventionem partium habet aliquid annexum, ratione cujus parit actionem civilem, ut contractus nominati in suo genere perfecti.

3. *An pactum nudum pariat obligationem.* Resp. Licet in foro externo non pariat, parit tamen in interno, seu in foro conscientiæ, nisi jure positivo sit irritum : quia jure naturali tenetur quisque præstare quod promisit, altero acceptante. Imo juxta Lessium parit actionem in utroque foro, si juramento confirmetur.

4. *An contractus, cui error vel dolus causam dedit, sit validus.* Resp. : Error antecedens, seu dans causam contractui, qui versatur circa substantiam rei, vel circa naturam contractus, vel circa illius motivum principale, invalidat contractum jure naturæ; v. gr. si quis emat vitrum putans esse gemmam, aut consentiat in contractum putans esse locationis, cum sit venditionis; quia tunc non habetur consensus substantialis essentialiter requisitus ad contractum. Hinc circumstantia personæ in contractibus onerosis, in quibus nihil aut parum interest cum quo contrahatur, ordinarie est accidentalis, v. gr. vendo Petro, putans esse Paulum; at in gratuitis, v. gr. in promissione, donatione, etc., uti et in matrimonio, est substantialis, invalidatque contractum. 2° Error vel dolus qui versatur circa qualitatem accidentalem, et est tantum concomitans, seu non dat causam contractui, non invalidat contractum, ut si rem pluris emisti quam valeat; quia tunc invenitur sufficiens voluntarium, et consensus substantialis. Imo quamvis dedisset causam contractui, jure naturæ non invalidat contractum, quia habetur sufficiens consensus circa substantialia, v. gr. error vel dolus circa divitias, nobilitatem, etc., in contractu matrimonii; nisi contrahendo habuerit voluntatem non contrahendi cum tali defectu. Si tamen dolus proveniat a parte contrahente, videtur posse rescindi et irritari pro arbitrio decepti, si sit solubilis. Quod addo propter contractum matrimonii qui est indissolubilis. Si autem dolus inscio contrahente sit adhibitus ab aliquo tertio, probabilius est, partem læsam non posse resilire, quia contrahens non fecit injuriam; ei tamen jure civili competit actio de dolo contra deceptorem.

5. *An contractus cui metus causam dedit sit validus.* Resp. 1° : Contractus ex metu gravi, etiam a parte contrahente injuste incusso ad extorquendum consensum, jure naturali non est invalidus; habetur enim consensus simpliciter voluntarius. Imo ordinarie nec jure positivo, ut probatur ex variis legibus, quæ illum admittunt, exceptis quibusdam, v. gr. contractu matrimonii, etc. Quamvis tamen hi contractus non sint omnino irriti, possunt tamen in foro conscientiæ rescindi et in irritum revocari pro arbitrio ejus qui metum passus est, si metus injuste incussus fuit ad extorquendum contractum; quia qui metum incussit, injuriam alteri intulit, adeoque tenetur eam reparare prout cupit alter. Dixi *injuste;* quia si juste incutiatur, v. gr. ut is qui violavit virginem, illam dotet aut ducat, contractus non potest irritari. Dixi *ad extorquendum consensum*, quia si metu latronum aut naufragii, promittas alteri pecuniam ut te liberet, valida est absolute promissio, nec potest rescindi pro lubitu. 2° Contractus ex metu levi initus, quamvis etiam sit in se validus, nec in jure civili detur actio ad ejus rescissionem, tamen in foro conscientiæ videtur etiam posse rescindi, saltem quando metus incussus est a parte contrahente, quia intercessit etiam injuria minuens voluntarium; sed excipe matrimonium, votum, etc.

6. *An contractus de re turpi, v. gr. de patrando homicidio, furto, fornicatione*, etc., *sit validus.* Resp. 1° : Re turpi necdum impleta, non est simpliciter validus, alioqui enim obligaret ad patrandum flagitium; sed rescindi debet; impleto tamen opere turpi, subsistit, quantum est ex jure naturæ, et

obligat ex justitia promittentem ad solvendum pretium; et si jam solutum sit, non tenetur restituere; quia licet opus malum qua tale, non sit pretio æstimabile, est tamen æstimabile quatenus uni contrahentium est utile vel delectabile et alteri laboriosum ac periculosum. 2° Cæterum hujusmodi contractus, sive ante, sive post opus impletum, jure civili sunt invalidi, excepto pacto de mercede meretricis, quod jura relinquunt in suo vigore naturali. Non obstante tamen jure civili probabilius hi contractus retinent vim naturalem obligandi in foro conscientiæ, sic, ut opere impleto teneatur promissor in conscientia pactam mercedem dare, et promissarius possit acceptam retinere; quia leges civiles sic sunt interpretandæ, ut non derogent dispositioni juris naturalis. Cæterum, excepto casu meretricis, utrinque obligatio non est ita certa.

7. *Quinam possint valide contrahere.* Pro quo nota: *Infans* dicitur, qui septennio minor est; *impubes*, in masculis, qui nondum explevit annum decimum quartum, in feminis, duodecimum; *pupillus*, qui adhuc impubes, desiit esse sub patris potestate, vel ejus morte, vel emancipatione; *minor*, qui jam pubes, non est sub patris potestate, et nondum explevit annum vicesimum quintum; *major*, qui explevit, estque sui juris; *filiusfamilias*, qui adhuc est sub patria potestate. Nunc

Resp. 1° : Omnes et soli qui liberam habent rei administrationem, aut facultatem legitimam ab eo, qui illam dare potest, possunt valide contrahere : ideo infantes, perpetuo amentes, religiosus sine facultate sui superioris, contrahere non possunt.

2° Filiusfamilias impubes, licet pubertati proximus, ex nullo contractu, etiam inito de patris consensu, obligatur civiliter, quod etiam de bonis castrensibus verum est. Si autem sit pubes, et contraxerit de suis bonis, quamvis patre inconsulto, contractus est validus civiliter.

3° Pupillus pubertati proximus, si cum tutoris auctoritate contrahat, obligatur naturaliter et civiliter; idem est de minore contrahente cum curatoris auctoritate : intellige de bonis quæ tutores aut curatores alienare possunt, ut sunt mobilia, non pretiosa; pretiosa enim, uti et immobilia alienari nequeunt, nisi accedente judicis decreto, et probata causa.

4° Pupillus pubertati proximus, contrahens sine tutoris consensu, et minor habens curatorem, contrahens sine ejus auctoritate, valide contrahunt in suum commodum, non autem in suum incommodum; unde ipsi non obligantur, saltem civiliter, licet alios obligent. An autem obligentur naturaliter, utrinque probabiliter controvertitur; saltem non videtur obligatio tam perfecta, ut nequeat vel judicis, vel etiam tutoris auctoritate tolli. Idem dic de filiofamilias contrahente, ut dictum est supra num. 2.

CAPUT XVIII.

De promissione et donatione.

1. *Quid sit promissio, donatio et stipulatio.* Resp. 1° : *Promissio* est deliberata et gratuita fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona et possibili. 2° *Donatio* est datio liberalis : si sit donatio realis, transfert rei datæ dominium; si sit verbalis tantum, quamvis a se sit sufficiens ad transferendum dominium, jure tamen positivo impeditur, ne transferat, nisi secuta reali traditione. Dicitur *liberalis*, quia non est datio rei alias debitæ. 3° *Stipulatio* est contractus, qui fit præcedente interrogatione creditoris, et secuta responsione debitoris.

2. *An promissio aut donatio interna homini facta obliget.* Resp. Neque obligat jure positivo, quia ad hoc requiritur acceptatio : quandiu autem promissio manet interna, haberi acceptatio nequit; neque etiam jure naturæ, quia contractus obligatorius debet esse signum practicum exercite manifestativum voluntatis se obligandi; promissio autem aut donatio mere interna non est talis. Ergo. Dixi, *facta homini;* quia facta Deo, qui corda intuetur, certo obligat. Si autem interne promittens adjunxerit juramentum, tunc tenebitur, non ex justitia, sed ex religione in Deum, exsequi suam promissionem internam.

3. *An promissio aut donatio externa obliget ante acceptationem.* Resp. 1° : Jure civili non obligare, saltem regulariter, ut patet ex ipsis legibus; nec jure canonico, cum nihil statuat contrarium juri civili. Dixi *regulariter*, quia excipiuntur pollicitationes factæ reipublicæ, civitati, Ecclesiæ, etc. 2° Neque obligare etiam jure naturæ, juxta probabiliorem sententiam : quia promissio et donatio sunt species pacti, quod essentialiter requirit mutuum duorum aut plurium consensum, qui hic non habetur. Hinc sequitur, si quis ante acceptationem revocet suam promissionem aut donationem, eam postea invalide acceptari. Similiter si per epistolam vel nuntium aliquid promittas, vel donandum tradas, potes consensum tuum ante acceptationem revocare; et si revoces, idque nuntio ante exsecutionem innotescat, acceptatio erit invalida. Imo quamvis non innotescat, erit adhuc invalida, si is quem misisti, habet se pure per modum nuntii referentis promissionem aut donationem factam, vel tradentis rem donatam; secus vero, si habeat mandatum faciendi promissionem vel donationem tuo nomine; hanc enim valide faciet, quandiu illi non innotuit revocatio a te facta. Acceptare autem pro absente potest is, qui habet a promissario commissionem, et quicunque est sub ejus potestate, v. gr. filius pro patre, etc.

4. *Quomodo obliget promissio externa legitime acceptata.* Resp. Promissio externa legitime acceptata, facta cum intentione se obligandi ex justitia, obligat sub mortali si sit de re gravi; nisi promittens expresse intenderit non se obligare graviter, quamvis in re gravi, quod eum posse facere proba-

bile est; obligatio enim promissionis, ait Molina, pendet ex intentione promittentis : promissio autem facta cum intentione solum se obligandi ex fidelitate, de se obligat tantum sub veniali, quamvis sit in re gravi. Porro censetur communiter esse obligatio justitiæ et sub mortali, quando promissio fit adhibita scriptura publica, aut chirographo, aut testibus, etc. Alias sæpe censenda est solum obligatio ex fidelitate et honestate morali, aut esse simplex assertio seu propositum : quæ omnia pendent ex circumstantiis.

Ut autem censeatur materia gravis in casu promissionis gratuitæ, multo plus requiritur quam in furto vel debito ex contractu oneroso. Sanchez requirit quadruplo plus quam in furto; Lugo dicit hoc pendere ex intentione promittentis.

5. *Quænam promissiones sint invalidæ.* Resp. 1° : Jure naturæ sunt invalidæ illæ, quarum impletio est illicita : nemo enim potest obligari ad peccatum ; 2° illæ quæ præbent occasionem peccandi ; 3° illæ quæ adimunt libertatem disponendi de rebus suis, v. gr. circa testamenti dispositionem, et similia quæ in jure dicuntur contra bonos mores civiles.

6. *Quinam donare possint, et qui non.* Resp. : Donare possunt illi omnes et soli, qui habent dominium rei et liberam ejus administrationem cum potestate alienandi, vel saltem facultatem expressam aut tacitam ab eo, cui competit talis administratio. Hinc 1° amentes seu usu rationis carentes, prodigus a magistratu positus sub curatore, impubes donare non possunt. 2° Filiusfamilias, etiamsi pubes sit, non potest donare sine consensu expresso vel tacito patris, nisi habeat bona castrensia, vel quasi castrensia. Vide supra cap. 4 et 12, etc. 3° Similiter minor viginti quinque annis si curatori subsit, non potest sine expresso vel tacito consensu sui curatoris. 4° Non potest uxor sine consensu mariti, nisi prout explicatum est supra (cap. 12). 5° Religiosus non potest sine consensu prælati. 6° Donationes conjugum inter se jure communi sunt invalidæ, ita ut ad arbitrium donantis sint revocabiles, exceptis quibusdam casibus; item donatio patris facta filio nondum emancipato est invalida, ita ut pro lubitu patris possit revocari.

7. *Quantum quis valide donare possit.* Resp. 1° : Donatio inter vivos, qua quis donat alicui omnia sua bona, tam futura, quam præsentia, jure communi est invalida; quia per hanc donationem aufert sibi potestatem testandi, quod leges reprobant tanquam contra bonos mores civiles : excipe nisi fiat Ecclesiæ aut in causam piam, vel nisi juramento confirmetur. 2° Jure communi potest quis valide donare usque ad quingentos solidos, id est circiter duo millia florenorum; ultra hanc summam donatio est invalida quoad excessum, nisi judici insinuetur ut in acta publica referatur per tabellionem; iste tamen excessus retineri potest quandiu non repetitur. Per donationem hic intellige etiam remissionem debiti liquidi ac certi. 3° Mortis causa donatio omnium bonorum, qua quis sic ea donat, ut tandem post mortem suam fiant absolute et irrevocabiliter talis hominis, est valida; quia hæc non adimit potestatem testandi, cum possit donator, ea non obstante, alium hæredem constituere.

8. *Ob quas causas donatio inter vivos etsi sit acceptata et res tradita, revocari possit.* Resp. · Ob has causas : 1° Ratione ingratitudinis, qualis censetur, si donatarius donatorem suum gravi injuria affecerit, violentas manus ei injecerit, ejus vitæ insidiatus fuerit, adjectum donationis modum non impleverit. 2° Ratione prolis susceptæ, ut si quis prole carens magnam bonorum suorum partem donarit, et postea nascatur ei proles. 3° Ratione inofficiositatis, id est, contra officium pietatis paternæ in liberos, ut si pater tam profuse donet, ut filii priventur sua legitima bonorum portione.

9. *An promissio aut donatio conditionalis sit valida.* Resp. 1° : Conditio præsentis vel præteriti temporis addita donationi, non hanc suspendit, sed si conditio exsistit, aut exstitit, valet donatio; si non exsistit, aut non exstitit, non valet. 2° Conditio futuri temporis incerti suspendit donationem usque ad eventum conditionis, ut si dicas : Promitto tibi centum florenos si fias religiosus; ex ejusmodi tamen promissione vel donatione acceptata, statim nascitur obligatio in donatore et jus in donatario, quod nequit revocari a donatore sine justa causa. 3° Si hæc conditio futuri contingentis non fuerit impleta suo tempore, donatio non obligat. 4° Conditio de re vere impossibili, v. gr. si saltaveris usque ad lunam, invalidat donationem. Idem dic si apponatur turpis de futuro, v. gr. si istum occideris, quia hæc directe ad peccatum allicit; secus, si de præsenti aut præterito, quia hæc ad peccatum non allicit. Excipe donationem causa mortis, et contractum matrimonii, in quibus ex speciali juris dispositione, conditio impossibilis habetur pro non adjecta, seu relinquit donationi vim naturalem statim obligandi independenter a conditionis impletione. Sic aliæ variæ conditiones habentur pro non adjectis : v. gr. do tibi centum florenos, si non fias religiosus, etc.

CAPUT XIX.

De deposito, sequestro et commodato.

1. *Quid sit depositum.* Resp. : Est contractus gratuitus, quo res alicui custodienda traditur.

2. *Quid sequestrum, quod est species depositi.* Resp. : Est contractus quo res, de qua inter duos litigatur, apud tertium deponitur, qui sequester dicitur, donec statuatur cujus esse debeat. Sequestratio, alia voluntaria, quæ fit ex partium consensu; alia involuntaria, quæ fit a judice.

3. *Quid commodatum.* Resp. : Est contractus quo res ad solum usum gratuite conceditur, ut post aliquod tempus eadem numero reddatur. Sumptum pro re, est res, sive mobilis, sive immobilis, non tamen usu consumptibilis, ad usum temporalem gratuito concessa.

4. *Quæ sint obligationes depositarii.* Resp. : Tene-

tur rem custodire ; si res pereat, et depositum factum sit in favorem solius deponentis, tenetur tantum de dolo et culpa crassa; si autem cedat in utriusque utilitatem, v. gr. si accipiat mercedem pro custodia, tenetur etiam de culpa levi. Imo nautæ, aurigæ, caupones, quorum curæ res aliqua commissa est, tenentur de culpa levissima, saltem post sententiam judicis. Quod si depositio facta sit in commodum solius depositarii, is etiam de culpa levissima tenetur.

5. *An depositarius possit uti re deposita.* Resp. Non posse sine expresso aut tacito deponentis consensu. Si tamen depositum sit res usu consumptibilis, v. gr. triticum, vinum ; item pecunia, modo non sit clausa vel obsignata ; et depositarius certus sit, se cum dominus eam repetierit, tantumdem ejusdem generis et bonitatis in promptu habiturum, non erit peccatum, saltem mortale, re deposita uti.

6. *Quæ sint obligationes commodatarii et commodantis.* Resp. 1° Commodatarius tenetur non uti re commodata nisi ad usum concessum ; v. gr. equo ad itinerandum commodato uti non potest ad arandum. 2° Si res commodata sit in commodum solius commodatarii, et pereat aut deterior fiat, tenetur de culpa etiam levissima; si in commodum solius commodantis, tantum tenetur de dolo et culpa crassa ; si in commodum utriusque, tenetur de culpa levi. De casu fortuito non tenetur nisi de hoc convenerit, aut fuerit in mora culpabili, aut causam fortuitam aliqua ejus culpa præcesserit : v. gr. si monitus viam esse infestam latronibus, etc., eam nihilominus equo commodato ingressus fuerit sine commodantis consensu. 3° Tenetur ad cibaria et modicas expensas circa rem commodatam ; non autem ad extraordinarias. 4° Tenetur rem commodatam suo tempore restituere, etiam non petenti, nec factam deteriorem, nisi quatenus id ex usu concesso necessario accidit. 5° Commodans tenetur rem ante tempus non repetere ; et si repetat, de damno, si quod inde obvenerit : tenetur etiam aperire vitium rei commodatæ, et si non aperiat, de damno inde secuto ; item ad expensas extraordinarias.

CAPUT XX.

De fidejussione, assecuratione, pignore et hypotheca.

1. *Quid fidejussio ; et quinam possint fidejubere.* Resp. 1° fidejussio est susceptio obligationis alienæ in eventum quo alter eam non impleverit. Hæc obligat non solum fidejussorem, sed etiam ejus hæredes; cessat tamen, si obligatio principalis sit invalida aut exstinguatur. 2° Possunt valide fidejubere omnes illi qui possunt principaliter obligari, nisi per legem sit eis prohibitum.

2. *Quid sit assecuratio.* Resp. Est contractus quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis, vel certo pretio, ad eam compensandam, si perierit. Ad justitiam hujus contractus requiritur æqualitas inter pretium quod assecuranti datur, et obligationem quam in se suscipit, juxta qualitatem periculi. Hinc si assecurator certus sit, rem ante contractum pervenisse ad terminum, v. gr. ad portum in quem illam assecurat, non potest pretium exigere ; aut si mercator, qui rem suam assecurare cupit, certo sciat eam periisse, non potest pacisci de ejus assecuratione, nec poscere ejus æstimationem sibi restitui.

3. *Quid sit pignus et hypotheca.* Resp. Sumuntur tripliciter : pro re oppignorata, pro contractu, et pro jure ex contractu resiliente. Pignus et hypotheca late est res quæcunque alteri obligata ad securitatem debiti, ut inde petatur satisfactio, si aliter non solvatur : stricte autem pignus, est res mobilis, hypotheca immobilis taliter obligata, etc. Hypotheca, alia omnium bonorum, alia aliquorum ; alia expresso actu facta, alia lege constituta : sic bona tutoris vel curatoris lege sunt hypothecata pupillo vel minori pro administratione bonorum ; bona mariti pro dote uxoris.

4. *Quæ possunt vel non possunt hypothecari.* Resp. 1° Ea non posse hypothecari, quæ vendi nequeunt, v. gr. ecclesia, sepulcrum, jus patronatus, homo liber. 2° Cæteræ res oppignorari possunt ab iis qui earum liberam habent administrationem, sive sint immobiles sive mobiles, sive incorporales, v. gr. census, jura, debita, actiones, etc.; creditores hypothecarii aliis præferuntur.

CAPUT XXI.

De mutuo.

1. *Quid sit mutuum sumptum pro contractu.* Resp. Est traditio seu datio rei pondere, numero, vel mensura constantis, eo animo facta, ut fiat statim accipientis, cum obligatione, ut alia ejusdem speciei ac bonitatis postea reddatur. Dicitur 1° *Datio*, quia hic contractus re perficitur ; 2° *rei pondere*, etc., quia hæ solæ res sunt materia mutui quæ functionem recipiunt, id est, quæ in eodem genere ita sunt similes, ut in commutationibus et solutionibus, una pro alia indifferenter substitui et vice alterius fungi possit ; v. gr. vinum, triticum, pecunia numerata, etc. 3° *Ut statim fiat accipientis*, quia mutuum transfert rei dominium. 4° *Cum obligatione*; ut excludatur donatio. 5° Dicitur *alia*, quia vi mutui non debet reddi eadem numero. 6° *Ejusdem speciei et bonitatis*, nempe moraliter, non physice. 7° *Postea*, quia si fit obligatio statim reddendi, erit simplex permutatio, non mutuum.

2. *Quæ sint obligationes mutui.* Resp. Mutuans tenetur tradere rem non vitiatam, et non repetere ante tempus. 2° Mutuatarius tenetur tempore præfixo rem non vitiatam reddere, et si sit in mora, tenetur de damno secuto et lucro cessante : item tenetur de omni casu fortuito, cum statim acquirat rei dominium, cum onere tantumdem reddendi. 3° Ex mutuo non obligatur civiliter, imo secluso juramento, nec naturaliter, saltem perfecte, filiusfamilias, si sine patris consensu mutuum accepit, quia jus civile juste id statuere potuit, tum in odium feneratorum, tum ad præcidendas multorum malorum occasiones.

CAPUT XXII.

De usura.

1. *Quid et quotuplex sit usura.* Resp. 1° Usura sumitur tripliciter, pro lucro usurario, pro contractu usurario, pro voluntate usurarie contrahendi. Sumpta *pro lucro* est aliquid temporale pretio æstimabile, quod ultra sortem, vel summam mutuo datam, et ut vocant *capitale*, recipitur tanquam debitum ex justitia præcise ratione mutui; pro *contractu*, est mutatio cum pacto accipiendi tale lucrum; *pro voluntate*, est voluntas accipiendi istud lucrum ultra sortem ex vi mutui, non autem ob alium titulum, v. gr. lucri cessantis, damni emergentis, amicitiæ. 2° Usura, alia *realis*, alia *mentalis :* realis seu externa est, in qua mutuator verbis vel aliis signis externis declarat mutuatario voluntatem suam accipiendi aliquid supra sortem præcise ratione mutui; vel dicendo clare et expresse, v. gr. : *Reddes mihi duodecim pro decem ;* vel obscure et implicite, ut si dicat : *Mea pecunia non solet ad me redire sola. Mentalis* seu interna est, cum mutuator lucrum nullo signo externo deducit in pactum, reipsa tamen aliquid supra sortem recipit, aut recipere intendit tanquam ex justitia, aut etiam tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum. 3° Rursus usura, alia est formalis et aperta, qua aperte exigitur auctarium præcise ratione mutui; alia virtualis et palliata, qua aliquid exigitur ratione mutui non formalis, sed virtualis et latentis sub alio contractu, et velut ejus pallio tecti, v. gr. si vendas carius præcise ob dilationem pretii.

2. *An et quo jure usura sit illicita.* Resp. 1° Est de fide esse illicitam, contra Judæos et quosdam hæreticos; idque definitum est in concilio Viennensi, Clement. unica *De usuris*, ubi dicitur puniendus ut hæreticus, qui contrarium pertinaciter tenuerit. 2° Est illicita jure positivo, tum divino, dum dicitur : *Mutuum date, nihil inde sperantes* (*Luc.* VI, 35), nempe ultra sortem; tum humano, ut patet ex titulo *De usuris*, in 5 et 6, decret. 3. Est etiam illicita jure naturali, quia contra jus naturæ est, idem bis seu duplici titulo vendere, et vendere quod non est suum. Atqui accipiens usuram bis idem vendit, vel vendit quod non est suum : vel enim eam accipit pro sorte, et sic idem bis vendit accipiens justum pretium pro sorte, et insuper auctarium pro eadem sorte; vel eam accipit pro usu sortis, et sic vendit quod non est suum, id est usum rei non suæ : quia per mutuum transfertur dominium sortis in mutuatarium, adeoque et ejus usus; ergo peccat contra jus naturæ. Dices : Usuræ fuerunt olim permissæ Judæis (*Deut.* XXIII et XXVIII); ergo non sunt contra jus naturæ. Resp. Distinguo: Fuerunt permissæ absolute, nego; respective, seu respectu hostium quorum bona licitum est dirigere, vel respectu infidelium, quorum bona Deus supremus Dominus in Judæos transtulerat, sicut Ægypti spoliatio iis olim permissa fuit, concedo. Unde usura nunquam fuit permissa absolute et præcise ratione mutui.

3. *An mutuator possit aliquid exigere supra sortem ratione damni emergentis ex mutuo.* Respondent affirmative D. Thomas, et alii. Quia in eo casu non accipitur aliquid supra sortem præcise ratione mutui, sed ratione damni pretio æstimabilis, per accidens mutuo annexi, quod gratis subire non tenetur mutuator. Cæterum cum mutuator vi hujus tituli tantum habeat jus conservandi se indemnem, relinqui debet mutuatario libertas, ut vel ipse in se suscipiat reparationem damni quod emergit, vel si malit, certo pretio paciscatur pro isto damno quod eventurum timetur; et quamvis postea non eveniat, potest tamen pretium pactum exigere; nam periculum quod subiit, pretio erat æstimabile.

4. *An mutuator possit aliquid exigere supra sortem ratione lucri cessantis.* Resp. affirmative : ita communiter doctores contra Scotum, etc., quibus videtur favere D. Thomas. Sed dicendum est D. Thomam agere tantum de lucro, quod est in potentia remota, in quantum qui habet pecuniam, etiam non destinatam ad negotiationem, habet remote commoditatem negotiandi, qua se privat in gratiam mutuatarii; tunc nihil potest exigi, quia ista remota commoditas nihil addit pecuniæ secundum se spectatæ, pro qua, si quid exigeretur, esset accipere lucrum præcise vi mutui : deinde fortasse etiam tantum vult D. Thomas non posse tantum exigi pro lucro in spe, quantum pro lucro in re. Sed probatur *conclusio :* 1° Id quod exigit mutuator, non exigit, nec accipit ratione mutui præcise, sed ratione damni ex mutuo secuti, quod non tenetur gratis subire. 2° Pecunia prout destinata, et ut subest industriæ mercatoris, volentis ex illa lucrum facere, plus illi valet quam spectata secundum se. Ergo, etc. Sed videndum bene an sit vere lucrum cessans; nam si lucrum negotiationis, a qua abstines, sit interim compensatum per applicationem alterius rei nec molestioris nec minus quæstuosæ, cui vacare non potuisses negotiando; aut si pecuniam habeas in arca otiosam, et nulli negotiationi vel emptioni destinatam, tunc non potes quidquam pro ea hoc titulo lucri cessantis exigere.

5. *An mutuator possit aliquid supra sortem exigere ratione periculi sortis amittendæ, aut damni gravisque incommodi in ea recuperanda subeundi.* Resp. affirmative, si extraordinarium periculum vere subsit : v. gr. si mutuatarius non sit notus, decoctor dubiæ fidei, valde pauper, etc.; secus vero, si non subsit probabile periculum, aut sit tantum ordinarium, quale invenitur in omni mutuo : ita communius doctores. Probatur : Istud periculum non est mutuo intrinsecum, cum ab eo possit separari per pignus aut fidejussorem datum a mutuatario, adeoque non exigitur ratione ipsius mutui, sed ratione alicujus pretio æstimabilis, per accidens mutuo annexi : quod autem subire istud periculum sit pretio æstimabile, patet ex eo quod juxta omnes, fidejussor illud in se suscipiendo, licite possit exigere pretium isti oneri proportio-

natum, eoque juste compensari. Ergo si mutuator, agens vices fidejussoris, totum istud onus seu periculum subeat, potest quoque licite aliquid exigere, ratione istius oneris in se suscepti, quod est mutuo extrinsecum et pretio æstimabile. Idque valide confirmatur auctoritate sanctæ congregationis de Propaganda et Innocentii X approbantis, anno 1646, ejus responsa ad quæsita Sinensium missionariorum.

6. *An sit licitum pacisci, ut mutuatarius, si ad terminum statutum non restituerit sortem, aliquid solvat in pœnam suæ moræ, ultra sortem.* Resp. affirmative, his quatuor conditionibus : 1° ut absit fraus usuraria in paciscendo ; 2° ut debitor vere sit in culpa non solvendo ; 3° ut sit pœna moderata juxta mensuram culpæ ; 4° ut mora sit notabilis : non enim unius diei, aut etiam hebdomadæ spatium, nisi adesset specialissima ratio, sufficit.

7. *An res mutuata debeat reddi in eadem mensura, specie et numero.* Resp. Si res mutuata sit distincta a pecunia, v. gr. triticum, per se loquendo, reddenda est in eadem mensura, licet mutatus sit ejus valor, quia in rebus a pecunia distinctis solum habetur ratio corporum, non pretii ; secus vero, si res mutuata fuerit pecunia : per se enim loquendo, facienda est restitutio juxta valorem dati, nulla habita ratione numeri, speciei, ponderis et mensuræ, quia in pecunia, quæ ex suo fine est mensura rerum venalium, solet solum attendi valor, non rei substantia. Dixi *per se loquendo* ; potest enim de his aliter conveniri.

8. *An mutuator possit absque usura imponere mutuatario aliquam obligationem pretio æstimabilem supra debitum sortis.* Resp. neg. (Thomas et alii communius) ; quia ista obligatio esset lucrum ex mutuo ; ergo æque esset usura ac pecunia supra sortem accepta. Unde est usura, si obliges mutuatarium ut filiam tuam ducat, ut in tua officina merces emat, ut tibi præstet aliquod obsequium, ut tibi vel alteri conferat beneficium ecclesiasticum, etc. ; in hoc ultimo casu cum usura esset simul Simonia.

9. *An usurarius acquirat usurarum dominium.* Resp. : Probabilius nego ; quia ad translationem dominii non sufficit sola traditio, sed requiritur titulus. Atqui hic nullus est titulus ; nam mutuatarius non aliter intendit translationem dominii usurarum quam titulo debiti ex mutuo, qui nullus est, cum vi mutui nihil debeatur mutuatori præter sortem.

Attamen si usurarius pecuniam ex usuris acceptam permiscuerit suæ, ita ut discerni jam non possit, acquirit per accidens ejus dominium ratione commistionis ; sed tenetur ad restitutionem in quantum factus est ditior. Similiter acquirit dominium rerum per pecuniam usurariam acquisitarum, quia tunc invenitur justus titulus, nempe validæ venditionis : item si rem usuræ nomine acceptam vendat, fit etiam dominus pretii sibi ab emptore enumerati, modo hic bona fide processerit nesciens rem ita esse acceptam ; quod addo, quia si uterque sciat rem esse alienam, emptio ipso facto nulla est, et uterque tenetur ad restitutionem, nisi emptio fiat ex præsumpto domini consensu.

10. *Quomodo hæredes usurarii teneantur ad restitutionem.* Resp. 1° : Si res aliqua in specie exstet apud usurarium, quam nomine usuræ acceptam esse constet, ad quemcunque hæredem devenerit, restituenda est. 2° Tenentur ad restitutionem quantum ferunt vires hæreditatis quam unusquisque adiit ; non tamen ad id obligantur legatarii, si ea quæ hæredibus relicta sunt sufficiant ad solvenda debita, et ad portionem hæredibus jure debitam. 3° Non omnia bona usurarii sunt tacite hypothecata seu realiter obligata ad usurarum restitutionem, cum nec ex rei natura, nec ex jure positivo habeatur constituta talis hypotheca.

11. *Quinam usurarum cooperatores teneantur ad restitutionem.* Resp. 1° ; Ii qui efficaciter suadent cuipiam, ut exerceat usuras ; 2° judices qui compellunt ad usuras solvendas aut vetant solutas repeti ; 3° notarius conficiens instrumentum, vi cujus invitus mutuatarius cogitur ad usurarum solutionem ; 4° famuli usurariorum, qui ejusmodi contractus usurarios conficiunt ; item qui cogunt ad solutionem usurarum. Si autem cooperantes non agant partes usurarii, sed ipsius mutuatarii, aut non concurrant efficaciter ad usuram, non incurrunt hanc obligationem. Unde excusantur famuli feneratorum, qui pecunias numerant, referunt in librum rationum, custodiunt pignora, etc.

12. *An sit peccatum petere mutuum sub usura.* Resp. non esse, si fiat ex necessitate vel evidenti utilitate : ratio est quod petens solum directe intendat mutuum habendo se permissive ad usuram, quia cum usurarius possit dare mutuum sine usura, ex ejus malitia fit quod det cum usura ; id autem non tenetur impedire mutuatarius cum gravi suo incommodo. Si autem nulla sit causa, erit mortale, ut communius docent ; præsertim si petatur ab eo, qui alias paratus non erat dare ad usuram. Hoc enim est proximo dare occasionem peccandi, quod non licet sine causa.

13. *Quæ sint pœnæ usurariorum notoriorum, sive notorietate facti, id est, quorum factum est notorium, sive notorietate juris, id est, damnatorum de usura per sententiam judicis.* Resp. : Hæ sunt præcipuæ : 1° sunt infames, adeoque irregulares, et inhabiles ad officia et beneficia ecclesiastica. 2° Privantur sacra communione et absolutione sacramentali, donec reipsa satisfecerint, vel cautionem sufficientem dederint ; vel urgente mortis periculo, nisi juramentum præstiterint coram testibus de satisfaciendo. 3° Excluduntur ab oblationibus in ecclesia fieri solitis, sub pœna suspensionis contra admittentes. 4° Privantur ecclesiastica sepultura si in eo peccato obierint, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda ab iis qui eos sepelire præsumpserint. 5° Irritantur eorum testamenta nisi

prius reipsa satisfecerint aut cautionem sufficientem dederint.

CAPUT XXIII.

De montibus pietatis.

1. *Quid mons pietatis et quotuplex.* Resp. : Mons pietatis est acervus pecuniæ ad mutuandum indigentibus publice deputatus; estque duplex : alius cujus summa capitalis ex reipublicæ, aut piorum hominum liberalitate sic conflata est, ut tantum aliquid modicum exigatur pro plena istius summæ conservatione, et pro ministrorum stipendio; diciturque *Italicus*, quia sic primum in Italia constitutus est : alius, cujus summa capitalis non ex piorum hominum liberalitate, saltem adæquate, sed ex pecunia ad censum accepta conflata est, ideoque tum ad solvendos census canones, tum ad montis expensas suppeditandas multo plus a mutuatariis exigitur : nempe quotannis 13 aut 12 in 100; diciturque *Belgicus*, quia sic in Belgio institutus est circa annum 1619. Hi montes constituti sunt sub hisce conditionibus : 1° Tenetur mons pauperi petenti mutuare intra certam summam ad certum tempus, v. gr. ad annum. 2° Debet mutuatarius dare pignus custodiendum, a ministris montis vendendum, si præfixo tempore non solverit, sic tamen ut quod ex pretio, detracta sorte et menstruis detrimentis, superfuerit, illi reddatur. 3° debet præter sortem in menses singulos aliquid solvere pro prædictis necessariis sumptibus ad montis conservationem et indemnitatem.

2. *An montes pietatis Italici sint liciti.* Resp. affirmative. Probatur, 1° ex bulla Leonis X, in concilio Lateranensi (sess. 10), ubi sacro approbante concilio declaratur et definitur, illos nullo modo improbandos esse, pœna etiam excommunicationis apposita in eos qui contrarium docere præsumpserint. 2° Quia nihil accipiunt supra sortem, præcise ratione mutui, sed ut se reddant indemnes, quod est licitum, et a mutuatariis, in quorum favorem hi montes erecti sunt, merito præstandum; cum juxta regulam juris 55, in 6, æquum sit, ut qui sentit commodum, sentiat etiam incommodum.

3. *An montes Belgici sint etiam liciti.* Resp. etiam affirmative. Probatur, 1° ex consensu omnium fere doctorum, tum jurisconsultorum tum theologorum utriusque universitatis Belgii, Lovaniensis et Duacensis, qui re bene examinata, illos ab omni usura immunes censuerunt. 2° Quia nihil accipiunt præcise ratione mutui, et si quid plus quam Italici accipiunt, est ad servandam suam indemnitatem, quod licitum esse patet ex bulla prædicta Leonis X. Varia quæ olim objecta sunt contra hos montes, vide soluta apud theologos.

CAPUT XXIV.

De emptione, venditione et negotiatione.

1. *Quid emptio, venditio et negotiatio; et quibus hæc sit prohibita.* Resp. 1° : Emptio est pactio pretii pro merce; et venditio est pactio mercis pro pretio. *Pactio*, id est contractus in nudo partium consensu consistens, nec requirens ad sui substantiam traditionem rei aut pretii. Ut tamen transferatur dominium per hunc contractum, requiritur traditio.

2. Negotiatio, alia *proprie dicta*, alia *improprie*. Proprie dicta est, qua aliquid eo animo emitur, ut carius illud omnino immutatum revendatur ad lucrum comparandum. Dicitur *eo animo*, etc., quia si quid sit emptum ad usum proprium, sine animo revendendi, et postea data occasione carius revendatur, non est negotiatio. Improprie dicta est, qua res per artem aut alio modo mutata, v. gr. lana in pannum conversa, venditur.

Negotiatio proprie dicta, de se est licita : est enim res indifferens et potest fieri bono fine; clericis tamen qui sunt sacris initiati, et religiosis est prohibita, et quidem sub pœna excommunicationis, depositionis, et si moniti non destiterint, privationis privilegii clericalis, quoad exemptionem a tributis. Hinc colligitur illis esse prohibitum sub mortali, saltem si pluries sit exercita, ut limitant Lessius et alii. Negotiatio improprie dicta, non est generaliter illis prohibita, ut patet ex dist. 92, ubi suadetur clericis, ut aliquo opificio sibi vitam quærant : sic sanctus Paulus scenofactoriam artem exercebat, et antiqui monachi, sportas, storeas et similia faciebant, ut venderent. Unde possunt proprios agros colere, et ex iis perceptos fructus divendere; non tamen aliena prædia conducere ad lucrum ex eis percipiendum.

3. *Quodnam sit justum rerum venalium pretium.* Resp. : Est quod rei venalis valori adæquatur, et est duplex : aliud *legitimum*, quod lege taxatum est, consistitque in indivisibili; aliud *vulgare*, quod juxta circumstantias, communi peritorum æstimatione constituitur, habetque latidudinem intra quam res pluris aut minoris vendi potest sine injustitia, et est triplex : *infimum, medium, summum;* distantia unius ab altero pendet a peritorum æstimatione : v. gr. si pretium medium sit 10, infimum erit circiter 9, summum 11. Quando pretium *legitimum* est majus quam *vulgare*, non licet ordinarie exigere legitimum, quia lex solet taxare pretium in favorem emptorum; contra vero, quando *legitimum* est minus quam *vulgare*, non licet exigere vulgare, sed solum legitimum. Res raræ, juxta Sotum, Valentiam, Toletum, etc., contra alios, non habent pretium determinatum.

4. *An liceat interdum pluris vendere, aut minoris emere, quam res hic et nunc per se valeat.* Resp. 1° : Hæ fere sunt causæ, ob quas quis potest interdum pluris vendere citra dimidium justi pretii : 1. officium mercatoris, seu labor et expensæ in mercibus conquirendis, vehendis, conservandis, etc. ; 2. modus vendendi sub hasta; 3. lucrum cessans aut damnum emergens ex venditione : 4. penuria mercium et multitudo emptorum; 5. singularis affectus erga rem, v. gr. a majoribus transmissam. Resp. 2° : Hæ

sunt autem causæ ob quas quis potest minoris emere : 1. emptoris damnum, aut damni periculum, v, gr. emendo rem parum utilem in gratiam venditoris ; 2. merces ultro obtrusæ ; 3. modus emendi sub hasta ; 4. magna mercium copia et emptorum paucitas ; 5. magna mercium quantitas simul et semel ab eodem empta.

5. *An qui privatim scit rerum pretium vel monetæ valorem brevi minuendum, possit interim currente pretio et valore sua vendere.* Resp. affirmative, quia res vendi potest juxta communem æstimationem pro tempore vigentem. Dixi *privatim*, quia magistratus et consiliarii qui ex officio ejusmodi res ante sciunt, an etiam id possint, controvertunt auctores.

6. *An liceat pluris vendere ob dilatam solutionem, aut minoris emere ob anticipatam.* Resp. neutrum licere extra latitudinem justi pretii, nisi alius adsit titulus. Ratio est, quia utrobique esset implicitum mutuum ; quodque acciperetur supra rei aut pretii valorem, acciperetur ratione mutui. Dixi, 1° *extra latitudinem justi pretii*, quia cum venditor habeat jus vendendi summo pretio, et emptor jus emendi infimo pretio intra latitudinem justi pretii, potest venditor præsente pecunia vendere pretio infimo ; creditor autem, seu dilata pecunia, vendere summo pretio. Dixi, 2° *nisi alius adsit titulus*, quia sæpe hoc licet ob damnum emergens, ob lucrum cessans, ob magnum periculum et difficultatem obtinendæ solutionis.

7. *An credita et chirographa possint minoris emi quam ipsa contineant ;* v. gr., an jus ad centum aureos quos Petrus debet Paulo, possim emere nonaginta. Resp. Seclusis incommodis extrinsecis, et quando debitum est liquidum, non posse : ita communius Sotus, Molina, Lessius, etc., contra Cajetanum, Toletum, etc., quia secluso omni incommodo extrinseco jus ad centum aureos, valet centum, et centum aurei in futuro solvendi non minus valent quam centum præsentes ; alioqui possent justificari usuræ. Dixi, *seclusis incommodis extrinsecis ;* quia patet ex dictis supra posse ea minoris emi ob pericula et molestias in obtinenda solutione ; imo subinde emi posse dimidio pretio, aut etiam minori, prout difficultas et incertitudo solutionis major fuerit.

8. *An qui nomine alterius pluris rem vendit, quam sit ei præscriptum, possit excessum sibi retinere.* Resp. non posse ; quia dominus non præscribit pretium ne pluris, sed ne minoris res vendatur. Potest autem, si ipse sibi eam rem emat præscripto pretio, et postea ut suam vendat ; aut si excessum obtinuerit per laborem extraordinarium.

9. *An venditor teneatur occultum mercis suæ vitium aperire, et emptor illius bonitatem.* Resp. 1° : Si emptor petat utrum res bona sit, aut si eam petat ad certum usum ad quem venditor novit non esse utilem, sed potius noxiam, tenetur ex justitia aperire ejus vitium ; alioqui tenebitur non tantum restituere excessum pretii, sed etiam omnia damna secuta, v. gr. si ex ove scabiosa totus grex scabiem contraxerit. 2° Etiam non rogatus tenetur saltem post contractum aperire rei vitium, si prævideat fore emptori noxiam ; si inculpabiliter ignoraverit rei vitium, non tenetur de damno secuto, sed minuere pretium tenetur de quovis casu pro ratione vitii quod ei inesse cognoscit. 3° Si vitium rei sit manifestum, venditor ad nihil tenetur nisi excedat in pretio ; si sciret tamen emptorem illud non advertere, tenetur manifestare. 4° Contra si emptor advertat venditorem ignorare bonitatem suæ mercis, v. gr. gemmæ pretiosæ, tenetur eam illi aperire, aut saltem sic augere pretium ut ad æqualitatem deveniatur ; id est, illam emat justo rei pretio saltem infimo.

10. *Utri pereat venditori an emptori, aut deterior fiat res vendita, ante traditionem.* Resp. 1° : Si res vendita pereat vel deterior fiat post traditionem, perit emptori, etsi pretium nondum sit solutum, quia per traditionem translatum est dominium in emptorem ; res autem domino suo perit. 2° Si pereat ante traditionem, sitque res certa ac determinata, v. gr. hic equus, peracto venditionis contractu, perit emptori ; unde non tenetur venditor ejus pretium restituere, nisi forte ejus culpa perierit, aut fuerit in mora, vel aliter conventum sit. Quamvis enim jus noluit ut ante traditionem censeretur translatum dominium, voluit tamen ut ante traditionem omnia istius rei commoda et incommoda pertinerent ad emptorem, perinde ac sit dominium translatum esset. 3° Si autem res sit indeterminata, v. gr. si quis emat decem oves ex grege, decem modios ex acervo, aut si quis emat rem determinatam quidem, sed ad mensuram, v. gr. totum acervum tritici, uno floreno in singulos modios, tunc ante rei traditionem, vel mensurationem, perit venditori qui tenetur pretium restituere, si jam erat solutum.

11. *Quænam censeantur cum re vendita simul vendi.* Resp. 1° : Simul vendi ei annexa quæ sequuntur suum principale, v. gr. vendito pago, vendita sunt jura illi annexa : vendito fundo, venditi sunt fructus solo adhærentes tempore contractus, quia sunt pars fundi. Vendita domo, venditæ sunt claves, non vasa. Denique ea omnia censentur convendita, quæ ex natura contractus et consuetudine simul vendi solent, nisi aliter sit conventum. 2° Res absolute vendita, quamvis nondum tradita, nec soluta, perit et fructificat emptori, quia re empta, sunt simul coempta in ejus virtute contenta.

12. *An liceat vendere cum pacto retrovenditionis.* Resp. affirmative, modo onus compensetur diminutione pretii, si pactum sit in favorem venditoris ; vel illius augmentatione, si sit in favorem emptoris, ut utrinque servetur æqualitas. Alii contractus qui huic adjiciuntur, sæpe continent usuram palliatam.

13. *An monopolium sit licitum.* Nota : Monopolium est machinatio aut industria mercatorum, qua efficiunt ut ipsi soli aliquid. aut certo pretio diven-

dant. Nunc resp. Monopolium potest quatuor modis fieri : 1° si unus aut pauci mercatores impetrent a principe, ut ipsi soli possint certas merces divendere, uti fit in impressione librorum. Hic modus non est illicitus, modo fiat ex justa causa et justo pretio ; 2° si plures mercatores inter se conspirent, ut merces non vendant nisi certo pretio, si excedant justum pretium, manifeste peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem ; si autem non excedant, peccant quidem graviter contra charitatem et justitiam legalem ; nocentque bono publico, et ideo merito prohibentur et puniuntur a magistratibus. An etiam contra justitiam commutativam, controvertunt auctores. 3° Si unus aut pauci mercatores coemant omnes merces certi generis, easque supprimant, donec ex penuria crescat pretium, hi etiam graviter peccant. 4° Si quis impedit ne certæ merces invehantur ut ipse suas carius vendat, et hoc etiam non licet, cum sit in detrimentum boni publici.

CAPUT XXV.

De censibus seu reditibus annuis.

1. *Quid census et quotuplex.* Resp. 1° : Census est jus recipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius. 2° Census varie dividitur : alius *reservativus*, quo quis in alterum transfert rei suæ dominium directum et utile, reservato sibi jure pensionis annuæ super eadem re. Alius *consignativus*, quo quis super persona aut re sua consignat seu tribuit alteri jus percipiendi annuam pensionem ; et hic subdividitur in *realem*, qui fundatur in re alterius immediate ad pensionem obligata, v. gr. prædio, domo, etc., et ideo rem comitatur quantumcunque ejus possessio ambulet, qua pereunte ipse perit : in *personalem*, qui fundatur super persona alterius, eamque immediate, non ejus bona, obligat ad pensionem : in *mistum*, qui super re et persona immediate fundatur, sic ut re pereunte, persona maneat adhuc obligata. *Consignativus* iterum dividitur in *perpetuum* et *temporalem : Perpetuus* in *redimibilem*, qui quantum est de se perpetuo duraret, redimi tamen potest, vel ex parte unius tantum, v. gr. venditoris, vel ex parte utriusque ; in *irredimibilem*, qui redimi non potest, adeoque est absolute perpetuus. *Temporalis*, alius est ad certum tempus, v. gr. viginti aut triginta annos ; alius ad incertum, v. gr. unius vel plurium vitam, diciturque vitalitius.

2. *An sit licita emptio novi census consignativi realis ac perpetui. ex parte venditoris tam redimibilis quam irredimibilis.* Resp. affirmative ; quia emptio census novi, id est, qui in ipsa venditione tunc primum constituitur, est tam vera emptio quam emptio antiqui census, id est, qui jam pridem est constitutus ; sed emptio antiqui est licita, juxta omnes : ergo et novi. Est enim vera et justa emptio juris veri præexsistentis in ipso vendente ; nam habet jus percipiendi pensionem ex re sua. Deinde Martinus V, Calixtus III et Pius V, in suis Constitutionibus absolute declarant ejusmodi census esse licitos ; adeoque non sunt usurarii : in censu enim non datur pecunia præsens pro pecunia in futurum, sed emitur jus ad pensionem annuam.

3. *An sit etiam licita emptio census personalis.* Resp. affirmative : ita communissime, contra Navarram, Molinam, etc., quia sicut in censu reali emitur jus ad pensiones ex re fructifera, ita in censu personali emitur jus ad pensiones ex persona censuarii, quæ eatenus est fructifera, quatenus ex labore et industria sua potest ex suis operibus et bonis lucrum facere. Confirmatur ex praxi universali in compluribus reipublicæ catholicæ regnis passim recepta a theologis.

4. *An sit licitus census ad tempus, sive realis sive personalis.* Resp. 1° : Census vitalitius tam personalis quam realis est licitus, modo ematur eo pretio quod lege taxatum est, vel consuetudine stabilitum ; supposita enim censuum honestate, non est ratio cur hic non sit licitus, cum in eo uterque contrahens æquale subeat periculum, tam ne pensiones non adæquent pretium, quam ne illud superent. 2° Etiam licitus est tam personalis quam realis ad certum tempus, v. gr. viginti aut triginta annos : ita Lessius, Navarra, etc., contra Sotum, Molinam, etc., quia cum jus ad pensiones per longa intervalla recipiendas non tantum valeat, quantum cumulus omnium pensionum simul, jus istud juste emi potest pretio minori quam valeant pensiones speratæ simul sumptæ. Si tamen emeretur ad valde breve tempus, sic ut post duos aut tres annos recuperatum jam esset totum pretium et aliquid supra, committeretur usura palliata ; quia morali judicio jus ad pensiones per exigua intervalla recipiendas ad breve tempus, seclusis extrinsecis, tantum valet quantum æqualis summa præsens.

5. *An emptio census, tam ex parte venditoris, quam ex parte emptoris redimibilis, sit licita :* id est, cum ita convenitur, ut venditor, dum voluerit, possit contractum dissolvere, restituta emptori sua pecunia, seu summa pecuniæ quam dederat pro emendo jure ad annuam pensionem ; et ut emptor qui v. gr. dedit mille aureos, pro emendo jure ad annuam pensionem quinquaginta aureorum, possit etiam, dum voluerit, dissolvere contractum, et repetere suam pecuniam, id est mille aureos post jam receptam aliquot annis pensionem annuam quinquaginta aureorum. Resp. illam emptionem esse licitam ex parte venditoris concedunt aut supponunt auctores ; sed valde controvertunt an sit etiam licita ex parte emptoris. Affirmant Gabriel, Valentia, Laymannus, Lessius, etc. ; negant Sotus, Covarruvias, Aragon, etc. Quidquid sit de utraque ista sententia, negativa tamen est tutior et in praxi sequenda ; et altera dissuadenda ob scandalum et periculum usuræ palliatæ.

Census irredimibiles ex parte venditoris, saltem consignativi, in aliquibus locis prohibentur, ne bona maneant perpetuo onerata.

CAPUT XXVI.

De cambiis.

1. *Quid cambium et quotuplex.* Resp. : Cambium est permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia. Campsor est is, a quo pecunia petitur; campsarius est is, qui petit. Cambium est duplex : aliud *siccum* seu fictum, quod est vera usura habens speciem cambii, ut cum fingitur solutio alibi facienda, quæ tamen fit usurarie in eodem loco. Aliud *reale*, quod est vera pecuniæ permutatio ; et hoc dividitur in *minutum*, quod est permutatio nummorum diversæ rationis, v. gr. aureorum cum argenteis, et argenteorum cum æreis, majorum cum minoribus, antiquorum cum novis, patriorum cum extraneis ; et in *locale* seu per litteras, quod est permutatio pecuniæ præsentis cum absente, v. gr., si pecuniam hic præsentem commutem cum tua Parisiis exsistente ; vel contra.

2. *An lucrum ex cambio minuto sit licitum.* Resp. affirmative. Probatur, quia istud lucrum variis titulis justum est : 1° ratione officii cambiendi, quod sponte etiam susceptum includit varia onera pretio æstimabilia, v. gr. onus conquirendi et semper habendi paratas pecunias varii generis ad utilitatem communitatis ; 2° ratione laboris in numeranda campsario pecunia ; 3° ratione majoris commoditatis unius monetæ præ alia ad eam servandam, transferendam, etc., ut contingit in nummis aureis pro argenteis, etc.

3. *An etiam sit licitum lucrum ex cambio locali.* Resp. affirmative. Probatur 1° ex bulla Pii V istud cambii genus approbante ; 2° hic lucrum accipitur justo titulo, nempe virtualis translationis seu locationis, qua campsor operam et industriam suam locat campsario, ad suam pecuniam virtualiter alio transferendam, suscepto in se omni labore et periculo, quod sane est justo pretio æstimabile ac vendibile seu locabile. Quod autem campsor interdum id præstet sine incommodo, id ejus industriæ ac bonæ fortunæ tribuendum est ; hoc enim non obstante, cum revera in se suscipiat onus pretio æstimabile, potest lucrum accipere.

4. *An sit licitum cambium Francofurtense.* Hoc cambium sic fit : campsario petenti cambium, campsor suam pecuniam numerat, v. gr. Antverpiæ, ea lege ut campsarius suis sumptibus eamdem in nundinis Francofurtensibus rependat cum auctario eo majore quo longius absunt nundinæ a die quo campsor suam pecuniam numerat, sic, ut si numeret tribus mensibus ante nundinas, lucretur quatuor grossos in florenum Germanicum octoginta grossorum : si quatuor mensibus, lucretur sex, et sic deinceps. Nunc resp. : Lucrum in hoc cambio, titulo lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis, etc., licitum et justum est, sed seclusis hisce extrinsecis, præcise titulo cambii secundum se spectati, illicitum et usurarium esse tenent Sotus, Valentia, Lugo, Rebello, etc., contra Lessium, Laymannum, Filliucium, etc., qui putant id posse excusari ab usura ; sed quidquid sit de horum speculatione, seclusis titulis extrinsecis, in praxi est omnino dissuadendum, saltem ob periculum palliatæ usuræ.

Varia alia de cambiis et recambiis, de cambio Bisuntino, etc., vide apud Lessium.

CAPUT XXVII.

De locatione et conductione, de emphyteusi et feudo.

1. *Quid locatio et conductio ; quæ obligationes locatorum et conductorum.* Resp. 1° : Locatio est contractus onerosus, quo res aut persona ad usum aut fructum pretio conceditur ; conductio, qua res aut persona ad usum aut fructum pretio accipitur. 2° *Obligationes* conductorum et locatorum hæ sunt : uterque tenetur, etiam in foro externo, de læsione ultra dimidium ; in interno, de qualibet læsione, uti supra de venditione. Itaque *locator* tenetur 1. aperire conductori vitia rei locandæ, quæ si celet, tenebitur ad damna ; 2. tenetur ad expensas pro reparatione et conservatione rei locatæ ; 3. tenetur ad onera publica, v. gr. ad vectigalia, reparationes viæ publicæ, etc. *Conductor* autem tenetur 1. uti vel frui re juxta boni viri arbitrium ; 2. adhibere pro illius conservatione eam curam, quam vir prudens adhibet pro suis rebus ejusdem generis ; 3. solvere pensiones tempore præfixo ; denique uterque tenetur ex dolo, ex culpa lata et levi : non tamen ex levissima, saltem regulariter ; multo minus ex casu fortuito.

2. *Ad quid teneatur conductor, si res pereat, vel fiat inutilis, aut impediatur ejus usu.* Resp. 1° : Si res pereat casu fortuito, aut de ejus possessione detrudatur conductor sine sua culpa, vel ea uti impediatur, v. gr. ob lemures, ob bellum, ob periculum ruinæ, non tenetur solvere pensionem, nisi pro rata temporis quo ea usus est. 2° Si fiat notabiliter minus utilis, v. gr. si domus ex parte ruat, potest contractum rescindere, vel pro rata minoris utilitatis pensionem minuere ; si autem impedimentum utendi re proveniat ex ipso conductore, quamvis casu fortuito, tenetur ad integram pensionem, nisi aliter conventum sit.

3. *An ratione sterilitatis minuenda sit pensio, vel augenda ratione ubertatis.* Resp. 1° : Si tanta fuerit sterilitas, ut colonus nihil recipiat, liberatur a solutione pensionis. Idem dic, si vi tempestatis, hostium depopulatione, aut alio modo segetes pereant. Si colonus aliquid quidem receperit, magna tamen fuerit sterilitas, aut jactura frugum, minuenda est pensio pro rata. Si sterilitas aut jactura non fuerit magna, nulla facienda est pensionis diminutio. 2° Si contingat ubertas extraordinaria, qua per aliquot annos sine ulla speciali coloni industria fructus multo abundantiores solito percipiantur, potest locator augere pensionem ; æquum est enim ut cum ex sterilitate sentiat incommodum, ex ubertate sentiat commodum ; praxis tamen fere est contraria. 3° Potest locator expellere conductorem ante tempus, si re sua valde indigeat, aut si conductor

per duos annos non solvat pensionem, aut re conducta abutatur.

4. *An qui operam suam locavit seorsim pluribus in solidum, possit a singulis accipere integrum stipendium.* Resp. affirmative, si ejus opera pluribus præstita, sit æque singulis utilis et commoda ; quia pro singulis seorsim suscipit distinctas obligationes totales ab invicem independentes, nec opera mea, minuit suum valorem ex eo quod sit isti et isti simul æque utilis. Hinc causarum commissarii possunt pro unico itinere Parisiensi plura accipere stipendia, si plurium negotia seorsim agenda suscipiant. Non potest tamen quis pro eadem peregrinatione accipere plura stipendia, quia cum labor itineris sit finiti meriti et satisfactionis, non potest esse æque utilis pluribus ac uni. Similiter si quis acceperit pretium pro reducendo equo Parisios, et inveniat mercatorem qui equum conductivum Parisios usque quærat, potest ab hoc etiam pretium accipere. Item si quis Parisios missus cum litteris, incidat in nuntium qui eodem vadit, potest ei tradere litteras et sui itineris pretium retinere, modo habeat certitudinem rem æqualiter a nuntio atque a se perficiendam.

5. *Quodnam sit justum stipendium famulorum, operariorum,* etc. Resp. : Illud est quod ejusmodi hominibus pro tali ministerio dari solet, intra latitudinem summi, medii et infimi pretii ; unde solvendum est saltem infimum pretium, exceptis pueris honorariis, quibus præter honestam sustentationem, et vestitum competentem nihil solet dari. Hinc famulus, si sponte se locavit pro pretio justo, etiam infimo, quamvis putet se alibi cum eodem labore plus fuisse lucraturum, non potest uti occulta compensatione subripiendo aliquid domino suo.

6. *An dominus teneatur ad expensas famuli aut famulæ ægrotantis.* Resp. in rigore non teneri, uti nec ad stipendium tempore morbi ; charitas tamen exposcit ut eis exiguæ expensæ et alimenta saltem ad tempus præstentur ; et est praxis timoratorum. Ipsi autem famuli post tempus locationis præfixum non tenentur adhuc servire ad supplendum tempus morbi.

7. *Quid debeatur famulo ante præfixum tempus abeunti.* Resp. : Si abeat coactus et ex domini culpa, illi debetur, per se loquendo, integrum stipendium, et damni compensatio. Si autem abeat sua culpa, nihil illi conceditur in foro externo ; in foro tamen conscientiæ, secluso pacto contrario vel consuetudine, debetur merces pro rata temporis quo servivit.

8. *Quid sit emphyteusis et feudum.* Resp. : Emphyteusis est concessio rei immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, sub onere realis pensionis proprietario solvendæ certis temporibus ; idque vel in perpetuum, vel ad unius vel plurium vitam, vel ad certum tempus quod non sit decennio minus. 2° Feudum seu libellus pro contractu, est concessio rei immobilis vel quasi immobilis quoad dominium utile, retenta proprietate, sub onere fidelitatis et obsequii personalis exhibendi domino directo. Feudum sumitur etiam pro ipsa re feudali. Qui accipit emphyteusim, dicitur emphyteuta ; qui feudum, feudatarius.

9. *Quænam sint obligationes emphyteutæ et feudatarii.* Resp. 1° : Emphyteuta tenetur solvere pensionem tempore statuto ; quod si neglexerit per tres annos, ipso facto amittit rem emphyteuticam. Feudatarius autem tenetur, non pensionem solvere, sed præstare obsequium quando ad hoc interpellabitur ; quod si non præstiterit, amittit feudum, sicut emphyteuta non solvens pensionem. 2° Emphyteuta tantum semel in ipsa investitura solvit *laudemium*, id est jure communi quinquagesimam partem valoris rei ; feudatarius non tantum primus in ipsa investitura, sed etiam quilibet successor, et hæres, tenetur intra annum et diem petere renovationem investituræ, et præstare juramentum fidelitatis. Imo si moriatur dominus directus, debet feudatarius seu vassallus intra idem tempus ab ejus successore rursum investituram petere, alioqui incurrit caducitatem, seu feudum amittit : uti et amittit ob neglectum obsequiorum, crimen feloniæ, etc. 3° In feudo ordinarie succedunt soli masculi ; in emphyteusi etiam feminæ.

CAPUT XXVIII.

De contractu societatis.

1. *Quid sit societas, et quibus modis contrahatur.* Resp. 1° : Societas, ut hic sumitur, est conventio duorum pluriumve facta ad contribuendum aliquid, nempe vel pecuniam, vel operam, vel instrumenta, v. gr. navim, equum, etc., ad negotiationem communem, ex quibus lucrum dividitur certa proportione. 2° Ut licite fiat, requiritur : 1. ut fundetur in honesta negotiatione ; 2 ut spectatis omnibus servetur æqualitas proportionalis, tam lucrorum quam damnorum, pro rata eorum quæ contribuuntur ; 3. ut ea quæ contribuuntur a singulis eo animo ut sint communia, statim transeant in dominium et possessionem omnium : ita ut singuli fiant totius sortis partialiter domini, seu condomini ; quod etiam de communi lucro intelligendum est. 4. Quando omnes socii contulerunt solam pecuniam, aut pecuniam simul et operam, tunc tam capitale, quam lucrum, est dividendum inter omnes ea proportione qua contulerunt : quando autem unus e sociis confert solam pecuniam, et alter solam operam, tunc sic potest juste iniri contractus seu societas, ut negotiis peractis, tota summa, et quæ ex lucro et sorte conflata erit, utrinque ex æquo, pro rata pecuniæ ab uno, et æstimationis operæ ab altero collatæ, dividatur

2. *Quid sit contractus triplex in societate negotiatoria, et an sit licitus.* Resp. 1° : Contractus triplex est, quo conferens pecuniam in societatem, cum altero paciscitur, ut quidquid contigerit, sibi sors integra reddatur cum certo lucro, sed minore eo, quod merito sperare potuisset : v. gr. inis societa-

tem cum mercatore, contribuis mille florenos, sperando quod lucraturi sitis trecentos, cujus lucri dimidium tibi cederet una cum sorte; sed quia deberet ad te pertinere etiam istius sortis periculum, ut hoc periculum in se alter suscipiat, et tibi sortem tuam assecuret, relinquis ei majorem lucri sperati partem, v. gr. ducentos florenos. Et rursus quia centum floreni, quos adhuc speras, sunt etiam incerti, eos illi vendis pro quinquaginta florenis; et sic tandem lucraris quinquaginta et sortem tuam servas indemnem. Dicitur hic contractus triplex; quia in eo tres contractus virtualiter continentur: primus et principalis est contractus societatis, applicando serio et efficaciter pecuniam negotiationi; secundus est assecuratio sortis; tertius est venditio lucri majoris sperati sed incerti, pro certo minore. Nunc petitur an talis contractus sit licitus factus cum eodem. Resp. probabilius affirmative, sive fiat conjunctim et unico contractu, qui tribus æquivaleat, sive disparate aut separatim: ita Gabriel, Navarra, Mol. Pol. Tess. Lagni. Lugo, etc. Probatur, quia triplex iste contractus licitus est, si divisim cum diversis ineatur, ut omnes fatentur; ergo etiam licitus est, si conjunctim simul et semel cum eodem ineatur; per hoc enim non mutat naturam, et semper interveniunt tres justi tituli, societatis, assecurationis et venditionis. Ea quæ objiciuntur contra hunc contractum, vide apud auctores soluta.

CAPUT XXIX.

De assecuratione, sponsione, ludo.

1. *Quid assecuratio.* Resp. Est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis, vel certo pretio, ad eam compensandam si pereat, ut jam supra dictum est. Ut pro pretio licite fiat, requiritur ut res assecurata sit pretio æstimabilis, ut vere subsit periculum, aut credatur subesse; ut in pretio servetur æqualitas juxta æstimationem periculi; ut assecuratus non minuat diligentiam, quam in aliis rebus suis adhibet.

2. *Quid sponsio.* Resp. Est contractus in quo duo de eventu aut veritate alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus qui veritatem fuerit assecutus. Clarum est hunc contractum esse licitum, quando est æquale utrinque periculum; sed fit illicitus, si sit de re turpi: si adhibeatur fraus, v. gr. si is qui certus est, incertitudinem simulet; si autem certitudinem profiteatur, et alter nolit credere, hoc non obstante juxta multos, potest spondere.

3. *Quid ludus et quotuplex.* Resp. 1° Est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit. 2° Ludus, alius alearum, quo nomine venit omnis ludus, qui magis fortuna quam industria et arte regitur, v. gr. ludus tesserarum, chartarum, etc.; alius in quo est pro virtute et industria certamen, ut sunt cursus, saltus, lucta, etc.

4. *Quæ conditiones requirantur ad justitiam ludi.* Resp. 1° Ut ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam in ludum deponunt; 2° ut alter alterum per injuriam, v. gr. minis, conviciis, fraude, non pertrahat ad ludendum; 3° ut non utantur fraudibus contra leges ludi; 4° ut sit aliqua paritas inter ludentes.

5. *Quinam ludi sunt prohibiti.* Resp. Ludus aleæ et chartarum jure Cæsareo prohibetur omnibus, jure canonico clericis et religiosis sub gravi. Jura tamen ista non videntur nunc cum isto vigore vigere. Quoad clericos censent Diana, Laymannus, etc., non peccare graviter, nisi sint publici aleatores, vel ludant sæpe cum scandalo, vel pro summa immodica. Idem sentit Lugo de religiosis laxioribus, apud quos tales ludi sunt in usu, si moderate illis utantur; secus de religiosis apud quos viget disciplina, nec est consuetudo utendi ejusmodi ludis.

6. *An qui lucratus est aliquid ludo vetito, teneatur ad restitutionem.* Resp. Probabilius non teneri ante sententiam judicis jubentis restituere: ita doctores communiter. Quia contractus ludi jure naturæ habet vim transferendi dominii, cujus translatio nullo jure impeditur.

7. *In quibus casibus ludo acquisita restitui debent in conscientia.* Resp. In his: 1° si victus non habet rei proprietatem, nec permittitur saltem tantam summam ludendo alienare, ut sæpe fit in religiosis, filiisfamilias, etc., quando excedunt etiam tacitum superiorum suorum consensum; 2° si victor induxit alterum ad ludendum vi, minis, fraude, conviciis, simulatione imperitiæ, etc.; 3° si contra ludi leges fraude usus sit.

CAPUT XXX.

De testamento et ejus adjunctis.

1. *Quid testamentum.* Resp. Est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult cum directa hæredis institutione.

2. *Quid codicillus.* Resp. Est ultima voluntatis dispositio qua circa testamentum aliquid explicatur, additur, mutatur, sine directa hæredis institutione, sive est testamenti supplementum.

3. *Quid legatum.* Resp. Est donatio in testamento, quam præstandam ab hærede relinquit, de eo quod hæredis foret, sive est delibatio hæreditatis. Legatum pure statim debetur a morte testatoris, transmittiturque ad hæredes legatarii, si hic moriatur antequam hæres adeat hæreditatem. Si res legata sit determinata in individuo, v. gr. hic equus, hic fundus, etc., hoc ipso quod hæreditas aditur, transit in dominium legatarii: secus si sit tantum determinata in quantitate, v. gr. viginti modii tritici, viginti floreni; tunc acquiritur tantum actio hypothecaria. Si relicta sit sub conditione possibili, non debetur ante impletam conditionem; si sub impossibili vel turpi, habetur pro non adjecta.

4. *Quid fideicommissum.* Resp. Est quod fidei hæredis a testatore committitur alteri dandum, et est duplex: *universale*, complectens omnem hæreditatem; *particulare*, complectens partem,

et nunc vocatur fideicommissum id omne, quod alteri relinquitur, ut non possit illud alienare, aut de eo aliter disponere quam testator voluit.

5. *Quid donatio causa mortis.* Resp. Est ea quæ fit in eventum mortis : unde ante mortem semper revocari potest. Ad hanc requiritur acceptatio donatarii, et si donatori præmoriatur, exstinguitur.

6. *Quid substitutio.* Resp. Est constitutio unius vel plurium hæredum in locum alterius ; qua testator, v. gr., gravat hæredem, ut hæreditatem aut ejus partem cuipiam alteri relinquat, vel absolute, vel in tali casu seu conditionate.

7. *Quotuplex testamentum.* Resp. Duplex : aliud *scriptum*, ad quod jure civili requiritur scriptura continens testamentum et septem testes ad id vocati ; aliud *nuncupativum*, ad quod jure civili sufficit ut septem testes audiant voluntatem testatoris. Item aliud *privilegiatum*, quale est testamentum ad causas pias, et testamentum militis, instante prælio; aliud *non privilegiatum*, cujusmodi passim sunt testamenta ad causas profanas. Atque hæc jure civili. Jure autem canonico ad valorem testamenti requiruntur tantum duo vel tres testes legitimi coram parocho, et ad pias causas, etiam in foro externo, sufficiunt duo vel tres testes, etiam sine parocho.

8. *An testamentum factum sine dicta solemnitate sit validum.* Resp. 1° Factum ad causas pias validum est in conscientia, modo habeantur ea, quæ jure naturæ sufficiunt ad translationem dominii per ultimam voluntatem : nempe potestas disponendi, voluntas sufficienter exterius expressa in testatore, et capacitas in eo in cujus favorem testatur. Factum ad causas profanas censent esse absolute invalidum Concina, Vasquez, etc. ; absolute validum in conscientia Molina, Lessius, etc. ; media via Sotus, Victoria, Valentia, Laymannus ; et alii volunt esse in foro conscientiæ partim validum, in quantum vi illius potest hæres sic institutus hæreditatem adire et tuta conscientia retinere, donec per judicis sententiam rescindatur; partim invalidum, in quantum hæres ab intestato potest agere in judicio pro ejus rescissione, et ea obtenta, sine ulla injustitia hæreditatem occupare.

9. *Quinam testari non possunt.* Resp. Amentes, impuberes, surdi simul et muti, prodigi, servi, filiifamilias, religiosi professi, etc. Testamentum autem revocari aut mutari potest ad libitum testatoris.

10. *Quinam ex testamento hæredes institui non possunt.* Resp. Fratres minores, apostatæ, spurii filii. Filius autem naturalis potest a patre institui hæres universalis si deficiant legitimi et ascendentes ; ei tamen in tali casu non succedit ab intestato nisi ex sextante : matri autem succedit pari jure cum legitimis, tum ex testamento, tum ab intestato.

11. *Quinam sunt hæredes necessarii.* Resp. Juxta theologos et usum communiorem (juxta juristas paulo aliter), hæredes necessarii sunt ii, quibus testator necessario deferre debet hæreditatem : tales hæredes sunt omnes descendentes testatoris, id est filii et filiæ, nepotes et neptes, quia parentes suos defunctos repræsentant. His autem deficientibus, sunt ascendentes, id est pater, mater, avus et avia testatoris. Sed quibusdam in locis non datur repræsentatio, id est proles non repræsentat patrem ; adeoque si pater alicui filio habenti prolem supervivat, hæc proles non repræsentabit patrem, nec recipiet aliquid ex avi bonis (nisi avus id specialiter statuat), sed tota illius hæreditas tunc pertinebit ad superstites illius filios aut filias : alibi vero datur repræsentatio, ita ut proles simul sumptæ repræsentent patrem, et una cum avunculis seu amitis veniant in portionem patri, si viveret, competentem. Hæredibus necessariis debetur legitima ex æquo inter illos dividenda.

12. *Quinam succedant ab intestato, et quo ordine.* Nota : Intestatus dicitur qui vel nullum condidit testamentum, vel nonnisi invalidum Nunc resp. : Ii succedunt, qui jure suo succedunt in bona defuncti : 1° descendentes ; 2° ascendentes ; 3° collaterales, etc. ; sed pro hoc ordine spectanda est locorum consuetudo, quæ varia est.

13. *Quomodo acquiratur hæreditas.* Resp. acquiri dupliciter : 1° ipso jure ; 2° aditione, seu actu acquirentis, quo illam acceptat. Ipso jure acquiritur nunc a quibuscunque proximis hæredibus, in quibus sine ipsorum actu continuatur bonorum defuncti dominium. Aditione acquiritur eam acceptando, vel verbo vel alio signo exteriore.

Nota : Quamprimum vel hæres necessarius se hæreditati immiscuit, vel extraneus eam adivit, non solum in omnia jura, sed etiam in omnia onera ac debita defuncti succedit, ita ut creditoribus, si ad id hæreditas non sufficiat, de suo satisfacere teneatur in foro externo ; non tamen in interno. Ad obviandum huic periculo, datur duplex remedium : 1° Est jus deliberandi an hæreditatem adire velit, an repudiare ; quod durat per annum aut novem menses. 2° Est remedium inventarii, id est authentica descriptio omnium rerum, quæ in hæreditate inveniuntur, vi cujus hæres non tenetur ad onera ultra vires hæreditatis.

CAPUT XXXI.

De judice.

1. *Quænam requirantur ad legitimum judicium.* Resp. Jurisdictio in judice, rectus processus in citando, audiendo rerum, recta intentio, procedendo nempe ex intentione justitiæ, non ex odio, et debita scientia.

2. *Quæ forma servanda est in judiciis.* 1° Resp. In causis civilibus, judex non procedit, nisi postulatus, sive ad instantiam partis ; in criminalibus autem potest procedere tribus modis : primo, via *accusationis*, in qua actor suscipit onus probandi ; secundo, via *denuntiationis juridicæ*, in qua denuntiator seu deferens crimen, non suscipit onus probandi ;

tertio, via *inquisitionis*, in qua, nulla præcedente accusatione vel denuntiatione, judex capit informationes. *Inquisitio* autem triplex est : alia *generalis*, quando in genere quæritur an leges serventur, ut faciunt superiores ; alia est *specialis* , quando de certa persona et de certo crimine inquiritur ; alia *mista*, quando vel de sola persona determinata inquiritur, et non de crimine determinato, vel de solo crimine determinato, v. gr. quis Caium occiderit, et non de persona determinata. Resp. 2° : Ut instituatur inquisitio generalis, non est necesse ullam præcedere infamiam ; in hac inquisitione subditus, quamvis rogatus sub juramento, non tenetur, imo non potest prodere criminosum occultum sine injustitia, si tale sit crimen, ut non possit probari in judicio, nisi forte ejus manifestatio foret necessaria ad avertendum grave malum, præsertim publicum. Resp. 3° : Ut instituatur inquisitio specialis contra aliquem, tendens ad punitionem, debet præcedere aliqua infamia auctoris de qua constet ante inquisitionem, saltem per duos testes juratos. Hinc ut reus de seipso possit interrogari juridice, prærequiritur aut semiplena probatio per unum testem, aut infamia, aut indicia sufficientia ; sed non potest judex reum de vero crimine infamatum juridice interrogare de alio, de quo non est infamatus, nisi unum sit alteri annexum.

3. *Quando peccant judices usurpatione judicii.* Resp. peccare eos qui judicant illum, qui vel illis non est absolute subditus, vel non in iis causis in quibus illum judicant, ac perinde eorum sententia est irrita ; quia in eis judiciis deest potestas in eum qui judicatur, v. gr. si sæculares judices judicent clericum in quibus non possunt.

4. *In quibus judiciis possit judex reum subjicere torturæ.* Resp. 1° : Ad torquendum reum (si tamen fas sit eum torquere, nam quædam personæ illustres, impuberes, etc., prohibentur torqueri) requiruntur alicujus gravis criminis talia indicia, ut faciant semiplenam probationem, id est, reddant rem plusquam probabilem : v. gr. testis unus omni exceptione major, rei confessio extra judicium, et ejus criminis sociorum, etc., tortura autem non debet esse moraliter supra vires patientis. 2° Semel tortus, si nihil fassus est, non debet iterum torqueri, nisi adsint indicia nova. Si crimen in tortura fassus extra eam revocet, potest repeti tortura. Si vero tertio tortus est crimen fassus, tertio retractet, absolvendus est; quia præsumendum est vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam (Lessius, etc.).

5. *Quam regulam sequi debeat judex in ferenda sententia.* Resp. : 1° In causis civilibus et in criminalibus minoribus, in quibus non agitur de capite et mutilatione, sed solum de multa pecunia, de fundis, de ædibus, de privatione officii, exsilio, etc., debet judex ferre sententiam secundum allegata et probata, quamvis privata scientia sciret rem aliter se habere, aut accusatum esse innocentem, dum ejus innocentiam probare non potest : ita doctores communiter. Resp. 2° : In causis criminalibus, in quibus de pœna capitis aut mutilatione agitur, judex non potest condemnare eum quem privata scientia certo novit innocentem esse, quamvis secundum allegata et probata censeatur nocens ; sed potius debet perdere officium et vitam : ita Angelus, Adrianus, Lessius, Laymannus, Lugo, etc., contra D. Thomam et multos Thomistas , qui tamen fatentur, judicem in eo casu teneri, quantum potest, innocentem liberare, v. gr. accusatorem repellendo ac deterrendo, testes seorsim diligentius ac sæpius examinando, accusati innocentiam palam protestando ; et si illa non prosint, causam remittendo ad superiorem, et apud eum, posita judicis persona, testem agendò ; imo si absque gravi incommodo possit, officium abdicando. Probatur conclusio, quia non licet, et intrinsece malum est innocenti vitam auferre.

6. *Ad quid teneatur, qui sententiam injustam tulit.* Resp. Judex qui culpabiliter, sive per malitiam, sive per ignorantiam, tulit sententiam injustam in substantia, tenetur etiam cum gravi damno eam revocare, et compensare omnia damna partis læsæ; qui autem inculpabiliter, solum tenetur revocare, si id possit sine gravi incommodo. Dixi *in substantia*, quia si fuerit solum injusta in modo, non tenetur eam revocare, sed tantum compensare damna orta ex indebito modo procedendi.

7. *Quid faciendum judici, cum utrinque sunt sententiæ probabiles in quæstione juris.* Resp. debere ferre sententiam secundum opinionem de jure probabiliorem. Si autem opiniones oppositæ æque probabiles videantur, non potest pro suo libitu uni eorum totum adjudicare, cum uterque æquale jus habeat ; sed suadebit aut imperabit compositionem, vel uni dimidium, et alteri alterum dimidium juris vel rei controversæ adjudicabit.

8. *An possit judex acceptare munera.* Resp. : Utroque jure civili et canonico est prohibitum ob scandalum et periculum , exceptis quibusdam xeniis esculentorum et poculentorum, quæ paucis diebus consumi possunt (*L. Plebiscito*, etc.). Hoc tamen non est naturæ jure illicitum ; nec muneris oblati acceptatio per se loquendo invalida.

9. *An judex teneatur restituere pretium acceptum pro ferenda sententia.* Resp. teneri, si illud acceperit pro ferenda sententia justa et debita, quando nempe habet justum salarium ; quia jus naturale dictat non posse alteri vendi quod jam ante ei debitum est ex justitia ; si autem istud acceperit pro injusta ferenda sententia, probabiliter retineri potest, quia acceptum est pro onere pretio æstimabili aliunde indebito (P. Taberna, part. II, tract. 2, cap. 29).

CAPUT XXXII.

De accusatore et teste.

1. *Quid sit accusatio.* Resp. : Est juridica delatio rei de crimine ad publicam vindictam, libello facta.

Hinc requiritur ut fiat in scriptis, exprimatur dies et annus quo fit, cum nomine accusatoris et accusati, et species delicti, locus ac tempus quo delictum commissum est.

2. *Quinam teneantur accusare.* Resp. : Præter hos qui stipendium ad hoc accipiunt, v. gr. fiscalis, etc., raro alii tenentur, nisi in duobus casibus : 1° quando crimen vergit in damnum reipublicæ ; 2° quando ex crimine adhuc pendente imminet grave damnum tertio, et nullum accusati ex accusatione.

3. *An accusationem debeat præcedere secreta monitio.* Resp. : Peccat contra charitatem privatus, qui de crimine occulto minime pernicioso, statim accusat honestam personam, quæ posset privata monitione emendari.

4. *An accusator possit desistere ab incepta accusatione.* Resp. posse, si judex nolit accusationem admittere, aut admissam rescindat, aut deprehendat se errasse ; aut in causa civili, si recedat a lite per transactionem vel gratiam : in causa autem criminali, si processus sit inchoatus, non potest desistere sine judicis auctoritate.

5. *Quot et qui testes requirantur in causa tum civili, tum criminali.* Resp. 1° : Ordinarie requiruntur et sufficiunt duo, distincti ab accusatore, saltem quando agitur de peccato puniendo. Debent esse jurati, contestes, id est, singulare idem factum testantes, testes de visu, non de auditu tantum, denique omni exceptione majores, id est, contra quos nihil potest jure opponi. 2° Inidonei ad testandum in criminalibus sunt servi, mulieres, minores viginti annis; in civilibus autem impuberes, inimici, consanguinei accusatoris, et affines ad quartum gradum, ejusdem domestici, jure infames, perjuri, socii criminis.

6. *An testis teneatur sub mortali dicere veritatem.* Resp. teneri per se loquendo, si sit juridice interrogatus, id est, a judice competente, cum præcessit infamia, vel justa accusatio, potestque delictum plene probari ; item si inde imminet grave reipublicæ damnum, vel innocentis. Per accidens autem non tenetur, si crimen sciat ex confessione sacramentali, aut sub sigillo secreti naturalis ab ipso reo consilium petente, si per injuriam criminis confessionem ab eo extorserit, si non possit testari sine suo vel suorum gravi incommodo, si sit exceptus, v. gr. clericus, etc.

7. *Ad quid tenetur, qui scienter falsum dixit testimonium.* Resp. : Si per hoc fuit alteri causa efficax damni, tenetur ad impeditionem et reparationem omnium damnorum inde secutorum; item tenetur illud revocare cum pari suo damno, et periculo etiam vitæ, si reus de ea periclitetur, et putetur illud revocando aliquid effecturus.

CAPUT XXXIII.

De reo et advocato.

1. *An reus possit occulta accusatoris et testium crimina ad justam sui defensionem revelare.* Resp. posse, si illa valeant ad infirmandam eorum auctoritatem et testimonium, et non sit alius modus commodus ; servato tamen inculpatæ tutelæ ordine.

2. *An reus a judice interrogatus teneatur fateri veritatem.* Resp. : Si illigitime contra juris ordinem interrogetur, id est absque prævia infamia, semiplena probatione, aut indiciis sufficientibus, non tenetur fateri veritatem, sed potest per ambages interrogationem eludere ; tenetur autem eam aperire, si servato juris ordine interrogetur : ita D. Thomas et alii communiter, quia tunc judex habet jus id præcipiendi ; oppositum tamen, saltem in causa capitis, quandiu est spes evadendi, juxta Lessium, Filliucium, etc., probabile est : quia præceptum de dicendo vero videtur in eo casu excedere vires humanæ conditionis, et potestatem legislatoris.

3. *An reus teneatur parere judici ferenti sententiam.* Resp. : Judici secundum leges et juris ordinem ferenti sententiam probabilem, tenetur in conscientia parere, præsertim in civilibus ; secus si sententia sit evidenter injusta. Tunc enim secluso scandalo, potest rem suam licet alteri adjudicatam, retinere, aut uti occulta compensatione. Imo qui ad mortem evidenter injuste, et non servato juris ordine damnatus est, potest etiam per vim adversus ministros se defendere, quia tunc sententia est injusta etiam in foro externo (P. Taberna, part. II, tract. 2, cap. 29).

4. *An liceat reo ex carcere fugere.* Resp. : Ante sententiam latam ei licet ex carcere fugere, secluso juramento non fugiendi. Imo etiam post sententiam, si damnatus sit ad mortem, aut mutilationem ; et etiam probabiliter si ad carcerem perpetuum, præsertim durum ; secus, si ad temporarium : ita doctores communiter, juxta quos potest etiam vincula et carcerem effringere ; non tamen vim inferre carceris custodibus, quia hoc foret vim inferre potestati publicæ in ipsis residenti. Hinc licitum est suadere ei fugam, et ad evasionem instrumenta subministrare ; non tamen ejus vincula aut carcerem effringere (P. Platel., part. III, cap. 4, § 10).

5. *Quid liceat advocato quoad causas.* Resp. 1° : Potest advocatus licite suscipere causam dubiam et minus probabilem, modo sit vere probabilis, et causæ conditionem suo clienti aperiat ; cum enim cliens si sit possessor boni litigiosi, in eo casu possit velle litigare spe evadendi, potest etiam advocatus ejus patrocinium suscipere. Non potest tamen, sub gravi peccato, suscipere causam quam scit esse injustam, teneturque tum clienti tum adversæ parti de omnibus damnis. 2° Peccat contra justitiam, si ejus negligentia aut imperitia cliens justa causa cadat, teneturque de damno quod ei inde obvenit. 3° Item peccat, si plus in stipendium exigat, quam sit lege aut consuetudine taxatum, nisi forte ratione extraordinariæ diligentiæ. 4° In causa crimi-

nali potest reum, etiam vere reum defendere, ut mortem aliamve pœnam evadat; quia reus non tenetur ad pœnam nisi convictus; ergo potest per se vel per alium eam avertere donec convincatur. 5° Pauperibus in extrema aut gravi necessitate constitutis tenetur graviter patrocinari gratis, sine gravi tamen suo incommodo; id enim lex charitatis exigit.

CAPUT XXXIV.

De tributis et vectigalibus.

1. *Quid tributum et vectigal.* Resp. 1° : Tributum est pensio quæ subditis solvenda imponitur, juxta cujusque facultates, maxime prædiales, ad principis dignitatem vel communia impedia sustinenda; 2° vectigal proprie est id quod solvitur pro rebus quæ exportantur vel importantur in regnum aut urbem, aut pro transvectione mercium per flumina vel pontes, etc.; sæpe utrumque nomen confunditur.

2. *Quæ conditiones requiruntur ut vectigal seu tributum censeatur justum.* Resp. : Hæ, juxta Cajetanum, requiruntur : debet esse justum, 1° ex *agente*, id est ex habente legitimam potestatem; 2° ex *fine*, id est impositum ex juxta causa; 3° ex *forma*, id est impositum pro ratione cujusque facultatum et contractuum, quos quisque facit; 4° ex *materia*, id est, impositum illis rebus quæ negotiationis causa deferuntur : non vero illis quæ ad usus necessarios et inopiæ solatium emuntur et venduntur, ut sunt panis, potus communis civium, caro, et similia; 5° ex *usu*, id est, impositum ad necessarios publicæ rei usus. Medina autem requirit tantum tres primas conditiones ad justitiam tributi. Hinc in quibusdam regnis imponuntur etiam tributa rebus ad cibum et potum spectantibus; v. gr. sali, cerevisiæ, etc.

3. *An ecclesiastici sint a vectigalibus exempti.* Resp. 1° : Certum est ecclesias et ecclesiasticas personas, et res illarum a vectigalibus solvendis exemptas esse, ut patet ex jure; imo Bonifacius VIII excommunicat illa exigentes. 2° Bona etiam patrimonialia, et alia sæcularia, quæ ad ecclesiasticos vel ad ecclesias aut ad monasteria deveniunt, sunt immunia a novis tributis imponendis. Probatur ex constitutione Bonifacii VIII et ex bulla *Cœnæ*. 3° In quibusdam tamen casibus clerici non sunt exempti, v. gr. si quæ emant, vendant, deferant negotiationis causa; si contributio facienda sit æque primario in utilitatem clericorum ac laicorum; si laicorum facultates non sufficiant ad succurrendum publicæ necessitati.

4. *Quinam clerici sint exempti.* Resp. 1° omnes clericos sacrorum ordinum, ac beneficiarios, et religiosos ac religiosas exemptos esse. 2° Clerici minorum ordinum et primæ tonsuræ, si non sint conjugati, secundum canones, sunt etiam a tributis liberi, etsi neque beneficiarii sint, neque in aliqua ecclesia deserviant. Longa tamen consuetudine contraria videntur hanc exemptionem amisisse; jam enim a multo tempore solvunt vectigal sicut laici. 3° Clerici conjugati non sunt exempti a vectigalibus, neque jure canonico neque consuetudine. Sed in variis locis hæ exemptiones et immunitates ecclesiasticæ non adeo sunt in usu, nec servantur.

5. *Quænam sit causa legitima imponendi vectigalis.* Resp. Duplex est : 1° *necessitas publica*, sed debet constare istam necessitatem exigere tale vectigal; nec debet majus esse, nec diutius continuari quam causa postulat; neque in alienos usus impendi, v. gr. in prodigas largitiones, aliasque inutiles expensas. 2° *Compensatio sumptuum, damnorum publicorum ac justa vindicta.* Sic vectigal imponitur rebellibus qui fuerunt causa multorum sumptuum et damnorum; item hostibus externis devictis.

6. *An vectigalia super iis rebus, quæ ad necessarium familiæ usum emuntur, venduntur, advehuntur, juste imponi possint.* Resp. cum Cajetano, Toleto, etc., ordinarie non posse. Sunt tamen casus in quibus illa imponi possunt, v. gr. si publica necessitas urgeat, et vectigalia, quæ aliunde colligi possunt, non sufficiant; si sit consuetudo immemorialis, etc.

7. *An qui vectigal fraudant, peccent mortaliter, et teneantur ad restitutionem.* Resp. : Quando constat hujusmodi vectigal esse juste impositum, et utiliter expendi, eos qui illud fraudant in summa notabili, probabilius peccare mortaliter, et ad restitutionem teneri. Multi tamen viri docti existimant, vectigal, præsertim grave, pro rebus de loco in locum transvehendis, non debere solvi nisi exigatur, modo nihil fraude agatur; probabilius tamen servanda est consuetudo. Deinde multi etiam doctores affirmant, omnia nova vectigalia, et veterum vectigalium nova incrementa, nisi constet de eorum justitia, non obligare ad eorum solutionem, si absit scandalum : ita Angelus, Cajetanus, Gabriel, etc. Sed verius est subditos teneri ad eorum solutionem, dum non habent fortes et sufficientes rationes de illorum injustitia.

8. *An is, cui princeps est debitor, et a quo non potest sui debiti solutionem impetrare possit uti occulta compensatione per fraudationem vectigalium quæ alteri sunt elocata.* Resp. affirmative : ita Lessius, Sylvester, Petrus, Navarra, Gabriel : quia isti elocatores seu conductores norunt plurimas subditorum fraudationes in solvendis istis vectigalibus intervenire, ideoque longe minori pretio illa conducunt, quam valeant. Unde in ipso contractu censentur esse parati talia incommoda subire.

CAPUT XXXV.

De beneficiis.

1. *Quid beneficium et quotuplex.* Resp. 1° : Beneficium est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod officium spiritale, auctoritate Ecclesiæ constitutum. Dicitur *perpetuum*, quia beneficia sunt instituta ut semper durent, ita ut dum uni tolluntur, alteri tribuantur :

additur, *auctoritate Ecclesiæ*, et hinc capellaniæ nobilium privata auctoritate constitutæ, non sunt beneficia. 2° Dividitur beneficium in *sæculare*, quod clericis sæcularibus, et in *regulare*, quod regularibus competit, ut abbatia. Iterum dividitur in *duplex*, quod habet aliquam præeminentiam, jurisdictionem, vel administrationem ecclesiasticam, quale est papatus, episcopatus, decanatus, abbatia, parochia, personatus, seu in choro præeminentia; et in *simplex*, quod nihil istorum habet, v. gr. simplex canonicatus, capellania, etc.

2. *Quot modis beneficia acquiruntur*. Resp.: Sex, 1° præsentatione et institutione; 2° electione et confirmatione; 3° postulatione et confirmatione; 4° libera collatione; 5° resignatione; 6° permutatione.

3. *Quomodo acquiratur beneficium præsentatione*. Resp.: Sic: Patronus præsentat prælato, ad quem beneficii collatio pertinet, personam idoneam, per quam præsentationem confert illi jus ad rem, ita ut beneficium alteri conferri nequeat; jus tamen in re et ipsa beneficii collatio per institutionem datur a prælato. Jus præsentandi seu patronatus acquiritur præcipue tribus modis: 1° si quis ecclesiæ construendæ fundum det; 2° si eam cum episcopi consensu construat; 3° si eam dotet, vel aliquod beneficium erigat. Hinc jus patronatus, aliud ecclesiasticum, quod alicui competit eo quod ex bonis ecclesiasticis; aliud laicum, quod alicui competit eo quod ex bonis sæcularibus vel patrimonialibus ecclesiam fundavit, vel construxit, vel dotavit. Patronus laicus debet præsentare intra quatuor menses a vacatione beneficii; ecclesiastico conceduntur sex; hoc tempore elapso potest episcopus conferre beneficium cui voluerit.

4. *Quomodo acquiratur beneficium electione*. Nota: Electio est alicujus personæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio. Nunc resp. Tres sunt modi eligendi: 1° per scrutinium, seu collectionem suffragiorum, in quo necesse est, ut major ac sanior pars capituli in eumdem consentiat; 2° per compromissum, quando capitulum potestatem eligendi uni vel pluribus committit; 3° velut per inspirationem, quando omnes uno corde et ore in eumdem subito consentiunt. Sic electus acquirit jus ad rem, non jus in re, nisi post secutam confirmationem.

5. *Quomodo acquiratur beneficium postulatione*. Nota: Postulatio est exhibitio personæ ad prælaturam ineligibilis absque dispensatione, vel ob defectum ætatis, aut natalium, vel quia non erat de capitulo. Postulare vero est petere a superiore, ut talem personam ad talem ecclesiam seu dignitatem vacantem, non obstante defectu quem habet, admittat. Nunc resp. Postulatio ab ipso electorum capitulo sic facienda est, ut duæ saltem partes tertiæ consentiant; sic facta postulatio nondum tribuit jus ad rem in beneficium, nam potest adhuc a postulantibus revocari, et a superiore rejici. Opus est ergo ut postulatus obtineat confirmationem, qua obtenta, fruitur beneficio.

6. *Quomodo acquiratur beneficium libera collatione*, quæ est datio beneficii facta per prælatum non subjacentem juri patronatus, aut præviæ electioni, Resp.: Quamvis in quavis diœcesi episcopus sit proprius et ordinarius collator omnium beneficiorum, tam patronatorum, quam liberorum, sæpe tamen ex privilegio, fundatione, aut legitima præscriptione idem jus competit aliis ecclesiasticis; sicque eorum libera collatione acquiritur beneficium. Sic et papa est universalis collator beneficiorum in tota Ecclesia, et illa confert tribus modis: 1° jure *præventionis*, v. gr. quando alicui confert gratiam exspectativam ad beneficium primo vacaturum. 2° Jure *concursus* cum aliis collatoribus, sic ut qui prior beneficium contulerit, rata sit ejus collatio. Verum, ad vitandam confusionem, papa raro hoc modo conferendi beneficium utitur, cujus loco sibi in variis ecclesiis reservavit certos menses, cæteris ordinario permissis. 3° Jure *devolutionis*, quando ratione criminis, v. gr. ob Simoniam, aut ratione negligentiæ collatoris, jus conferendi ad illum devolvitur ex canonum dispositione.

7. *Quomodo acquiratur beneficium resignatione*. Resp. Acquiritur, dum quis spontanee suum beneficium dimittit coram legitimo superiori. Resignatio autem alia *pura*, quæ fit sine omni pacto ac conditione, sic ut ordinarius possit beneficium, si sit ipsius collationis, conferre cui voluerit; alia *conditionalis*, quæ fit in favorem tertii: et rursus in favorem tertii potest fieri dupliciter, vel reservando sibi jus regressus, vel pensionem, vel aliquos fructus; vel sine ulla reservatione. Si resignet cum hac clausula, *non aliter, nec alias*, solum isti tertio beneficium poterit conferri; sed talis resignatio per se loquendo solum potest fieri in manibus papæ. Attamen, ubi non est recepta bulla Pii V id prohibens, potest fieri in manibus ordinarii, cum deprecatione ut tali personæ conferre velit, sed ad id eum non obligando. Infirmus resignans beneficium in favorem tertii, debet supervivere ad viginti dies; alioqui resignatio nulla est, et per ejus obitum vacabit.

8. *Quando acquiratur beneficium permutatione*. Resp. Sic acquiritur: Clerici sua beneficia resignant in manus ordinarii cui subsunt beneficia, ea lege ut alterius beneficium alteri reciproce conferatur. Dixi *ordinarii*, quia non potest fieri in manibus episcopo inferioris. Ad hanc permutationem debet peti consensus eorum, ad quos pertinet electio vel præsentatio; quem si negent, poterit episcopus sua approbatione consensum supplere, si patronus non sit laicus. Facta resignatione ad mutuam permutationem, beneficia necessario conferenda sunt in permutantes. Si, permutatione ex una parte completa, alter ex sua parte conditionem non impleat, deceptus potest redire ad suum beneficium.

9. *Quot conditiones requiruntur ut quis sit capax*

beneficii : Resp. A Lessio decem numerantur : 1ª *Torus legitimus* : illegitimi tamen possunt reddi capaces, etiam episcopatus, per dispensationem papæ, non episcopi, qui cum illis solum potest dispensare ad ordines minores, et beneficia simplicia, quibus non est annexus ordo sacer, etc.

2ª *Clericatus*, seu prima tonsura, quæ est necessaria ad quodvis beneficium, ut ea deficiente collatio sit irrita. Si beneficium ex sua institutione requirat certum ordinem sacrum, v. gr. diaconatum, sacerdotium, illo carens est inhabilis ad istud beneficium. Ex consuetudine tamen sufficit, si intra annum ordo suscipiatur; ad episcopatum requiritur ante ejus susceptionem subdiaconatus, et ut eo suscepto intra tres menses fiat consecratio, sub pœna jacturæ fructuum, imo et episcopatus, si ultra tres alios menses negligatur. Ex Tridentino, sess. 23, cap. 1.

3ª *Ætas*, quæ pro ratione beneficii varia requiritur. Ad episcopatum requiruntur triginta anni expleti; ad beneficium simplex sufficiunt quatuordecim anni inchoati, etc.

4ª *Cælibatus* : conjugatus enim est incapax beneficii. Si clericus minorum ordinum habens beneficium, ineat matrimonium, ipso facto illud amittit, uti et novitius dum facit professionem

5ª *Libertas* a censuris et irregularitate : hinc excommunicatus inhabilis est ad beneficium.

6ª *Morum probitas* ; 7ª *scientia* ; 8ª *aptitudo corporis* : hæ tres qualitates debent esse tales, ut sufficiant ad officium rite præstandum.

9ª *Intentio*, nempe status ecclesiastici suscipiendi statuto tempore. Hinc accipiens beneficium, cui annexus est ordo sacer, si non habeat intentionem suscipiendi statuto tempore sacrum ordinem, juxta communem, peccat mortaliter; uti et is qui accipit beneficium, ut ejus fructibus alatur donec studia absolverit, cum animo tunc illud dimittendi.

10ª *Carentia beneficii incompatibilis*. Beneficia incompatibilia sunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo beneficia sub eodem tecto uniformia, id est in eadem ecclesia, etc. Potest tamen pontifex ex justa causa dispensare.

10. *Quomodo et quando beneficii collator peccat*. Resp. Peccat mortaliter, si conferat beneficium indigno, cum dignus haberi potest. Item per se loquendo, si minus dignum præferat notabiliter digniori in beneficio habente curam animarum, vel ecclesiasticam jurisdictionem, aut administrationem magni momenti, quia ista graviter repugnant justitiæ distributivæ et bono communi. Major autem dignitas non petitur ex sola doctrina ac virtute, cum sæpe accidat, ut minus sanctus aut minus doctus sit magis idoneus ratione prudentiæ, nobilitatis, dexteritatis in rebus agendis.

11. *Quomodo amittatur beneficium*. Resp.. Quatuor modis : 1° per mortem beneficiati ; 2° per juris dispositionem, v. gr. per alterius beneficii incompatibilis consecutionem, per professionem religiosam, per matrimonium validum, per crimen hæresis, schismatis, Sodomiæ sæpius exercitæ, etc. ; 3° per sententiam judicis, v. gr. ob homicidium, ob adulterium, etc., privantis reum suo beneficio ; 4° per liberam resignationem.

CAPUT XXXVI.

De obligationibus beneficiatorum.

1. *An teneantur beneficiati ad horas canonicas*. Resp. 1° : Omnes beneficiati, regulariter loquendo, sub mortali obligantur ad horas canonicas : ex concilio Lateranensi et ex constitutionibus Pii V. Excipe quasdam præposituras et personatus, quibus ex sua institutione solum annectitur obligatio ad horas beatæ Virginis, vel ad quinies *Pater* et *Ave*, aut ad psalmum *Miserere*. 2° Ad hanc autem obligationem probabilius requiritur possessio, ante quam non censetur perfecte haberi beneficium. Si tamen ipse sit in mora accipiendi possessionem, tunc tenetur ; qui vero ex suo beneficio absque sua culpa fructus non percipit, non eos postea percepturus est, v. gr. si ab hostibus occupetur, est liber ab horis, nisi vivat tunc ex fructibus in præcedentium annorum decursu collectis. Non tamen canonici, juxta communiorem sententiam, quibus ex usu quarumdam ecclesiarum primo et secundo anno omnes fructus subtrahuntur applicandi fabricæ, aut prælato, vel senioribus, vel solvendis canonici defuncti debitis et expensis pro funere ; quia eos recipient in æquivalenti, sive vita, non contribuendo quot annis aliquid pro fabrica, sive post mortem, fructibus unius anni reservatis pro eorum funere. Reliqua circa horarum obligationem et recitationem, vide in *Summa* B. Suarez.

2. *Quinam beneficiati teneantur ad residentiam, et quomodo*. Resp. 1° : Omnes habentes beneficia curata tenentur jure divino residere, in quo proinde pontifex non potest dispensare, licet subinde ob circumstantias aliud exigentes cesset ejus obligatio ex Tridentino. 2° Episcopi possunt singulis annis justa ex causa, etiam absque approbatione superioris, a suis ecclesiis abesse ad tres menses, non ultra, nisi id postulet aliquod reipublicæ munus episcopatui annexum, v. gr. eundi ad comitia. Si aliter diutius abfuerint, peccant mortaliter, et pro rata fructus non faciunt suos, ex Tridentino. Parochis sub eadem culpa prohibitum est abesse a suis ecclesiis ultra duos menses ; imo probabilius ne bimestri quidem abesse possunt absque ordinarii approbatione, ex Tridentino. Denique, quamvis omnia beneficia de jure communi exigant residentiam, quædam tamen simplicia ex consuetudine vel fundatione illam non exigunt.

3. *Quænam causæ excusent beneficiatum a residentia*. Resp. 1° : Studium theologiæ aut juris canonici ad quinquennium ; 2° earumdem scientiarum professio ad quantumvis tempus ; 3° professio humaniorum litterarum aut philosophiæ, sed tantum ex licentia episcopi, etc.

CAPUT XXXVII.

De pensionibus.

1. *Quid et quotuplex pensio.* Resp. 1° : Pensio est jus percipiendi aliquos fructus ex beneficio alieno ; 2° pensio est triplex : alia *laica*, quæ datur laico, ob aliquod obsequium temporale Ecclesiæ præstitum aut præstandum ; alia *clericalis*, quæ datur ob spirituale obsequium, v. gr. ob conciones ; alia *mista*, quæ datur clerico, sed non ob officium spirituale, v. gr. ea quæ datur pastori seni, aut quæ constituitur ob resignationem beneficii.

2. *Quid requiritur ad constituendam pensionem.* Resp. 1° : Ex parte pensionarii torus legitimus, clericatus, libertas a censuris, et reliqua fere omnia quæ requiruntur ex parte beneficiarii ad habendum beneficium. 2° Ex parte causæ, justitia ; unde habens pensionem absque justa causa, etiam a papa, non est tutus in conscientia. 3° Ex parte constituentis pensionem requiritur potestas, quæ per se loquendo soli papæ competit. Episcopis tamen probabiliter in quibusdam casibus, v. gr. ob paupertatem et senectutem resignantis, vel ob transactionem in lite mota super beneficio. Potest constitui pensio absque consensu patroni, cum per eam non privetur ullo jure. Debet esse moderata, ne nimium gravetur beneficiarius, præcipue in beneficio habente annexam curam animarum

3. *Quomodo amittitur seu exstinguitur pensio.* Resp. : 1° morte pensionarii ; 2° ejusdem matrimonio valido, aut professione religiosa ; 3° renuntiatione etiam absque superioris licentia ; 4° redemptione.

4. *Ad quid obligatur habens pensionem ecclesiasticam, id est clericalem aut mistam.* Resp. Jure antiquiore ad nihil obligatur, sed jure novo Pii V obligatur ad horas beatæ Virginis quotidie recitandas, ita ut alioqui fructus non faciat suos, ubi bulla quoad hoc recepta est.

Reliqua quæ spectant ad hanc materiam de justitia et jure, nempe de religione, de oratione, de juramentis, de votis, etc., habentur sigillatim in dicta *Summa* P. Suarez, ideoque hic omitto.

APPENDIX SECUNDA.

DE MATRIMONIO.

Hæc materia tres partes continet : sponsalia, matrimonium secundum se spectatum, et matrimonium ut est sacramentum.

—

PARS PRIMA.

De sponsalibus.

—

CAPUT PRIMUM.

Quid sponsalia, et quomodo contrahantur.

Resp. 1. Sponsalia, prout hic sumuntur, est mutua futurarum nuptiarum promissio. Dicitur *mutua*, quia, cum hic contractus sit onerosus, utrinque includens obligationem, debet esse promissio et repromissio ; unde si hic promittat matrimonium, et illa acceptet tantum, sed non repromittat, non erunt sponsalia, nisi ista acceptatio censeretur forte virtualis repromissio. Qui tamen promittit, tenetur exsequi suam promissionem acceptatam, si acceptans velit. Deinde ista promissio et repromissio debet esse voluntaria et libera. Hinc, quamvis sponsalia, inita ex metu gravi injuste incusso, forte essent valida, juxta quosdam sunt tamen rescindibilia pro arbitrio metum passi. Sed si metus fuerit levis aut juste incussus, tunc sunt valida : denique facta sine vero interno consensu seu ficto, in foro conscientiæ absolute non sunt valida, in quo tamen tenetur promittens vel compensare damnum, si quod inde evenerit, vel ponere verum consensum, et commisit peccatum grave. In foro autem externo præsumitur fuisse verus internus consensus. Non contrahit sponsalia qui dicit : *Spondeo me non aliam ducturum quam te ;* quia potest nullam ducere.

Resp. 2. Variis modis sponsalia contrahuntur : 1° vel expresse dicendo : *Promitto tibi matrimonium ;* vel tacite, dum parentes præsentibus liberis et quid agatur audientibus, eorum nomine contrahunt, tunc enim liberorum taciturnitas censetur tacitus consensus. 2° Inter ipsos sponsos præsentes, vel inter absentes per procuratorem aut litteras. 3° Vel publice vel clandestine ; quamvis enim clandestinus matrimonii contractus per Tridentinum sit invalidus, sponsalium tamen nec invalidus, nec per se illicitus, seclusis specialibus locorum constitutionibus. 4° Vel absolute vel conditionate ;

conditionata tamen non sortiuntur perfectam sponsalium rationem, nisi quando purificata conditione transeunt in absoluta.

CAPUT II.

Quinam possint valide sponsalia contrahere et qua ætate.

Resp. 1. Soli possunt, qui aliquando possunt valide et licite matrimonium inire: nemo enim potest se obligare ad rem impossibilem vel illicitam. 2. Sponsalia non contrahuntur valide ante septennium completum. Si autem post septennium sed ante pubertatem contracta sint, possunt ab utrolibet rescindi, statim atque ad pubertatem pervenerint, non ante. Per ly *statim* communiter intelligitur intra triduum. Quod si malitia suppleat ætatem, id est, si ante septennium aperte constet sponsos habere sufficientem rationis usum ad talem contractum, D. Thomas, Henriquez, Laymanus, Sanchez, cum triginta sex doctoribus et amplius, putant esse valida: multi tamen alii id negant.

CAPUT III.

Qui sint effectus sponsalium.

Resp. 1. Effectus est gravis obligatio contrahendi matrimonium, a contrahentibus præfixo tempore; aut si tempus non sit præfixum, parte altera opportune id exigente. Datur tamen in dilatione parvitas materiæ. Quod si pars a sponsalibus injuste resiliat, aut longiores moras trahat sine ratione, potest cogi per judicem, etiam censuris. Si tamen timeretur ex coactione malus exitus, servandum est quod habetur cap. *Requisivit* De sponsalibus, ubi dicitur: pars quæ renuit sponsalia, monenda potius quam cogenda.

2. Est jus quoddam quod acquirit sponsus in corpus sponsæ, et sponsa in corpus sponsi, ita ut si utervis fornicetur, non tantum peccet contra castitatem, sed etiam contra justitiam; quæ injustitiæ malitia fornicationi superaddita communius censetur mortalis, respectu sponsæ, adeoque confitenda; tantum venialis respectu sponsi, quia illa, dum corrumpitur, fit deterior ac vilior.

3. Copula inter sponsos secuta affectu maritali (Nota: *affectu maritali*) sponsalia transeunt in matrimonium ubi Tridentinum non est receptum; Tridentinum enim ad valorem matrimonii requirit præsentiam parochi, etc.

4. Est impedimentum publicæ honestatis.

CAPUT IV.

Causæ dissolvendi sponsalia.

1. Sponsalia puberum dissolvuntur mutuo sponsi et sponsæ consensu, quamvis sint jurata; et id potest fieri licite. Impuberum autem non possunt ante pubertatem mutuo consensu dissolvi. Potest tamen una pars facta pubes sine consensu alterius, licet adhuc impuberis, resilire statim, id est, intra triduum post pubertatem; et id exterius declaretur oportet. Si quis autem post pubertatem contraxit sponsalia cum impubere, debet exspectare pubertatem illius, ut, si velit, resiliat; quod si statim non resiliat, firma erunt sponsalia, nec poterunt amplius dissolvi nisi mutuo consensu.

2. Per matrimonium contractum cum alia persona, non autem per secunda sponsalia, etiam jurata. Hoc ipso tamen quo quis matrimonium alteri promittit aut tentat illud inire, censetur ex parte sua renuntiasse prioribus sponsalibus, adeoque partem alteram innocentem liberasse ab obligatione sponsalium, non tamen seipsum. An autem mortua uxore, priora sponsalia reviviscant, controvertitur.

3. Per professionem religiosam aut vota substantialia, in religione approbata, et per susceptionem ordinis sacri. Per solum autem ingressum aut votum ingrediendi religionem, an dissolvantur, hæc videntur dicenda: 1° Pars in mundo remanens, potest resilire si velit. 2° Pars religionem ingressa aut quæ vovit ingredi, non liberatur absolute ab obligatione sponsalium; si enim non ingrediatur aut egrediatur, debet matrimonium inire, si pars adhuc velit. 3° Sponsus non potest illam ingredi, nisi resarciat damna sponsæ, si quæ ab eo passa sit; unde si eam deflorasset, nec posset aliter, nisi per matrimonium, istud damnum resarcire, non posset religionem ingredi. Sed vide Toletum, Navarram, Rebellum, etc., hac super re varie disputantes.

An autem per votum perpetuæ castitatis in sæculo, aut sacri ordinis suscipiendi superveniens sponsalibus, etiam dissolvantur ex parte voventis, affirmant Henriquez, Sotus, Pontius, etc., quia dicunt sponsalia includere hanc tacitam conditionem: *Nisi ad statum perfectiorem transire voluero:* Negant vero Sanchez, Ægidius de Coninck, etc., probabilius, quia istud votum, aiunt, est de re illicita, nempe contra jus alterius partis acquisitum per sponsalia.

4. Per superveniens impedimentum matrimonii: v. gr. si sponsus contrahat affinitatem cum sponsa sua, cognoscendo ejus sororem. Multi tamen putant partem, quæ posuit impedimentum, posse cogi a comparte ad petendam dispensationem ut matrimonium contrahat.

5. Per culpabilem moram partis in contrahendo matrimonio intra tempus præfixum; quæ enim est in mora culpabili, censetur alteri obligationem remittere, quamvis ipsa adhuc maneat obligata, si altera pars velit contractum perficere. Dixi *per culpabilem moram;* si enim sit inculpabilis, v. gr. ob morbum, tenetur altera pars exspectare aliquandiu juxta arbitrium boni viri, nisi terminus fuerit præfixus, ad finiendam obligationem.

6. Per discessum unius in terram longinquam absque alterius licentia; nec necesse est exspectare triennium, ut vult jus. Si cum licentia discesserit, exspectandum est præfixum tempus reditus.

7. Per fornicationem sponsi aut sponsæ cum

tertia persona post sponsalia. Idem juxta communem dicendum, si sponsa sinat se ab alio turpiter tangi, quia sic habetur impudica, et fit notabiliter vilior. Hoc etiam extendunt aliqui ad sponsum, si habeat frequentes actus turpes erga aliam. In utroque tamen casu sola pars innocens liberatur ab obligatione sponsalium. Quod si utraque pars fornicata sit, putat probabiliter Bonacina neutram posse resilire, quia delictum unius delicto alterius compensatur. Sanchez tamen dari compensationem negat, adeoque in hoc casu putat sponsum posse resilire, non sponsam.

8. Per quamcunque mutationem notabilem supervenientem sponsalibus, quæ, si præcessisset, non fuissent inita : v. gr. si superveniat notabilis deformitas, informitas habitualis, aut contagiosa, paupertas, infamia, sponsæ corruptio, etiam per vim, magna morum mutatio in pejus aut fortunarum in pejus aut melius, etc. Item si quid horum latens, post contracta sponsalia detegatur, et nominatim si quæ virgo putabatur, cognoscatur fuisse corrupta, licet per vim.

Petes, an quando adest sufficiens causa ad sponsalium dissolutionem, necessaria sit judicis auctoritas ad ea dissolvenda. Resp. negative, si sit causa manifesta, vel ipso jure expressa ad ea dissolvenda, v. gr. si sponsus aut sponsa in religione professionem aut vota emittat, si sponsus sacris initietur ; affirmative autem si sit dubia, aut si scandalum sequeretur : ita Sanchez, Navarra, etc. Judex autem cujus auctoritate dissolvenda sunt, debet esse ordinarius aut delegatus, non vero parochus, cum hic non habeat jurisdictionem in foro externo : Sanchez, Bonacina, etc., juxta quos, ut dissolvantur sponsalia jurata, non est necesse petere juramenti relaxationem.

—

PARS II.

De matrimonio secundum se spectato.

—

CAPUT PRIMUM.

Quid matrimonium, et quotuplex.

Resp. 1. Matrimonium secundum se spectatum, potest sumi dupliciter : vel pro *contractu*, quo vir et femina sibi mutuo tradunt dominium corporis in ordine ad actum generationis ; vel pro *statu seu vinculo* per istum contractum inducto habitualiter permanente et conjuges obligante ad individuam vitæ societatem. Hoc utroque modo sumptum recte definitur : *Viri et mulieris maritalis conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens*. Dicitur *maritalis conjunctio*, quia hæc dat potestatem marito in corpus uxoris, et uxori in corpus mariti in ordine ad generationem. Non est tamen necessarium ut hæc potestas sit expedita et libera, sed potest esse alligata et impedita per votum servandæ perpetuæ castitatis in ipso matrimonio, ex mutuo conjugum consensu, ut constat ex vero sancti Josephi matrimonio cum B. Virgine, quod stetit cum virginitatis voto.

Resp. 2. Matrimonium dividitur in *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. Legitimum dicitur quod inter personas habiles præcise legitimo consensu contractum est, quale nunc est inter infideles, et fuit olim in lege naturali et Mosaica. Ratum dicitur, quod est sacramento fidei signatum, sive inter baptizatos contractum, sed copula carnali nondum consummatum. Dicitur consummatum quando copula carnali jam est completum.

CAPUT II.

Quænam origo et honestas matrimonii.

Resp. 1. Origo matrimonii videtur immediate profluxisse ex ipso jure naturæ ; hoc enim ipso quo Deus creavit masculum et feminam cum potentia generativa, licita fuit eorum conjunctio ad generis humani propagationem, adeoque et contractus matrimonialis, qui necessarius est ad convenientem prolis educationem.

Resp. 2. De fide est matrimonium ejusque usum esse honestum ac licitum contra antiquos quosdam hæreticos, de quibus sic prædicit Paulus I Tim. IV, 1-3 : *Attendentes spiritibus erroris*, etc., *prohibentium nubere*. Dum quidam Patres videntur arguere ejus indecentiam, respiciunt ad concupiscentiam quæ ab Apostolo vocatur peccatum, eo quod sit effectus peccati, et ad peccatum inclinet.

Resp. 3. Licet matrimonium secundum se spectatum non indiguerit speciali et immediata Dei institutione, quidam tamen censent fuisse specialiter a Deo seu institutum, inspiranti, seu præcipienti expresse illud contrahi ab Adamo et Eva ; unde rursum sequitur quod honestus et licitus sit ejus usus.

CAPUT III.

An matrimonium cadat sub præcepto.

Resp. 1. Initio mundi, et statim a diluvio omnes præcepto naturali obligabantur ad ineundum matrimonium : ita doctores communiter. Probatur, quia matrimonium tunc erat necessarium ad conservandam speciem, et ad propagationem generis humani. Imo probabile est huic præcepto naturali accessisse positivum divinum, dum Deus dixit : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 28). Nec refert quod eadem verba dirigantur etiam ad pisces præcepti incapaces ; dici enim potest quod respectu piscium contineant simplicem benedictio-

nem, respectu vero hominum, benedictionem et præceptum.

Resp. 2. Humano genere sufficienter multiplicato, utrumque istud præceptum desiit obligare; imo in nova Christi lege est laudabilius et melius abstinere a matrimonio quam illud inire, nisi aliquid specialiter obstet. Est de fide contra Lutherum asserentem continentiam esse impossibilem, ac proinde votum de castitate servanda non obligare; quod manifeste repugnat doctrinæ Apostoli I Cor. VII suadentis virginitatem eamque matrimonio præferentis. Imo et Christus eam commendavit Matth. XIX. Denique in Apoc. XIV laudantur qui non sunt cum mulieribus coinquinati, sed virgines permanserunt. Castitas ergo non est impossibilis, cum tam multi eam servaverint et servent; nec ex eo quod multi eam servent, periculum est ne genus humanum pereat, uti Jovianus hæreticus olim objiciebat Hieronymo; hic enim sapienter illi respondit: « Difficilis est virginitas; et ideo rara est, non impossibilis. »

Petes an aliqui peculiari ratione teneantur matrimonium contrahere. Resp. affirmative, v. gr. reges vel principes, qui propter cælibatum essent causa, cur regnum dilaberetur ad hæreticos vel infideles, vel magni motus exsurgerent. (Estius, Sanchez, etc.)

CAPUT IV.

An secundæ nuptiæ sint licitæ.

Resp. licitum esse tam viro quam feminæ, mortua comparte, transire ad secundas, tertias, quartas, et ulteriores etiam nuptias. Est de fide contra Novatianos. Probatur, tum ex Apostolo Rom. VII ac I Tim. V; tum ex conciliis Nicæno, Florentino et aliis. Nonnulli quidem Patres Græci invehuntur in iteratas nuptias, v. gr. tertias, quartas, etc., ex studio promovendæ continentiæ, sed non illas damnant ut illicitas, cum dicant talia conjugia non esse dissolvenda, sed illas improbant tanquam signum et effectum magnæ incontinentiæ, seu concupiscentiæ. Hinc concilium Neocæsariense imposuit pœnitentiam iterato nubentibus vel ob præsumptionem intemperantiæ, vel quia transibant ad istas iteratas nuptias cum solemnitate benedictionis, quæ tantum in primis adhibenda est, ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa, quod non convenit secundis seu iteratis nuptiis. Per secundas autem nuptias irregularitas quædam contrahitur; non quia sunt illicitæ, sed quia reddunt inhabiles ad sacrorum ordinum susceptionem.

CAPUT V.

Quomodo polygamia sit illicita.

Resp. 1. Jure divino est illicita. Probatur ex prima matrimonii celebratione Gen. I, ubi Deus primo homini unicam dedit uxorem, dixitque ut vir adhæreat uxori, non uxoribus; essentque duo in carne una, non plures. Et in lege quidem evangelica uxorum pluralitatem esse illicitam de fide est. Tridentinum enim (sess. 24, cap. 2) dicit anathema asserenti *licere Christianis plures simul habere uxores*. Deducitur ex Matth. XIX, 9, ubi Christus asserit, mœchari eum qui, dimissa priore uxore, alteram ducit; multo igitur magis mœchatur, qui priore retenta alteram adjungit. Unde matrimonium cum secunda uxore est invalidum, nec in hoc potest dispensare Ecclesia. Si quis ergo infidelis polygamus ad fidem convertitur, potest tantum primam uxorem retinere, si ea velit etiam converti.

Resp. 2. Non tantum jure divino positivo, sed etiam jure naturali illicita est (D. Thomas et alii communius, contra Durandum, Abulensem, Cajetanum, etc.), quia, licet pluralitas uxorum non impediat primarium finem matrimonii, qui est prolis generatio, impedit tamen secundarium, qui est bonæ prolis educatio et pax domestica, cum raro accidat, ut vir unus possit sufficienter bonæ educationi multiplicis prolis ex pluribus uxoribus susceptæ, et rarius adhuc fiat ut pax domestica cum pluribus uxoribus permaneat. Deinde videtur æqualitas contractus matrimonii exigere, ut sicut uxor tradit viro dominium totius corporis sui, ita et vir uxori suum tradat totaliter, eoque fruatur cum voluerit; quod fieri non potest cum uxorum pluralitate. Quando ergo Deus in lege veteri permisit Abrahamo, aliisque patriarchis, habere plures uxores, non dispensavit proprie et directe, sed improprie et indirecte, dividendo jus quod prima uxor in corpus mariti sola habebat, et partem istius transferendo in alteram uxorem. Unde dicit Augustinus: « Mos erat, non crimen erat, » nempe ob divinam dispensationem, vel quasi dispensationem.

Petes quando, quibus, cur licitum fuit habere plures uxores. Resp. Id solum fuit licitum statim post diluvium per divinam dispensationem Noemo et filiis ejus revelatam ad multiplicandum genus humanum; ob quam finem non fuit necessaria polygamia in initio mundi, quia longissima hominum vita generationi idonea sufficiebat, nec ullus ante diluvium legitur habuisse plures uxores præter Lamech, qui de hoc reprehenditur tanquam de adulterio. Postea genere humano sufficienter multiplicato, cessavit ratio prædictæ dispensationis. Hinc Christus reduxit omne conjugium sive Christianorum sive infidelium ad suam primam institutionem, dum Matth. XIX, repetit quæ habentur in Gen. I de ejus institutione.

PARS III.

De matrimonio ut est sacramentum.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit matrimonium prout est sacramentum, et quando a Christo institutum.

Resp. 1. Matrimonium prout est sacramentum, recte sic definitur : *Signum sensibile gratiæ sanctificantis, quo vir et mulier consensu perpetuo conjunguntur.* Vel sic : *Est contractus viri et feminæ legitimus, quo mutua corporum potestas traditur, gratiæ sanctificantis collativus.* Quod autem sit et vere et proprie sacramentum novæ legis, de fide est contra Lutherum et Calvinum aliosque hæreticos. Probatur ex concilio Florentino recensenti matrimonium inter septem novæ legis sacramenta ; ex Tridentino dicenti anathema contrarium asserentibus ; ex communi totius Ecclesiæ etiam orientalis consensu ; ex Patribus Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, etc., apud Bellarminum, et ex ipsa Scriptura, quæ juxta multorum sententiam id tradidit his verbis : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24) ; *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). Hinc conjugium infidelium non est sacramentum, quia carent baptismo.

Resp. 2. Institutum fuit a Christo vel in Cana Galilææ, dum præsentia sua nuptias ibi celebratas honoravit (*Joan.* II), vel dum indissolubilitatem matrimonii stabilivit (*Matth.* XIX), vel denique post suam resurrectionem, loquens de regno Dei. Speciale est huic sacramento, quod Christus nullum novum ritum pro eo, sicut pro aliis, instituerit ; sed ipsum priorem matrimonii contractum elevaverit ad esse sacramentale.

CAPUT II.

Quænam sit materia ac forma hujus sacramenti.

Resp. Forma hujus sacramenti sunt verba vel signa exprimentia consensum, materia autem sunt corpora contrahentium. Non enim est alia materia et forma matrimonii, prout est sacramentum, quam prout est contractus, cum Christus contractum matrimonii, nulla facta mutatione, elevaverit ad esse sacramenti. Quia autem Florentinum dicit quod in omnibus sacramentis semper hæc tria reperiantur : sacramentum tantum, res tantum, sacramentum et res simul ; ista etiam tria reperiuntur in hoc matrimonii sacramento sic : Sacramentum tantum, est ipse matrimonii contractus, quia significat et non significatur. Res tantum, est gratia sacramentalis, quia significatur, et non significat. Sacramentum et res simul, est vinculum matrimoniale, quod ex contractu oritur, quia significat et significatur ; significat enim indissolubilem Christi cum Ecclesia conjunctionem, et significatur per contractum matrimonialem ex quo oritur.

CAPUT III.

Quænam intentio requiratur in fidelibus, ut matrimonium ipsorum sit sacramentum.

Resp. 1. Illorum matrimonium semper esse sacramentum, quando illud saltem confuse intendunt : ita communiter, contra Cajetanum, Victorinum, etc., negantes esse sacramentum, quando initur per procuratorem aut litteras, licet illud intendant. Probatur, quia, cum Christus istum matrimonii contractum elevaverit in baptizatis seu fidelibus ad esse sacramenti, sine addito speciali ritu, hoc ipso quod baptizati ineunt istum contractum cum intentione requisita ad recipiendum et administrandum sacramentum, habetur quidquid requiritur ad essentiam hujus sacramenti. Ea quæ contra hoc objiciuntur, vide soluta apud auctores.

Resp. 2. Si fideles matrimonium contrahant sine ulla intentione sacramenti, erit validum in ratione contractus civilis, uti accidit in hæreticis negantibus esse sacramentum ; sed non in ratione sacramenti : ita Vasquez, Rebello, Hurtadus, etc., contra Bellarminum, Concinam, etc., dicentes hæc duo ex institutione Christi ita esse connexa, ut nunquam matrimonium inter baptizatos possit valere in ratione contractus, nisi etiam valeat in ratione sacramenti. Sed negatur contractum matrimonii per se esse connexum cum sacramento, sed tantum per accidens : et de facto ista duo separantur in non baptizatis ; adeoque potest unum intendi sine altero. Deinde cætera sacramenta possunt esse invalida defectu solius intentionis in ministro requisitæ ; ergo etiam hoc sacramentum.

Petes 1. An matrimonium initum inter non baptizatos fiat sacramentum, cum postea baptizantur. Resp. probabiliter affirmative, et tunc dari gratiam : ita Sanchez, Bellarminus, Laymanus, etc. Modo tunc coram parocho et testibus illud ratificent ; vel, ut alii volunt, modo præbeant novum consensum vel antiquum per aliqua signa, v. gr. verba, nutus, aut copulam approbent. Sicut enim ista ratificatio est vera confirmatio prioris matrimonii, ita dici potest elevari a Christo ad esse sacramenti.

Petes 2. An matrimonium fidelis cum infideli, contractum ex pontificis dispensatione sit sacramentum ex parte fidelis. Resp. Negant Sanchez, Vasquez, etc., contra Sotum, Bonacinam, etc., quia, inquiunt, sicut matrimonium est unicus duorum indivisibiliter contractus, ita et unum indivisibiliter sacramentum. Posset tamen dici Christum unum et indivisibilem matrimonii contractum elevasse ad duo partialia sacramenta, quorum unum posset subsistere sine altero ; sicut alter conjugum potest re-

cipere gratiam hujus sacramenti, altero illam non recipiente, defectu debitæ dispositionis.

Petes 3. Si unus contrahentium intendat sacramentum, altero non intendente, an contractus matrimonii futurus sit sacramentum ex parte illud intendentis. Resp. probabilius affirmative, cum ex parte ejus nihil desit ad rationem sacramenti, dicique possit, quod in contractu matrimonii contineantur duo sacramenta partialia, quorum unum possit subsistere sine altero.

CAPUT IV.

An matrimonium contractum per procuratorem sit validum, et sacramentum conferens gratiam.

Resp. affirmative : ita Navarra, Sanchez, cum viginti doctoribus. Probatur, quia Christus elevans matrimonium ad esse sacramenti, non immutavit contractus naturam, quæ talis est, ut possit inter absentes per procuratorem celebrari; et ut tale matrimonium valeat, non est necesse dare procuratori potestatem seu commissionem coram parocho et testibus, sed satis est, ut nomine absentis ineat matrimonium coram parocho et testibus, quo mediante sponsus seu mandans censetur moraliter præsens. Verba procuratoris contrahentis matrimonium debent esse hæc ; *Talis te accipit in virum vel uxorem me mediante.* Vel : *Recipio te in virum vel uxorem nomine talis personæ.* Trullenchus dicit sic debere esse verba : *Recipio te in uxorem nomine Titii.* Vel : *Titius te accipit in uxorem me mediante.* Et sponsa debet sic respondere ; *Ego te mediante duco Titium.* Si fiat per epistolam sic : *Accipio te in meam conjugem.* Mandans autem procuratorem debet esse in statu gratiæ eo tempore quo credit matrimonium a procuratore celebrandum, quia tunc recipit sacramentum, etiam dormiens ; et si dormiens sit in statu peccati mortalis recipiendo sacramentum, istud peccatum non fit dormiendo, sed fuit factum quando vigilans, advertendo se esse in statu peccati mortalis, exposuit se periculo recipiendi hoc sacramentum in eo statu, et neglexit illius expiationem. Optime faciunt, inquit Sanchez, contrahentes per procuratorem, si postea ipsimet iterent matrimonium ad tollendos scrupulos, ne forte prior consensus fuerit revocatus ; et consequenter invalidum sacramentum, quia, cum matrimonium sit contractus, potest iterari. Cajetanus qui putat tale matrimonium valere tantum in ratione contractus naturalis, vult esse iterandum a præsentibus contrahentibus, ut valeat in ratione sacramenti ; sed cum supra dixerimus illud valere etiam in ratione sacramenti, probabilius est istud sacramentum prius inter absentes per procuratorem initum, postea non vere iterari ; sed tantum a præsentibus confirmari et approbari, omissasque solemnitates suppleri.

Cum sit eadem difficultas circa matrimonium per epistolam contractum, inquit idem Sanchez, nimirum an sit validum et sacramentum ; ideo idem dicendum est de illo ac de matrimonio per procuratorem, nempe esse validum et sacramentum.

CAPUT V.

Quis sit minister hujus sacramenti.

Resp. ministros hujus sacramenti esse ipsos contrahentes : ita D. Thomas, Scotus, Sanchez, Suarez, et alii communissime, contra Sylvium, Estium, et paucos alios volentes esse sacerdotem. Probatur : 1° ex Florentino, sic dicente : *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Atqui consensus ponitur a contrahentibus ; ergo sunt causa efficiens seu minister matrimonii prout est sacramentum, de quo agit ibi Florentinum ; seu mutuus eorum consensus constituit et efficit matrimonium. 2° Ex Tridentino dicente clandestina matrimonia olim fuisse rata et vera matrimonia. Atqui in illis non aderat sacerdos, seu parochus, utpote clandestinis ; ergo contrahentes ipsi erant ministri. 3° Ex communi theologorum tam veterum quam recentiorum consensu. Quamvis nunc Tridentinum requirat præsentiam parochi, non idcirco constituit illum ministrum, quandoquidem olim non erat. Deinde dum præcipit ut parochus dicat : *Ego vos in matrimonium conjungo*, etc., non præscribit per hæc verba formam essentialem, cum sine illis possit esse matrimonium validum ; hæc ergo verba tantum significant : *Ego matrimonium vestrum auctoritate mihi ab Ecclesia commissa ratum habeo aut confirmo.* Cur minister in hoc sacramento non sit diversus a suscipiente, est quia hoc sacramentum consistit in ipso conjugum contractu elevato a Christo ad esse sacramenti. Quando autem concilia et Patres docent nuptias esse sanctificandas benedictione sacerdotali, non agunt de assistentia parochi dicentis : *Ego vos conjungo*, etc., quam adversarii volunt esse formam essentialem ; sed de benedictione cæremoniali, qua sacerdos per varias orationes nubentibus solemniter benedicit ; quam benedictionem esse tantum accidentalem patet ex eo quod Ecclesia eam non adhibeat temporibus Adventus et Quadragesimæ, nec in secundis nuptiis.

CAPUT VI.

Quis effectus hujus sacramenti, et quæ dispositio ad illud necessaria.

Resp. 1. Effectus hujus sacramenti est gratia sanctificans seu ejus augmentum, cum specialibus auxiliis supernaturalibus ad onera matrimonii Christiana sustinenda.

Resp. 2. Dispositio ad illud necessaria ut licite suscipiatur, est status gratiæ, cum sit sacramentum vivorum ; non tamen necessaria est confessio, saltem jure communi : quod adde, quia jure particulari quarumdam Ecclesiarum præcipitur confessio.

CAPUT VII.

Quisnam consensus ad matrimonii valorem requiratur.

Resp. 1. Consensus ad matrimonii valorem requisitus 1° debet esse verus ; unde si ex alterutra parte contrahentium sit fictus, matrimonium nullum

est; matrimonii enim contractus consistit in mutuo vero consensu. 2° Debet esse plene deliberatus, seu factus cum advertentia de se sufficienti ad mortale: id enim exigit obligationis gravitas. 3° Debet esse signo aliquo exteriori expressus; quia debet utrique parti innotescere, ut possit acceptari. 4° Debet esse liber a coactione seu metu gravi, ita ut si consensus metu gravi injuste incusso exortus sit, matrimonium sit invalidum; quia, licet contractus ex gravi metu initi, probabilius videantur, spectato solo naturæ jure, esse validi, et jure positivo solum rescindibiles, ut communius docetur in tract. *De jure et justitia*; contractus tamen matrimonii sic initus, speciali jure positivo est irritus (cap. *Veniens*, De sponsal., etc.). 5° Utriusque consensus debet esse simul moraliter, ita ut prioris consensus perseveret, dum exprimitur consensus alterius, aut non sit nec censeatur revocatus.

Resp. 2. *Consensus conditionatus* sub conditione de præsenti aut de præterito, ea subsistente, statim efficit validum matrimonium, ut fit in aliis contractibus; ea deficiente, est irritum, etiamsi contrahentes nesciant conditionem subsistere aut non subsistere. Conditio autem honesta de futuro, suspendit valorem matrimonii donec purificetur; ea purificata, probabilius est validum reddi matrimonium absque novo consensu, quia cæteri contractus conditionati transeunt in absolutos absque novo consensu, hoc ipso quo purificatur conditio; ergo etiam matrimonialis. Cum tamen opposita sententia de ponendo novo consensu, sit etiam valde probabilis, in praxi curandum est, ut impleta conditione renovetur et exprimatur absolute consensus de præsenti coram parocho et testibus, ubi Tridentinum est receptum. Si conditio adjecta repugnet fini aut naturæ matrimonii, irritum est matrimonium.

Petes 1. An sit necesse, ut consensus ad matrimonium requisitus feratur in actum conjugalem; vel an sufficiat ut tendat in translationem dominii corporum in ordine ad istum actum. Resp. sufficere ut tendat in translationem dominii, etc.: ita doctores communiter. Probatur: 1° Sanctus Josephus et B. Virgo contraxerunt verum matrimonium, et tamen non consenserunt in actum conjugalem. 2° Si quis contraheret matrimonium cum voluntate ingrediendi religionem ante matrimonii consummationem, valide contraheret, et tamen non intenderet actum conjugalem. 3° Quia actus conjugalis supponit matrimonium jam constitutum; ergo non pertinet ad ejus essentiam; adeoque potest intendi essentia matrimonii non intento isto actu. Unde potest valide contrahi matrimonium cum pacto nunquam eo utendi. (Vasquez, Concina, etc., contra Sanchez, Laymannum.) Probatur, quia translatio dominii alicujus rei in ordine ad aliquem usum consistere potest cum pacto non utendi; per dominium enim tantum habetur potestas utendi radicalis et remota, non vero proxima et expedita. Deinde secundum omnes, potest quis accepto rei dominio se obligare ad non utendum ista re, et nominatim conjuges post initium matrimonium possunt pacisci se eo non usuros; ergo iidem possunt illud inire cum simili pacto.

Petes 2. An ad valorem matrimonii requiratur parentum consensus. Resp. Nego; ut constat ex Tridentino (sess. 24), ubi damnat hæreticos asserentes matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse. Ordinarie tamen consensus iste necessarius est ad hoc, ut sit licitum matrimonium, ita ut graviter peccent filii et filiæfamilias contrahentes invitis parentibus; et de hac necessitate intelligendi sunt canones requirentes parentum consensum. Sed parentes peccarent, si irrationabiliter consensum denegarent; et isto casu licitum esset matrimonium absque illorum consensu. An autem juste aut injuste consensum suum denegent; præcipue spectet ad episcopum judicare.

Petes 3. An parentes possint liberos exhæredare, aut ipsis dotem negare, si illis rationabiliter invitis matrimonium contrahant, vide Sanchez; ubi multi negant, multi affirmant; sed videnda est hac super re praxis variorum tribunalium.

CAPUT VIII.

De matrimonio clandestino.

Matrimonium dicitur clandestinum quod clam initur, duplexque est: unum quando sine parocho et testibus, alterum quando sine præviis denuntiationibus, seu proclamationibus initur. Itaque tria in hoc capite tractanda: 1° de ipso matrimonio clandestino; 2° de parocho et testibus; 3° de denuntiationibus.

§ I. — *An matrimonium cladestinum sit illicitum et invalidum.*

Resp. 1. Matrimonium clandestinum spectato tantum jure naturæ, est validum, quia ex natura rei ad valorem matrimonii sufficit mutuus consensus liber inter personas ad illud habiles. Imo quamvis non videatur jure naturæ etiam illicitum ex intrinsecis, ut communius docent theologi, jure tamen ecclesiastico semper fuit graviter prohibitum; ut patet ex conciliis Arelatensi, Toletano, Lateranensi, etc., et nunc post Tridentinum non tantum illicitum, sed in locis, in quibus Tridentinum quoad hoc publicatum et receptum est, etiam est invalidum, nempe initum sine parocho et testibus (sess. 24, cap. 1), ubi hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. Ecclesia autem, invalidando matrimonium clandestinum, nullam fecit mutationem in sacramenti substantia, quæ est legitimus matrimonii contractus humanus, quem Christus elevavit ad esse sacramenti; sed voluit, ut ad legitimum illum contractum requireretur in posterum præsentia parochi et testium, quæ antea non requirebatur; quod non excedit potestatem humanam.

Resp. 2. Matrimonium clandestinum potest esse validum in tribus casibus post Tridentinum: 1° si contrahatur in locis in quibus Tridentinum non est

promulgatum, aut receptum, v. gr. in Anglia; 2° si contrahatur ex papæ dispensatione, dispensantis in assistentia parochi et testibus, ut in Hollandia fit, ubi non potest haberi parochus, modo tunc contrahatur coram duobus saltem testibus; 3° si contrahatur a non baptizatis.

§ II. — *Quis parochus et quinam testes requirantur.*

Resp. 1. Nomine *parochi* intelligitur is, qui est vel utriusque, vel saltem alterius proprius parochus; quo nomine etiam venit episcopus et ejus vicarius. Item vicarius parochi, legatus a latere in territorio suæ legationis, cardinalis in Ecclesia sui tituli, etc.; item quilibet sacerdos, etiam regularis habens ad hoc facultatem ab aliquo ex dictis. Parochus autem potest matrimoniis suorum parochianorum assistere in aliena parochia aut diœcesi, modo in ea non benedicat nuptias sine consensu parochi istius loci, quia ista præcise assistentia non est actus jurisdictionis, saltem contentiosus. Unde excommunicatus et ab officio suspensus potest assistere. Deinde parochus tenetur interrogare contrahentes de mutuo consensu, an velint, etc., nisi prius illum exprimant non interrogati.

Quod attinet ad parochianum, is qui habet duplicem parochiam, habitans, v. gr. in una per hiemem, et in altera per æstatem, potest e duobus parochis, quem voluerit adhibere, quia uterque est vere illius parochus. Hinc studiosi in academiis, milites in præsidiis, famuli, opifices, mercatores, etc., alicubi habitantes majore parte anni, possunt coram parocho loci matrimonium contrahere; vagi tamen non possunt contrahere sine facultate episcopi, juxta Tridentinum (sess. 24, c. 1, *De reform.*).

Resp. 2. Præter parochum, duo ut minimum testes sunt necessarii, quorum nomina, uti et conjugum, ex præcepto Tridentini graviter obligante, referre debet parochus in librum, annotato die et loco contractus. Non requiritur ut isti testes sint omni exceptione majores, sed satis est quod sint sufficienti rationis usu præditi. Unde impuberes, feminæ, consanguinei, religiosi, etc., assumi possunt. Neque etiam requiritur ut sint vocati, aut ad eum finem venerint; sed sufficit quod sint præsentes, audiant, et intelligant quid rei agatur, quamvis inviti et etiam per vim detenti.

§ III. — *Quid denuntiationes, et quomodo præmitti debeant matrimonio.*

Resp. 1. Denuntiatio est proclamatio futuri matrimonii, expressis contrahentium nominibus, ut si qui extra confessionem sciant aliquod impedimentum intercedere, teneantur sub peccato illud declarare.

Resp. 2. Ista denuntiatio, juxta Tridentinum (sess. 24, cap. 1, *De reform.*), debet fieri diebus festivis continuis, v. gr. tribus diebus Dominicis continuis, ab utriusque contrahentis parocho, inter missarum solemnia. In istis tamen denuntiationibus matrimonio præmittendis potest dispensare episcopus, si adsit probabilior opinio illud posse malitiose impediri; tunc enim permittit Tridentinum unicam præmitti, aut etiam nullam, si hoc putetur necessarium ad amovendum periculum. Licet Tridentinum hanc tantum causam dispensandi in denuntiationibus expresserit, potest tamen episcopus ob alias justas causas in iis etiam dispensare, v. gr. si contrahentes sint magnates; si adsit inæqualitas magna conditionis, aut ætatis inter contrahentes; si secuturum esset scandalum aut infamia contrahentium vel notabile animæ damnum vel rei familiaris, etc. Istæ denuntiationes matrimonio præmittendæ obligant quidem sub mortali; qui tamen illis prætermissis contraheret, valide contraheret, quia non sunt de essentia sacramenti.

Petes. Quid sit benedictio nuptiarum. Resp. Est ritus per modum sacramentalis ex institutione Ecclesiæ post matrimonium absolutum quoad essentialia, adhiberi solitus sponsis in missa ad majorem solemnitatem, et sacramenti honorem quatenus mystice significantis conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ea adhibenda est suo tempore, nempe extra Adventum et Quadragesimam, ex præcepto Ecclesiæ in primis nuptiis, sed non secundis, saltem quando uterque conjux illam alias accepit. Hinc illam omittere, quando adhibenda est, esset peccatum. Non est tamen peccatum consummare matrimonium antequam illa recipiatur; nullibi enim id vetatur, modo absit contemptus, scandalum, etc., et quamvis a prima Dominica Adventus usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, graviter prohibitum sit istam nuptialem benedictionem recipere, est tamen licitum isto tempore matrimonium contrahere. Sanchez et alii.

CAPUT IX.

De matrimonii indissolubilitate quoad vinculum.

Tria hic dicenda: 1° de indissolubilitate matrimonii juxta suam primam institutionem; 2° de indissolubilitate matrimonii rati; 3° de indissolubilitate matrimonii consummati. Itaque

Dico 1: Omne matrimonium ex sua prima institutione est indissolubile quoad vinculum tum jure naturali, tum jure divino positivo; ac proinde nulla auctoritate pure humana dissolvi potest. Probatur 1° de jure naturali, quia matrimonium secundum se ordinatur ad rectam prolis educationem; ergo ex natura rei debet esse indissolubile. Alioquin prolis educatio facile negligeretur, et mutuus amor inter conjuges ad matrimonii fines necessarius minueretur: D. Thomas, Scotus, Bellarminus, Vasquez, etc., communiter contra varios, apud Suarez. Probatur 2° de jure divino positivo, quia Deus (*Gen.* II, 24) dicit: *Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori, et erunt duo in carne una.* Deinde Christus (*Matth.* XIX, 3-6) interrogatus a Judæis, an liceret homini dimittere uxorem suam, volendo matrimonium ad suam primam institutionem revocare et

præceptum de ejus indissolubilitate, etiam respectu infidelium, instaurare sic respondet : *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem*, etc.; postea subjungit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ verba debent intelligi etiam de matrimonio non consummato, cum prolata fuerint antequam Adam cognosceret uxorem suam.

Hoc tamen non obstante, potest Deus quodlibet matrimonium, quantumvis consummatum, tanquam supremus omnium creaturarum, et jurium illorum Dominus, dissolvere etiam quoad vinculum, tollendo utique conjugi dominium in corpus alterius ; quod quidem non est dispensare in jure naturæ, dando facultatem faciendi contra illud adhuc perseverans, sed est efficere, ut quod erat contrarium juri naturæ, non sit amplius tale, ac proinde possit fieri.

Quinimo probabilius est revera illud dissolvisse in lege Mosaica per libellum repudii, quam Judæis per Moysen permisit (*Deut.* XXIV) : ita Scotus, Bellarminus, Sanchez, etc., contra Bonaventuram, Sotum, Sylvestrem, etc., volentes libellum repudii a Moyse non fuisse permissum tanquam licitum, sed duntaxat toleratum ad vitanda graviora mala, v. gr. uxorum odia et homicidia, etc. Sed probatur conclusio ex Deut. XXIV, ubi ex facultate facta viro dimittendi uxorem si ei displiceat, et ex libertate quæ conceditur repudiatæ nubendi alteri, omnino colligitur libellum repudii vere fuisse Judæis permissum, et per eum vere factam matrimonii dissolutionem ; alioqui permissio illa fuisset illis perniciosa, quia repudiatas induxisset ad adulteria, dando illis potestatem alteri viro nubendi.

Dico 2 : Matrimonium ratum seu non consummatum, dissolvitur per solemnem alterius conjugum professionem in religione approbata. Est de fide ex Tridentino (sess. 24, can. 6). Idem autem decretum fuerat ab Alexandro III et ab Innocentio III ; ideo per cap. *Ex publico*, De conversione conjugatorum, conceduntur duo menses a die contracti matrimonii, intra quos possunt conjuges deliberare, velintne religionem ingredi, ac proinde per istud tempus non tenetur compars alteri debitum reddere ; eo tamen expleto tenetur matrimonium consummare parte exigente, aut certe religionem ingredi. Dum autem conjux religionem ingreditur, compars tenetur toto probationis seu novitiatus tempore exspectare, antequam possit cum altero matrimonium inire. Sanchez et alii.

Dixi *per solemnem professionem*, etc., quia non sufficit qualiscunque votorum religiosorum emissio, etiam in religione approbata ; nam vota simplicia in Societate Jesu post biennium novitiatus emitti solita, licet constituant vere et proprie religiosum, et post bullam *Ascendente Domino*, dirimant matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt matrimonium ratum jam contractum, nisi accedat professio solemnis.

Quod autem professio solemnis habeat illam vim dirimendi seu dissolvendi matrimonium ratum, non id provenit ex jure naturali, ut vult Durandus et Paludanus, nec ex jure divino, ut sentit Scotus et Sanchez, sed probabilius ex jure ecclesiastico, ut docent Lessius, Concina, et alii communius ; quandoquidem professionis religiosæ solemnitas sit tantum juris ecclesiastici, ut docetur communiter.

Deinde non tantum per professionem religiosam dissolvitur matrimonium ratum, sed etiam probabilius potest dissolvi per dispensationem papæ ob gravissimas causas : ita Sanchez cum quinquaginta quinque doctoribus ; item Laymannus, Vasquez, Filliucius, etc. Probatur ex facto plurium pontificum, qui hanc potestatem in se agnoverunt, eaque usi sunt ; nec potest credi tot pontifices errasse in re tanti momenti. Nam Martinus V et Eugenius IV istud dissolverunt, ut refert Antoninus, qui eo tempore vivebat ; item Paulus III et Pius IV, teste Navarra, etc. Dum autem pontifex dissolvit matrimonium ratum, non id facit potestate pure humana, sed ut Christi Deique vicarius ; sicut cum Dei nomine votum aliquod relaxat, ita ut hac matrimonii rati dissolutione non tam homo quam Deus separet quæ conjunxit ; adeoque nil facit contra id quod Christus dixit Matth. XIX, 6 : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Dico 3 : Matrimonium baptizatorum consummatum, nullo casu potest dissolvi quoad vinculum, nisi a Deo ut supremo omnium creaturarum Domino, ut supra dictum est. Est de fide contra Græcos schismaticos volentes posse dissolvi ob adulterium, Lutheranos, Calvinistas, etc. Est de fide ex Florentino, in decreto De sacramentis, et ex Tridentino (sess. 24, can. 7), aliisque conciliis antiquioribus ; et confirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi et Patrum consensu. Ideo Paulus I Cor. VII, 10, 11 : *Præcipio*, inquit, *non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari.* Dum ergo Christus dicit Matth. XIX, 9 : *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur*, id intelligendum est de dimissione non quoad vinculum, sed quoad torum ; ducendo autem aliam mœchatur tum propria mœchia, tum aliena, dando uxori occasionem etiam mœchandi.

Dixi *matrimonium baptizatorum*, quia matrimonium non baptizatorum seu infidelium consummatum potest in lege evangelica dissolvi, si uno conjugum ad fidem converso, nolit alter converti, neque cohabitare sine injuria et contumelia Creatoris, potestque tunc fidelis relicto infideli, aliud matrimonium cum fideli inire : ita expresse Innocentius III (cap. 7, *De divortiis*). Colligiturque ex I Cor. VII, 13, ubi cum Apostolus dixisset, si conjux infidelis velit habitare cum fideli non esse dimittendum

postea addit : *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi ;* id est, ut communiter exponunt doctores, Christianus vel Christiana eo casu non subjicitur legi, seu vinculo prioris matrimonii, sed ex divina dispensatione, in favorem Christianæ religionis, ab eo liberatur. Si autem uterque ad fidem convertatur, non potest dissolvi ; quia jam susceptо baptismo istud matrimonium est ratum et consummatum ; et facti sunt conjuges una caro. Vasquez, Basilius, etc., contra Navarram, Sanchez, etc.

Itaque papa nunquam potest ob quamvis causam dissolvere matrimonium consummatum, licet possit, ut dixi, dissolvere matrimonium ratum; quia non apparet Christum istam potestatem ei dedisse ; et præcipue disparitatis ratio est, quod matrimonium consummatum perfectius quam ratum repræsentet conjunctionem Verbi cum natura humana, aut Christi cum Ecclesia sponsa, quæ conjunctio est indissolubilis.

CAPUT X.

De dissolubilitate matrimonii quoad torum et cohabitationem, seu de divertio.

Tria hic dicenda : 1° quid sit divortium et quomodo fieri debeat ; 2° causæ sufficientes ad faciendum divortium; 3° quid liceat conjugibus, facto divortio. Itaque

Dico 1 : Divortium ex usu recepto, est separatio conjugum quoad torum et habitationem, manente vinculo conjugali. Separatio quoad habitationem ob alterutrius crimen facienda, requirit auctoritatem et sententiam judicis, ut vitetur scandalum et incertitudo criminis, nisi forte foret crimen notorium. Imo quando separatio quoad habitationem fit ex mutuo conjugum consensu ob nullius crimen, etiam opus est ordinarii consensus. Separationem autem quoad torum tantum, pars certa de crimine aut adulterio suæ compartis, aut conjuges ex mutuo consensu facere possunt privata auctoritate.

Dico 2 : Ob varias causas potest fieri divortium : Prima ac præcipua quæ in ipso Evangelio indicatur, est adulterium, sive ab uxore sive a marito certo commissum : suspicio enim aut probabilitas adulterii non sufficit. Dixi *potest*, quia liberum est parti innocenti se separare, aut non se separare ; quod si nolit se separare, pars nocens tenetur remanere; potestque petere debitum, donec a comparte innocente rejiciatur ; si autem compars innocens, bene sciens compartis adulterium, petenti reddat debitum, aut illud ab ea exigat, censetur ei condonasse, et renuntiasse juri suo ad faciendum divortium. Sex sunt casus in quibus adulterium non sufficit ad faciendum divortium : 1° quando uterque conjux fecit adulterium ; 2° quando vir uxorem suam, quamvis consentientem, prostituit, aut dat ei causam proximam prostitutionis ; 3° quando uxor probabiliter credens maritum mortuum, nupsit alteri ; 4° quando per fraudem cognita fuit uxor ab alio se virum suum simulante ; 5° quando uxor fuit violenter oppressa ; 6° quando post factum adulterium vir adulterii conscius reconciliatus uxori suæ vel verbis expressis vel tacita condonatione per copulam, amplexus, etc. Secunda causa, ad faciendum divortium sufficiens, est compartis sævitia, furor, lepra, aut alius morbus contagiosus, apostasia a fide, hæresis, etc. Tertia causa divortii, est mutuus conjugum consensus.

Dico 3 : Facto ob adulterium divortio conjux innocens potest absque alterius conjugis rei consensu religionem ingredi et in ea profiteri ; pars autem nocens non potest eam ingredi, aut valide in ea profiteri, invita parte innocente, quia innocens retinet semper jus condonandi nocenti, eamque revocandi. Cum autem ex mutuo conjugum consensu, nullum ob crimen, legitime fit divortium post consummatum matrimonium, si unus eorum velit religionem ingredi ex alterius consensu, tunc debet etiam alter eam ingredi (cap. *Cum sit*, De conjugatorum conversione). Ubi excipitur uxor valde senex et sterilis, quæ sine suspicione possit, promissa castitate, remanere in sæculo. Quod aliqui extendunt etiam ad virum valde senem, quem similiter volunt posse remanere in sæculo, ejus uxore vitam religiosam profitente. Ut autem vir sacros ordines recipiat, sufficit si ab uxore castitatem in sæculo vovente absolvatur a debito tori et cohabitationis (cap. *Conjugatus*).

Petes : An uxor debeat sequi virum si hic velit habitationem et patriam mutare.

Resp. affirmative, quia vir est caput familiæ et feminæ, quæ proinde quoad hoc viro obedire debet, maxime si habeat aliquam justam causam id faciendi. Excipiuntur tamen casus sequentes : 1° si vir velit uxorem ducere in regionem nimis longinquam, quo non possit pervenire absque gravi periculo et gravibus incommodis ; 2° si in patriam hæreticam, in qua incurrat subversionis periculum ; 3° si uxor merito timeat, ne peregre a viro deseratur ; 4° si vir post matrimonium velit fieri vagus, et difficile sit ipsum sequi : quod si ante matrimonium esset vagus, et uxor id sciverit, tenetur ipsum sequi, quia tunc consensit in istud incommodum ; 5° denique si in contractu matrimonii vir promiserit se non mutaturum patriam, et nulla superveniat gravis necessitas id faciendi.

CAPUT XI.

De debito conjugali.

1. *An actus conjugalis sit ex se licitus.* Resp. affirmative. Est de fide contra Simonem Magum, Marcionem, etc. Probatur, quia est actus justitiæ commutativæ ; deinde matrimonium est licitum, ergo et ejus usus.

2. *An actus conjugalis possit esse meritorius.* Resp. affirmative, si fiat ob aliquod ex tribus bonis matrimonii, nempe ob bonum sacramenti, ob servandam fidem, ob prolis generationem ; item ob vitandam incontinentiam, etc.

3. *An debitum conjugale obliget.* Resp. per se

loquendo affirmative. Patet ex I Cor. VII : *Uxori vir debitum reddat ; similiter autem uxor viro. Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Dixi, *per se loquendo* quia varia sunt quæ excusant a redditione debiti, v. gr. notabile incommodum, periculum contrahendæ contagionis, morbus gravis, etc. Non excusantur tamen conjuges a redditione debiti prætextu devotionis, aut odiorum quæ subinde inter illos nascuntur, maxime si sit periculum incontinentiæ in comparte.

4. *Quale sit peccatum denegatio debiti conjugalis.* Resp. esse ex genere suo mortale utpotè contra justitiam in re gravi. Non raro tamen ista denegatio excusatur a culpa gravi, aut etiam levi, v. gr. si compars illud remisse petat, et excusationem admittat, aut si nimis sæpe, aut loco indebito, aut tempore importuno, si sit ebrius nec compos sui, etc.

5. *An sit obligatio petendi debitum conjugale.* Resp. per se loquendo non esse ; per accidens tamen potest esse, v. gr. si sit periculum incontinentiæ, si id sit necessarium ad mutuum amorem fovendum, si prolis procreatio esset necessaria aut valde utilis reipublicæ ad avertenda gravia ejus damna, dissidia etc. : ut si regnum catholicum devolvendum foret ad successorem hæreticum, si compars, præcipue uxor implicite vel tacite petat, ex verecundia non audeat aperte petere ; etc.

Deinde qui moraliter certus est de nullitate matrimonii sui, non potest debitum petere, nec reddere ; qui autem mala fide contraxit cum dubio de valore matrimonii, manente dubio non potest debitum petere, sed tenetur reddere comparti quæ bona fide contraxit (cap. *Dominus*, De secundis nuptiis). Quod si uterque cum tali dubio contraxerit, neuter potest petere, aut reddere, quia, manente tali dubio, exponunt se periculo peccati. Qui autem post matrimonium bona fide contractum incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter inquirere, et durante dubio non potest debitum petere, ne se exponat periculo fornicandi ; tenetur tamen reddere ob periculum faciendi contra jus alterius (cap. *Inquisitioni tuæ*). Quod si adhibita sufficienti diligentia non possit scire veritatem, potest petere et reddere, juxta multos doctores, quia est in possessione.

6. *In quibus casibus actus conjugalis sit illicitus.* Resp. in sequentibus :

1° Conjux tempore matrimonii committens incestum cum consanguineo vel consanguinea in primo aut secundo gradu, non potest debitum petere ob novam affinitatem contractam ; potest tamen reddere, quia uxor habet jus illud petendi. Probabile est tamen ignorantiam seu juris seu facti, imo et pœnæ excusare. Cæterum in hoc episcopus potest dispensare, et nonnulli regulares ex privilegio.

2° Qui extra causam necessitatis prolem ex propria uxore susceptam baptizat, aut in baptismo vel in confirmatione tenet ut patrinus, juxta communem, incurrit etiam obligationem non petendi debitum ob contractam spiritualem cognationem.

3° Si quis ex conjugibus obstrictus sit voto castitatis, non potest debitum petere antequam a voto suo liberetur, quia debet illud servare quantum potest : tenetur tamen reddere, quia alter conjugum per hoc non privatur jure suo, nisi voto obstrictus suum votum emiserit cum alterius consensu, et is suo juri ad petendum debitum renuntiaverit ; quo casu neuter potest petere aut reddere.

4° Qui contraxit cum voto ingrediendi religionem, aut suscipiendi ordinem sacrum, peccavit quidem contrahendo vel consummando matrimonium, dum ipsi liberum erat votum implere, sed post consummationem potest petere et reddere debitum, quandiu compars jus habet illud petenti.

5° Illicitus est actus conjugalis cum periculo abortus aut similis incommodi ; quod si absit tale periculum, non est illicitum accedere ad uxorem gravidam, et ipsa tenetur reddere debitum.

Non est etiam peccatum saltem grave, seclusis incommodis, accedere ad uxorem statim a partu, aut tempore menstruorum.

6° Illicitum est debitum conjugale petere aut reddere in templo, nisi conjuges maneant in eo inclusi ad longum tempus, v. gr. ad mensem, secundum Sanchez ; ad decem dies, secundum Fagundez, vel etiam ad tres aut quatuor dies secundum Suarez ; quod interdum accidit tempore bellorum.

7° Variatio situs aut modi naturalis in actu conjugali non est peccatum mortale, modo servetur vas debitum, nec sit periculum effundendi semen extra illud, aut impediendi generationem ; est tamen veniale sic debitum reddere aut petere.

8° Est peccatum veniale actum conjugalem exercere solius voluptatis causa, ut patet ex damnatione hujus propositionis ab Innocentio XI facta : *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus caret culpa, et defectu veniali.* Et merito hæc propositio damnata est, quia ratio dictat non esse agendum ob solam sensuum voluptatem.

9° Actus conjugalis est graviter illicitus in loco publico, seu coram aliis exercitus, tum ratione scandali, tum ratione turpitudinis istius actus taliter exerciti.

10° Die festo, vel jejunii, aut communionis, est quidem indecens actus conjugalis, et eo nomine interdum a Patribus reprehensus ; non est tamen illicitus, cum id nullo jure prohibeatur.

11° Qui post votum castitatis matrimonium contraxit et consummavit, tenetur mortuo altero conjuge servare simpliciter castitatem. Vide multo plura apud Sanchez (lib. IX *De debito conjugali*, per disputationes 47).

CAPUT XII.

De impedimentis matrimonii in genere et quis ea possit statuere.

Dico 1 : Impedimenta matrimonii, alia sunt *im-*

pedientia tantum, id est qui reddunt matrimonium solummodo illicitum, non autem invalidum. Alia *dirimentia*, id est quæ reddunt matrimonium etiam invalidum.

Dico 2 : Ecclesia vel papa potest statuere impedimenta matrimonii, tum impedientia, tum dirimentia : de fide contra Lutherum, Calvinum, etc. Justa tamen causa requiritur ad ea statuenda, et major quidem ad dirimentia, quam ad impedientia. Episcopus autem et concilia nationalia aut provincialia ex consuetudine aut etiam ex jure, non possunt ea statuere, quia id reservatum est papæ et concilio generali. (Sanchez, etc.)

Dico 3 : Princeps infidelis potest suis subditis matrimonii impedimenta et impedientia et dirimentia sancire, quia inter illos matrimonii contractus non est elevatus ad rationem sacramenti ; sed est purus contractus civilis et sæcularis. (D. Thomas, Sanchez, cum viginti quinque doctoribus.)

CAPUT XIII.

De impedimentis matrimonium impedientibus ; sive quæ et quot illa sint.

Dico revocari ad hæc quinque :

Tempora, mandatum, votum, sponsalia, crimen.

1. *Tempora* sunt ab Adventu usque ad Epiphaniam inclusive, et a feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive, quibus prohibetur celebrari nuptias solemnes cum benedictione sacerdotis solemni, sponsæ in domum sponsi deductione, solemni convivio aliisque lætitiæ signis. Non tamen prohibetur tum inire matrimonium et consummare : quamvis ex particulari consuetudine quarumdam Ecclesiarum non permittatur sine causa speciali, et licentia ab ordinario obtenta.

2. *Mandatum*, id est, prohibitio ab episcopo vel parocho facta ne matrimonium ineatur, dum dubium est de impedimento dirimente, donec plenius de illius veritate inquiratur.

3. *Votum*, id est, vel votum simplex castitatis in sæculo servandæ, vel votum ingrediendi religionem, vel sacros ordines suscipiendi.

4. *Sponsalia*, id est, sponsalia valida contracta cum aliqua tertia persona nisi prius legitime dissolvantur.

5. *Crimen*, quo nomine continentur multa delicta, ob quæ, pœnitentiæ loco per antiquos canones statuitur, abstinentia a conjugio ; ut sunt raptus alienæ sponsæ, occisio sacerdotis, uxoricidium, etc., quæ omitto, quia jam per non usum sunt abrogata.

CAPUT XIV.

De impedimentis matrimonium dirimentibus, sive quæ et quot illa sint.

Resp. esse quindecim, his versibus comprehensa :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Itaque nunc de singulis.

§ I. — *De impedimento erroris.*

1. *Error* circa substantiam personæ, non tantum jure positivo matrimonium dirimit, sed etiam naturali, quia tunc deest consensus in substantiam contractus ; persona enim cum qua contrahitur, est res circa quam matrimonii contractus versatur.

2. *Error* circa qualitatem personæ tantum, v. gr. si credebatur nobilis, dives, virgo, etc., non dirimit matrimonium, etiamsi iste error dederit forte causam matrimonio. Ratio est, quia non obstante isto errore, habetur consensus absolutus in personam præsentem, cum qua contrahitur matrimonium, et in contractus substantiam. Excipe 1° nisi qualitas redundet in substantiam personæ ; ut si intendas contrahere cum primogenita, et obtrudatur tibi secundo genita. 2° Nisi consensus sit conditionalis, nimirum sub conditione talis qualitatis, et non aliter. Verum debet ista conditio exterius clare exprimi, ut consensus reputetur conditionatus, quia si quis tantum interius conditionate consensisset, v. gr. si sit dives, nobilis, virgo, etc., cogeretur illam ducere, et absolutum consensum dare.

§ II. — *De impedimento conditionis.*

Conditio servilis ignorata, etiamsi ignorantia fuerit vincibilis, dirimit matrimonium si pars altera sit libera ; secus, si non sit ignorata, aut si pars altera non sit libera, sed etiam serva. Dirimit, inquam, non jure naturali sed ecclesiastico (cap. finali De conjugio servorum). Servi, invitis dominis, possunt valide et licite matrimonium contrahere. Habetur in cap. *De conjugio*. Debent tamen petere licentiam a dominis suis ; nisi timerent suum matrimonium impediendum.

§ III. — *De impedimento voti solemnis.*

Votum solemne in religione approbata, aut sacris ordinibus annexum, dirimit seu invalidat matrimonium, etiam consummatum. Eamdem vim habet votum simplex castitatis, quod in Societate Jesu absoluto tirocinio emittitur, ex bulla Gregorii XIII, quæ incipit *Ascendente Domino*.

Nota 1 : Vim illam, quam habet istud votum solemne, aut simplex in Societate Jesu, dirimendi matrimonium, esse solum juris ecclesiastici, cum ipsa votorum solemnitas sit etiam juris ecclesiastici ut alibi dictum est.

Nota 2 : Religiosus post votum castitatis, aut clericus post sacri ordinis suceptionem, tentans inire matrimonium, ipso facto excommunicatur.

§ IV. — *De impedimentis cognationis.*

Nota : Triplex est cognatio : 1ª *naturalis*, quæ est propinquitas sanguinis inter personas, vel ab eodem communi stipite descendentes, qualis est inter fratres, cognatos, etc., vel quarum una descendit ab alia, qualis est inter patrem et filium, avum et nepotem, etc., et dicitur *consanguinitas*. 2ª *Spiritualis*, quæ est propinquitas orta ex baptismo vel confirmatione ; estque duplex : una dicitur *paternitas* spiritualis quæ est inter baptizatum vel

confirmatum ex una parte, et baptizantem vel confirmantem vel patrinos ex altera. Altera dicitur *compaternitas*, quæ est inter patrem et matrem baptizati aut confirmati ex una parte, et inter baptizantem vel confirmantem aut patrinos ex altera. 3ª *Legalis*, quæ est propinquitas orta ex perfecta adoptione, qua ex principis vel reipublicæ consensu aliquis adoptatur in filium, ita ut transeat in patriam adoptantis potestatem. Nunc ad propositum.

Dico 1 : *Cognatio naturalis* in *linea recta*, id est inter eos quorum unus immediate vel mediate descendit ab altero, dirimit matrimonium jure naturali non tantum in primo gradu, v. gr. inter patrem et filiam, inter matrem et filium, uti omnes concedunt; sed etiam probabiliter in quocunque ulteriori gradu. Ratio est, quod actus conjugalis sit contra reverentiam quam descendentes debent suis progenitoribus.

In *linea* autem *collaterali* seu *transversa*, id est inter personas quæ ab eodem quidem communi stipite descendunt, sic tamen ut nulla descendat ab altera, dirimit matrimonium jure saltem ecclesiastico usque ad quartum gradum inclusive ex cap. *Non debet* de consanguinitate.

Ad numerandos et distinguendos gradus utriusque lineæ, hæ sunt regulæ :

In *linea recta* tot sunt gradus quot numerantur personæ, non numerata persona a qua initium ducitur. Hinc pater et filius contingunt se in primo gradu ; avus et nepos in secundo, et ita deinceps. In *linea* autem *transversa* seu collaterali, personæ æqualiter distantes a communi stipite seu principio, tot gradibus ab invicem distant quot recedunt a communi stipite. Hinc fratres et sorores sunt in primo gradu, consobrini in secundo et ita deinceps. Quod si inæqualis sit distantia, censentur in isto gradu ab invicem distare, quo remotior recedit a communi stipite. Unde si unus sit in quinto gradu, et alter in quarto, non erit opus dispensatione ad ineundum matrimonium, quia consanguinitas in linea collaterali, tantum dirimit matrimonium usque ad quartum gradum.

Quod attinet ad primum gradum lineæ collateralis, non tantum jure ecclesiastico, sed etiam naturali matrimonium est irritum, v. gr. inter fratrem et sororem : ita Sanchez, Vasquez, Bonacina, etc., contra Scotum, Cajetanum, etc. Ratio est, quia carnalis conjunctio fratris cum sorore continet gravem indecentiam, ut patet ex communi sensu hominum, quibus semper exosum et prohibitum fuit tale conjugium. Unde pontifices, licet aliquando requisiti, nunquam leguntur in eo gradu dispensasse ; nec refert quod in initio mundi fratres cum suis sororibus non solum valide sed etiam licite matrimonium contraxerint, quia necessitas propagandi genus humanum id exigebat, reddebatque tale conjugium honestum, accedente præsertim divina dispensatione.

Quoad alios vero ulteriores gradus lineæ collateralis usque ad quartum inclusive, videtur certum solo jure ecclesiastico dirimere matrimonium ; cum pontifices frequenter in iis dispensent.

Dico 2 : *Cognatio spiritualis* matrimonium contrahendum invalidat jure ecclesiastico inter baptizantem et baptizatum, et hujus patrem et matrem, item inter baptismi susceptorem et susceptum, et hujus patrem et matrem. Idem de confirmatione, ex Tridentino (sess. 24, cap. 2), et ex cap. *Veniens* De cognatione spirituali.

Dico 3 : *Cognatio legalis* jure Cæsareo et ecclesiastico dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum, et adoptati filios et nepotes. Item inter adoptatum et adoptantis filios et nepotes. Item inter adoptatum et proles naturales ac uxorem adoptantis. Sed hæc cognatio non est amplius in usu.

§ V. — *De impedimento criminis.*

Præter raptum de quo postea, duo sunt crimina, quæ matrimonium contrahendum dirimunt : primum est homicidium, quo ex duorum conspiratione, licet sine prævio adulterio, alterius conjux occiditur, ut postea matrimonium inter se ineant ; vel quo post admissum adulterium vir aut femina, etiam sine prævia alterius conspiratione, conjugem interficit ex intentione contrahendi matrimonium cum parte superstite. Alterum crimen est adulterium sic commissum, ut adulteri quantum est de se, matrimonium ineant viva comparte, vel saltem fidem sibi præstent de matrimonio inter se mortua comparte ineundo. Debet autem adulterium esse consummatum, et quidem scienter ut tale, ab utroque commissum, et promissio debet esse facta tempore matrimonii, sive ante sive post adulterium. Ad hoc autem sufficit promissio unius, licet non sit mutua, modo sit seria, et ab altero acceptata.

§ VI. — *De impedimento disparitatis cultus.*

Dico 1 : Disparitas religionis dirimit matrimonium inter baptizatum et non baptizatam, etiam catechumenam ; idque probabilius jure tantum ecclesiastico, et quidem non scripto ; sed per antiquissimam et universalem consuetudinem introducto. Unde papa potest in eo dispensare, et revera pro variis infidelium regnis in eo dispensavit

Dico 2 : Matrimonium fidelis baptizati cum hæretica baptizata, sive Catholici cum hæretica, vel contra, est quidem validum, cum nullo jure irritetur, sed illicitum tum jure naturæ, si sit periculum subversionis ; tum jure ecclesiastico hujusmodi matrimonia prohibente. Licitum tamen si adsit dispensatio pontificis, et absit periculum subversionis. Imo in locis in quibus hæretici pacifice vivunt permisti Catholicis, existimant Sanchez, Navarra, Hurtadus, et alii, licitum esse tale matrimonium absque expressa pontificis dispensatione ; quia, inquiunt, pro illis locis censetur vel tacita pontificis dispensatio concessa, vel lex usu continuo abroga-

ta ; excipe tamen, nisi obstet periculum perversionis vel scandalum ; quod sæpe intervenit.

Dico 3 : Cum inter infideles verum detur matrimonium in ratione contractus, non istud dissolvitur sola alterius ad fidem per baptismum conversione ; habetur in cap. *Gaudemus ;* et in primis Ecclesiæ temporibus juxta consilium (non præceptum) D. Pauli I Cor. VII, 12, 13, sic loquentis : *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam ; et si quæ mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Secluso animæ periculo licita erat cohabitatio fidelis cum infideli nolente ad fidem converti ; sequentibus autem temporibus fuit illicita, vel ob præceptum latum a concilio Toletano quarto, in cap. *Judæis*, habito circa annum 640, vel ob Christianam consuetudinem habentem vim præcepti, quamvis nulla intervenisset Creatoris contumelia. Sic tenet D. Thomas, his verbis : « Pari ubique passu ambulant utrique, (id est gentiles et Judæi), quia utrique obstinati sunt, et ideo nisi uxor infidelis converti velit, non permittitur ei cohabitare, sive sit gentilis sive Judæa. » Sic etiam cum D. Thoma tenet Durandus ; item Sanchez cum viginti quatuor doctoribus, contra Abulensem, Navarram, etc., dicentes esse licitam, casu quo velit infideles absque Dei contumelia et attractione ad peccatum cohabitare. Attamen si adsit spes conversionis infidelis conjugis ex consortio fidelis, tunc videtur licita cohabitatio ; quia tunc cessat ratio legis ecclesiasticæ aut consuetudinis habentis vim legis, interdicentis talem cohabitationem : ita Palatius, Petrus Ledesma, Basilius, Cornelius a Lapide in I Cor. VII, sic dicentis : « Sane nimis durum esset et scandalosum, si in India, Japonia, China, ubi jam primum inducitur fides, sub regibus infidelibus cogerentur Christiani dimittere uxores quas in infidelitate duxerunt ; aut si uxores cogerentur deserere maritos, præcipue nobiles, et principes, nolentes ad fidem converti ; qui inde caperent occasionem abominandi Christianos et Christianam fidem. »

Dico 4 : Infideli nolente cohabitare, aut volente quidem, sed cum contumelia Creatoris, aut cum pertractione ad mortale, licet fideli converso istud matrimonium quantumvis consummatum dissolvere et ad aliud transire ; id definivit Innocentius III in cap. *Quanta*, et in cap. *Gaudemus*. Debet tamen prius requiri ac moneri, an velit converti vel cohabitare sine Dei contumelia aut sine pertractione ad peccatum. (D. Thomas, Sanchez, Henno, Sa, etc.)

Dico 5 : In hisce dictis casibus non dissolvitur matrimonium statim ac infidelis discedit, aut non vult cohabitare absque injuria Creatoris, aut sine pertractione ad peccatum, sed perseverat donec fidelis conversus transeat ad secundas nuptias ; unde si fidelis nunquam statum mutet, perseverabit semper prius matrimonii vinculum. Innocentius III, in cap. *Gaudemus* sic ait : *Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellatur.* (Sanchez cum viginti septem doctoribus, item Bonacina, Ægidius, etc.)

§ VII. — *De impedimentis vis seu violentiæ, aut metus.*

Dico 1 : Vis seu violentia, et metus gravis injuste incussus ad extorquendum matrimonium illud irritat in utroque foro, in cap. *De his ;* et quidem jure naturæ, si a contrahente, positivo autem si a tertia persona sit incussus.

Dixi 1° *Gravis* seu cadens in constantem virum, v. gr. metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, servitutis, stupri, amissionis bonorum, injustæ excommunicationis, enormis indignationis patris valde austeri, etc. ; metus enim levis non irritat matrimonium quamvis sine illo non fuisset factum. (D. Thomas, Sanchez cum quadraginta duobus doctoribus)

Dixi 2° *Injuste incussus,* quia si juste sit incussus, valet matrimonium, v. gr. si pater stupratori filiæ suæ minetur accusationem nisi illam ducat.

Dixi 3° *Ad extorquendum consensum ;* quia matrimonium ex metu etiam gravissimo undecunque et quomodocunque incusso, si non sit ad illud extorquendum, omnino est validum ; quia tunc non tam contrahitur metu, quam eligitur medium evadendi periculum et est simpliciter voluntarium. Unde est validum, si in morbo aut naufragio concubinarius metu gehennæ ducat concubinariam ; si graviter ægrotans ducat filiam medici, aliter nolentis ei mederi ; si in carcere constitutus, spe evadendi ducat filiam custodis carceris.

Dico 2 : Matrimonium invalidum ex metu gravi contractum, fit validum per copulam affectu maritali sponte factam, aut saltem ex metu tantum levi ; quia ad ejus valorem requirebatur tantum spontaneus consensus metum passi, qui nunc habetur, nec est opus ut simul tempore exsistat cum præcedenti legitimo alterius. (D. Thomas, Sotus, Sanchez, etc.) Quando matrimonium ex metu gravi contractum, fuit invalidum, non tenentur in foro conscientiæ per se loquendo contrahentes illud revalidare ; potestque etiam is qui liber a metu fuit, etiamsi ejus causa fuisset illatus, altero invito resilire. (Sanchez, Hurtadus etc.)

Dico 3 : Quamvis metus gravis fuerit incussus tantum ad contrahendum in genere, nullam personam particulari determinando, contractum tamen ex tali metu nullum esse aiunt Sanchez, Pontius Diana, etc.

§ VIII. — *De impedimentis ordinis.*

Ordo sacer, nempe subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus jure ecclesiastico dirimit matrimonium, ob annexum votum solemne castitatis, ut dictum est supra ex Tridentino (sess. 24).

Minores autem ordines nec illud dirimunt nec impediunt.

§ IX. — *De impedimento ligaminis.*

Ligamen prioris conjugii tam consummati quam tantum rati adhuc perseverantis, irritat novum matrimonium, tum jure naturali tum ecclesiastico, ut patet ex dictis de polygamia. Nec sufficit qualiscunque opinio de morte conjugis, ut pars superstes possit novas nuptias inire, sed requiritur certitudo moralis excludens rationabile dubium, qualis esset, v. gr. si quis testaretur se vidisse illum mortuum, accedentibus præsertim quibusdam aliis indiciis. Putat Bonacina ad id sufficere, si quis prælium ingressus, non amplius compareat, et fama et litteræ eorum qui prælio interfuerunt, referant illum esse mortuum. Cæterum si post contractas bona fide secundas nuptias superveniat rationabile dubium de morte prioris conjugis, potest adhuc reddere debitum et interim inquirere. Ubi autem constiterit de vita, nec petere potest nec reddere; sed debent quamprimum separari, et pars quæ secundum matrimonium inierat, debet ad priorem conjugem reverti; quia secundum matrimonium fuit invalidum.

Petes, an filii ex secundo matrimonio habiti vivente priore conjuge, debeant censeri et judicari legitimi. Resp. affirmative; casu quo mulier ex probabili causa et secundum prudentum judicium credens virum mortuum, bona fide in facie Ecclesiæ matrimonium inierit, et bona fide permanente conceperit; secus autem, si credens virum vivum mala fide illud inierit, etc. (Sanchez, Basilius, etc.)

§ X. *De impedimento publicæ honestatis.*

Hoc honestatis impedimentum est quædam velut affinitas vel propinquitas jure canonico interdicta, quæ oritur ex sponsalibus validis de futuro inter sponsum et consanguineos sponsæ; et contra. Item ex matrimonio rato et non consummato inter maritum et consanguineos uxoris; et contra. Ortum ex sponsalibus, tantum dirimit matrimonium in primo gradu juxta jus novum Tridentini (sess. 24, cap. 3); cum antea dirimeret usque ad quartum gradum inclusive (cap. *Juvenis*, De sponsalibus). Unde si quis nunc post sponsalia valide celebrata cum Joanna, matrimonium iniret cum illius matre, sorore, filia, invalide contraheret; non vero si iniret cum aliis illius consanguineis ultra primum gradum. Ortum autem ex matrimonio rato dirimit usque ad quartum gradum inclusive; quia conc. Tridentinum circa hoc nihil immutavit.

Quod si sponsalia mutuo consensu fuerint dissoluta, nullum inde oriri impedimentum dictæ honestatis sentiunt Sa, Pontius, Hurtadus, Præpositus, etc.; contrarium tamen probabilius tenent Sanchez, Laymannus, etc., quia hoc impedimentum est perpetuum. Nullum vero oritur ex sponsalibus conditionatis, aut ex matrimonio rato conditionato ante eventum conditionis.

§ XI. — *De impedimento amentiæ et ætatis.*

Amentia, et quicunque defectus usus rationis, dirimit matrimonium jure naturali, cum tollat liberum consensum ad valorem matrimonii essentialiter requisitum; si tamen amentia sit cum lucidis intervallis, validum est matrimonium in illis contractum.

Ad hoc impedimentum reducitur defectus ætatis, ita ut invalidum sit matrimonium ante annos pubertatis, id est respectu feminæ ante annum duodecimum, et respectu masculi ante annum decimum quartum: non tamen jure naturæ, quod solum requirit sufficientem usum rationis, sed jure ecclesiastico et civili. Requiritur autem juxta communem, ut anni isti sint completi; cujus ratio hæc videtur esse, quod ordinarie ante istam ætatem non adsit sufficiens usus rationis ad contractum tanti momenti. Hanc tamen limitationem passim addunt doctores, nisi in proximis pubertati annis malitia suppleat ætatem; id est, nisi adsit sufficiens discretio et potentia ad generationem, tunc enim poterit esse validum matrimonium.

§ XII. — *De impedimentis affinitatis.*

Affinitas est propinquitas personarum orta ex copula carnali perfecta, sive licita sive illicita. Illa quæ provenit ex licita sive conjugali, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, sicut facit consanguinitas. Quæ autem provenit ex illicita, jure novo Tridentini (sess. 24, cap. 4), tantum dirimit usque ad secundum inclusive. Affinitas non parit amplius affinitatem, sicut pariebat ante concilium Lateranense; id est, affinitas quam contrahit maritus cum consanguineis suæ uxoris, et contra uxor cum consanguineis sui mariti, non se extendit ad eorum consanguineos, ita ut inter ipsos intercedat et jam affinitas. Unde possunt duæ sorores matrimonium valide contrahere cum duobus fratribus, et filia uxoris ex alio matrimonio suscepta valide contrahere cum filio mariti etiam ex alio matrimonio suscepto, etc.

In affinitate lineæ et gradus eodem modo computantur, quo in consanguinitate; et proinde sicut mater uxoris tuæ est consanguinea uxori in primo gradu lineæ rectæ; ita est tibi affinis in primo gradu ejusdem lineæ rectæ. Similiter sicut uxoris tuæ soror est consanguinea uxoris in primo gradu lineæ collateralis, ita est tibi in eodem gradu affinis; et sic de aliis.

§ XIII. — *De impedimento matrimonii clandestini.*

Dicitur *si clandestinus*: quia Tridentinum irritat matrimonia eorum qui contrahunt aliter quam coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius vel ordinarii licentia, et duobus saltem testibus; vultque graviter puniri eos qui contra hoc contraxerint, vel etiam tali contractui interfuerint. Vide cap. 8, supra ubi id fusius explicatur.

§ XIV. — *De impedimento impotentiæ.*

Impotentia est incapacitas exercendi copulam de se sufficientem ad generationem. Alia est absoluta,

cum quis absolute est incapax illam exercere cum qualicunque persona ; alia respectiva, cum est incapacitas illam exercendi tantum cum certa aliqua persona. Item alia est perpetua, quæ nulla arte tolli potest, ut in eunuchis; alia temporalis, quæ successu temporis tollitur, ut in pueris ob defectum sufficientis ætatis, etc.

Si impotentia sit perpetua et conjugium antecedat, undecunque oriatur, matrimonium dirimit jure naturæ quia repugnat fini matrimonii : secus si non antecedat, sed superveniat matrimonio jam contracto, quia quod semel fuit validum, non potest reddi invalidum, cum ex natura sua sit perpetuum. Si autem dubitetur an impotentia sit perpetua, an vero temporalis, datur a jure triennium ad experientiam bona fide faciendam ; quo elapso, si adhuc duret, præsumitur perpetua, et matrimonium dirimit. Si impotentia sit absoluta, ita ut sit respectu omnium, dirimit matrimonium respectu omnium; si autem sit solum respectiva, tantum dirimit respectu eorum, quorum respectu est impotentia

Nota 1 : Si impotentia, quæ putabatur esse perpetua, post conjugum separationem deprehendatur fuisse tantum temporalis, conjuges redire debent ad prius matrimonium, etiam rescisso eo quod forte postea contraxissent.

2. Si quis ratione senectutis sit omnino inhabilis ad actum conjugalem in perpetuum, nec sit spes posse illius vires medicamentis instaurari, invalide contrahet ; quia ex connaturali statu est impotens. Secus, si id ex morbo accidentali oriatur, et possit curari. Vide plura apud Sanchez (lib. VII).

§ XV. *De impedimento raptus.*

Raptus est violenta feminæ renitentis abductio ex domo sua ; et jure novo Tridentini (sess. 24, cap. 6) dirimit matrimonium inter raptorem et raptam , etiam post raptum consentientem, quandiu remanet in potestate raptoris. Quod si a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta consentiat, tunc validum erit matrimonium. Raptor autem et omnes ejus fautores excommunicantur , aliisque pœnis subjacent Tridentino. (*Ibid.*) Deinde tenetur raptor, ut ibidem decernit, raptam dotare, sive eam ducat sive non.

Nota : Probabile est non censeri verum raptum dirimentem matrimonium in his casibus : 1° si puella volens, invitis parentibus, abducatur, quia Tridentinum loquitur de raptu quo læditur libertas ad matrimonium ; 2° si non vi nec metu , sed dolo abducatur ; quia tunc non tam rapta est quam seducta ; 3° si non abducatur de loco in locum ; v. gr. si abducatur tantum de uno cubiculo in aliud ; aut si reperta in agro, ad aliquos tantum passus abducatur ; 4° si non matrimonii causa abducatur, sed solius explendæ libidinis, et interim matrimonium libere contrahatur, dum rapta adhuc est in potestate raptoris, quia tunc non tollit raptus libertatem; 5° si mulier virum abducat, isque libere consentiat in matrimonium dum est in potestate raptricis; quia Tridentinum agit de raptore, non de raptrice.

Attamen videtur raptus esse dirimens matrimonium, si quis non per se, sed per alium puellam rapiat, aut si sponsus suam propriam sponsam reni tentem.

CAPUT XV.

De dispensatione in impedimentis matrimonii.

§ I. *Quis possit in illis dispensare.*

Dico 1 : in iis quæ solo, jure ecclesiastico dirimunt matrimonium, papa tanquam caput Ecclesiæ potest dispensare, sed nullus alius præter eum potest id ordinaria potestate facere ; cum enim illa posita sint a pontificibus aut a conciliis generalibus, non potest inferior potestate ordinaria dispensare in lege superioris. In iis autem quæ dirimunt matrimonium jure naturali, nempe in impedimento erroris, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, ligaminis, amentiæ, impotentiæ, ne pontifex quidem potest dispensare, cum Christus eam potestatem Ecclesiæ suæ non dederit, ut patet ex praxi.

Dico 2 : Quamvis episcopus non possit potestate ordinaria valide dispensare in impedimentis dirimentibus, ex tacita tamen pontificis licentia, post contractum matrimonium ob gravem causam potest id facere, si adsint hæ conditiones : 1° si impedimentum sit occultum, matrimonium autem publicum ; 2° si unius saltem conjugis bona fide contractum sit matrimonium. Præpositus tamen putat (quæst. 8, n. 12) posse probabiliter dispensari ab episcopo in casu extraordinario, etsi matrimonium mala utriusque fide sit contractum ; 3° si conjuges præsumpti non possint separari, nisi difficulter et cum scandalo ; 4° si ob eorum paupertatem et nimiam distantiam, difficilis sit recursus ad pontificem, aut ad nuntium, aut alium habentem expressam facultatem dispensandi, aut dispensatio differri non possit absque notabili periculo incontinentiæ : ita doctores communiter. Hæc autem episcopi dispensatio, tantum valet pro foro conscientiæ. Unde si postea res deducatur ad forum contentiosum , debebunt conjuges saltem exterius separari, donec in eodem foro dispensatio obtineatur.

Hanc episcopi potestatem in istis impedimentis dispensandi extendunt graves auctores etiam ad casum quo nondum sit contractum matrimonium , si adsit urgens causa contrahendi ; v. gr. si in articulo mortis id sit necessarium ad legitimandam prolem, ad consulendum honori illustris concubinæ, ad bonum publicum, etc. (Sanchez, Hurtadus, Diana, etc.)

§ II. *Quænam sint causæ justæ ad dispensandum in matrimonii impedimentis.*

Resp. Hæ septem præcipue solent ab auctoribus ferri : 1° exstinctio magnæ litis, rixarum, evitatio scandali ; 2° dum quis non potest digne nubere, nisi cum consanguineis absque gravi incommodo ; 3° defectus dotis competentis , ut femina juxta suam conditionem nubat extraneo ; 4° conservatio illustris

familiæ ; 5° conservatio magnarum opum in eadem familia ; 6° excellentia meritorum dispensationem petentis ; 7° magna pecuniæ summa in opus pium aut in bonum publicum in defectu alterius causæ sufficientis.

Dispensatio autem papæ facta sine causa, quamvis videatur valida, est tamen illicita, ut sentiunt communius doctores. Hinc dispensatio impetrata ex falsa causa est subreptitia et nulla, quia cum dispensatio sine vera et justa causa sit papæ illicita, non potest præsumi eum voluisse illam dare. Itaque si causa finalis, ob quam datur dispensatio, sit falsa, nulla est dispensatio; secus autem si sit tantum impulsiva, ut communiter docent theologi. Dicitur *finalis*, quando talis est, ut nullo modo sine illa, aut solum cum certis limitationibus et conditionibus concederetur dispensatio. Dicitur vero impulsiva, quando sine illa concederetur quidem dispensatio, sed non tam facile ; aut certe dispensatio, non nititur intrinsece isto motivo. Quod si omnibus attentis dubitetur an causa, quæ falso allata est, fuerit finalis an impulsiva tantum, dispensatio erit dubia, ergo illicitus ejus usus ; quia utens illa, temere se exponeret periculo contrahendi matrimonium invalidum.

Denique si causa, ob quam petitur dispensatio, non subsistat quando petitur a papa, sed subsistat quando per commissarium conceditur, valida erit dispensatio ; contra erit invalida, si subsistat quando petitur, et non subsistat quando conceditur : ita communiter doctores. Ratio est, quia dispensatio recipit tempus quo conceditur, non quo petitur ; ergo censenda est nulla, si causa illam concedendi nulla sit eo tempore quo conceditur.

Collige eum, qui habet potestatem in hisce impedimentis dispensandi sibi a papa delegatam, non solum illicite, sed etiam invalide dispensare, si id faciat absque causa ; quia non potest prudenter præsumi pontificem dedisse facultatem dispensandi in iis circumstantiis, in quibus non potest id fieri sine peccato.

§ III. *Quid explicandum in petitione dispensationis.*

Dico 1 : Qui habet duo impedimenta, debet utrumque explicare ad valorem dispensationis (Sanchez, Hurtadus, et alii communiter) ; quamvis Henriquez, et alii apud Hurtadum putent id non esse opus, quando utrumque est ejusdem rationis : v. gr. si quis carnaliter cognoverit duas sorores, et velit ducere tertiam.

Dico 2 : Si in petitione dispensationis aliquid omittatur, quod jus jubet exprimi, invalida est dispensatio. Unde si inter consanguineos aut affines intercesserit copula carnalis consummata, debet illa exprimi in petitione dispensationis, pro impedimento consanguinitatis aut affinitatis, quia stylus curiæ exigit in tali casu illius expressionem ; ut communiter sentiunt doctores. Putant tamen Pontius, Hurtadus Præpositus, copulæ reticentiam, quando occulta est, dispensationem non invalidare in foro conscientiæ; modo non detur pro foro conscientiæ tantum cum addita clausula : *Modo copula non præcesserit.*

Dico 3 : Ad valorem dispensationis, si petentes distent inæqualiter a communi stipite, non est necessarium exprimere gradum propinquiorem nisi is sit primus : v. gr. si unus distet in secundo gradu, alter in tertio, sufficit exprimere tertium gradum. Vide longe plura hac super re apud Sanchez, lib. VIII, per triginta sex disputationes.

CAPUT XVI.

De revalidatione matrimonii invalidi.

Nota 1 : Duobus modis potest matrimonium esse invalidum, vel ob impedimentum dirimens, vel ob defectum sufficientis consensus.

Nota 2 : Potest esse invalidum vel notorie vel occulte. Itaque

Dico 1 : Si matrimonium fuit invalidum ob impedimentum dirimens, v. gr. ob consanguinitatem, affinitatem, etc., ante omnia petenda est dispensatio, et interim, si uterque conjux illud sciat, abstinendum omnino ab usu matrimonii quoad usque dispensatio habeatur ; qua habita debet uterque præstare novum consensum, quia prior fuit illegitimus cadens in materiam illegitimam ; si autem unus tantum conjux illud sciat, ante obtentam dispensationem nullo modo reddere debitum potest, quia hoc esset scienter fornicari ; illa vero obtenta, conetur illud comparti ignaræ saltem in confuso manifestare, et eam inducere ad præstandum novum consensum. Si autem per istam manifestationem timeatur grave incommodum, scandalum, etc., tunc conjux, impedimenti conscius, videns compartem bene dispositam, ei dicat : *Ego te ita amo ut si inter nos non esset matrimonium, te in conjugem iterum acciperem, et quantum in me est, te accipio ; tu ne ex parte tua idem facis?* Si respondeat : *Facio*, aut simili modo novum consensum præstet, videtur id sufficere ad matrimonium revalidandum. Ubi notandum est non sufficere, si dicatur *vellem* vel *acciperem*, etc., quia non esset consensu de præsenti, qualis ad matrimonium requiritur. Quod si neque hoc sine gravi periculo, aut scandalo fieri possit, quia forte alter ex illo extraordinario agendi modo posset conjicere aliquid tale subesse ; eo casu censent Sanchez Lessius, Angelus, Paludanus, Sotus, Bonacina, etc., partem impedimenti consciam posse se conformare sententiæ non improbabili eorum, qui docent sufficere quod consensum renovet interius et affectu maritali actum conjugalem exerceat non monita comparte de matrimonii nullitate.

Dico 2 : si matrimonium fuerit nullum defectu interni consensus ex parte utriusque, debet uterque novum consensum elicere ut matrimonium fiat validum, debetque iste consensus exterius exprimi ; quia debet utrique innotescere et ab utraque acceptari. Si autem fuerit nullum defectu consensus ex parte unius tantum, videtur sufficere si ipse consensum interius ponat, quia ut supponitur, consen-

sus alterius remanet habitualiter; nec est necesse, ut defectum hunc comparti significet, sed satis est si consensum suum aliquo modo illi indicet.

Dico 3 : Si nullitas matrimonii undecunque proveniens fuerit notoria, aut periculum sit ut evadat notoria, ad illud revalidandum non sufficit clandestine consensum renovare, sed debet id fieri in facie Ecclesiæ coram parocho et testibus, quamvis prior consensus, qui nullus fuit ob aliquod impedimentum dirimens, præstitus fuerit in facie Ecclesiæ, seu coram parocho legitimo et testibus ad mentem Tridentini. Si autem nullitas sit occulta, nec sit periculum ut aliquando innotescat, et prius matrimonium in facie Ecclesiæ coram parocho et testibus initum fuerit, tunc ad illius revalidationem sufficit occulta consensus conjugum in illud renovatio, modo jam explicato. (Sanchez, Navarra, Præpositus, Bonacina, etc.) Probatur, tum quia jam talis est praxis quotidiana pœnitentiariæ Romanæ, quæ dispensando in impedimento dirimente occulto, nunquam requirit renovationem consensus in facie Ecclesiæ; tum quia in hoc casu cessat finis Tridentini, requirentis præsentiam parochi et testium, quia tunc publice probari potest valor matrimonii, cum defectus sit occultus, et matrimonium publice celebratum fuerit.

INDEX ANALYTICUS

RERUM, QUÆ IN DUOBUS SUMMÆ THEOLOGICÆ VOLUMINIBUS CONTINENTUR.

Numerus Romanus tomum, arabicus vero columnam indicat.

A

Adam. — Quomodo Adam creatus sit, de ejus scientia ac justitia originali, I, 427 et seqq. Quale præceptum Adæ a Deo datum, 453, 454. — De peccato Adæ et Evæ, atque expulsione e paradiso, I, 456 et seqq.

Adjuratio. — De adjuratione. Quid sit et quomodo, II, 259 et seqq.

Adoratio. — De præcepto adorandi Deum mente et corpore, illique offerendi sacrificia et alias res, II, 21, 23. De adoratione debita Christo ut Deo. Quid et quotuplex adoratio. II, 669. De adoratione sanctis hominibus, angelis et Christo Deo Homini, ejusque humanitati exhibenda. II, 671. De usu et adoratione imaginum. II, 675. De usu et adoratione crucis. II, 685.

Angelus. — De natura angelorum; quando et ubi creati; an corporei; eorum numerus. I, 239 et seqq. An omnes angeli sint ejusdem specificæ naturæ; an dentur aliqui solo numero differentes. I, 247, 251. Dantur in angelis species intelligibiles sibi concreatæ ad intelligenda objecta extra se posita. I, 252 et seqq. Angeli per species sibi concreatas non possunt virtute naturali certo cognoscere futura contingentia, quæ pendent a libero arbitrio. I, 261 et seqq. Angeli quo superiores sunt, eo per universaliores species intelligunt. I, 266. Angelus non potest naturaliter alterius angeli internos voluntatis actus et intellectus cogitationes certo cognoscere, sine illius consensu aut manifestatione. I, 270 et seqq. Quomodo angeli suos conceptus et affectus aliis manifestant I, 276, 277. Angeli non possunt naturaliter res creatas, in substantia supernaturales certo cognoscere; possunt tamen naturaliter cognoscere quosdam effectus qui sunt tantum supernaturales quoad modum. I, 283 et seqq. Angelus semper aliquid cogitat; sed non omne id quod potest intelligere. I, 289. De angeli voluntate in puro naturæ statu spectata; de ejus libertate, amore, libera electione, mutabilitate. I, 291 et seqq. De angeli ubicatione. I, 301. De angeli transitu ab uno in alium locum. I, 310. De angeli potentia ad movendos alios angelos et alias res. I, 314, 315. Quomodo angeli corpora assumunt, et an iis opera vitæ exerceant. I, 316, 320. De gratia quam angeli in via habuerunt; quæ mysteria cognoverint et crediderint; quomodo sanctificati; quid meruerint. I, 322 ad 333. Angeli sancti in tertio post suam creationem instanti suam essentialem beatitudinem, stabilem nec amplius unquam augendam, ex meritis tantum præcedentibus, non ex prævisis sequentibus acceperunt. I, 335 et seqq. Angelorum beatitudo accidentalis potest augeri. I, 340. Angeli, alii sunt assistentes, alii ministrantes; alii alios illuminant, et quomodo. I, 341 ad 350. De angelis custodibus. I. 351 et seqq. De peccato malorum angelorum. I, 358 et seqq. An angeli in primo suæ creationis instanti peccarint, aut peccare potuerint. I, 377 et seqq. De modo angelicæ Annuntiationis; de ejus tempore ac loco, et de modo Christi conceptionis. II, 707 et seqq.

Anima. — De divisione animæ in rationalem, sensitivam et vegetativam. I, 475 et seqq. An anima rationalis sit spiritualis et immortalis, adeoque indivisibilis. I, 481, 482. De statu animæ separatæ, et quomodo cognoscat, etc. I, 507, 509. De animæ Christi moralibus virtutibus, donis Spiritus sancti, gratiis gratis datis. II, 598, 599.

Antichristus. — De Antichristo. II, 807.

Apparitio. — De apparitionibus Dei et angelorum ante Verbi incarnationem. I, 556. De apparitionibus post resurrectionem. II, 787.

Ascensio. — De Christi ascensione et sessione ad dexteram Patris. II, 799, 801.

Attritio — De attritione, quid sit attritio; an possit fieri contritio. II, 1070.

B

Baptismus. — De baptismi institutione, materia, forma, unitate. II, 869-875. De baptismi ministro et patrino. II, 876, 878. De baptismo adultorum et parvulorum II, 879 et seqq. De baptismi effectibus et necessitate. II, 884 et seqq. De dispositione necessaria ad effectum baptismi, et quomodo baptismus valide susceptus, ablata fictione seu obice conferat suum effectum, II, 889. De baptismi cæremoniis II, 899.

Beatitudo. — De beatitudine hominis objectiva et formali generice sumpta. I, 517 et seqq De specifica supernaturalis beatitudinis formalis essentia. I, 521. De beatorum intellectus perfectionibus. 523 et seqq. De appetitu beatitudinis. I, 534. De octo beatitudinibus evangelicis. I, 831, 832.

Bellum. — De bello et duello. I, 1179, 1183.

Blasphemia — De blasphemia. II, 73.

Bonitas. — De bonitate et malitia objectiva actuum humanorum. I, 553. De bonitate et malitia formali interiorum actuum humanorum ex objecto, ex circumstantiis et ex fine. I, 556 et seqq.

C

Castitas. — De simplici castitatis voto, ad quid obliget; an irritet matrimonium subsequens; an irritet jam contractum; ad quid obliget post contractum. II, 405 et seqq. De voto castitatis conjugum. II, 409. An solus papa possit dispensare in simplici castitatis voto. II, 411. De voto castitatis annexo sacris ordinibus, et a quo tempore. II, 414. An in votum sacris ordinibus annexum possit cadere dispensatio. II, 416. De vi et antiquitate solemnis voti castitatis religiosæ, an hoc dissolvat matrimonium ratum, an etiam consummatum. II, 420 et seqq.

Censura. — De censuris ecclesiasticis quotuplex; quis possit instituere aut ferre censuras. II, 1215 et seqq. De modis ferendi censuras, et de censura quæ vel a jure vel ab homine fertur. II, 1219. De causa ob quam possit ferri censura. II, 1225. In quos ferri potest censura. II, 1233 et seqq. Generales effectus censuræ et de modis quibus potest tolli, et a quo. II, 1235 et seqq.

Cessatio. — De cessatione a divinis quid et quotuplex: ejus effectus; cur et quomodo ferenda ac tollenda. II, 1315 et seqq.

Character. — De charactere quem imprimunt sacramenta legis novæ. II, 849.

Charitas. — De charitate, ejusque materiali et formali objecto, ac de ejus ordine. I, 1157 et seqq. De actu et habitu charitatis. I, 1160, 1162. De præceptis charitatis; de præcepto amandi inimicos ac peccatores. I, 1165 et seqq.

Christus. — Testimonia quibus demonstratur Christum esse verum hominem et verum Deum. II, 542. An Christi opera fuerint infiniti valoris ad satisfaciendum. II, 547. De Christi corporis perfectionibus et defectibus. II, 625. De idiomatum communicatione in Christo. II, 631. De Christi circumcisione, præsentatione et vita usque ad annum tricesimum. II, 717-721. De Christi prædicatione et miraculis II, 742 et seqq. Quo ætatis anno, mense, die, hora, Christus mortuus est. II, 763. De iis quæ statim post mortem Christi acciderunt. II, 764. De Christi passione, morte et prodigiis. III, 748 et seqq.

Concilium. — De concilio generali. I, 1105 et seqq.

Concursus. — An concursus Dei ad actus supernaturales sit supernaturalis ordinis. I, 853 et seqq. An præter simultaneum Dei concursum requiratur alius prævius influxus in causam secundam tam necessariam quam liberam, in ejus potentia receptus. I, 856. An prævius Dei concursus prædeterminans sit necessarius voluntati, ut liberos suos actus tum naturales tum supernaturales eliciat. I, 862.

Confessarius. — De facultate eligendi confessarium; quis hanc dare possit. II, 1130. De qualitate, idoneitate, bonitate, scientia confessarii juxta jus novum et antiquum; de ejus approbatione. II, 131 et seqq.

Confessio. — De confessione sacramentali, ejus integritas quoad omnia peccata mortalia, et eorum numerum, diversas eorum species, aliasque circumstantias; quomodo in periculo mortis. II, 1104 et seqq. De confessionis præcepto divino et ecclesiastico. II, 1150 et seqq.

Confirmatio. — De sacramento confirmationis; ejus institutione et essentia. II, 905, 906. De sacramenti confirmationis effectu, de suscipientibus, de ministro, de cæremoniis et obligatione illud suscipiendi. II, 910 et seqq.

Conscientia. — Quid conscientia; quomodo obliget. I, 573 et seqq.

Consuetudo. — De consuetudine, de bona et mala consuetudine, de præscripta et non præscripta, de legis abrogatione per consuetudinem. I, 701 ad 712.

Contemplatio. — De contemplatione. II, 168. De via purgativa, illuminativa, unitiva. II, 168, 169. De exstasi. II, 172.

Contritio. — De contritione, an includat Dei amorem super omnia, et propositum non amplius peccandi; an ad eam requiratur intensio et duratio. II, 1065 et seqq.

Correctio. De præcepto fraternæ correctionis. I, 1172. De ordine servando in præcepto charitatis et misericordiæ. I, 1174.

Creatio. — De creatione cœli, terræ, elementorum et angelorum. I, 405 et seqq. An sex creationis dies fuerint materiales, an vero spirituales. I, 414. De creatione lucis, et singulorum sex dierum operibus. I, 417 et seqq.

D

Dæmones. — De pœna damni dæmonum; de eorum cæcitate et obstinatione, de eorum pœna sensus sive de igne materiali; quomodo hic ignis eos cruciet. I, 584 et seqq. Quis sit dæmonum pœnalis locus; an sit subordinatio in eorum ministeriis. I, 597, 403.

Decimæ. — De decimis solvendis, et de earum solvendarum præcepto. II, 26. Quinam teneantur decimas solvere; cui; ubi; quando 2, 31 et seqq.

Deus — Deus necessario exsistit; idque potest naturaliter demonstrari. I, 11. Dei exsistentia est formaliter de ipsius essentia. I, 14. Dei essentia est omnino simplex sine ulla compositione substantiali. I, 16. De Dei unitate, et bonitate. I, 18, 20. Positiva Dei attributa non distinguuntur formaliter seu in re, ab ipsius essentia, et prædicantur de Deo essentialiter. I, 24 et seqq. De Dei infinitate, immensitate seu ubiquitate, immutabilitate, seu æternitate, incomprehensibilitate. I, 29 ad 33. Deus non potest videri oculo corporeo. I, 36 Deus clare videtur per intellectum creatum; et hæc visio et supernaturalis cuilibet intellectui creato et creabili. I, 37 et seqq. Deus videtur a beatis per speciem expressam, non per impressam; quamvis per hanc non repugnet etiam posse videri. I, 41 et seqq.

Devotio. — De devotione; quid sit; an sit actus religionis. II, 166, 167.

Divinatio. — De divinatione; ejus malitia; divinatio per astra, per sortes, per somnia, etc. II, 79-85.

Donum. — De donis Spiritus sancti. I, 828.

E

Ecclesia quid sit; quando incepit; ejus perpetuitas, unitas, visibilitas. I, 1086 ad 1095.

Electio. — De electione et consensu, ac imperio. I, 549, 550.

Eleemosyna. — De præcepto eleemosynæ. I, 1168 et seqq.

Eucharistia. — De Eucharistiæ institutore, unitate, necessitate, tempore institutionis. II, 916 et seqq. De Eucharistiæ essentia et ejus partibus in communi. II, 922. An panis et vinum sint propria Eucharistiæ materia; an possit confici sub una tantum parte; an debeat materia esse præsens; in qua parvitate aut magnitudine, possit consecrari. II, 926. De materia remota, seu de pane et vino ex quibus conficitur Eucharistia. II, 930. De reali Christi præsentia in Eucharistia; et de ejus qualitate; ejusque comparatione cum naturali corporis Christi præsentia. II, 935 et seqq. De panis et vini absentia in Eucharistia, ac transsubstantiatione in corpus et sanguinem Christi. II, 955. De iis quæ sub singulis speciebus Eucharistiæ, specierumque partibus exsistunt. II, 960, 964. De iis quæ Christus agere aut pati potest in Eucharistia. II, 963. De apparitionibus eucharisticis, et de iis quæ pati aut agere possunt species sacramentales. II, 970, 973. De forma seu de verbis consecrationis Eucharistiæ. II, 974 et seqq. De suscipientibus Eucharistiam, ejusque effectibus. II, 984 et seqq. De animæ et corporis dispositione necessaria ad suscipiendam Eucharistiam. II, 995 et seqq. De præcepto divino et ecclesiastico suscipiendi Eucharistiam. II, 1006, 1009. De præcepto communicandi sub una aut duabus speciebus, II, 1010 et seqq.

Excommunicatio. — De excommunicatione. Quid sit, et quotuplex. De primo ejus effectu qui est privatio orationum et suffragiorum Ecclesiæ. II, 1242 et seqq. De secundo excommunicationis effectu, qui est privatio passivæ communicationis sacramentorum, II, 1246. De tertio excommunicationis effectu, qui est privatio activæ administrationis sacramentorum et sacrificii missæ II, 1248. De quarto excommunicationis effectu, qui est privatio divinorum officiorum et aliarum rerum sacrarum. II, 1252. De sexto et quinto excommunicationis effectu, qui est inhabilitas ad beneficia ecclesiastica eorumque fructus; ac privatio jurisdictionis ecclesiasticæ. II, 1255 et seqq. De septimo excommunicationis effectu, qui est privatio communicationis civilis. II, 1259. De octavo excommunicationis effectu, qui est privatio communicationis forensis; v. gr. officii judicis, actoris, advocati, tabellionis, tutoris, etc. II, 1262. Quis et ob quam causam possit excommunicare et excommunicari. Quæ forma servanda in ferenda excommunicatione II, 1266. De absolutione ab excommunicatione. II, 1268. De excommunicationibus papæ reservatis in bulla Cœnæ, et in jure. II, 1272 et seq. De excommunicationibus in jure non reservatis. II, 1279. De excommunicatione minori; quid sit, et ejus effectus, quomodo et cur incurratur. II, 1282.

F

Festum. — De festorum institutione, de die Dominica, de festis sanctissimæ Trinitatis, Christi, beatæ Virginis et aliorum sanctorum. II, 45 et seqq. An peregrini teneantur servare festa, etc. II, 49 Quæ actiones in festis præcipiantur. II, 50. Quis possit dispensare in obligatione festi. II, 61.

Fides. — De fidei objecto materiali seu subjecto. I, 1046. De fidei objecto formali. I, 1050. Qualis propositio objecti fidei requiratur ad credendum fide Christiana. I, 1061. De evidentia credibilitatis mysteriorum fidei. I, 1062. De infallibilibus fidei regulis, quales sunt sacra Scriptura, traditio, Ecclesia universalis, concilium generale, papa. I, 1065 et seqq. De actu fidei. I, 1075. De habitu fidei. I, 1080. De fide prout est gratia gratis data. I, 1083. Fides actualis seu actus fidei est omni adulto necessarius necessitate medii ad salutem. I, 1108. Quarumnam rerum fides explicita ante et post Christi adventum fuit necessaria ad salutem. I, 1110. De

præcepto interioris fidei, ad quid fides explicite credendum obliget, et ad quos actus. I, 1113 et seqq. De præcepto exterioris fidei, seu exterius fidem confitendi, et quando obliget. I, 1117. An liceat occultare fidem, et quomodo I, 1118.

Filiatio. — De filiatione Christi in ordine ad Deum. II, 663.

Finis. — De finis causalitate respectu voluntatis humanæ. I, 511 et seqq. De ultimo hominis fine. I, 515.

G

Gratia. — Quid est gratia; quid gratia increata et creata; interna et externa; gratis data et gratum faciens; quotuplex hæc et i la. I, 765 et seqq. Circa gratiam errores Judæorum, Pelagianorum, Semipelagianorum, Calvini, Lutheri. I, 775 ad 781. Quid pontifices, bullæ, Patres statuerunt circa gratiæ materiam. I, 781 et seqq. An gratia ad omnem moralem cogitationem honestam, ad quodvis bonum opus morale naturalis ordinis, et ad quasvis legi naturali repugnantes tentationes vincendas sit necessaria. I, 783. An homo in statu naturæ lapsæ posset sine gratiæ auxilio amare Deum ut auctorem naturæ, et finem naturalem. I, 787. An gratia sit necessaria ad initium fidei. I, 789. An ad sperandum et ad amandum Deum ut gratiæ auctorem, requiratur gratiæ auxilium. I, 823 et seqq. An ad servanda præcepta supernaturalia de actibus internis et externis requiratur gratia. I, 832 et seqq. De gratia excitante et adjuvante. I, 835 et seqq. De gratia adjuvante physice et moraliter I, 846. An gratia operans et cooperans distinguatur ab excitante et adjuvante. I, 852. Quid gratia sufficiens. I, 867 et seqq. An gratia sufficiens detur omnibus hominibus, etiam reprobis. I, 873. De concordia liberi arbitrii cum necessitate sufficientis auxilii prævenientis. I, 882. De gratia efficaci; et quotuplex. I, 883. In quo consistit gratiæ efficacia. Non consistit in modo prædeterminandi. I, 885. Gratia efficax aut vocatio efficax explicatur per congruitatem vocationis. I, 892. Concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio per vocationem congruam. I, 894. Concordia gratiæ efficacis cum gratuita prædestinatorum electione. I, 902. Quid sit gratia habitualis. I, 903 et seqq. An gratia habitualis distinguatur realiter a charitate. I, 914. An gratia habitualis formaliter constituat hominem Deo gratum, filium Dei adoptivum, hæredem vitæ æternæ. I, 920. An justificatio sit positivus gratiæ effectus formalis. I, 922. Quomodo gratia habitualis augeatur, I, 963 et seqq. An gratia possit amitti, et quomodo; an gra ia amissa, amittantur simul fides et spes. I, 991 et seqq. De gratia habituali et actuali animæ Christi, II, 260. De gratia capitis quæ est in Christo. II, 602.

H

Habitus. — De habitibus bonis seu virtutibus. I, 582. De habitibus malis, seu vitiis. I, 585.

Hæresis. — De hæresis peccato, et ejus essentia. I, 1131. — De prohibitione librorum hæreticorum. I, 1137. De spiritualibus hæreticorum pœnis; de eorum excommunicatione et vitatione, I, 1141 et seqq. De temporali hæreticorum pœna, seu bonorum confiscatione. I, 1145. De corporalibus hæreticorum, eorumque fautorum pœnis. I, 1147.

Henoch. — De Henoch et Elia secundi adventus Christi præcursoribus, II, 812.

Horæ canonicæ. — De horis canonicis, earumque antiquitate, partibus, divisione et modo eas recitandi. II, 183 et seqq. Quinam ad horas canonicas teneantur. II, 188. De modo et tempore horas canonicas recitandi. II, 192, 194. Quomodo beneficiati ad horas canonicas teneantur. II, 196. De causis ab horarum recitatione excusantibus. II, 206.

Humani actus. Vide Bonitas. — De humanorum actuum circumstantiis. I, 547.

I

Idololatria. — Quid sit idololatria; istius peccati gravitas et pœna, II, 77 et seqq.

Immunitas. — De immunitate Ecclesiæ. II, 67.

Incarnatio. — Incarnationis convenientia et necessitas. ad hominis lapsi reparationem. II, 545. An voluntas incarnationis in Deo præcesserit Adæ peccati præscientiam; et an futura fuisset, si Adam non peccasset. II, 558, 562. An sola persona Filii fuerit incarnata. II, 581. An persona creata possit hypostatice uniri alteri naturæ creatæ. II, 585. An alia natura substantialis quam humana possit assumi a persona divina, II, 586. An Christus assumpserit omnes humani corporis partes integrales et alias. II, 590. An caro et anima Christi prius tempore exstiterit quam hypostatice Verbo uniretur. II, 592. De ordine naturæ juxta quam Christi anima, corpus, ejus partes fuerunt unita Verbo. II, 593.

Indifferens. — An detur actus indifferens voluntatis. I, 569.

Indulgentiæ. — Quid indulgentiæ; de potestate eas concedendi; earum usus antiquus, II, 1191 et seqq. De effectu indulgentiæ totalis et partialis. II, 1195. De thesauro Ecclesiæ ex quo indulgentiæ dispensantur. II, 1198. De vivis fidelibus quibus indulgentiæ prodesse possunt: de habituali et actuali dispositione ad eas lucrandas, II, 1202 et seqq. De defunctis quibus indulgentiæ prodesse possunt per modum suffragii. II, 1206. De causa finali ob quam concedi possunt ac debent indulgentiæ. II, 1208. Quomodo papa et episcopi possunt indulgentias concedere, et quibus. II, 1210. De forma in concessione indulgentiarum servanda. II, 1213. De duratione et revocatione indulgentiarum. II, 1214.

Inferi. — De animæ Christi descensu ad inferos. II, 760 et seqq.

Infidelis. — An cogi possint infideles ad suscipiendam fidem. I, 1127 et seqq.

Infidelitas. — De peccato infidelitatis et ejus gravitate. I, 1123 et seqq.

Ingressus. — De ingressu religionis Quænam ad eum ætas requiratur; quinam sunt capaces eam ingredi. II, 359 et seqq. Quænam forma servanda ad valitudinem ingressus religionis. II, 377.

Innocentia. — De statu innocentiæ, si Adam non peccasset. I, 463 et seqq.

Intellectus. — Quomodo intellectus noster cognoscat. I, 501.

Interdictum. — De interdicto; quid et quotuplex est; de ejus effectibus qui sunt privatio sacramentorum, et prohibitio divinorum officiorum, missæ, etc.; item prohibitio sacræ sepulturæ et ingressus ecclesiæ. II, 1301 et seqq. Quis possit interdicere et interdici, et ob quam causam. II, 1310. De interdictis ipso jure latis. II, 1312. De interdicti relaxatione. II, 1313.

Involuntarium. — De involuntario et coacto. I, 540.

Irregularitas. — Quid sit irregularitas et ejus effectus. II, 1317. Ob quam causam incurritur irregularitas, et quotuplex. II, 1319. Quomodo irregularitas tollitur, maxime per dispensationem. II, 1324. Irregularitas quæ contrahitur per usum seu susceptionem sacramenti. II, 1325. De irregularitate quæ contrahitur ob hæresim, ob apostasiam, et ob quodvis homicidium sive justum sive injustum. II, 1328. An judex, testis, accusator, minister in causa sanguinis, et occidentes in bello justo fiant irregulares. II, 1337 et seqq. De irregularitate quæ ex infamia, ex bigamia, ex natalium defectu, etc., personali defectu inculpabili, etc., contrahitur. II, 1340, 1344.

J

Jejunium. — De Christi jejunio. II, 741.

Joannes. — De Joanne Christi præcursore; de ejus sanctitate et baptismo. II, 732.

Joseph. — An Joseph fuerit faber lignarius; quam sanctitatem Joseph habuerit. II, 706.

Judicium. — De judiciaria Christi potestate et ejus usu in judicio particulari. II, 802. De judicio universali; de ejus loco et tempore. II, 805 et seqq. De signis quæ judicium universale præcedent. II, 813. De Christi judicis adventu in judicio universali, ejusque assessoribus; de apparitione signi crucis, manifestatione conscientiarum, et sententia Christi. II, 815 et seqq. De statu Christi et mundi post judicium universale. II, 821.

Juramentum. — De juramento. Quid requiritur ad licite jurandum. De juramento assertorio et promissorio. II, 209 et seqq. De forma et variis formulis jurandi II, 215. De personis quæ jurare possunt. II, 217. An juramentum injuria, metu, dolo extortum, obliget. II, 224 et seqq. An juramentum promissorium de re mala obliget. II, 230. An juramentum promissorium de actu contra legem humanam aut bonos mores civiles obliget. II, 233. An juramentum in dubio obliget. II, 240 An juramentum promissorium relaxari aut irritari possit. II, 243 et seqq. De consuetudine incaute jurandi. II, 250. An liceat juramentum ab eo qui per falsos deos juraturus est, aut pejeraturus. II, 253.

Justificatio. — An hominis justificatione fiat vera peccatorum remissio; an justificatio et peccatorum remissio sint unum et idem. I, 929, 930. Actus qui sunt dispositiones ad justificationem. I, 961.

L

Lex. — De legum necessitate, perpetuitate, promulgatione, de legislatore I, 613 et seqq De lege æterna ac naturali. I, 621. An in ege naturali ab humana aut divina

potestate dispensari. I, 629, 630. De jure gentium. I, 632. De lege civili. Quis eam ferre possit, et quomodo obliget. I, 633. De legis civilis promulgatione et acceptatione. I, 642, 643. De lege canonica seu ecclesiastica: quis eam possit ferre; de ejus promulgatione quomodo obliget. I, 657 et seqq. De lege pœnali; et quomodo obliget. I, 670 et seqq. An leges vectigalium obligent in conscientia. I, 679. De legibus irritantibus. I, 680. De legis humanæ interpretatione et cessatione. I, 687 et seqq. De legis humanæ dispensatione. I, 691. De legis humanæ abrogatione I, 701. Lex vetus per Moysem a Deo data est. De ejus fine, materia, forma, tempore, loco. I, 735 et seqq. An lex vetus justificaret; an sit nunc abrogata; quando; an sit nunc mortifera. I, 739 ad 744. De nova lege gratiæ; de ejus materia, forma, justificatione, perfectione, quando cœpit omnes obligare. I, 749 et seqq.

Libertas. — Quid potentia libera; quænam necessitas repugnet ejus libertati. I, 756. De libertate humanæ voluntatis Christi. II, 636 et seqq.

Lignum. — De ligno vitæ. I, 445.

Lucifer. — De Luciferi dignitate, peccato, et pœna. I 365 et seqq.

Lumen. — De lumine gloriæ. I, 52 et seqq.

M

Magi. — De Magis, Christi nati adoratoribus. II, 715.

Magia. — Magiæ species et opera. II, 87.

Maleficium. — Quid sit maleficium. Quomodo licite solvi possit, II, 89.

Malitia. — In quo consistit malitia, et unde desumitur. I, 564 et seqq. De formali exteriorum actuum humanorum malitia et bonitate. I, 570 et seqq.

Maria. — An B. Virgo vere fuerit mater Dei et hominis; et quanta sit istius maternitatis dignitas. II, 687. De parentibus B. Virginis et de immaculata ejus conceptione. II, 690. Quantam gratiam B. Virgo accepit in prima sua sanctificatione; an ita confirmata fuerit in gratia, ut ne venialiter quidem potuerit peccare, fomitemque peccati exstinctum habuerit. II, 696 et seqq. An B. Virgo usum rationis habuerit ab initio suæ conceptionis, et per propriam dispositionem sanctificata fuerit. II, 699. B. Virgo in conceptu Filii, in ejus partu et post partum semper virginitatem servavit. II, 701. An B. Virgo fuerit prima quæ virginitatis votum fecerit; et quando. II, 703. An B. Virgo verum matrimonium inierit cum Josepho; quando, et in qua ætate. II, 704. De perfectione gratiæ et meritorum B. Virginis. II, 721. De scientia et sapientia B. Virginis in statu viæ. II, 724 et seqq. De gratiis gratis datis B. 727. De B. Virginis morte, assumptione, cultu, intercessione. II, 727 et seqq. An B. Virgo potuerit saltem de congruo mereri esse matrem Dei. II, 578.

Martyrium. — De martyrio seu baptismo sanguinis. II, 895.

Memoria. De memoria. I, 504.

Meritum. — Quid sit meritum et in quo actu consistat. I, 1001 et seq. An internus actus junctus cum externo sit magis meritorius quam solus internus sine externo. I, 1006, 1007. Conditiones requisitæ ad meritum de condigno, I, 1010. An quis possit mereri alteri de condigno. I, 1017. De meriti augmento. I, 1022. Quid meritum de congruo, et conditiones ad illud requisitæ. I, 1030, 1037. De merito Christi, et per quos actus meruerit. II, 641, 642. De iis quæ Christus sibi, hominibus et angelis meruit. II, 644 et seq. De reviviscentia meritorum mortificatorum. II, 1090.

Messias. — Testimonia quibus demonstratur Messiam jam venisse. II, 539.

Miraculum. — De potestate animæ Christi ad facienda miracula et alia supernaturalia. II, 617.

Misericordia. — De virtute misericordiæ. I, 1164.

Missa. — De missæ sacrificio, an sit verum sacrificium. II, 1019 et seqq. De offerentibus missæ sacrificium; pro quibus offertur; ejus effectus et valor. II, 1028 et seqq. De tempore, loco, et vasis sacris ad celebrandum missæ sacrificium requisitis. II, 1038 et seqq. De præparatione ad missam, vestibus sacris, ritibus verborum et actionum. II, 1047, 1049. De missæ stipendio. II, 1051. De ministro ad inserviendum missæ; et de præcepto audiendi missam. II, 1055.

Missio. — De missione divinarum personarum; quid illa sit, quibusnam personis conveniat; quotuplex. I, 231 et seqq.

Moniales. — De monialium clausura quoad ingressum et egressum monasterii. II, 439, 440.

Morale. — De morali actu. I, 551.

N

Nativitas. — De Christi nativitate, loco et prodigiis. 712 et seq.

Natura. — Homo solis naturæ viribus potest sine gratia bonum opus morale perficere. I, 127 et seqq. Bonum opus morale ordinis naturalis non potest esse causa prædestinationis quoad aliquem ejus effectum. I, 154. De statu naturæ puræ, integræ, lapsæ; de statu innocentiæ et gratiæ; quid in his statibus possit homo operari. I, 770 ad 775.

Novitiatus. — Quæ sint de novitiatus substantia; an ad novitiatum sit necessarius annus unus integer et continuus. II, 367, 368. An novitius teneatur ad regularum observantiam, et an possit beneficia habere. II, 369.

O

Obedientia. — De obedientia Christi. II, 653. De obedientiali virtute in creaturis ut sunt elevatæ tanquam Dei instrumenta. II, 621. De obedientiæ religiosæ voto simplici; ad quid obliget; quomodo violetur. II, 425 et seqq.

Odium. — Dei et proximi odio. I, 1167.

Omnipotentia. — De Dei omnipotentia. I, 90, 91.

Oratio. — De oratione Christi in via et in patria. II, 656. Quid oratio et quotuplex; an sit actus supernaturalis. II, 149. An possint a nobis orari angeli et sancti, et ipsi pro nobis orare. II, 152, 154. Pro quibus possumus orare. II, 155. Quomodo possumus orare Deum bona et mala temporalia. II, 157 et seqq. Oratio est actus meritorius, satisfactorius, et impetratorius. II, 160. De præcepto orationis, et quando obligat. II, 163. De oratione mentali et ejus circumstantiis. II, 163. De vocali oratione, ejus attentione, aliisque circumstantiis. II, 137 et seqq. De oratione Dominica, parvo officio B. Virginis, litaniis, salutatione angelica, rosario, antiphonis, etc. II, 180. et seqq.

P

Paganismus. — De paganismo et Judaismo. I, 1125.

Paradisus. — De paradiso terrestri. 432, 433.

Pascha. — De Paschate Judæorum, an celebrarint Pascha eo die quo Christus pridie suæ mortis celebravit. II, 761.

Passio. — Quid sit passio et quotuplex. I, 579 et seqq.

Paupertas. — De paupertatis religiosæ voto, et ejus materia: quomodo violetur. II, 391, 392. Paupertatis religiosæ voti solemnitas quando incepit, et quomodo violetur. II. 393. 397.

Pax. — De pace. I, 1478.

Peccatum. — Quid sit peccatum. I, 585. De peccato mortali et veniali. I, 587. De peccato commissionis et omissionis, I, 594. De peccato in intellectu, in voluntate et in appetitu sensitivo, seu concupiscentia. I, 597 et seqq. An Deus sit causa peccati. I, 601. De pœna peccati mortalis et venialis. I, 603, 604. De peccato habituali. I, 605. De peccato originali, et de ejus pœna in hac futura vita. I, 606-611. An peccatum mortale possit subsistere cum actu amoris Dei, aut cum gratia habituali. I, 938. An homo possit vitare tota vita omnia peccata venialia cum gratia ordinaria. I, 975. An Christus peccare potuerit. II, 627. An qui peccavit mortaliter, teneatur pœnitere sub præcepto, et statim quidem post commissum peccatum, II. 1094. De potestate remittendi peccata a Christo data, II, 1099.

Perjurium. — De perjurii peccato. II, 249.

Perseverantia. — De dono perseverantiæ finalis. I, 981.

Petrus. — Quomodo Petrus et alii apostoli suam a Christo potestatem acceperunt; et quomodo Petri potestas permaneat in Romano pontifice. I, 1095 et seqq.

Pœnitentia. — De pœnitentiæ virtute; objecto materiali et formali, ac ejus actibus. II, 1058 et seqq. De actu et habitu atque effectu pœnitentiæ qui est remissio peccati, II, 1072, 1074. De necessitate pœnitentiæ ad remittenda peccata mortalia. II, 1076. De remissione peccatorum venialium. II, 1081. De institutione ac necessitate sacramenti pœnitentiæ. II, 1102. De materia ac forma sacramenti pœnitentiæ. II, 1004, 1006. De dolore necessario ad effectum sacramenti pœnitentiæ; et an possit esse informe. II, 1108 et seqq. De ministro sacramenti pœnitentiæ habente ordinariam aut delegatam potestatem II, 1125 et seqq. De ministro sacramenti pœnitentiæ quoad casus reservatos, 1135. De modo absolvendi a casibus reservatis. II, 1140.

Pontifex. — An episcopus Romanus sit ex Christi institutione universalis Ecclesiæ pontifex. I, 1100. An fide constet hunc hominem esse verum summum pontificem; et an possit a sua dignitate excidere, I, 1102 et seqq.

Potentia. — De objecto et subjecto potentiæ vegetativæ, ejusque actionibus quæ sunt nutritio et generatio. I, 487, 488. De potentiis cognoscitivis earumque actibus,

I, 489. De potentia intellectiva, ejusque objecto. I, 499. De potentia appetitiva, et loco-motiva, I, 505.

Prædestinatio. — Datur in Deo prædestinatio. I, 93. Prædestinationis objectum et terminus. I, 95, 96. Scientia Dei necessaria ad prædestinationem, et maxime scientia conditionata effectuum contingentium. I, 98. Variæ opiniones circa actum divinæ voluntatis prædestinantis homines et angelos. I, 100 et seqq. Homines et angeli fuerunt prædestinati in eodem signo rationis. I, 104. Prædestinatis præparat Deus voluntate absoluta, omnia media ab ipsis libere exercenda. I, 105. Circa media prædestinationis, absoluta Dei voluntas intentionis distinguitur ratione a voluntate exsecutionis. I, 106. Præter actus intellectus et voluntatis divinæ non est necessarius ad prædestinationem actus imperii ratione ab illis distinctus. I, 107. Quomodo distinguatur prædestinatio a providentia et a libro vitæ. I, 109, 111. Causæ physicæ prædestinationis quoad ejus effectus. I, 113. Causa moralis prædestinationis ex parte hominis quoad ejus effectus. Nulla ejus actio ante hanc vitam excogitata, nec ulla ejus opera meritoria quæ facturus fuisset, si in alio statu fuisset positus, possunt esse ejus causa. I, 114. Nulla hominis actio ex solis naturæ viribus procedens contra Pelagianos potest esse ejus causa meritoria, imo nec ejus causa vere dispositiva. I, 117. Nulla datur ex parte prædestinati causa motiva prædestinationis ad gloriam et gratiam sanctificantem. I, 139, 140. Nullus purus homo, nec ipse Christus formaliter meruit aliis prædestinationem quoad liberam divinæ electionis determinationem. I, 141, 142. De prædestinationis effectibus, nempe gloria, perseverantia finali, vocatione, justificatione, actibus supernaturalibus, naturæ dotibus, peccati permissione. I, 143 et seqq. Prædestinationis infallibilitas et immutabilitas officit hominis libertati. I, 151. Deus ab æterno voluit formali voluntatis affectu salvare omnes homines qua creare decrevit, et providit iis omnia media sufficientia ad consequendam salutem, etiam infantibus sine baptismo morientibus. I, 131 ad 135. De numero prædestinatorum et reproborum. I, 163.

Prælatus. — De prælatis religionis; de eorum subordinatione, electione, duratione, potestate coercitiva, et corporali ac dispensandi cum suis subditis. II, 442 et seqq. Prælati religionis possunt absolvere suos subditos a peccatis, censuris, pœnis ecclesiasticis, et reservare peccata. II, 449 et seq. De potestate prælatorum religionis circa administrationem bonorum temporalium, collationem ordinum, benedictionem rerum aut vestimentorum sacrorum. II, 459.

Privilegium. — De privilegio; de privilegio reali et personali; de remunerativo, perpetuo, etc. I, 711 et seqq. De privilegio per communicationem, de ejus confirmatione, ampliatione, restrictione, amissione. I, 719 et seqq.

Prophetia. — De dono prophetiæ. I, 1083 et seqq.

Providentia. — Dei providentia, I, 92.

Purgatorium. — Fide certum est dari purgatorium. Ejus locus determinatus videtur esse sub terra. II, 1173 et seqq. De acerbitate pœnæ damni et sensus animarum exsistentium in purgatorio. II, 1176. De statu gratiæ animarum in purgatorio exsistentium. II, 1180.

Q

Quando. — An circumstantiæ *quando* et *quomodo* augeant bonitatem actus interioris. I, 547, 548.

Querimonia. — Querimoniæ operantium in vinea, Matth. xxi. I, 59, 60.

R

Regnum. — De temporali Christi regno, II, 662.

Regula. — De regula religiosa; et ad quid obliget. II, 433 et seqq.

Religio. — De religionis objecto. II, 12. De religionis actibus. II, 14. De religionis habitu. II, 15. Quomodo religio distinguatur a fide, spe, charitate, justitia, dulia. II, 15. Quid sit status religiosus, et quid ad eum requiratur. II, 337 et seqq. An Ecclesiæ approbatio requiratur ad constituendam religionem. II, 346. A quo incepit religionis status; quis ejus auctor. II, 350. Quid sit formaliter professio religiosa. Quis formalis ejus effectus. II, 371. An defectus consensus aut ætatis, metus, error, dolus, servitus, matrimonium reddant professionem religiosam invalidam. II, 372, 373. Quomodo religiosus professus teneatur succurrere pauperi parenti. II, 376. De forma faciendi professionem religiosam. II, 377. An papa possit dispensare in professione religiosa. II, 381. De professione religiosa invalida; quomodo potest esse invalida. II, 385. Quando religiosus censendus sit apostata; quas ille et cooperatores incurrant pœnas. II, 461. De ejectis a religione. II, 465. De transitu ab religione ad aliam. II, 467. Ad quid teneatur religiosus factus episcopus. II, 471. De religionibus militaribus; clericalibus, monachalibus. II, 475 et seqq. De religionibus monialium; de earum novitiatu, professione, obligatione. II, 478. De religionibus SS Basilii, Benedicti, Hieronymi, Augustini, Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum. II, 479 et seqq.

Reprobatio. — Quid reprobatio; in quo Dei actu consistat. I, 155 et seqq. De reprobatione negativa et positiva et ejus effectibus. I, 159 et seqq.

Resurrectio. — De resurrectione in genere. II, 772. De resurrectione Christi, ejus causis, tempore, hora. II, 775 et seqq. De integritate et perfectione naturali corporis Christi resurgentis. II, 779. De supernaturali corporis Christi perfectione post resurrectionem. II, 783. An omnes homines sint resurrecturi, quando; ubi; quomodo. II, 791 et seqq.

S

Sacerdotium. — De summo Christi sacerdotio. II, 658 et seqq.

Sacramentum. — Definitio sacramenti; et quam conferat aut significet sanctificationem. II, 823 et seqq. De materia et forma sacramenti; id est, de rebus et verbis. II, 827. An in statu innocentiæ futura fuissent sacramenta. II, 832. An in lege naturæ fuerit institutum sacramentum, quo peccatum originale deleretur. II, 834. De sacramentis veteris legis et præcipue de circumcisione. II, 835. An sacramenta novæ legis conferant ex opere operato gratiam, virtutes, dona Spiritus sancti, et aliam gratiam specialem. II, 837 et seqq. De tempore et modo quo sacramenta conferant gratiam. II, 841. De inefficacia veterum sacramentorum (v. gr. circumcisionis) ad conferendam gratiam ex opere operato. II, 846 et seq. De sacramentorum ministro; de ejus intentione, bonitate, fide; et an soli homines sint eorum ministri. II, 853 et seqq. De sacramentorum numero et de ea suscipientibus. II, 839. De sacramentalibus et sacramentorum cæremoniis. II, 862. Quinam possint licite ministrare et suscipere sacramenta. II, 864 et seqq.

Sacrificium. — De sacrificio in communi, quid sit; in quo consistat; quotuplex. II, 1015 et seqq.

Sacrilegium. — De sacrilegio; quid sit; ejus malitia. II, 91 et seqq.

Sanctificatio. — De sanctificatione Sabbati in decalogo. II, 41.

Satisfactio. — De satisfactione tum secundum se spectata, tum sacramentali. II, 1154 et seqq. An purus homo possit perfecte Deo satisfacere pro suo peccato. II, 554 et seqq.

Scandalum. — De scandalo. I, 1176 1177.

Schisma. — De schismate. I, 1178, 1179.

Scientia. — Scientia Dei de se ipso, de creaturis possibilibus, futuris, exsistentibus. I, 81 ad 84. Scientia Dei, alia visionis, alia simplicis intelligentiæ. I, 84, 85. Scientia Dei circa liberos actus conditionate futuros. I, 760 et seqq. De beatæ animæ Christi scientia. II, 607. De Christi animæ infusæ scientiæ objecto, actibus, et habitu. II, 611 et seqq. De acquisita animæ Christi scientia. II, 616.

Sensus. — De quinque sensibus externis; de colore et lumine. I, 495 et seqq.

Servitus. — De servitute Christi. II, 654.

Sigillum. — De sigillo confessionis. II, 1144. De secreto servando circa personam complicis. II, 1148.

Simonia. — De Simonia, ejusque intrinseca malitia ac materia. II, 95 et seqq. Quid sit in Simonia munus a lingua, manu et obsequio. II, 126. Quid Simonia mentalis, confidentialis, realis, ficta. II, 128. De pœnis Simoniæ. II, 140. De dispensatione circa Simoniam. II, 147.

Societas. — De religione Societatis Jesu; ejus instituto fine, regula, novitiatu, etc. II, 483 et seqq. De admissis scholaribus in Societatem Jesu II, 490. De horum scholarium votis simplicibus et vi eorum ad quid obligentur. II, 495. De professis in Societate Jesu, et eorum votis particularibus. II, 507. De professis trium votorum in Societate Jesu, et coadjutoribus formatis, 2, 514. De mediis quibus Societas Jesu utitur ad suorum perfectionem et ad aliorum salutem. II, 515 et seqq. De monarchico Societatis Jesu regimine, de reddenda conscientiæ ratione; de paterna delictorum denuntiatione, de regulis. II, 527 et seqq. De professorum Societatis Jesu demissione. II, 537.

Solemnitas. — Solemnitas votorum paupertatis, castitatis et obedientiæ in quo consistat. II, 341 et seqq.

Spes. — De spe, ejusque materiali et formali objecto, de ejus duratione et amissione. I, 1151 et seqq.

De spei præcepto; de desperatione et præsumptione. I, 1156.

Status. — De vario Christianæ perfectionis statu, et nominatim de statu perfectionis episcoporum. II, 327, 333.

Subsistentia.—An in Deo sint tres substantiæ relativæ. II, 580.

Suffragium. — De suffragiis seu satisfactione pro aliis; quomodo viventes possunt satisfacere Deo pro vivis et defunctis in remissionem pœnæ temporalis. II, 1183 et seqq.

Superstitio. — De superstitione ejusque speciebus.

Suspensio. — De suspensione quid sit et quotuplex; quid suspensio ab officio. II, 1284, 1285. De effectibus suspensionis a beneficio et ejus causis. II, 1288. De ablatione seu absolutione suspensionis II, 1291. Quomodo differunt suspensio, depositio et degradatio. II, 1293. Suspensiones ipso jure latæ. II, 1294.

T

Templum. — Quibusnam actibus templum polluitur. II, 63. De forensibus et furti actionibus in templo fieri prohibitis. II, 65.

Transfiguratio. — De Christi transfiguratione. II, 747.

Trinitas. — Persona divina dicitur univoce de tribus personis. I, 168. Personæ in Deo productæ non sunt immediate a natura, sed per actus intelligendi et amandi. I, 170 et seqq. Pater est verus Deus; Filius est verus Deus, Spiritus sanctus est verus Deus. I, 175 ad 180. In Deo sunt tres personæ et tres personalitates seu subsistentiæ realiter distinctæ, uti et tres existentiæ personales, I, 181 et seqq. Spiratio activa distinguitur tantum virtualiter a paternitate et filiatione. I, 198. Actus notionales sunt necessarii et naturales ac voluntarii objective. I, 203. Verbum divinum et Filius Dei idem est quoad personam et naturam. I, 214. Verbum divinum procedit ex cognitione creaturarum possibilium. I, 217. Pater et Filius est unus spirator Spiritus sancti. I, 226 Ex quarum rerum amore procedit Spiritus sanctus. I, 227

U

Unctio. — De sacramenti extremæ unctionis institutione, materia, definitione, unitate. II, 1163 et seqq. De effectu sacramenti extremæ unctionis. Cuinam dandum sit; quænam corporis partes inungendæ II, 1166. De proprio extremæ unctionis ministro, nempe sacerdote, et de præcepto suscipiendi hoc sacramentum. II, 1170 et seqq.

V

Virtus. — An justis infundantur tres virtutes theologales, habitualiter in eis manentes, et quatuor cardinales virtutes. I, 914.

Visio. — Visio Dei in beatis omnibus est intuitiva et ejusdem speciei essentialis, sed non æqualis perfectionis in omnibus. I, 57 et seqq. Visio intuitiva essentiæ divinæ est etiam necessario intuitiva divinarum personarum. I, 64 et seqq. Beati, videndo Deum, vident etiam nonnulla ejus decreta, plura aut pauciora pro ratione suæ beatitudinis. I, 66. Videri possunt creaturæ in Deo eadem visione qua ipse videtur. I, 67 et seqq. Viso Deo videntur creaturæ ut possibiles, sed non omnes; probabiliter videtur omne possibile et creabile sub generalissimo et confuso conceptu possibilis aut creabilis. I, 71 et seqq. Beati vident creaturas in Verbo non tantum ut possibiles, sed etiam ut exsistentes vel futuras in aliqua temporis differentia. I, 73. Quænam res de facto videantur in Deo a beatis. I, 75. Visio Dei in beatis non est comprehensiva. I, 77. Quid de visione Dei in hac vita. I, 78.

Voluntarium. — De voluntario et libero. I, 535 et seqq.

Voluntas. — De voluntatis objecto, actu, libertate. I, 506. De voluntatis actionibus. I, 513. De voluntatis divinæ objecto et actibus. I, 86 et seqq. De Dei voluntate signi, beneplaciti, antecedente et subsequente. I, 89.

Votum. — Quid requiratur ad votum, in quo consistit. II, 262 et seqq. An defectus libertatis, error, ignorantia, dolus impediat voti valorem. II, 269. Quænam sit voti materia, et divisio votorum ex parte materiæ. II, 275 et seqq. Quinam vovere possint. II, 286. Quanta voti obligatio; de obligatione voti dubii. II, 291, 293. An voti obligatio sit personalis; pro quo tempore obliget. II, 297, 300. Quando et quomodo obligent vota conditionata. II. 303. Quale peccatum sit voti transgressio. II, 305 et seqq. Quinam possint vota irritare, dispensare, commutare. II, 318. De dispensatione et commutatione votorum, papæ reservatorum. II, 323. De voto ingrediendi religionem, et in ea perseverandi; a quo id irritari aut dispensari possit. II, 353 et seqq.

INDEX ANALYTICUS

RERUM QUÆ IN DUABUS APPENDICIBUS CONTINENTUR.

—

A

Accusatio. — Quid sit accusatio; an hanc præcedere debeat secreta monitio. Appendix I, cap. 30, num. 11 et 12.

Accusator. — An accusator possit desistere ab incepta accusatione. App. I, cap. 32, num. 4.

Adulterium. — De restitutione ob adulterium, stuprum, fornicationem. App. I, cap. 10, num. 1, 2, etc.

Advocatus. — Quid liceat advocato quoad causas. App. I, cap. 33, num. 5.

Assecuratio. — Quid assecuratio et sponsio. App. I, cap. 29, num. 1 et 2.

B

Beneficiatus. — An beneficiati teneantur ad horas canonicas. App. I, cap. 36, num. 1. Quinam beneficiati teneantur ad residentiam, et quæ causæ ab ea excusent. App. I, cap. 36, n. 2 et 3.

Beneficium. — Quid sit beneficium et quotuplex. App. I, cap. 35, num. 1. — Beneficium acquiritur præsentatione, electione, postulatione. App. I, cap 35, n. 3, 4, 5. Beneficium acquiritur libera collatione, resignatione, permutatione. App. I, cap. 35, num. 6, 7, 8. Quæ conditiones requirantur, ut quis sit capax beneficii. App. I, cap. 35, num. 9. Beneficii collator quando peccet. App. I, cap 35, num. 10. Quomodo amittatur beneficium. App. I, cap. 35, num. 11.

Bona. — De bonis derelictis. App. I, cap. 5, num. 18. An et cui bona incerta sint restituenda. App. I, cap. 14, num. 5.

C

Cambium. — Quid sit cambium et quotuplex. App. I, cap. 26, num. 1. An lucrum ex cambio minuto et ex locali sit licitum. App. I, cap. 26, num. 2 et 3. An cambium Francofurtense sit licitum. App. I, cap. 26, num. 4.

Census. — Quid sit census et quotuplex. App. I, cap. 25, num. 1. De emptione census novi consignativi et personalis. App. I, cap. 25, num 2 et 3. An census ad tempus sit licitus. App. I, cap. 25, num. 4. An census ex utraque parte redimibilis, sit licitus. App. I, cap. 25, num. 5.

Commodatum. — Quid commodatum, et quæ obligationes commodatarii. App. I, cap. 19, num. 3 et 6.

Compensatio.— An occulta compensatio sit licita. App. I, cap. 12, num. 7.

Conjugale. — An actus conjugalis sit licitus. App. II, part. III, cap. 11, num. 1. An actus conjugalis possit esse meritorius. App. II, part. III, cap. 11, num. 2. An debitum conjugale obliget, et ejus denegatio quale sit peccatum. App. II, part. III, cap. 11, num. 3, 4, 5. In quibus casibus actus conjugalis est illicitus. App. II, part. III, cap. 11, num. 6

Contractus. — Quid contractus et quotuplex. App. I, cap. 17, num. 4 et 5. An sit validus contractus, cui error, dolus, metus causam dedit. App. I, cap. 17, num. 4 et 5. An contractus de re turpi sit validus. App. I, cap. 17, num. 6. Quid sit contractus societatis et an contractus triplex sit licitus. App. I, cap. 28, num. 1 et 2.

Contrahere. — Quinam possint valide contrahere. App. I, cap. 17, num. 7.
Cooperantes. — Ad quid teneantur cooperantes ad furtum vel damnum. App. I, cap. 18, num. 1, 2, etc.

D

Damnum. — Ad quid teneatur qui est causa damni, et qui in tempestate projicit in mare merces alienas. App. I, cap 12, num. 4 et 5.
Denuntiationes. — Quid denuntiationes; et quomodo præmitti debeant matrimonio. App. II part. III, cap. 8, § 3
Depositum. — Quid depositum? et quales obligationes depositarii. App. I, cap. 19, num. 1, 4, 5.
Detractio. — Quale peccatum est detractio; an audiens detrahentem peccet. App. I, cap. 11, num 2 et 3. Quænam facienda est restitutio pro detractione. App. I, cap. 11, num. 8, 9, etc.
Dispensare. — Quis possit dispensare in impedimentis matrimonii. App. II, part III, cap. 15, § 1. Quænam sint causæ justæ ad dispensandum in impedimentis matrimonii. App. II, part. III, cap. 15, § 2. Quid explicandum in Petitione dispensationis matrimonii. App. II, part. III, cap. 15, § 3.
Divisio. — De prima rerum divisione et quo jure facta. App. I, cap. 5, num. 1 et 3.
Divortium. — De divortio. App. II, part. III, cap. 10, num. 1, 2, etc.
Dominium. — Quid sit dominium, et quotuplex. App. I, cap. 5, num. 1 et 2. Quibus competat dominium; an pueris; an filiisfamilias; an servis; an uxori; an religiosis. An clericis. App. I, cap. 3, num. 2, 3, e.c. An homo cadat sub dominium alterius hominis. App. I, cap. 4, num. 9. Quot modis acquiratur dominium in homines. App. I, cap 5, num. 4.
Dominus. — An homo sit dominus vitæ et famæ suæ. App. I, cap. 4, num. 10 et 11.
Donare. — Quinam donare possint, et quantum quis donare possit. App. I, cap. 18, num. 6 et 7.

E

Emere. — An possint minoris emi credita et chirographa. App. I, cap. 24, num. 7.
Emphyteusis. — Quid sit emphyteusis et feudum; quæ sint obligationes emphyteutæ et feudatarii. App. I, cap. 27, num 8, 9.

F

Fama. — Quænam excusent a famæ restitutione. App. I. cap 11, num. 12.
Fidejussio. — Quid fidejussio et assecuratio. App. I, cap. 20, num. 1 et 2.
Fur. — An fur continue peccet donec restituat; an peccet novo peccato quoties utitur re aliena. App. I, cap. 12, num. 2 et 3. An qui bona fide accepit a fure rem alienam, possit ei reddere. App. I, cap. 14, num. 3.
Furtum. — Quæ quantitas requiratur ad mortale furti peccatum. App. I, cap. 12, num. 4. An plura furta levia possint constituere peccatum mortale *Ibid*, num. 5. Cuinam pereat res furtiva? et quomodo rem furtivam debeat fur restituere. App. I, cap. 12, num. 11, 12, 13.

H

Hæredes. — Quinam sint hæredes necessarii, et quinam succedant ab intestato. App. I, cap. 30, num. 11 et 12.
Hæreditas. — Quomodo acquiratur hæreditas. App. I, cap. 30, num. 13.
Homicidium — Quando homicidium casuale est peccatum, et quando non. App. I, cap. 9, num. 10. De restitutione ob homicidium, ob mutilationem, etc. App I, cap. 9, num. 11, 12, etc.
Honor. — An honor sit restituendus, et quomodo. App. II, num. 12.
Hypotheca. — Quid hypotheca et pignus, etc. App. I, cap. 20, num. 3 et 4.

I

Impedimentum. — Quænam sint impedimenta matrimonii, et quis possit ea statuere. App. II, part. III, cap. 12, num. 1, 2, 3. Quæ et quot sint impedimenta matrimonium impedientia. App II, part. III, cap. 13. Quæ et quot sint impedimenta matrimonium dirimentia. App II, part. III, cap. 14. De singulis impedimentis matrimonium dirimentibus. App II, part. III, cap. 14, § 1, 2, etc.
Infamare. — An liceat seipsum infamare. App. I, cap. 11, num. 4.

J

Judex. — Ex quibus indiciis possit Judex subjicere reum torturæ. App. I, cap. 31, num. 4. Quam regulam sequi debet Judex in sententia ferenda. App I, cap. 31, num. 5. Ad quid teneatur Judex qui injustam sententiam tulit. App. I, cap. 31, num. 6. An Judex teneatur restituere pretium acceptum pro sententia ferenda. App. I, cap. 31, num. 9.
Judicium. — Quænam requirantur ad judicium legitimum. App. I, cap. 31, num. 1. Quænam forma servanda est in judiciis. App. I, cap 31, num 2.
Jus. — Quid sit jus, et quotuplex. App. I, cap 2, num. 1 et 2.
Justitia. — Quid sit justitia, et quotuplex. App. I, cap. 1, num. 1, 3, 4.

L

Locatio. — De locatione et conductione. Quæ obligationes locatorum et conductorum. App. I, cap. 2, num. 1 et 2.
Ludus. — Quid ludus, et quotuplex; quinam ludi sunt prohibiti. App. I, cap. 29, num. 3. Quandonam acquisita ludo prohibito restitui debent. App. I, cap. 29, num. 6 et 7.

M

Matrimonium. — Quid matrimonium et quotuplex. App. II, part. II, cap. I, num. 1 et 2. Origo et honestas matrimonii. App II, part II, cap. 2, num. 1 et 2. An matrimonium cadat sub præcepto. App. II, part. II, cap. 3, num. 1 et 2. Quid matrimonium prout est sacramentum, et quando a Christo institutum. App. II, part. III, cap. 1, num. 1 et 2. Quæ materia et forma sacramenti matrimonii. App. II, part. III, cap. 2. De intentione contrahentium, ut matrimonium sit sacramentum. App. II, part. III, cap. 3, num. 1, 2, etc. Ad matrimonium per procuratorem sit validum, et an sit sacramentum. App. II, part. III, cap. 4. Quis sit minister sacramenti matrimonii App. II, part. III, cap. 5. Effectus et dispositio sacramenti matrimonii. App. II, part. III, cap 6 num. 1 et 2. De consensu ad matrimonii valorem requisito. App. II, part. III, cap. 7, num. 1, 2, etc. Quid matrimonium clandestinum, et an sit illicitum et invalidum. App. II, part. III, cap. 8, § 1. De parochi præsentia et testibus ad matrimonii valorem requisitis. App. II, part. III, cap. 8, § 2. De matrimonii indissolubilitate quoad vinculum. App. II, part. III, cap. 9, num. 1, 2, 3.
Metallicæ venæ. — Cujus fiant inventæ metallicæ venæ. App. I, cap. 5, num. 12.
Monopolium. — An monopolium sit licitum. App. I, cap. 24, num. 13.
Mons pietatis. — Quid mons pietatis et quotuplex? et an sit licitus. App. I, cap. 23, num. 1, 2, etc.
Mutuator. — An mutuator possit aliquid exigere supra sortem ratione lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis amittendæ. App. I, cap. 22, num, 3, 4, 5.
Mutuum. — Quid mutuum, et mutui obligationes. App. I, cap. 21, num. 1 et 2.

N

Necessitas. — De surreptione rei alienæ in extrema vel gravissima necessitate App. I, cap. 12, num. 9.
Negotiatio. — Quid negotiatio; quibus est illicita, App I, cap. 24, num. 2.
Nuptiæ. An secundæ nuptiæ sint licitæ. App. II, part. II, cap. 4.

O

Occidere. — An liceat bannitos occidere. App. I, cap. 9, num. 1. An liceat marito occidere adulterum in adulterio deprehensum. App. I, cap. 9, num. 2. An liceat interdum seipsum occidere aut mutilare. App. I, cap. 9, num. 3. An liceat interdum innocentem occidere. App. I, cap. 9, num. 4. An liceat alium occidere ad vitæ suæ, facultatum suarum, pudicitiæ suæ defensionem. App. I, cap. 9, num. 5, 7, 8.

P

Pastio. — De pastione et lignatione. App. I, cap. 5, num. 13 et 14.
Pensio. — Quid et quotuplex pensio. Quid requiratur ad constituendam pensionem. App. I, cap. 37, num. 1 et 2.
Polygamia. — Quomodo polygamia sit illicita. App. II, part. II, cap. 5, num. 1 et 2
Possessio. — Quid possessio et quotuplex; quibus modis acquiratur et amittatur. App. I, cap. 3, num. 9, 10, etc.
Possessor. — Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, habens rem furtivam. App. I, cap. 14, num. 1.
Præscriptio. — Quid sit præscriptio, seu usucapio.

App. I, cap. 6, num. 1. Quæ conditiones requirantur ad præscribendum. App. I, cap. 5, n. 2. Mala fide non procedit præscriptio. App. I, cap. 6, num. 6. De præscriptione rerum et immobilium et mobilium, servitutum, beneficii, juris patronatus, debitorum, actionum, etc. App. I, cap. 6, num 2, 3, etc. De præscriptione consuetudinis, contra legem. App. I, cap. 6, num. 13. Quæ res non possunt præscribi. App. I, cap. 9, num. 14.

Pretium. — Quodnam sit justum rerum venalium pretium. App. I, cap. 24. num. 3.

Promissio. — An promissio interna et ante acceptationem obliget, et post acceptationem quomodo obliget. App. I, cap. 18, num. 2, 3, 4. An promissio aut donatio conditionalis obliget App. I, cap. 18, num. 9.

R

Restitutio. — Quid sit restitutio in integrum. App. I, cap. 6, num. 16. An sit obligatio restitutionis ob damnum illatum sine culpa, aut illatum ex levi vel levissima culpa, aut ex ignorantia comitante. App. I, cap. 7, num. 6, 7, etc. An restitutio sit ad salutem necessaria. App. I, cap. 7, num. 10. An qui motu vel fraude pertraxit aliquem ad peccatum, aut illum avertit a religione, teneatur ad restitutionem. App. I, cap 8, num. 2 et 3. An acceptum ob turpem causam sit restituendum. App. I, cap. 14, num 6. De restitutionis ordine et loco. App. I, cap. 15, num. 1 et 2. De causis a restitutione excusantibus. App. I, cap. 16, num. 1, 2, etc.

Revalidatio. — De revalidatione matrimonii invalidi. App. II, part. III, cap. 16, num. 1, 2, 3.

Reus. — An reus interrogatus a judice teneatur fateri veritatem. App. I, cap. 33, num. 2. An reus teneatur parere judici ferenti sententiam. An illi liceat e carcere fugere. App. I, cap 33, num. 3, 4.

Revelare. — Quomodo licitum est revelare alterius crimen. App. I, cap. 11, num. 5 et 6.

S

Servitus. — Quid sit servitus. App. I, cap. 1, num. 7.

Servus. — An servi possint fugere a dominis suis. App. I, cap. 5, num. 5.

Sponsalia. — Quid sponsalia, et quomodo contrahuntur. App. II, part. I, cap. 1. num. 1 et 2. Quinam possint sponsalia contrahere, et qua ætate. App. II, part. I, cap. 2, num. 1 et 2. Effectus sponsalium. App. II, part. I, cap. 3, num. 1, 2, etc. Causæ dissolvendi sponsalia. App. II, part. I, cap. 4, num. 1, 2, etc.

Stipendium. — De justo operariorum, famulorum, et cæterorum stipendio. App. I, cap. 27, num. 5, 6, 7.

T

Testamentum. — Quid testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum, donatio causa mortis, substitutio. App. I, cap. 30, num. 1, 2, etc. Quotuplex testamentum. App. I, cap. 30, dum. 7 et 8.

Testari. — Quinam testari possint. App. I, cap. 30, num. 9.

Testis. — Quot et qui testes requirantur in quavis causa. App. I, cap, 32, num. 6.

Thesaurus. — Cujus fiat thesaurus inventus. App. I, cap. 5, num. 15, 16, etc.

V

Vectigal. — Quid vectigal, et ejus conditiones. App. I, cap. 34, num. 1 et 2. An Ecclesiastici sint exempti a vectigalibus. App. I, cap. 34, num. 5 et 4. An peccent qui fraudant vectigal. App. I, cap. 34, num. 7.

Venatio. — De occupatione animalium per venationem, piscationem, aucupium. App. I, cap. 5, num. 6.

Vendere. — An liceat interdum pluris vendere aut minoris emere quam res valeat. App. I, cap. 24, num. 4. Utri pereat res vendita ante traditionem. App. I, cap. 24, num. 10. Quænam censeantur cum re vendita simul vendi. App. I, cap. 24, num. 11. An liceat vendere cum pacto retrovenditionis. App. I, cap. 24, num. 12.

U

Usufructus. — De usufructu, et ejus amissione. App. I, cap. 3, num. 4 et 5

Usura. — Quid usura, et quo jure sit illicita. App. I, cap. 22, num. 1 et 2. An sit peccatum petere mutuum sub usura. App. I, cap. 22, num. 12.

Usurarius. — An usurarius acquirat dominium usurarum. App. I, cap. 22, num. 9. Quomodo hæredes usurarii et cooperatores teneantur ad restitutionem. App. I, cap. 22, num. 10 et 11. Quæ sint pœnæ usurariorum publicorum. App. I, cap. 22, num. 13.

Usus. — An usus possit distingui a dominio. App. I, cap. 3, num. 8.

Uxor. — Quid liceat uxori circa bona domestica. App. I, cap. 12, num. 10.

ORDO RERUM

QUÆ IN HAC SECUNDA PARTE R. P. FR. SUAREZ SUMMÆ SEU COMPENDII CONTINENTUR.

—

Præfatio ad lectorem. 9

TOMUS DECIMUS. — DE RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU. 11

TRACTATUS PRIMUS. — DE RELIGIONIS NATURA ET ESSENTIA. 11

LIBER PRIMUS. — DE RELIGIONIS OBJECTO. 11

Cap. I, II. — De varia etymologia et acceptione religionis. 11

Cap. III-VIII. — De religionis objecto *cui* et *quod*. 12

Cap. IX. — Quomodo ratio debiti spectet ad formale religionis objectum. 14

LIBER II. — DE RELIGIONIS ACTIBUS IN GENERE. 14

Cap. I-III. — De actibus religionis internis et externis. 14

Cap. IV. — An religio habeat actus proprios inter se specie distinctos. 15

LIBER III. — DE HABITU RELIGIONIS. 15

Caput primum. — An religio sit habitus naturæ creatæ intellectualis proprius. 15

Cap. II. — Quomodo religio distinguatur a fide, spe, charitate. 15

Cap. III, IV. — An religio sit virtus theologica; an vero moralis; et an distinguatur a vera justitia. 16

Cap V-VII. — An religio sit virtus distincta a dulia erga sanctos, et ab obedientia erga Deum et a pœnitentia. 18

Cap. VIII. — An religio sit una simplex virtutis species infirma, an vero generica. 20

Cap. IX. Qualis sit religionis præstantia. 20

TRACTATUS SECUNDUS. — DE AFFIRMATIVIS RELIGIONIS PRÆCEPTIS 21

LIBER PRIMUS. — DE PRÆCEPTIS CULTUS DIVINI. 21

Caput primum. — An præceptum adorandi Deum tam corpore quam spiritu sit naturale. 21

Cap. II. — Quomodo sit adorandus Deus ex vi legis naturalis. 21

Cap. III. — Quanam lege sit præceptum offerre Deo sacrificia in ejus cultum. 23

Cap. IV, V. — De ritu simplicium oblationum, et an sint de præcepto. 23

Cap. VI, VII. — Quarumnam personarum debeant admitti oblationes ecclesiasticæ; et quibusnam faciendæ; et de quibus rebus. 25

Cap. VIII, IX. — De præcepto solvendi primitias et decimas. 26

Cap. X, XI. — An præceptum decimarum nunc sit juris divini, an vero ecclesiastici; et an determinatio decimæ partis sit convenienter facta in lege gratiæ. 27

Cap. XII, XIII. — Quid possit efficere consuetudo circa obligationem solvendi decimas. 29
Cap. XIV, XV. — De potestate summi Pontificis tollendi obligationem decimarum solvendarum. 30
Cap. XVI, XVII. — Quinam teneantur solvere decimas. 31
Cap. XVIII-XX.—De privilegio non solvendi decimas. 33
Cap. XXI-XXIV. — In qua ecclesia sint solvendæ decimæ. 34
Cap. XXV-XXVII.—De decimis quæ laicis solvuntur. 36
Cap. XXVIII, XXIX. — Ad quas personas ecclesiasticas jure communi pertineant decimæ. 37
Cap. XXX-XXXIII. — An clerici et religiosi possint præscriptione acquirere jus decimarum; ex quibus rebus et quomodo sint solvendæ decimæ personales. 38
Cap. XXXIV, XXXV.—De solutione decimarum prædialium. 39
Cap. XXXVI. — Quomodo decimæ sint debitæ Ecclesiæ. 40
Cap. XXXVII, XXXVIII. — Quomodo et ubi fideles teneantur decimas solvere, et quomodo recuperari possint non solutæ. 41
LIBER II. — DE DIEBUS FESTIS. 41
Caput primum. — De præcepto sanctificationis Sabbati in Decalogo. 41
Cap. II-IV. — De institutione festorum in lege gratiæ, ac primo de die Dominica et festo sanctissimæ Trinitatis. 43
Cap. V, VI. — De festis Christi usque ad ejus ascensionem. 44
Cap. VII. — De aliis Christi festis. 46
Cap. VIII-X. — De festis B. Virginis et aliorum sanctorum. 46
Cap. XI. — De festis particularibus. 48
Cap. XII. — An princeps sæcularis possit festum suis subditis præcipere. 48
Cap. XIII, XIV. — An peregrini teneantur servare festa suæ parochiæ in qua non exsistunt, et loci in quo exsistunt. 49
Cap. XV, XVI. — Quæ actiones præcipiantur in die festo. 50
Cap. XVII, XVIII. — De operibus die festo prohibitis; et an peccatum die festo commissum contrahat inde specialem malitiam. 52
Cap. XIX, XX. — An intentio operantis ob lucrum vel stipendium reddat opus servile humanum, et in quo consistat. 53
Cap. XXI. — De operibus naturalibus et mechanicis quæ die festo non prohibentur. 54
Cap. XXII-XXV. — De operibus liberalibus in die festo non prohibitis; de scriptione et transcriptione. 55
Cap. XXVI-XXVIII. — An pingere, iter agere, saltare, venari, piscari, militare sit prohibitum in die festo. 56
Cap. XXIX, XXX. — De actionibus liberalibus speciali jure in die festo prohibitis. 58
Cap. XXXI, XXXII. — Quomodo prohibitio cessandi ab operibus die festo obliget, et quæ causæ obligent. 60
Cap. XXXIII. — De dispensatione hujus præcepti. 61
LIBER III. — DE LOCORUM SACRORUM DEBITA REVERENTIA. 61
Caput primum. — Quonam præcepto debeatur locis sacris reverentia, affirmativo an negativo. 61
Cap. II. — De actibus sacrum locum polluentibus, ac in eo prohibitis. 63
Cap. III. — An omne opus profanum in ecclesia factum repugnet loci sanctitati. 64
Cap. IV. — De actionibus forensibus in templo fieri prohibitis. 65
Cap. V, VI. — De actionibus furti, aliisque in templo fieri prohibitis jure ecclesiastico. 66
Cap. VII. — An aliqua opera in templo facta, ex lege naturali absque Ecclesiæ prohibitione, sint mala ob loci circumstantiam. 66
Cap. VIII, IX. — De immunitate ecclesiarum. 67
Cap. X, XI. — Pro quibus personis et causis valeat hæc immunitas. 68
Cap. XII, XIII. — De affectibus immunitatis templi et de crimine ac pœna extrahentium eos qui ad illud confugerint. 69
TRACTATUS TERTIUS. — DE VITIIS RELIGIONI CONTRARIIS. 71
LIBER PRIMUS. — DE IRRELIGIOSITATE. 71
Caput primum. — Quid et quotuplex irreligiositas. 71
Cap. II, III. — De Dei tentatione. 71
Cap. IV, V. — Quid blasphemia et quotuplex. 73
Cap. VI, VII. — De gravitate peccati blasphemiæ ac pœnis. 74
LIBER II. — DE SUPERSTITIONE 75
Caput primum. — Quid superstitio, et an possit esse superstitio in colendo vero Deo. 75
Cap. II. — Quot modis et quam graviter peccetur per superstitionem in veri Dei cultu. 75
Cap. III, IV. — Quid et quotuplex idololatria. 77
Cap. V. — De idololatriæ origine. 78
Cap. VI. — De gravitate peccati idololatriæ, et pœna illi imposita. 78
Cap. VII, VIII. — Quid sit divinatio et unde habeat malitiam, et quantam. 79
Cap. IX, X. — De divinatione per implicitum cum dæmone pactum, et aliis circa divinationes. 81
Cap. XI. — De prædictionibus quæ fiunt ex astrorum observatione. 82
Cap. XII. — An sortium usus sit semper superstitiosus et prohibitus. 84
Cap. XIII. — Quomodo divinatio per somnia superstitiosa sit. 85
Cap. XIV. — An in magiæ operibus superstitio et pactum cum dæmone interveniat. 86
Cap. XV. — Quænam sint magicæ superstitionis species, seu modi. 87
Cap. XVI. — An omnia magiæ opera sint præstigiosa, sive sintne res quæ apparent veræ an fictæ. 88
Cap. XVII. — Quibus mediis uti liceat ad tollenda maleficia. 89
Cap. XVIII. — An aliquando liceat uti maleficio ad maleficium destruendum. 91
Cap. XIX. — De pœnis quas magi ac divini incurrent. 92
LIBER III. — DE SACRILEGIO. 92
Cap. I-III. — Quid et quotuplex sacrilegium, ac de sacrilegio contra personas sacras. 92
Cap. IV, VI. — De sacrilegio contra locum et res alias sacras; de sacrilegii divisione et ejus adjunctis. 95
Cap. VII. — De gravitate, qualitate ac pœna sacrilegii. 94
LIBER IV. — DE SIMONIA. 95
Cap. I, II. — Quid Simonia, et quæ ejus materia; an sit intrinseca mala. 95
Cap. III, IV. — De intrinseca Simoniæ mala. 96
Cap. V, VI. — An in omni legis tam Mosaicæ quam naturalis tempore potuerit committi Simonia. 97
Cap. VII. — An dari possit Simonia solo jure ecclesiastico prohibita. 98
Cap. VIII. — An dari possit Simonia in materia mere naturali. 98
Cap. IX. — An gratia unionis hypostaticæ ac sanctificans possit esse materia Simoniæ. 100
Cap. X, XI. — An omnia Ecclesiæ sacramenta eorumque materiæ sint materia Simoniæ. 101
Cap. XII. — An in necessitate possit emi sacramentum ab eo qui non vult illud ministrare nisi ob pretium. 102
Cap. XIII. — An omnes actus potestatis ordinis sint materia Simoniæ. 103
Cap. XIV. — An omnia sacramentalia tam in actione quam in termino, seu effectu permanente, sint materia Simoniæ. 104
Cap. XV. — An divina officia et alia virtutum opera sint materia Simoniæ. 106
Cap. XVI. — An sit licitum dare alicui pecuniam aut aliud simile, ut suscipiat baptismum, religionem, sacramenta, etc. 107
Cap. XVII. — An ingressus religionis sive pro novitiatu, sive pro professione sumptus, sit materia Simoniæ. 108
Cap. XVIII. — An supernaturalis doctrinæ functiones sint materia Simoniæ. 109
Cap. XIX, XX. — An actus pertinentes ad jurisdictionem sive interni sive externi fori, sint materia Simoniæ 111
Cap. XXI. — An labor corporalis in operibus spiritualibus sit materia Simoniæ. 112
Cap. XXII. — An omissio actuum spiritualium sit materia Simoniæ. 113
Cap. XXIII. — An id quod non est spirituale nisi ob annexionem causalem cum spirituali, sit materia Simoniæ. 113
Cap. XXIV. — An beneficia ecclesiastica sint materia Simoniæ ex jure divino, an vero ex ecclesiastico. 114
Cap. XXV, XXVI. — An præstimonia et pensiones ecclesiasticæ sint materia Simoniæ. 116
Cap. XXVII. — An commendæ, coadjutoriæ, et hospitalia sint materia Simoniæ. 117

Cap. XXVIII. — An jus patronatus sit materia Simoniæ. 118
Cap. XXIX. An temporalia Ecclesiæ officia, aut eorum actus sint materia Simoniæ. 119
Cap. XXX — De pretio Simoniaco. 120
Cap. XXXI. — An in spiritualium commutatione, maxime beneficiorum, possit committi Simonia, saltem contra jus ecclesiasticum. 121
Cap. XXXII. — An requiratur prælati auctoritas, ut in beneficiis permutatio spiritualium fiat sine Simonia. 122
Cap. XXXIII, XXXIV. — An beneficium ecclesiasticum possit cum pensione aut cum temporali compensatione permutari absque Simonia. 122
Cap. XXXV. — An renuntiatio beneficii in favorem tertii Simoniam contineat. 124
Cap. XXXVI. — Quando temporale donum censetur pretium rei spiritualis. 125
Cap. XXXVII. — An sufficienter dividatur pretium Simoniæ in munus a manu, lingua et obsequio. 26
Cap. XXXVIII, XXXIX. — Quid per munus a manu et ab obsequio intelligatur. 26
Cap. XL. — Quid per munus a lingua intelligatur. 128
Cap. XLI-XLIII. — Quid sit Simonia mentalis, conventionalis, realis, ficta, confidentialis. 128
Cap. XLIV, XLV. — Quæ intentio requiratur ad Simoniam mentalem. 130
Cap. XLVI. — An sit Simonia conventionalis in pactum deducere sustentationis stipendium pro functione spirituali, quæ ex officio non incumbit. 131
Cap. XLVII. — An exigere stipendum pro functione spirituali et officio vel beneficio debita, sit vera Simonia conventionalis. 131
Cap. XLVIII. — An exactio rei temporalis pro spirituali per consuetudinem possit honestari. 132
Cap. XLIX. — An possit committi vera Simonia per gratuitam largitionem sine expressa vel tacita pactione aut ejus intentione. 133
Cap. L. — An pactio et traditio rei temporalis ad obtinendam spiritualem, excusetur a Simonia ob intentam vexationis redemptionem. 134
Cap. LI. — An pactio onerosa seu transactio ad terminandam litem habeat locum in spiritualibus ab que Simonia. 135
Cap. LII — An Simonia possit cadere in summum pontificem, aut ejus curiam. 137
Cap. LIII. — An et quomodo prælati papa inferiores eorumque ministri Simoniam committant. 137
Cap. LIV. — An homines cujusvis status possint Simoniam committere. 138
Cap. LV. — Pro quibus Simoniis nullæ pœnæ impositæ sint. 139
Cap. LVI. — De censuris et impedimentis canonicis quæ ob Simoniam ipso jure incurruntur. 140
Cap. LVII. — An actio sacra, vel collatio beneficii Simoniace facta, sit valida, et quo jure. 141
Cap. LVIII. — An recipiens beneficium vel ordinem Simoniace privetur ipso facto beneficiis prius rite obtentis, et fiat inhabilis ad futura. 144
Cap. LIX — An pretium Simoniace obtentum restituendum sit ex jure naturali divino. 144
Cap. LX. — An pretium Simoniace acquisitum sit in conscientia restituendum ex jure ecclesiastico ante sententiam, et cuinam. 146
Cap. LXI. — De dispensatione circa Simoniam. 147

TOMUS UNDECIMUS. — DE RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU. 149

TRACTATUS QUARTUS. — DE ORATIONE, DEVOTIONE, ET HORIS CANONICIS. 149

LIBER PRIMUS. — DE ORATIONE IN COMMUNI. 149
Cap. I, II. — Quid sit oratio et quotuplex. 149
Cap. III-V. — An mentalis oratio, prout est petitio, sit actus intellectus vel voluntatis. 149
Cap. VI. — An oratio ad Deum sit honesta et utilis. 150
Cap. VII, VIII. — An oratio sit actus religionis elicitus et supernaturalis. 151
Cap. IX. — Quomodo solus Deus a nobis sit orandus. 152
Cap. X. — Quomodo rationales creaturæ possint a nobis orari. 152
Cap. XI. — An omnes spiritus beati et justi orare possint. 154
Cap. XII-XVI. — Quibus conveniat orare, et pro quibus sit orandum. 155
Cap. XVII, XVIII. — An liceat orando petere a Deo bona temporalia, et quomodo. 157
Cap. XIX. — An temporalia mala in oratione peti possint. 158
Cap. XX, XXI. — Quomodo bona spiritualia a Deo peti possunt. 159
Cap. XXII-XXIV. — An oratio sit actus meritorius, satisfactorius et impetratorius. 160
Cap. XXV. — An sit necessaria charitas in orante ad impetrandum. 161
Cap. XXVI, XXVII. — De perseverantia orationis, et de infallibili ejus impetratione pro se, et pro aliis 162
Cap. XXVIII-XXX. — An oratio sit necessaria ad salutem, et quale ejus præceptum, ac quando obliget. 163

LIBER II. — DE ORATIONE MENTALI ET DEVOTIONE 163
Cap. I-III. — De excellentia, utilitate, partibus seu actibus orationis mentalis. 163
Cap. IV. — An oratio mentalis sit de præcepto. 165
Cap V. — De moralibus orationis mentalis circumstantiis. 166
Cap. VI. — Quid sit devotio? 166
Cap. VII, VIII. — An devotio sit actus religionis; de ejus causis et effectibus. 167
Cap. IX, X. — Quid contemplatio, et quis ejus proprius actus. 168
Cap. XI — De triplici statu incipientium, proficientium, perfectorum; sive viæ purgativæ, illuminativæ, unitivæ; et cujusnam sit propria contemplatio. 168
Cap. XII. — An possit dari contemplatio vel oratio mentalis sine ullo intellectus ac voluntatis actu. 169
Cap. XIII. — An contemplatio seu oratio mentalis possit consistere in solo voluntatis actu, sine ullo intellectus. 170
Cap. XIV. — An contemplatio possit subsistere sine sensus operatione. 171
Cap. XV-XVII. — An et quomodo exstasis abstrahat mentem ab operationibus sensuum externorum 172
Cap. XVIII. — An in exstasi fiat suspensio ab omni appetitus sensitivi, partisque vegetativæ operatione. 174
Cap. XIX. — An contemplatio per raptum vel exstasim, prout est in intellectu, sit operatio libera denominative, seu libere a voluntate imperata. 174
Cap. XX. — An contemplatio quoad actus voluntatis sit formaliter libera et meritoria in exstasi. 176

LIBER III. — DE VOCALI ORATIONE IN COMMUNI. 177
Cap. I, II. — An oratio vocalis sit actus honestus et religiosus; quotuplex et quæ ejus partes. 177
Cap. III, IV. — An intentio orandi et attentio sint de essentia orationis vocalis. 177
Cap. V, VI. — Quænam requiratur attentio ad orationis vocalis effectus; et an vocalis oratio privata sit de præcepto. 179
Cap. VII, VIII. — De circumstantiis servandis in oratione vocali privata; et explicatio orationis Dominicæ. 180
Cap. IX. — De aliis orandi formulis in Ecclesia usitatis. 181

LIBER IV. — DE PUBLICA ECCLESIÆ ORATIONE ET HORIS CANONICIS. 181
Caput primum. — De antiquitate et honestate chori ecclesiastici. 181
Cap. II. — De partibus divini officii. 185
Cap. III. — De divisione ecclesiastici officii in nocturnum et diurnum. 184
Cap. IV, V. — De partitione nocturni et diurni officii. 185
Cap. VI. — De numero horarum canonicarum. 186
Cap. VII, VIII. — De modo recitandi et canendi horas canonicas 186
Cap. IX. Ad quas personas spectet canere horas canonicas publice in choro. 188
Cap. X. — Quænam personæ et quo in loco teneantur publice horas canonicas dicere. 188
Cap. XI. — Quodnam officium divinum in choro sit recitandum. 190
Cap. XII. — An satisfaciant clerici in choro alternis versibus psalmos canendo; et quid in hoc servare teneantur. 191
Cap. XIII. — De omissione, mutilatione, additione officii divini in choro. 192
Cap. XIV. — De attentione ac devotione in choro servanda, ac situ. 193
Cap. XV. — De tempore singulis horis canonicis præscripto pro publico chori officio. 194

Cap. XVI. — An omnes clerici ex vi suæ ordinationis teneantur recitare horas canonicas. 195
Cap. XVII. — An religiosi professi teneantur horas canonicas recitare, etiamsi sint in sacris constituti. 195
Cap. XVIII. — An clerici beneficium habentes teneantur recitare horas canonicas. 196
Cap. XIX. — An beneficium ex vi solius tituli ante acquisitam possessionem obliget ad recitandum. 196
Cap. XX. — An juste possidens beneficium, et nullos ejus fructus accipiens, teneatur recitare. 197
Cap. XXI. — An habens beneficium tenue ad horas canonicas recitandas teneatur. 198
Cap. XXII. — An clericus accipiens sine beneficio ab ecclesia redditus, teneatur horas canonicas recitare. 199
Cap XXIII. — Quodnam officium divinum teneantur dicere clerici, dum privatim recitant. 200
Cap XXIV. — An sit grave peccatum mutare horarum ordinem aut continuationem in privata recitatione. 201
Cap. XXV. — De modo recitandi integre horas canonicas privatim. 202
Cap. XXVI. — De intentione et attentione in recitandis horis canonicis requisita. 204
Cap. XXVII. — De loco et tempore in quibus recitandum est officium canonicum. 205
Cap. XXVIII. — De causis ab horarum recitatione excusantibus. 206
Cap. XXIX, XXX. — Quid beneficiatus teneatur restituere qui per sex primos menses, aut post illos non recitat. 208
TRACTATUS QUINTUS. — DE JURAMENTO ET ADJURATIONE. 209
LIBER PRIMUS. — DE JURAMENTO IN GENERE, ET DE ASSERTORIO JURAMENTO IN SPECIE. 209
Caput primum. — Quid sit juramentum. 209
Cap. II, III. — An juramentum sit actus licitus, et an requiratur ad ejus honestatem veritas, justitia et judicium. 210
Cap. IV. — An juramentum sit actus a virtute religionis elicitus. 211
Cap. V. — An licitum sit per creaturas jurare. 212
Cap. VI-VIII. — De causa finali et materiali juramenti. 213
Cap. IX, X. — Qualis sit divisio et materia juramenti assertorii et promissorii. 214
Cap. XI, XII. — De forma juramenti, et de ejus divisione ex parte formæ. 215
Cap. XIII. — De variis jurandi formulis. 216
Cap. XIV, XV. — De personis quæ jurare possunt. 217
LIBER II. — DE JURAMENTO PROMISSORIO. 219
Cap. I, II. — Qualis sit obligatio juramenti promissorii. 219
Cap. III. — An obligatio juramenti major sit quam voti. 220
Cap. IV. — Erga quem incurratur obligatio ex juramento promissorio. 220
Cap. V. — An solum juramentum promissorium factum per Deum verum inducat obligationem. 221
Cap. VI. — An juramentum factum per creaturam sine habitudine ad Deum, sive verum sive falsum, obliget. 222
Cap. VII. — Quænam intentio requiratur ut juramentum promissorium obliget. 223
Cap. VIII, IX. — An juramentum simulatum aut per injuriam extortum obliget. 224
Cap. X. — An juramentum metu extortum obliget. 226
Cap. XI. — An dolus vel error reddat juramentum invalidum. 227
Cap. XII, XIII. — An juramentum promissorium de re honesta facienda inducat semper obligationem, etiam in concursu melioris. 228
Cap. XIV-XVI. — An juramentum de actu qui sine peccato fieri non potest, aut de actu indifferente obliget. 230
Cap. XVII. — Quando et quomodo obliget juramentum de omissione alicujus operis. 231
Cap. XVIII, XIX. — An juramentum contra præceptum divinum positivum, contra prius votum, contra juramentum aut promissionem factum obliget. 232
Cap XX-XXIII. — An juramentum de actu contra legem humanam, aut contra bonos mores civiles factum obliget. 233
Cap. XXIV, XXV. — An juramentum vel promissio illicite facta, si sine peccato impleri possit, obliget 235
Cap XXVI-XXIX. — An et quomodo pacta seu contractus contra leges juramento confirmentur. 236
Cap. XXX. — An juramento facto non faciendi aliquem contractum lege prohibitum, possit hic fieri validus et firmari per aliud subsequens juramentum. 237
Cap. XXXI. — An juramenti obligatio sit mere personalis tam ex parte ejus qui jurat, quam ex parte illius cui juratur. 238
Cap. XXXII. — Quomodo interpretandum sit juramentum quoad obligationis vel extensionem vel limitationem. 239
Cap. XXXIII. — De juramenti obligatione in dubio. 240
Cap. XXXIV. — Quas conditiones includat juramentum promissorium. 241
Cap. XXXV. — Quando incipiat et quandiu duret juramenti promissorii obligatio. 241
Cap. XXXVI, XXXVII. — An juramentum homini factum possit impleri per aliquid æquivalens, et non in propria specie, aut per compensationem. 242
Cap. XXXVIII. — An juramentum promissorium irritari possit. 243
Cap. XXXIX. — An juramenti promissorii obligatio condonatione a creditore facta tollatur. 244
Cap. XL. — An in juramentum promissorium soli Deo factum cadat dispensatio. 245
Cap. XLI. — An et quomodo juramentum promissorium homini factum, possit a superiore relaxari. 246
LIBER III. — DE JURAMENTI PRÆCEPTIS, ET PECCATIS EIS CONTRARIIS. 247
Caput primum. — An detur præceptum affirmativum obligans interdum ad jurandum. 247
Cap. II, III. — De præcepto non pejerandi, et de perjurii assertorii gravi malitia. 249
Cap. IV, V. — An perjurium assertorium sit semper peccatum mortale ex parte materiæ. 249
Cap. VI-VIII. — De consuetudine incaute jurandi. 250
Cap. IX-XI. — An juramentum assertorium cum amphibologia factum sit perjurium aut aliter peccaminosum. 252
Cap. XII. — An juramentum assertorium, cui tantum vel judicium vel justitia deest, sit mortale peccatum 252
Cap. XIII. — An liceat inducere alium ad jurandum, quando per falsos deos juraturus est. 253
Cap. XIV. — An sit semper peccatum petere juramentum ab eo qui pejeraturus est. 254
Cap. XV, XVI. — An violare juramentum promissorium quoad ejus veritatem sit peccatum mortale ex genere suo, et an possit fieri veniale ex levitate materiæ. 254
Cap. XVII. — An juramentum promissorium sine veritate factum, semper sit peccatum mortale. 256
Cap. XVIII, XIX. — Quale sit peccatum juramentum promissorium de materia obligationis incapaci, aut de peccato committendo. 256
Cap. XX. — De pœnis ecclesiasticis perjurio impositis. 258
LIBER IV. — DE ADJURATIONE. 259
Caput primum. — Quid sit adjuratio, et an sit proprius religionis actus. 259
Cap. II. — Quæ res possint sancte et religiose adjurari. 259
Cap. III, IV. — Possitne adjuratio fieri per creaturas, an per Deum solum, et quomodo possit peccari per adjurationem. 260
TRACTATUS SEXTUS. — DE VOTO. 261
LIBER PRIMUS. — DE ESSENTIA ET HONESTATE VOTI. 261
Cap. I, II. — An recte fieri possit Deo votum, et an ad illud sufficiat propositum de se efficax faciendi aliquid in Dei honorem, 261
Cap. III. — An intentio seu propositum se obligandi sit de essentia voti. 263
Cap. IV, V. — An propositum faciendi quod vovetur, et motivum honestum sint necessaria ad voti valorem. 264
Cap. VI, VII. — An perfecta libertas necessario requiratur ad valorem voti. 265
Cap. VIII. — An votum ex gravi metu factum, jure ecclesiastico sit irritum. 267
Cap. IX, X. — An ad validitatem voti non tantum libertas, sed etiam formalis deliberatio requiratur. 268
Cap. XI, XII. — An dolus, ignorantia, aut error impediat valorem voti simplicis. 269
Cap. XIII. — In quo actu voti substantia consistat. 270
Cap. XIV. — An votum sit tantum promissio Deo facta; an vero sit etiam traditio. 270
Cap. XV, XVI. — An votum sit, et necessario sit pro-

prius religionis actus. 271
Cap. XVII. — An opus ex voto factum melius ac magis meritorium sit quam sine voto. 273
Cap. XVIII. — An votum sit per se expediens. 274
Cap. XIX. — De quibusdam voti divisionibus. 275
LIBER II. — DE MATERIA VOTI EJUSQUE DIVISIONIBUS. 275
Cap. I, II. — Qualis voti materia esse debeat 275
Cap. III. — An fieri possit votum non peccandi, et ad quid obliget. 277
Cap. IV, V. — An actus moraliter malus, aut honestus sub conditione mala, possit esse materia voti. 278
Cap. VI. — An actus boni, qui sunt de præcepto, possint esse voti materia. 280
Cap. VII. — An votum debeat esse necessario de meiori bono. 281
Cap. VIII. — An omnis actus moraliter bonus non impediens meliorem, possit esse materia voti. 282
Cap. IX. — An actus moraliter bonus, v. gr. contractus matrimonialis inducens inhabilitatem ad statum perfectionis, possit esse interdum voti materia. 283
Cap. X. — An objectum includens bonum et malum possit esse materia voti capax. 284
Cap. XI. — An bonorum operum omissiones possint esse voti materia. 285
Cap. XII. — Divisiones votorum ex parte materiæ. 286
LIBER III. — DE PERSONIS QUÆ VOVERE POSSUNT. 286
Cap. I, II. — An solus et omnis homo possit votum emittere, et illo obligari. 286
Cap. III. — An Ecclesia possit reddere aliquas personas inhabiles ad valide vovendum, seu impedire ne valide voveant. 287
Cap. IV, V. — An aliquorum vota simplicia sint nulla ex jure ecclesiastico; et an quænam personæ subjectæ sint prohibitæ, ne valide voveant. 288
Cap. VI. — An vota personalia in religioso aut in alio subdito possint esse valida ex parte materiæ. 289
Cap. VII. — An vota realia possint esse valida in personis subditis. 291
LIBER IV. — DE VOTI OBLIGATIONE. 291
Cap. I, II. — An votum Deo factum inducat in conscientia obligationem, et in hac obligatione intercedat Dei acceptatio. 291
Cap. III, IV. — Quanta sit voti obligatio : et an vovens possit in materia gravi obligare se sub peccato levi; et contra, in materia levi sub gravi. 291
Cap. V, VI. — De obligatione voti dubii. 293
Cap. VII. — De voti interpretatione in materia incerta. 295
Cap. VIII. — Quomodo singulæ circumstantiæ voti, quæ in eo non exprimuntur, determinandæ sint. 296
Cap. IX, X. — An voti obligatio sit personalis. 297
Cap. XI. — An voti obligatio ipso facto jure transeat ad hæredes. 299
Cap. XII, XIII. — Pro quo tempore votum obliget; et an præscripto tempore non impletum, desinat obligare. 300
Cap. XIV, XV. — An qui non potest præfinito tempore votum implere, teneatur tempus prævenire; et qui præfinito tempore non implevit, teneatur illud compensare. 301
Cap. XVI. — An sint valide facta quæ fiunt contra votum. 302
Cap. XVII. — Quando et quomodo obligent vota conditionata. 303
Cap. XVIII-XX. — An cessante causa, aut mutata materia cesset voti obligatio. 304
LIBER V. — DE PECCATIS VOTO CONTRARIIS. 305
Cap. I, II. — De peccato in modo et materia indebita voti emissi. 305
Cap. III, IV. — Quale sit peccatum voti transgressio. 307
Cap. V. — Quando transgressio voti, quæ committitur per plures actus leves ex parte materiæ, fiat peccatum mortale. 308
Cap. VI. — De variis modis votum violandi. 309
Cap. VII. — An dolere de facto voto sit peccatum, aut quale. 310
LIBER VI. — DE VOTI IRRITATIONE, DISPENSATIONE ET COMMUTATIONE. 310
Caput primum. — An possit irritari votum; quod et quotuplex sit voti irritatio. 310
Cap. II, III. — An superiores possint suorum subditorum, et domini suorum servorum vota irritare 311
Cap. IV. — An unus conjugum possit alterius vota irritare. 312
Cap. V, VI. — An parentes possint irritare vota suorum filiorum puberum et impuberum 313
Cap. VII. — An prælati religionum possint religiosorum vota directe irritare 314
Cap. VIII. — An votum cum licentia prælati factum, aut ab eo confirmatum possit irritari. 315
Cap. IX. — An sit in Ecclesia potestas in votis dispensandi, eaque commutandi. 315
Cap. X, XI. — De personis quæ possunt in votis dispensare et illa commutare. 315
Cap. XII. — An dispensandi potestas et commutandi vota sit delegabilis. 316
Cap. XIII, XIV. — Ad quid se extendat facultas dispensandi vel commutandi vota. 317
Cap. XV. — An potestas dispensandi in votis, vel illa commutandi, extendatur ad vota in tertii emolumentum facta. 318
Cap. XVI. — De facultate eligendi personam ad dispensandum in votis, vel ad ea commutanda. 319
Cap. XVII. — An requiratur causa ad valide dispensandum, et quænam ad licite. 319
Cap. XVIII, XIX. — Quid requiratur ad votum commutandum in aliquid melius, æquale, aut minus. 320
Cap. XX. — Quam vim habeat commutatio voti ad tollendam obligationem circa priorem voti materiam. 322
Cap. XXI. — De dispensatione et commutatione votorum papæ reservatorum. 323
Cap. XXII. — De votis conditionatis, quando et quomodo sint reservata. 323
Cap. XXIII, XXIV. — An vota pœnalia vel distinctiva in materiis votorum reservatorum, sint reservata. 324
Cap. XXV, XXVI. — De potestate commutandi vota reservata, vel in illis dispensandi. 325
Cap. XXVII. — De necessaria ad valorem dispensationis aut commutationis voti servanda forma 326
TOMUS DUODECIMUS. — DE RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU 327
TRACTATUS SEPTIMUS. — DE STATU PERFECTIONIS ET RELIGIONIS 327
LIBER PRIMUS. — DE STATU PERFECTIONIS VARIISQUE EJUS MODIS. 327
Cap. I, II. — Quid sit status vitæ Christianæ, et quotuplex. 327
Cap. III. — Quænam sit illa perfectio Christiana ad quam perfectionis status ordinatur. 328
Cap. IV. — Ad qualem charitatis perfectionem ordinetur perfectionis status. 329
Cap. V. — Quid sit status perfectionis, et quomodo a perfectione distinguatur. 330
Cap. VI-IX. — An in lege gratiæ, consilia distinguantur a præceptis. 330
Cap. X, XI. — An Christiana perfectio includat consiliorum observationem; et an magis consistat in consiliorum quam in præceptorum observatione. 332
Cap. XII. — An status perfectionis necessario inducatur aut assumatur per aliquem actum qui obligationem pariat. 332
Cap. XIII, XIV. — De divisione status perfectionis. 332
Cap. XV, XVI. — De statu perfectionis episcoporum. 333
Cap. XVII. — An prælati sæculares episcopis inferiores, aut etiam parochi sint in statu perfectionis exercendæ. 334
Cap. XVIII. — An status episcoporum sit perfectior quam religiosorum. 335
Cap. XIX, XX. — An status episcopalis ita sit perfectus, ut per ejus assumptionem votum ingrediendi religionem impleatur. 335
Cap. XXI. — An status inferiorum prælatorum vel parochorum sit perfectior statu religioso. 337
LIBER II. — DE RELIGIOSI STATUS ESSENTIA, ORIGINE, VOTIS QUIBUS CONSTITUITUR, ET ALIIS AD HÆC SPECTANTIBUS. 337
Cap. I, II. — Quid sit status religiosus, et an ad illius essentiam necessario requirantur tria et sola paupertatis, castitatis et obedientiæ vota. 337
Cap. III, IV. — An ad statum religiosum requiratur obligatio voti perpetua, et præter tria vota essentialia, sui ipsius traditio seu promissio humana. 338
Cap. V. — An ad statum religiosum constituendum vota debeant esse solemnia. 339
Cap. VI-IX. — In quo solemnitas voti castitatis consi-

stat. Referuntur et refutantur quorumdam sententiæ. 340
Cap. X, XI. — Declaratur in quo voti castitatis solemnitas consistat. 341
Cap. XII. — De solemnitate voti paupertatis. 342
Cap. XIII. — De solemnitate voti obedientiæ. 343
Cap. XIV. — An solemnitas trium votorum essentialium sit de essentia status religiosi. 344
Cap. XV, XVI. — An Ecclesiæ approbatio ad verum religionis statum constituendum sit absolute necessaria. 346
Cap. XVII. — In quo resideat ordinaria potestas religionem approbandi. 347
Cap. XVIII. — An potestas jurisdictionis et ad statum religionis, et in illo statu requiratur. 348
LIBER III. — DE AUCTORE, ORIGINE ET ANTIQUITATE STATUS RELIGIOSI. 349
Caput primum. — An status religiosus sit legis evangelicæ proprius, an vero etiam ante illam exstiterit. 349
Cap. II. — An status religiosus a Christo fuerit institutus. 350
Cap. III. — An status religiosus a Christi tempore semper in Ecclesia perseveraverit. 351
Cap. IV. — An status religiosus in Ecclesiæ exordio fuerit ejusdem rationis cum eo qui nunc est. 352
LIBER IV. — DE VOTO ASSUMENDO RELIGIONIS STATUM. 353
Cap. I, II. — An votum suscipiendi statum religiosum sit bonum ac validum, et quomodo obliget. 353
Cap. III. — An votum ingrediendæ religionis obliget ad perseverandum, seu ad professionem emittendam. 354
Cap. IV. — Ad quid obliget votum perseverandi et professionem faciendi in religione. 355
Cap. V. — An simplex religionis votum dirimat sponsalia, et impediat matrimonium. 356
Cap. VI. — An votum ingrediendæ religionis possit proprie irritari. 357
Cap. VII, VIII. — Quomodo religionis votum sit papæ reservatum quoad dispensationem, vel commutationem. 357
Cap. IX. — De commutatione voti ingrediendæ religionis. 358
LIBER V. — DE INGRESSU RELIGIONIS AC NOVITIATU. 359
Caput primum. — An ad religionis ingressum requiratur in ingrediente determinata ætas. 359
Cap. II, III. — De potestate parentum ad offerendos religioni filios rationis usum habentes. 359
Cap. IV. — Quænam personæ inhabiles sint ad religionis ingressum seu receptionem. 360
Cap. V. — An propter parentum necessitatem teneatur filius non ingredi religionem. 361
Cap. VI. — An ob filiorum aut fratrum necessitatem teneatur quis non ingredi religionem. 363
Cap. VII. — An oneratus debitis, vel rationibus reddendis astrictus, aut criminum pœnis obnoxius, possit licite ingredi religionem. 363
Cap. VIII, IX. — Ex qua scientia et libertate ingressus religionis fieri debeat. 364
Cap. X. — A quo et qua forma facienda sit receptio, ut ingressus sit validus et licitus. 365
Cap. XI. — Quos effectus producat religionis ingressus. 366
Cap. XII, XIII. — An novitiatus requirat necessario integrum annum, ac religionis habitum; et quando incipit. 367
Cap. XIV, XV. — Quænam sint de novitiatus substantia; et an sit necessarius annus unus continuus. 368
Cap. XVI. — An novitius obligetur ad regularem observantiam; et an possit ecclesiastica beneficia habere. 369
LIBER VI. — DE VALIDA PROFESSIONE RELIGIOSA. 371
Caput primum. — An professio sit, semperque fuerit ad statum religiosum necessaria. 371
Cap. II. — Quid sit formaliter professio religiosa, et quis formalis ejus effectus. 371
Cap. III. — An ad valorem professionis requiratur consensus omnino liber et in ætate pubertatis. 372
Cap. IV. — An consensus ex metu reddat professionem invalidam. 373
Cap. V. — An professio facta per errorem, dolum aut ignorantiam sit valida. 373
Cap. VI, VII. — An servitus, vel consummatum matrimonium reddat invalidam professionem. 374
Cap. VIII. — An episcopus, vel alius in alta dignitate constitutus possit professionem emittere. 375
Cap. IX. — Quænam sit obligatio filii jam professi ad subveniendum parenti graviter egenti. 376
Cap. X, XI. — De exemptione debitorum, et conditionibus ex parte religionis requisitis ad recte profitendum. 376
Cap. XII. — Quænam forma servanda est, ut professio valide et licite fiat. 377
Cap. XIII, XIV. — Quos effectus habeat valida professio expressa. 378
Cap. XV. — An professionis religiosæ vinculum quatenus humanum contractum includit, possit dissolvi per voluntatem contrahentium. 380
Cap. XVI-XVIII. — An papa et solus papa possit in professione religiosa dispensare. 381
Cap. XIX. — Quot modis fieri possit tacita professio juxta jus antiquum. 383
Cap. XX. — Quibusnam modis fiat professio tacita juxta jus novum concilii Tridentini, et quos habeat effectus. 384
LIBER VII. — DE INVALIDA PROFESSIONE RELIGIOSA. 385
Caput primum. — Quibus modis professio possit esse invalida, et quomodo confirmanda. 385
Cap. II. — An professio invalida habeat aliquos effectus. 387
Cap. III. — An et quomodo liceat statum religiosum dimittere post professionem invalide factam. 388
Cap. IV. — De quinquennio per concilium Tridentinum præscripto. 389
LIBER VIII. — DE PAUPERTATE. 389
Cap. I-III. — An paupertas sit ad salutem necessaria, et an eam vovere sit opus honestum. 389
Cap. IV, V. — De materia remota et proxima voti simplicis paupertatis. 391
Cap. VI. — Quomodo violetur simplex paupertatis votum. 392
Cap. VII. — De tempore quo voti paupertatis solemnitas introduci cœperit. 393
Cap. VIII. — An votum paupertatis, quæ omne dominium a communitate excludit, liceat aut expediat statui religioso. 395
Cap. IX. — Quænam sit inter omnes religionum paupertates præstantissima. 396
Cap. X, XI. — De obligatione et violatione solemnis voti paupertatis. 397
Cap. XII. — De retentione seu possessione alicujus rei contra religiosam paupertatem. 399
Cap. XIII, XIV. — An post solemnem professionem religiosus retineat usum fructum, et habere possit annos redditus. 400
Cap. XV. — De bonorum usu paupertati religiosæ contrario. 401
Cap. XVI. — De testamentis religiosorum. 402
Cap. XVII. — Quam specialem obligationem inducat votum paupertatis, excludens in communi dominium. 403
Cap. XVIII. — An in votum solemne paupertatis cadere possit dispensatio. 404
LIBER IX. — DE VOTO CASTITATIS. 405
Caput primum. — An votum castitatis sit licitum et consulendum. 405
Cap. II, III. — Ad quid obliget simplex castitatis votum. 406
Cap. IV. — An simplex castitatis votum per se et ex natura sua irritum reddat matrimonium subsequens. 407
Cap. V. — Ad quid obliget simplex castitatis votum post contractum matrimonium. 408
Cap. VI. — An simplex castitatis votum dirimat matrimonium ratum. 409
Cap. VII. — An simplex castitatis votum dissolvat sponsalia de futuro. 410
Cap. VIII, IX. — An maritus possit votum castitatis a sua uxore sine suo consensu emissum irritare, et an idem possit uxor respectu mariti; quid si fiat mutuo consensu. 410
Cap. X. — An licentia faciendi votum castitatis ab alterutro conjuge concessa, sit revocabilis. 411
Cap. XI. — An solus papa possit dispensare in simplici voto castitatis. 411
Cap. XII. — De variis dubiis circa reservationem simplicis voti castitatis. 412
Cap. XIII. — An obligatio servandi castitatem sit jure divino annexa sacro ordini. 413
Cap. XIV. — Quando obligari cœperint in Ecclesia episcopi ac presbyteri ad servandam castitatem. 414
Cap. XV. — Quænam sit ac fuerit obligatio servandi castitatem in episcopis et presbyteris Ecclesiæ orientalis. 415
Cap. XVI. — De obligatione servandi castitatem, qua

diaconi et subdiaconi obstringuntur. 416
Cap. XVII. — An obligatio servandi castitatem in clerico sacris initiato proveniat ex voto, an vero ex solo præcepto ecclesiastico. 417
Cap. XVIII. — Quibus modis cælebs sacris initiatus peccet contra votum castitatis, et quas pœnas incurrat. 418
Cap. XIX. — Ad quid obligetur is qui post contractum matrimonium sacris initiatus est, vivente uxore. 419
Cap. XX. — An in votum ordinis sacri possit cadere dispensatio. 420
Cap. XXI. — De vi et antiquitate solemnis voti castitatis religiosæ. 420
Cap. XXII. — An solemne castitatis votum possit dissolvere matrimonium consummatum. 421
Cap. XXIII. — An solemne castitatis religiosæ votum dissolvat matrimonium ratum. 422
Cap. XXIV. — Quando incepit solemne religiosæ castitatis votum dirimere matrimonium ratum. 423
Cap. XXV. — Solutio quorumdam dubiorum circa prædictam materiam. 423
Cap. XXVI. — An dispensatio cadere possit in solemne religiosæ castitatis votum. 424
LIBER X. — DE VOTO OBEDIENTIÆ. 425
Caput primum. — An simplex obedientiæ votum sit honestum, et cadat sub consilium. 425
Cap. II, III. — An simplex obedientiæ votum contineat duplicem promissionem Deo et homini factam, et ad quid obliget. 425
Cap. IV. — De obligatione et transgressione simplicis voti obedientiæ. 426
Cap. V. — An votum religiosæ obedientiæ distinguatur a traditione religiosa. 427
Cap. VI. — Quotuplex sit malitia in transgressione religiosæ obedientiæ. 428
Cap. VII. — An votum obedientiæ obliget ad totius regulæ observationem. 428
Cap. VIII. — An votum obedientiæ religiosæ obliget ad parendum superiori in quavis materia honesta. 429
Cap. IX. — De obedientia evangelica perfectissima. 430
Cap. X. — An ex voto obedientiæ obligetur religiosus perseverare in eodem statu sine transitu ad alium. 431
Cap. XI. — Cuinam parendum sit ex vi voti religiosæ obedientiæ. 432
Cap. XII. — An in solemne obedientiæ votum cadere possit disputatio. 434

TOMUS DECIMUS TERTIUS. — DE RELIGIONIS VIRTUTE ET STATU. 434

TRACTATUS OCTAVUS. — DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS EX REGULA, PRÆLATIONE, SUBJECTIONE PROVENIENTIBUS. 434
LIBER PRIMUS. — DE PROPRIIS RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS QUATENUS SUB REGULA VIVUNT. 434
Cap. I-III. — Quid et quotuplex regula religiosa, et quam obligationem inducat. 434
Cap. IV. — An religiosus sub præcepto teneatur ad non contemnendam regulam. 436
Cap. V. — An teneatur religiosus non dimittere suum habitum. 437
Cap. VI. — An religiosi proprio præcepto teneantur non egredi claustro sine facultate. 438
Cap. VII. — An religiosi prohibeantur admittere externos intra claustrum. 439
Cap. VIII, IX. — De clausura monialium quoad egressum et ejus dispensatione. 439
Cap. X. — De clausura monialium quoad ingressum. 440
Cap. XI. — An sint quædam actiones specialiter religiosis prohibitæ. 442
LIBER II. — DE RELIGIOSIS QUATENUS PRÆLATI SUNT, ET EORUM OBLIGATIONIBUS, UT SIC. 442
Caput primum. — An in statu religioso requiratur prælatus jurisdictionem habens; unde illam habeat. 442
Cap. II. — Quotuplex sit in una religione prælatorum genus, et quem ordinem inter se servent. 443
Cap. III. — De electione supremi prælati in religione, seu generalis; et de conditionibus in eo requisitis. 443
Cap. IV, V. — De conditionibus eligentium generalem, et de forma hujus electionis. 444
Cap. VI. — De electione aliorum prælatorum infra generalem. 445
Cap. VII, VIII. — De duratione prælationis religiosæ, et an prælatus possit obligare subditos in conscientia, et quando. 446
Cap. IX, X. — An prælati religionum habeant tum generatim, tum speciatim, potestatem coercitivam quoad pœnas tam spirituales quam corporales. 447
Cap. XI. — An religiosi possint a sententiis et præceptis suorum superiorum appellare. 448
Cap. XII. — An religionum prælati habeant potestatem dispensandi cum subditis. 449
Cap. XIII. — In quibus religionis prælatis resideat dispensandi potestas. 451
Cap. XIV. — Quasnam personas prælati regulares possint dispensare. 451
Cap. XV. — An prælati regulares habeant potestatem absolvendi suos subditos, tum per se tum per alium, a peccatis non reservatis. 452
Cap. XVI. — An, præter prælatos et eorum delegatos, alii habeant potestatem absolvendi religiosos. 453
Cap. XVII. — An religiosi audire possint confessiones peregrinorum religiosorum alterius religionis ac novitiorum. 45
Cap. XVIII. — Quid circa peccatorum reservationem in religionibus statuerit Clemens VIII. 454
Cap. XIX. — Quis possit absolvere religiosos a peccatis reservatis. 455
Cap. XX, XXI. — An prælati regulares possint absolvere suos subditos a censuris ac pœnis, et a quibusnam. 456
Cap. XXII. — De quibusnam prælatis regularibus intelligatur prædicta potestas absolvendi subditos ab omnibus censuris tam a jure quam ab homine latis. 457
Cap. XXIII. — An etiam in dictis casibus possint interdum episcopi absolvere religiosos. 457
Cap. XXIV, XXV. — Ad quas personas absolvendas extendantur hæc privilegia. 458
Cap. XXVI. — De potestate prælatorum regularium circa bonorum temporalium administrationem juxta jus antiquum. 459
Cap. XXVII. — De potestate prædictæ administrationis bonorum immobilium juxta posterius jus canonicum. 460
Cap. XXVIII. — De prædicta bonorum administratione juxta specialia religionum, ac maxime societatis Jesu indulta. 460
Cap. XXIX. — Quam potestatem habeant prælati regulares ad conferendos ordines. 460
Cap. XXX. — De potestate prælatorum regularium ad benedicendum res, vel vestimenta sacra. 461
LIBER III. — DE RELIGIOSIS RELIGIONEM TUM DESERENTIBUS, TUM MUTANTIBUS. 461
Cap. I, II. — Quando religiosus sit censendus apostata, et quas pœnas incurrat. 461
Cap. III. — De culpa, obligatione ac pœna cooperantium alicujus apostasiæ. 464
Cap. IV. — An religiosus professus juste possit e religione expelli. 464
Cap. V. — An et quomodo professus e religione ejectus teneatur ad eam redire. 465
Cap. VI. — Ad quid obligetur religiosus ejectus licite et libere in sæculo permanens. 466
Cap. VII. — De licita religiosi vita extra monasterium. 467
Cap. VIII, IX. — An liceat professo transire propria auctoritate a sua religione ad aliam. 467
Cap. X. — Quomodo ex vi juris communis liceat transire ab una religione ad aliam arctiorem. 467
Cap. XI. — An ex vi juris communis liceat transire ab una religione ad aliam æqualem, vel minus strictam. 468
Cap. XII. — An, spectato speciali religionum jure seu indultis, sit licitus transitus ad aliam religionem. 468
Cap. XIII. — An religiosus legitime transiens ad aliam religionem, possit secum aliquod peculium transferre. 469
Cap. XIV. — An, cum religioso transeunte, transeant etiam bona immobilia vel pretiosa mobilia, quæ forte ratione illius pertinebant ad priorem religionem. 470
Cap. XV. — An cum religioso translato, transferantur prærogativæ, quibus in priore religione fruebatur. 471
Cap. XVI, XVII. — Ad quid teneatur religiosus factus episcopus circa votum castitatis, paupertatis et obedientiæ. 471
Cap. XVIII. — An episcopus regularis gaudeat suæ religionis gratiis ac privilegiis, quid de cardinali regulari. 473
Cap. XIX. — An religiosus professus possit ad beneficium, aut ad dignitatem episcopali inferiorem transire. 473

TRACTATUS NONUS. — DE VARIETATE RELIGIONUM. 475
LIBER I. — DE VARIETATE RELIGIONUM IN GENERE. 475
Cap. I, II. — An religionum varietas expediat, et an bene dividatur religio in solitariam et cœnobiticam. 475
Cap. III, IV. — De religiosis militaribus conjugatis. 475
Cap. V, VI. — An religio bene dividatur in contemplativam et activam; et utra sit perfectior. 476
Cap. VII. — An religio recte dividatur in monachalem et clericalem. 477
Cap. VIII. — An religio etiam recte dividatur in mendicantem et pure monachalem. 477
Cap. IX. — Quot sunt ordines clericorum regularium. 477
Cap. X. — De religionibus monialium. 478
Cap. XI. — De monialium novitiatu ac professione cum veli cæremonia. 478
LIBER II. — DE VARIETATE RELIGIONUM IN SPECIE. 479
Caput primum. — De religionibus monachorum Orientis, ac maxime sancti Basilii. 479
Cap. II. — De institutione et progressu religionis sancti Benedicti. 479
Cap. III, IV. — De Cluniacensi, Cisterciensi, Camaldulensi et Carthusiensi ordine. 480
Cap. V, VI. — De ordine Grandimontensi, Præmonstratensi, sancti Hieronymi et Prædicatorum. 481
Cap. VII. — De ordine Minorum. 481
Cap. VIII, IX. — De ordine Eremitarum sancti Augustini. 482
Cap. X. — De Carmelitarum ordine. 483
TRACTATUS DECIMUS. — DE RELIGIONE SOCIETATIS JESU. 483
LIBER. I. — DE INSTITUTO SOCIETATIS JESU. 483
Caput primum. — An Societas Jesu sit vera religio, et cur eo nomine insignita sit. 483
Cap. II, III. — Quis sit finis hujus religionis, et quæ media adhibeat ad eum assequendum. 483
Cap. IV, V. — De institutione et approbatione Societatis Jesu, ejusque qualitate. 485
Cap. VI, VII. — De vita mista et perfectione Societatis Jesu. 485
Cap. VIII. — An convenienter in Societate relinquatur usus chori, et cantus ecclesiastici. 486
Cap. IX. — An societatis regula sit arcta. 486
LIBER II. — DE INGRESSU ET PROBATIONE SOCIETATIS JESU. 487
Cap. I, II. — De impedimentis substantialiter impedientibus Societatis ingressum. 487
Cap. III. — Quæ conditiones servandæ sint, ut convenienter aliquis in Societatem recipiatur. 488
Cap. IV. — An recte et necessario requiratur biennium novitiatus in societate. 489
Cap. V. — De experimentis novitiatus. 490
LIBER III. — DE ADMISSIONE SCHOLARIUM IN SOCIETATEM PER VOTA SIMPLICIA, EORUMQUE DIMISSIONE. 490
Cap. I, II. — An sit licitus et sanctus receptionis modus, quo scholastici in Societatem admittuntur. 490
Cap. III, IV. — An hæc scholarium admissio in Societatem eos constituat veros religiosos. 492
Cap. V, VI. — Conditiones ex parte voventis requisitæ, ut hæc scholarium vota valide fiant, et an id dici posset professio. 493
Cap. VII, VIII. — Conditiones ex parte religionis requisitæ ut scholarium vota valide fiant. 493
Cap. IX. — Quibus modis possint vota scholarium Societatis dissolvi. 494
LIBER IV. — DE SIMPLICIBUS CASTITATIS, PAUPERTATIS ET OBEDIENTIÆ VOTIS, QUÆ IN SOCIETATE JESU EMITTUNTUR. 495
Cap. I, II. — An votum castitatis scholarium Societatis dirimat subsequens matrimonium, ac præcedens ratum. 495
Cap. III. — Quibus mediis juvet Societas subditos ad servandum castitatis votum. 496
Cap. IV. — An religiosæ paupertatis votum scholarium Societatis Jesu reddat eos dominii incapaces. 497
Cap. V, VI. — De facienda a scholaribus suorum bonorum distributione juxta regulam et votum. 497
Cap. VII. — De variis paupertatis observantiis in Societate juxta regulam. 498
Cap. VIII. — Ad quem paupertatis usum obligentur fidem religiosi ex vi voti. 499
Cap. IX, X. — De paupertate domuum professarum Societatis propria. 499
Cap. XI. — De paupertate collegiorum et domuum probationis Societatis. 500
Cap. XII. — An ex voto obedientiæ possint obligari religiosi Societatis in quacunque materia honesta, 501
Cap. XIII-XV. — De perfectionibus obedientiæ in Societate ad consilium, non ad necessitatem præcepti, pertinentibus. 502
Cap. XVI, XVII. — De permissione ingrediendi Societatem quam scholares approbati faciunt, simul cum tribus votis substantialibus. 503
LIBER V. — DE SCHOLASTICIS AC STUDIIS SOCIETATIS JESU TAM DOMESTICIS QUAM EXTERNIS. 503
Caput primum. — An rite in Societate designetur aliquis religiosorum gradus ad litteras perdiscendas. 503
Cap. II, III. — An litterarum humaniorum et linguarum philosophiæque studia religiosis Societatis conveniant, et rite instituta sint. 505
Cap. IV, V. — De publicis Societatis scholis, et suscepta puerorum instructione. 505
Cap. VI. — De convenientibus subsidiis quibus Societas utitur ad externorum scholarium institutionem. 506
LIBER VI. — DE PROFESSIONE QUÆ IN SOCIETATE JESU FIT, AC DE IIS QUÆ ILLAM ANTECEDUNT ET CONSEQUUNTUR. 507
Caput primum. — An professio in Societate convenienter per longum tempus differatur. 507
Cap. II, III. — De tertio probationis anno ante professionem, et de voto obedientiæ circa puerorum instructionem. 507
Cap. IV. — De voto obedientiæ erga summum pontificem quod professi Societatis emittunt circa missiones. 508
Cap. V. — De modo emittendi professionem in Societate. 509
Cap. VI. — De voto simplici non relaxandi paupertatem quæ in Societate vovetur. 510
Cap. VII, VIII. — De voto non ambiendi dignitates, quod Societatis professi emittunt. 510
Cap. IX. — De voto quod professi emittunt, audiendi consilia generalis, si fiant episcopi. 511
Cap. X. — De alio voto quod professi Societatis emittunt manifestandi procurantes dignitatem. 512
Cap. XI. — Cur hæc supradicta vota simplicia sint et non solemnia. 514
LIBER VII. — DE PROFESSIS TRIUM VOTORUM ET COADJUTORIBUS FORMATIS SOCIETATIS. 514
Caput primum. — De professis trium votorum. 514
Cap. II. — De coadjutoribus spiritualibus Societatis. 515
Cap. III, IV. — De coadjutoribus spiritualibus Societatis et variis Societatis gradibus. 516
LIBER VIII. — DE MEDIIS QUIBUS SOCIETAS AD PROPRIAM PERFECTIONEM ACQUIRENDAM UTITUR. 516
Cap. I, II. — De oratione mentali et vocali in Societate. 516
Cap. III, IV. — De missæ sacrificio, communione et confessione. 517
Cap. V. — De peccatorum reservatione quæ in Societate datur. 518
Cap. VI-VIII. — De perfectione divinæ charitatis, et fraterna charitate in Societate. 518
Cap. IX. — De mediis quibus Societas utitur ad acquirendas virtutes solidas. 519
LIBER IX. — DE MINISTERIIS SEU MEDIIS QUIBUS IN PROXIMORUM SALUTEM UTITUR SOCIETAS. 519
Caput primum. — De ministerio prædicandi verbum Dei. 519
Cap. II. — De administratione sacramenti pœnitentiæ. 521
Cap. III. — De administratione sacramenti Eucharistiæ. 522
Cap. IV. — De administratione aliorum sacramentorum. 523
Cap. V. — De quidditate et doctrina exercitiorum spiritualium, quibus Societas utitur ad juvandos proximos. 524
Cap. VI, VII. — De arte et prudenti methodo dictorum exercitionum. 525
Cap. VIII. — De familiari conversatione, qua utuntur Societatis religiosi cum proximo ad eum juvandum. 526
Cap. IX. — De cura peculiari quam adhibet Societas adjuvandis graviter infirmis et moribundis. 526
LIBER X. — DE SOCIETATIS REGIMINE ET EJUS PRÆLATIS. 527

Caput primum. — De monarchico Societatis regimine. 527
Cap. II, III. — An expediat generalis officium esse perpetuum; et an reliqui superiores in Societate rite constituantur. 527
Cap. IV. — De suprema jurisdictionis potestate in Societate. 528
Cap. V. — De potestate ac jurisdictione prælatorum Societatis sub generali constitutorum. 529
Cap. VI. — De reddenda conscientiæ ratione. 530
Cap. VII-X. — De evangelica seu paterna denuntiatione, quæ fit in Societate. 530
Cap. XI, XII. — De triplici modo procedendi in externo judicio contra subditorum delicta. 533
Cap. XIII. — Quæ forma judicii in Societate servetur. 534
Cap. XIV. — De regulis et regimine Societatis. 535
LIBER XI. — DE PROFESSORUM SOCIETATIS DIMISSIONE. 537
Caput primum. — An professus Societatis possit ab ea expelli, et quas ob causas. 537
Cap. II. — An possit professus Societatis ad aliam transmitti religionem, et quomodo. 537
Cap. III. — Ad quid obligetur professus e Societate ejectus, aut ab illa translatus. 538

TOMUS DECIMUS QUARTUS. — DE INCARNATIONE. 539

PARS PRIMA. — DE MYSTERIO INCARNATIONIS SECUNDUM SE SPECTATO. 539
Disputatio prima. — Demonstratur contra Judæos Messiam jam venisse ex variis Scripturæ testimoniis. 539
Sect. I. — Primum testimonium. 539
Sect. II. — Secundum testimonium. 540
Sect. III. — Tertium testimonium. 541
Disputatio secunda. — Demonstratur contra hæreticos et Judæos Christum esse verum hominem ac verum Deum. 542
Disputatio tertia. — De exsistentia incarnationis, ejusque convenientia. 543
Sectio I. — An possit ratione probari incarnationem esse probabilem. 543
Sect. II. — An possit efficaciter ostendi contra infideles incarnationem esse factam. 544
Disputatio quarta. — De convenientia et necessitate incarnationis ad hominis lapsi reparationem. 545
Sect. I. — An necessarium vel conveniens fuerit Deo hominem lapsum reparare. 545
Sect. II. — An ad reparandum genus humanum, necessarium vel conveniens fuerit Deum fieri hominem. 545
Sect. III. — An Christi opera fuerint sufficientis valoris ad condigne satisfaciendum pro peccatis hominum. 546
Sect. IV. — An opera Christi fuerint infiniti valoris et efficaciæ ad satisfaciendum. 547
Sect. V. — An in Christi satisfactione intercesserit vera ac propria justitia. 551
Sect. VI. — An in Christi satisfactione servatæ fuerint omnes perfectæ justitiæ conditiones. 552
Sect. VII. — An purus homo potuerit esse sufficiens ad redimendos alios homines ex perfecta justitia. 553
Sect. VIII. — An homo purus possit ita Deo satisfacere pro sua culpa mortali, ut per actum perfectæ contritionis seu dilectionis Dei super omnia, seipsum sanctificet, et formaliter a se peccatum expellat sine alia Dei acceptatione et remissione. 554
Sect. IX, X. — An homo purus possit ad æqualitatem Deo satisfacere pro suo peccato mortali, aut saltem imperfecte. 555
Sect. XI. — An purus homo possit pro veniali suo peccato perfecte Deo satisfacere. 556
Sect. XII. — An purus homo possit ut membrum Christi, satisfacere Deo ex justitia pro suo peccato. 557
Disputatio quinta. — De primaria incarnationis causa. 557
Sect. I. — De prioritate et posterioritate rationis in actibus divinis. 557
Sect. II. — An voluntas incarnationis in Deo præcesserit originalis peccati præscientiam, an vero subsecuta fuerit. 558
Sect. III. — An in primo signo rationis, in quo Christus prædestinatus est homo Deus, sit etiam prædestinatus redemptor hominum per passionem et mortem suam. 560
Sect. IV. — Quamnam primam rationem seu motivum habuerit Deus incarnationis prædefiniendæ. 560
Sect. V. — An ex primaria Christi prædestinatione futura esset Verbi incarnatio, etiamsi homo non peccasset. 561
Sect. VI. — An Christus principalius venerit ad redimendos homines ab originali peccato, ita ut, illo deficiente, non fuisset venturus Redemptor. 562
Disputatio sexta — De tempore quo facta est incarnatio, ejusque convenientia. 563
Sect. I. — Quo tempore facta est incarnatio. 563
Sect. II. — An convenienti tempore facta sit incarnatio. 563
Disputatio septima. — De termino incarnationis, qui per illam producitur seu resultat. 564
Sect. I. — An terminus resultans seu productus per incarnationem sit aliqua substantia. 564
Sect. II. — An hujus unionis terminus fuerit aliqua substantialis natura. 564
Sect. III, IV. — An hujus unionis terminus sit aliqua persona, ita ut incarnatio facta sit in persona, et an hæc persona sit simplex, vel composita. 565
Sect. V. — An terminus prædictæ unionis sit aliquid creatum, an vero increatum. 567
Disputatio octava. — Quid sit incarnatio. 568
Sect. I. — An incarnatio sit actio uniens tantum humanitatem cum Verbo, an vero sit etiam producens ipsam humanitatem in rerum natura. 568
Sect. II. — An incarnatio sit ex natura humana, et ex persona Verbi unio substantialis. 569
Sect. III. — Quid per hanc uniendi actionem fiat in humanitate aut in Verbo. 569
Sect. IV. — Solvuntur variæ difficultates circa hoc incarnationis mysterium. 570
Disputatio nona. — De excellentia et perfectione unionis hypostaticæ. 571
Sect. I, II. — An hæc unio sit omnium maxima, tam in ratione unionis quam in genere entis, seu doni divini. 571
Disputatio decima. — De incarnationis causis, præsertim de meritoria. 572
Sect. I. — Quænam sit causa efficiens hujus mysterii. 572
Sect. II. — An fuerit aliqua hujus unionis causa in genere causæ dispositivæ. 573
Sect. III. — An humanitas Christi potuerit suam unionem ad Verbum mereri. 574
Sect. IV. — An Christus potuerit mereri suam incarnationem. 575
Sect. V, VI. — An homines justi, qui Christum præcesserunt, potuerint mereri de condigno, aut saltem de congruo ejus incarnationem, vel ipsius accelerationem. 576
Sect. VII, VIII. — An B. Virgo de condigno, aut saltem de congruo meruerit esse matrem Dei. 578
Disputatio undecima. — De divina exsistentia et subsistentia. 579
Sect. I, II. — An in Deo sit unum absolutum esse exsistentiæ, et an sit triplex relativum. 579
Sect. III. — An in Deo sit subsistentia absoluta et essentialis. 580
Sect. IV. — An sint in Deo tres substantiæ relativæ. 580
Sect. V. — An, abstractis per intellectum relativis substantiis, intelligatur relinqui tantum hæc deitas, an vero etiam hic Deus. 581
Disputatio duodecima. — De persona assumente et unita humanitati per factam incarnationem. 581
Sect. I. — An sola persona Filii fuerit incarnata, et humanitatem assumpserit. 581
Sect. II. — An Verbum terminaverit hanc unionem ratione proprietatis absolutæ, vel relativæ. 582
Disputatio decima tertia. — De termino assumptionis ex parte personæ assumentis, in quavis possibili incarnatione. 583
Sect. I. — An hic Deus, prout abstrahit a personis divinis, possit creatam naturam assumere 583
Sect. II, III. — An plures personæ divinæ possint simul assumere eamdem naturam terminando illam immediate per subsistentias relativas, et contra, an una persona possit assumere plures naturas. 584
Sect. IV. — An persona creata possit hypostatice uniri alteri naturæ creatæ. 585
Disputatio decima quarta. — Quid potuerit a Deo assumi per quamcunque possibilem unionem hypostaticam. 585
Sect. I. — An natura exsistens in propria persona potuerit assumi. 585
Sect. II. — An alia natura substantialis, quam humana, possit assumi a persona divina. 586
Sect. III, IV. — An partes substantiales et accidentales possint hypostatice uniri divinæ personæ. 588
Disputatio decima quinta. — Quid Verbum assumpserit

per incarnationem prout facta est. 588
Sect. I-IV. — An Verbum assumpserit veram hominis naturam, veram animam rationalem, verum corpus humanum, animam et corpus inter se unita. 588
Sect. V-VIII. — An Christus assumpserit omnes humani corporis partes integrales, an assumpserit immediate et secundum hypostasim sanguinem, aliosque humores ac partes ad subsistendum in sua persona. 590
Disputatio decima sexta. — De ordine assumptionis secundum realem temporis successionem. 592
Sect. I-III. — An caro aut anima Christi prius tempore exstiterit quam hypostatice Verbo uniretur. 592
Disputatio decima septima. — De naturæ ordine in hac assumptione servato. 593
Sect. I, II. An anima Christi prius natura fuerit unita Verbo, quam corpori, et corpus prius unitum Verbo, quam animæ. 593
Sect. III, IV. — An corpus prius natura sit unitum cum Verbo, quam anima, vel contra. 593
Sect. V, VI. — An tota humanitas prius natura assumpta sit, quam ejus partes et accidentia. 594
Disputatio decima octava. — De gratia sanctificante, seu justitia creata animæ Christi. 595
Sect. I. — An anima Christi ad suam sanctificationem et justificationem egerit gratia creata sanctificante. 595
Sect. II, III. — An, quando et quomodo data sit animæ Christi gratia habitualis. 596
Sect. IV. — An præter gratiam habitualem aliqua actualis gratia fuerit animæ Christi necessaria. 598
Disputatio decima nona. — De moralibus animæ Christi virtutibus. 598
Sect. I, II. — An omnes virtutes morales et supernaturales fuerint infusæ animæ Christi simul cum gratia. 598
Disputatio vicesima. — De donis Spiritus sancti, animæ Christi collatis. 599
Sect. I, II. — An dona Spiritus sancti tum ad intellectum, tum ad voluntatem pertinentia in Christo fuerint. 599
Disputatio vicesima prima. — De gratiis gratis datis animæ Christi. 599
Sect. I, II. — An donum prophetiæ, aliæque gratiæ gratis datæ in Christo exstiterint. 599
Disputatio vicesima secunda. — De accidentali perfectione habitualis gratiæ Christi. 600
Sect. I. — An habitualis gratia Christi fuerit infinita. 600
Sect. II. — An Christi gratia habitualis tam perfecta et intensa fuerit, ut non potuerit esse intensior. 601
Disputatio vicesima tertia. — De dignitate et gratia capitis, quæ est in Christo. 602
Sect. I. — An Christus sit totius mundi caput, præsertim hominum et angelorum. 602
Sect. II. — Quænam fuerit in Christo gratia capitis. 603
Disputatio vicesima quarta. — De intellectu creato animæ Christi, ejusque actibus. 603
Sect. I, II. — An in Christo fuerit intellectus creatus, et actus intelligendi creatus, et ex quo tempore. 603
Sect. III, IV. — An omnis actus intelligendi animæ Christi fuerit verus et evidens, an in ea fuerint habitus intellectuales. 604
Disputatio vicesima quinta. — De triplici animæ Christi scientia. 606
Sect. I-III. — An sit in anima Christi scientia beata, naturalis, infusa. 606
Disputatio vicesima sexta. — De perfectione beatæ scientiæ, quam habet scientia Christi. 607
Sect. I. — Quid sit intellectualis comprehensio alicujus objecti, præsertim divinæ essentiæ. 607
Sect. II. — An anima Christi non comprehendat divinam essentiam. 608
Sect. III. — An anima Christi videat in Verbo omnia possibilia, quæ in Deo eminenter continentur. 608
Sect. IV. — An anima Christi videat in Verbo omnia, quæ Deus videt per scientiam visionis; ideoque infinita. 610
Disputatio vicesima septima. — De materiali scientiæ per se infusæ animæ Christi objecto. 611
Sect. I. — An anima Christi per hanc scientiam infusam cognoscat res ad ordinem naturæ pertinentes. 611
Sect. II, III. — An anima Christi per scientiam infusam cognoverit actus liberos, futura contingentia et mysteria gratiæ. 611
Sect. IV, V. — An anima Christi per scientiam infusam cognoscat omnes creaturas possibiles ac Deum ut unum et trinum. 612
Disputatio vicesima octava. — De actibus scientiæ infusæ animæ Christi. 613
Sect. I, II. — An anima Christi semper fuerit in actu secundo hujus scientiæ; et an iste actus fuerit per modum simplicis intelligentiæ, an vero per modum discursus. 613
Disputatio vicesima nona. — De habitu scientiæ infusæ animæ Christi. 614
Sect. I. — An species per se infusæ in anima Christi fuerint universaliores angelicis. 614
Sect. II, III. — An præter species intelligibiles requiratur in hac scientia habitus infusus seu lumen, et an sit unum tantum. 614
Sect. IV. — An lumen hujus scientiæ infusum, sit distinctum a lumine gloriæ. 615
Disputatio tricesima. — De perfectione scientiæ acquisitæ animæ Christi. 616
Sect. I, II. — Quid Christus per hanc scientiam cognoverit, et quando eam habere inceperit. 616
Disputatio tricesima prima. — De gratia seu potestate animæ Christi data ad miracula et supernaturalia opera patranda. 617
Sect. I, II. — An tota Dei omnipotentia sit humanitati Christi communicata, an ei data sit virtus ad facienda opera supernaturalia et miraculosa. 617
Sect. III. — An hæc miraculorum potestas sit physice effectiva gratiæ et supernaturalium operum. 618
Sect. IV. — An virtus patrandi miracula sit data humanitati ut causæ principali, an vero ut instrumentali. 619
Sect. V. — Quid sit in humanitate Christi hæc virtus, per quam ut instrumentum Verbi miraculose operatur. 620
Sect. VI. — An et quomodo in rebus creatis sit aliqua vis activa obedientialis, ut eleventur in Dei instrumenta. 621
Sect. VII, VIII. — An virtus miraculorum Christi se extendat ad effectus loco aut tempore distantes. 623
Sect. IX. — An humanitas Christi possit sine prævia actione miracula patrare, adeoque esse instrumentum creationis et annihilationis. 624
Disputatio tricesima secunda. — De defectibus et perfectionibus corporis Christi. 625
Sect. I, II. — An Verbum assumpserit omnes tum defectus tum perfectiones corpori humano connaturales. 625
Sect. III. — An prædicti defectus fuerint in Christo voluntarii. 626
Sect. IV. — An Christus assumpserit localem sui corporis circumscriptionem et mutationem. 626
Disputatio tricesima tertia. — De contrariis gratiæ ac virtutis defectibus a Christo assumptis. 627
Sect. I, II. — An Christus nec de potentia ordinaria, nec de absoluta potuit peccatum committere. 627
Disputatio tricesima quarta. — De appetitu sensitivo animæ Christi ejusque actibus. 629
Sect. I, II. — An in Christo fuerit appetitus sensitivus, ejusque actus; et an in eo fuerit fomes peccati. 629
Sect. III. — An omnes actus seu passiones appetitus sensitivi in Christo fuerint. 630
Disputatio tricesima quinta. — De communicatione idiomatum. 631
Sect. I. — Quæ et qualis idiomatum communicatio ex hoc incarnationis mysterio consecuta sit. 631
Sect. II. — An hæc communicatio idiomatum fieri possit tantum in concreto, an vero etiam interdum in abstracto. 631
Sect. III, IV. — Quomodo divina attributa de homine Christo, et contra quomodo humanæ proprietates de Deo Christo prædicentur in concreto. 632
Disputatio tricesima sexta. — De *Esse* exsistentiæ Christi, ejusque humanitatis. 633
Sect. I. — An humanitas Christi formaliter et intrinsece exsistat in rerum natura per exsistentiam increatam; an vero per creatam et propriam. 633
Sect. II. — An Christus simpliciter dicendus sit habere unum, an vero plura *esse*. 636
Disputatio tricesima septima. — De humana Christi voluntate, ejusque libertate. 636
Sect. I, II. — An in Christo fuerit voluntas humana, et libera ad operandum. 636
Sect. III. — Quomodo voluntas ratione unionis, exsistens impeccabilis, potuerit esse libera. 637
Sect. IV. — Quomodo voluntas Christi necessario amans Deum, potuerit esse libera in reliquis actibus. 638
Sect. V. — Quomodo Christus videns semper in Verbo omnes actus suos, eos libere exercere potuerit. 639
Disputatio tricesima octava. — De varietate et efficacia actuum voluntatis Christi. 639

Sect. I-III. — An in Christi humana voluntate fuerint omnes actus honesti qui solent esse in aliorum hominum voluntatibus. 639
Sect. IV, V. — An humana Christi voluntas semper fuerit conformis divinæ, et impleta. 640
Disputatio tricesima nona. — De merito Christi secundum se et absolute spectato. 641
Sect. I. — An in Christo fuerint omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ. 641
Sect. II. — Per quos actus Christus meruerit. 642
Sect. III.—Quo tempore Christus meruerit. 643
Disputatio quadragesima. — De iis quæ sibi Christus promeruerit. 644
Sect. I, II. — An Christus potuerit mereri, ac de facto meruerit animæ suæ gloriam, aliquaque gratiæ et scientiæ dona. 644
Sect. III. — An Christus meruerit gloriam corporis sui nominisque sui exaltationem. 645
Disputatio quadragesima prima. — De iis quæ Christus hominibus meruit. 646
Sect. I.—An Christus nobis meruerit primam gratiam, ac gloriam, ac peccatorum remissionem. 646
Sect. II. — An Christus nobis meruerit dispositiones ad gratiam recipiendam, sive suorum meritorum applicationem. 647
Sect. III. — An Christus nobis meruerit omnia gratiæ dona, quæ post primam justificationem conferantur. 648
Sect. IV.—An Christus meruerit hominum prædestinationem et electionem. 649
Disputatio quadragesima secunda.—De iis quæ Christus angelis meruit. 651
Sect. I.—An Christus meruerit angelis omnia gratiæ et gloriæ dona. 651
Sect. II. — An Christus angelos redemerit, et pro illis mortuus sit. 652
Disputatio quadragesima tertia.—De obedientia Christi, et præceptis quorum est capax. 653
Sect. I, II. — An Christus fuerit capax præcepti cui foret subjectus, et quibus legibus fuerit subjectus. 653
Sect. III, IV. — An Christus acceperit speciale præceptum, et an possit dici simpliciter subjectus Patri. 654
Disputatio quadragesima quarta.—De Christi servitute. 654
Sect. I. — An Christus quatenus homo vere et proprie dici possit et sit servus Dei. 654
Sect. II. — An Christus possit tantum dici servus cum addito, *quatenus homo;* an etiam sine illo addito. 656
Disputatio quadragesima quinta.—De Christi oratione in via et in patria. 656
Sect. I, II. — An Christus in statu viæ vere et proprie oraverit, et nunc in statu beatitudinis adhuc oret. 656
Disputatio quadragesima sexta. — De summo Christi sacerdotio et pontificatu. 658
Sect. I, II. — An Christus vere fuerit sacerdos, et an quatenus homo, an vero quatenus Deus. 658
Sect. III. — An Christi sacerdotium fuerit ejusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ, veteris et novæ. 659
Sect. IV.—An Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 660
Disputatio quadragesima septima. — De excellenti potestate Christi sacerdotii, et de spirituali ejus regno. 661
Sect. I, II. — An Christus habuerit potestatem excellentiæ, et ferendi leges. 661
Disputatio quadragesima octava. — De temporali Christi regno. 662
Sect. I, II. — An Christus hæreditario jure temporale Judæorum regnum tenuerit, et directum dominium in universum orbem habuerit. 662
Disputatio quadragesima nona. — De filiatione Christi in ordine ad Deum. 663
Sect. I. — An Christus quatenus homo, vere ac proprie possit dici Filius Dei. 663
Sect. II. — An Christus quatenus homo, sit Filius Dei naturalis, an vero adoptivus. 664
Sect III. — Quomodo certum sit Christum quatenus hominem non esse Filium Dei adoptivum, seu naturalem. 666
Sect. IV. — An Christi humanitas possit dici adoptiva. 666
Disputatio quinquagesima. — De modo loquendi circa prædestinationem Christi. 667
Sect. I, II. — An simpliciter verum sit, Christum vel Filium Dei ab æterno esse prædestinatum, et an Christus prædestinatus sit, ut sit Filius Dei naturalis. 667
Sect. III, IV. — De aliis modis loquendi circa Christi et ejus humanitatis prædestinationem. 668
Disputatio quinquagesima prima. — De adoratione Christo ut Deo debita. 669
Sect. I, II. — Quid sit adoratio, et an in sola exteriori ac corporali actione consistat. 669
Sect. III. — Quotuplex sit adoratio. 670
Sect. IV. — Quomodo Christus ut Deus sit adorandus. 671
Disputatio quinquagesima secunda. — De adoratione sanctis hominibus vel angelis exhibenda. 671
Sect. I. — An beati homines et angeli sint adorandi. 671
Sect. II, III. — Quænam adoratio sanctis tribuenda sit, et an illa ad religionem pertineat. 672
Disputatio quinquagesima tertia. — De adoratione debita Christo et ejus humanitati. 673
Sect. I, II. — An Christus Deus homo adorandus sit perfecta latriæ adoratione; an etiam quatenus homo. 673
Sect. III. — An Christi humanitas a Verbo præcisa possit adorari, et qua adoratione. 674
Disputatio quinquagesima quarta. — De usu et adoratione imaginum. 675
Sect. I. — An liceat et expediat Ecclesiæ uti Christi et sanctorum hominum imaginibus. 675
Sect. II. — An liceat uti Dei et angelorum imaginibus. 676
Sect. III. — An imagines Christi et sanctorum sint adorandæ. 677
Sect. IV. — An imagines eadem adoratione qua prototypi adorari possint. 678
Sect. V. — An imago possit adorari, non adorato directe prototypo. 679
Sect. VI. — An hæc adoratio imaginum locum habeat in Dei imaginibus. 682
Sect. VII, VIII. — An adoratio sit de præcepto, et quomodo differat ab idolorum cultu. 682
Disputatio quinquagesima quinta. — De cultu et veneratione reliquiarum. 683
Sect. I. — An reliquiæ sanctorum in veneratione et honore habendæ sint. 683
Sect. II. — Quænam adoratio reliquiis sanctorum tribuenda sit. 684
Disputatio quinquagesima sexta. — De usu et adoratione crucis. 685
Quæstionis vicesimæ sextæ D Thomæ commentarius brevis de Christo mediatore. 686

TOMUS DECIMUS QUINTUS. — DE INCARNATIONE. 687

PARS SECUNDA.— DE MYSTERIIS VITÆ CHRISTI, ET UTROQUE EJUS ADVENTU. 687
Disputatio prima. — De matris Dei dignitate in communi. 687
Sect. I. — An B. Virgo vere ac proprie fuerit mater Dei et hominis. 687
Sect. II, III. — Quanta sit hæc Matris Dei dignitas, et quomodo B. Virgo ad eam fuerit prædestinata. 688
Disputatio secunda. — De naturali B. Virginis perfectione et origine. 690
Sect. I-III. — De naturali B. Virginis conceptione ac perfectione, et de ejus parentibus. 690
Disputatio tertia. — De tempore quo primum B. Virgo sanctificata fuit. 691
Sect. I, II. — An B. Virgo in utero matris fuerit sanctificata, et an in Adam peccaverit. 691
Sect. III, IV.—An B. Virgo potuerit ante animationem, an vero tantum in ipso conceptionis momento sanctificari. 692
Sect. V. — An B. Virgo fuerit ab originali peccato præservata, et in primo suæ conceptionis instanti sanctificata. 693
Sect. VI. — Qua certitudine tenendum sit B. Virginem fuisse sine peccato conceptam. 695
Disputatio quarta. — De perfectione primæ sanctificationis B. Virginis. 696
Sect. I. — An B. Virgo in prima sanctificatione acceperit gratiam consummatam, aut in quo perfectionis gradu. 696
Sect. II, III. — An B. Virgo in prima sanctificatione acceperit omnes virtutum et donorum habitus, ac gratiæ perseverantiam. 696
Sect. IV. — An B. Virgo in prima sanctificatione ita fuerit in bono confirmata, ut ne veniaiiter quidem peccare potuerit. 697
Sect. V, VI. — An B. Virgo in prima sanctificatione fomitem peccati originalis exstinctum habuerit, et justitiam originalem acceperit. 698
Sect. VII, VIII. — An B. Virgo habuerit usum rationis ab initio suæ conceptionis, et sanctificata fuerit per pro-

priam dispositionem. 699
Disputatio quinta. — De corporali Deiparæ virginitate. 699
Sect. I, II. — An B. Virgo Christum concipiendo aut pariendo virginitatem seu corporis integritatem amiserit. 699
Sect. III, IV. — An B. Virgo post partum semper virginitatem servaverit, et quomodo Christus dicitur habuisse fratres. 701
Disputatio sexta. — De virginitate Mariæ, quoad animi virtutem. 703
Sect. I, II. — An B. Virgo habuerit semper servandæ virginitatis votum, et an illud voto firmaverit, ac quonam tempore. 703
Sect. III. — An B. Virgo prima fuerit in vovenda virginitate. 704
Disputatio septima. — De B. Virginis matrimonio cum sponso suo Josepho. 704
Sect. I. — An inter B. Virginem et Josephum verum intercesserit matrimonium. 704
Sect. II, III. — Quo tempore et in qua ætate Maria et Joseph inierint inter se matrimonium. 705
Disputatio octava. — De Josepho B. Virginis sponso. 706
Sect. I. — De sancti Josephi dignitate. 706
Sect. II. — Ecquam sanctitatis perfectionem assecutus sit sanctus Joseph. 706
Disputatio nona. — De modo et circumstantiis annuntiationis angelicæ. 707
Sect. I-III. — De Gabriele angelo, de visibili ejus specie, et de B. Virginis perturbatione. 707
Sect. IV, V. — De tempore et loco Christi conceptionis. 708
Disputatio decima. — De causa efficiente ac ministrante materiam conceptionis Christi. 708
Sect. I, II. — Quomodo B. Virgo materiam, ex qua conceptus fuit Christus, ministraverit, et quæ ejus causa efficiens. 708
Sect. III. — An de potentia Dei absoluta potuerit B. Virgo concipere viri opera Christum Deum hominem. 708
Disputatio undecima. — De instanti quo Christi conceptio ex Virgine concepta est. 709
Sect. I, II. — An conceptio Christi potuerit fieri in instanti, et an revera sic facta sit. 709
Disputatio duodecima. — De relationibus ex Christi nativitate consequentibus inter eum et B. Virginem. 710
Sect. I. — An in B. Virgine sit relatio realis matris ad filium. 710
Sect. II. — An in Christo sit relatio realis et creata filii ad matrem. 711
Sect. III. — An perseverent nunc in Christo et Virgine relationes filii et matris. 712
Disputatio decima tertia. — De temporali Christi nativitate. 712
Sect. I, II. — An vere Christus natus fuerit ex B. Virgine, et sine matris dolore, ac puerperii immunditia. 712
Sect. III. — Quo in loco natus sit Christus. 713
Sect. IV. — Quo tempore Christi nativitas acciderit. 714
Disputatio decima quarta. — De prodigiis in Christi nativitate factis. 714
Sect. I. — Quibus signis et quibus personis Christi nativitas manifestata sit. 714
Sect. II, III. — De conditione et patria magorum. 715
Sect. IV. — Quo loco et tempore magi Christum adoraverunt. 716
Sect. V, VI. — De stella quæ apparuit magis. 717
Disputatio decima quinta. — De mysterio circumcisionis. 717
Sect. I. — An licuerit vel decuerit Christum circumcidi. 717
Sect. II. — De nomine Jesu in circumcisione dato. 718
Disputatio decima sexta. — De Christi præsentatione et Virginis purificatione. 719
Sect. unica. — An debuerit B Virgo Christum in templo præsentare ac redimere, ac pro eo sacrificium offerre, etetiam se purificare. 719
Disputatio decima septima. — De reliquis vitæ Christi mysteriis usque ad tricesimum ejus ætatis annum. 720
Sect. I. — De fuga Christi in Ægyptum. 720
Sect. II, III. — De Christi reditu ex Ægypto, et quid egerit ad tricesimum ætatis annum. 720
Disputatio decima octava. — De perfectione gratiæ et meritorum B. Virginis. 721
Sect. I, II. — An B. Virgo toto vitæ suæ tempore potuerit in gratia crescere per propria merita, et an singulis momentis assidue meruerit. 721
Sect. III. — Quot modis B. Virgo gratiæ augmentum ex opere operato obtinuerit, vel per modum operis operati. 722
Sect. IV. — Quantam gratiæ perfectionem et intensionem B. Virgo fuerit adepta. 723
Disputatio decima nona. — De scientia et sapientia B. Virginis in statu vitæ. 724
Sect. I, II. — An B. Virgo habuerit in hac vita perfectam rerum divinarum cognitionem, et quomodo in ea profecerit. 724
Sect. III, IV. — An B. Virgo habuerit aliquam divinorum mysteriorum scientiam per se infusam, et quædam per revelationes cognoverit. 725
Sect. V, VI. — An B. Virgo habuerit humanam rerum naturalium scientiam, et an quædam ignoraverit. 726
Disputatio vicesima. — De gratiis B. Virgini gratis datis. 727
Sect. I-III. — An B. Virgo habuerit omnes gratias gratis datas ad cognitionem, sermonem et operationem pertinentes. 727
Disputatio vicesima prima. — De B. Virginis morte et assumptione. 727
Sect. I, II. — An B. Virgo obierit, resurrexerit, et in cœlum assumpta fuerit. 727
Sect. III, IV. — Ad quantam tum essentialis tum accidentalis beatitudinis excellentiam B. virgo evecta sit. 729
Disputatio vicesima secunda. — De adoratione B. Virginis. 729
Sect. I-III. — An et cur, et quo cultu B. Virgo sit adoranda. 729
Disputatio vicesima tertia. — De B. Virginis intercessione et invocatione. 731
Sect. I-III. — An B. Virgo in statu viæ, nostræ saluti cooperata sit, et nunc in statu patriæ adhuc cooperetur, adeoque adoranda sit. 731
Disputatio vicesima quarta. — De Joanne Christi præcursore. 732
Sect. I, II. — An Joannes Baptista fuerit Messiæ præcursor in lege promissus, et quodnam ejus munus fuerit. 732
Sect. III. — Quam sanctitatis perfectionem assecutus fuerit Joannes Baptista. 733
Sect. IV. — An Joannes culpæ malo et defectibus qui ex illo manant, fuerit subjectus. 734
Sect. V, VI. — De gratiis Joanni Baptistæ gratis datis, ac de ejus gloriæ excellentia. 734
Disputatio vicesima quinta. — De baptismo Joannis. 735
Sect. I, II. — An baptismus Joannis essentialiter constiterit ex materia et forma, et cujus rei gratia institutus sit. 735
Sect. III. — A quo Joannis baptismus fuit institutus, et quandiu duravit. 736
Sect. IV. — An Joannis baptismus fuerit sacramentum. 737
Disputatio vicesima sexta. — De tempore et ætate in qua Christus baptizatus est. 737
Sect. I, II. — Cur, ubi, quo die et mense, quo ætatis anno Christus baptizatus sit. 737
Disputatio vicesima septima. — De iis quæ in baptismo Christi contigerunt. 738
Sect. I-III. — De cœlorum apertione, columbæ descensu, et audita voce Patris in Christi baptismo. 738
Disputatio vicesima octava. — De statu vitæ, quem Christus in hoc mundo tenuit. 739
Sect. I, II. — Cur Christus vitam eremiticam non duxerit, et an vitæ religiosæ statum coluerit. 739
Sect. III. — An Christus austeram, an vero moderatam vitam agere debuerit. 740
Disputatio vicesima nona. — De quadragenario Christi jejunio in deserto. 741
Sect. I, II. — Cur Christus in desertum secesserit, et quomodo jejunarit quadraginta diebus. 741
Sect. III, IV. — De loco et tempore quo Christus jejunavit, et de modo quo a dæmone tentatus est. 741
Disputatio tricesima. — De Christo doctore, ejusque doctrina. 742
Sect. I, II. — An Christus ad docendos homines venerit, et an doctoris munus rite impleverit. 742
Sect. III. — Quanto tempore Christus prædicaverit. 743
Disputatio tricesima prima. — De Christi miraculis. 743
Sect. I, II. — An Christi miracula fuerint necessaria ad persuadendam ejus doctrinam, et convicerint ad credendum. 743

Sect. III. — An dæmones cognoverint Christum esse verum Messiam et Deum, ex vi ejus miraculorum. 745
Sect. IV. — An Judæi ex Christi miraculis cognoverint illum esse Messiam in lege promissum, ac verum Deum. 746
Disputatio tricesima secunda. — De Christi transfiguratione. 747
Sect. I. — An transfiguratio facta sit per novam gloriæ charitatem Christi corpori, vel soli faciei inhærentem. 747
Sect. II, III. — De Elia, Moyse, et aliis transfigurationis circumstantiis. 747
Disputatio tricesima tertia. — De passione Christi in genere. 748
Sect. I, II. — Quænam passionum genera, et quam acerbos dolores Christus passus sit. 748
Disputatio tricesima quarta. — De iis quæ Christus usque ad comprehensionem passus est. 749
Sect. I. — Cur et quo pretio Judas Christum vendiderit. 749
Sect. II, III. — De Christi sudore sanguineo in horto, et de iis quæ in illius comprehensione contigerunt. 750
Disputatio tricesima quinta. — De iis quæ Christus usque ad latam mortis sententiam passus est. 751
Sect. I. — Quoties et quomodo Petrus Christum negaverit. 751
Sect. II, III. — De Christi flagellatione et spinea coronatione. 751
Disputatio tricesima sexta. — De Christi crucifixione. 752
Sect. I, II. — De sententia Pilati et crucis gestatione. 752
Sect. III, IV. — An Christus vere crucifixus fuerit omnino nudus et spinis coronatus. 753
Disputatio tricesima septima. — De iis quæ Christus in cruce pendens ante mortem passus et operatus sit. 754
Sect. I, II. — De Christi vestimentorum divisione et sortitione a militibus facta, ac de crucis tituli impositione. 754
Sect. III. — De vino et aceto felli immisto, quo Christus potatus est. 754
Sect IV. — An Christus verbis, quæ in cruce protulit, testamentum condiderit. 755
Disputatio tricesima octava. — De morte Christi quoad ejus substantiam et causas. 756
Sect. I. — An Christus vere ac naturaliter mortuus fuerit. 756
Sect. II, III. — Quænam in Christi substantialis unio dissoluta sit; et an nova generatio vel hypostatica unio intervenerit. 757
Disputatio tricesima nona. — De prodigiis quæ in morte Christi contigerunt. 758
Sect. I. — De tenebris in Christi morte factis. 758
Sect. II. — De aliis prodigiis quæ in Christi morte contigerunt. 758
Disputatio quadragesima. — De tempore passionis et mortis Christi. 759
Sect. I, II. — Quo ætatis suæ anno Christus mortuus sit; et de Pascha Judæorum. 759
Sect. III. — An Christus præscripta decima quarta die mensis lunaris ultimam cœnam celebrarit, et agnum comederit. 760
Sect. IV. — An Judæi celebrarent Pascha die a lege præscripta quando Christus celebravit. 761
Sect. V, VI. — Qua die hebdomadæ ac mensis, et qua hora Christus mortuus sit. 763
Disputatio quadragesima prima. — De iis quæ post mortem Christi circa ejus corpus facta sunt. 764
Sect. I. — De apertione lateris Christi post mortem. 764
Sect. II, III. — Depositio corporis Christi e cruce, et sepultura. 764
Disputatio quadragesima secunda. — De loco ac statu animarum sanctarum ante Christi mortem. 765
Sect. I. — An animæ sanctæ ante Christi mortem fuerint gloriosæ. 765
Sect. II. — In quo loco fuerint animæ sanctorum ante Christi mortem. 766
Disputatio quadragesima tertia. — De statu quem Christi anima a corpore separata habuit. 767
Sect. I. — An anima Christi per separationem facta sit omnino impassibilis. 767
Sect. II. — An anima Christi in triduo vere ac proprie ad inferos descenderit. 769
Sect. III. — Quid Christus operatus sit in inferis. 770
Sect. IV. — Ad quæ inferni loca Christus descenderit et quandiu ibi moratus sit. 771
Disputatio quadragesima quarta. — De resurrectione secundum se. 772
Sect. I, II. — Quid resurrectio; quæ necessaria sint ad resurrectionem; an id quod resurgit habeat eamdem numero animam et materiam. 772
Sect. III. — An ad resurrectionem requirantur eadem accidentia, idemque sexus. 773
Sect. IV-VI. — An resurrectio sit mutatio instantanea et supernaturalis. 773
Sect. VII, VIII. — An hominis resurrectio sit naturæ debita; et an possit naturali ratione ostendi esse possibilem. 774
Disputatio quadragesima quinta. — De Christi resurrectione et ejus causis. 775
Sect. I. — An Christus vere resurrexerit. 775
Sect. II. — De causis resurrectionis Christi. 776
Disputatio quadragesima sexta. — De tempore Christi resurrectionis. 777
Sect. I. — An Christus tertia post mortem die, eaque Dominica surrexerit. 777
Sect. II. — Qua hora Christus resurrexerit. 778
Sect. III. — Quot horæ a morte Christi usque ad ejus resurrectionem intercesserint. 778
Disputatio quadragesima septima. — De naturali perfectione et integritate corporis Christi resurgentis. 779
Sect. I, II. — An in glorioso Christi corpore fuerint omnes solidæ humani corporis partes, et quomodo cicatrices, salva ejus integritate. 779
Sect. III. — An in Christi corpore post resurrectionem sint sanguis aliique humores. 780
Sect. IV. — An Christi corpus resurrexerit cum perfecta magnitudine ac pulchritudine. 781
Sect. V, VI. — An in corpore Christi resurgentis fuerint omnes facultates animæ vegetantis et sentientis, earumque actiones. 782
Disputatio quadragesima octava. — De supernaturali corporis Christi perfectione post resurrectionem. 783
Sect. I. — An corpus Christi post resurrectionem habuerit perfectionem supernaturalem. 783
Sect. II. — De charitate corporis gloriosi. 784
Sect. III. — De impassibilitate corporis gloriosi. 785
Sect. IV. — De agilitate corporis gloriosi. 786
Sect. V. — De subtilitate corporis gloriosi. 787
Disputatio quadragesima nona. — De apparitionibus post resurrectionem. 787
Sect. I. — An Christus post resurrectionem primo matri suæ apparuerit. 787
Sect. II, III. — De apparitione facta Magdalenæ et aliis mulieribus. 788
Sect. IV. — Quoties Christus apparuerit ipso suæ resurrectionis die. 789
Sect. V. — Quoties et quo ordine Christus apparuerit post diem resurrectionis usque ad suam ascensionem. 790
Disputatio quinquagesima. — De resurrectione mortuorum ut est effectus resurrectionis Christi. 791
Sect. I. — An futura sit generalis hominum resurrectio. 791
Sect. II, III. — An omnes justi et damnati resurrecturi sint. 792
Sect. IV. — An Christus sit effecturus nostram resurrectionem per se; an vero per angelos. 793
Sect. V, VI. — An Christus sit causa exemplaris nostræ resurrectionis quoad terminum ad *quem* et a *quo*. 794
Sect. VII. — Quo in loco fiet hominum resurrectio. 796
Sect. VIII. — De errore Chiliastarum. 797
Sect. IX, X. — De tempore resurrectionis sive justorum sive reproborum. 798
Disputatio quinquagesima prima. — De Christi ascensione ac ejus termino. 799
Sect. I. — An Christus vere ac proprie in cœlum ascenderit. 799
Sect. II. — De circumstantiis Christi Ascensionis. 800
Sect. III. — An Christus per suam ascensionem consecutus sit sessionem ad dexteram Patris. 801
Sect. IV. — An postquam Christus in cœlum ascendit, aliquando inde descenderit. 801
Disputatio quinquagesima secunda. — De judiciaria Christi potestate et ejus usu. 802
Sect. I. — De excellentia judiciariæ potestatis Christi. 802
Sect. II. — De actibus prædictæ potestatis judiciariæ. 803
Disputatio quinquagesima tertia. — De secundo Christi adventu ad universale judicium. 805

Sect. I. — An futurum sit universale judicium, in quo Christus sit supremus judex. 805
Sect. II. — An Christus secundo sit venturus in hunc mundum ad peragendum universale judicium. 806
Sect. III. — De loco in quo fiet judicium universale. 806
Sect. IV. — Quando fiet judicium universale. 807
Disputatio quinquagesima quarta. — De Antichristo. 807
Sect. I, II. — An Antichristus sit certus aliquis homo; an jam venerit; quando veniet; unde; ex quo genere. 807
Sect. III, IV. — De moribus et doctrina Antichristi. 809
Sect. V, VI. — De regno et persecutione Antichristi contra Christianos. 809
Disputatio quinquagesima quinta. — De bonis secundi adventus Christi præcursoribus. 811
Sect. I. — An Henoch et Elias nunc vivant, ubi et quomodo. 811
Sect. II, III. — An Elias et Henoch, aliusque cum illis, venturi sint tempore Antichristi, et quid facturi aut passuri. 812
Disputatio quinquagesima sexta. — De signis quæ universale judicium præcedent. 813
Sect. I. — An ante judicium universale prædicandum sit Evangelium in toto mundo. 813
Sect. II. — An ante universale judicium et Antichristi adventum, evertenda sit Roma, et Romanum imperium. 814
Sect. III, IV. — Quæ signa futura sint in cœlis, et in aliis rebus sensibilibus ante diem judicii. 814
Disputatio quinquagesima septima. — De judicis adventu et forma judicii, ejusque fine. 815
Sect. I. — De igne qui præcedet Christum ad judicium venientem. 815
Sect. II, III. — De apparituro crucis signo in judicio, et majestate judicis. 816
Sect. IV. — De Christi judicis assessoribus in universali judicio. 818
Sect. V, VI. — An omnes iniqui homines, et etiam parvuli sine gratia defuncti, judicandi sint. 818
Sect. VII, VIII. — An omnes sancti homines et omnes angeli tam boni quam mali sint judicandi. 818
Sect. IX, X. — De operum manifestatione et prolatione sententiæ. 820
Disputatio quinquagesima octava. — De statu Christi et mundi post peractum judicium. 821
Sect. I, II. — An et quæ futura sit mundi renovatio post judicium universale. 821
Sect. III. — De ordine quo mundus purgabitur et innovabitur. 822
Sect. IV. — An post mundi instaurationem Christus sit semper in cœlo regnaturus. 823

TOMUS DECIMUS SEXTUS. — DE SACRAMENTIS.

PARS PRIMA. — DE SACRAMENTIS IN GENERE. DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE EUCHARISTIA ET MISSÆ SACRIFICIO. 823
Disputatio prima. — De essentia ac definitione sacramenti. 823
Sect. I. — An sacramentum sit signum sacrum homini conferens vel significans sanctificationem. 823
Sect. II. — Quam sanctificationem conferat aut significet sacramentum, et an univoce dicatur de sacramentis veteris et novæ legis. 825
Sect. III. — An sacramentum debeat esse de sua institutione signum sensibile. 826
Sect. IV. — Quænam ex dictis definitio sacramenti colligatur. 827
Disputatio secunda. — De materia et forma sacramentorum. 827
Sect. I. — An sacramenta debeant constare rebus et verbis tanquam materia et forma. 827
Sect. II. — An materia et forma sacramentorum sint partes componentes et constituentes sacramentum. 828
Sect. III. — An materia et forma sacramenti sint determinatæ ex divina institutione. 829
Sect. IV. — An omnis mutatio materiæ ant formæ sacramentorum sit contra eorum substantiam ac veritatem. 829
Sect. V. — An ex scientia vel intentione ministri pendeat quod mutatio in forma sacramenti evadat substantialis aut accidentalis. 830
Sect. VI. — An eadem materia et forma in singulis sacramentis pro universa Ecclesia sufficiat. 831
Disputatio tertia. — De sacramentis quæ futura fuissent in statu innocentiæ. 832
Sect. I, II. — An in statu innocentiæ Deus colendus fuisset cultu externo privato et publico, sacrificiis et oblationibus. 832
Sect. III. — An in statu innocentiæ fuerint, vel futura fuissent sacramenta, non exsistente peccato. 832
Disputatio quarta. — De sacramentorum legis naturæ institutione et necessitate. 833
Sect. I, II. — Quomodo in lege naturæ infantes ante usum rationis liberabantur a peccato originali. 833
Sect. III, IV. — An in lege naturæ fuerit institutum verum sacramentum, quo peccatum originale deleretur aliaque sacramenta. 834
Disputatio quinta. — De institutione et necessitate circumcisionis aliorumque sacramentorum veteris legis. 835
Sect. I. — An circumcisio fuerit verum sacramentum in remedium peccati originalis institutum pro filiis Abrahæ. 835
Sect. II. — An præter circumcisionem fuerint alia sacramenta in veteri lege. 836
Disputatio sexta. — De institutione et necessitate sacramentorum legis gratiæ. 837
Sect. I, II. — An in lege gratiæ sacramenta fuerint necessaria, et an sint antiquis perfectiora. 837
Disputatio septima. — De efficacia sacramentorum novæ legis ad gratiam conferendam. 837
Sect. I. — An sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato. 837
Sect. II. — An omnia novæ legis sacramenta conferant gratiam habitualem, virtutes et dona quæ eam consequuntur. 838
Sect. III. — An sacramenta præter virtutes et dona, conferant specialem aliquam gratiam. 839
Sect. IV. — An sacramenta semper suos gratiæ effectus conferant, et ad hoc quam dispositionem requirant. 840
Sect. V. — An sacramenta conferant omnibus æqualem gratiam. 840
Disputatio octava. — De tempore in quo sacramenta gratiam conferunt. 841
Sect. I. — An sacramenta interdum conferant gratiam ex opere operato antequam recipiantur. 841
Sect. II. — An sacramenta gratiam habitualem in tempore successivo, an vero in instanti conferant. 841
Sect. III. — An sacramenta conferant interdum gratiam quando transacta sunt. 842
Disputatio nona. — De modo quo sacramenta efficiunt gratiam. 843
Sect. I. — An sacramenta potuerint esse propriæ causæ physice instrumentales gratiæ sanctificantis. 843
Sect. II. — An sacramenta novæ legis de facto conferant gratiam, tanquam vera ac propria instrumenta physica. 844
Disputatio decima. — De inefficacia veterum sacramentorum ad conferendam gratiam. 846
Sect. I, II. — An circumcisio vel sacramentum legis naturæ conferret gratiam sanctificantem ex opere operantis, an vero ex opere operato. 847
Sect. III. — An in aliis veteris legis sacramentis daretur gratia. 848
Disputatio undecima. — De natura ac necessitate characteris. 849
Sect. I. — Quænam sacramenta characterem imprimant. 849
Sect. II, III. — An character sit qualitas supernaturalis, et in qua specie. 850
Sect. IV. — In quo subjecto insit character, et an sit indelebilis. 851
Disputatio duodecima. — De causa instituente sacramenta. 852
Sect. I, II. — An omnia sacramenta fuerint a Deo vel a Christo immediate instituta, et an potuerint ab alio institui. 852
Disputatio decima tertia. — De causa proxime ministrante sacramenta. 853
Sect. I. — An omnes et soli homines possint esse sacramentorum ministri. 853
Sect. II. — An ad conficiendum sacramentum necessaria sit in ministro intentio faciendi sacramentum. 854
Sect. III. — Qualis intentio sufficiat ad efficiendum sacramentum. 856
Sect. IV. — An status gratiæ, bonitas aut fides sive habitualis sive actualis sit necessaria in ministro ad valide conficiendum sacramentum. 857
Disputatio decima quarta. — De subjecto apto ad suscipienda sacramenta. 859
Sect. I. — Quinam sint capaces sacramentorum. 859
Sect. II. — An ad valorem sacramenti requiratur in suscipiente consensus aut alia dispositio. 860

Appendix præcedentis sectionis. — Quæ est commentarius quæst. 65, art. 2, circa numerum sacramentorum. 861
Disputatio decima quinta — De sacramentalibus, seu de cæremoniis sacramentorum in communi. 862
Sect. I, II. — Quid sit cæremonia seu sacramentale, et an ejus usus sit sanctus. 862
Sect. III, IV. — Quis possit cæremonias sacramentales instituere, ministrare, mutare, et quem spiritualem effectum habeant. 862
Disputatio decima sexta. — De sacramentorum præceptis ad eorum ministros spectantibus. 864
Sect. I. — Quis possit licite vel teneatur administrare sacramenta. 864
Sect. II. — An ministri sacramentorum teneantur nec formam nec materiam illorum mutare, et quomodo in hoc peccent. 865
Sect. III, IV. — An ministrantes sacramenta teneantur esse in statu gratiæ. 865
Sect. V. — An sacramenti minister teneantur ritum ecclesiasticum servare, et quomodo peccet non servando. 866
Disputatio decima septima. — De præceptis ad suscipientes sacramenta spectantibus. 867
Sect. I, II. — An sacramentorum usus sit sub præcepto, et an graviter peccent indigne illa suscipientes. 867
Disputatio decima octava. — De obligatione non cooperandi indigne danti, vel recipienti sacramentum. 867
Sect. I. — An omnes teneantur non recipere sacramenta ab iniquis ministris, et quomodo in hoc peccare possint. 867
Sect. II. — An ministri sacramentorum teneantur semper non dare illa indigne petentibus. 869
Disputatio decima nona. — De institutione baptismi. 869
Sect. I, II. — An Christus ante suam mortem, et quo tempore vitæ suæ baptismum instituerit. 869
Disputatio vicesima. — De materia baptismi. 871
Sect. I. — De remota baptismi materia. 871
Sect. II. — De proxima baptismi materia. 871
Sect. III. — Quodnam absolutionis genus ad baptismum requiratur aut sufficiat. 872
Disputatio vicesima prima. — De forma baptismi. 872
Sect. I, II. — De sufficienti et necessaria baptismi forma. 872
Sect. III, IV. — An ad valorem formæ baptismi necessario requiratur explicata Trinitatis invocatio; an vero sufficiat baptizare in nomine Christi, vel alio modo. 873
Disputatio vicesima secunda. — De unitate baptismi. 875
Sect. I, II. — An baptismus sit unicus, et specie differat a baptismo sanguinis et flaminis; et an sit iterabilis. 875
Disputatio vicesima tertia. — De ministro baptismi. 876
Sect. I. — Quisnam requiratur minister ad valorem baptismi. 876
Sect. II. — Quisnam habeat jus ministrandi baptismum tanquam minister ex officio ad hoc deputatus. 876
Sect. III. — An minister baptismi possit ex multis personis constare; an vero tantum una debeat esse. 877
Commentarius D. Thomæ. — De baptismi patrino seu susceptore. 878
Disputatio vicesima quarta. — De baptismo adultorum. 879
Sect. I, II. — An ad validum hominis adulti baptismum requiratur ejus consensus, fides, vel aliqua alia dispositio. 879
Disputatio vicesima quinta. — De baptismo parvulorum, ac jure baptizandi. 880
Sect. I, II. — An parvuli ante usum rationis sint capaces baptismi; et an expediat tunc baptizare filios Christianorum. 880
Sect. III. — An liceat baptizare filios infidelium infantes, invitis parentibus, quando hi nullo modo sunt Ecclesiæ subditi. 881
Sect. IV. — An liceat baptizare filios infantes infidelium, invitis parentibus, quando hi sunt subditi temporaliter principibus Christianis. 882
Sect. V, VI. — An filius servi infidelis possit licite baptizari priusquam a parente separetur; et an sit obligatio illum baptizandi. 883
Disputatio vicesima sexta. — De effectibus baptismi. 884
Sect. I, II. — An baptismus vere remittat omnem culpam, ac conferat gratiam cum donis supernaturalibus. 884
Disputatio vicesima septima. — De necessitate baptismi ad gratiam et gloriam consequendam. 886
Sect. I. — An baptismus sit absolute necessarius ad gratiam et vitam æternam adipiscendam. 886
Sect. II. — An sacramentum baptismi reipsa susceptum, adultis sit ad salutem necessarium. 886
Sect. III. — An baptismus reipsa susceptus, sit infantibus ad salutem necessarius. 885
Sect. IV. — Quo tempore cœpit baptismus esse ad salutem necessarius. 888
Disputatio vicesima octava. — De dispositione ad effectum baptismi consequendum requisita. 889
Sect. I. — An baptismus requirat in adultis aliquam dispositionem ad suum effectum producendum. 889
Sect. II. — Quænam pœnitentiæ dispositio sit sufficiens et necessaria ad obtinendum per baptismum, peccatorum mortalium remissionem ac justitiam. 890
Sect. III. — An baptismi effectus ex varia suscipientis dispositione augeatur, minuatur, vel impediatur. 891
Sect. IV. — An effectus baptismi valide per fictionem seu obicem impeditus, conferatur recedente fictione. 891
Sect. V. — Quænam dispositio sufficiat ad tollendam fictionem, ut baptismus suum effectum habere incipiat. 893
Sect. VI. — An habere effectum recedente fictione, sit proprium solius sacramenti baptismi. 895
Disputatio vicesima nona. — De dispositione et effectu baptismi sanguinis seu martyrii. 895
Sect. I. — An infantes per baptismum sanguinis possint salvari sine baptismo aquæ. 895
Sect. II. — An baptismus sanguinis sufficiat adultis ad salutem sine baptismo aquæ. 895
Sect. III. — Quam dispositionem requirat baptismus sanguinis in adulto, ut suum illi effectum conferat. 897
Commentarius D. Thomæ. — De circumcisione. 898
Disputatio tricesima. — De cæremoniis ac circumstantiis in solemni baptismo observandis. 899
Sect. I, II. — Ad quid instituti, et quinam sint in solemni baptismo ritus servandi. 899
Disputatio tricesima prima. — De morali doctrina ad baptismi sacramentum spectante. 901
Sect. I, II. — An homines jure divino teneantur baptizari, et quando. 901
Sect. III. — Quibus ex causis possit homo ab observatione hujus præcepti excusari. 902
Sect. IV, V. — Quisnam possit vel teneatur ministrare baptismum; et quomodo quis peccet ministrando. 902
Sect. VI. — An ob peccatum iterandi baptismi incurratur pœna irregularitatis. 904
Disputatio tricesima secunda. — De sacramento confirmationis, ejusque institutione. 905
Sect. I, II. — An confirmatio sit verum novæ legis sacramentum a Christo institutum, et quando. 905
Disputatio tricesima tertia. — De essentia sacramenti confirmationis. 906
Sect. I. — An oleum balsamo mistum sit de necessitate materiæ hujus sacramenti. 906
Sect. II. — An sit de essentia materiæ hujus sacramenti, ut chrisma sit ab episcopo consecratum seu benedictum. 908
Sect. III, IV. — Quænam chrismatis unctio, et an sola chrismatis unctio sine manus impositione sit necessaria materia proxima hujus sacramenti. 909
Sect. V. — An tota hæc forma sit essentialis : Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. 910
Disputatio tricesima quarta. — De effectu sacramenti confirmationis. 910
Sect. I, II. — An hoc sacramentum imprimat characterem, et quos gratiæ sanctificantis effectus conferat. 910
Disputatio tricesima quinta. — De suscipientibus confirmationis sacramentum. 911
Sect. I, II. — An quilibet homo sit capax recipiendæ confirmationis, et quibus expediat conferri. 911
Disputatio tricesima sexta. — De ministro confirmationis. 912
Sect. I. — An solus episcopus sit ordinarius minister hujus sacramenti. 912
Sect. II. — An ex commissione summi pontificis possit simplex sacerdos hoc sacramentum ministrare. 913
Sect. III. — An episcopus hæreticus vel ab Ecclesia præcisus seu prohibitus, possit esse minister hujus sacramenti. 914
Disputatio tricesima septima. — De cæremoniis sacramenti confirmationis. 915
Sect. I, II. — An confectio chrismatis conveniente ritu et fiat et conferatur ab Ecclesia. 915
Disputatio tricesima octava. — De obligatione fidelium

circa susceptionem hujus sacramenti; et ministri circa administrationem. 915
Sect. I. — An omnes baptizati teneantur hoc sacramentum suscipere, et non iterare. 915
Sect. II. — Ad quid obligetur minister hujus sacramenti. 916

Disputatio tricesima nona. — De institutione sacramenti Eucharistiæ. 916
Sect. I, II. — An Eucharistia sit sacramentum a Christo institutum et a reliquis distinctum. 916
Sect. III, IV. — An et quomodo hoc sacramentum sit unum tantum. 917
Disputatio quadragesima. — De necessitate sacramenti Eucharistiæ. 918
Sect. I. — An Eucharistia sit medium necessarium ad primam justificationem. 918
Sect. II. — An hoc sacramentum sit medium necessarium ad perseverandum in gratia usque ad gloriæ consecutionem. 919

Disputatio quadragesima prima. — De tempore institutionis hujus sacramenti. 920
Sect. I, II. — De die institutionis hujus sacramenti, et an fuerit institutum post lotionem pedum. 920
Sect. III, IV. — An hoc sacramentum institutum sit præsente vel jam egresso Juda, et post quamnam cœnam, ac qua hora. 921
Sect. V. — An convenienti tempore institutum sit hoc sacramentum. 922
Disputatio quadragesima secunda. — De essentia et partibus hujus sacramenti in communi. 922
Sect. I. — An species consecratæ sint sacramentum Eucharistiæ, vel de intrinseca ejus ratione. 922
Sect. II. — An forma verborum consecrationis sit de essentia hujus sacramenti, intrinsece illud constituens. 923

Sect. III. — An corpus et sanguis Christi intrinsece et essentialiter pertineat ad hujus sacramenti constitutionem. 923
Seci. IV. — An sumptio Eucharistiæ sit sacramentum, vel ejus pars. 925
Disputatio quadragesima tertia. — De materia remota Eucharistiæ in communi. 926
Sect. I, II. — An panis et vinum sint propria materia hujus sacramenti, et utrumque sit necessarium de necessitate sacramenti, an vero tantum de necessitate præcepti. 926
Sect. III, IV. — An necessarium sit ex præcepto divino vel humano confici hoc sacramentum in bina materia, et an ob nullam causam liceat illud conficere in altera sola, etiam ex papæ dispensatione. 927
Sect. V. — An sit de necessitate hujus sacramenti, ut materia consecranda sit præsens ministro. 928

Sect. VI-VIII. — An materia consecranda debeat esse determinata, et an possit consecrari in quavis parvitate, aut magnitudine. 929
Disputatio quadragesima quarta. — De remota materia seu pane ex quo corpus Christi conficitur. 930
Sect. I. Ex quo grano debeat confectus esse panis, ut sit sufficiens hujus sacramenti materia. 930

Sect. II. — An materia hujus sacramenti sit solus panis usualis ex farina triticea et aqua naturali confectus. 931
Sect. III. — An panis azymus vel fermentatus sit de necessitate sacramenti. 931
Disputatio quadragesima quinta. — De materia remota seu vino, ex quo sanguis Christi conficitur. 932
Sect. I. — An vinum ex vite seu ex uvis expressum sit necessaria hujus sacramenti materia. 932
Sect. II, III. — An aqua vino consecrando sit necessario miscenda, et de circumstantiis eam miscendi. 933
Sect. IV. — An aqua vino mista in sanguinem Christi convertatur, et sub hac intentione misceri debeat. 934
Disputatio quadragesima sexta. — De reali corporis Christi præsentia in hoc sacramento. 935

Sect. I. — An sit certum de fide Christum realiter esse præsentem in hoc sacramento. 935
Sect. II. — An realis Christi præsentia in hoc sacramento satis colligatur ex ejus promissionibus. 936
Sect. III. — An ex verbis quibus instituit Christus hoc sacramentum, possit evidenter demonstrari realis ejus in illo præsentia. 937
Sect. IV. — Quid antiqui Patres de vera Christi præsentia in hoc sacramento senserint. 939
Sect. V. — An ex miraculis possit hæc Christi præsentia comprobari. 940
Sect. VI. — An ex Ecclesiæ praxi possit colligi hæc realis Christi præsentia. 940

Sect. VII. — Quid possit naturali ratione de hoc mysterio ostendi. 941
Sect. VIII. — An Christus exsistat permanenter in hoc sacramento post consecrationem, an vero transeunter in usu. 941
Disputatio quadragesima septima. — Quid sit hæc Christi præsentia in Eucharistia. 942
Sect. I, II. — An hæc præsentia sit quid intrinsecum corpori Christi et ab eo distinctum, ac cujus prædicamenti. 942
Sect. III — An hæc præsentia includat veram ac realem unionem corporis Christi cum speciebus sacramentalibus. 943
Sect. IV. — Quænam denominationes aut quasi idiomatum communicationes conveniant corpori Christi aut Christo ex hac præsentia. 944
Disputatio quadragesima octava. — De comparatione sacramentalis et naturalis præsentiæ corporis Christi. 945

Sect. I. — An sacramentalis præsentia corporis specie differat a naturali seu quantitativa. 945
Sect. II. — An sacramentalis præsentia essentialiter pendeat a naturali; an vero illam necessario supponat. 947

Sect. III. — An sacramentalis et naturalis præsentia possint simul eidem corpori convenire. 948
Sect. IV. — An de potentia Dei absoluta possint plures et distinctæ præsentiæ reales in spatiis distantibus convenire eidem corpori. 948
Sect. V, VI. — De proprietatibus, actionibus, passionibus corporis bilocati. 950
Disputatio quadragesima nona. — De absentia panis et vini ab hoc sacramento. 952
Sect. I. — An de potentia absoluta potuerit Christus fieri realiter præsens in Eucharistia, substantia panis remanente. 952
Sect. II. — An de facto desinat substantia panis sub speciebus, post consecrationem. 953
Sect. III. — An aliqua pars physica substantiæ panis et vini maneat sub speciebus consecratis. 954
Sect. IV. — An post consecrationem maneat aliquis modus realis seu entitas metaphysica substantiæ panis. 955

Disputatio quinquagesima — De transitu seu conversione panis et vini in corpus Christi et sanguinem, quæ transsubstantiatio dicitur. 955
Sect. I, II. — An sacramentum Eucharistiæ perficiatur per veram conversionem ac transsubtantiationem; et quæ ad hanc sint necessaria. 955
Sect. III, IV. — An in hac conversione interveniat vera et realis actio circa corpus Christi; et qualis ac quis formalis ejus terminus. 956
Sect. V, VI. — An per dictam actionem fiat mutatio in corpore Christi, et panis desinat esse. 958
Sect. VII. — An substantia panis annihiletur. 959
Sect. VIII, IX. — An prædicta actio et substantiæ panis desitio sufficiant ad rationem conversionis; et de ea quomodo loquendum sit. 959
Sect. X. — An quodlibet possit in quodlibet converti. 960

Disputatio quinquagesima prima. — De iis quæ sub singulis Eucharistiæ speciebus exstant. 960
Sect. I, II. — An tota Christi substantia, ejusque corporis quantitas cum reliquis accidentibus exstet in Eucharistia. 960
Sect. III. — An caro et sanguis Christi ex vi verborum, an vero per concomitantiam ponantur sub speciebus sacramentalibus. 961
Sect. IV. An ex vi verborum sit in hoc sacramento substantialis aliqua forma. 962
Sect. V, VI. — An quantitas et accidentia humanitatis Christi, divinitas, verborum, aut aliæ personæ sint in Eucharistia ex vi verborum; an vero per concomitantiam. 963

Disputatio quinquagesima secunda. — De iis quæ exsistunt sub singulis partibus specierum panis et vini. 664

Sect. I, II. — An totus Christus sit sub singulis speciarum partibus tum divisis, tum inter se continuis. 964
Sect. III. — An totum corpus Christi sit in punctis indivisibilibus specierum panis. 965
Disputatio quinquagesima tertia. — De iis quæ Christus agere aut pati potest prout est in hoc sacramento. 965
Sect I, II. — An corpus Christi prout est in Eucharistia, possit localiter moveri; aut aliam actionem physicam efficere vel recipere. 965
Sect. III. — An Christus in hoc sacramento possit virtute naturali actus immanentes exercere. 966

Sect. IV. — An corpus Christi prout est in Eucharistia, possit naturaliter videri oculo corporeo. 967
Sect. V. — An Christus prout est in hoc sacramento, possit cognosci ab intellectu creato. 968
Disputatio quinquagesima quarta. — De modo quo Christus desinit esse sub speciebus sacramentalibus. 969
Sect. I. — An corpus Christi cum in Eucharistia esse desinit, mutetur vel acquirendo vel amittendo aliquid. 969
Sect. II. — An Christo desinente esse sub speciebus sacramentalibus, semper aliqua, et quomodo substantia succedat. 969
Disputatio quinquagesima quinta. — De apparentibus mutationibus, quæ in Eucharistia contingunt. 970
Sect. I. — De diversis harum mutationum seu apparitionum modis. 970
Sect. II-IV. — De apparitionibus, quibus Christi caro aut sanguis apparent in Eucharistia. 970
Disputatio quinquagesima sexta. — De accidentium panis et vini modo post consecrationem. 971
Sect. I. — Quænam accidentia panis et vini post consecrationem maneant sine substantia. 971
Sect. II. — Quænam mutatio fiat in quantitate, ut possit sine subjecto conservari. 972
Sect. III. — An alia accidentia panis et vini, quæ cum quantitate manent post consecrationem, mutent exsistendi modum. 972
Disputatio quinquagesima septima. — De iis quæ possunt agere et pati species sacramentales. 973
Sect. I, II. — An possint species sacramentales consecratæ efficere quidquid poterant non consecratæ; an possint mutari aut corrumpi. 973
Sect. III. — An ex speciebus consecratis possit generari, vel nutriri aliqua substantia. 973
Sect. IV. — An species sacramentales possint misceri, et an tunc desinat ibi sanguis Christi. 974
Disputatio quinquagesima octava. — De forma sacramentali Eucharistiæ in communi. 974
Sect. I. — Quibusnam verbis Christus Dominus consecravit. 974
Sect. II. — An benedictio Christi et gratiarum actio fuerit ipsa consecratio. 975
Sect. III. — An verba quibus Christus consecravit, sint forma, qua hoc sacramentum in Ecclesia conficitur. 976
Sect. IV. — An forma hujus sacramenti proferatur a ministro recitando tantum, an etiam significando. 977
Sect. V, VI. — Quomodo verba formæ verificentur, et an ratione suæ veritatis hoc mysterium perficiant. 977
Sect. VII. — Quid designetur per pronomen *hoc* vel *hic* in forma positum. 978
Disputatio quinquagesima nona. — De forma consecrationis panis. 979
Sect. I. — An solum hæ quatuor voces : *Hoc est corpus meum*, sint de essentia et necessitate hujus formæ. 979
Sect. II. — An verba hujus formæ, aut eorum ordo mutari possit. 980
Disputatio sexagesima. — De forma consecrationis sanguinis. 980
Sect. I. — An sola hæc verba : *Hic est calix sanguinis mei;* vel : *Hic est sanguis meus,* sint de essentia formæ hujus sacramenti. 980
Sect. II, III. — An hæc verba : *Hic est calix sanguinis mei*, mutari possint; et an his convenienter Ecclesia addiderit alia. 981
Disputatio sexagesima prima. — De causa efficiente Eucharistiæ, et efficacia formæ et ministri. 982
Sect. I, II. — An verba consecrationis sint causa physica præsentiæ corporis Christi in Eucharistia, et an physice efficiendo expellant substantiam panis. 982
Sect. III. — A quo verba consecrationis debeant proferri, ut sint efficacia. 982
Sect. IV, V. — An plures ministri possint consecrare eamdem materiam; et an virtus activa sit principalius in verbis quam in ministris. 983
Disputatio sexagesima secunda. — De suscipientibus hoc sacramentum. 984
Sect. I, II. — Quot modis sumatur hoc sacramentum, et an soli homines possint illud sumere. 984
Sect. III, IV. — An omnes homines adulti et etiam infantes possint recipere hoc sacramentum. 984
Disputatio sexagesima tertia. — De effectibus quos in anima producit sacramentum Eucharistiæ. 985
Sect. I. — An hoc sacramentum conferat primam gratiam sanctificantem, vel augmentum ejus. 985
Sect. II. — Quænam dispositio requiratur in suscipiente ut hoc sacramentum primam gratiam ei conferat. 986
Sect. III. — Quæ dispositio requiratur ad gratiæ augmentum per Eucharistiam consequendum. 986
Sect. IV. — Quando hunc gratiæ effectum in sumptione conferat Eucharistia. 987
Sect. V. — An plures species sacramentales ejusdem rationis, v. gr. panis, successive manducatæ, conferant unum et eumdem effectum, et quando illum conferant. 988
Sect. VI. — An per species sacramentales diversarum rationum, nempe panis et vini, detur idem gratiæ effectus, et quando. 988
Sect. VII. — An Eucharistia conferat aliquem effectum gratiæ post sumptionem, quandiu durat Christi præsentia. 990
Sect. VIII. — An qui ficte recepit Eucharistiam, recedente fictione, post transactam Christi sacramentalem præsentiam, incipiat consequi illius effectum. 990
Sect. IX, X. — An Eucharistia det aliquem gratiæ actualis effectum, et quando : item an remittat peccata venialia et temporales pœnas. 991
Disputatio sexagesima quarta. — De effectu quem in corpore producat Eucharistia. 992
Sect. I. — An Eucharistia in corpore suscipientis aliquid efficiat. 992
Sect. II. — An resurrectio vel gloria corporis sit specialis hujus sacramenti effectus. 992
Sect. III. — An per susceptionem hujus sacramenti aliqua realis inter Christi et suscipientis corpus unio fiat. 993
Disputatio sexagesima quinta. — De adoratione sacramento Eucharistiæ debita. 994
Sect. I. — An sit licitum, imo et præceptum Eucharistiam adorare. 994
Sect. II. — An hoc sacramentum debeat absolute adorari. 995
Disputatio sexagesima sexta. — De spirituali dispositione ex præcepto necessaria ad suscipiendum hoc sacramentum. 995
Sect. I, II. — An sit peccatum mortale, et quam grave accipere hoc sacramentum in peccato mortali sine ulla dispositione. 995
Sect. III. — An conscius peccati mortalis teneatur confessionem præmittere ante hujus sacramenti usum. 996
Sect. IV. — Quibus de causis licitum est communicare sine prævia confessione post mortale peccatum commissum. 997
Sect. V. — An dum non præmittitur confessio peccati mortalis, sit necessaria contritio. 998
Sect. VI, VII. — An qui post conscientiam peccati mortalis sine prævia confessione communicavit, teneatur ex jure seu divino seu ecclesiastico statim cum primum poterit, confiteri. 999
Sect. VIII. — An qui peccavit mortaliter, licet contritus et confessus sit, teneatur communionem aliquandiu differre. 999
Disputatio sexagesima septima. — De obligatione repellendi indignos ab usu Eucharistiæ. 1000
Sect. I-IV. — An et quomodo minister hujus sacramenti teneatur illud denegare peccatori. 1001
Sect. V. — Quis censendus in hac materia peccator publicus vel occultus. 1002
Sect. VI. — An Eucharistia danda sit hominibus de aliquo crimine suspectis. 1003
Disputatio sexagesima octava. — De corporis dispositione ex præcepto necessaria ad sumendam Eucharistiam. 1003
Sect. I. — An aliqua corporis compositio particularis requiratur ad sumendam Eucharistiam. 1003
Sect. II. — An aliqua corporis macula sive ex pollutione, sive aliunde contracta, impediat hujus sacramenti usum. 1003
Sect. III, IV. — An ex præcepto et quale jejunium ante communionem sit servandum. 1004
Sect. V, VI. — Quando liceat non jejuno communicare. 1005
Disputatio sexagesima nona. — De divino præcepto circa usum Eucharistiæ. 1006
Sect. I, II. — An detur præceptum divinum sumendi Eucharistiam, seu laicæ communionis, et quos obliget. 1006
Sect. III. — Quandonam obliget hoc præceptum ex vi solius juris divini. 1007
Sect. IV. — Quænam sit licita communionis frequentia ex vi juris divini, et quænam consulenda. 1009
Disputatio septuagesima. — De præcepto ecclesiastico circa Eucharistiæ usum. 1009
Sect. I. — Quas personas obliget hoc præceptum ecclesiasticum. 1009
Sect. II, III. — Quando et quomodo obliget hoc præceptum ecclesiasticum. 1010
Disputatio septuagesima prima. — De præcepto communicandi sub una vel duabus speciebus. 1010

Sect. I. — An sit per se malum ac prohibitum sub una tantum specie communicare. 1010
Sect. II. — An omnes teneantur jure divino, aliquando saltem, sub utraque specie communicare. 1011
Sect. III. — An potuerit Ecclesia prohibere laicis usum calicis, idque fuerit expediens. 1012
Disputatio septuagesima secunda. — De obligationibus ad dispensatores hujus sacramenti spectantibus. 1013
Sect. I. — An solus sacerdos possit hoc sacramentum jure suo et licite administrare. 1013
Sect. II. — An omnibus sacerdotibus licitum sit Eucharistiam administrare. 1013
Sect. III. — De administris hujus sacramenti. 1014
Sect. IV. — De peccatis quæ indigne et ministrantes et recipientes hoc sacramentum committunt. 1014
Tractatus de missæ sacrificio. 1015
Disputatio septuagesima tertia. — De sacrificio in communi. 1015
Sect. I, II. — An sacrificium sit signum sacrum, et quid significare debeat. 1015
Sect. III, IV. — An ad sacrificium sufficiat humana impositio, an vero requiratur divina; deinde an requiratur publica auctoritas, an vero sufficiat privata. 1015
Sect. V, VI. — Qualis debeat esse res vel actio, quæ in sacrificio ad significandum imponitur, et quænam propria sit sacrificii definitio. 1016
Sect. VII. — Quotuplex sit sacrificium. 1017
Sect. VIII. — An sacrificium sit jure naturali præscriptum. 1018
Disputatio septuagesima quarta. — De missa seu sacrificio legis novæ. 1019
Sect. I. — An in lege nova sit aliquod verum ac proprium sacrificium. 1019
Sect. II. — An Eucharistia sit novæ legis sacrificium. 1020
Sect. III, IV. — An missæ sacrificium tantum a Christo institui potuerit, et an sit unicum sacrificium in lege nova. 1022
Disputatio septuagesima quinta. — De essentia sacrificii eucharistici. 1023
Sect. I. — An Christus sit res oblata in missæ sacrificio. 1023
Sect. II.—Quibusnam actionibus perfecerit Christus hoc sacramentum in nocte cœnæ. 1024
Sect. III. — An obligatio vocalis, fractio et distributio Eucharistiæ, sint partes hujus sacrificii. 1024
Sect. IV, V. — An consecratio sit de essentia hujus sacrificii. Item an etiam sumptio sacerdotis sit de essentia. 1025
Sect. VI. — An unius speciei, an vero utriusque consecratio sit de essentia hujus sacrificii. 1026
Disputatio septuagesima sexta. — De comparatione hujus sacrificii cum aliis sacrificiis et sacramentis. 1027
Sect. I, II. — Quomodo distinguatur hoc sacrificium a Christi sacrificio, et antiquis sacrificiis, et quæ ejus perfectio. 1027
Sect. III. — An in Eucharistia sacrificium sit prius et potius quam sacramentum. 1027
Disputatio septuagesima septima. — De offerentibus Eucharistiæ sacrificium. 1028
Sect. I. — An Christus sit principalis offerens in hoc sacrificio. 1028
Sect. II, III. — An omnes et soli sacerdotes possint offerre hoc sacrificium ut proprii ministri; an etiam alii fideles id possint offerre. 1028
Disputatio septuagesima octava. — De iis pro quibus hoc sacrificium offerri possit. 1029
Sect. I, II. — An sacerdos non tantum pro seipso, sed etiam pro aliis omnibus viventibus possit ac debeat hoc sacrificium offerre. 1029
Sect. III. — An hoc sacrificium possit pro omnibus defunctis offerri. 1030
Disputatio septuagesima nona. — De effectu et valore hujus sacrificii. 1030
Sect. I. — An sacrificium missæ habeat aliquem effectum ex opere operato. 1030
Sect. II. — An hoc sacrificium alio modo, quam ex opere operato, sit fructuosum. 1031
Sect. III. — An sacrificium Eucharistiæ ex sua primaria institutione conferat primam gratiam, et peccati mortalis remissionem. 1031
Sect. IV. — An hoc sacrificium per se conferat ex opere operato augmentum gratiæ, et interdum per accidens primam gratiam. 1032
Sect. V, VI. — An missæ sacrificium ex opere operato remittat peccata venialia, et temporalem pœnam. 1032
Sect. VII. — Quid hoc sacrificium conferat ad bona temporalia. 1033
Sect. VIII, IX. — An hoc sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato in omnibus ipsum offerentibus, et in iis, pro quibus offertur, non ponentibus obicem. 1033
Sect. X. — Quæ requiruntur in eo, pro quo sacrificium offertur, ut habeat hujus effectum ex opere operato. 1035
Sect. XI. — An effectus hujus sacrificii sit intensive infinitus. 1036
Sect. XII. — An hujus sacrificii effectus sit infinitus extensive, ita ut oblatum pro multis, tantum valeat pro singulis, quantum valet pro uno solo oblatum. 1037
Disputatio octogesima. — De tempore quo sacerdotes tenentur, aut licite possunt missæ sacrificium offerre. 1038
Sect. I, II. — An sacerdotes teneantur aliquando, et an quotidie missam dicere. 1038
Sect. III, IV. — An et quomodo liceat dicere plures missas eodem die, et qua hora liceat missam dicere. 1039
Disputatio octogesima prima. — De loco et vasis sacris, in quibus missæ sacrificium celebrandum est. 1040
Sect. I. — An oportuerit templa et loca sacra dicari ad sacrificium, et alia religionis opera peragenda. 1040
Sect. II, III. — An deceat ecclesias solemni ritu consecrari aut benedici; et an sacerdos tantum in loco sacro possit sacrificare. 1040
Sect. IV. — An liceat celebrare in ecclesia violata; et quid hac in re servandum. 1041
Sect. V, VI. — An requiratur altare consecratum ad licite dicendam missam; et quomodo templum et altare ornandum. 1042
Sect. VII, VIII. — An hoc sacrificium debeat in vasis sacris offerri; et quæ veneratio sit debita illis. 1043
Disputatio octogesima secunda. — De præparatione ad missam et vestibus sacris. 1045
Sect. I. — An teneatur sacerdos præmittere divinum officium ante missam. 1045
Sect. II, III. — An conveniat sacerdotes vestibus sacris indui ad celebrandum; et an sine illis possint celebrare. 1046
Disputatio octogesima tertia. — De ritibus missæ quæ in verbis consistunt. 1047
Sect. I. — An conveniens fuerit præter consecrationis verba, adjungi aliqua alia in missa dicenda. 1047
Sect. II, III. — De missæ canone et an sacerdos teneatur sub præcepto dicere omnia quæ in Missali præscribuntur. 1048
Disputatio octogesima quarta. — De ritibus missæ, quæ in actione consistunt. 1049
Sect. I, II. — An hæ cæremoniæ quæ in actione consistunt, sint rite ab Ecclesia institutæ; et an teneatur sacerdos ex præcepto illas omnes servare. 1049
Disputatio octogesima quinta. — De obligatione supplendi defectus inter sacrificandum commissos. 1050
Sect. I. — Quomodo cavendi vel supplendi sunt substantiales hujus sacrificii defectus. 1050
Sect. II. — Quomodo cavendi aut supplendi sunt defectus hujus sacrificii accidentales. 1050
Disputatio octogesima sexta. — De justo missæ stipendio, et de eo pro quo applicanda est ex obligatione. 1051
Sect. I, II. — Quando teneatur sacerdos ex justitia offerre sacrificium pro aliquo; et quænam sint justa missarum stipendia. 1051
Sect. III, IV. — An sacerdotes divites possint pro missa accipere stipendium, et pauperes duplicatum. 1052
Disputatio octogesima septima. — De ministro ad sacrificium necessario, ejusque obligatione. 1053
Sect. I, II. — An ad missam celebrandam necessarii unus aut plures ministrantes sint; et ad quid ministrans obligetur. 1053
Disputatio octogesima octava. — De præcepto audiendi missam. 1054
Sect. I, II. — An sit in Ecclesia præceptum audiendi missam, et quænam sit ejus materia. 1054
Sect. III, IV. — Qua attentione debeat hoc impleri præceptum; et quas personas obliget. 1055
Sect. V. — Quando vel quibus diebus obliget hoc præceptum. 1056
Sect. VI. — Quibus modis excusetur aliquis ab audienda missa in die præcepto. 1056

TOMUS DECIMUS SEPTIMUS. — DE SACRAMENTIS. 1057

PARS SECUNDA. — DE SACRAMENTIS POENITENTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS. DE PURGATORIO, SUFFRAGIIS ET INDULGENTIIS. 1057
Liber I. — De pœnitentia, ut est virtus. 1057

Disputatio prima. — De pœnitentia in communi. 1057
Sect. I, II. — In quibus virtus et sacramentum pœnitentiæ conveniunt et disconveniunt. 1057
Disputatio secunda. — De objecto virtutis pœnitentiæ. 1059
Sect. I, II. — Quodnam sit materiale objectum virtutis pœnitentiæ. 1059
Sect. III. — De formali pœnitentiæ objecto. 1060
Sect. IV. — Quænam virtus detestetur peccata quatenus sunt rationi contraria. 1060
Disputatio tertia. — De actibus virtutis pœnitentiæ in communi. 1060
Sect. I-IV. — Cujusnam potentiæ sit actus pœnitentiæ, et quotuplex. 1060
Sect. V-VII. — An actus pœnitentiæ sit honestus et supernaturalis. 1061
Sect. VIII. — An verus pœnitentiæ actus debeat esse universalis de omnibus peccatis. 1063
Sect. IX. — An actus pœnitentiæ sit detestatio peccati supra omne malum pœnæ. 1064
Sect. X. — An unum peccatum sit alio detestabilius. 1065
Disputatio quarta. — De contritione secundum se. 1065
Sect. I, II. — An contritio sit formalis pœnitentiæ actus, et quis; et an includat formalem Dei amorem super omnia. 1065
Sect. III. — An propositum formale non amplius peccandi sit de essentia contritionis, adeoque an contritio possit esse unus simplex actus. 1066
Sect. IV. — An ad veram contritionem requiratur certa actus intentio. 1067
Sect. V. — An ad veram contritionem requiratur aliqua temporis duratio. 1067
Sect. VI. — An sit de essentia contritionis, ut cadat in omnia peccata distincte recogitata. 1068
Sect. VII. — An contritio sit actus semper gratia formatus 1069
Disputatio quinta. — De attritione. 1070
Sect. I. — Quid sit attritio Christiana, et quomodo a contritione differat. 1070
Sect. II. — Quomodo attritio ex metu gehennæ sit honesta, et ob fœditatem peccati sit supernaturalis. 1070
Sect. III. — An attritio possit fieri contritio. 1072
Disputatio sexta. — De exteriori, pœnitentiæ actu. 1072
Sect. I, II. — An virtus pœnitentiæ habeat actum exteriorem sibi proprium, per se honestum, et quotuplicem. 1072
Disputatio septima. — De habitu virtutis pœnitentiæ. 1073
Sect. I, II. — An pœnitentia sit virtus moralis per se infusa voluntati, et distincta a virtute religionis. 1073
Disputatio octava. — De primo pœnitentiæ effectu, qui est remissio peccatorum mortalium. 1073
Sect. I. — An pœnitentia sit sufficiens in suo genere causa, ad remittenda peccata mortalia quantumvis gravia et multa. 1073
Sect. II. — An semper haberi possit in hac vita sufficiens pœnitentia ad remittenda quævis peccata. 1075
Sect. III. — In quo causæ genere pœnitentia remittat peccatum. 1075
Disputatio nona. — De necessitate pœnitentiæ ad remittenda peccata mortalia. 1076
Sect. I. — An secundum ordinariam Dei legem non remittatur peccatum mortale sine pœnitentia. 1076
Sect. II-IV. — An de pœnitentia absoluta possint peccata mortalia remitti sine actu pœnitentiæ et sine infusione gratiæ habitualis. 1077
Disputatio decima. — De perfectione remissionis peccati mortalis prout fit per actum pœnitentiæ. 1079
Sect. I. — An remisso uno peccato mortali, omnia alia mortalia necessario remittantur. 1079
Sect. II, III. — An per pœnitentiam remittatur pœna æterna, peccato mortali debita, et tota temporalis. 1080
Disputatio undecima. — De remissione peccatorum venialium, quatenus sit per actum pœnitentiæ. 1081
Sect. I. — An remissio venialis peccati sit supernaturale gratiæ opus. 1081
Sect. II. — An ad remissionem peccati venialis requiratur gratia habitualis. 1082
Sect. III. — Quis pœnitentiæ actus sufficiat, aut necessario requiratur ad remissionem peccati venialis. 1083
Sect. IV. — An pœnitentia post hanc vitam etiam sufficiat ad peccata venialia tollenda. 1085
Disputatio duodecima. — De remissione peccati venialis per sacramenta. 1086
Sect. I. — An veniale peccatum tollatur ex opere operato per sacramenta. 1086
Sect. II. — An sacramenta remittant peccata venialia ex opere operato. 1087
Disputatio decima tertia. — De absoluta et irrevocabili peccatorum remissione per pœnitentiam. 1088
Sect. I. — An peccata remissa per pœnitentiam, redeant formaliter quoad culpam ob subsequens peccatum mortale. 1088
Sect. II. — An peccata remissa redeant quoad pœnam ob peccatum subsequens. 1089
Sect. III. — An peccatum post præcedentia remissa patratum, fiat inde gravius. 1090
Disputatio decima quarta. — De ultimo pœnitentiæ effectu, qui est reparatio seu reviviscentia meritorum mortificatorum. 1090
Sect. I. — An merita mortificata per pœnitentiam reviviscant. 1090
Sect. II. — An merita mortificata reviviscant ex justitia, an vero ex misericordia. 1091
Sect. III. — An merita mortificata reviviscant ad præmium essentiale. 1092
Sect. IV. — An omnia merita mortificata redeant quoad totum præmium essentiale. 1092
Sect. V. — An tota gratia per peccatum amissa, statim restituatur per peccati remissionem, ideoque homo ad majorem gratiam semper resurgat. 1093
Disputatio decima quinta. — De præceptis virtutis pœnitentiæ. 1094
Sect. I, II. — An qui mortaliter peccavit, teneatur sub præcepto pœnitere, et an impœnitentia sit speciale peccatum ab aliis distinctum. 1094
Sect. III, IV. — An præceptum pœnitentiæ sit naturale an vero positivum; et an tantum semel in vita obliget. 1095
Sect. V. — An præceptum contritionis obliget statim post commissum peccatum. 1096
Sect. VI, VII. — Pro quo tempore obliget hoc pœnitentiæ præceptum, et an teneatur homo satisfacere Deo in hac vita pro pœna temporali. 1097
LIBER II. — DE POENITENTIA UT EST SACRAMENTUM. 1099
Disputatio decima sexta. — De potestate clavium seu remittendi peccata a Christo Ecclesiæ tradita. 1099
Sect. I. — An Christus dederit suæ Ecclesiæ ministris potestatem remittendi peccata post baptismum commissa. 1099
Sect. II. — An hæc potestas remittendi peccata extendatur ad culpam, an vero ad pœnam tantum. 1099
Sect. III. — An potestas remittendi peccata, sit potestas ordinis, an vero jurisdictionis; et quomodo hæ distinguantur ac dentur. 1100
Sect. IV. — An hæc potestas remittendi peccata sit una vel plures claves regni cœlorum. 1102
Disputatio decima septima. — De institutione et necessitate sacramenti pœnitentiæ. 1102
Sect. I. — An Christus in lege nova instituerit sacramentum pœnitentiæ ab aliis distinctum. 1102
Sect. II. — An hoc sacramentum pœnitentiæ sufficiat in voto; an vero debeat esse in re susceptum ad remissionem peccati. 1103
Disputatio decima octava. — De essentia et ritu hujus sacramenti in communi. 1104
Sect. I. — Quænam sit materia remota hujus sacramenti. 1104
Sect. II, III. — An hoc sacramentum essentialiter constet ex materia et forma, et ex qua. 1104
Sect. IV. — An hoc sacramentum sit duntaxat unum, sitque iterabile. 1105
Sect. V, VI. — Quod est in hoc sacramento res et sacramentum simul; an aliquis ritus particularis sit necessarius. 1105
Disputatio decima nona. — De forma sacramenti pœnitentiæ. 1106
Sect. I. — An de essentia hujus formæ sint hæc sola verba voce prolata : *Te absolvo*. 1106
Sect. II. — Quisnam sit sensus hujus formæ : *Ego te absolvo*, et quis ejus effectus. 1107
Sect. III. — An sacramentalis absolutio possit dari personæ absenti. 1108
Disputatio vicesima. — De interiori dolore ad substantiam et effectum hujus sacramenti requisito. 1108
Sect. I. — An contritio ad hujus sacramenti effectum sit necessaria. 1108
Sect. II. — Qualis debeat esse attritio, ut sufficiat ad hujus sacramenti effectum. 1110
Sect. III, IV. — An voluntas confitendi sine alio pec-

catorum dolore sufficiat ad valorem hujus sacramenti; et quisnam ad eum necessario requiratur. 1110
Sect. V. — An confessio possit esse informis ex defectu doloris. 1112
Sect. VI. — De necessitate doloris pro confessione solorum venialium peccatorum. 1113
Disputatio vicesima prima. — De sacramentalis confessionis, quæ est altera pars materiæ hujus sacramenti, quidditate et qualitate. 1113
Sect. I, II. — Quid sit confessio sacramentalis; et an de necessitate sacramenti debeat esse auricularis, seu secreta. 1113
Sect. III, IV. — An pœnitens debeat necessario confiteri propria voce et immediate per seipsum sacerdoti præsenti. 1114
Disputatio vicesima secunda. — De integritate confessionis ad ejus valorem per se necessaria. 1115
Sect. I. — An confessio debeat fieri de omnibus peccatis mortalibus, quorum pœnitens sibi conscius est 1115
Sect. II, III. — An sit necesse ad integritatem confessionis explicare diversas peccatorum species, et circumstantias notabiliter aggravantes, quæ non mutant speciem. 1116
Sect. IV. — Quomodo singulæ circumstantiæ possint esse de necessitate confessionis. 1117
Sect. V. — An ad integritatem confessionis necesse sit peccatorum numerum distincte explicare. 1118
Sect. VI, VII. — An aliquando peccata confessa sint iterum confitenda. 1120
Sect. VIII. — An sit necesse confiteri peccata venialia. 1121
Sect. IX, X. — An peccata dubia sint necessario confitenda; et an mendacium confessioni immistum illam invalidet. 1121
Sect. XI. — De examine conscientiæ ante confessionem necessario. 1122
Disputatio vicesima tertia. — De formali confessionis integritate ejusque defectu. 1122
Sect. I. — An in mortis periculo sufficiat confessio formaliter integra. 1122
Sect. II-IV. — De omissione peccati mortalis in confessione ob periculum gravis damni, vel ob oblivionem, aut ignorantiam. 1123
Disputatio vicesima quarta. — De ministro sacramenti pœnitentiæ in communi. 1124
Sect. I, II. — An solus et omnis sacerdos sit minister hujus sacramenti. 1124
Disputatio vicesima quinta. — De ministro hujus sacramenti habente ordinariam potestatem. 1125
Sect. I, II. — De ministris ordinariis hujus sacramenti respectu omnium singulorum fidelium, ac de ministro ordinario seu proprio respectu singulorum fidelium. 1125
Disputatio vicesima sexta. — De sacramenti hujus habente delegatam potestatem. 1127
Sect. I. — Quibus competat hanc concedere jurisdictionem, et quæ sit forma delegandi. 1127
Sect. II, III. — Quibus competat hæc jurisdictio delegata in foro pœnitentiæ; et quandiu perseveret. 1128
Sect. IV, V. — De jurisdictione delegata ad dandam absolutionem in articulo mortis, et a venialibus peccatis. 1128
Sect. VI. — An liceat hoc sacramentum ministrare cum dubia tantum vel probabili jurisdictione delegata. 1129
Disputatio vicesima septima. — De facultate eligendi confessarium. 1130
Sect. I-III. — Quis possit dare facultatem eligendi confessarium; et quibus a jure, aut a consuetudine concessa sit facultas eligendi confessarium. 1130
Sect. IV. — Qualis debeat esse facultas eligendi confessarium ab homine concessa. 1131
Disputatio vicesima octava. — De confessarii idoneitate. 1131
Sect. I, II. — An in confessario requiratur bonitas et scientia, ut sit idoneus ad hoc ministerium. 1131
Sect. III, IV. — De idoneitate confessarii juxta jus antiquum, et juxta jus novum concilii Tridentini. 1132
Sect. V. — A quo danda sit approbatio, et an sufficiat petita. 1134
Sect. VI, VII. — Cujusnam episcopi requiratur approbatio; et pro quo loco sufficiat. 1134
Disputatio vicesima nona. — De ministro hujus sacramenti quoad casus reservatos. 1135
Sect. I, II. — An sit in Ecclesia potestas reservandi peccata, et an tantum censuræ reserventur et non peccata. 1135
Sect. III. — An omnia et sola peccata mortalia reserventur, vel reservari possint. 1136
Sect. IV. — An peccata possint reservari pro arbitrio superioris sine legitima causa. 1137
Disputatio tricesima. — De ministro qui potest directe absolvere pœnitentem a casibus reservatis. 1138
Sect. I, II. — Quinam possint directe vel per ordinariam, vel per delegatam sive particularem sive generalem jurisdictionem absolvere a peccatis reservatis. 1138
Sect. III. — An in casibus extraordinariis sacerdos inferior possit directe absolvere a reservatis. 1138
Sect. IV, V. — An debeat superior dare facultatem subdito petenti, ut possit a casibus reservatis absolvi ab alio. 1139
Disputatio tricesima prima. — De modo absolvendi a casibus reservatis. 1130
Sect. I. — An superior auditis in confessione solis peccatis reservatis, possit sacramentaliter ab eis pœnitentem absolvere, et reliqua inferiori committere. 1140
Sect. II, III. — An sacerdos inferior sine necessitate, an saltem in casu necessitatis possit absolvere habentem casus reservatos antequam vel a superiore absolvatur, vel coram eo compareat. 1141
Sect. IV. — An habens casus reservatos, postquam semel absolutus est a superiore vel per ejus delegatum possit a quocunque inferiore libere absolvi. 1141
Disputatio tricesima secunda. — De obligationibus ministri hujus sacramenti. 1142
Sect. I-III. — Quis sacerdos teneatur fidelium confessiones audire; quomodo eorum dispositiones scire, et procurare debeat. 1142
Sect. IV-VI. — Quid agere debeat confessarius in diversis casibus. 1142
Sect. VII. — An sit pœna ipso jure imposita ob indebitam hujus sacramenti administrationem. 1144
Disputatio tricesima tertia. — De sigillo confessionis. 1144
Sect. I, II. — Quo jure et in quo gradu teneatur confessarius servare secretum confessionis, et ex qua confessione oriatur hoc secretum. 1144
Sect. III, IV. — In quam materiam cadat hoc sigillum, et quas personas obliget. 1145
Sect. V. — An confessarius possit loqui de rebus in confessione auditis cum ipso pœnitente, vel de ejus licentia. 1146
Sect. VI. — De modo servandi hoc sigillum. 1146
Sect. VII. — An aliquis notitiæ in confessione habitæ usus sit licitus, et quomodo. 1147
Sect. VIII. — Quæ pœnæ ob fractionem sigilli incurratur. 1148
Disputatio tricesima quarta. — De secreto servando circa personam complicis. 1148
Sect. I, II. — An liceat pœnitenti personam et peccatum complicis in confessione aperire; et an liceat id ob solam suæ confessionis integritatem. 1148
Sect. III, IV. — Quid sit licitum necne, circa usum notitiæ peccati complicis, in bonum sive pœnitentis sive complicis. 1149
Disputatio tricesima quinta. — De confessionis præcepto divino. 1150
Sect. I. — An confessio sit divino jure præcepta. 1150
Sect. II-IV. — Quas personas, et quo tempore obliget hoc præceptum prout divinum est; et quomodo impleatur. 1151
Disputatio tricesima sexta. — De præcepto ecclesiastico annuæ confessionis. 1152
Sect. I, II. — An sit ab Ecclesia latum præceptum de facienda singulis annis confessione, et quos obliget. 1152
Sect. III. — An hoc præceptum annuæ confessionis obliget pro determinata anni parte; et quomodo annus computandus sit. 1152
Sect. IV, V. — An qui non implevit hoc præceptum intra annum, teneatur statim confiteri in sequenti anno; et an interdum teneatur quis anticipare confessionem priusquam annus compleatur. 1153
Sect. VI-VIII. — Quæ causa excuset ab hoc præcepto per quam confessionem impleatur; quæ pœna transgressoribus imposita. 1154
Disputatio tricesima septima. — De satisfactione secundum se spectata. 1154
Sect. I, II. — An possimus in hac vita remissionem pœnæ temporalis consequi per nostras satisfactiones; et an ad hoc sit necessaria gratia viatoris. 1154
Sect. III-VI. — An ad satisfactionem requiratur opus liberum, moraliter bonum, supererogatorium, externum, pœnale. 1155
Sect. VII, VIII. — An per pœnas, quas quis necessario patitur, possit Deo satisfacere; et ad satisfactionem re-

quiratur Dei promissio et acceptatio. 1157
Sect. IX, X. — An hæc nostra satisfactio sit de condigno; et talis requiratur ad remissionem pœnæ purgatorii obtinendam. 1158
Disputatio tricesima octava. — De sacramenti satisfactione. 1158
Sect. I-III. — An satisfactio sit pars necessaria hujus sacramenti, an habeat effectum ex opere operato; et an confessarius teneatur illam pœnitenti imponere. 1158
Sect. IV, V. — Quam mensuram servare debeat confessarius in imponenda satisfactione; an hæc habeat aliquam latitudinem. 1160
Sect. VI. — Quæ opera in satisfactionem sint imponenda. 1160
Sect. VII-IX. — An pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare et implere; an teneatur implere in statu gratiæ; an sit personalis. 1161
Sect. X. — Quis possit impositam satisfactionem tollere vel mutare. 1162
LIBER III. — DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS. 1160
Disputatio tricesima nona. — De institutione hujus sacramenti. 1163
Sect. I, II. — An detur verum sacramentum quod vocetur extrema unctio; et an immediate a Christo fuerit institutum. 1163
Disputatio quadragesima. — De essentia sacramenti extremæ unctionis. 1164
Sect. I, II. — Quæ sit materia remota et proxima hujus sacramenti. 1164
Sect. III. — Quæ sit legitima hujus sacramenti forma. 1165
Sect. IV. — De definitione, unitate et iteratione hujus sacramenti. 1166
Disputatio quadragesima prima. — De effectu et fine hujus sacramenti. 1166
Sect. I. — Quis sit proprius hujus sacramenti effectus. 1166
Sect. II, III. — Quando hoc sacramentum conferat suum gratiæ effectum; et an interdum hunc conferat sine omnibus unctionibus. 1168
Sect. IV. — An hoc sacramentum aliquando etiam corporis sanitatem conferat. 1168
Disputatio quadragesima secunda. — De subjecto cui dandum est hoc sacramentum. 1169
Sect. I. — An solus homo baptizatus, ratione utens, possit recipere hoc sacramentum. 1169
Sect. II, III. — An solus infirmus corpore et animo sit capax hujus sacramenti; et quæ partes corporis ungendæ sint. 1170
Disputatio quadragesima tertia. — De ministro sacramenti extremæ unctionis. 1170
Sect. I, II. — An sacerdos sit proprius hujus sacramenti minister, et an possit a multis sacerdotibus confici. 1170
Disputatio quadragesima quarta. — De præceptis et ritu sacramenti extremæ unctionis. 1171
Sect. I. — An fideles teneantur aliquo præcepto ad suscipiendum hoc sacramentum. 1171
Sect. II, III. — De obligationibus ad ministrum hujus sacramenti pertinentibus; et an parochus cum periculo vitæ teneatur illud ministrare. 1172
LIBER IV. — DE PURGATORIO. 1173
Disputatio quadragesima quinta. — De purgatorio in genere, an et ubi sit. 1173
Sect. I. — Sitne aliquis locus in quo animæ ante mortem non plene purgatæ, post hanc vitam purgentur. 1173
Sect. II. — Ubinam sit purgatorii locus, et an unus tantum sit. 1175
Disputatio quadragesima sexta. — De qualitate et acerbitate pœnarum purgatorii. 1176
Sect. I. — An animæ purgatorii pœnam damni et sensus patiantur. 1176
Sect. II. — An pœna sensus purgatorii a vero igne proveniat, et quomodo. 1177
Sect. III. — Quam sit acerba hæc purgatorii pœna. 1178
Sect. IV. — De diuturnitate pœnarum purgatorii. 1179
Disputatio quadragesima septima. — De statu gratiæ animarum purgatorii. 1180
Sect. I. — An omnes animæ purgatorii careant culpa mortali, et habeant aliquem pœnæ reatum. 1180
Sect. II. — An animæ purgatorii sint extra statum merendi, et omnino extra viam. 1181
Sect. III. — An animæ purgatorii sint certæ de sua præsenti justitia, et futura salute æterna. 1182
LIBER V. — DE SUFFRAGIIS. 1183
Disputatio quadragesima octava. — De Ecclesiæ suffragiis, et eorum effectu. 1183
Sect. I. — An inter fideles quorumdam suffragia possint aliis valere ad satisfactionem, seu remissionem pœnæ temporalis. 1189
Sect. II. — An unus possit alteri suffragari, solvendo pœnam illi debitam, seu pro illo satisfaciendo. 1184
Sect. III. — An fidelium suffragia viventibus prosint infallibiliter, et ex justitia quoad pœnæ temporalis remissionem. 1185
Sect. IV. — An viventium suffragia prosint etiam defunctis ad pœnarum remissionem. 1186
Sect. V. — Quibus modis viventium suffragia prosint animabus purgatorii. 1187
Sect. VI. — An hæc suffragia defunctis prosint ex justitia. 1188
Sect. VII. — Conditiones requisitæ ex parte illius, pro quo offertur suffragium ut infallibilem habeat effectum. 1189
Sect. VIII. — Conditiones requisitæ ex parte offerentis suffragium, ut habeat suum effectum. 1190
LIBER VI. — DE INDULGENTIIS. 1191
Disputatio quadragesima nona. — De potestate concedendi indulgentias. 1191
Sect. I. — An sit in Ecclesia potestas concedendi fidelibus peccatorum indulgentias. 1191
Sect. II. — Quam sit antiquus in Ecclesia usus concedendi indulgentias. 1192
Sect. III, IV. — An potestas concedendi indulgentias sit potestas ordinis, an vero jurisdictionis, et quomodo definienda sit indulgentia. 1193
Sect. V. — An usus indulgentiarum repugnet vel justitiæ vel perfectioni. 1194
Disputatio quinquagesima. — De effectu indulgentiarum. 1195
Sect. I. — An effectus indulgentiæ extendi possit usque ad culpam. 1195
Sect. II, III. — An indulgentia tollet reatum pœnæ temporalis apud Deum debitæ, an tantum remittat pœnitentias in foro sacramentali injunctas, et an præter has, etiam alias remittat. 1196
Sect. IV. de indulgentia totali. 1198
Sect. V. — De indulgentia partiali. 1198
Disputatio quinquagesima prima. — De thesauro Ecclesiæ qui per indulgentias dispensatur. 1198
Sect. I, II. — An in Ecclesia sit thesaurus spiritualis, qui per indulgentias dispensari possit; et an constet etiam ex satisfactionibus sanctorum. 1198
Sect. III. — An indulgentiæ concedi tantum possint ex thesauro Ecclesiæ. 1200
Sect. IV. — An Ecclesiæ thesaurus solum per indulgentias dispensetur. 1201
Disputatio quinquagesima secunda. — De fidelibus viventibus quibus possunt prodesse indulgentiæ. 1202
Sect. I. — An indulgentia solis hominibus concedi possit; et quomodo dividatur. 1202
Sect. II. — De habituali dispositione ad indulgentiam lucrandam. 1202
Sect. III. — An ad indulgentiæ effectum sit necessaria confessio. 1203
Sect. IV-VI. — De actuali dispositione opere requisito ad lucrandam indulgentiam. 1204
Sect. VII. — An quis vivens possit lucrari indulgentiam per alium. 1205
Sect. VIII. — An omnes æqualiter et statim post opus impletum, quod injunctum erat, consequantur indulgentiæ fructum. 1205
Sect. IX. — An præter gratiæ statum et opus injunctum requiratur alia dispositio actualis vel habitualis in recipiente indulgentiam ad eam lucrandam. 1205
Disputatio quinquagesima tertia. — De defunctis quibus indulgentiæ prodesse possunt. 1206
Sect. I, II. — An animæ defunctorum sint capaces fructus indulgentiarum, et quomodo; per modum absolutionis an suffragii tantum. 1206
Sect. III. — Quid sit concedere indulgentiam pro defunctis per modum suffragii, et non per modum absolutionis. 1206
Sect. IV. — Quæ conditiones requirantur ad valorem indulgentiæ pro defunctis. 1207
Disputatio quinquagesima quarta. — De causa finali ob quam concedi possunt ac debent indulgentiæ. 1208
Sect. I, II. — An ad dandam licite ac valide indulgentiam requiratur causa legitima. 1208
Sect. III. — An ad valorem indulgentiæ requiratur non tantum causa justa seu legitima, sed etiam proportionata. 1209
Sect. IV. — An oporteat ut causa indulgentiæ sit pu-

blica, seu ad bonum commune pertinens. 1209
Disputatio quinquagesima quinta. — De causa sufficiente indulgentiarum. 1210
Sect. I. — An solus papa habeat divino jure potestatem concedendi indulgentias. 1210
Sect. II. — An inferiores sacerdotes, vel saltem episcopi habeant jure divino potestatem dandi indulgentias aliquibus personis, aut locis. 1210
Sect. III. — An episcopi possint indulgentias concedere ordinario jure humano. 1210
Sect. IV, V. — Quid prælati episcopo inferiores, sacerdotes, prælati religionum possint jure ecclesiastico circa indulgentiarum concessionem. 1211
Sect. VI. — In quibus sit vel esse possit potestas delegata ad indulgentias concedendas. 1212
Disputatio quinquagesima sexta. — De forma in indulgentiarum concessione servanda. 1213
Sect. I. — An ad indulgentiam concedendam seu efficiendam sit necessaria aliqua forma, eaque determinata. 1213
Sect. II, III. — An forma indulgentiæ stricte sit interpretanda, et tantum duntaxat valeat quantum sonat. 1213
Disputatio quinquagesima septima. — De duratione et revocatione indulgentiarum. 1214
Sect. I. — An indulgentia perpetua sit, vel an cessare possit. 1214
Sect. II. — Quibus modis possit indulgentia cessare. 1215

TOMUS DECIMUS OCTAVUS. — DE CENSURIS ET IRREGULARITATE. 1215

Disputatio prima. — De censura in communi. 1215
Sect. I, II. — Quid sit censura ecclesiastica, et an sit in Ecclesia potestas ad ferendas censuras. 1215
Sect. III. — Quotuplex sit censura. 1217
Disputatio secunda. — De efficiente causa censuræ, et de modis illam ferendi. 1217
Sect. I. — An sit aliqua censura ex jure divino; an vero omnis censura immediate sit ex jure humano. 1217
Sect. II. — Quinam homines possint instituere ac ferre censuras. 1218
Sect. III. — Cui et quomodo potestas ferendi censuras delegari possit. 1218
Sect. IV-VI. — Quid requiratur ad valide et convenienter ferendam censuram; et an per metum lata sit valida. 1219
Disputatio tertia. — De modis ferendi censuras et de censura quæ vel a jure vel ab homine fertur. 1219
Sect. I-III. — An bene dividatur censura in eam quæ fertur a jure, et quæ ab homine fertur; et de forma eam ferendi. 1219
Sect. IV-VI. — De censura lata sub conditione. 1220
Sect. VII-X. — De censura lata sub conditione ad causam impertinente, et de admonitione ante censuram ferendam facienda. 1222
Sect. XI. — A quo et cui facienda sit admonitio. 1223
Sect. XII, XIII. — An censura sit valida, quando admonitio non præcessit, et quæ servandæ circumstantiæ in censura ferenda. 1223
Sect. XIV, XV. — An judex post latam censuræ sententiam debeat ejus denuntiationem facere; an teneatur aliquando eam non denuntiare. 1224
Disputatio quarta. — De causa ob quam ferri possit censura. 1225
Sect. I, II. — An censura possit solum ferri ob culpam; et an possit ferri ob peccatum mere internum. 1225
Sect. III. — An actus externus per quem censura incurritur, debeat esse in sua specie perfectus et consummatus. 1226
Sect. IV. — An censura possit ferri, etiam ob peccatum veniale. 1227
Sect. V. — An ad ferendam censuram requiratur contumacia; an vero sufficiat peccatum commissum et præteritum. 1227
Sect. VI. — De invaliditate censuræ per legem seu generalem sententiam latæ ob defectum justæ causæ. 1228
Sect. VII. — De invaliditate censuræ latæ ab homine per sententiam particularem ob defectum justæ causæ. 1229
Sect. VIII. — An invincibilis ignorantia præcepti impediat censuram per illud impositam. 1230
Sect. IX. — An invincibilis ignorantia ipsius censuræ eam excusat. 1231
Sect. X. — An vincibilis ignorantia excuset censuram ab homine latam. 1232
Sect. XI. — An ignorantia excuset censuram ab homine latam. 1232
Disputatio quinta. — De iis in quos potest fieri censura. 1233
Sect. I. — Quæ conditiones in aliquo requirantur ut sit censuræ capax. 1233
Sect. II. — An qui censura afficitur debeat esse persona certa, et nondum per censuram ligata. 1233
Sect. III. — An multiplicatis transgressionibus legis ipso jure censuram ferentis, multiplicentur censuræ. 1234
Sect. IV, V. — Quinam ligentur censura per legem lata; et an agens in aliena diœcesi contra sententiam generalem sui prælati ejus censura ligetur. 1234
Disputatio sexta. — De censuræ effectibus in communi. 1235
Sect. I, II. — Quinam sint et quot effectus censuræ, et quibus modis impediri possint. 1235
Sect. III. — An metus impedire possit censuræ effectum mediatum, seu obligationis exsecutionem, ita ut sine culpa omittatur. 1235
Sect. IV. — Quomodo effectus censuræ suspendatur. 1236
Disputatio septima. — De absolutione et modis quibus censura tolli potest. 1236
Sect. I. — An censura per solam absolutionem tolli possit. 1236
Sect. II. — Quis possit a censuris ab homine latis absolvere. 1237
Sect. III. — Quis possit a censura juris absolvere 1238
Sect. IV. — Cur censura juris non reservata potest ab inferioribus tolli. 1238
Sect. V. — Quis possit absolvere a censura per canonem, seu jus canonicum reservata. 1239
Sect. VI, VII. — Conditiones requisitæ in absolvente a censura, et in eo qui absolvendus est. 1240
Sect. VIII. — Quotuplex sit absolutio a censura. 1241
Sect. IX, X. — An in absolutione censuræ certa forma ac solemnitas servanda sit. 1241
Disputatio octava. — De excommunicatione. 1242
Sect. I-III. — Quid sit excommunicatio, et quotuplex. 1242
Disputatio nona. — De primo effectu excommunicationis majoris, qui est privatio orationum et suffragiorum Ecclesiæ. 1243
Sect. I, II. — An sit grave peccatum offerre pro excommunicato communes Ecclesiæ orationes, vel suffragia; et an his sint privati omnes excommunicati. 1243
Sect. III, IV. — An liceat communia suffragia offerre pro excommunicatis jam contritis et justificatis, sed nondum a censura absolutis; an saltem valide offerantur, etiamsi illicite, ut illis prosint. 1245
Sect. V. — An liceat privatas orationes, piaque opera seu privatas satisfactiones pro excommunicato offerre. 1246
Disputatio decima. — De secundo excommunicationis effectu, qui est privatio passivæ communicationis sacramentorum. 1246
Sect. I. — An graviter peccet excommunicatus quodlibet sacramentum suscipiendo, et quam pœnam incurrat. 1246
Sect. II. — An ministri Ecclesiæ peccent dando sacramentum excommunicato, et quam pœnam incurrant. 1247
Sect. III. — An sacramenta ab excommunicato recepta, rata et valida sint. 1247
Disputatio undecima. — De tertio effectu excommunicationis, qui est privatio activæ administrationis sacramentum, et sacrificii missæ. 1248
Sect. I. — An excommunicatus vitandus moraliter peccet administrando sacramentum, vel sacrificium offerendo. 1248
Sect. II. — An sacramenta illicite ab excommunicato administrata, valida sint, et effectum habeant. 1249
Sect. III. — Quam pœnam incurrant excommunicati ministrantes sacramenta, vel qui ab illis ea recipiunt. 1250
Sect. IV. — An excommunicatus non vitandus, valide et licite possit sacramentum ministrare. 1251
Disputatio duodecima. — De quarto effectu excommunicationis, qui est privatio divinorum officiorum et aliarum rerum sacrarum. 1252
Sect. I. — An excommunicatus privetur omni participatione externa sacrificii missæ, et sub qua pœna. 1252
Sect. II. — Quænam sint alia divina officia quibus excommunicatus privatus est, et sub qua pœna. 1253

Sect. III. — An excommunicatus omni sacrarum rerum aut sacramentalium usu sit privatus. 1254
Sect. IV. — An excommunicatus privetur sepultura ecclesiastica et omni alio honore ecclesiastico. 1254
Disputatio decima tertia. — De quinto effectu excommunicationis, qui est inhabilitas ad ecclesiastica beneficia percipienda, vel eorum fructus. 1255
Sect. I. — An aliquis per excommunicationem fiat incapax beneficii et dignitatis ecclesiasticæ. 1255
Sect. II. — An excommunicatus ecclesiasticis fructibus sit ipso jure privatus. 1256
Disputatio decima quarta. — De sexto effectu excommunicationis, qui est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ. 1257
Sect. I. — An excommunicatus ita sit privatus spirituali jurisdictione fori contentiosi, ut omnis ejus actio ipso facto irrita sit. 1257
Sect. II. — An excommunicatus sit privatus beneficiorum collatione, et omnibus actibus illam concernentibus. 1257
Disputatio decima quinta. — De septimo effectu excommunicationis, qui est privatio civilis communicationis, in quo plures includuntur. 1259
Sect. I. — An excommunicatus privatus sit omni civili communicatione. 1259
Sect. II-IV. — An et quale sit peccatum civilis communicatio cum excommunicato; et quibus modis a peccato excusetur. 1259
Sect. V. — An personæ subjectæ excusentur a culpa communicando civiliter cum suis superioribus excommunicatis, et contra. 1260
Sect. VI, VII. — An subjecti temporali aut spirituali alicujus excommunicati jurisdictioni possint cum illo licite communicare. 1261
Sect. VIII. — An ratione cujusvis contractus licita sit communicatio externa cum excommunicato. 1261
Sect. IX. — An sit prohibita excommunicato communicatio per testamentum. 1262
Disputatio decima sexta. — De octavo effectu excommunicationis, qui est privatio forensis communicationis. 1262
Sect. I, II. — An excommunicatus possit esse judex in sæculari judicio aut in judicem eligi. 1262
Sect. III, IV. — An excommunicatus possit esse actor in judicio, aut ad judicium cogi ut reus. 1263
Sect. V, VI. — An excommunicatus possit in judicio munus tabellionis aut testis agere. 1264
Sect. VII, VIII. — De advocato, procuratore, tutore, curatore excommunicato. 1265
Disputatio decima septima. — De aliis omnibus remotioribus excommunicationis effectibus. 1265
Sect. I, II. — De effectibus tam in ipso excommunicato quam in participantibus cum illo causatis. 1265
Disputatio decima octava. — De causis excommunicationis majoris. 1266
Sect. I, II. — Quis possit excommunicare, et excommunicari. 1266
Sect. III. — Ob quam causam ferri possit aut debeat excommunicatio. 1267
Sect. IV. — Quænam forma servanda sit in ferenda excommunicatione. 1268
Disputatio decima nona. — De absolutione ab excommunicatione. 1268
Sect. I, II. — An excommunicatio per solam absolutionem possit auferri, et de causis ad hanc necessariis. 1268
Disputatio vicesima. — De quibusdam excommunicationibus in particulari, quæ ab homine ferri solent. 1270
Sect. I. — An judices ecclesiastici possint licite et valide pro causis temporalibus excommunicationem ferre. 1270
Sect. II. — An excommunicatio lata ut solvatur debitum, aut restituatur alienum, semper liget. 1270
Sect. III. — An excommunicatio lata ut reveletur secretum, denuntietur crimen occultum, aut prodatur scriptura, semper liget. 1271
Disputatio vicesima prima. — De excommunicationibus papæ reservatis in bulla *Cœnæ Domini*. 1272
Sect. I, II. — Quales sint censuræ in bulla *Cœnæ*, et quænam sint delicta ob quæ in illa fertur excommunicatio. 1272
Sect. III. — Quis possit ab his censuris absolvere. 1274
Disputatio vicesima secunda. — De juris excommunicationibus papæ reservatis. 1275
Sect. I. — Quæ et quot sint excommunicationes juris, quas in canonibus decreti papa reservavit. 1275
Sect. II, III. — De excommunicationibus ipso jure latis et papæ reservatis in antiquis libris *Decretalium*, et in VI libro *Decretalium*. 1277
Sect. IV, V. — De excommunicationibus ipso jure latis et papæ reservatis in libris *Clementinarum* et *Extravagantium*. 1277
Sect. VI. — De excommunicationibus ipso jure latis et papæ reservatis extra corpus juris. 1278
Disputatio vicesima tertia. — De excommunicationibus non reservatis papæ. 1279
Sect. I-III. — An habeantur excommunicationes ipso jure latæ, episcopo reservatæ; et de excommunicationibus non reservatis in *Decreto*, ac in priscis *Decretalium* libris. 1279
Sect. IV. — De excommunicationibus non reservatis in libro VI *Decretalium* latis. 1279
Sect. V. — De excommunicationibus non reservatis ipso jure latis in libris *Clementinarum*. 1280
Sect. VI, VII. — De excommunicationibus non reservatis in libris *Extravagantium*, et extra corpus juris latis. 1281
Disputatio vicesima quarta. — De excommunicatione minori. 1282
Sect. I, II. — An una tantum sit excommunicatio minor; quid sit; quos effectus habeat. 1282
Sect. III, IV. — Quibus modis et causis incurratur excommunicatio minor; et quis possit ab ea absolvere. 1283
Disputatio vicesima quinta. — De suspensione quoad essentiam et species ejus. 1284
Sect. I, II. — Quid sit suspensio et quotuplex. 1284
Disputatio vicesima sexta. — De suspensione ab officio, quid sit, et quos effectus habeat. 1285
Sect. I. — An suspensio ab officio simpliciter lata, privet omni usu ordinis et jurisdictionis spiritualis. 1285
Sect. II. — Quale sit peccatum violare suspensionem ab officio, et talis actio quantum valeat. 1285
Sect. III. — An suspensus ab officio, sit etiam suspensus a beneficio vel ab aliquo alio actu sive sacro, sive profano. 1286
Sect. IV. — Quos effectus habeat suspensio ab officio, quæ non simpliciter, sed ex parte fertur. 1287
Disputatio vicesima septima. — De effectibus suspensionis a beneficio. 1288
Sect. I. — Quid sit suspensio a beneficio simpliciter lata, et quos effectus habeat. 1288
Sect. II. — De effectu suspensionis partialis a beneficio. 1289
Disputatio vicesima octava. — De causis suspensionis. 1289
Sect. I, II. — Quis possit suspensionem ferre, et in quas singulares personas. 1289
Sect. III. — An et quomodo suspensio in communitatem ferri possit. 1290
Sect. IV. — An suspensio solum ferri possit ob culpam, eamque mortalem; et quis modus servandus in ea ferenda. 1290
Disputatio vicesima nona. — De ablatione seu absolutione suspensionis. 1291
Sect. I. — Quomodo et a quo auferatur suspensio; quæ est pura pœna ob delictum commissum. 1291
Sect. II. — Quomodo et a quo tollatur suspensio ob contumaciam lata. 1294
Sect. III. — De forma absolutionis a suspensione. 1295
Disputatio tricesima. — De differentia suspensionis a depositione et degradatione. 1295
Sect. I. — Quomodo suspensio a depositione differat. 1295
Sect. II. — Quomodo degradatio a suspensione et depositione differat. 1294
Disputatio tricesima prima. — De suspensionibus in particulari, quæ ipso jure latæ sunt. 1294
Sect. I. — Ob quas causas clericus maneat suspensus in sua ordinatione. 1294
Sect. II. — An aliqua suspensio ipso jure lata sit ob pravum ordinis usum. 1296
Sect. III. — De suspensionibus quas clerici ipso jure incurrunt ob peccata contra alia munera vel obligationes sibi proprias. 1297
Sect. IV. — De suspensionibus quas clerici incurrunt ob alia peccata cæteris hominibus communia. 1297
Sect. V. — Quas suspensiones incurrant ipso jure episcopi et ecclesiarum capitula. 1298
Sect. VI. — De suspensionibus ipso jure latis specialiter in religiosos. 1299
Disputatio tricesima secunda. — De interdicto in communi quoad ejus essentiam et species. 1299
Sect. I, II. — Quid sit interdictum, et quotuplex. 1299
Disputatio tricesima tertia. — De primo interdicti ele-

fectu, qui est privatio sacramentorum. 1301
Sect. I. — Quorum sacramentorum usus per interdictum prohibetur. 1301
Sect. II. — Quale sit peccatum violare interdictum in materia sacramentorum, et quæ pœna incurratur. 1303
Disputatio tricesima quarta. — De secundo effectu interdicti, qui est divinorum officiorum prohibitio. 1304
Sect. I. — An et quomodo missæ sacrificium per universale loci interdictum prohibeatur. 1304
Sect. II. — Quomodo missæ sacrificium per alia interdicta prohibeatur. 1305
Sect. III. — Quænam alia divina officia prohibita sint per interdictum. 1306
Sect. IV. — De peccato et pœna clericorum seu ecclesiasticorum violantium interdictum. 1307
Sect. V. — De peccato et pœna laicorum interdictum violantium. 1307
Disputatio tricesima quinta. — De tertio effectu interdicti, qui est ecclesiasticæ sepulturæ, vel ingressus ecclesiæ privatio. 1308
Sect. I. — An omne universale loci interdictum privet ibi ecclesiastica sepultura. 1308
Sect. II, III. — An particulare loci interdictum, et personale privet ecclesiastica sepultura. 1309
Sect. IV. — De prohibitione ingressus ecclesiæ per interdictum. 1309
Disputatio tricesima sexta. — De causis interdici. 1310
Sect. I, II. — Quis possit interdicere, et interdici. 1310
Sect. III, IV. — Ob quam causam potest ferri interdictum; et quæ forma servanda in eo ferendo. 1311
Disputatio tricesima septima. — De omnibus interdictis ipso jure latis. 1312
Sect. I. — Quæ et quot interdicta ipso jure lata reperiantur. 1312
Sect. II. — An interdictum a jure latum obliget- ante judicis renuntiationem. 1313
Disputatio tricesima octava. — De interdicti relaxatione. 1313
Sect. I. — An semper sit necessaria relaxatio, vel absolutio interdicti ut cesset. 1313
Sect. II, III. — Quis possit interdictum relaxare, et quæ forma servanda in eo relaxando. 1314
Disputatio tricesima nona. — De cessatione a divinis. 1315
Sect. I. — Quid et quotuplex sit cessatio a divinis, et quomodo ab interdicto differat. 1315
Sect. II. — Quos effectus habeat cessatio a divinis. 1315
Sect. III. — Ob quas causas et quomodo ferenda sit cessatio a divinis. 1316
Sect. IV. — A quo et quomodo tollenda sit cessatio a divinis. 1317
Disputatio quadragesima. — De irregularitate in communi. 1317
Sect. I, II. — Quid sit irregularitas, et quos effectus habeat. 1317
Sect. III. — Ob quam causam incurratur irregularitas, et quotuplex illa sit. 1319
Sect. IV. — An irregularitas solo jure ecclesiastico imponatur. 1320
Sect. V. — An ad incurrendam irregularitatem oporteat jus ita esse expressum ut dubium excludat. 1321
Sect. VI. — An ex dubio facti irregularitas juris contrahatur. 1322
Sect. VII. — Qui possint irregularitatem contrahere. 1322
Sect. VIII. — Quæ sit verborum forma, per quæ inducitur irregularitas. 1323
Disputatio quadragesima prima. — De modis quibus irregularitas tollitur, præsertim de dispensatione. 1324
Sect. I. — An possit irregularitas aliter tolli, quam per dispensationem. 1324
Sect. II. — Penes quos sit potestas dispensandi in irregularitate, et quæ forma servanda in dispensatione. 1324
Disputatio quadragesima secunda. — De irregularitate contracta ex delicto ob usum sacramentorum. 1325
Sect. I. — An contrahatur irregularitas per iteratam baptismi susceptionem. 1325
Sect. II, III. — Per cujusnam alterius sacramenti illegitimam susceptionem contrahatur irregularitas. 1326
Sect. IV. — An per indignam ordinis usurpationem incurratur irregularitas. 1327
Sect. V. — An per indignam ordinis administrationem incurratur irregularitas. 1328
Disputatio quadragesima tertia. — De irregularitatibus quæ ex aliis delictis vel ex eorum infamia contrahi possunt. 1328
Sect. I-III. — An per crimen hæresis incurratur irregularitas, et ad quas personas hæc extendatur. 1328
Sect. IV, V. — An ob Simoniam, sacrilegium, aliave crimina incurratur irregularitas. 1328
Disputatio quadragesima quarta. — De irregularitate quæ contrahitur ex dilecto homicidii voluntarii. 1329
Sect. I, II. — De voluntaria homicidii intentione, et effectu secuto ad incurrendam irregularitatem necessario. 1329
Sect. III, IV. — Quænam personæ ad homicidium concurrentes, irregularitatem contrahant; et qualis sit. 1330
Disputatio quadragesima quinta. — De irregularitate ex homicidio casuali contracta. 1331
Sect. I, II. — An et quomodo per homicidium indirecte voluntarium contrahatur irregularitas. 1331
Sect. III, IV. — Quando incurrunt hanc irregularitatem aliquo modo cooperantes cum homicida, aut eum non impedientes. 1332
Sect. V, VI. — An propter homicidium casuale ex opere tam licito quam illicito secutum, contrahatur irregularitas. 1332
Disputatio quadragesima sexta. — De irregularitate contracta ex homicidio necessario, seu in defensionem patrato. 1333
Sect. I, II. — An ob homicidium patratum in defensionem propriæ personæ, vel bonorum temporalium, incurratur irregularitas. 1333
Sect. III. — An ex homicidio ob licitam proximi defensionem patrato incurratur irregularitas. 1334
Disputatio quadragesima septima. — De irregularitate ex homicidio licito ob defectum lenitatis contracta. 1335
Sect. I. — An judex ferens sententiam in causa sanguinis, fiat irregularis. 1335
Sect. II. — An accusator in causa sanguinis fiat irregularis. 1335
Sect. III, IV. — An testes et ministri justitiæ in sanguinis justa causa, secuto effectu, fiant irregulares. 1336
Sect. V-VII. — An omnes militantes in bello injusto, et omnes mutilantes in bello justo fiant irregulares. 1337
Disputatio quadragesima octava. — De irregularitate quæ ex infamia contrahitur. 1338
Sect. I, II. — Quid et quotuplex infamia; et quomodo infamia ex crimine resultans, inferat irregularitatem. 1338
Sect. III. — An sufficiat ad irregularitatem inducendam infamia ex alieno delicto orta. 1339
Disputatio quadragesima nona. — De irregularitate quæ ex bigamia nascitur. 1340
Sect. I, II. — An ex propria bigamia, et etiam ex interpretativa, contrahatur irregularitas. 1340
Sect. III, IV. — An ex unico matrimonio sive valido sive invalido, interdum contrahatur irregularitas. 1340
Sect. V, VI. — Quo jure introducta sit, et quos effectus habeat hæc irregularitas; et quis in ea possit dispensare. 1341
Disputatio quinquagesima. — De irregularitate quæ oritur ex natalium defectu. 1341
Sect. I. — Quot modis filii nascantur, vel fiant legitimi. 1341
Sect. II, III. — Quot sint species filiorum illegitimorum, et an sint irregulares. 1342
Sect. IV. — De filiis expositiis et aliis. 1342
Sect. V. — Quibus modis possit tolli hæc irregularitas. 1343
Disputatio quinquagesima prima. — De irregularitate ex personali defectu inculpabili contrahitur. 1343
Sect. I. — An aliqua irregularitas ex animæ defectu inculpabili contrahatur. 1343
Sect. II. — Qui defectus corporis irregularitatem inducant. 1344
Sect. III. — An ex defectibus bonorum temporalium contrahatur aliqua irregularitas. 1345

APPENDICES.

APPENDIX PRIMA. — DE JUSTITIA ET JURE. 1347

Caput primum. — De justia generatim. 1347
Cap. II. — De jure in genere. 1349
Cap. III. — De variis speciebus juris realis. 1349
Cap. IV. — Quibus et in quæ competat dominium. 1352
Cap. V. — De modo acquirendi dominii in res quæ nullius sunt, vel communes. 1356
Cap. VI. — De modo acquirendi per præscriptionem. 1359
Cap. VII. — De injuria et restitutione in genere 1365
Cap. VIII. — De restitutione pro injuriis in res spirituales illatis. 1368
Cap. IX. — De restitutione pro injuriis in corpus proximi illatis homicidio vel mutilatione. 1368
Cap. X. — De restitutione pro injuriis in corpus proximi per stuprum et adulterium illatis. 1372
Cap. XI. — De restitutione pro injuriis per detractionem et contumeliam illatis. 1373
Cap. XII. — De restitutione pro injuriis per furtum illatis. 1376
Cap. XIII. — De restitutione ob cooperationem ad furtum vel damnum 1380
Cap. XIV. — De restitutione rei acceptæ. 1382
Cap. XV. — De restitutionis ordine servando, loco, expensis. 1384
Cap. XVI. — De causis excusantibus a restitutione. 1384
Cap. XVII. De contractibus in genere. 1385
Cap. XVIII. — De promissione et donatione. 1388
Cap. XIX. — De deposito, sequestro et commodato. 1390
Cap. XX. — De fidejussione, assecuratione, pignore et hypotheca. 1391
Cap. XXI. — De mutuo. 1392
Cap. XXII. — De usura. 1393
Cap. XXIII. — De montibus pietatis. 1397
Cap. XXIV. — De emptione, venditione et negotiatione. 1397
Cap. XXV. — De censibus seu redditibus annuis. 1401
Cap. XXVI. — De cambiis. 1403
Cap. XXVII. — De locatione et conductione, de emphyteusi et feudo. 1404
Cap. XXVIII. — De contractu societatis. 1406
Cap. XXIX. — De assecuratione, sponsione, ludo. 1407
Cap. XXX. — De testamento et ejus adjunctis. 1408
Cap. XXXI. — De judice. 1410
Cap. XXXII. — De accusatore et teste. 1412
Cap. XXXIII. — De reo et advocato. 1413
Cap. XXXIV. — De tributis et vectigalibus. 1415
Cap. XXXV. — De beneficiis. 1416
Cap. XXXVI. — De obligationibus beneficiatorum. 1420
Cap. XXXVII. — De pensionibus. 1421

APPENDIX SECUNDA. — DE MATRIMONIO. 1421

PARS PRIMA. — DE SPONSALIBUS. 1421
Caput primum. — Quid sponsalia, et quomodo contrahantur. 1421
Cap. II. — Quinam possint valide sponsalia contrahere, et qua ætate. 1423
Cap. III. — Qui sint effectus sponsalium. 1423
Cap. IV. — Causæ dissolvendi sponsalia. 1423

PARS SECUNDA. — DE MATRIMONIO SECUNDUM SE SPECTATO. 1425

Caput primum. — Quid matrimonium, et quotuplex. 1425
Cap. II. — Quænam origo et honestas matrimonii. 1425
Cap. III. — An matrimonium cadat sub præcepto. 1426
Cap. IV. — An secundæ nuptiæ sint licitæ. 1427
Cap. V. — Quomodo polygamia sit illicita. 1427

PARS TERTIA. — DE MATRIMONIO UT EST SACRAMENTUM. 1429

Caput primum. — Quid sit matrimonium, prout est sacramentum, et quando a Christo institutum. 1429
Cap. II. — Quænam sit materia ac forma hujus sacramenti. 1429
Cap. III. — Quænam intentio requiratur in fidelibus, ut matrimonium ipsorum sit sacramentum. 1430
Cap. IV. — An matrimonium contractum per procuratorem sit validum, et sacramentum conferens gratiam. 1431
Cap. V. — Quis sit minister hujus sacramenti. 1432
Cap. VI. — Quis effectus hujus sacramenti, et quæ dispositio ad illud necessaria. 1432
Cap. VII. — Quisnam consensus ad matrimonii valorem requiratur. 1432
Cap. VIII. — De matrimonio clandestino. 1434
§ I. — An matrimonium clandestinum sit illicitum et invalidum. 1434
§ II. — Quis parochus et quinam testes requirantur. 1435
§ III. — Quid denuntiationes, et quomodo præmitti debeant matrimonio. 1435
Cap. IX. — De matrimonii indissolubilitate quoad vinculum. 1436
Cap. X. — De dissolubilitate matrimonii quoad torum et cohabitationem, seu de divortio. 1439
Cap. XI. — De debito conjugali. 1440
Cap. XII. — De impedimentis matrimonii in genere, et quis ea possit statuere. 1442
Cap. XIII. — De impedimentis matrimonium impedientibus, sive quæ et quot illa sint. 1443
Cap. XIV. — De impedimentis matrimonium dirimentibus, sive quæ et quot illa sint. 1443
§ I. — De impedimento erroris. 1444
§ II. — De impedimento conditionis. 1444
§ III. — De impedimento voti solemnis. 1444
§ IV. — De impedimento cognationis. 1444
§ V. — De impedimento criminis. 1446
§ VI. — De impedimento disparitatis cultus. 1446
§ VII. — De impedimentis vis seu violentiæ, aut metus. 1448
§ VIII. — De impedimento ordinis. 1448
§ IX. — De impedimento ligaminis. 1449
§ X. — De impedimento publicæ honestatis. 1449
§ XI. — De impedimento amentiæ et ætatis. 1450
§ XII. — De impedimento affinitatis. 1450

§ XIII. — De impedimento matrimonii cladestini. 1450
§ XIV. — De impedimento impotentiæ. 1450
§ XV. — De impedimento raptus. 1451
Cap. XV. — De dispensatione in impedimentis matrimonii. 1452
§ I. — Quis possit in illis dispensare. 1452
§ II. — Quænam sint causæ justæ ad dispensandum in matrimonii impedimentis. 1452
§ III. — Quid explicandum in petitione dispensationis. 1453
Cap. XVI. — De revalidatione matrimonii invalidi. 1454
INDEX ANALYTICUS rerum quæ in duobus Summæ theologicæ voluminibus continentur. 1455
Index analyticus rerum quæ in duabus Appendicibus continentur. 1465

FINIS VOLUMINIS SECUNDI ET ULTIMI.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

DATE DUE

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.

GTU Library
3 2400 00287 4364